UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundißimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 387a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS

AVGVSTINVS

SEV DOCTRINA

S. AVGVSTINI

DE

Humanæ naturæ ſanitate, ægritudine, medicinâ adverſus Pelagianos & Maſsilienſes.

TOMVS III.

IN QVO

Genuina ſententia profundiſsimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis CHRISTI Salvatoris, & de prædeſtinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè oſtenditur.



LOVANII,

Typis IACOBI ZEGERI, Anno M. DC. XL.

Cum gratia & Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Catholici.

CORNELII IANSENII

EPISCOPI IPRENSIS

AVGVSTINVS

SEV DOCTRINA

S. AVGVSTINI

DE

Humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicina
adversus Pelagianos & Massilienses.

TOMVS III.

IN QVO



LOVANII

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

DE generis humani ægritudine hactenus: nunc de medicina dicendum est. Fruſtra enim de medendo morbo ſatagimus, niſi ante cauſas ejus & magnitudinem & pertinaciam aliaque ſymptomata quæ inde proficiſci ſolent, ipſoque non minus morbo ſubinde periculoſa ſunt, perſpecta habeamus. Quorum quidem profundiſsimâ ignoratione factum eſt, ut neque Philoſophi, neque Hæretici, qui ſubſidia quædam libertatis humanæ ad benè vivendum procudere conati ſunt, nihil omnibus ingenii ſui conatibus excogitare potuerint, quod vel morbum ipſum tangeret, nedum radices eius ſuccideret; nihil etjam nonnulli Catholici protulerint quo vis ejus utcunque frangeretur. Sed quemadmodum Apoſtolo teſte cæca animi concupiſcentia præceptis benè vivendi magis augeri quam comprimi ſolet, hoc ipſo quo tantùm præcipiendo cohibetur; ita morbus iſte remediis inefficacibus, quæ multi adhibere voluerunt, magis exaſperatus quam ſanatus eſt. Quicquid enim non eſt in internecionē ejus, in nutrimentum rapit, & inde creſcit unde minuendus putabatur. Tam dirum & occultum eſt iſtiuſce morbi malum. In cujus quidem profundioribus fibris iuxta doctrinam ſancti Auguſtini detegendis & ruderibus humanarum opinionum diſijciendis, quibus tegebantur, ſi non mediocris nobis labor impendendus fuit, haud paulò nobis laboriosior profectò ſupereſt provincia, vt illud unicum genuinum & præſentiſsimum illius peſtis remedium, quod cælitus nobis Chriſtus attulit, & Apoſtolicis principiis nixus Auguſtinus explicuit, ab omni opinationum humanarum adulteratione, qua vis eius in hominum animis obſcurata & enervata eſt, liberemus. Non hic de tribus capellis agitur, vel de aliqua Scholaſtici pulveris controverſia, in qua quicquid arripueris ſalva res eſt. Agitur de ipſiſsimo Chriſtianæ religionis cardine, hoc eſt de Incarnationis Chriſti Domini noſtri, undè Chriſtiani dicimur, fructu & ſcopo: qui non eſt alius, quam ut *quæreret & ſalvum faceret, quod perierat*: hoc eſt ut nobis peccato perditis afferret juſtificationis & bonæ operationis gratiam, ſeu gratiam illam qua *diffunditur charitas in cordibus noſtris* prout eam ſexcentis locis Apoſtoli Pauli verbis circumſcribit

Conc. Carth. in epist. Synod. Epist. 95. & alibi. scribit Augustinus: Quæ propterea sæpissimè vocatur gratia *qua Christiani sumus*; gratia, *quam fides in* IESVM *Christum impetrat*; gratia, *quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est*: Denique uno verbo, *gratia Christiana*. Illa quippè est ipsissima & sola gratia, *qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum*. Hanc ergò gratiam tota Christi Ecclesia omnibus

Epist. 105 lib. de corrept. & gratia cap. 5. visceribus pietatis credit, & in omnibus precibus suis inuocat, utpotè

Conc. Carth. in Epist. Synod. sine cuius fide nec esse Christi Ecclesia, nec vocari potest. Hanc qui intelligit, ille intelligit quare sit Christianus; qui verò non intelligit quantumvis fide rectus & Catholicus sit, velit nolit, opinione Pelagianus est. Tam enim delicatum est hoc divinæ gratiæ mysterium, ut

Iacobi 2. quemadmodum Apostolus Iacobus de præceptis dixit, *quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: ita & hic, quicunque totam Christi gratiam & fidei puritate & sententiæ sinceritate prædicaverit, si vel in minimo ab indiuisibili veritate aberraverit, naturæque viribus suffragetur, non in qualiscunque hallucinationis errorem, sed in ipsam Pelagianismi voraginem incidisse, omniumq; adeo Pelagii errorum, quibus & naturam & gratiam adulterando suffocauit, reus esse conuinci potest. Nam in hoc argumento tanta veritatis erroriscque concatenatio est, ut maximus minimos complectatur, &

In præfat. lib. 2. de de Hæres. Pelag. minimus maximos post se trahat. Quod vt alibi diximus, vigilantissimè sanctus Prosper obseruavit, quando Augustino, cæteriscque pestis Pelagianæ damnatoribus perspectum fuisse canit,

Carm. de ingrat. c. 8.

Quod tota nefandæ
Hæreseos summa exigua sub parte tegatur:
De qua plena mali labes renovetur & omne
Commenti corpus per singula membra resurgat.

Nusquam enim verius locum habet, quod dici solet, aut totum, aut nihil: ut alio fortassis loco uberius demonstrabitur. Quod quia paucis perspectum est ac perdifficile hominibus persuaderi potest, hinc fit, vt plerique viri boni, dum naturæ bonitatem ab opprobrio se vindicare putant, magnis disputandi viribus gratiam destruant, illis præter opinionem suffragantes, qui æmulationem Dei habent, sed

Rom. 10. non secundùm scientiam. *Ignorantes* enim iustitiam Dei, hoc est quam Deus dat, *& suam*, sive naturalem sive moralem, sive qualemcunque quærentes statuere *iustitiæ Dei non sunt subjecti*. Ex quo vlterius necesse est sequi ut ab imprudentibus, totaque fide & corde redemptorem venerantibus, crux Christi evacuetur. Quapropter saluberrimum est in hoc argumento tremere, & humanæ Philosophiæ qua natura defenditur

Lib. de spiritu & lit. cap. 7. supra quam credi potest fallaci nonnihil diffidere. Agitur enim de mysterio vehementer abstruso, & ut Augustinus loquitur de *re profunda & nimis abdita*, quam Philosophi, diuinorum consiliorum imperiti, nec suspicione quidem assecuti sunt. Quid enim illi de adjutorio libertatis statuere potuerunt, quibus infirmitas eius per peccatum adducta nec per somnium quidem in mentem venit? Quibus illa erant ratæ fixæque veritatis de virtute axiomata, Diuitias Deo, virtutem homo

sibi

sibi debet. Nemo unquam Diis, quòd virtuosus est gratias egit. Hæc enim & hujusmodi pronunciata in illa indifferenti potentiáque arbitrii libertate suas radices habent, quam Ethnica Philosophia tanta verborum sententiarumque pompa prædicavit, ut si quis eam uelut claudam fractamque & opis ad volendum indigam elevaret, hominem eis ex homine tollere videretur. Ex quo effectum est ut longè difficillima facta sit provincia defendendæ veritatis, dum non tam argumentorum pondere, quam adversantium numero oppugnata premitur. Doctores enim quos Scholasticos vocant, à teneris unguiculis in gentilis Philosophiæ palestris eruditi, ejusque dogmatibus tanquam naturali rationi quam maximè consentaneis innutriti, difficillimè sibi persuaderi sinunt, falsum esse quod lumen rationis in istiusmodi viris quasi defecatius, verisimum esse pronunciavit. Hinc indefesso labore, à quibusdam sudatum est, ut Apostolus Aristoteli, stultitia crucis sapientiæ verbi, fides Philosophiæ conciliata consentiret. Quod quia Pelagianis infeliciter cesserat, quorum ille præcipuus scopus fuit, hinc ea cuique gratiæ divinæ facies formata, & adjutorij liberæ voluntatis formula excogitata est, quæ cum gentilium Philosophorum sensis atq; pronũciatis quam bellissimè concineret. Cum verò rei tantæ conatus, neque temeritate carituru, sine graui authoritate, neque periculo sine duce, neque fidem inter Christianos inventurus sine patrono videretur, certatim fœtus quisque suos magno Augustino subiecêre, cujus unius patrocinio facilè sectæ cujusvis adversantis murmura & argumenta contemneret. Quod quidem à nonnullis magnâ sedulitate diligentiáque lectione excussis ante Augustini libris, quantum per aliorum studiorum principalium otium licuit, factitatum est; ab aliis verò tam rara scilicet felicitate tentatum, ut cùm post fabricatam sententiam suam arguerentur novitatis, perpensis Augustini locis ac sententiis, ipsam sancti Doctoris Augustini mentem se attigisse deprehenderent. Alii non paulò audacius, aut certè candidius, apertè fassi sunt, sententiam suam non quidem esse Augustini, sed si ei cum semipelagianis dimicanti proposita fuisset, propter eximiam conciliandæ libertatis cum divina gratia dexteritatem, sine dubitatione fuisse placituram. *Neque verò dubito*, inquit, *quin ab Augustino & cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset, hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia & prædestinatione si eis fuisset proposita.* Et paulò inferius adjicit: *Quia res est magni momenti, ac valdè lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione à nemine quem videmus, huc usque tradita, ideò satius hæc duxi paulo fusius explicare.* Et hæc est illa capitalium opinionum hujus temporis una sententia, quam qui Molinam primum ejus ut profitetur, authorem, Augustino, ut ipse putat, ignotam, secuti sunt, ipsissimam Augustini nunc esse profitentur. Ita

Molina in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.

Casus ubique valet.

Sed omnibus casibus superior potentiorque Dei providentia, ad usus suos contorquens profunda torrentis, fluxumque sæculorum ordinans

dinans turbulentum, de ingenua illa anima verba ista excidere voluit, ut quæ Lectores imprudentes in eruditionis quasi reconditæ admirationem erigerent, prudentes in re tanti momenti ab hujusmodi tam lubricâ novitate amplectenda revocarent. Nam quibus ille nihil efficacius se dicere posse arbitratus est, ad sententiam suam commendandam imperitis, nihil gravius ad deterrendos peritos comminisci potuit. Quis enim tantillum Ecclesiastici ordinis in doctrina tradenda, & consuetudinis gnarus, sententiam amplectetur novam, & Augustino ignotam, hoc ipso quia de novitate commendatur? Præsertim quia in illa materia doctrinæ versamur, vbi post tot Apostolicæ Sedis Conciliorumq; pronunciata ex Augustini libris, verbo sensuque tenus hausta, meritò adversus hujusmodi retorquere possumus: Si quis vobis annunciaverit præter id quod ex Augustino accepistis, anathema sit.

Quapropter cùm hâc tempestate omnes etiam illius magistri sectatores, qui novam doctrinam & Augustino incognitam se protulisse gloriatus est, novitatis invidiæ succumbentes, se Augustinianæ togæ laciniis tegant, speciosumque gratiæ congruæ & prædestinationis ad arbitrium respicientis, apparatum, jam etiam Augustini esse, persuadere conentur; nihil publico vtilius fieri posse puto, quam si genuina profundissimi Doctoris mens, hoc est Ecclesiæ Catholicæ sententia, quam ille explicuit, & contra hæreses propugnavit, de gratia & prædestinatione proferatur. Quod quidem eo magis necessarium esse video, quod penè inanis esset, ille totus præcedentis operis labor, quo vulnera naturæ proposuimus, nisi iste sequeretur. Quid enim juvat profundas naturæ lapsæ corruptelas intelligere, si nos quæ sit ei medicina cælitus præparata fugiat? Vel eam ita hominibus explicando commendemus, ut morbus ipsa medicinæ adulteratione acerbius recrudescat? Quem quidem laborem non profectò mediocrem iterum profiteor, me nullius sententiæ odio vel amore suscepisse, sed pura, quantùm mihi videtur, dilectione veritatis. Sententiam quam hîc trado, non ego ad Augustini lectionem præoccupatus attuli tanquàm patrocinium, ut fieri à plerisque solet, ex ejus verbis sententiisque corrasurus, sed per multos annos eadem sæpissimè legendo & relegendo, ponderando iterum iterumque, postrema primis mediaque omnibus collidendo, ex ejus libris hausi, atque ipsa rei & connexionis evidentia compulsus, reclamante licet priore, qua imbutus fueram opinione, Augustini esse judicavi. Siquid duriusculum fortasse cuipiam dictum videatur, non in personas quas veneror, sed in sententias earum, vel tuendi modos à me prolatum est. Quam enim quæque censuram opinio mereatur, quo loco haberi debeat, quantùm errori accedat, aut etiam ab eo recedat, difficulter intelligi aut explicari potest, nisi rebus verba serviant. Quod nemini quispiam vitio verterit, nisi qui alios errare malit, quam errorem suum patefieri. Adversus quam animi ægritudinem à vanitate profectam, jam olim dixit sapienter & salubriter Augustinus: *Nimis perverse seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat.*

CA-

CAPVT PRIMVM.

Partitio dicendorum & ordo sequentium disputationum.

DE liberatione arbitrii voluntatis, seu reparatione libertatis ejus acturis potissima sese offert difficultas de causis liberationis ejus. Cùm verò causa multiplex sit, materia, forma, efficiens, atque finis: de materiali, formali, & finali causa, non magnoperè nobis laborandum est. Materialis enim causa liberationis est ipsum arbitrium seu voluntas quæ liberatur à servitute peccati. Formalis ipsa charitas, qua fit formaliter voluntas libera, sive libertate habituali per ipsum charitatis habitum, sive actuali, per actum ejus, vel certè per id quod immediata & proxima ipsius actus liberi causa est. Id verò quid sit suo uberius loco differendum est. Finalis denique causa est integritas humanæ naturæ ac salus, quæ tunc omnibus numeris erit absoluta, cùm charitas & libertas fuerit ipsius divinæ essentiæ contemplatione perfecta. Quamobrem de efficiente liberationis causa tota controversia est. Quæ cùm iterum duplex sit, interna ipsi arbitrio, cujus immediatâ virtute efficitur liberum & actus ejus liber, & externa qualis propositum ac prædestinatio Dei, hinc fit, ut multiplex oriatur disputatio. De singulis ordine jam proposito dicturi sumus.

CAPVT SECVNDVM.

Notio liberationis arbitrii. Causa ejus efficiens non est naturalis possibilitas liberæ voluntatis, sed gratia.

ANtequàm ista quæstio de causa liberationis resolvatur, scire necesse est, quid sit arbitrii liberatio. Nam hac de re pœnè nulla est apud Scholasticos Doctores mentio. Etenim Philosophiæ Aristotelicæ principiis imbuti semper sentiunt arbitrium esse liberum ad volendum faciendumque tàm bonum quàm malum. Ex quo fit ut mentionem servitutis atq; captivitatis respectu arbitrii voluntatis vix auribus ferant. Itaque quando in Scriptoribus antiquis captivitatem aut servitutem sub peccato audiunt, plerique non aliud animo concipiunt, quam quod aliquis in mortali peccato cõstitutus sit, atque ita dæmonum potestati obnoxius, pœnarumque reus. Proinde liberationem arbitrii consequenter non aliud esse putant, quàm ipsam peccati remissionem, quatenus ejus beneficio peccatoris animus à macula peccati & à pœnis ejus ipsiusque dæmonis principis peccatorũ, jure ac potestate liberatur. Sed quemadmodum in intelligenda arbitrii servitute, ita & in ejus liberatione gratiâque liberante toto cælo falluntur. Quod vel ex eo solo liquere potest, quod Augustinus, ut mox videbimus, passim doceat arbitrium non solùm agere non posse, sed nec eligere, nec velle bonum, nisi ante liberetur. Et tamen certo certius est, juxta Catholicam fidem ante peccati remissionem posse arbitrium & cogitare, & eligere, & velle, & agere bonum: utpotè quod potest credere Deo, & orare ex fide, & gemere, & pœnitere, & diligere Deum tanquàm fontem justitiæ; qui citra dubitationem sunt actus valdè sublimes ac boni, quibus ipsa peccati remissio impetratur. Propter quod dicit Augustinus: *Sed nec ipsa remissio peccatorum, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat orando. Neque enim nullum est meritum fidei quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se exaltat humiliabitur.* Quapropter arbitrii liberatio saltem inchoata præcedere debet, non solùm peccatorum remissionem, sed etiam dilectionem Dei, pœnitentiam, gemitum, orationem, spem in Deum, fidem ipsamque denique voluntatem & cogitationem quamcunque bonam. Eâdem quippè certitudine quâ gratiâ præcedere debet omnem actum bonum, arbitrii liberatio eundem antecedere debet. Nam sicut velle non potest voluntas bonum nisi gratia adjuvetur, ita nec liberè velle, nisi gratia liberetur. Quamobrem siquis scire velit, quid sit ista arbitrii seu voluntatis liberatio, eum scire necesse est, quid sit servitus ejus & captivitas. Quæ cum nullo pacto sit macula peccati aut reatus culpæ aut pœnæ, sed depressio quædam voluntatis sub concupiscentia rerum creatarum, sub qua consensio ejus ita captiva detinetur, ut ab ea se extricare suis viribus nequeat, & erigere ad justitiam diligendam; hinc consequenter liberatio voluntatis non est peccati remissio, sed relaxatio quædam delectabilis istius vinculi concupiscentialis, seu pestiferæ cujusdam dulcedinis creaturarum, cui innexus indesinenter servit animus, quoad per gratiam infusa cœlesti dulcedine ruptoque istius cupiditatis nexu, ad superna diligendà transferatur. Sed quia de servitute voluntatis & ejus liberatione quædam in superioribus dicta sunt, multaq; infra oportunius, ubi de natura liberi arbitrii disputabimus, dicenda sunt, ne superflua rerum earundem repetitione lectori tædium afferamus,

Ep. 105. ad Vit.

videat ea quæ disseruimus lib. 3. de statu naturæ lapsæ, capite tertio & quarto, maximèque quinto ac sexto, ubi satiatissimè ostenditur, quid sit servitus, & captivitas sub peccato. Videat item quæ diximus ibi consequenter capite septimo, ubi natura gratiæ liberantis à vinculo servitutis illius juxta notionem jam jam superius tactam fusius declaratur.

His igitur præmissis in mentem alicui venire posset, nullam aliam esse gratiam liberationis, quam ipsum liberum arbitrium. Nam hoc ipso quo est liberum, videtur esse indifferens ad bonum & malum. Si enim ad alteram tantùm partem determinatum est, jam cum indifferentia videtur & ipsa libertas interire. Quamdiu ergò arbitrium manet liberum, ipsâ vi nativæ libertatis potest velle, uti malum, ita & bonum. Secundùm hanc igitur opinionem nulla esset opus peculiari gratiâ liberationis ad benè volendum, ac benè faciendum, nisi ipsâ possibilitate seu libertate arbitrii naturali, imò verius in hac sententia ipsum liberum arbitrium vocari quidem posset gratia, tanquàm quod à Deo vi primæ & gratuitæ institutionis datum est, non tamen gratia liberationis. Si enim semper velle potest bonum ac malum, quia suapte naturâ liberum, profectò nunquam per gratiam liberandum est; nec enim ipso nativæ libertatis jure, sub solius mali servitute, aut captivitate, aut necessitate mancipari potest. Talis enim si in arbitrio voluntatis naturalis libertas est, illa servituti jam dictæ, & captivitati, & necessitati deterioris partis, quemadmodùm & coactioni repugnaret.

Hæc igitur sententia sic explicata, estundequaque ipsissimus purus ac putus error Pelagianus, tàm quantùm ad naturam liberi arbitrii, quàm gratiam liberationis ejus. Nam Pelagianorum solemnis est doctrina, liberum arbitrium naturaliter esse ita indifferens ad bonum & malum, ut hoc ipso quo alterutrius potestas aufertur, desinat esse liberum; quemadmodùm nos fusè ex eorum principiis atque verbis demonstravimus. Vndè consequenter, ut ibi diximus, tradebant, hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges; usque adeò ut nullis tentationibus in peccatum abstrahi posset voluntate captivâ. Ex qua sententia sequebatur necessariò altera pars, nullâ scilicet opus esse in arbitrio gratiâ liberationis à malo, utpotè in quo nec esset, nec esse posset ad malum, seu ad peccandum ulla captivitas, aut necessitas. Contra primam hujus erroris partem satis diximus toto tractatu superiori, de statu ac viribus liberi arbitrii post peccatum, in quo servitutem ac captivitatem ejus ad malum fusè ex Augustini scriptis asseruimus. Vnum dumtaxat addo, me non satis videre, quomodo non in hanc sententiam ex parte incidant illi Doctores, qui ex natura libertatis arbitrii concludunt, hominem semper posse quamcumque tentationem superare. Tacitè enim indicant, perire libertatem nisi possit. Ex quo etiam sequi videretur, non opus esse gratia liberationis à malo, nisi fortassis ut facilius malum superetur. Sed quicquid sit de Catholicorum illorum opinione, quod ipsi viderint, Pelagianus ille error, quatenus gratiam liberationis arbitrii negat, ut velle & facere possit bonum, ac declinare à malo, non opus habet operosâ argumentatione. Est enim tàm perspicuæ impietatis, ut insultis, & Scripturarum, & Patrum auctoritatibus, ac totius Ecclesiæ consonantibus vocibus obrui posset. Doctrina enim Ecclesiæ constantissima est, divinam gratiam præter voluntatis arbitrium esse necessariam, qua arbitrium liberetur, ut non solùm facere, sed etiam velle possit bonum. Vndè illud Augustini: *Hæc voluntas quæ libera est in malis*, hoc est ad male faciendum, *quia delectatur malis, ideò libera in bonis non est*: Hoc est ad benefaciendum, *quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Quæ sententia, quod Pelagianam hæresim funditus subverteret tot clamoribus à Iuliano excepta fuit. Et libro secundo de nuptiis: *Liberum quemquam esse ad agendum bonum sine adiutorio Dei hoc vos dicitis, hinc estis Cœlestiani & Pelagiani.* Et Epistola ad Vitalem: *Cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda sit liberum.* Et rursum ibidem: *Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati grauitate perdidimus.* Ergò necesse est, ut per gratiam libertas ad diligendum restituatur. Et libro secundo ad Bonifacium: *Pelagiani dicunt etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum.* Et rursum ibidem: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum naturâ peruersum non diximus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem pieq; viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Et libro tertio ad eundem: *Item quod arbitrium sui in malum liberum dicimus ad agendum bonum Dei gratiâ liberandum, contra Pelagianos est.* Et ad eundem libro quarto: *Quid mihi obtendis liberum arbitrium quod ad faciendum iustitiam liberum non erit, nisi ovis fueris? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Et alibi: *Non potest ad bonum opus agendum esse libera, nisi Dei gratiâ liberata.* Et in libris Retractationum ad quæstionem illam: *Vtrùm & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis sit arbitrio?* Subjicit exponendo: *Quod ita esse omninò verissimum est. Sed ut ad rectè faciendum liberum sit, Dei gratiâ liberatur.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Ipsa est vera libertas, propter recti facti lætitiam*, hoc est, cum animus ipsa boni operis rectitudine, justitiaque delectatur, *simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum undè erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Quod antequàm fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero ar-*

Vid. lib. 2. de hæres Pelag. a prima capita.

Lib 3. C. 4. de statu naturæ lapsæ.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 1. c. 9. imperf.

Lib. 2. de nupt. cap. 5.

Epist. 107. ad Vital.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Libro 2. ad Bonif. c. 1.

Lib. 3. c. 1.

Lib. 4. c. 6.

Libro 1. retract. c. 9.

In Enchir. cap. 30.

ro arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondùm liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? Quanto cohibet Apostolus dicens gratia, salvi facti estis per fidem. Et libro de correptione & gratiâ: *Liberum itaque arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo, liber est quisque iustitiæ, servusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, &c. Hanc fidem non sine dubio veram, & Propheticam, & Apostolicam, & Catholicæ fidei est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo.* Denique omnes libri Augustini huiusmodi sententiis sparsi sunt, quibus cumulandis supersedeo. Nam ex solis istis perspicuum est, Catholicæ & Apostolicæ fidei esse dogma, non solùm, quòd liberum arbitrium divinâ gratiâ iuvandum sit, ut aliquid boni velle, & operari possit, sed etiam, quòd per gratiam liberandum sit ad benefaciendum cùm se liberare non possit, hoc est, quod ei libertas ad benefaciendum per gratiam conferenda sit, utpotè quâ libertate prorsus careat ante gratiam. Est enim servum & captivum sub dominante peccato, hoc est, sub concupiscentiæ terrenæ iugo, à quo nisi Filius per gratiam suam voluntatis arbitrium liberaverit, nullo pacto assurgere, aut flectere sese potest, ut aut operetur, aut velit bonum. Vndè de voluntate adhuc captiva loquens, quæ iam incipit in primos actus libertatis, hoc est, in pios gemitus pro impetrando auxilio infirmitatis erumpere: *Quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate nisi fortè si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Et alibi ad primos omninò tenuissimosque actus, qui sunt consensus fidesque; prædicatæ veritatis, non tantùm adjutorium gratiæ, sed & liberationem arbitrii antecedere debere profitetur. Nam de infidelibus loquens: *Respondè, quomodò ad declinandum à malo & faciendum bonum, liberum habeamus arbitrium, quandò erat sub potestate tenebrarum? Vndè nos, si quemadmodùm dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit.* Et paulò post: *Et autem fateris pro eis (infidelibus) orandum, id utique orandum fateris, ut eidem doctrinæ arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant. Ita sit ut neque fideles fiant nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium.* Vbi manifestissimum est hanc liberationem arbitrii à tenebrarum potestate naturâ præcedere fidem, quâ fideles fiunt. Quod adhuc apertius disertiusque explanat inferius: *Priùs alligat enim (diabolum) id est, eius coercet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasa eius quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, ut illo non impediente credant in ipsum liberâ voluntate.* Itaque mox generalissimè liberationem arbitrii necessariam inculcat, *quâ ad bona eligenda & agenda fiat liberum.* Vndè sicut nullum omninò bonum opus fieri vel cogitari posset, nisi à voluntate *eligatur*, vel *agatur*, ita etiam, nisi voluntatis arbitrium ad illud eligendum agendumq; liberetur. Quam ob causam doctrina ista sancti Augustini etiam à Celestino Papa definita est: *Quo utique auxilio, & munere Dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente fit providum.*

Epist. 107. ad Vital.

Ibid.

Ibid.

CAPVT TERTIVM.

Nomina diversa gratiæ ex hoc effectu tracta.

AB hoc igitur præclarissimo effectu gratiæ, quo voluntatem à consensu concupiscentiæ sibi dominantis liberat, vocatur gratia Christi, gratia *Liberationis*, ut libro de correptione & gratiâ: *Sancti ad quos pertinet liberationis hæc gratia.* Vocatur gratia *Liberatrix.* Vt epistola centesima quinta: *Nec vult intelligi hominem præceptrici legis ignarum, sed* LIBERATRICIS *indigum gratiæ, ubi dicit, Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Et cum hac non solùm scientiâ, verùm etiam & delectatione legis posteà dicit: Miser ego homo quis me Liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vocatur gratia, qua voluntas *liberatur à servitute peccati*, ut in libris retractationum: *Voluntas ergò ipsa nisi Dei gratiâ* LIBERETVR A SERVITVTE, *qua facta est serva peccati, & ut vitia superet adiuvetur, rectè pieq; vivi à mortalibus non potest.* Et lib. de corrept. & gratiâ: *Verum verò cùm fuisset voluntas serva peccati, liberata est, per illum, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Vocatur gratia, qua *reparatur perdita libertas*; ut in eodem libro: *Hæc autem tantò maior est ut parum sit homini per illam* A REPARARE PERDITAM LIBERTATEM. Vocatur gratia, qua *arbitrium verè sit liberum*, non peccati remissione, non pœnæ, miseriæve deletione, sed quia à *dominatione peccati*, hoc est, concupiscentiæ, consensus ejus liberatur; ut in epist. Antistitum Conc. Carthag. ad Innocentium: *Qua gratia, & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè sit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum* DOMINATIONE LIBERATVR, *dicente Domino, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et libro primo Retractationum: *Quantum est quod valet voluntas sub* DOMINANTE CVPIDITATE, *nisi fortè si pia est ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Vocatur sæpissimè gratia, qua LIBERAMVR DE CORPORE MORTIS HVIVS; ut libro de gestis Pelagii; *quam* gratiam *nobis plurimum Apostolica doctrina commendat. Hæc est enim qua nos liberari posse speramus de corpore mortis huius per* IESVM *Christum Dominum nostrum.* Et paulò post: *Non ergò natura &c. nec legis scientia per quam fit concupiscentiæ cognitio, non evictio liberat à corpore mortis huius, sed gratia Domini per* IESVM *Christum Dominum nostrum.*

Epist. 90. inter epist. Aug.

Libro 1. Retract. cap. 1.

Lib. de gest. Pelag. c. 6.

Ibid. cap. 8.

Liberari autem à corpore mortis hujus, non est aliud, quam liberari à vitiis corporis, hoc est, à concupiscentia, non tàm ut illa non sit in hac vita, quod fieri non potest nisi magno miraculo omnipotentissimi Creatoris, quàm ut voluntati non dominetur, impellendo ut sibi consentiat, & faciat quod lege prohibetur. *A quo malo*, inquit idem, *se liberari orant nisi maximè de corpore mortis hujus? Vnde non liberat nisi gratia Dei per* IESVM *Christum Dominum nostrum. Non utique de substantia corporis quæ bona est, sed de vitiis carnalibus unde non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore.* Vnde alibi juxta phrasim Apostolicam, vocat hoc, *liberari à lege peccati & mortis*, hoc est, à concupiscentia, quæ instar legis jubet peccatum. Liberari, inquam, ut illa non dominetur, ut ei non consentiatur, ut concupiscentia licet titillante, maneat animus alienus ab affectu & consensione peccati. Nam hoc est illud, quod supra Patres Africanos rationem liberationis istius seu liberatricis gratiæ explicantes audivimus, dùm dicunt arbitrium verè per gratiam Christi fieri liberum: *Dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberamur.* Hoc est quod Augustinus dicit: *A cujus concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per* IESVM *Christum.* Hoc est quod idem pressius adhuc & clarius dicit: *Gratia liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis.* Et iterum: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis*, ut scilicet consensionem tuam concupiscentiæ sibi vendicet carnis. Quod alio in loco vocat, *liberari ab eo affectu quem lex punit.* Quod quia per naturam fieri impossibile est, hinc est quod contra hujusmodi tyrannidem ac dominationê concupiscentiæ nos liberationem seu libertatem implorare profitetur, quando dicimus cum Psalmista: *Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est cui dominatur iniquitas? Vt autem ei non dominetur, vide ab illa quis invocetur &c. Precatur, non pollicetur: confitetur non pollicetur: optat plenissimam* LIBERTATEM *non iactat propriam potestatem.*

Lib. de natura & gratia cap. 53.

Rom. 8.

Epist. Conc. Carth. ad Innocent.

Libro 1. retract. c. 23.

Libro 1. ad Bonif. c. 10.

Ex quibus consequenter evidens est, doctrinam istam de servitute voluntatis sub dominante concupiscentia, & ejus liberatione per gratiam, non esse commentum Augustini, vel opinionem ejus, sed doctrinam, & Euangelicam, & Apostolicam, & Catholicam, quam ex sacris Scripturis hausit. Nam indè omnes illæ Augustini phrases tractæ sunt, ut ex citatis locis satis superque intelligitur. Quo fit, ut satis mirâri nequeam tantum servitutis istius ac liberatricis gratiæ in lucubrationibus Scholasticorum silentium, ut quasi nova dæmonia annunciari putent, quando hæc doctrina propalatur.

Epist. 89. ad Hier.

CAPVT QVARTVM.

Arbitrium per gratiam liberari debet, ut operetur actus, non solùm supernaturales, sed etiam moraliter bonos.

SED hic statim oritur quæstio de cujusmodi actibus bonis, intelligat hanc doctrinam suam Augustinus, seu quosnam actus bonos doceat fieri non posse per voluntatis arbitrium, nisi per gratiam ante liberetur, utrum supernaturales tantùm seu aliquo modo meritorios, & conducentes ad salutem æternam; an verò etiam moraliter tantùm bonos? Nam inter ista duo actionum genera celebris est inter Scholasticos distinctio: iuxta quam non dubitant plerique hujusmodi gratiam liberationis ad primum istud genus actuum tantùm esse necessarium. Sed & ista quæstio à nobis in superioribus expedita est. Ostendimus enim ex perquam solidis & multis Augustini principiis, & luculentissimis testimoniis, ita prostratas & captivas esse sub peccato liberi arbitrii vires, ut nullum voluntatis virtutisque moralis actum aut motum ex omnibus circumstantiis bonum elicere possit, nisi per Christi gratiam adjuvetur, & consequenter liberetur; hoc enim adjutorium & liberatio pari passu gradiuntur. Ipsa enim libertas voluntatis, quam dat gratia, sicut est sanitas ejus, ita & potestas ejus. Itaque videnda quæ de ista eâdem quæstione diximus, tractatu pœnè toto, de viribus liberi arbitrii post peccatum, quibus nihil est opus addere, nisi ut tria tantùm, quæ inter alia plura etiam ibi notata sunt, observentur.

Vid. lib. 3. & 4. de statu nat.

Primum est. Ex ipsa sola natura captivitatis arbitrii, sub qua post peccatum detinetur, & oppositæ liberationis per gratiam, satis perspicuè intelligi posse, quod per se nullum bonum voluntatis motum arbitrium possit operari. Captivitas enim illa in eo sita est, quod voluntas concupiscentiæ terrenæ visco intimè penetrata semper, & in omni actu motibus ejus feratur ac referatur, imperio ejus & ponderi indesinenter serviens, eodem planè modo, quo voluntas beatorum in omnibus omninò motibus servit divinæ charitati. Illa quippè duo directam oppositionem habent, eo quod non possit voluntas discedere ab amore creatoris, quin in concupiscentiam creaturæ hoc ipso delabatur. Et hæc est terrena cupiditas seu dilectio Babylonica, quicquid tandem pulchrum præclarumque præter Deum diligere videatur, ut alibi diximus.

Secundum est. Opus seu motum voluntatis esse non posse, etiam moraliter bonum, nisi ipsa operis justitia seu rectitudo diligatur. Alioquin enim distortus amor est, alio referens id quod per seipsum appetendum erat. Vnde

Vnde & Philosophi quibus in multo fumo A scintillæ quædam veritatis apparebant, honestatem per se censebant appetendam, & petendam esse ut posset opus esse bonum. Iam verò impossibile esse, ut ipsa iustitia diligatur sine gratia Dei, latissimè declaravimus & probavimus ex principiis Augustini, tractatu de pura natura per multa capita.

Tertium est: Hinc intelligi veram radicem, cur nec opus moraliter bonum fieri posset sine gratia liberatrice voluntatis. Id enim quod per concupiscentiæ servitutem aufertur bonis operibus, quæ homo facere sine gratia conatur, non est aliqua operis supernaturalitas, vel ratio meriti, vel simile quid, sed est ipsissima ratio formalis, qua constituitur opus bonum, ita ut eâ deficiente sit malum, hoc est, verè propriéque peccatum. Pondus enim concupiscentiæ, quo animus possessus est, detorquet eum ab amore justitiæ & rectitudinis, quæ in opere, ut bonum sit, necessariò spectari debet, & affigit alicui creaturæ, cujus vel consequendæ cupiditate flagrat, vel amittendæ timore cruciatur: quæcunque tandem illa sit, sive ab opere quod meditatur distincta, sive ipsum opus, aut splendor, pulchritudo ac temporalis honestas ejus. Nec enim illa minùs creaturæ sunt, quam animus, & ratio, & voluntas, quæ illis appetendis immorantur. Quod autem illa ratio justitiæ quam diligendam in omni opere bono dicimus, ipse Deus sit, nec amari ullo pacto possit amore aliquo naturali in eodem jam citato loco fusè demonstravimus. Vbi etiam illud effugium rejecimus, quo Scholastici dicunt, Augustini doctrinam, qua gratiam ad opera bona necessariam esse statuit, de operibus pietatis, vel quæ fiunt *sicut oportet* intelligendam esse. *Vide ibidem c. 9. 10. &c.*

CAPVT QVINTVM.

Vtrùm aliquid possit arbitrium suis naturalibus viribus, ad hoc, ut gratiam illam adipiscatur. Facienti quod in se est per naturæ vires, non datur ex aliqua stabili lege, gratia.

Cvm igitur per Augustini doctrinam A locis citatis abundè traditam & explicatam, captivo arbitrio voluntatis omne opus bonum ablatum sit, non solùm supernaturale, & meritorium, & pietatis, & justificationis, & *sicut oportet*, sed etiam moraliter bonum, quæri ulterius posset, utrùm saltem aliquid suis viribus arbitrium proferre possit, quo ad gratiam benè operandi præparetur? A qua quæstione non dissimilis est illa celebris inter Scholasticos, Vtrùm facienti quod in se est per naturæ vires, detur gratia. Cujusmodi quæstiones hîc propono, non quod juxta doctrinam sancti Augustini traditam, difficultatè habeant, sed ne quis eas à me vitatas putet, quibus se tantoperè Scholastici fatigant: aut ne imperitior quispiam principiorum aut librorum ejus, recondita in controversijs istis mysteria, nodosque indissolubiles latere arbitretur. Planissima est enim responsio negativa. Quod ex diversis principijs Augustini necessariò dicendum est. Nam in primis in eodem illo tractatu, de statu liberi arbitrij post peccatum, ut jam jam diximus, demonstratum est, nullum opus vel moraliter bonum suis viribus liberum arbitrium posse facere. Igitur nec ad Dei gratiam se præparare vel disponere. Opus enim quo se disponeret, vel quod facienti, gratia conferretur, ut minimum esse deberet moraliter bonum.

Secundò ibidem declaratum est, non solùm arbitrium non posse facere suis viribus opus moraliter bonum, sed etiam quicquid facit ante gratiam esse veri nominis peccatum C ac mendacium, & hoc à Concilio Arausicano esse definitum. Quid autem sibi speret gratiæ quisquam peccatis mendacijsq; faciendis conferendum? Quapropter ut pernicioſam hujusmodi fiduciam ex animis hominum funditus Augustinus exstirparet, frequenter inculcat eis, quid illud sit, quod homo ex se conferre possit, quod non dico meritum gratiæ, sed vel ordinem aliquem ad gratiam habeat. Docet enim non esse opera vel pietatis, vel virtutis, vel moraliter bona, vel aliquid hujusmodi, quo posset humana vanitas extolli, sed esse merita damnationis, hoc est, magnum miseriarum cumulum, circa quas misericordia ejus posset magis enitescere. *Nihil*, inquit, *boni feci∫ti, & datur tibi remi∫sio peccatorum. Attenduntur opera tua & inveniuntur omnia mala; si quod debetur illis operibus Deus redderet, utique damnaret. Stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, ni∫i damnatio? Bonis quid debetur, ni∫i regnum cælorum?* Et alio in loco: *Totum in illis a∫perum, totum tetrum, totum deteſtandum; & cum illi nihil adferant ad te, unde ſalventur, pro nihilo ſalvos facies eos, id eſt, gratis data gratia tua.* Et accuratissima adhibita distinctione naturæ & actuum, quæ in hominibus ante gratiam reperiuntur, sic omnem superbiæ fontem tollit: *De me omninò nihil præſumam. Quid enim attuli boni ut mei miſereris, & me iuſtificares? Quid in me inveniſti niſi ſola peccata? Tuum nihil aliud niſi natura quam creaſti, cætera mala mea quæ deleviſti.* Et in Psalmum septuagesimum: *Commendat nobis gratiam Dei; commendat nobis, quia nos per noſmetipſos nihil ſumus: commendat nobis, quia quicquid ſumus, illius miſericordia ſumus: Quicquid autem ex nobis ſumus, mali ſumus.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum secundum: *Ecce in tua iuſtitia exaudi* *Præfat. in Pſal. 31.* *In Pſal. 55.* *In Pſal. 58.* *In Pſal. 70. in Conc. de 1. parte.* *In Pſal. 142.*

rxandi me, non quæ ex lege est, sed ea quæ ex fide; ad me enim cùm respicio nihil aliud meum quam peccatum invenio. Et aliquantò inferius: *Noli ergò putare te aliquid operari, nisi in quantùm malus es.* Et in tractatibus in Ioannem: *Fratres mei quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnia opera mala invenit.* Et paulò post: *Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quòd fecisti, indè incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.* Et in in alio tractatu; *Vita nostra tanquàm nostra, id est de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: vita verò bona de Deo in nobis est, non à nobis.* Cujusmodi testimonia apud Augustinum innumera perspicuè ostendunt nihil omninò inveniri posse in homine faciente per vires naturales arbitrij, quod in se est, cur ad gratiam ei dandam Deus moveretur; nisi fortè malitiam, iniquitatem, opera mala, peccata. Quibus hoc privilegium à nemine sanæ mentis adscriptum iri puto.

Ibid. Tract. 12. in Ioann. Tract. 22. in

Tertiò in eodem tractatu, de statu naturæ lapsæ post peccatum, prolixè demonstratum est, esse solemnem certissimamq; doctrinâ sancti Augustini, quòd omnia infidelium opera, quantumcunque speciosa, & ex Philosophica virtute profecta videantur, sint vera & propriè dicta peccata. Cujus doctrinæ fundamenta ibidem latè declarata sunt, & eorum immobilitas asserta. Quæ si secundùm doctrinam sanctissimi Præsulis certa sunt, sicut certissima videntur, profectò liquidissimum est, nullo opere se liberum voluntatis arbitrium posse ad gratiam præparare. Nec enim quisquam, arbitror, tam insipiens est, ut malis operibus ac peccatis punitione dignis, hominem ad gratiam præparari arbitretur.

Vide lib. 4 de statu puræ naturæ c. 1 hoc multa ca-

Ex quo consequenter fluit, facienti quod in se est per naturæ vires, nullâ stabili lege dari gratiam. Neque enim ulla lex est aut ordinatio Dei, quâ peccantibus, & nihil omninò boni operis facientibus gratia certâ lege conferatur. Sed hoc fit non solùm omninò gratis, sed etiam juxta profundissimas, & ab humano intellectu remotissimas divinæ gubernationis leges: ex quibus nonnunquam gravissimis peccatoribus gratia datur, mitissimisque denegatur. Itaque quæstione illâ postremâ revera nihil aliud quæritur, nisi, utrùm minùs peccantibus infallibiliter detur gratia? Quod utrùm quisquam affirmare audeat, equidem nescio. Ad me quod attinet, nec in Scripturis, nec in Augustino quicquam reperi, quo quis in illam suspicionem deduci posset, ut omnibus leviùs peccantibus gratiam dari arbitretur: cùm videamus parvulis, levissimis sine dubitatione peccatoribus, tàm multis gratiam subtrahi, ut eos quibus datur, longissimè sua numerositate præcedant. Vt de peccatis actualibus loquendo, non immeritò & hic adversus hujusmodi opinionis auctorem illud Augustini vsurpare possimus: *Ita intolerabiliter sequitur absurdum. Ille enim modo benevolentiorem facit Deum impiissimis & sceleratissimis hominibus quam innocentissimis & purissimis ab omnilabe peccati.* Et consequenter, *sic fit, ut esse Christianos* Deus *omnes* minoribus peccatis actualibus gravatos *velit, quorum multi nolunt*, hoc est, qui habent aversionem à fide veritatis, quod magnum obstaculum est: *non omnes velit, quorum est nemo qui nolit*, id est parvulos, *quod abhorret a vero.* Ex quo perspicuum est, minora peccata non esse regulam distributionis gratiarum, nec ejus haberi in ea impartienda rationem, cùm adultorum infidelium nemo levioribus peccatis, quam parvuli, sit obnoxius, eamque ob causam rectissimè dixerit idem Augustinus: *Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solùm habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ futuros?* Quis tamen non videt, non exiguam gravioris damnationis eorum partem futurâ esse, si illis solis nullus ad pauciora, minorave peccata respectus haberetur ad gratiam adipiscendam: in cæteris verò qui & illo parvulorum peccato, & alijs longè pluribus atque sceleratioribus onerati sunt, illa benignitatis regula servaretur? Sed, ut dixi, quemadmodùm in parvulis quandò cum adultis comparantur, nulla hujusmodi gratiæ distribuendæ lex locum habet, ita in majoribus prorsus commentitia est, ab illis excogitata, qui inscrutabilem illam impartiendæ misericordiæ profunditatem & libertatem non ferentes, catenas fabricare quales cunque voluerunt, quibus gratiæ natura necteretur, vt quasi per quasdam scalas ex vna in alteram damnata hominũ natura conscenderet: atque ita loco detracti sibi meriti & præparationis ac dispositionis, qualemcunque gloriolam in operibus moraliter bonis, illâ quâ lapsi sumus superbiâ retineret. Sed hujusmodi scalas frangit, catenasque conterit Augustinus, quandò adversùs omninò similes cogitationes disputans, de electione ad gratiam salutarem præclarissimè dicit: *Certè ita occulta est hæc electio, ut in eâdem conspersione nobis prorsus apparere non posit: aut si apparet quibusdam, ego in hâc re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem si ad examen hujus electionis aliquâ cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium vel minora peccata vel utrumque; addamus, si placet, etiam honestas utilesq; doctrinas. Quisquis ergò fuerit quam minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullus quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, & stulta mundi ut confundat sapientes, ut eum intuens, & pudore correctus, ego vrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus caficeos & præ quibusdam piscatoribus Oratores.* Quæ sanctissimi Doctoris verba si benè ponderarent, quotquot hujusmodi pontes fabricant, per quos homines qualibuscunque naturalibus conditionibus præditi ad gratiam statutâ lege consequendam transeant, forsan & ipsi pudore correcti riderent imaginationum suarum ludificationes. Quidquid enim ipsi ut adipiscendæ gratiæ viam sternerent, magno labore se excogi-

Lib. 1 de pec. mer. & rem. cap. 16 in fin.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 23 in fin.

Lib. 5. cont. Iul. cap. 12

Ibid.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.

cogitasse gratulantur, jam tot sæculis ante profundissimus Doctor vidit, abjecit, irrisit. Nam ad examen rei occultissimæ permittens cogitationibus suis libertatem, universa quæ quis in hominum natura intueri possit, ad tria capita revocavit, naturalem constitutionem animi quæ ex intellectu & voluntate coalescit, studia voluntatis, & cultum intellectus. Nam corporis qualitates, ad istius rei considerationem admittere, ipsa absurditas vetat. Ad naturalem animi conditionem spectat *ingenij acrimonia*; ad cultum intellectus *honestas studiosq; doctrinæ*; ad studia voluntatis *sola minora peccata*. Nam juxta ipsius principia jam sæpius explicata & inculcata, nihil omninò in voluntate reperitur aut reperiri potest ante gratiam salutarem, nisi minora peccata. Quicquid enim de operibus moraliter bonis philosophia gentium fabulata est, sub minoribus peccatis, velut vera proprieque dicta peccata & supplicijs ideò digna comprehendit. Etenim si suspiam, hic profectò erat eorum considerandorum præcipuè locus, utpotè in quibus aliquid ingenuę istius libertatis & bonitatis eluceseret. Quam ob causam istis operibus potissimùm, præ ingenii acrimonia, honestisque doctrinis, Scholastici locum aliquem in ista electione tribuerunt. Sed sincerissimus divinæ gratiæ patronus perspicacissimè vidit, non solùm nihil hujusmodi bonorũ operũ ante gratiam esse posse, sed etiam si quis eâ cogitandi libertate fingeret, nihil aliud nisi cineres colligi in quibus superbia ad extremas suffocationis angustias redacta, iterum foveretur, & infirmitatis humanæ cogitationibus sufflata reviviseret. Quis enim non sibi nonnihil blandiatur, qui sibi citra meritum quidem omne, propriamque dispositionem, gratiam collatam videt; verùmtamen Deo moralem suam intuente bonitatem, quâ carens alter perijt? Morbus enim iste tàm lubricus est, ut ex ista sola consideratione frequenter inculcet Augustinus, Deum cùm gratiam suam primùm in homines profunderet, noluisse fortes ac sapientes, ac nobiles eligere, ne superbia medullitus impressa humani generis visceribus, sibi aliquid ex illis dotibus tributum gloriaretur, dùm infirma & stulta mundi in illis initiis neglecta cerneret. Audi fastus humani acerrimum persecutorem atque domitorem: *Ibi etiam* (in luce veritatis) *ineffabili delectatione contuetur, quam providâ & misericordissimâ dispensatione Deus infirma mundi elegit, ut tumores nostros curaret, stulta mundi elegit ut confunderet sapientes; atq; in ordinibus membrorum Ecclesiæ suæ tàm salubriter omnia collocaret ne de ingenio vel litteris suis, quas adhuc ignorarent cuius munere haberent, electos se ad adiutorium Evangelicum homines dicerent, atque indè pestifera inflarentur superbia.* Et in Psal. sexagesimum quintum: *Descendit Dominus Deus noster Iesus Christus in spiritu reparare genus humanum, & dare gratiam omnibus intellectibus, quia gratia Dei est, non merita eorum. Et ne quælibet persona gloriaretur in carne, infirmos elegit. Nam inde non est electus ille Nathanael etiam. Quid enim tibi videtur,*

ut publicanum in telonio eligeret Matthæum, & non eligeret Nathanael, cùm testimonium perhibuit ipse Dominus, dicens: Ecce verus Israelita in quo dolus non est? Intelligitur ergò Nathanael, iste doctus fuisse in lege. Non quia doctos non erat electurus: sed si ipsos primò elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent, & ita illorum scientia laudaretur, & sanè Christi gratia minueretur. Et iterùm ibidem: *Elegit ergo Dominus postea & oratores: sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores. Elegit divites: sed dicerent, merito divitiarum suarum se electos esse, nisi primò elegisset pauperes.* Quod latiùs ibidem exequitur. Et in fragmento novo ex sermonibus: *Venerat docere humilitatem, & expugnare superbiam. Venerat humilis Deus, ut nullo modo hic prius alto quæreret, qui tàm humilis venerat &c. Elegit ergò infirmos, pauperes, indoctos; non quia reliquit fortes, divites, sapientes, nobiles; sed si ipsos primos eligeret, merito divitiarum suarum, merito nataliũ suorum sibi elegi viderentur, atque inflati de his rebus salutem humilitatis non recuperent, sine qua nemo redire potest ad illam vitam unde non laberemur nisi per superbiam.* Quam saluberrimam doctrinam, & aliis multis locis latè tradit, inculcatque studiosè: & pœnè in omnibus jam citatis locis eam ex Apostoli scriptis se hausisse testatur, qui magna cura fidelibus commendat: *Videte vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus &c.* Et quo tandè scopo? Cui bono? *Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hoc est ut superbia ex hominum cordibus deleretur: quibus nihil est difficilius, quàm in laudabilis vitæ suæ morumque consideratione à seipsis oculos cordis avertere, & in illum fontem omnia refundere undè fluunt. Quapropter sicut insulsum esset juxta Augustinum, divinæque gratiæ per ambages inimicum, si quis vocationem gratiæ, secluso licet omni merito, prærogativis opum, dignitatum, eloquentiæ, potentiæ, aut nobilitatis asscriberet, ita fortassis tanto insulsius esset virium naturalium operibus eam astringere, quanto pronius ex bonis arbitrij sui moribus, quàm ex cæteris dotibus fastus humanus inflari solet. Illos enim tanquàm ex sua voluntate profectos magis propriè gloriari potest esse suos, cætera facilius videt una cum naturę suæ fundo esse donata. Nam ex isto capite immanis illa superbia Philosophica & Pelagiana fluxit, de moribus suæ voluntatis gloriantium, tanquàm qui soli ex se solis suaq; virtute proficiscerentur. Hinc illa Thrasonis Ethnici vox, quam Pelagianus fastus pœnè superavit: *Est aliquid quo sapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est.* Intelligit enim sapientiam illam practicam qua quis omnes actus vitamque suam sapienter facit & regit: undè hortatur alibi, ut homo *contentus sit semetipso & ex se nascentibus bonis.* Quæ nulla intelligebat alia, nisi quibus Scholastici naturaliter mores ornari posse profitentur. Qui ergò fieri posset, ut si quis talem audiret gratiam Christi quam sibi datam videt, ex moribus laudabilibus hujusmodi in esse

A

B

C

D

In fragmento 30 ex tom. 10.

Vide sermo. 50. de verb. Domini c. 10 serm. 27. de verb. Apost. &c.

1. Corr. 1.

Libro de Bapt. Donatist. c. 17.

In Psal. 65.

Serm. Epist. 53.

Epist. 20.

esse religatam, ut facienti quod in se est nemini subtrahatur, non sibi nonnihil gratularetur, non pestiferæ vanitatis vento intumesceret? Quanto salubrius Doctores isti, inspecto ipsius gratiæ nomine, quæ gratis datur, attenderent ad ipsam omnibus modis commendandam, cùm de cælo Dei sapientia descenderet, omnia superbiæ fomenta removisse: nec tantùm in omnibus vitæ suæ mysteriis humilitatis extrema sectatum, sed & in vocandis hominibus abjectissima quoque seligendo omnes inflationis occasiones studiosè declinasse. Vt enim optimè sagaciterque Augustinus: *Tam largo fonti vas inane admovendum est.* Nullum autem est plenius, hoc est minus inane, quam quod faciendo quod in se est, eructat mores suos moraliter bonos. Serm. 59. de verbis Domini cap. 10. Sed multum vererer, ne si in humanæ vocationis initiis aliquis manifestus peccator, cum alio faciente quod in se est, accurrisset ad Christum, verba ipsius ab Augustino consignata, altero neglecto audiisset: *Veni tu pauper, sequere me. Nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper sequere me. Non est quod in te expaviscatur, sed multum est quod in te impleatur.* Ibid. Nimirum ut evidentius gratia cõmendetur, ne glorietur omnis caro coram eo. Nam ut alibi Christus Augustini pro gratia satagẽtis verbis loquens dicit: *Hunc si implevero, manifestũ erit quod ego facio.* Serm. 27 de verbis Apost. cap. 5. Quã ob causam etiã Ecclesiastica monumẽta revolvẽdo deprehendimus, Philosophos illos qui præ cæteris humanam naturã morali honestate atq; bonitate excolere conati sunt alienos à Christi gratia veraque fide fuisse: peccatores manifestos vice versa vocatos. Vt nihil sane in hac re salubrius sit quam ignorantiam regularum impartiendæ gratiæ cum Augustino profiteri: qui plerumque docet rem istam esse occultissimam, judicia inscrutabilia, vias investigabiles, summaque libertate Deum exigere donareque debitum, quando & cui placet. Vndè cùm dixisset id, quod supra produximus, se nihil nisi ingenii acrimoniam, vel doctrinas, vel minora peccata in hominum electione considerandа reperire, contra hujusmodi regularũ architectos adjicit: *Quare tamen & huic ita & huic non ita? Homo tu quis es? Debitum si non reddis habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris. Credamus tamen, etsi capere non valemus: quoniam* Libro 1. ad Simpl. quæst. 2. in fine. *qui universam creaturam & spiritalem & corporalem fecit & condidit omnia in numero & pondere & mensura disponit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus. Dicamus halleluja, & laudemus canticum & non dicamus quid hoc, vel quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt.* Cujus occultissimæ misericordiæ & gubernationis inscrutabilis alibi exemplum ponens: *Vnde enim, inquit, fit ut homo ab incunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, & magnâ parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras proficiat aptior, consurgat; & tamen eo loco sit ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitijs & facinoribus coopertus, ita gubernetur ut audiat, credat, baptizetur, vapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat?* Quod aptius exemplum operum moralium vel facientium quod in se est, ab his authoribus, adversùs quos satagimus, excogitari possit, sane non video. Vt enim aliquis naturæ viribus ante gratiam, omnium libidinum victor fiat, quis Catholicus audeat sperare vel dicere? Et tamen hoc videmus contra regulam quam de facientibus quod in se est fabricant, homini benemoratissimo gratiam subtrahi, flagitioso, facinoroso̓que dari. Vt in his judicijs Dei de distributione gratiarũ, exclamare disceremus, sicut cum Apostolo ibidem August. exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Nec in eorum numerum censeamur, quos dicit, cùm *humanis conjecturis justitiam Dei defendere vellent, & ignorarent* ALTITVDINEM GRATIÆ, *fabulas improbabiles texuisse.* Fateamur potiùs humiliter infirmitatem nostram, quemadmodum profundissimus gratiæ defensor suam superiùs fassus est, ac tacitè quamvis modestè insinuat, omnibus nisi errare velint, fatendam esse: *Certè ita occulta est hæc electio, ut in eadem consperſione nobis prorsùs apparere non possit, & si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.* Nihil enim conando, sudandoque in hoc examine invenire se posse profitetur præter *naturam, doctrinas utiles*, ac *minora peccata.* Quibus ne istam electionem alliget, se pudore deterreri. Lib. ad simpl. cap. 2.

CAPVT SEXTVM.

Transitus à natura ad gratiam generaliter dictam. Divisio ejus generalis: multiplex genus legis ac doctrinæ. Explicatur status causæ.

CVm ergò satis declaratũ sit arbitrium voluntatis cõcupiscentiæ terrenæ subjugatum, non posse suis viribus naturalibus jugum illud diabolicæ servitutis excutere, causaque exposita sit cur non possit, nihil supereſt nisi ut tantum beneficium in divinam gratiam referatur. Cùm verò gratia duplex sit, intellectus & voluntatis, priùs de gratia intellectus, posterius de altera tractandum erit. Porrò gratia intellectûs rursùm bifariam dividitur, alia extrinsecus humanos sensus intelligentiæ scientiæque subservientes ferit, ut prædicatio, exhortatio, suasio, promissio pœnarum, præmiorumque propositio; alia

aliâ intrinsecus ipsam mentem sapientiæ revelatione seu cognitione veritatis imbuit. Vtraque generaliter nomine doctrinæ aut legis appellari solet, juxta illud Augustini hoc ipsum probare satagentis: *In lege namq; & doctrinâ sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur; ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potiùs exhortari distare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrina generalitate concluditur, quæ quibuscunque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sanctæ Scripturæ docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.* Eòdem pertinet & exemplum Christi ac Sanctorum, vel quorumcunque qui benè ut malè vixisse memorantur, juxta illud eiusdem Augustini: *Quod exemplum Christi nihilominus ad doctrinam pertinere perspicuis, quæ nobis Evangelica demonstratur.* Eòdem etiam quæcunque significativa Sacramenta quatenus talia, sive veteris legis, sive novæ. Nam istâ consideratione totam vim suam in significando exserunt, ut intellectus instruatur, & sub genere signorum collocantur, interpretante vim nominis Augustino, cùm dicit: *Tanta rei Sacramenta id est, sacra signa.* Signi autem cujuscumque scopus & fructus est, ut scientia generetur, quamvis aliud propinquius aliud remotius illam suscitet. Nam remotissima doctrina est, quæ sensibus exterius influit, sive auribus per quoscumque sonos; sive oculis per characteres, scripturas, aliaque signa visibilia, sub quibus cœli terræque species, aliorumque mirabilium comprehenditur, quæ Deus sive condendo, sive gubernando visibiliter operatur. Nam illis omnibus Augustinus, nutus, locutiones, clamores, responsiones, voces tribuit, hoc est, signa quibus indicant authorem suum: *Nutus tui sunt omne creaturarum decus. Cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum. Nec vocem suam mutant, id est, speciem suam &c.* Sive denique tactui, gustui, odoratui, per quos etiam sensus aliquid intellectui insinuari potest. Propinquior doctrina est quæ phantasiæ admovetur, sive vigilantis, sive dormientis. Nam sine illius imaginario & significativo motu, sola sensuum externorum pulsatione non erudimur. Propinquissima denique est, qua veritas ipsa intellectus operatione percipitur, idque non solùm naturaliter, sed etiam quacumque & quantumcumque sublimi revelatione aliquis in tertium cælum usque raperetur. Vndè & Augustinus revelationem quam in raptu Paulus habuit, sub doctrinâ & lege revelationem sapientiæ, ut audivimus, continente, complectitur: *Quid autem dicam de revelatione sapientiæ? neque enim facilè quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli. Et utique in eis quid aliud credendum est eis revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineret?* Quam sapientiæ revelationem pluribus locis alibi docet, fuisse divinæ essentiæ, hoc est, claram ipsius supremæ veritatis visionem, quia Deus ipse dixit: *Ego sum veritas.* Nam & ista ipsissimæ veritatis clara revelatio genus quoddam perfectissimæ doctrinæ est, & quatenus tale solum intellectum afficit, quamvis magnos mirosque affectus voluntatis post se trahere soleat.

Epist. 112. c. 13. & lib. 12. de gen. ad litt. cap. 28.

His itaque de legis doctrinæque amplitudine prælibatis, quæri potest, utrum hujuscemodi gratiæ auxilio sublevata & adjuta natura voluntatis liberari possit à servitute, qua detinetur, & expedita fieri, ut velit & operetur bonum. Affirmativam partem tenuerunt unanimiter Pelagiani, simulatque à gratia naturæ prædicanda deterriti, & Augustini disputationibus fideliumque clamoribus ad imbecillitatem ejus agnoscendam, fatendamque compulsi sunt. Tunc alium illa secta vultum induit, & naturam peccandi consuetudine infirmam, divinæ legis institutione, præmiorum cælestium pollicitatione, sapientiæ revelatione, suasione, Christi exemplo juvandam, teporemque ejus succendendum esse docuerût. Quem tertium Pelagianismi statum fuisse, post puram naturæ, & naturalis gratiæ prædicationem, nos ante in Pelagianorum dogmatum explicatione demonstravimus.

Vide latius libro 5. de hæres. Pelag. cap. 3. 4. & 9.

Porrò status ille Pelagianæ hæresis, proprius, ut ibidem diximus, Iudæorum error fuit de lege sibi data gloriantium. Hac enim instructi, universa benè vivendi præcepta se implere posse putaverunt, nec alio se indigere voluntatis adjutorio. Nam quemadmodum ante legem datam, status hominum propriè sub gratia naturæ fuit, ita post illam divinitus in monte Sinai latam, status populi Iudaici sub gratia intellectus fuit, sicut post mediatoris adventum, sub gratia affectus seu voluntatis. Primus dicitur status naturæ, alter Testamenti veteris, postremus novi. Itaque quemadmodum superius generaliter declaravimus, naturam non potuisse seipsam sine gratiæ adjutorio à peccati servitute liberare, ita nunc generaliter de viribus legis quæ Iudæis data fuit, ad asserendam libertatem disputandum est. Ex cujus disputationis luce palàm fiet, quid de quacumque doctrina, sive veteris, sive novæ legis, sive internâ, sive externâ, prout amplitudinis ejus limites paulò ante descripsimus, arbitrandum sit.

In cujus quidem quæstione enodatione nemo superfluam operam poni putet. Nam quàmvis Catholici Doctores uno ore legis doctrinæque infirmitatem ad faciendam justitiam conclamare videantur, vera tamen ratio plerosque latet. Ex quo fit, ut in hujus ipsius quæstionis anfractibus nonnulli non mediocriter offendant, & in capitibus non paucis ac parvis veteris legis hallucinentur.

CAPVT SEPTIMVM.

Gratia divinæ legis ac doctrinæ arbitrium liberare non potest, ut velit & operetur justitiam. Causa rei istius datur: & profertur primus effectus legis, dare cognitionem peccati.

QVÆSTIONIS istius resolutio inter Catholicos Scriptores plana & certa est, nullo pacto legem atque doctrinam ad arbitrij liberationem sufficisse, ut illa sola adjutum justitiam legis velle possit & facere. Hoc enim diversis locis Apostolus adversus Iudæorum errorem de legis adjutorio tumescentium instantissimè docet: *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergò gratis Christus mortuus est.* Et rursum: *Quoniam in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est; quia justus ex fide vivit.* Et inferius: *Si data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia.* Et alibi: *Non enim per legem promissio, &c.* Quibus omnibus aliisque multis locis postea proferendis significatur, legis auxilium non sufficisse, ut per eam liberum arbitrium vivificari posset, & justitiam legis implere. Hoc idem sexcentis locis ex professo inculcat Augustinus. Unde illud in libro de gestis Pelagij: *Non ergò natura &c. non legis scientia, per quam fit concupiscentiæ cognitio, non evictio liberat à corpore mortis hujus* id est à vitijs ejus, *sed gratia Dei per Iesum Christum.* Et rursum: *Ista gratia non est natura moriens, nec littera occidens, sed Spiritus vivificans. Iam enim habebat iste naturam cum voluntatis arbitrio, iam habebat cognitionem legis sanctæ, sed non habebat vires agendæ perficiendæq; justitiæ.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Lex sancta & justa & bona; nec ipsa est gratia, & nihil ex ea rectè fit sine gratia, quia non est data quæ posset vivificare.* Et alibi: *Non sunt igitur liberæ filij, qui legem aperuerunt litteræ &c. sed qui spiritum gratiæ, quo lex ipsa sancta, & justa, & bona possit impleri.* Hoc est, non fiunt liberi, seu non liberantur, qui solâ lege juvantur, sed qui spiritu gratiæ. Et libro de gratia & libero arbitrio: *Sub lege enim erant, non sub gratia; & ideo eis dominabatur velut adhuc servis peccatum, à quo non fit homo liber lege sed gratia.* Et mox: *Si autem lex non est gratia, quia ut ipsa lex fiat, non potest lex adiuvare, sed gratia, numquid natura erit gratia?* Et libro sexto contra Iulianum: *His omnibus tempus figuratè significare intelligitur, quo sub lege vivebat, & nondum adiutus gratia, concupiscentijs carnalibus vincebatur.* Quo significat animum per legem nullo modo à concupiscentiæ dominatione liberari. Quod apertius docet in libro Retractationum primo: *Dixi hominem describi illis verbis inter cætera: Quis me liberabit, &c. adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutum, benefacere volentem, sed victum concupiscentia carnis malefacientem. A cuius concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum dono Spiritus sancti &c.* Sed quid multis? nihil tanto conatu adversus Pelagianos egit Augustinus, quam ut istam capitalem Catholicæ fidei veritatem assereret.

Hujus porrò doctrinæ rationem qui indè petunt, ut Scholastici plerique solent, quod actus liberi arbitrij vi legis adjuti essent tantummodò naturales, seu ordinis naturalis, proindè gratia omninò necessaria sit, ut ad ordinem supernaturalem eleventur, nullo pacto naturam gratiæ Christi, & causam necessitatis ejus intelligere videntur.

Quapropter quamvis in superioribus eâ de re nonnihil diximus, & infra copiosius dicturi simus, ad planiorem tamen rei quam hic tractamus, intelligentiam, sciendum est, duas Augustino Doctore causas esse, quibus libertas ad bonum operandum labefactata est, arbitriumque in servitutem præcipitatum, *Ignorantiam*, & *concupiscentiam*: quam postremam nonnunquam *necessitatem*, ac *difficultatem* nuncupare solet; quia resistendo bonæ voluntati, difficilem imò impossibilem justitiæ operationem facit, nisi divinæ gratiæ vi majore superetur. Ignorantia quippè tollit boni cognitionem, ut illud velle non possit; ignoti enim nulla cupido: difficultas, libertatem voluntatis ligat, ut quamvis illud quandoque concusso nonnihil vinculo servitutis, per gratiam inchoatam velit, non possit illud operari. Vtrumque istud pœnale impedimentum tangit, explicatque disertè Augustinus. Cùm enim tradidisset peccata quædam ex justa pœna præcedentium, ignorantiâ vel necessitate committi, sic subjungit: *Nunc autem quia ita est*, hoc est, ita distortus post peccatum, *non est bonus, nec habet liberum arbitrium potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo & non valendo esse, qualem debere esse se videt. Pœnam istam esse quis dubitet?* Non habere hominem in potestate ut bonus sit, ex ignorantia & infirmitate, nihil est aliud, quam non esse homini liberum, ut bonus sit: quia juxta solemnem ejus definitionem latissimè à nobis explicandâ, hoc est homini liberum

quod

Ad Galat. 2. 3.
Ibid. cap. 4.
Rom. 4.
Lib. de gestis Pelag. c. 8.
Cap. 9.
Lib. 3. ad Bonif. cap. 3.
Ibid. c. 2.
Lib. de gratia & lib. arb. cap. 12.
Cap. 13.
Lib. 6. contra Iul. c. 23
Lib. 1. Retract. c. 23.
Libro 3. cap. 18.

quod habet in sua potestate. Et infra ut hominibus tolleret admirationem de doctrina tàm arcana, causam reddit amissæ libertatis operandi boni: *Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat arbitrium libertatis ad diligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine*, hoc est concupiscentia, *quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens, rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè cum possit noluit, amittat posse, cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo illa pœnalia, Ignorantia & Difficultas. Ex ignorantia delinquat error, ex difficultate cruciatus afflictionis, &c.* Quâ de re alibi latius.

Hanc ergò Augustini veram perpetuamque mentem, velut totius doctrinæ basim quàm ipse scripsit, & Ecclesia tenet de gratia Dei, quisquis præ oculis habuerit, quemadmodum ad multas difficultates penetrandas, assiduè præ oculis haberi debet, facilè ipsam radicem cernet, cur gratia legis non solùm veteris, hoc est, decalogi, qui universam rerum agendarum summam comprehendit, sed qualiscumque tandem, non sufficiat ut arbitrium liberetur. Cùm enim duobus ex capitibus ei jactura bonæ libertatis inflicta sit, ex ignorantia & concupiscentia, cognitio legis tollit quidem agendorum vitandorumque ignorantiam, sed difficillimam superatu concupiscentiam relinquit vegetam, imò robustiorem quàm ante scientiam habuit: quæ tantoperè suæ servituti subjugatum arbitrium volendi tenet, ut ne quidem agnitum iam bonum velle possit, multò minùs facere, nisi hoc ipsum fracto ejus impetu novi amoris inspiratione tribuatur. Vt sanè ab intelligenda gratia Christi remotissimi sint, quotquot nihil aliud, nisi operis boni supernaturalitatem cogitant & inculcant, cùm de gratiæ necessitate disputant. Opus enim bonum omni creaturæ etiam integerrimæ supernaturale est; cùm tamen ad illud operandum nulla Christi gratia vel Angeli, vel Adamus indigerint, & sine illius ope opera bona exercuerint. Quod dilucidius in gratia Christi explicanda enodabitur.

Vera itaque causa, cur Christi gratia præter gratiam legis ac scientiæ necessaria sit, ut arbitrium ad benè volendum operandumque liberetur, non est operis supernaturalitas, sed est, infirmitas voluntatis quam concupiscentiæ vulnus peperit. Ex qua fit, ut quamvis alter fons amissæ libertatis per scientiam legis obstructus sit, arbitrium adhuc ad volendum bonum imbecille sit, & non liberum, sed concupiscentiæ suæ servum, à qua servitute, adhuc nova, & altiore, & digniore, & potentiore gratiâ liberandum est, quæ propriè Christi gratia, novique Testamenti nuncupatur.

Hanc igitur radicem tangit Augustinus, quoties necessitatem veræ gratiæ & infirmitatem legis inculcans, legem peccati, hoc est juxta phrasim Apostolicam, concupiscentiæ cognitionem, non medicinam attulisse profitetur: *Per quam legem non sanatio, sed cognitio est facta peccati.* Et libro primo ad Bonifacium: *Sine lege peccatum mortuum est, non intelligamus, nisi tanquàm non sit latet, non apparet, pœnitus ignoratur, tanquàm in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum. Id quod adiunxit, adveniente autem mandato peccatum revixit, quid est aliud quam eminuit, apparuit? &c.* Quia nimirum in parvulis *tanquam mortuum sit latet*, scilicet peccatum concupiscentia, *donec repugnans iustitiæ malum, eius prohibitione sentiatur, cum aliud iubetur atque approbatur, aliud delectat, atque dominatur.* Et libro primo ad Simplicianum: *Intelligendum est, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum* (id est concupiscentia) *inesset, neque ut extirparetur, sed tantùm ut demonstraretur.* Et iterum ibidem: *Vnde apparet, concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam.* Et in Psalmum octogesimum tertium: *Data est lex hominibus, non quæ salvaret eos iam, sed per quam cognoscerent, in qua agritudine iacebant.* Et iterum eodem loco: *Data est ergò lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur: ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur.* Et rursum: *Ergò lex prodebat ægrotos non sanabat.* Et in sermone de quinque porticibus: *Ergò attendat charitas vestra, ad hoc data est lex, quæ proderet morbos, non quæ tolleret.* Quod aliis sexcentis locis inculcat.

Eandem omninò radicem tangit, quando tàm instanter docet, legem nihil aliud præstare, quam quod vetet malum ac iubeat bonum, nullas verò arbitrio voluntatis vires ad illud cavendum, agendumve conferre: *Sic legem* omnis Catholicus *à Deo bono datam esse defendit, ut eam dicat, & peccatum ostendere, non tamen tollere; & iustitiam*, hoc est opus iustum *iubere, non tamen dare.* Et libro de Spiritu & littera: *Legis littera sciri facit peccatum potius, quàm caveri.* Et inferius: *Mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adiuvante Spiritu.* Et libro primo de peccatorum meritis: *Iubere tantum non adiuvare poterat.* Et libro primo ad Bonifacium: *Lex iubere novit, cui succumbit infirmitas, gratia iuvare quæ infunditur charitas* Cujusmodi locis scripta Augustini plena sunt.

Eandem radicem tangit cum homini per legem insinuatum tradit, ut fœditatem suam, in qua jacebat, velut oppositò sibi speculo agnosceret, non tamen eam detergendo auferri nisi per gratiam Liberatoris: *Non data est lex quæ posset vivificare, sed quæ ostenderet peccata peccatori. Peccator enim oblitus erat se, nec videbat se. Data est illi lex, ut videret se, fecit reum lex, liberavit lator legis.* Et libro de peccato originali: *Non enim*

Lib. de perf. orig. cap. 25.

Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.

In Ps. 83.

In append. in serm. de 5. min. quæ per tic.

Lib. 4. ad Bonif. cap. 3.

Lib. de Spir. & litt. c. 5.

Ibid. cap 15.

Lib. 1. de pec. merit. cap. 11.

Lib. 1. ad Bonif. c. 8.

In Ps. 129.

Lib. de pec. orig. cap. 24

enim data est lex, quæ posset vivificare, sed quæ mortuos, quibus vivificandis gratia esset necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verùm etiam ipsius legis additâ prævaricatione convictos deberet ostendere, non ut periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, & iam sibi ipsi per prævaricationem legis manifestatus, Dei quæreret adiutorium. Et sermone quinto de verbis Apostoli: *Quid ergò? Quid dubitamus ad hoc legem esse datam, ut inveniret se homo? Quando enim Deus non prohibebat à malo, latebat se homo, vires suas languidas non invenit, nisi quando legem prohibitionis accepit. Invenit ergò se, in malis invenit se. Quo fugit se? Quòcunque enim fugerit se, sequitur hîc se. Et quod ei prodest de se invento scientia, quam sanctat conscientia?* Et in sermonibus de tempore: *Præsumebant homines de viribus suis & faciendo quicquid sibi licere arbitrabantur, peccabant in legem Dei occultam. Vide ista lex manifesta promulgata est eis, qui omninò sibi vivere esse non videbantur. Data est illis lex, non quæ sanaret, sed quæ ægrotantes probaret. Lex præcucurrit ante medicum, ut se ægrotus, qui se sanum putabat, inveniret ægrotum.* Et præclarè in alio sermone quodam ad populum: *Qui ægrotabant, sanos se esse putabant: acceperunt legem quam implere non poterant. Didicerunt in quo morbo essent, & imploraverunt manum Medici. Voluerunt sanari, quia cognoverunt se laborare: quod non cognoscerent nisi datam legem implere non possent. Innocens in se sibi homo videbatur, & ex ipsa superbia innocentia falsa insanire febat.* Et ex homiliis omnia simul juncta complexus: *Optimè autem sequitur, & dicit: Etenim benedictionem gratiæ dabit, qui & legem dedit. Ad hoc enim lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam sibi adiceret. Ad hoc lex data est, ut vulnera ostenderet peccatorum quæ gratia benedictione sanaret. Ad hoc etiam lex data est, ut diceremus in convalle plorationis, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, & cum ipso plorate diceremus. Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Quæ sanè omnia apertissimè & satiatissimè docent convincuntque id quod supra diximus, legem tantùm unam amissæ libertatis causam tollere ignorantiam, quatenus quid agendum & vitandum sit, hominem docet: alteram verò causam, quæ potissima est, malorum concupiscentiam, non solùm relinquere invictam, sed etiam hominem docere, in quo morbo jaceat, adeoque imbecillitatis propriæ convincere, quatenus præcepto admonitus videt, manuque quasi tangit se affectum suum à concupiscentiarum suarum dominatu liberare non posse, nec facere quod jubetur: ut ita peccato prostratus & fractus, ac lege doctus atque convictus, tandem aliquando adversus concupiscentiæ suæ dominatum discat implorare gratiæ libertatem, cum Apostolo exclamando: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quam libertatem nisi contra concupiscentiam laborantibus gratia divina largiatur, juxta Catholicam doctrinam certum est homini esse succumbendum; ita definiente ad Episcopos Africanos Innocentio: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem iterum non auxiliante vincamur.* Nam ista Apostoli oratio: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* pro impetranda contra concupiscentiæ dominationem libertate, adversus vitia carnalia, ut jam supra ex Augustino diximus, funditur. Est enim omninò similis illi, quam David fudit, quando precabatur: *Iniquitates meas dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Ad quæ verba sanctus Augustinus: *Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? Ut autem ei non dominetur, vide ab illa quis invocetur. Precatur non peccetur; confitetur, non profitetur. Optat plenissimam libertatem, non iactat propriam potestatem.* Quæ totidem verbis de illa Apostoli oratione: *Quis me liberabit?* pari omninò veritate atque soliditate dici queunt. Porrò in isto primo effectu legis tradendo, sanctus Augustinus Apostoli Pauli vestigia secutus est, qui exserte dicit ad Romanos: *Per legem cognitio peccati.* Et apertius: *Peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces.* Quibus hoc docet, quod tradidimus, Legem datam datam esse, ut non peccati evictio, sed cognitio fieret, & ita agnosceret homo, quo morbo laboraret, quod ante legem ignorabat.

Cor. 5. de verb. Apost. c. 1.

Serm. 49. de temp. cap. 2.

To Append. serm. e quinque portis.

Homil. 50. cap. 2.

Ep. 106 ad Conc. Carthag.

Psalm.

Ep. 89 ad Hilar.

Rom. 7.

Ad Bon. lib. 1.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Secundus effectus legis, reddere præcepti observationem difficiliorem sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ.

VT verò natura legis lectoribus exploratior sit, quæ nonnullis recentioribus, valdè incognita est, graviumque offensionum, in causa gratiæ & libertatis occasio, operæ pretium est alios nonnullos effectus legis verumque scopum, quem in ea ferenda Deus habuit, patefacere. Nec enim res ista tàm in præpatulo posita est, ut Scholastici nonnulli putant. Non enim aliud ferè in legis latione considerare solent, quàm quod velut lumen quoddam divinitus accensum fuerit, in cujus radijs ambulantes rectè viverent. Gratiàm enim affuisse sufficientem, quæ Iudæos à peccati seu concupiscentiæ dominatione liberaret, hoc est, liberos faceret, ut legis præcepta custodiendo vita æterna potirentur. Ita ferè recentiores Philosophiæ potiùs humanæ quàm Theologiæ divinæ scita persequendo statuunt. Hæc enim imaginatio ab Augustini sexcentis locis tradita doctrina per quam longè recedit. Ignoscendum est in re obscura laborantibus. Sacramentum enim longè arcanius in legis illius procuratione latet, quàm vulgò putant. Agnovit hoc Augustinus, quando dixit: *Habet aliquid obscurum traditio ipsa legis*; propter quam obscuritatem, *magnum ibi mysterium* latuisse confirmat. Et prosper multò maximè quando dicit, utilitatem & justitiam legis *altissime latuisse*. Hæc igitur altissimè latens legis utilitas Iudæis lapis offensionis fuit; & nec etiam Catholicis nonnullis fiat, quantum Deus vires dederit, eruenda est. Ita enim necessitas divinæ gratiæ ad infringendam concupiscentiæ tyrannidem, excutiendumque jugum servitutis, quo voluntas premitur, & magnitudo gratitudinis, quam largitori gratiæ Testamenti novi, & liberatori suo redempta creatura debet, magis elucescent.

Quapropter quisquis legem Iudæis eo immediato scopo datam esse putat, ut præceptorum eius luce eruditi, facilius caverent peccata, quæ antea legis naturæ transgressione perpetrabant, non mediocriter hallucinari videtur. Tantùm enim abest, ut lex institutionis illius allatæque scientiæ de rebus agendis caveniscque beneficio, majorem afferret justitiæ facilitatem, ut potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Paradoxum hoc videbitur cuipiam Stoicis mirabilius, divinamque beneficentiam & benevolentiam non satis decens. Ad quid enim hominum suapte naturâ corruptissimâ satis imbecillium conatus, novis allatis sub specie beneficij difficultatibus deterrere & ipsa quasi justitiæ impossibilitate ac desperatione frangere? Ita homines humano sensu cogitant. Sed vanæ sunt cogitationes hominum, adversus altissimum & beneficentissimum consilium Dei.

Quod antequàm illo ipso juvante, detegamus, interim id quod jam diximus legem attulisse Iudæis majorem justitiæ servandæ difficultatem, peccandique pronitatem ac promptitudinem, declarandum est. Nihil enim in Augustini & veterum gratiæ defensorum scriptis decantatius est: utpotè qui nihil inculcant studiosius quam legem, quæ id quod malum est vetat, accendere potiùs quam sedare peccandi sitim. Augetur enim repressa cupiditas & bono concupito quasi in perpetuum caritura, fortius in ejus fruitionem exardescit. Ex quo efficitur necessariò, ut præcepti servandi difficultas longè operosior molestiorque fiat, dùm id augetur, quod solùm ejus custodiendi difficultatem afferebat. Quantò enim libertas scientiæ legis beneficio expeditior esse videbatur, tantò arctioribus crescentis cupiditatis & servitutis vinculis obligatur, nisi alio novo gratiæ subsidio impetus ejus refringatur. Saluberrimam istam sancti Doctoris institutionem audiant homines qui sibi de acceptarum agendarum cognitione plus quam satis est blandiuntur: *Verumdatus est sub lege à peccato, quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam qitâ fallitur, & delectatur etiam contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minùs licet.* Audi hinc majorem arbitrii servitutem, quam qua ante premebatur: *Quâ suavitate frui non potest, quasi pretio cohibitionis suæ, nisi cogatur tanquàm emptum mancipium servire libidini, sentit enim se servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, & se rectè prohiberi cognoscit, & tamen facit.* Nam de tali instructo jam per legem paulò inferius dicit, quod *trahitur ad malè operandum, concupiscentiâ dominante, atque fallente dulcedine peccati, quamvis ex parte notitiæ legis hoc improbet.* Et in eadem quæstione superius: *Peccatum*, id est concupiscentia, *non legitimè utens lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, & ideò fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque maiores pœnarum amaritudines consequuntur. Quæ ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur, quod vetatur, fallit peccatum falsâ dulcedine.* Et libro de vera Religione addit & pœnam: *Vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium, serviliter coercens,*

Lib. 1. ad Simplic. quæst. 1.

Ibid.

Ibid.

Ibid.

Lib. de vera Relig. c. 26.

exercens, *carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa congeminat.* Et in Epistola ducentesima: *Lex ostendit hominem sibi ipsi, ut sciat infirmitatem suam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potiùs carnalis concupiscentia quam sanetur. Appetuntur enim ardentius, quæ vetantur, dum id quod spiritaliter iubetur, carnalis observare compellitur.* Et libro de Continentia: *Auxit prohibitio concupiscentiam eamq́, fecit invictam.* Ecce invictam legis instructione concupiscentiam. Quod quomodo fiat, ne multitudine locorum, quorum immensa in Augustino sylva occurrit, lectori tœdium afferamus, una ab ipso producta similitudine illustrari satis fuerit. Sic enim loquitur in libro de Spiritu & litera, ubi doctrinam illam de Incremento concupiscentiæ, quod parit lex, aliquoties repetit: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex, quàmvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus si in eam partem non cesset influere, vehementior sit obice opposito, cuius molem cum evicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur.* Quod sermone quarto de verbis Apostoli evidentius atque popularius ob oculos ponit, locum Apostoli explicans: *Occasione acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Sic enim ait: *Minor erat concupiscentia, quando ante legem securus peccabas; nunc autem oppositis tibi obicibus legis fluvius concupiscentiæ quasi frenatus est paululum, non siccatus: sed increscente impetu qui te ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiscentia tua minor erat, quando tuam movebat libidinem, om[...] est, quando transcendit & legem.* Quibus duobus locis & modum explicat quo concupiscentia fit prohibitione robustior; & gratiam qua ejus impetus refrenatur. Si enim fluvius non desinat in decliviora loca semper fluere, quanto aggeres objecti, quibus aquarum libertas coercetur fuerint fortiores, tanto necesse est impetum earum ac pondus ad perrumpendos obices esse vehementius, quo si semel nitendo superaverint, impetuosius per declivia in præceps ruunt. Quamobrem qui impetum earum ad perrumpendos aggeres coërcitum velit, alterutrum faciat necesse est, vt vel obicem tollat, quo liberè tranquilleq́ue possit fluere; vel fontes obstruat, vndè perpetim fluunt. Eodem planè modo de concupiscentiæ fluxu arbitrandum est: quem qui diminutum fractumq́ue esse velit, vel leges auferat tanquàm obices, quibus impetus ejus ad perrumpendum crescit, vel ipsum concupiscentiæ fluxum sistat: quorum prius quidem facillimum est, sed flagitiis licentiam tribuit: posterius difficillimum, sed præcipuâ certaq́ue utilitate commendatum. Ipsam enim exhaurit concupiscentiæ scaturiginem, inveteratamq́ue naturæ ægritudinem sanat. Cujus sanationis modum ac remedium iisdem verbis Augustinus tetigit, quandò dixit: *Vbi sanctus non adiuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex auget prohibendo desiderium malum.* Quod & aliis in locis sæpè tradidit: *Virtus peccati lex, quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem nisi diffundat Spiritus charitatem.* Et eodem libro de Spiritu & littera: *Littera prohibens peccatum non iustificat hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam & iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per Iesum Christum dono Spiritus sancti.* Et in libris Retractationum: *A cuius concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum dono Spiritus sancti, per quem diffusa charitas in cordibus nostris vincat concupiscentias carnis, ne consentiamus eis ad malefaciendum, sed potiùs bona faciamus.* Idem habes libro primo ad Bonifacium, & aliis nonnullis locis: eandemq́ue charitatem qua sola peccandi desiderium extinguitur *dilectionem iustitiæ* vocat. Charitas enim tanquàm dilectio Creatoris, ex diametro repugnat concupiscentiæ, tanquàm dilectioni creaturæ: ex quo fit ut charitate crescente necessario cupiditas minuatur, & è contratio, juxta illud Augustini: *Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas.* Hoc est ergò illud solum vnicuique remedium adversum cupiditatis augmentum inspiratio charitatis quam Augustinus semper significat, quando toties dicit: a *Lex auget prohibendo peccati desideria, nisi subveniendo vivificet gratia.* Et b *Gratia nisi adiuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati.* Et c *Hoc vitium* (id est concupiscentia) *quo prohibita plus delectant, & fit virtus peccati lex, non sanat nisi vivificans Spiritus.* Et d *In eis regnat concupiscentia, qui ab ea victi pertrahuntur maiore impetu, cum lege prohibentur, si à gratia non iuvantur.* Et e *Ita lex, gratia non adiuvante, prohibens peccatum virtus est insuper peccati.* Et f *Scientia legis sine gratia Spiritus, operatur in homine omnem concupiscentiam.* His & similibus locis, quibus Augustini scripta plena sunt, semper significatur gratia, non cujusquam cœlestis illuminationis, aut cogitationis congruæ, aut terroris, aut similiũ, quæ recentiores nonnulli pro gratia Christi obtrudere voluerunt, sed illa unica & regia Dei charitas, *quæ*, ut alibi dicit, *sola vult bonum, per eius donũ delectat esse legis factorem.* Hæc ergò una charitas tanquàm cócupiscentia bona opposita concupiscentiæ malæ nisi per Spiritum sanctum cordibus nostris inspiretur, lex nihil aliud efficiet, quam quod atrociores concupiscendi stimulos admovebit, ut majore impetu ruptis prohibitionis cancellis, in flagitia præcipitetur. Nam ut Augustinus: *Lex iubendo bonum, & non largiendo charitatem, quæ sola vult bonum, reos prævaricationis facit.* Porrò doctrinam istam non ex ingenio humano commentus est sanctus Doctor, sed tanquàm ab Apostolo sibi traditam ubique commendat. Sic enim jam aliquoties exponentem audivimus locum *virtus peccati lex*, quo significatur, concupiscentiam, quam peccati nomine Apostolus, indicare solet, vel vi, vel occasione legis accendi. Quod alibi apertiùs dicit: *Peccatum occasione accepta per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.*

Epist. 200. ad Asellicum. Lib. de Continentia c. 3. Lib. 3. ad Bonif. c. 2. Lib. de gratia & lib. arb. cap. 4. Lib. 2. contra Iul imperf. &c. Lib. de Spir. & litt. c. 14. & 32. Serm. 4. de verb. Apost. cap. 5. Lib. de Spir. & lit. c. 4. Lib. de perf. iust. c. 6. Lib. de Spir. & lit. c. [...] Lib. 1. Retract. c. [...] Lib. 1. ad Bonif. [...] Lib. [...] adv. [...] & Pelag. cap. 7. Lib. [...] quæst. [...] a Lib. [...] Bonif. [...] b Lib. [...] c Lib. [...] f Lib. [...] Lib. [...] Lex [...] Iul. [...] r. Co[...] Rom. [...]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPVT NONVM.

Tertius effectus legis, graviorem ruinam afferre, arctiusque concludere hominem sub peccato.

SI mirus homini carnali visus est prædens legis effectus, ille quem jam dicturi sumus, multo profectò videbitur mirabilior, blasphemiæque proximus, nisi docentium authoritate judicantium temeritas refrenetur. Tertius enim effectus legis, & in Scripturis sacris veterumque doctrina maximè celebatus est, quod non solùm non aufert aut minuit peccata delinquentium, docendo imperitos quo pacto eis vita instituenda est, sed etiam graviores peccatores facit. Cujus rei duplicem causam in Augustini scriptis invenio. Vt verò magis intelligantur, observandum est, necessarium esse ut alterutro se modo habeat carnalis homo qui legem accipit (de spiritualibus enim sanctisque viris hic non loquimur, quibus lex juxta Apostolum non est posita) videlicet ut quod lex jubet, facere aut nolit, aut velit. Vtrumvis fecerit plerumque peccabit gravius quam sine lege peccavisset; graviter quidem si facere noluerit, periculosius si voluerit.

Prima igitur causa majoris gravitatis, si noluerit implere quod jubet lex, ex præcedenti effectu legis proficiscitur. Diximus enim legis vetito ardorem cupiditatis magis accendi, quatenus efficitur dulcius quod vetatur. Ex quo necessariò fit ut facilius, & sæpius, & ardentius in peccatum stimulante magis peccandi cupiditate præcipitetur. Significavit hoc Augustinus aliquoties in præcedentibus quando dixit: *Peccatum aucto desiderio dulcius factum esse; & suavius admitti quod vetatur.* Et in opere contra Iulianum imperfecto, dicit per illud *vitium hominis quo prohibita plus delectant, & ipsa virtus peccati lex, lege subintrante abundasse peccatum.* Et libro de gratia & libero arbitrio dicit ex Apostolo: *Peccatum vires adversus hominem accepisse per legem, & occidere, & operari mortem.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Virtus peccati lex. Auget enim prohibendo peccati desideria, & inde accidit.*

Secunda causa est, eaque præcipua, quæ ex ipsa natura transgressæ legis fluit, quia lex jubendo tantùm & non juvando ut homo impleat quod jubetur, hoc ipso prævaricatorem facit. Nam sine lege peccator fuisset, prævaricator neutiquàm. Nam ut Apostolus: *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Prævaricatio verò simplici peccato longè gravior est: *Quia gravius fecerit & interimit contempti præcepti conscientia.* Nam ut alibi dicit: *Evidentior transgressio est, cum præceptum memoria retinetur, & tanquam in illo Deus assistens, præsentia, contemnitur.* Effectum istum legis inculcat Augustinus frequentissimè: nos paucis locis ex immensa segete desumptis contenti erimus. Sic ergò libro tertio de peccatorum meritis: *Accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione augeremus. Lex enim subintravit ut abundaret peccatum.* Et, *conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Et libro de Spiritu & littera: *Nec istam inscriptionem legis in corde, quæ justificatio est, poterat efficere in lapidea lex in tabulis scripta, sed solam prævaricationem.* Totoque libro instantissimè docet, solius esse gratiæ, ut etiam lex decalogi ab homine fiat: *Litteram vero legis sciri,* inquit, *facit peccatum potius quam caveri, & ideo magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accessit.* Et libro primo ad Bonifacium: *Vbi quidem iam debent concedere, quod in lege nemo justificatur, sed ad cognitionem peccati & ad ipsius prævaricationem valere legem.* Et in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos: *Tunc se mortuum quisque cognoscit, cum illud quod recte præceptum esse confitetur, implere non potest, & prævaricationis crimine amplius peccat, quam si non prohiberetur.* Et in libris contra Faustum: *Lex superbos etiam prævaricationis reatu devinxit augendo peccatum, cum iubet quod implere non possunt.* En prævaricatio ex eo quod iubet lex id quod homines concupiscentia sæviente imbecilles implere non possunt. Quod exposuit latius & luculentius in sermonibus de verbis Apostoli: *Procedit lex Dei & dicit, Non concupisces. Ille homo qui putabat magnum bonum esse, magnamque felicitatem existimabat, ea quæ poscit, concupiscentiæ suæ non negare, sed quæ tradit audit: Non concupisces, & cognoscit esse peccatum. Deus dixit, homo audivit, Deo credidit, peccatum suum vidit, quod bonum putabat, malum esse cognovit, voluit frænare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit se, conatus est, victus est. Quis fuit antea nescius malorum suorum, factus est doctus, & pœnis est victus. Cœpit esse non solum peccator, sed etiam prævaricator. Peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret, peccatorem se esse nesciebat. Legem audivit conatus est vincere, superatus atque prostratus est. Factus est & legis prævaricator, qui fuit antea nescius peccator.* Ecce utilitas in eis qui vel nolunt facere quod lex iubet, vel etiam facere conando superantur, ut non solùm peccatores, sed etiam ipsâ prævaricatione peiores efficiantur. Quas duas causas jam explicatas simul expressit breviter Augustinus in Epistolam ad Romanos: *Sic abundavit peccatum, cum & concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, & peccantibus contra legem prævarications crimen accessit.*

Sed quia perspicuum est, quosdam audita lege pœnarumque comminatione imperare quod jubet, & vitare quod vetat, putari posset, in istis

Libro 3. de peccat. merit. cap. 11.

Lib. de Spir. & litt. c. 28.

Ibid. cap. 5.

Libro 1. ad Bonif. cap. 3.

In expositione quarundam propos. ad Rom. nu. 40.

Lib. 19 contra Faust. cap. 7.

Serm. 4. de verb. Apost. cap. 5.

In exposit. quarundam propos. ex Epist. ad Rom. n. 30.

istis falsum esse quod Augustinus de peccatorum cumulatione per legem, eiusque prævaricatione generaliter tradit, declarat idem alium adhuc esse sub lege occultiorem prævaricandi, aliumque periculosiorem peccandi modum, quàm si manifesta legis violatione peccaretur. Nam quotquot legem vi legis implere volunt, in alterutrum transgressionis modum incidunt, ut vel eam animo coram Deo prævaricentur, vel gravius elidantur superbia, quamvis conspicua legis opera coram hominibus implere videantur. Prior ille prævaricandæ legis modus tunc committitur, quando præcepta legis pœnarum timore non justitiæ dilectione complentur. Tunc enim intus in corde reus est, ubi Deus videt, quid facere mallet, si liceret impunè. Quam doctrinam velut saluberrimam adversus eos qui adjutorio legis inflati tument, frequenter tradit. Nam ipli Apostolo inter cæteros hoc contigisse profitetur ad Bonifacium: *Nec mavcat,* inquit, *quod ad Philippenses scripsit, secundùm iustitiam quæ in lege est, quod fuerit sine querela. Potuit enim esse intus in affectionibus pravo prævaricator legis, & tamen conspicua operatione implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei; sed pœnæ formidine non dilectione ac delectatione iustitiæ. Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari ut etiam faceret, si hoc posset impunè committi. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Et generaliter de Iudæis libro de Spiritu & littera: *Illis Iudaicis lex iram operabatur abundante peccato, quod ab scientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante Spiritu gratia, timore pœnæ faciebant, non amore iustitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illa re tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impunè, committere.* Et inferius in eodem libro: *Ex hac promissione, hoc est, ex Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione prævaricatores facit, vel usque ad effectum male operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderet, vel certè in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Qua de re alibi dabitur uberior dicendi locus. Quod si cui videatur fortasse alio adhuc modo legem à Iudæis impleri potuisse, ipso videlicet intuitu moralis honestatis, quemadmodum eam Philosophi nonnulli videntur impleisse, atque ita in talibus legem non auxisse peccatum sciat ille; tales legis impletores alio pejori multoque periculosiori genere prævaricationis implicatos fuisse superbia, qua sibi de impleta legis justitia gratulabantur. Decujusmodi factoribus idem Augustinus: *Quod autem ait, seduxit me peccatum occasione accepta per mandatum; sive quia suasio delectationis ad peccandum vehementior est, cum adest prohibitio sive quia etiam si quid homo fecerit secundum iussa legis, si adhuc non sit fides, quæ est in gratia, tulit sibi hoc tribuere non Deo, & superbiendo plus peccat.* Et libro tertio ad Bonifacium: *Putant se aliqui sua viribus implere legem iubentem, & ipsa impletione superbia, ad gratiam non convertuntur iustificantem. Sic eos littera occidit, aut aperte etiam sibi vetet, non faciendo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritalis, quæ ex Deo est, non faciunt charitate. Ita remanent aut aperte iniqui, aut fallaciter iusti; vel aperta iniquitate evidenter elisi, vel fallacissima insipienter elati.* Fallax enim hujusmodi justitia est, non solùm quia non est supernaturalis, ut vulgò putant, sed quia tota nonnisi ex veris peccatis coalescit. Temporalibus enim rebus appetendis tales inhiant, quorum vel assequendorum spe, vel amittendorum timore faciunt, quicquid faciunt: prout hoc fusissimè supra declaravimus; & Augustinus tangit breviter ad Bonifacium: *Quicumque ibi erant, sola quæ Deus ibi pollicetur, promissa terrena sectantes, & quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant: imò non servabant, sed sibi servare vid. bantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, metusq; carnalis. Sic autem præcepta qui facit, præcludebe invitus, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omninò non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Tales erant filij terrenæ Ierusalem.* Quam Augustini doctrinam in se certissimam plurimis ejus testimonijs hic illustrare possemus (quod & alibi fecimus & faciemus) si re hic postularet. Sed hæc sufficere existimo ut intelligatur etiam illos qui sic præceptum legis per ipsam legem implere sibi videntur, reatu vel prævaricationis ipsius legis, vel alio deteriori superbiæ implicatos augere peccata: atque ita quocumque sese carnalis verterit, nisi Deus ipsum gratia charitatis liberaverit, legem ei non tollere, sed cumulare delicta; adeoque arctius eum sub peccato quam antea, cum careret lege, concludere.

Quæ quidem omnia ex Apostolo Paulo sanctus Augustinus hausit. Evidentissimè enim disertissimèque dicit ad Romanos: *Lex tantùm operatur. Lex subintravit, ut abundaret delictum. Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Peccatum per bonum operatum est mihi mortem.* Et in Epist. 1. ad Corinth. *Virtus peccati lex.* Et in Epistola secunda: *Littera occidit,* quam ibidem eâ de causa vocat *ministrationem mortis, & ministrationem damnationis.* Et in Epistola ad Galatas apertissimè: *Conclusit scriptura omnia sub peccato. Lex propter transgressiones posita est.* Quibus Apostolicorum scriptorum locis, unum idemque, atque hoc ipsum, quod hic tradimus, significatum esse, diversis & ex professo scriptis hac de re tractatibus Augustinus docet, & compendio in libris contra adversarium legis & Prophetarum: *Quod est autem ministratio mortis & ministratio damnationis, hoc est, occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam; hoc est, adveniente mandato peccatum revixit, hoc est, in rem*

Libro 1. ad Bonif. c. 9.

Lib. de Spir. & litt. c. 8.

Cap. 19.

Lib. 83 qq. quæst. 66.

Lib. 3. ad Bonif. c. 7.

Lib. 2. ad Adver. Leg. & Proph. cap. 7.

est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem; hoc est, occasione accepta peccatum per mandatum seipsum fefellit me, & per illud occidit; hoc est, Lex subintravit, ut abundaret delictum; hoc est, Lex iram operatur; hoc est, virtus peccati Lex. Prohibitio enim peccati, quod est Lex, auget profectò desiderium peccandi: quod non extinguitur nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Et ideò, ut paulò superius dixit, sub lege peccatur, insuper etiam prævaricator amissâ excusatione ignorantiæ convictus iacet.

Ibid.

Ex quibus hoc colligimus, non rectè scopum datæ legis eos intelligere, qui putant idcircò Iudæis datam, ut quia morum honestas in verecunda peccandi licentiâ ac turpitudine obsoleverat, lege data aliquantulum restringeretur, faciliusque vi legis peccata caverentur. Hæc enim Iuliani sententia magno conatu Augustini impugnantis explosa est. *Peccatum ergo infregit censura legis*, inquiebat Iulianus, *& infringendo ex multa parte restrinxit.* Cui reponit Augustinus pro Apostolici sensus integritate decertans: *Si peccatum lex infregit, & multâ parte restrinxit, mentitus est, qui ait: Lex subintravit ut abundaret delictum. Sed quia illa verum dixit, tu nihil dicis; & tamen nihil dicendo, hæretica pertinacia contradicis.* Ecce hæreticam vocat pertinaciam, qua vel peccatum per legem aliquâ ex parte restrictum esse sustinebat, cùm secundùm Apostolum per legem *abundasse* dicendum sit. Peccatum enim neque restringi, neque infringi, neque caveri nisi per gratiam potest, ideoque necesse est illud accessu legis per incrementum cupiditatis, & prævaricationem legis augeri. Vndè cùm idem Iulianus dixisset: *Causam maximam fuisse promulgandæ legis, ut peccatum proderetur & caveretur*, constanter ei respondet Augustinus: *Vt proderetur verum dicis, hoc & nos dicimus: vt autem caveretur, non lex sed gratia, non littera sed Spiritus fecit. Lex enim subintravit, non ut caveretur, sed ut abundaret peccatum.*

Lib. 2. oper. imp. f. 178.

Ibid. f. 182.

CAPVT DECIMVM.

Explicatur modus quo lex facit abundare peccatum, & iram operatur

HÆc doctrina quia hominibus vim legis non satis penetrantibus, carnalique sensu peccatorum fugam metientibus durissima semper visa est, adversarios multos habuit. Non enim capit carnalium sensus, qui se libero arbitrio & agendorum cavendorumque cognitione cernit instructum, non se posse peccatum jam cognitum, à quo consiliis, hortationibus, suasionibus, legibus, supplicisque revocatur, suâ liberâ voluntate declinare, sed reatum suum potius adjecta legis prævaricatione cumulari. Itaque & Pelagiani, & Manichæi, & Iudæi gravissimè ex doctrina ista scandalizati sunt. De Pelagianis jam audivimus. De Manichæis testatur, eos *In obscuritate legis tanquàm in clauso. 42. in Ioan. tract. 2. sit obtus caliginem passos*: Existimasse *legem datam ab alio non à Deo, quia per illam homo factus est prævaricator.* De Iudæis alibi; eos *aquo animo ferre non potuisse, quod lex prævaricationis gratia posita esset.* Quapropter & modus explicandus est, quo prævaricationis gratia seu propter prævaricationem lex posita fuit, & quo tandem consilio lex talis hominibus infirmis data, qua peccatis afflicti, gravius adhuc affligerentur. Hoc enim à divina misericordia atque benignitate primâ fronte videtur abhorrere.

Et modus quidem quo accessu legis abundavit peccatum reatusque hominis cumulatior factus est, Deum extra omnem culpam collocat. Hoc enim per accidens contigit ex parte Dei; per se ex innato & consuetudine roborato hominis vitio. Est enim animo diversis libidinibus temporalium bonorum vitiato naturale, ut ea quæ cupiditatibus consentanea sunt, oblata concupiscat, idque tanto impotentius, quanto fortius prohibentur: *Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius dum vetatur.* Legis ergò accessus per se quidem tendit ad restringendum cupiditatis impetum, quatenus frenandum esse docet: sed propter insitam visceribus hominis libidinem, fit ut indè ardentius inflammetur, ut si indè gravior reatus consequatur, non Deo, qui terminos ponit malo, sed homini terminos transilienti imputandum sit. Lex enim per se non fomes sed limes ardoris est: quàmvis propter vitium ex limite exardescat magis & magis. Ita fit ut littera legis occidat, & iram operetur, & subintraret ut abundaret delictum. Hunc occidendi augendique peccati modum tradidit Augustinus, quando dixit: *Multum interest non quid accipiat, sed quis accipiat, nec quale sit quod dâtur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. Peccatum, inquit Apostolus, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Ecce per bonum factum est malum, dum malè accipitur bonum.* Et alibi declarat hoc ita per accidens ex parte legis ac legislatoris fieri, sicut per accidens quibusdam bonus odor in mortem est, proprio videlicet vitio morientium, qui aliis est odor vitæ in vitam. Cùm enim interrogando sibi proposuisset: *Cur ergò ministratio mortis dicitur, si bona est lex?* Continuo respondet: *Quia peccatum* (id est concupiscentia) *ut appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem.* Hoc est, non propriè lex, sed concupiscentia per legem bonam hoc fecit. *Nec mireris cùm de ipsa prædicatione*

Lib. de Spir. & litt. c. 4.

Tract. 62. in Ioannem initio.

Lib. 1 ad Simplic. quæst. 2.

Evan-

Evangelij dictum sit, Christi bonus odor sumus Deo, in eis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. Et manifestius adversus Iulianum, cum hac de re pertinacissimè contenderet: *Quis autem nescit non legis sed hominum vitio, lege sub, mirante abundasse peccatum?* Quod vitium in eo mox constituit, *Quod prohibita plus delectant, & sit viribus peccati lex.*

CAPVT XI.

Aperitur mysterium divini consilij, quo legem tulit, quæ non nisi prævaricationem & iram operatur.

QVæ quanquam satis perspicuè ostendant, neque datori ejus Deo culpam prævaricatæ legis auctiçque peccati esse tribuendam; non tamen ita expeditum est, quo consilio Deus legem dederit; maximeque talem ac tunc, ac talibus hominibus carnalibus, in quibus prævidebat non observationem, sed solas prævaricationes & cumulationis damnationis merita secutura. Hoc enim quo remotius videtur esse à benignissimi Creatoris misericordia, eo credibilius est id quod Augustinus & Prosper in præcedentibus dixerunt, quod illud consilium Dei mysteriis plenum est, atque *altissimè latet.* Vndè & Iudæos istud latuisse ex ipsis Apostoli verbis Augustinus colligit: *Quod autem ait,* Lex subintravit ut abundaret peccatum, *ipso verbo* (subintrandi) *satis significavit nescisse Iudæos quâ dispensatione lex data sit.*

In expos. quarund. propos. epist. ad Rom. num. 30.

Consilij istius altitudinem facillimè penetrant, referantque Scholastici recentiores, ut putant. Sed ipsa suâ facilitate priscis defensoribus gratiæ inauditâ, satis ostendunt, se non intellectâ istius mysterij profunditate, clausum sibi ostium invenisse, discipulisque suis reliquisse. Nullum ipsi quippè sacramentum hic inveniunt, cujus altitudo quemquam remoretur. Dicunt enim, Deum hominibus legem dedisse bonam, eo fine ut per gratiam sufficientem, quæ semper præsto vnà cum lege aderat, eam observarent, caverentque peccata, sed eos pro ingenita sibi libertate noluisse, ideòque propter neglectum datæ potestatis abundasse peccata. Quam eorum responsionem antequàm operosius refutemus, ipsum consilium Dei in danda lege, sicut ab Apostolo insinuatum, & ab Augustino planius patefactum est, ex eorum scriptis proferemus. Ex quo doctrina ista recentiorum tanquàm Apostolo & Augustino ex diametro contraria, & quasi ex proposito ad delendos eorum sensus excogitata, per se ipsa corruet.

Quamobrem juxta doctrinam Augustini in Scripturis fundatissimam plurimis locis traditam, & propter rei magnitudinem summoperè Christianis inculcatam, consilium Dei reformando Iudæorum populo saluberrimum in danda lege fuit, non ut per gratiam sufficientem quæ adesset ipsis, eam observando rectè viverent, quod eos nondum posse præsciebat, sed ut multitudine peccatorum, & magnitudine prævaricationum, quæ per legem quam implere non poterant, secutura sciebantur, eorum superbia frangeretur, qua sibi de justitia sua, præcipuèque de viribus ad implendam legem sibi sufficientibus gloriabantur: ut convicto superborum fastu, & humilitate conceptâ, tandem aliquando agnoscerent, se ægrotos esse, legemq; datam implere non posse; atque ita Dei misericordiam & Christi medici gratiam sibi necessariam esse intelligerent; qua & præteritorum remissionem acciperent peccatorum & sufficientes vires per gratiam pro cavendis futuris fide Mediatoris, oratione, & gemitibus impetrarent. Qui scopus Dei, tantùm abest ut sufficientem gratiam observandæ legis Iudæis affuisse supponat, ut potiùs è contrario cõvincat, nullo modo eis affuisse, sed istam viâ conterendæ superbiæ Deũ elegisse, ut ad gratiã observandæ legi sufficientem invocandam & impetrandã, propriæ infirmitatis atq; insufficientiæ cognitione & cõfessione perduceret. Infirmitas illa verò indè nascitur, quòd occultarerum malarũ concupiscentia per peccatum medullitus ingenita laboret animus, qua fit, ut in bona carnalia præceps feratur, indeque excœcatus, quid agendum sit videre non possit: & postquam agnoverit, rixa quadam à se divulsus viribus careat ad implendum id, quod sibi dixerit esse faciendum. Adversus igitur hoc malum lex data est, ut illud primum agnosceret, juxta illud Apostoli: *Per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Quem effectum legis supra latiùs ex Augustino declaravimus. Ex quo sequitur, ut consequenter agnoscat, se tempore præterito in multis malè feciisse per ignorantiam, ita ut multis modis antea peccator fuerit, quem se esse nesciebat. Hinc de futuro sollicitus, ut pœnam sibi lege intentatam fugiat, sentit agnitam iam concupiscentiam sibi legem implere satagenti repugnare, molestissimeque suscitare prælium, quo propter magis accensum ex legis vetito cupiditatis ardorem, se superari sentit, & prævaricationis accessu, multò deteriorem, fœdiorem majorisque supplicij reum fieri, quam ante fuit. Itaque ex una

una parte lege comminante doctus, territus & conclusus, ne libertate solita per flagitia divagetur, ex altera se reum videns, nec pœnâ posse effugere, neq; concupiscentiæ inolitæ vires superare, nihil illi reliquum supereſt, nisi ut exclamet; reus sum, fateor ægrotus sum, vincere volens peius victus atq; prostratus sum, viribus careo ad pugnandum atq; superandum. *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

Sed ipsum jam Augustinum hâc de re divinissimè differentem audiamus. Quid enim nisi superbiam lege fractam tradit, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando dicit? *Demonstranda fuerat hominifœditas languoris eius* (concupiscentiæ) *cui contra iniquitatem suam nec præceptum sanctum & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas quàm minuta: quando quidem lex subintravit, ut abundaret delictum:* quo scopo, quo fructu? *Vt eodem modo convictus atque confusus, videret non tantum Doctorem sibi esse necessarium, verum etiam* B *adiutorem Deum, à quo eius itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad spem divinæ misericordiæ sanetur.* Quid nisi superbiam lege fractam tradit, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando dicit? *Superbienti ergò populo lex posita est, ut quoniam gratiam charitatis nisi humilitatus accipere non posset, & sine hâc gratiâ nullo modo præcepta legis impleret, transgressione humiliaretur ut quæreret gratiam.* Et rursum: *Per illam legem morbos ostendentem, non auferentem, etiam prævaricationis crimine contrita est superbia &c. ut ipse mediator liberaret, iam coactos confiteri, opus sibi esse gratiam & misericordiam Domini: ut sibi peccata dimitterentur, & in nova vita per eum qui pro eis sanguinem fudit, reconciliarentur Deo.* Et inferius: *Non ergò lex data est, ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem carnis, possent putare iustitiam: ut hoc modo humiliati cognoscerent non in sua manu esse salutem suam,* C *sed in manu mediatoris. Maximè quippè humilitas revocat, unde nos dejecit superbia.* Quid nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra Faustum dicit: *Neque enim lex iubebat delictum, ut illa subveniente abundaret delictum: sed superbos multum sibi tribuentes mandati sancti, & iusti, & boni adiectu suo etiam prævaricationis effecerat: ut eo modo humiliati discerent ad gratiam pertinere per fidem, ut iam non essent legis subditi per reatum, sed legi sociati per iustitiam,* id est, per dilectionem iustitiæ legis &c. *Nam ante quàm spiritualem gratiam humilitatis reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, videns quod non possemus implere.* Quid nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra adversarium legis & Prophetarum, dicit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim quamvis iusta & sancta & bona, prævaricatoribus intulit mortem,* D *quos Dei gratia non adiuvit ad iustitiam legis implendam. Oportebat enim ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis, & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed iuberet: ac sic morte prævaricationis implicitis ad gratiam confugerent non iubentem tantummodò, sed iuvantem, quæ*

Ibid. c. 10.

Ibid. ad Gal.

Ibid.

Ad Bonif. lib. 2. c. 19.

Ad Bonif. lib. 2. c. 19.

Ps. 118. ser. 7. lit. a & sancta & bona.

A *novo Testamento revelatur.* Quid nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando contra Felicem Manichæum dicit? *Lex subintravit ut abundaret delictum. Data est enim lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus, ut cum implere non possent legem datam, prævaricatores inveniremur, & facti rei sub lege, peterent misericordiam à legis conditore.* Et paucis post prædicta interpositis: *Erat peccatum, sed non apparebat peccatum: data est lex superbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, sed non apparebat. Apparens autem peccatum humiliavit superbum, humiliatus superbus factus est pœnitens, de pœnitentiâ impetrata est misericordia.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando in Epistola ad Optatum dicit? *Quare lex bona data sit, consequenter adiunxit Apostolus, dicens;* sed *concluſit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Danda itaque fuerat lex, quæ manifestius sibi seipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à seipso se posse esse iustum putaret, & ignorans Dei iustitiam, id est quæ homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est quasi suis viribus partam, iustitiæ Dei subiectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato cuius vox est, Non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiæ medicinam non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adiutorium quæreretur, quando in libro 83. quæstionum dicit? *Per legem cognitio peccatorum, & peccatum per bonum operatum est mihi mortem. Vbi ergò non est gratia liberatoris, auget peccandi desideria prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima seipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de seruitute peccati; atque hoc modo detumescente atque extincta omni superbia subdatur liberatori suo.* Et inferius: *Statuitur ergò lex per fidem, quæ fides si non sit, iubet tantùm lex, & non implentes iussa, reos tenet; ut eos gementes, & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.* Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut adjutorium gratiæ quæreretur, quando in Psalmum octogesimum tertium, dicit: *Putabamus nos facile iustos esse posse* (hoc est facere mandata) *quasi viribus nostris acciperemus mandatum. Adveniente autem mandato peccatum revixit: Ego autem mortuus sum,* hoc ait Apostolus: *Data est enim lex hominibus, non quæ salvaret eos iam, sed per quam cognoscerent in qua ægritudine iacebant.* Audi verba Apostoli: *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed concluſit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus: veniret gratia post legem, inveniret hominem non solum ignorantem, sed iam etiam confitentem & dicentem: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Vt oportune veniret medicus &c. Data est ergò lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur. Vt peccata demonstraretur, non ut auferrentur. Demonstrato peccato auctum est peccatum, quia peccatum est contra legem. Occasione, inquit, acceptâ peccatum*

Libro 2. de actu cum Felice c. 11.

Ibid.

Epist. 157.

Lib. 83. qq. quæst. 66.

Ibid.

In Ps. 83.

zum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Quid est occasione accepta per mandatum? Acceptum mandatum quasi viribus suis conati sunt facere homines: victi concupiscentia, mandati etiam ipsius transgressione rei facti sunt. Sed quid ait Apostolus? Ubi autem abundavit peccatum superabundavit gratia: id est, auctus est morbus, commendata est medicina. Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando in tractatibus in

Tract. 3. in Ioann. Ioannem dicit? Lex ergò iubet, dator legis misereretur in eo quod lex iubet. Conantes homines implere viribus suis quod à lege præceptum est, ipsâ suâ temeritate & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam viribus suis implere non poterant legem, facti rei sub lege, implorarunt liberatoris auxilium: & reatus legis fecit agritudinem superbi. AEgritudo superborum facta est confessio humilium: iam confitentur ægroti quia ægrotant; veniat medicus ut

Ibid. sanet ægrotos. Et multis in eodem tractatu interiectis addit: Lex subintravit ut abundaret delictum. Hoc proderat superbis ut abundaret delictum. Multum enim sibi dabant, & quasi viribus suis multum assignabant, & non poterant implere iustitiam, nisi adiuvaret ille qui tulerat. Superbam illorum volens domare Deus dedit legem, tanquam dicens: Ecce implete, ne putetis deesse iubentem.

Ibid. Non dicit qui iubeat, sed deest, qui impleat. Et rursum: Lex præparabat medico venturo cum gratia & veritate, tanquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primum servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, sanari nolebat, & ne sanaretur sanum se esse iactabat. Missa est lex, ligavit eum invenit se reum, iam clamat de ligatura, pro gratia scilicet impetranda. Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorii quæreretur, quando in serm. 6. de verbis

Serm. 6. de verb. Apost. cap. 4. Apostoli dicit præclarissimè? Data est ergò lex illa, ut inveniretur infirmitas. Parum est hoc, non solùm ut inveniretur, sed etiam ut augeretur, & vel sic medicus quæreretur. Si enim levis morbus esset, contemneretur: si morbus contemneretur, medicus non quæreretur: si medicus non quæreretur, morbus non finiretur. Ideò ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia, quæ delevit cuncta peccata quæ invenit: & ad non peccandum voluntati nostræ conatis adiutorium subministravit, ut ipsa voluntas non in se ipsa, sed in Deo laudaretur. Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando in sermone unde-

Serm. 11. de verb. Apost. cap. 8. cimo dicit: Quare ergò data est lex, si non potuit vivificare? Lex, inquit, Apostolus, prævaricationis gratia data est, prævaricationis gratia posita est, ut te faceret prævaricatorem. Quare ut me faceret prævaricatorem? quia noverat Deus superbiam tuam: noverat, quia dicebas, ô si sit qui doceat! ô si sit quis mihi ostendat! Ecce lex dicit tibi: Non concupisces. Cognovisti legem dicentem: Non concupisces: Surrexit concupiscentia, quam non noveras: inerat enim, sed nesciebatur. Cœpisti conari vincere quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbe, per legem factus es prævaricator: agnosce gratiam, & esto laudator. Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ adjutorium quæreretur, quando in sermone 13. propter rei magnitudinem inculcatissimè dicit: Dicta est causa, quare sit lex data, quia & ipsa in adiutorium data est, sed non sicut gratia: data est enim, sicut iam exposuimus, & tenere debetis, & vobis vehementius & diligentius nos commendare debemus: data est, ut inveniret se homo, ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente medicus quæreretur. Quod magis explicat in sequentibus: Ergò cùm de his tractaret, Apostolus opposuit sibi: Quid ergò lex? quasi, quæ utilitas legis? Respondet, Prævaricationis gratia posita est. Hoc est quod dicit alibi: Lex subintravit ut abundaret delictum. Et ibi, quid addidit? Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Quia leviore ægritudine contemnebatur adiutorium, medicina crevit morbus, & quæsitus est medicus. Quid ergò lex? prævaricationis gratia posita est, unde humiliaretur cervix superborum multum sibi tribuentium, & voluntati suæ tantum arrogantium, ut sibi liberum arbitrium posse putarent ad iustitiam sufficere, hoc est, ad opus iustum operandum quod lex præscribit. Quid aliud nisi superbiam lege fractam docet, ut gratiæ quæreretur auxilium, quando de quinque porticibus differens plenissimè dicit? Dicit mihi aliquis, quare ergò data est lex? Ipse exposuit Apostolus Paulus: Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Qui enim ægrotabant, sanos se esse putabant: acceperunt legem, quàm implere non poterant, didicerunt in quo morbo essent, & implorarunt manus medici. Voluerunt sanari, quia cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent nisi datam legem implere non possent. Innocens enim homo sibi videbatur, & ex ipsa superbia innocentia falsa infamebat. Ad domandam ergò superbiam, & ad deiiciendam, data est lex, non ad liberandos ægrotos, sed ad convincendos superbos. Utilis ergò erat lex ad prodenda peccata, quia reus homo abundantius factus est ex prævaricatione legis, posset edomita superbia implorare auxilium miserantis. Et mox inferius: Cùm ergò prævaricatio adiuncta sit peccato, ideò abundavit delictum: abundante autem delicto, deiicit humana superbia tandem subiici & confiteri Deo, & dicere: Infirmus sum: dicere etiam illa verba Psalmi, quæ non dicit nisi anima humiliata: Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Dies me profectò, citra omnem auxesin loquendo, deficeret, si omnibus locis Augustini congerendis operam impenderem, quibus hanc maximi momenti doctrinam, parumque intellectam tradit. Nam nonnisi unum hactenus locum ex libris quos ex professo de Dei gratia conscripsit adduxi; qui ex omni parte undique eandem doctrinam spirant, ut tamen nullâ ratione à quoquam dubitetur, quin hoc ipsum quod jam testimoniorum accumulatione declaravimus, ipsissimum illud mysteriosum & altissimè absconditum consilium fuerit, quod in danda Iudæis lege Deus præ oculis habuit, ex una aut altera Augustini & Prosperi attestatione, operæ pretium est intelligere: Ergò, inquit Augustinus, *Ep. 89.* ut iam dicere cœperam, quia hoc est in lege magnum mysterium, ideo eam datam, ut crescente peccato, humilia-

humiliarentur superbi, humiliati consisterentur, confossi sanarentur. Ista sunt viæ occultæ, quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, quâ peccatum abundaret, & superabundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim videtur sibi homo sanus, & ægrotat: & in eo quod ægrotat, & non sentit, medicum non quærit. Augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus & totum sanatur corpus. Quod paulò ante non minus præclarè dixerat: *Habet aliquid obscurum traditio ipsa legis. Ad hoc enim data est lex, ut convinceretur Languidus & medicum imploraret. Ipsa est via occulta Dei.* Quam convictionem languidi, occultamque viam Dei, clarius mox explanat: *Ergò quia hoc ibi mysterium est, ideo data est data lex, ut convincerentur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum invocarent. Vnde ille convictus est, quem in se transfigurat Paulus Apostolus, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Per mandatum enim demonstratâ illi erat quædam vixa in seipso: undè dicit: Video alteram legem in membris meis &c. Cognovit se in miseria, in gemitu, in vixa, in contentione. Ipse secum sibi non concordans, à se dissonans, à se resiliens. Et quid ait, optans pacem, pacem veram, pacem supernam, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei &c.* Idem istud occultum Dei consilium, multum miratus est Augustinus, quando exponere nitebatur, cur dixisset Psaltes, *Mirabilia testimonia tua.* Cùm enim seipsum interrogasset: *Cur ergò lex data est, quæ vivificare non posset, & ex qua nulla esset iustitia?* Respondet sibi; *Nempè mirandum est, nempè stupendum est. Hæc sunt ergò mirabilia testimonia Dei, propter hoc huius anima scrutata est.* Scrutando verò ista mirabilia, tandem ei hoc mysterium Augustino proferente manifestatum est: *Noli superbire, noli de tuæ quæ nulla est virtute præsumere, & intelliges quare sit à bono Deo, bona lex data, quæ tamen vivificare non posset. Ad hoc enim data est, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendum legem vires de tuo non habere monstraret: ac sic opis indigus & egenus ad gratiam confugeres & clamares: Miserere mihi Domine quoniam infirmus sum. Hoc ergò scrutando intellexit hic parvulus, quod minimus Apostolorum Paulus, id est, parvulus ostendit, ideo datam legem quæ vivificare non posset, quia conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ita Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non posit impleri, imo impera quod non nisi per tuam gratiam posit impleri; ut cùm homines per suas vires id adimplere nequiverint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur.* Idem mysterium secutus præceptorem suum S. Prosper exponit: *Omnia quidem opera Dei testimonia sunt maiestatis & bonitatis eius: nihilq; eorum est, quod non stupendum sit atque mirandum. Sed multa mirabilia sunt testimonia legis ipsius; quorum utilitas & iustitia altissimè latet, cùm quæritur quare data sit lex, quæ vivificare non posset, & ex qua non iustificaretur omnis caro coram Deo. Meritò ergò hanc altitudinem scrutatus est, qui intellexit, per legis difficultates id egisse misericordiam Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam; & divinâ ope apprehenderent, quod propriis viribus assequi non valebant.*

Prosper in Expos. Ps. 118. litt. Phe.

CAPVT XII.

Lex pædagogus ad gratiam per terrorem: est & gratia testimonium, & quomodo.

EX hac Augustini & Prosperi vel potiùs Scripturarum sacrarũ doctrina sic proposita jam intelligitur, quam rectè Apostolus legem vocaverit pædagogum quando dixit: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo*, seu ut Græcus legit, *in Christum.* Hoc enim duabus ex causis dictum esse, eodem Augustino aperiente intelligimus, sicuti duabus de causis ætati teneræ atque puerili pædagogus adhibetur.

Gal. 3.

Prima ut lex esset custos eorum, ne nimis procul à Deo ad idola fugerent, quemadmodùm parvulo custodiendo custos apponitur. Hoc autem lex fecit quatenus eos legislatoris, hoc est, unius Dei terrore vindicantis transgressiones legis suæ, in ejus agnitione & cultu quamvis carnali contineret: *Spiritus sanctus*, inquit Augustinus, *qui hoc per Moysen dicit, utrumque præviderat, ut & timere visibilia pœna custodirentur qui nondum poterant ex invisibilium fide vivere: & ipse timorem istum solveret &c.* Et infra: *Conclusio eorum erat timor unius Dei.* Et contra Adimantum: *Veteri homini fugienti apposuit quod timeret.* Custodia ista profuit Iudæis quantum dici non potest. Nam inde factum esse tradit Augustinus, quòd Christo veniente tàm prope ad Deum inventi sunt, ut tot hominum millia, vendita rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum repente ponerent, quod nullæ gentium Ecclesiæ fecisse memorantur. Sed ista consideratio pædagogi rarius ab Aug. ponderatur.

In Epist. ad Galatas. Epist. ad Galatas. Liber contra Adimant. cap. 15.

Altera eaque verissima, & in sancti Doctoris lucubrationibus frequentissima, quod eos qui sub se vivebant Iudæos tanquam parvulos ad agnitionem gratiæ Christi, & consequenter ad fidem Authoris ejus manu duceret, & quodammodo cogeret, quatenus defectu virium se id quod jubebatur implere non posse cernebant, ideoque peccata legis cognitione non caveri, sed magis magisque cumulari. Hoc enim ipso potentissimè suadebatur, ut quia Deum sciebant injustitiæ & crudelitatis expertem, sufficientes vires rogantibus daturum esse non diffiderent, quibus præcepta tam difficilis legis implerent. Hanc pædagogicæ manu-ductionis rationem explicat libro de natura & gratia: *Scripturas utique non advertens novi Testamenti, ubi dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide quæ postea revelata est, ubi & dimittantur quæ male fiunt, & eadem*

Lib. de nat. & grat. cap. 12.

gratia iuvante non fiant. Et lib. de Spir. & litt. *An & iniustus ut iustificetur, id est, ut iustus fiat, legitimè lege uti debet, qua tanquam pædagogo perducatur ad gratiam, per quam solam, quod lex iubet posse impleri.* Et accuratissimè libro de gratia Christi: *Cùm ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio. Ac per hoc usque adeò aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solùm nihil prosit, verùm etiam plurimum obsit, nisi adiuvet gratia: & hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis quam iuvat, docet morbum esse, non sanat, imo ab ea potius quod non sanatur augetur, ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur.* Quod etiam expressit libro de Spiritu & littera: *Quod ait: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus; ipsius conclusionis utilitas dicta est. Nam conclusit ad quos ista, nisi quemadmodum alibi dicitur, Priusquàm veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ postea revelata est. Lex ergò data est ut gratia quæreretur: gratia data est ut lex impleretur.* Vndè illud brevissimum quo cuncta complectitur: *Lex ut multum adiuvet, ad hoc adiuvat ut gratia requiratur.* Et istud: *Proindè per legem gratia demonstratur, ut lex per gratiam impleatur.* Sed hanc Pædagogi rationem, quam præcipuè in danda lege Deus attendit, non haberet lex, si tantummodò iuberet quid homini faciendum sit, eumque de prævaricatione convinceret, peccata cumularet, & imbecillitatem ejus patefaceret, nisi simul supplicium legis transgressoribus intentaret. Carnalis enim animus non magis prævaricationes agnitæ legis, quàm peccata contra legem incognitam detestatur, si bona carnalia quibus solis inhiat, etiam legis transgressione se adipisci posse arbitretur. Quapropter ut serio legis prævaricationem pertimesceret, ad eamque cavendam gratiæ adjutorium à mediatore quæreret, necesse erat, aliud apponi legis transgressioni malum, quod cùm peccator vehementer exhorresceret, & tamen viribus se sentiret suis vitare non posse, ad implorandam gratiam cogeretur. Hoc ergò malum pœna mortis fuit temporalis, æternæque damnationis, si legem prævaricatione violaret. Sic enim lex omnis torquet, retorquetque miserorum animos, dùm id auferendum transgressoribus comminatur, quod vehementius diligunt. Hac ergò de causa, plerumque docet Augustinus legem tanquàm pædagogum severum atque terribilem, infirmos animos ad Christi gratiam agnoscendam invocandamque terrore supplicij perduxisse, quod convicta per prævaricationem infirmitate, sine Dei auxilio se effugere non posse sentiebant: *Hanc itaque iustitiam Dei non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adiutorio gratiæ Christi, ad quam solam utiliter legis velut pædagogi* TIMOR *ducit, constitutam esse qui intelligit, &c.* Et ad Bonifacium: *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione* TERRENDO, *tanquàm pædagogus perducit, ut sic conferatur homini quod conferri ipsa non potuit.* Et inferius in eodem libro: *Non ergò legem evacuamus, sed legem statuimus, quæ terrendo ducit ad fidem. Ideò quippè lex iram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur.* Et libro de perfectione iustitiæ: *Ad hoc enim lex ista præcipit, ut cùm in his impleendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus: ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.* Et uberiùs multò pòst explicans illud, quod lex subintravit, ut abundaret delictum, & superabundaret gratia, *id est*, inquit, *ut acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confidens: in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem salvatoremque requireret: atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiamque perduceret. Ita multiplicatis infirmitatibus postea acceleraverunt.*

Quod breviter nervoseque complexus est, quamvis nulla facta pædagogi terroriſque mentione, quando adversus Iulianum dixit: *Lex iram operatur*, hoc est supplicium, *ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur.* Nempe quia hâc iræ seu supplicij comminatione, peccatorem jam de legis prævaricatione, & propria infirmitate convictum atque confusum, *Adiutorium gratiæ Dei compulit poscere.* Ex quibus omnibus aliisque quæ proferri possent locis apertissimè constat, legem præcipiendo & non adjuvando, & prævaricatori legis supplicium intentando, pædagogi officio, gratiam non dedisse, sed ostendisse à quo, & unde per fidem peteretur; ut rectissimè juxta istam Augustini expositionem Apostolus dixerit: *Lex pædagogus noster fuit in Christo.*

Hac eâdem consideratione ea quæ plerumque dicitur, *Lex* subinde etiam *Testimonium* appellatur, non tàm quod testetur quid Deus jubendo vetandoque fieri, vel non fieri velit; sed juxta S. Augustinum quo hominibus de prævaricatione convictis demonstratur esse puniendos, & ut legem impleant pœnamque evadant, auxilium gratiæ postulandum. Non enim est adjutor operantium, sed testis peccantium, simul hoc ipso testimonium reddens implorandæ gratiæ Dei, qua possent justi esse justitia non sua, quam viribus suis operantur, sed justitia Dei, quam scilicet per adjutorium gratiæ tribuit Deus. *Testimonium est*, inquit, *in quantum aliquid probat, Lex autè in quantum iubet, cum sit una eademque res &c. Testimonium legis ea qui lege non legitimè utuntur, testimonium est quo convincantur puniendi peccatores, his verò qui ea legitimè utuntur, testimonium est, quo demonstratur ad quem liberandi confugere debent peccatores. In eius enim gratia est iustitia Dei testimonium habens à lege & Prophetis.* Et ad Bonif. lib. 3. *Lex ea ipsa qua in ea nemo iustificatur*, scilicet ejus præcepta faciendo, *testimonium perhibet iustitiæ Dei, quia* ipsa non justificat, cùm justus ex fide vivat. *Sic ergò cùm lex non iustificat, impium de prævaricatione convictum, nutrit ad iustificantem Deum, atque ita iustitiæ Dei perhibet testimonium.*

Lib. de Spir. & litt. c. 10.
Lib. de gratia Christi cap. 8.
Lib. de Spir. & litt. c. 19.
Lib. de gratia Christi cap. 9.
Lib. de nat. & grat. c. 61.
Libro 4. ad Bonif. c. 5.

CAPVT

CAPVT XIII.

Quo pacto lex ad hominis justificationem & legis implectionem à Deo ordinata est.

EX his quæ diximus, non est jam difficile colligere, quo pacto lex ad salutem hominis procurandam data sit. Nam dici quidem lex debet, ad asserendam legis justitiam, hoc est, ad justificandum data, non tamen immediatè per legem, sed per gratiam. Immediatus verò fructus & scopus legis, fuit rectissimam regulam agendorum, cavendorumque tradere, cujus rectitudinis ac pulchritudinis atque honestatis inspectione simul cernerent perversitatem, distortamque fœditatem suam; idque eo fine, ut cum animositate nondùm edomita, ad implendam legem suis viribus sisi prosilirent, multiplicatione prævaricationum de seipsis erubescerent, pœnarumque impendentium terrore ad invocandam eam qua carebant, literationis gratiam ducerentur. Itaque prævaricationum cumulus, quo superbia contereretur non fuit ex intentione vel ordinatione B legislatoris Dei, sed ex prævisione dumtaxat: qua factum est, ut cùm istud oportunissimum superbiæ curandæ remedium esse cerneret, utpotè quæ nulla re aptius ac facilius quam peccatorum numero, & gravitate & fœditate sanetur; illud mox oblatum arripuerit, eo propemodum pacto, quo ad superbiam etiam electorum suorum eliquandam & edomandam gravissimis peccatis utitur, non ea procurando, sed prævidendo, & in usum suum oblata vertendo. Hæc tantummodo differentia est, quod simul hic aliquid positivum Deus operatus est, quatenus legem tot prævaricationum occasionem tulit. Sed ita Deus multa jam olim circa Pharaonem operatus est bona, quotidieque operatur, ex quibus homines obdurantur, nulla omninò culpa Dei: cui nihil tribuendum est in hujusmodi, nisi beneficium, homini verò quod ejus bonitate corrumpatur. Itaq; propter justissimas providentiæ suæ, in ò C bonitatis exercendæ causas legis tàm difficilis lationem intermittere noluit, quantumvis prævideret, & superbos implendi gratia per culpâ suam destitutos eam implere non posse, & ipsa difficultate deteriora secutura peccata quibus morbus augeretur. Hoc enim ipsum ad invocandam medici gratiam, assequendamque justitiæ implendæ facultatem & facilitatem superbis utilissimum est, juxta illud Aug. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, unde sibi displiceant, qui tam sibi placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit.* Vndè & sacer Psalmus dicit: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Et in hoc ipso argumento de quo satagimus profundissimè: *Hoc ipsum ergò superbis est utile sub peccato arctius manifestiusq; concludi, ne ad faciendam justitiam, hoc est, opus justum, de libero arbitrio quasi propriis viribus præsumatur.* Qua de causa cum Iudæorum qui Christi Domini ætate vivebant obduratissima superbia, neq; legis difficultate, neque peccatorum suorum gravitate sanaretur, ipsam excœcationem secutumque ex cœcitate deicidium omnium facinorum horrendissimum adhibuit, ut fracta illa indomita cervice tandem aliquando resipiscerent, sceleriscque magnitudine compuncti, cælestis medici gratiam sibi necessariam esse fatercntur: *Quid factum est in illis?* Iudæis interrogat Augustinus: *In peccato suo comprehensi sunt, quia Christum occiderunt, & de ipsa magnitudine peccati, plus humiliati sunt, & maiore humilitate erigi meruerunt.* Et quomodo hoc, ? *Superbia quippe eos non permittebat pexisci. Factum abstulit superbiam, per eorum confessionem, indulgentia delevit facinus per Dei miserationem. Videlis quid sis, sensisti quid sis, erraſti, excæcatus es, peccasti & lapsus es, agnovisti infirmitatem tuam, supplica medico, noli tibi sævus videri.* Quem sanandæ superbiæ Iudaicæ modum accuratius explicans in quæstionibus evangelicis, *quosdam Iudæorum* tradit, *tanto superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere; & ad hoc fuisse excæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent: atque ita post eius resurrectionem converterentur.* Audi causam tàm exoticæ medicinæ: *Quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione essit deuicienda.* Ecce quam terribili, quam severa, quam à carnalium hominum cogitationibus abstrusa methodo Deus utitur, ad curandas ægritudines illas occultissimas, quibus ne quidem se ægrotos esse arbitrantur. Vt nihil miremur, si ad conterendum illum ingenitum inveteratumque Iudaicæ gentis fastum, lege in lapidibus tantum scripta usus est Deus, qua non nisi majores cupiditati stimulos admovêdos fœdioraq; peccata secutura prævidebat: ut vel sic de sua fœditate erubescerent, imbecillitatem agnoscerêt, humiliarentur, ad medicum currerent, gratiâ quærerent, impetratis viribus rectè viverent. Istę sunt viæ occultæ cælestis medici, quas nec à methodo medicorũ corporaliũ abhorrere declarat. *Est ergò etiam, inquit, ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraq; medicamenta plus affligũt ut sanẽt, & ipsa collyria quæ ad oculos pertinẽt, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensũ videndi plus claudant & pertubẽt, prodesse non possunt.*

Ex qua declaratione perspicuum est, quamvis lex prævaricationis gratia posita dicatur, & virtus esse peccati, iram operari, esse ministratio mortis atque damnationis, ultimo tamen

A *bis est utile sub peccato arctius manifestiusq; concludi, ne ad faciendam justitiam, hoc est, opus justum, de libero arbitrio quasi propriis viribus præsumatur.* Qua de causa cum Iudæorum qui Christi Domini ætate vivebant obduratissima superbia, neq; legis difficultate, neque peccatorum suorum gravitate sanaretur, ipsam excœcationem secutumque ex cœcitate deicidium omnium facinorum horrendissimum adhibuit, ut fracta illa indomita cervice tandem aliquando resipiscerent, sceleriscque magnitudine compuncti, cælestis medici gratiam sibi necessariam esse fatercntur: *Quid factum est in illis?* Iudæis interrogat Augustinus: *In peccato suo comprehensi sunt, quia Christum occiderunt, & de ipsa magnitudine peccati, plus humiliati sunt, & maiore humilitate erigi meruerunt.* Et quomodo hoc, ? *Superbia quippe eos non permittebat pexisci. Factum abstulit superbiam, per eorum confessionem, indulgentia delevit facinus per Dei miserationem. Videlis quid sis, sensisti quid sis, erraſti, excæcatus es, peccasti & lapsus es, agnovisti infirmitatem tuam, supplica medico, noli tibi sævus videri.* Quem sanandæ superbiæ Iudaicæ modum accuratius explicans in quæstionibus evangelicis, *quosdam Iudæorum* tradit, *tanto superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere; & ad hoc fuisse excæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis non in eum crederent, non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent: atque ita post eius resurrectionem converterentur.* Audi causam tàm exoticæ medicinæ: *Quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione essit deuicienda.* Ecce quam terribili, quam severa, quam à carnalium hominum cogitationibus abstrusa methodo Deus utitur, ad curandas ægritudines illas occultissimas, quibus ne quidem se ægrotos esse arbitrantur. Vt nihil miremur, si ad conterendum illum ingenitum inveteratumque Iudaicæ gentis fastum, lege in lapidibus tantum scripta usus est Deus, qua non nisi majores cupiditati stimulos admovêdos fœdioraq; peccata secutura prævidebat: ut vel sic de sua fœditate erubescerent, imbecillitatem agnoscerêt, humiliarentur, ad medicum currerent, gratiâ quærerent, impetratis viribus rectè viverent. Istę sunt viæ occultæ cælestis medici, quas nec à methodo medicorũ corporaliũ abhorrere declarat. *Est ergò etiam, inquit, ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraq; medicamenta plus affligũt ut sanẽt, & ipsa collyria quæ ad oculos pertinẽt, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensũ videndi plus claudant & pertubẽt, prodesse non possunt.*

In Ps. 58. conc. 2.

Ibid.

Quæst. 14. in Matth.

Ep. 28. 14. citata.

Lib. 14. de Civit. cap. 3.

Psal. 82.

Lib. de gratia Christi cap. 8.

men eam in salutem hominum collimasse; non ut per gratiam sufficientem impleretur, quemadmodum recentiores æstimant, sed ut eandem gratiam agnoscendam, implorandamque docerentur. Hoc est enim quod Apostolum, Augustino interpretante, clamantem audivimus: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*, hoc est, Lex in tabulis conscripta omnes sub se peccati & prævaricationis reos concludit; quo fructu, quo scopo? *Ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, hoc est, ut gratia humano generi promissa, precibus ex fide fusis implorata, credentibus donaretur. Nam hoc sibi vult illud solemne præclarumq; Augustini pronuntiatũ quod toties inculcat: *Quod lex imperat fides impetrat.* Itemque illud: *Ideo iubet lex, ut admoneat quid faciat fides.* Et illud: *Lex data est, ut gratia quæreretur: quæ data est, ut lex impleretur.*

Epist. 89.
De natura & gratia cap. 16.
Lib. de Spir. & litt. c. 13.
Ibid. c. 19.

Quæ cùm ita sint, nemo existimet parvam fuisse legis utilitatem, vel Deo invidiam cum Manichæis creet, quasi à Deo malo data sit, quod virtus peccati nuncupetur. Multum enim profuit per omnem modum; sed non ut gratia. Non enim inutile aut noxium dici debet assequendæ sanitati, quod ægrotus medicinali quodam dolore cruciatur: Medici quippe scopus est, etiam per ipsas vexationes, apertique vulneris molestias, non ægrotum interimere, sed aliquid in inferiori licet gradu conferre recuperandæ sanitati. Vndè appositè Augustinus, cùm juxta Apostolum præmisisset: *Lex non est data quæ posit vivificare, sed quæ mortuos quibus vivificandis esset gratia necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verùm etiam ipsius legis additâ prævaricatione convictos deberet ostendere*, salutis conferendæ intuitu hoc Deum fecisse demonstrans, adjicit: *Non ut periret, quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, & iam sibi per prævaricationem legis manifestatus Dei quæreret adiutorium.* Non ergò ut hominibus desperatio injiceretur peccata prævaricatione cumulata sunt, & peccator arctissimè sub iniquitate cõclusus; sed è cõtrario, ut spes adipiscendæ sanitatis conciperetur: *Nemo enim est insanabilior eo qui sibi sanus videtur.*

Lib. de spir. & litt. c. 3.
Aug. in Psal. 11. ex. 2.

CAPVT XIV.

Lex virtus peccati, & iram operatur, & in singulis hominibus etiam Christianis, & in toto populo Dei, qui instar vnius hominis eruditur in quatuor statibus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.

NEc verò aliquis putet effectus istos legis, in solis Iudæis habuisse locum, Christianis verò qui jam sub gratia per Iesu Christi passionem revelata vivunt, legem præcipientẽ efficacius aliquod adjutorium ad benè vivendũ posse conferre. Docet enim diversis in locis Augustinus non minùs in Christianis, quamdiu multum in sua virtute confidunt, & de impetrandis benè vivendi viribus non multũ solliciti sunt, legem subintrasse ut abundaret peccatum, prævaricationem, atq; iram operari, virtutemq; esse peccati. Nam de Christianis ad Christianos loquebatur quando dicebat: *Scripturas utique non advertens novi Testamenti, ubi dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam sunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ posteà revelata est, ubi & remittantur quæ malè fiunt, & eâdem gratiâ iuvante non fiunt.* Audis in Scripturis non veteris tantùm, sed etiam novi Testamenti hanc esse legis arguentis intentionem? Et idem uberius de eadem novi Testamenti lege confirmans: *Hæc est fides ad quam præcepta compellunt*, suâ videlicet difficultate, *ut lex imperet & fides impetret.* Et iterum de superbiente Christiano quales Iudæi fuerant, *plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat: & ideò tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* De Christianis ad Christianos loquebatur, quando dicebat, ut probaret gratiam Christi adventu jam datam non esse scientiam legis: *Scientia quippe legis sine gratia Spiritus, operatur i hominẽ cupidinem concupiscentiam: peccatũ enim non cognovi nisi per legẽ. Occasione autem accepta peccatũ per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* De Christianis ad Christianos loquebatur quando dicebat: *Qui autem sic audiunt quod ait lex, Non cõcupisces, ut hoc quia didicerint sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendum quod iussum est, dari sibi virtutem credant & petant, ad hoc eis lex subintrare, ut abundaret delictum, quod de Iudæis dictum est. Parum enim est quia non implent quod præcepit lex, Non concupisces, sed insuper superbiunt &c.* Et inferius in eadem Epist. *Lex sine gratia* (etiam sub nova lege) *facit abundare delictum, & littera sine Spiritu occidit. Iubet ideò ut facere nissa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati adiutorium gratiæ poscere noverimus.* De Christianis ad Christianos loquebatur quando doctrinam istam tradebat accuratius: *Cùm ergò sibi fuerit, iam in Psal. sciens quid observare debeat, nonnunquam multum sibi tribuendo, & quasi de viribus suis præsumendo, incipit confligere velle bello contra vitia, & propter superbiam superari.* Ecce statum hominis jam Christiani, qui audit legem instar Iudæi; sed concupiscentia stimulatus, & pugnare sine gratia conatus vincitur ac prosternitur. Cujus statum graphicè depingens in consequẽtibus: *Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum: & tanquam muro impossibilitatis erecto, portisq; clausis, qua evadat, ut recte vivat non invenit.* Nonne est ipsissimum illud quod Apostolus dixit: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato?* Itaque talis, ut pergit Augustinus, *tam sed quomodo vivere debeat, & pos-*

Cap. 16.
Cap. 22.
Lib. de gestis Pelag. c. 7.
Ibid.
Ibid.

tus in vita aulæ; vive benè, secundùm quod nosti. Nunca enim non noveras, quemadmodum viveres, modo accepisti & nosti. Conatur & non potest, ligatum se sentit. Quid ergò in tali lex ista
Ibid. operatur? Audi sequentia inferius: *Et nunc pugna contrà concupiscentiam Deo desistente ab adiutorio, laborare potes, vincere non potes. Et cùm sæpiùs præsus consuetudine tua prava, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut iam corde humiliato discas clamare, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ecce finis solius legis etiam in Christianis humilitas, ut medicus imploretur. Et modum exponens quo, & causam quare humilitas ista & in Christianis generetur ex abundantia videlicet delictorum, quæ ex legis prævaricatione proficiscuntur, & ut gratia requiratur, addit ulterius: *Quid*
Ibid. *ergo restat nisi quare factum est? Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Lex autem subintravit ut abundaret delictum.* Audi probationem etiam in Christiano: *Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod male faciebas, & accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem superbia. Si te ignorabas, vel disce te, humiliatus elimabis, à necessitate liberaberis.*

Quapropter qui rem istam à fundamentis & ordinatissimam divinæ providentiæ legem in gubernandis hominibus, non solùm universis, sed etiam singulis, planius intelligere velit, illi attentè considerandum est quod Apostolus dicit: *Non prius id quod spirituale, sed quod*
1 Cor. 15. *animale.* Nam ex quo humana natura per peccatum à cognitione veritatis, & benè vivendi facilitate in cœcitatis tenebras & concupiscentiæ difficultates lapsa est, quemadmodum per ætates corporis staturasque diversas, non uno impetu neque saltu, sed pedetentim à pueritia ad senectutem transit, ita quoque anima per ordinatissimos gradus à veritatis ignorantia rectéque operandi difficultate, ad virtutis amissæ plenitudinem revocatur. Hinc fit ut quatuor distinctos status, juxta consuetam providentiæ medicinalis methodum, plerumque percurrat, quam non nisi insolita quadam benevolentia redemptoris nonnullæ magnæ animæ prætergressæ sunt, quæ non gradatim, sed subitò ad perfectam virtutem in qualibet ætate translatæ sunt. Primus igitur status hominum singulorum, qui ad sapientiæ sortem pertinent, est ante legem, quando in magna legis ignorantia, adeoque benè vivendi cœcitate versantur: in quo statu anima sub carnalibus cupiditatibus jacet, sine victoria, sine pugna: neque enim hoc agit, ut cum eis velut inimicis dimicet, sed ut eis velut beata perfruatur. Hic status peccatis plenus excipitur à secundo, in quo homo legem cognitionemque veritatis accipit, qua quid agendum cavendumque sit videt, supplicioque per fidem Dei proposito ab iniquitate revocatur. Hic ingentis ægritudinis suæ nescius, quia inexpertus ideoque propriarum virium fiducia plenus, vincere conatur hostiles illas, quas iam agnoscere cœpit, rerum terrenarum cupiditates: sed gratiæ necessitate nondùm agnita, pugnando superatur additaque peccatis ignorantiæ prævaricatione, multo arctius vinculis cupiditatum suarum stringitur, & peccatorum pondere opprimitur: donec contrita virium suarum confidentia, fastus ille detumescat, qui in oppugnandis, vincendisque libidinibus seipso nitebatur; ut ita sit illi difficultas implendæ legis velut Pædagogus ad agnoscendam divinæ gratiæ necessitatem, & ad eam suppliciter implorandam manuductio. Tunc ergò transfertur ad statum tertium, in quo sub adjutorio gratiæ similiter vivit, viriliter cum concupiscentijs pugnans & superans. Quibus debellatis sequitur quartus status, victoriarum omnium finis, pax exuperans omnem sensum in æterna vita Sanctorum. Duo isti primi status sunt ante gratiam, duo postremi in gratia. Primus omnium dicitur ante legem, B secundus sub lege, tertius sub gratia, quartus in pace: quamvis vocari etiam possent, primus ignorantiæ, secundus scientiæ, tertius gratiæ, quartus pacis. In primo nec pugna libidinum est, nec victoria; in secundo pugna sine victoria, in tertio pugna cum victoria; in quarto finis pugnæ victoriæque plena requies. Primus, tertius, & quartus non sunt hujus loci, sed solus secundus, in quo hominem sine gratia, solâ legis institutione fultum, cum concupiscentijs pugnam inire diximus, ideoque non modo superari, sed affligi vehementius & arctioribus concupiscentiarum vinculis alligari, ut discat fractâ superbiâ de viribus suis conceptâ, sibi non tantùm Doctorem, sed etiam adjutorem, hoc est, gratiam Christi esse necessariam. Statuum istorum distinctio apud Augustinum valdè celebrata est, de quibus superius multa diximus. Vbi varijs ejus testimonijs statuum istorum omnium differentiam, præcipuèque secundi proprietates declaravimus; quod videlicet in ille statu *sub lege homines non adiuvet fides*, vel *spiritus Dei*, sed suis viribus cum concupiscentijs quæ per prohibitionem magis accenduntur, pugnans vincitur, graviusq; prosternitur, donec hominem Deus prævaricationum cumulo eo perducat, ut ipse adjuvare credatur, hoc est, ut gratiam agnoscat necessariam esse sibi, postuletque per fidem ab eo qui spirat ubi & quando volverit. Vndè & status ille ab Augustino vocatur *ante gratiam*.

Lib. de statu naturæ lapsæ lib. 3. cap. 6.

Lib. 83. qq. quæst. 66. & in Enchyr. cap. 118.

Iam igitur quisquis miratur, cur Deus universo populo Iudaico legem dederit, quæ gratiæ adjutorio deficiente (paucis exceptis, qui sub fide gratiæ etiam tùm vivebât) nihil in eo operaretur, nisi ut crescentibus per prohibitionem scientiamque legis cupiditatibus, peccatis præcedentibus prævaricationis accessu, cumulus adderetur, illi considerandum est divinam providentiam omnia pulchrè moderantem, ita diversam generationum seriem ab Adam condito, usque ad finem sæculi administrare, quemadmodum unius hominis ætas à pueritia ad senectutem usque diversis temporum, profectuumque gradibus terminatur. Nam quia omne pulchrum est à summa pulchritudine quæ est Deus, temporalis autem

pulchritudo, rebus decedentibus succedentibusque peragitur, hinc fit ut habeat decorem suum in singulis quibusque hominibus, singula quaeque ætas ab infantia usque ad senectutem, habeat etiam exercitia quibus ad sapientiam eruditur, ipsaque minoris majorisque perfectionis gradatione ornatum suum. Sicut ergò absurdus est, qui juvenilem tantùm ætatem, tanquàm cæteris pulchriorem vellet esse in homine temporibus subdito, utpote qui inviderit cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt; sic absurdus est, qui in ipso universo genere humano, vel certè in ipso universo populo Dei unam tantùm ætatem *sub gratia*, tanquàm omnium vegetissimam desiderat. Nam & ipsum humanum genus, tanquàm unus homo suas ætates agit. Quod igitur de ætatibus manifestum, hoc similiter de virtutum exercitatione cogitandum est. Non enim minoris absurditatis est, eadem virtutis & eruditionis exercitia pueris ac tyronibus, quæ viris eruditione virtuteque perfectis imponere, atque vnam ætatem ac vires in omnibus postulare. Vndè Augustinus: *Quod in uno homine rectè educato, ordine naturæ, disciplinaq; contingit hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiã, peragiq; pulcherrimũ est.* Quapropter totum genus humanũ in quatuor similes status ordinatissimè Dei providentia distributũ est, in quorum singulis illud appositè ad virtutem erudivit. Primò enim ante legem in profunda veritatis, adeoque propriarum cupiditatum ignorantia versatum est, ut cum posteà temporis progressu ad cognitionem veritatis virtutemque pertigisset, cum gratitudine agnosceret, ex quo profundo Deus liberasset. In hoc statu ab Adæ lapsu usque ad Moysen fuit. Deindè Deus oculos humani generis dirupta ignorantiæ cœcitate, per promulgationem legis aperuit, ut ægritudinem suam, exserente se, adeoque crescente per pugnam cupiditate, disceret, pœnaque territum pugnando succũberet, ut præter doctrinam adjutorio gratiæ & Mediatoris sibi opus esse sentiret, cui pia fide atque humilitate subderetur. In hoc statu à Moyse ad adventum usque Christi eruditi sunt, per quem tertius status, gratiæ videlicet hactenus typorum omnis generis obscuritate velatus, palàm prædicatus est, & etiamnùm prædicatur, & ad finem usque sæculi prædicabitur. Quo sublato, sequetur status quartus æterna generis humani requies in perfectione virtutum felicissima. Quas diversas temporum ac profectuum ætates, præclarè explicat Augustinus in Enchiridio, primò in singulis hominibus. *Harum*, inquit, *quatuor differentiarum, prima est ante legem, secunda sub lege*, postquàm illa subintravit ut abundaret peccatum, *tertia sub gratiâ, quarta in pace plena atque perfecta*. Deindè in universo populo Dei, qui velut unus homo toto sæculi decursu instituitur: *Sic est*, inquit, *& Dei populus ordinatus per temporum intervalla, sicut Deo placuit, qui in mensura, numero, & pondere cuncta disponit. Nam fuit primum ante legem, secundo sub lege quæ per Moysen data est; deindè sub gratia, quæ revelata est per primum Mediatorem adventum*, quartò in pace plena atque perfecta, prout ex ea quæ pro singulis hominibus data fuerat, explanatione supponit.

Hæc igitur quatuor quasi ætatum humani generis differentia, ad intelligendam institutionis humanæ ac divinæ gratiæ œconomiam perquam necessaria est: cujus ignoratione vel minùs attentâ consideratione forsan contigit, quod non pauci omnia confundendo in intolerabiles absurditates lapsi sunt, dùm gratiam Dei non solùm secundo statui, quo sub lege sive quisque singularis homo, sive Dei populus vivit; sed etiam primo statui *ante legem*, adeoque Turcis, Iudæis, Ethnicis, Paganisque largiuntur, etiamsi gratiam ac datorem eius Christum, nec nomine tenus, vel per somnium inaudiverint. Qua inordinata confusaque gratiarum profusione prærogativas tempori novæ legis auferunt, Christianisque tollunt gratitudinem, qua adventui & prædicationi Saluatoris obstricti sunt. Sed aliàs de his dabitur commodior differendi locus.

Lib. 83. qq quæst. 49.

CAPVT XV.

Quæ fuerit radix talis œconomiæ populi Dei, quantùm ad legem & gratiam.

Quod si fortasse quæras undè oriatur iste hujusmodi, sive in singulis hominibus, sive in toto Dei populo temporum distributio atque institutionis ordo? Respondere possem cum Augustino, qui dicit: *Hæc temporis distributio refertur in altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, de quæ dictum est, Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Solus enim ille novit occultas dispositiones animorum, & arcana momenta temporum, quibus unicuique idonea est afferenda medicina. Ipse novit quâ populi ætate, fastus ejus legis terrore frangendus sit, quâ per gratiam infirmitas sublevanda. Verumtamen consilij sui profunditatem non tàm altè demersam esse Deus voluit, quin sancto Augustino aliqua ejus propalandi generalia argumenta subluxerint. Populus enim ille vetus totus carnalis erat, totusque visibilibus rebus diligendis immersus, ut nihil supra hosce sensus externos, sive in hac, sive in altera vita quærendum intelligeret. Propter quam puerilium animorum imbecillitatem, sicut rerum spiritualium incapaces erant, ita ad quoscumque colendos Deos proni, quorum quasi satellitio se terrenorum bonorum cupiditates implere posse sperarent. Itaque talibus hominibus quid erat convenientius,

Epist. 95.

Ench. cap. xlv.

rientius, quam ut si nondum essent idonei qui legem spiritalem, propter carnalitatem de superbiam, ipsius justitiæ dilectione servaret, saltem bonorum temporalium, quæ diligebat promissione, pœnarumque quas horrebat formidine ab idolis arcerentur: ut ita discerent, in visibilibus rebus unum amare Deum, donec adveniret dispositа temporum plenitudo, quâ jam gratia temporalibus contemptis necessaria donaretur. Qua de re multis in locis Augustinus profundè disserit: *Notissimum esse iam debet*, inquit contra Adimantinum, *carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia premia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo cuius est creatura omnis & superior & inferior.* Itaque, ut addit: *Dicimus ita esse istam munera Dei, ut tamen sint infima, & in comparatione salutaris confessionis non solùm amatenda, sed ultrò etiam proiicienda: carnalibus tamen hæc amantibus, & nondùm capientibus promissa cœlestia, ne ab idolis & dæmonibus ista peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita.* Et in libris contra Faustum: *Eam rerum dispensationem ac distributionem temporum ordo posuerat: ut priùs appareret etiam ipsa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hostibus victoriæ deportantur, propter quæ maximè civitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis & dæmonibus solet, quàm nisi ad unius veri Dei potestatem atque arbitrium pertinere. Vnde & vetus Testamentum secretum regni cælorum tempore oportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit, & quodammodo umbrosis velauit. Vbi autem venit plenitudo temporis, ut novum Testamentum revelaretur, quod figuris veteribus velabatur, evidenti testificatione iam demonstrandum erat, esse aliam vitam pro qua debet hæc vita contemni: & aliud regnum pro quo oportet omnium terrenorum regnorum adversitatem patientissimè sustinere.* Nimirum hoc duabus istis humani generis ætatibus, duobusque testamentis Deus docere voluit, *bona temporalia, & à se petenda, & propter se contemnenda*, ut tandem Deus ipse bonum bonorum omnium quæreretur. Cujus altissimæ & humanissimæ providentiæ, nonnulla vestigia in rebus infimis cernimus. Nam ex illius radijs humanam providentiam illustrantibus proficiscitur, ut quemadmodum alibi Augustinus dicit: *Benigna & paterna indulgentia, hæc donet* temporalia *parvulis, quæ non vult remanere in filijs suis iam grandiusculis iam proficientibus. Donat ergò pueris nuces, quibus servat hæreditatem. Ludentibus & de quibusdam ludiis se oblectantibus cedit paterna pietas, ne deficiat ætatis infirmitas.* Hoc ergò quod in uno filiolo homo pater facit, hoc in toto populo Dei Deus pater fecit. Ludiera concessit pueris, ut posteà temporibus oportunis palàm hæreditas æterna eis appetenda panderetur. Sic enim hanc ipsam comparationem applicat huic proposito Augustinus: *Quare ipsa (terrena) prima promitti oportebat? quia non primo quod spiritale est, sed quod animale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis &c. Sed tandiu primus homo terrenus est, quandiu terrena sapit. Numquid quoniam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus exoccetur, propterea grandescenti non exciuntur è manibus, ut aliquid iam utilius tractet quod grandem decet? Verumtamen cui ipse dedisti filio tuo, & nuces parvulo, & eodem grandi. Non ergò quia illa quasi ludicra puerorum Deus per novum Testamentum excussit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandescentibus, propterea priora illa ipse non dedisse putandus est, ipse utrumque dedit.* Etenim hoc postulat ordo disciplinæ naturalis, ut paulatim à parvis exordijs ad perfectiora ducamur: quæ si quis tyronibus in ipso institutionis limine proposuerit, præterquam quod oleum & operam perditurus est, insuper hoc obtinebit, ut animus discipulorum ipsa rerum difficultate repercussus, aversionem ac desperationem induat insanabilem. Quantò rectius igitur temporalibus terrenisq; præmijs Iudæos Deus tanquàm parvulos ad se attraxit, non ut in illis maneretur, sed partim ut illis quasi blanditijs patris deliniti ipsum qualitercumque coltre consuescerent, & paulatim discerent meliora sperare, partim ne illa minora bona quæ dilectioni suæ subtrahi viderent, ab alijs sive Dijs, sive dæmonibus quærerent. Rectè igitur Augustinus: *Sicut vultus hominis; ita humani generis, quod ad Deum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum tanquàm ætatum profecit accessibus, ut à temporalibus ad æterna exigenda, & à visibilibus ad invisibilia surgeretur; ita sanè ut etiam illo tempore quo visibilia promittebantur divinitus præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficijs, cuiquam nisi vero animæ Creatori ac Domino subderetur.* Optimè igitur populus Dei adhuc terrenis desiderijs infirmus, ea ipsa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena vitæ transitoriæ necessaria, & præ sempiternæ vitæ beneficijs contemnenda, non tamen nisi ab uno & vero Deo expectare consuescit: ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat; ad quem tandem maturior factus contemptu eorum, & ab eis aversione perveniat. Quòd si ille cultus Dei ex temporalium bonorum desiderio profectus, totus terrenus est atque carnalis, ex quo impossibile sit legem Dei & præcepta nisi carnaliter observare, & consequenter necesse est, non servare; tolerat hoc incommodum paterna benignitas, ut à talibus hoc saltem obtineatur inchoationis exordium, quod obtineri potest, si id quod justitia legis postulat, obtineri non potest: atque ita ad veram præceptorum observationem quoquo modo via sternatur.

Hâc igitur carnalium animorum sola terrena bona diligentium in capacitate perpensa, quid rectius oportuniusque fieri poterat, quam ut populo talium rerum dilectione cœcato, ideoque infirmitatem suam ignoranti, facileque quidlibet se facturum superbè præsumenti, ut illis bonis potiretur, lex daretur spiritalis, ut si nondùm possent eam ex illa temporalium dilectione servare, quæ sine justitiæ dilectione servari non potest, saltem hoc se non posse, ipsa legis prævaricatione cogno-

nescirent? Nam præterquam quod ita sub virga in unius Dei cultu continebatur, etiam fastus ejus nonnihil premebatur, ut adveniente tandem salvatore sibi de infirmitate convicto, gratiâ ejus necessariam esse fateretur. Iuxta illud Augustini: *Oportebat ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis, & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed ostenderet de se morte prævaricationis impliciti, ad gratiam confugerent, non iubentem tantummodo sed ferentem, quæ novo Testamento revelata est.* Lib. 2. cont. Adversf. legis & Prophet. cap. 7.

Nec hic aliquis imperitè dixerit: Cur ergò lex ista tàm paucis Iudæis profuit? Profert enim plurimis in ipso Salvatoris adventu, quo repente omnia bona ad pedes Apostolorum abjecisse, nullasque gentium Ecclesias invitatas ex Augustino demonstravimus: qui rectissimè monet, non esse considerandam Iudæorum infidelium multitudinem, quia semper boni malorum numero superantur: *Nec turbæ, inquit, infidelium considerandæ sunt. Omnis enim area multis partibus ampliorem habet paleam quàm frumentum.* Nam quantumvis pauci Christo crederent, propter istos tamen, ut ibidem observat, dixit Apostolus: *Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin: Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* In illis ergò quos credituros præscivit, illa conclusio iub peccatum, superbiam fregit, eosque cùm gentes essent longè, de proximo inveniri fecit. To Epist. ad Galat. Rom. 11.

Hanc igitur diversæ providentiæ rationem qua quondam lex, bonaque terrena, postea gratia populo Dei bonaque spiritalia dispensata sunt, quisquis intellexerit, ille facilè intelliget, cur idem in singulis hominibus etiam Christianis, quadam proportione plerumque servetur. Nam & illi postquam ad agnitionem veritatis ab ignorantia & errore conversi sunt, temporalium adhuc rerum concupiscentijs pleni ægerrimè sibi persuaderi sinunt, tantam esse virium suarum imbecillitatem, ad illicitas illas cupiditates, quas jam quasi de somno experrecti sciunt, & ex instructione legis vehementer se improbare sentiunt, frænandas atque superandas. Vndè de ærugine occultè fructibus nocente loquens Augustinus: *Quod malum æruginis, cui virtutum aptius comparatur, nisi quod difficillimè apparet, sicuti est multum de se fidere. Aura est enim noxia, quæ hoc in cordibus latenter operatur, sicut in moribus occulta superbia.* Hinc itaque de suis viribus lætaliter confidentes, confligendo superantur & cadunt, iterum iterumque conati relabuntur, donec ipsi pugnandi prævaricandique experientia eruditi, Deo miserante cum Apostolo clament: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Potuisset hoc eis Deus beneficium, fateor, sine tanta difficultate, sine lapsibus, sine prævaricatione toties iterata, gratiam loco legis dando, conferre: *Sed quis cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* Novit ipse quæ cuique tempori, homini & ætati sit apta medicina. *Agit*, ut medicus, *iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Ipsi visum est, tumores animorum dolore comprimendos esse; *venenum esse quod non curatur nisi vomendo*: ut sic principali illa virtus humilitas, accipiendæ gratiæ ad benè vivendum capitaliter necessaria, pugnis, ruinis, prævaricationibus, expertaque per vires suas superandarum libidinum impossibilitate, profundissimè cordibus infigatur, & illa propriæ infirmitatis experientia memoriæ commendetur, ne unquam quantumcumque proficientes amplius dicant: *Ecce manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Quod esse altissimum & beneficentissimũ providentiæ medicinalis consilium illi soli non intelligunt, qui divinæ severitatis imperti nihil nisi gratias, blanditias, suavitates in Deo cogitant. Quasi verò non optimi medici sit vulnerum putredinem, quæ medendi suavitate in interitum serperet, etiam urendi secandique austeritate sanare. In Psal. 77. Rom. 7. Rom. 11. Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 17. Rom. 3. de verb. Apost. cap. 2. Deut. 32.

CAPVT XVI.

Eadem vis cujuscumque doctrinæ, revelationis, scientiæ, sapientiæ, quæ legis, ad liberandam voluntatem. Opus indè proficiscens est opus naturæ, non gratiæ.

EX his quæ de natura legis veteris generaliter ac de ejus effectibus disseruimus, facilè perspicuum esse potest, quid de quacumque gratia intellectus existimandum sit, sive illa promissio sive illuminatio, sive gloriæ præmiorumque pollicitatio, sive sapientiæ revelatio, sive exhortatio, sive suasio, sive Christi aut alterius exemplum nominetur, quibus nominibus Pelagiani gratiam, quam post naturam attulère, decorabant. Nam per hujusmodi gratias nihil aliud quam scientia præbetur intellectui qua cognoscat quid agendum cavendumque sit, hoc est, faciendum esse bonum & declinandum à malo; vel ut quamplurimum ista præstent, tantummodo ostendant, quam sit magnum, quam utile, quam necessarium, quantæ gloriæ pœnæque meritorium, quod declinemus à malo bonumque faciamus. His enim stimulis supra simplicem veritatis demonstrationem

tionem, videntur suasio & exhortatio succendere voluntatem, utpotè quæ magis consilij quam nudæ doctrinæ rationem habent. Sed quidquid illud tandem sit, tantummodo intellectum instruunt, nec aliam gratiam complectuntur, quàm illam Pelagianam legis atque doctrinæ, juxta illam præclaram Augustini sententiam, qua cum Pelagius Deum dixisset operari in nobis velle quod bonum est, quatenus nos *futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, revelatione sapientiæ & desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, suadetq; omne quod bonum est*, omnes hujusmodi vetustæ gratiæ interpolationes jugulavit: *Quid manifestius nihil aliud eum dicere gratiam qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* Et rationem audit valdè perspicuam: *In lege namq; & doctrina sanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittur magnitudo: ad doctrinam pertinet etiam cum sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur quod bonum est. Et si inter docere & suadere, vel potius exhortari distare aliquid videtur, eam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuscumque sermonibus vel litteris continetur. Nam & sanctæ Scripturæ docent & exhortantur, & prosit esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio.*

Et sane si quæ prærogativa suasioni vel exhortationi præ simplici doctrina tribuenda esset, ut efficacius putarentur hominis ad bonum permovere voluntatem, ideoque magis gratia existimanda, quàm doctrina litteris vel sermonibus prompta, profectò illa maximè præceptis, ac legibus deberet adscribi. Lex enim præsertim premiorum pollicitatione, pœnarumque comminatione armata longè efficacius ad operandum incitat, quàm hortatio, suasio vel consilium. Hæc enim simpliciter actionem ab hominis libertate petunt, illa jubent. Iussio verò multò vehementior est ad propellendum quam petitio. Et tamen certissimum est, legem, consilium, ac præceptum sub gratia doctrinæ à Pelagianis prædicatæ esse comprehensa. Nam hâc de causa tantoperè legis inutilitatem & inefficaciam ad voluntatis liberationem Augustinus in omnibus suis scriptis inculcat. Proindè sive suasio, sive exhortatio, sive promissio, sive exemplum, sive sapientiæ revelatio nominetur, nihil aliud continet nisi gratiam Pelagianam, hoc est, legem atque doctrinam, eosdemque effectus parit, quos jam de lege declaravimus. Si enim desit alia gratia voluntatis ac spiritus Dei adjuvans spiritum hominis, per talem gratiam perinde omninò, quemadmodum de lege dixit Augustinus, non sanatio sed cognitio fit peccati, reviviscit, eminet, apparet peccatum, non inseritur nec exstirpatur, sed demonstratur concupiscentia. Prodit ista gratia, non tollit morbos, sciri facit peccatum potius quam caveri; jubet, non dat justitiam; ostendit non aufert ægritudines. Ex quo necesse est consequenter fieri, ut non adjuvante aliter Deo, faciat abundare peccatum. Qui enim ante vel ignorando peccabat, vel certè nesciendo quam magnum quamque noxium peccatum esset, quantarumque pœnarum seminarium post consilium, suasionem, hortationem, sapientiæ revelationem, sciens prudensque peccat, omni ignorantiæ excusatione sublata. Quorum omnium perspicua ratio est, quia hujusmodi gratia, quocumque nomine appelletur, solum intellectum non affectum afficit; dat scire, non velle, multò minus facere, quia significat faciendum, non facit. Itaque ne quidem tangit ipsam radicem ægritudinis, hoc est, concupiscentiam quæ voluntati dominatur, tantùm abest ut clàm vel sanando tollat, vel mitigando stimulos ejus frangat; ut sane talis gratiæ fructus non sit alius, quam ut hominem sibi ipsi velut speculum ostendat, quo clarius, quam solâ lege videat, in quibus morbis jaceat, quibus vinculis compeditus sit, atque ita confusus adnimadvertat, *non tantùm Doctorem sibi esse necessarium, sed etiam adiutorem Deum, à quo eius itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ gratiæ sanetur.* Iuvat ergò & ista gratia, ut ægrotus medicum, hoc est, veram volendi operandique gratiam quærat, qua fiat ut velit, & faciat quod volendum faciendumque consilio, hortatu, suasione, sapientiæ revelatione percepit. Quod nisi alia veraque gratia juvante fecerit, scientiâ suâ convincetur esse prævaricationis reus; nec ad aliud ei proderit ista cognitio, nisi ut superbia deprimatur, qua suas sibi vires ad operandum justitiam sibi sufficere putat.

Lib. de Spir. & litt. c. 6.

Nam si quis benè advertat, tota illa gratia legis atque doctrinæ, prout omnes jam supra commemoratas doctrinæ differentias complectitur, non est ipsa quæ justitiam præceptam facit, sed vires hominis peccato vitiati naturales. Vt proindè qui gratiam talem legis aut doctrinæ afferunt, reipsa nihil aliud prædicent quàm per naturam esse justitiam, quam jam didicit esse faciendam. Cognitio quippè qua quis novit quid faciendum cavendumque sit, non minùs esse potest in eo qui resistit, quam qui obtemperat suæ scientiæ & conscientiæ. Vndè enim alioquin dicerentur aliqui esse *rebelles lumini*? Vndè diceret Apostolus: *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi?* Vndè ex audientibus idem consilium, suasionem, hortationem, ex percipientibus eandem sapientiam, unus eam sequeretur alter sperneret? Indè sine dubio, quòd alter viribus naturalibus eam arriperet, alter prætermitteret. Natura est ergò quæ seipsam rerum agendarum cognitione imbuta libergaret; perindè atque fieret, si nulla doctrinæ aut legis additione, sola natura voluntatis in bonum opus erumperet. Nam etiam tùm non faceret hoc sine agendi boni maliqúe cavendi cognitione, quam ex naturali ac visceribus inscripta lege didicisset. Hinc est ergò quod Augustinus opera ex legis institutione susceptа frequenter in solam naturam referat: utpote quæ pro suo arbitrio sola faciat, quod

Iob. 24.

faciens-

faciendum lex præscripserit, perinde ac soli A servo asscribi debet, qui opus facit, quod ejus Dominus consulit, hortatur, suadet, aut jubet. Hoc enim significat Augustinus cùm toties dicit, homines accepta jam lege *suam iustitiam constituere* dùm putant, *quod per eorum non adiutum divinitus arbitrium lex posit impleri.* Hoc significat cùm in Epistola ad Asellicum dicit eos per litteram occidi, *qui cùm sint carnales, putant suis viribus legem spiritalem se posse complere.* Hoc significat cùm in sermone quodam de Iudæis in lege gloriantibus dicit: *Non tenentes Deum nisi in præceptis & suis viribus se implere posse præcepta adiutorium deviarunt.* Hoc significat quando illum post acceptam etiam legis cognitionem firmare carnem brachij sui dicit, qui *potentiam fragilem atque invalidam, id est humanam sibi sufficere ad benè operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino*, præter legem quam accepit. Hoc denique ipsi Pelagiani B legis doctrinæque præcones, quando ex Apostolo legis justitiam deprimente premebantur, apertè fassi sunt. Dicebant enim, ut Augustinus refert, hominem per legem instrui, *quid evitare & quid appetere debeat, quo per liberum arbitrium naturaliter insitum viam demonstratam ingrediens, continenter & iustè & piè vivat.* Et paulo inferius arctati replicant: *Merito dixisse Apostolum, quia ex lege nemo iustificatur: ostendit enim tantummodo lex quid faciendum quidve cavendum sit, ut quod illa ostenderit, voluntas impleat, ac sic homo iustificetur, non per legis imperium, sed per liberum arbitrium.* Quo fit ut rectissimè talem legis operationem, seu ut ipse loquitur, talem justitiam vocare soleat *Imperatam non datam*; nempè quia accepto imperio, ex nobis ipsis proficiscitur. Quàm ob causam eam sexcentis locis Apostolica phrasi vocat *Iustitiam nostram non Dei*: quia eam nobis non dedit Deus, quantumvis agendi scientiam revelaverit, sed nos naturalis arbitrij nostri viribus expressimus.

Lib. 3. ad Bonif. c. 2.

Epist. 200. ad Asellicum

Ser. in illud: Qui gloriatur in Domino glorietur, in Append.

Lib. de gratia & libero arb. cap. 4.

Lib. de Spir. & litt. c. 2.

Ibid. cap. 9.

Lib. de gratia Christi cap. 13.

Quæ si vera sunt, sicut sunt verissima nullo pacto dubitare sinimur, quin illa legis operatio, quam non dico consilijs, suasionibus, hortationibus, sed etiam sapientiæ revelationibus quantumcumque sublimibus sive externis, sive internis didicerimus, si non alia profundior gratia Dei qua voluntas molliatur, accedat, fit operatio nostra non Dei, sit imperata seu manifesta, non data, sit fructus virium naturalium non gratiæ Dei. Cùm ergò vires naturales ita peccati labe prostratæ sint, ut non possint etiam cognitam jam legem sua potestate divinitus non adjuta facere, manifestum est, legem non esse gratiam qua liberum arbitrium ad faciendum legis justitiam liberetur; sed accepta cognitione manere voluntatem non minùs peccati servam, hoc est, sub concupiscentiæ terremsq; desiderijs captivam, quàm si nullus eam legis aut scientiæ radius illustrasset. Nec enim ulla potestas est in cælo aut in terra, quæ quantacumque scientiæ revelatione, aut sapientiæ illustratione voluntatem deorsum suis cupiditatibus pronam, in cælum retorquere queat, nisi solus Deus servum istud jugum, quo per proprias libidines terrenas premitur, alterius amoris inspiratione confringat. Hoc autem non fit *ipsa lege*, seu qualicumque cognitione, *sed gratia*, hoc est, *non imperio sed beneficio, non iubente* vel suadente *littera, sed iuvante Spiritu.*

Epist. 120. ad Asellic.

CAPVT XVII.

Aperitur hallucinatio cujusdam recentioris, qui *cogitationes congruas* etiam naturales, illam veram gratiam Christi ad operandum statuit. Quid ab errore Pelagiano discrepet.

Vasquez t. 2. disp. 189 cap. 16. Et in prima part. disp. 91 cap 11. & 12. & t. 2. disp 190. cap. 8.

QVOCIRCA satis mirari non A possum, quid sibi illi ex recentioribus voluerint, cui docuerunt cogitationes quasdam ordinis etiam naturalis de benè agendo, esse veram illam gratiâ qua bonum opus legis fieri potest, tentationesque superari; & de qua sanctus Augustinus, Patres & Concilia locuti sunt, quando nihil operis boni fieri posse sine Christi gratia tradiderunt. Hanc gratiam vocant *cogitationem congruam*, quia prævidet Deus cum ea hominem opus bonum operaturum, vel tentationi non consensurum, cui cum aliâ cogitatione consentiret. Hoc genus gratiæ primum ab Augustino excogitatum volunt, & ab eo indicatum, quando toties nihil boni à nobis fieri posse dicit sine gratia, *quia non possumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Sed ista sententia in omnibus suis capitibus enormiter ab Augustini mente declinat; ut potiùs purum somnium Authoris, quam Augustini sententia videatur. Nunquam enim Augustinus in omnibus suis operibus cogitationem congruam pro Christi gratia propriè dicta, ad benè operandum necessaria obtrusit: nunquàm cogitationem congruam ad bonum opus dixit esse satis, de quibus aliàs dicendum erit. Nunc tantùm dico graviter Authores istos hallucinari, quando ad istam gratiam stabiliendam illa loca sancti Doctoris arripiunt, quibus docet, ideò nihil ex nobis esse posse, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis:* itemque quia ut Ambrosius dicit: *nos esse in potestate cor nostrum & nostras cogitationes*, & hujusmodi. Nam in illis non asseritur cogitatio bona aut sancta tanquàm gratia, qua beatè

Vasquez t. 2. disp. 189. c. 16. n. 135.

benè operemur, sed tanquàm effectus gratiæ: hoc est, docet Scriptura & Patres illis locis, ne quidem habere nos posse bonam cogitationem sine gratia, sicut non possumus habere bonam operationem aut dilectionem Dei sine gratia, quæcumque tandem illa sit. Quod ex eo manifestum est, quia per hoc ostendere volunt, quousque in actionibus nostris gratiæ latitudo protendat, scilicet ad ipsas usque cogitationes, non quòd ipsæ cogitationes sint illa gratia quam commendare voluerunt. Quod ipsum probant omnia loca quibus opinionem suam fulciunt: ut quod Concilium Arausicanum ex Augustino dicit: *Divini esse muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & malitia tenemus:* ut quod ibidem dicit: *Per naturæ vigorem nos nihil boni cogitare ut expedit posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti:* ut quod Conc. Carthag. dicit, utrumque *Dei donum esse, & scire quid facere debeamus; & diligere ut faciamus:* ut quod Prosper aliquoties dicit, juxta id quod etiam sæpissimè S. Augustinus præformaverat, definitum ab Africanis Præsulibus fuisse: *Gratiam Dei per Ipsum Christum, non solum ad cognoscendam, sed etiam ad faciendam iustitiam per actus singulos adiuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis vel cogitare, dicere, agere valeamus:* Vt quod Fulgentius dicit: *Per gratiam Christi cogitationis sanctæ causam recipi facultatem.* Nam his & similibus locis, quæ pro asserenda ista sua opinione afferunt, ipsa suorum verborum expressione & superficie apertissimè clamant, se cogitationem sanctam haud secus atque operationem sanctam, ac dilectionem Dei, referre ad gratiam Dei, ad donum Dei, ad illuminationem & inspirationem Dei, quo juvante bona cogitamus & facimus. Sicut igitur nemo nisi imperitè & insulsè, ipsa opera bona quæ facimus, proferre posset ex mente sic loquentium, tanquàm gratiam Dei, cùm significent esse effectus gratiæ Dei; ita nec sanctam cogitationem, utpote quam pariter tanquàm effectum asserebant alteri gratiæ Dei. Vndè quod Augustinus omnia bona refert ad sanctam cogitationem, non ideò facit quia illa est vel gratia Dei, vel prima gratia Dei, in quam actus nostri referendi sunt, sed quia est primus effectus gratiæ Dei. Nam ideò expresè dicunt, opus esse gratia Dei, illuminatione Dei, inspiratione Dei, inunere Dei ad rectè cogitandum, sicut ad rectè operandum. Accedit quod ista recta cogitatio, ad quam non sufficimus nobis, quam per Christum Fulgentio authore recuperamus, non est cogitatio aliqua indeliberata quæ præcedat primam bonam voluntatem, sed ipsam simul complectitur voluntatem. Quam ob causam Prosper eam ut distinctam à sermonibus & operibus recenset, quemadmodùm & Augustinus: *Nisi voluntas fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta:* ita ut *cogitare, dicere & agere*, vel ut Augustinus, *actio, sermo, cogitatio*, omnia bona quæ Dei gratiam postulant complectantur. Quod fortè alio in loco ex professo ex ipsis fontibus tradituri sumus. Quocirca cogitatio ista bona non est ipsa gratia, sed opus habet gratia, Deique inspiratione, qua fiat:

Deinde quamvis disputationis causa concederetur Patres atque Concilia cogitationem sanctam agnoscere pro vera gratia Dei, sicut illuminationes intellectus, seu luminis cælestis infusionem gratiam Dei esse profitentur: nusquàm tamen vel Augustinus vel ullum Concilium Ecclesiæ docet, solas hujusmodi bonas cogitationes, quantumcumque congruas, vel solas illuminationes divinitus infusas esse gratiam quæ sufficiat ut operemur bonum, vel tentationibus resistamus, nusquàm hoc dicunt, nusquàm scribunt: sed potiùs tanquàm apertum Pelagianæ pravitatis errorem ex professo damnant. Nam cùm Pelagius multò liberaliùs, quàm recentior iste Scriptor, apertissimè concederet: *Deum nos futuræ gloriæ magnitudine & pollicitatione succendere, revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitare voluntatem, suadere omne quod bonum est*, & ita in nobis operari *velle quod bonum est*, reclamat ei Augustinus, tanquàm adhuc damnatam à Carthaginensi Concilio sententiam propugnaret: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atque doctrinam?* Quid quòd disertè Pelagius agnoscebat gratiam & revelationem Dei, qua *cordis oculos aperit, futura demonstrat, diaboli pandit insidias, multiformi & ineffabili nos dono gratiæ cælestis illuminat?* Quid quòd orandum statuebat, *ut nobis intelligentia veritatis; ut doctrina etiam divina revelatione aperiretur?* Quid quòd fatebatur *doctrinam nobis etiam sancto Spiritu quem accepissemus etiam revelari*; quid quòd *sensum Domini, qui est in spiritualibus viris, nemmem sine Spiritu Dei cognovisse?* Quid quòd *tantam sapientiam donari, ut voluntatis Dei occulta mysteria nosceremus?* Et tamen his & hujusmodi divinæ gratiæ confessionibus non contentus concludit Augustinus eis fatendum esse, quod *Deus interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operetur non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Quis autem non videt hujusmodi Pelagianas gratiæ confessiones incomparabiliter luculentiores esse, quam quicquid recentior iste Scriptor excogitavit, dùm pro vera gratia Christi ad bonum opus necessaria, profert *cogitationem aliquam per extrinsecas occasiones & causas naturales* excitatam, quæ sit *congrua* voluntati. Nam hujusmodi revelationes veritatis ineffabili Dei potestate subministratas tales esse statuebant, quibus homo ad fidem, spem, charitatem, omniumque virtutum perfectionem adduceretur. Quod juxta doctrinam Scriptoris istius fieri nullo pacto potest, nisi fuerint congruæ. Nam ipse statuit voluntatem sese flectere non posse ad ullum opus bonum, nisi illi congruat ea qua prævenitur cogitatio, idque ex natura creaturæ rationalis proficiscì.

Quod si Scriptori isti, tanta divinarum revelationum ubertas, quam Pelagiani celebrabant,

Lib. de gratia Christi cap. 10.

Ibid. cap. 7.

Ibid. cap. 41. & epist. 143.

Pelag. in cap. 2. 1. ad Corinth.

Idem in c. 1. ad Ephes.

Lib. de gratia Christi cap. 24.

Vasq. 1. 2. disp. 189. cap. 16.

1. 2. disp. 189 c. 24. & 21.

bant, minor gratia fortasse videatur quam cogitatio aliqua honesta ex naturalibus externiſque causis excitata, etiam illam ne quid novi se procudisse putet, loco gratiæ Pelagiani primum, & Massilienses posteà protulerunt. Pelagianos Prosper in epistola ad Rufinum dicit hoc tantùm de gratia confessos: *Quod quadam libero arbitrio sit magistra, seq; per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perq; terrores extrinsecus iudicio eius ostendat, quo unusquisque secundùm voluntatis suæ motũ si quæsierit inveniat &c.* Itaque *gratiam* esse *Legem, Prophetam, Doctorem, cui circa omnes homines commune & generale sit studium, ut qui voluerint credant.* Qua de re & in Apologetico Orosij de arbitrij libertate, Pelagius sic loquens introducit: *Ordinem suum composita benè naturæ custodit, ac per hoc Deus elementarijs semel cursibus constitutis, facit indè quæ facit.* Quid enim est creaturæ contemplatio, nisi quædam bona cogitatio quam Deus per creaturam ita constitutam operatur? Quid est gratiam se *per cohortationes, per miracula, per terrores, iudicio hominis ostendere*, nisi per ordinarias, imò extraordinarias causas cogitationes bonas suscitare? Has verò sæpissimè esse congruas & arbitrio contemperatas, indè manifestum est, quod dicerent talibus gratijs præventum, *unumquemque secundùm voluntatis suæ motum, invenire posse si quæsierit.* Quod & semi-Pelagiani apud Prosperum apertius dicebant, quando gratiam in eo statuebant, quod hominem *liberi arbitrij & rationalis gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad observationem mandatorum eius suam posit dirigere voluntatem.* Itaque Authore Prospero, discretio naturalis seu cogitatio naturalis discernendi bonum ac malum qua dirigeretur voluntas in agnoscendo Deo, & observandis mandatis ejus, Pelagianis erat gratia benè operandi. Hanc autem necesse est eos agnovisse *congruam*, quia fatebantur reipsa multos tali gratia adjutos benè vixisse, seu illi gratiæ sua voluntate consensisse; quod nihil aliud est, nisi cogitationes hujusmodi fuisse congruas. Imò semi-Pelagiani cursum prædicationis Evangelij per præscientiam conditionatam ita voluntatibus attemperatam fuisse censebant, ut illis prædicaretur, qui crederuri sciebanturi. *Dicunt id præscientia esse divina*, inquit Hilarius, *ut eo tempore & ibi in illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando & ubi prænoscebatur esse credenda.* Quid est hoc aliud quam Deum aptè distribuendo prædicationem juxta quod eam credendam videt, suscitare cogitationes congruas quibus consentiendo credat? Nam indè est quod alio tempore prædicationem subtrahit, quia videt juxta semi-Pelagianos esse repellendam, hoc est, videt per præscientiam conditionatam tales esse affectus voluntatis ut cogitationes, quas prædicatio suscitabit, non sint futuræ congruæ, quibus assentiendo credat. Qui est ipsissimus modus quo Scriptor ille suam gratiam congruæ cogitationis exponit.

Prosper in Epist. ad Rufinum.

In Apolog. Orosij circa med. f. 645.

Prosper in in Epist. ad Augustin.

Hilarius in Epist. ad Augustin.

1. 2. disp. 189. c. 16. & 14. & 20.

Sed quid ego de congrua cogitatione naturali, quæ ex creaturarum inspectione nascitur, destruenda satago cum Augustino, nec revelatio sancti Pauli, qua raptus in tertium cælum ineffabilia divinæ sapientiæ mysteria contemplatus est ad confessionem Christianæ gratiæ sufficiat? Nam ut Pelagium refelleret, qui ineffabilis gratiæ cælestis illuminationes & revelationes prædicat: *Quid dicam*, inquit, *de revelatione sapientiæ? Neque enim facile quisquam speraverit in hac vita posse pervenire ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli. Et utique in eo quid aliud credendum est ei revelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineat?* Et tamen tantùm abestut illa gratia sit satis Augustino, ut potius Paulo aliam adhuc gratiam ei adhibendam fuisse doceat, ne hac ipsa magnitudine revelationis intumesceret & periret: *Et tamen*, inquit, *dicit Paulus in magnitudine revelationum mearum ne extollar datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ qui me colaphiset.* Ex quo quisque satis intelligat, nullam cogitationem quantumcumque congruam, sive naturalem sive supernaturalem, sive à creaturis excitatam exterius, sive ab Angelis, sive ab ipso Deo mentem etiam clarissima inspectione ipsius veritatis illustrante, eo pacto veram esse gratiam illam, quam Ecclesia Christiana commendat. Nam quamcumque tandem cogitationẽ commendaveris, etiamsi esset contemplatio clara veritatis, quemadmodum Augustinus putat Paulum in ista raptûs revelatione, contemplatum esse essentiam Dei, si non accedat alia caloris & amoris in voluntate inspiratio, nihil omninò habituri sumus aliud, nisi cognitionem veritatis, qua quid agendum sit, cavendumque discamus, hoc est, nullam omninò gratiam, nisi Pelagianam seu legem atque doctrinam: juxta illud Augustini quo omnes tergiversationes amputat: *Dei adiutorium* Pelagius, *multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam & revelationem, & oculorum cordis apertionem & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi & ineffabili dono cælestis gratiæ illuminationem: ad hoc utique ut divina præcepta & promissa discamus.* Quibus deinde fulmen istud intorquet: HOC EST ERGO GRATIAM DEI PONERE IN LEGE ATQVE DOCTRINA. Lex enim & doctrina quocumque nomine appelletur, sive illuminatio, sivo revelatio sapientiæ, sive (quod omnium est minimum, & in omni lege, doctrinâ, hortatione, suasione, illuminatione, sapientiæ revelatione involvitur) COGITATIO, non aliâ ratione prodest, nisi docendo, hoc est, operationem justitiæ demonstrando, non largiendo, ostendendo, vel (quod est extremum est) imperando quid fieri deceat, congruat, debeat, non autem operando. Hoc est enim distinctæ officium gratiæ, quæ voluntatem captivam liberet, frigidam accendat, ex non volente volentem efficiat & facientem. Est quippè gratia, qua Deus incrementum subministrat occultus; qua

Lib. de gratia Christi cap. 12.

Ibid.

docet

docet eos qui secundùm propositũ vocati sunt, A tum est, & suo loco uberius declarabitur.

Zà Augus. simul donans, *quid agant scire, & quod sciunt agere.* Datur enim ut ipsa cordis *duritia auferatur.* Nam quod Scriptor iste nomine cogitationis tanquàm *congruæ* se tegit, non potest istius sententiæ novitatem à censura graviori tueri. Nam nec Pelagius vnquàm negavit illas quas asserebat illuminationes Dei, quæ sine cogitationibus esse non poterant, fuisse congruas: quin potiùs hoc ipso, quo per illas voluntatem credere, sperare, diligere, & opus bonum facere posse, crebroque facere statuebat, sentiebat esse congruas. Quis enim eo absurditatis delabatur, ut cogitationes, Deo illuminante & sapientiam revelante suscitatas, quibus fit ut ejus mandata custodiat, *incongruas* voluntati esse arbitretur? Fuerunt ergò ex Pelagianorum sententia congruentissimæ, & ad eam in opus rapiendum non minùs efficaces, quam juxta Scriptoris istius opinionem, vlla cogitatio naturalis ex creaturarum occursu excitata esse potest. Sed non advertit vir bonus, hoc ipsum quo se à Pelagianis differre putat, esse ipsissimam petram scandali, in quam offendendo ceciderunt. Non enim propterea reprehensi sunt Pelagiani, quod legem atque doctrinam, suasiones, hortationes, illuminationes, revelationes, cogitationes, sive naturali providentiâ, sive Deo inspirante suscitatas, tanquàm Dei gratia prædicarunt: Nam & hoc ipsum Augustinus frequenter fecit, *cùm utrumque sit donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus:* Sed hoc est quod Catholicas aures malè habuit, quod hujusmodi dona scientiæ, *quam fides vera & doctrina sana esse dicit ex Deo*, tàm congrua esse possint voluntati, ut illam ad opus bonum sublevandam rapiendamque sufficiant, absque eo quod longè alterius rationis gratia voluntati conferatur. Hoc tanquàm certissimum errorem proscripserunt, hoc proscribendum esse neminem Catholicum dubitare sana doctrina permittit, ut jam utcumque declara-

Quapropter qui naturam gratiæ à D. Augustino prædicatæ paulò altius quam solo nomine perspectam habent, sciunt nullam cogitationem, sive ex naturalibus quibuscumque causis, sive cælitus ab Angelis, sive ab ipso Deo intus in corde per altissimas revelationes excitatas, ita attemperari posse voluntati, ut ei ad bonum operandum, imò volendum congruant, nisi cor ipsum alia interiori & potentiori gratia operante mutetur. Cujus ratio est quod congruitas sit relativa: impossibile est autem ut cogitatio qua intus Deus verbi gratia diligendus cogitatur, congruat voluntati, quamdiu eam concupiscentiæ pondus à Deo aversam & creaturis incubantem affixamque tenet. Talis enim cogitatio, quamdiu cor tale permanet, erit speculativa quædam rei agendæ contemplatio, & confestim velut actioni jam jam suscipiendæ importuna respuetur. Quapropter ut fiat congrua, cor ipsum novi amoris inspiratione antè à creaturis avelli debet, quo facto mox ei ista cogitatio prior congruet. Sed hoc omnem omninò cogitationem non solùm naturalem, sed quantumcumque divinam ac sublimem superat, ne illius solius virtute peragatur, soloq; Spiritu S. concupiscentiæ vincula dirumpente, & cor ipsum seu voluntatem tali beneficio liberante peragi potest. Hoc quisquis in isto exemplo de Dei dilectione intellexerit, in cæteris operibus bonis nullam difficultatem in intelligendo patietur. Nullum enim omninò est opus bonum, nec esse potest, nisi ipsa legis justitia diligatur, quam qui diligit, ille est qui Deum diligit, prout hæc fusissimè in alio tractatu plurimis Augustini testimonijs, diversisq; principijs ejus adversus eundem istum Scriptorem declarata sunt, qui non semel in D. Augustini doctrinâ tàm infeliciter versari solet, ut non tàm Aug. explicare, quam imaginationes suas narrare, & opinionum novarum sulcra quærere videatur.

vide lib. 1. de statu puræ naturæ c. 5. 6. 7. 8. 9.

CAPVT XVIII.

Vera & fundamentalis ratio, cur nulla doctrina, vel revelatio, vel cogitatio congrua liberare possit arbitrium: ex termino *à quo*, & *ad quem* liberationis petita.

EX jis quæ hactenus de legis doctrinæque cujuslibet natura disquisita sunt, non est difficile veram radicem percipere, cur captivæ voluntatis liberatio ad bene operandum, majoris molis opus sit quam ut doctrinæ vel cogitationibus intellectus quibuscumq; asscribi queat. Hujus ergò vera ratio duplex ex prædictis colligi potest, una ex parte termini quasi *à quo* liberationis istius, altera ex parte termini *ad quem*. Terminus à quo liberationis arbitrij est concupiscentiæ servitus, cui peccati merito mancipata est. Terminus ad quem est charitas justitiæ, hoc est Dei, quæ simul est quasi causa formalis qua voluntas est formaliter libera, ut alibi fusius dicturi sumus, quando de libero arbitrio disputabimus. Directè namq; servituti voluntatis sub dominatu imperiosæ cupiditatis opponitur. Itaq; liberatio voluntatis fit, per inspirationem novi amoris, videlicet amoris justitiæ, hoc est amoris Dei; quo animus ab amanda creatura avellitur, & quodammodo sursum suspenditur, ne deorsum in antiquam servitutem, concupiscentia creaturarum titillante relabatur. Tenet enim cælestis amoris delectatio mentem ne libidinibus consentiat. Quod simul atque fit, jam à concupiscentiæ dominatione liberatur. Hanc liberationis naturam sæpè indicat Aug. ut quando contra Fortunatum dicit: *Propter gratiam Dei, quæ liberat nos à lege peccati & mortis*, (hoc est à concupiscentia) *ad tum. justitiam conversi liberamur*. Ecce liberatio

Disput cont. tract. Fortunat.

per conversionem *ad iustitiam*, supple divino amore diligendam. Nam hoc paulò superius perspicuè expresserat. *Cùm autem gratia Dei amorem nobis divinum inspiraverit, & nos suæ voluntati subditos fecerit, quibus dictum est vos in libertatem vocati estis, Et gratia Dei liberavit me à lege peccati & mortis, (lex autem peccati est ut quicunque peccaverit moriatur) ab illa lege liberamur cùm iusti esse cœperimus.* Hoc est cum ad justitiam diligendam divino isto amore convertimur. Et libro quarto ad Bonifacium: *Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam iustitiam liberum non erit, nisi ovis fuerit? Qui facit igitur oves homines ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.* Quem autem facere, nihil est aliud quam inspirare voluntatem bonam, nec voluntas bona aliud Augustino, quam charitas, qua justitia diligatur. Et in libris Retractationum: *A cuius concupiscentiæ dominatu non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum dono Spiritus sancti, per quem diffusa charitas* (hoc est amor justitiæ seu Dei) *in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potius bona faciamus.* Et præclarè libro primo operis imperfecti contra Iulianum: *Ab hac ergo necessitate servitutis* (concupiscentiæ dominantis) *ille liberat qui non solùm dat præcepta per legem, verum etiam donat per Spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati* (hoc est concupiscentiæ) *alioquin perseverat invita* (invito) *& servum suum tentat. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et alio in loco: *Alia remissio peccatorum in eis quæ malè facta sunt, alia charitas quæ facit libenter* (videlicet à dominatu concupiscentiæ) *ad ea quæ bona facienda sunt. Vtroque modo liberat Christus; quia & iniquitatem ignoscendo aufert, & inspirando tribuit charitatem.* Quod & alijs infinitis locis tradit. Quocirca qui plenius rem totam istam velit intelligere, videat quæ latissimè ex Augustino differuntur in alio tractatu de natura libertatis, ubi liberationem istam tàm quantùm ad terminum *à quo* jam dictum, quam terminum *ad quem*, charitatem, plurimis Augustini testimoniis comprobavimus, quibus hic repetendis immorari supervacaneum esset.

Ex his etiam perspicuus manet modus, quo per istiusmodi liberationem potens fit voluntas ad opus bonum, nempè quia per istam charitatem justitiæ ponitur opus in voluntatis potestate, (quæ est definitio libertatis) nempè inspirato illo amore divino, quo justitia legis ac præcepti diligitur, animus vires accipit, ut cum concupiscentia deorsum ad creata bona retrahente luctari queat. Nam voluntatis fortitudo nulla est nisi amoris, idque sive cupiditatis fuerit, qui est ægritudo, & quædam quasi phrenesis ejus potentissima, sive charitatis, qui est sanitas, ideoque vera fortitudo ejus: quibus inter se colluctantibus ille superat, qui ardentior potentiorque fuerit. Ex quo efficitur ut si amor justitiæ superaverit, animum invictum adversus cupiditatis motus teneat, ne illis consentiendo superetur. Nam hoc est quod paulò ante dixit: *Donat charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati.* Hoc est quod dixit: *Diffusa charitas in cordibus nostris, vincit carnis concupiscentias, ne consentiat eis ad malè faciendum, sed potius ad bene faciendum.* Hoc est quod dicit in Enchiridio ad Laurentium, cùm de cupiditatis dominatu præmisisset: *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas*, mox de charitate tanquàm quæ contra concupiscentiam sit vera voluntatis fortitudo, subjungit: *Si autem respexerit Deus &c. Et agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur adversus carnem fortiore robore charitatis.* Quomodo autem hæc fortitudo charitatis exeratur, adijcit, *Vt quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine nondùm totâ infirmitate sanata, ex fide tamen iustus vivat iustèq; vivat: in quantum non cedit malæ concupiscentiæ vincente dilectione iustitiæ.* Hoc est quod multipliciter dicit, dùm hanc luctam cupiditatis & charitatis luculentissimè tradit, in primi libri prima ad Simplicianum quæstione: vbi simul ostendit nullas voluntatis adversus cupiditatem seu concupiscentiam esse vires nisi charitate roboretur: *Consequens*, inquit, *erat ut quoniam nondum accepta gratia, concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam.* Item: *Senta se servum dominantis cupiditatis.* Et statim: *Vincitur nondum per gratiam liberatus, quamvis iam per legem & noverit se malè facere, & nolit:* Rursum: *Nondum sub gratia profectò trahitur ad malè operandum concupiscentia dominante atq; fallente dulcedine peccati, quamvis ex parte notitia legis hoc improbet.* Nam ut addit, *Natura & consuetudo connuncta robustissimam faciunt, & invictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quendam, & quasi regnum obtinere.* Et paucis interjectis: *Qui nondum est sub gratia, quod non vult malum hoc agit superante concupiscentia, non solùm vinculo mortalitatis, sed malæ consuetudinis roborata.* Et rursum: *Invenit legem bonam sibi esse, volenti facere quod illa iubet, & concupiscentia superante non valenti.* Quod ex professo illa totâ quæstione tradit, & tanquam doctrinam Apostoli saluberrimam, frequenter inculcat. Contra istam ergò servitutem voluntatis, contra hunc dominatum, tyrannidemque concupiscentiæ, contra hanc robustissimam, invictissimamque cupiditatem, nullam in homine esse fortitudinem, nullam pugnam, nullam victoriam nisi ex sola charitate, ibidem iterum atq; iterum docet: *In qua satis ostendit, non posse legem impleri, nisi à spiritualibus, quod non sunt nisi per gratiam.* Spiritualis autem ab ipso vocatur, qui habet affectum amoris spiritalem, & gratia sub qua quis esse vel non esse dicitur in omnibus istis locutionibus, charitas est. Nam statim semetipsum explicans: *Spiritali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis & ipse in spiritalem surgit affectum, tanto magis eam implet. Quia tanto magis ea delectatur, tam non sub eius onere afflictus, sed in eius lumine vegetatus &c. gratia donante peccata & infundente spiritum charitatis, quo & non fit molesta, & sit etiam iucunda iustitia.* Et multis interpositis: *Porrò qui acceperunt legem, prævaricantur eam, nisi per gratiam consequantur posse quod iubet. Ita fit ut non*

Lib. 4. ad Bonif. c. 6.

Lib. 1. Retract. c. 23.

Lib. 1. ope. imp. f. 162.

Ibid. f. 123.

Videl. 7. de grat. Christ. Salvat. c. 7. & 8.

A

B

C

D

Lib. 1. ad Simpl. quæst. 1.

Ibid.

ut non dominatur eis, qui iam sub gratia sunt, implentibus eam per gratiã, qui erant sub eius timore damnati. Sed quæ illa tandem gratia, sub qua sunt, quaque possunt implere, & implent legem, & sine qua implere non possunt? Audi subjuncta: *Ad Iudæos dicta est lex ministratio mortis, ad quos & in lapide scripta est ad eorum duritiam figendam; non ad eos qui legem per charitatem implent. Plenitudo enim legis est charitas.* Et inferius: *Mortui sumus legi damnanti, liberati ab eo affectu quem lex punit & damnat.* Sed per quid liberati? *Itaque idem præceptum timentibus lex est, amantibus*, id est, charitatem habentibus, *gratia.* Et paulò pòst: *Lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum charitatis quo pertinet testamentum novum.* Et rursum: *Ab eius ergò damnatione liberantur qui per spiritum sanctum vivificantur, et iam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per iustitiam copulati.* Sed quæ est illa spiritus innovatio? Audi sequentia: *Littera occidit, spiritus autem vivificat. Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta utique occidit. Tunc enim appellatur littera. Spiritus autem vivificat quia plenitudo legis est charitas, quæ fusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In istis omnibus locis aliisque plurimis, quæ proferri ex Augustino possent, semper hoc agit, ut intelligamus libertatem, qua quis à dominante concupiscentia liberatur, ut ei non consentiat, eique jam servienti dominetur: itemque animi fortitudinem, qua quis adversus concupiscentiam importunissimè tumultuantem robustus fiat, ut eam & oppugnare possit, & vincere, nullam esse aliam, nisi charitatem quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Illa quippè sola est, quæ affectum tribuit spiritalem, quæ liberat, quæ innovat, quæ robustum faciat animum, concupiscentiaque dominantem: quasi caret, non affectu spiritalis sed carnalis est, non innovatus sed vetustus, non robustus adversus cupiditatis impetum sed infirmus, non liber ab ejus dominatione, sed servus, cui tanquàm imperiosæ dominæ serviat necesse est: trahitur ab ea, capitur, possidetur tanquàm venumdatum concupiscentiæ mancipium: cui non tantùm resistere non valet, sed quo surgere sibi videtur altius, eo gravius allliditur, & ex una in aliam semper ei serviendo præcipitatur, hoc est ut, Prosper vigilantissimè dicit,

In vulnera vulnere surgit.

Hoc lib. in præfat. n. 27.

IMpossibile est enim ut extra Deum pedem, hoc est, affectum figat, nisi in creaturam: quo affectu extra creaturam exire nullo pacto potest. Ille quippè affectus in creaturam fixus quo surgere conatur, & concupiscentiæ compedes dissolvere, ut ejus dominatum fugiat, est alius subtilior ejusdem concupiscentiæ dominantis motus. Affectum autem in justitiam præcepti figere, seu affectu benefaciendi benefacere, sicut necesse est, juxta sanctum Augustinum, ut sit voluntas libera & actus ejus bonus, est ipsissima dilectio tàm celebrata charitatis, quemadmodùm jam diversis locis diximus, & ex professo alibi prolixèque demonstravimus.

Hæc ergò fundamentalis ratio est, extremaque radix, cur neque lex, neque doctrina, neque ulla illustratio, vel revelatio veritatis quantumcumque clara, neque ulla intellectus cogitatio, quantumcumque supernaturalis, nedum naturalis, quantumcumque etiam fingatur congrua, sufficere possit ad liberationem voluntatis. Nam & terminum *à quo* liberationis tollere, & terminum *ad quem* ponere cujuslibet cognitionis atque cogitationis longissimè superat potestatem. Undè Augustinus dicit: *Inest sanctæ legis scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia.* Et, Charitas non ex hominibus, vel ex lege humanaque cogitatione, sed *ex Deo est.* Quamvis itaque hujusmodi supradicta vulnerum humanorum Epithemata vim aliquam habere possint, ut divertant animum ab illo singulari malo perpetrando, quod proponitur, quod & timor pœnæ non solùm futuræ, sed & præsentis frequenter facit, nihil tamen eorum idoneum est ut concupiscentiæ universæ vires frangat, & ad verum bonum transferat diligendum: id est, nihil eorum sufficit ut animum ab omnis omninò creaturæ dilectione divellat, & ad præcepti justitiam diligendam subvehat, cujus solius dilectione fit liber. Hoc enim & nihil aliud est juxta doctrinã Augustini celeberrimam & fundatissimam, quam inspirare veram illam evangelicam charitatem Dei, qua sola arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberatur, hoc est, fit liberum, & ad benè faciendum expeditum: *Charitas enim facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.* Istud verò nulla omninò cognitio, vel revelatio, vel cogitatio qualiscumque efficere potest, sed sola illa interna & occulta gratia voluntatis, quæ ideò humanis cordibus tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur.* Nam ista gratia non solùm instruit intellectum, ut facit quælibet revelatio atque cogitatio, sed *sanat voluntatem qua iustitia libere diligatur.*

1. Ioan. 4.

Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 127.

De prædest. sanct. cap. 8.

Lib. de Spir. & litt. c. 30

Publica 1. in jura cæsur. op. 5. 6. 2. 4. 5.

Lib. de gestis Pelag. c. 7.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS. DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS LIBER SECVNDVS.

Qui est de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum.

CAPVT PRIMVM.

Gratia voluntatis alia sanæ, alia ægrotæ. Cardo disputationis inter Ecclesiam & Pelagianos. De gratia medicinali contra vulnera naturæ inflicta.

CVM ergò satis superque declaratum sit, neque naturam, neque ullam gratiam solius intellectus, quocumque nomine appelletursufficere posse, ut arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberum fiat, quo rectè vivat & justitiâ operetur, soli gratiæ voluntatis hoc tantæ molis opus reservatum videtur. Nihil enim superest, cui præterquam illi, cum aliquo colore probabilitatis posset asscribi. Nam in corpus vel in sola sensuum externorum adjumenta rem tantam referre, satis ipsa se rei absurditate & impietate confutat. Quanquam cum ista liberatio non sit corporis sed animi bonum, nihil ad illud externi sensus conferre posse videantur, nisi signa suppeditando, quibus animus discendo moveatur: & sic iterum ad doctrinam jam refutatam rediremus.

Sed gratia voluntatis multiplex est: alia *Habitualis*, sub qua & remissio peccatorum continetur; *Actualis* alia. Quæ rursum à Scholasticis Doctoribus dividi solet in *Sufficientem* & *Efficacem*. De quarum singulis multæ magnæque vigent controversiæ. Porrò istis omnibus divisionibus prior & ad rem præsentem accommodatior est, alia quædam gratiæ partitio, qua dividi potest in gratiam sani hominis, & ægroti. Gratia namque de qua disputamus, est genus quoddam adjutorii voluntatis ad operandum; quæ cùm esse possit vel sana integraque, vel ex læsione quâpiam ægra, hinc fit ut utriusque adjutoria necessariò in operandi modo valdè diversa sint. Nam A unum eorum adjuvat tanquàm adjutorium roboris naturalis, alterum ut remedium ægritudinis: quæ tantùm inter se discrepant, ut si alterum alterius loco adhibeatur, vel nihil omninò conferat, vel pro adjumento perniciem ferat. Nam quemadmodùm si quis ægrotanti stomacho atq; alimenta fastidienti solidos robustorum cibos offerat, non ægritudinem pellet, sed forsan accelerabit interitum: si quis pupillis læsis vel oculis lippientibus, clarissimum lumen accendat, quo sanis nihil est amabilius, & ad utendum accommodatius, non modo non restaurabit id quod in oculis labefactatum est, sed acerbissimos dolores inferet, vel etiam excœcabit magis: Ita si quis voluntati bonum bonorum fastidienti, adjutorium adhibeat, cujus usus integras illæsasque vires ejus postulet, aut supponat; non tantùm nihil proderit, sed morbi deterioris erit semi- B narium. Nam hujusmodi sanarum virium adjumenta, quisquis naturam rerum attentè circumspexerit, ubiq; læsis esse vel prorsus inutilia, vel etiam noxia deprehendet. Quid enim adjuvat ad cernendum cœcâ aciem, vel valdè debilitatam lux? Quid fractas tibias manusq; scipio ad ambulandum? Quid adjacentes rerum diversarũ species phreneticum ad intelligendum, nisi ut deliret furiosius? Quod perspicaciter advertit Aug. quando Cresconio dixit: *Cum eâdem luce & sani oculi perfundantur & lib. 1. in saucij, istis adjumentum est, illis tormentum.* Idem *1. Cresc. cibus alius valetudines alit, alias lædit.* Itaque *cap. 14.* hæc vegetarum potentiarum adjutoria, quantumcumque multiplicentur ægrotantibus, vel exstinctis augeantur, non modo perditas vires non restaurabunt, sed nec ad usum assumi poterunt,

poterunt, vel certè cum præsentiore pernicie assumentur. Supponunt enim integras esse vires, quarum vigori ad utendum serviant: qui ubi perijt, frustrà de talibus adminiculis satagitur. Pharmacis enim opus est, ut potentiarum sanitas ante reparetur, quam ullis utatur sanitatis adjutorijs. Quæ si in rebus naturalibus per quam certa atque manifesta sunt, ad cubile veritatis quam in voluntate quærimus, nos quasi manu ducent. Nam & ibi duplex istud adjutorij genus quam maximè locum habet. Aliud enim subservit sanæ voluntatis operationibus bonis, aliud ægrotantis. Nam & ipsa subindè in eodem homine sana, fortis, vegeta est, nonnunquam ægra, languida, fastidiosa, mortua quantùm ad opus effectusque bonos. Tali voluntati sanitatis adhibere velle adjutorium, ut illo juvante operetur, non minoris fatuitatis est, quam cibum offerre mortuo, vel cibum solidum fastidienti, lucem cœco, scipionem fracto tibijs, species varias deliranti. Remedijs ægrotorum, potionibus, collyrijs, epithematibus & similibus opus est, ut ægro sanitas restituatur; non tanquàm sano offerendum illud adjutorij genus, quo nemo uti potest, nisi cui ante reddita fuerit sanitatis integritas.

Hoc igitur duplex voluntatis adjutorium integræ & lapsæ, sanæ & ægrotantis, frequenter ab Augustino indicatum est, tantâque sollicitudine inculcatum, ut ab isto discrimine totam difficillimam causam gratiæ cum Pelagianis, victoriamque suspenderit. Pro quo intelligendo sciendum est Augustinum & Pelagium, cùm essent acerrima, celerrimaque ingenia, cardinemque viderent in quo tota causa verteretur, statim in ipso exordio contentionis, totaque vita posteà gravissimum conflictu de naturæ humanæ integritate atq; læsione habuisse. Contendebat vnicè Pelagius, naturam humanam, quantumvis peccati esset rea, & remissionis indigeret, non esse peccando vitiatam, sed possibilitatem, hoc est potestatem voluntatis, qua benè vivere & malè poterat, integram perstitisse, qualis ante peccatum fuerat: eaq; de causa nullum jam voluntati tanquàm læsæ adjutorium esse necessarium. Augustinus radicem gratiæ Christianæ jugulumq; peti videns, acerrimè tuetur, naturam peccato esse violatam, hoc est, liberum arbitrium contraxisse quandam benè volendi ægritudinem, propter quam ei medicus sit necessarius, cujus medicinali gratia & adjutorio nisi vires pristinæ restaurentur, tàm esse impossibile voluntati ut benè velit, & operetur, quam homini cœco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibijs fracto ut rectè gradiatur, quantumvis eis & lux, & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant. Audiamus igitur, quanto conatu isti Antagonistæ pro ista capitali & radicali veritate decertent. Capitali & radicali dico, eo quod Augustinus in præludio istius conflictus dicat: *Iam illud videte, quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam, tanquam omninò sine ullo vitio sit, conetur ostendere, & contra apertissimas Scripturas Dei luceat sapientia verbi, qua evacuetur crux Christi.* Et vicissim Pelagius: *Primo*, inquit, *de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura.* Nempè uterque videt, ab istius exordiendum esse discussione quæstionis, qua gratiæ operatricis necessitas quam Christus velut naturæ medicus attulisse dicitur, vel radicitus tota exscinditur, vel tota vindicatur. Stultum est enim accersere vel advenire medicum, naturamque velut ægrotantem collyriis, vel velut infirmam pharmacis velle roborare, ubi nulla est imbecillitas operandi, quemadmodùm Christus ipse dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Itaq; Pelagius cùm admisisset, divinitus esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominum exorandum esse, hoc est, naturam peccatricem remissione peccatorum indigere, ut quam sibi ipsi dare non posset, quemadmodùm hoc ab initio usq; ad finem semper hoc eum docuisse monstravimus, velut immobilem totius concertationis basim collocat, impossibile esse ut natura præter reatum culpæ quem admiserat peccando, vitium contraheret, quo fieret ad opus bonum imbecillior, ut medico indigeret: *Ante omnia quæredum puto*, inquit, *quid sit peccatum, substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, nisi in corpus aliquod, sed perperam facti, actus existimatur.* Et adjungit: *Credo ita est; Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare vel imitare naturam, quod substantia caret?* Vndè cùm evidenter sequeretur, frustra peccatorem præter peccati remissionem, aliam sanitatem virtusque bene operandi implorare, contra hujusmodi preces subijcit: *Quid ergò clamas, sana animam meam, quoniam peccavi tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam, quod substantia caret?* Et hanc doctrinam ad universum humanum genus extendens, quod nullo modo primi hominis iniquitate vitiari, hoc est, imbecillius ad benè operandum fieri potuerit: *Non debuit*, inquit, *hoc ægritudo contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, ut committerentur plura peccata.* Et mox apertius: *Quid quæritis? sani sunt propterquos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideò mortis damnatus est, quia posteà non peccavit.* Quasi diceret non contraxit ullam peccandi infirmitatem, quia posteà rectè vixit, undè adjicit, *hinc quoque posteros non solum illo non infirmiores, sed etiam plura implevisse præcepta, cùm ille unum implere neglexerit.* Quod toto decursu libri summa virium obstinatione contendit, tanquàm undè totius dogmatis Pelagiani penderet salus.

Hujus ergò doctrinæ occultissimam pestilentiam cùm Augustinus adverteret, eam tùm isto libro de natura & gratia, tùm cæteris ad mortem usque persecutus est, tanquàm quæ veritas Scripturarum de operatricis gratiæ necessitate, sanctorum Ecclesiæque preces universæ, Christi passio & mors, ipsaque ejus incarnatio & adventus in hunc mundum adeoque nomen Iesus, id est, Salvator, funditus deleretur, eo videlicet modo,

A

B

C

D

Matth. 9.

Vide dicta in l. 5. c. 6. & 7. hujus Pelag.

Pelag apud Aug. lib. de nat. & gratia c. 19.

Ibid.

Ibid. c. 21.

Lib. de nat. & grat. cap. 31.

quo funditus tollitur medici & adjutorij medicinalis necessitas, si morbus auferatur. *Videte quæso*, inquit Augustinus, *quomodò nesciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces salubérrimas, Ego dixi miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atq; vitiatum? Porrò si est quod sanetur, undè vitiatum est? Audis confitentem, quid desideras disputantem? sana, inquit, animam meam.* Ecce sublatas Ecclesiæ preces pro viribus ad benè vivendum contra peccati ægritudinem impetrandis. Sed pergit adhuc inferius: *Cernitisne quo tendat, & quo manus porrigat hæc superius commemorata Pelagij disputatio? Vt omninò frustra dictum putetur, vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Quomodò enim salvum faciet, ubi nulla est ægritudo? Peccata quippè, à quibus dicit Evangelium salvum faciendum populum Christi substantiæ non sunt, & secundùm istum vitiare non possunt?* Ecce nomen Iesus exstinctum, exstinctâ naturæ vitiatione, qua vires ejus debilitatæ sunt. Audi adhuc sequentia: *Attendite autem, quomodò adhuc se urgeat verisimilibus rationibus contra Scripturæ sanctæ veritatem. Dominus Iesus dicit qui propterea Iesus vocatur, quia ipse salvum facit populum suum à peccatis eorum, dicit ergò Dominus Iesus, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Non veni vocare iustos sed peccatores &c. Et iste contra fidelem sermonem & omni acceptatione dignum dicit, non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati* (id est ista ægritudo seu infirmitas) *ut committerentur plura peccata.* Et mox adjungit illa reliqua Pelagij verba, quibus ut jam paulò ante diximus & sanitatem & præcepti implendi potestatem posteris Adæ mansisse profitetur. Ecce deletum etiam Iesu, hoc est, Salvatoris nomen, totumque medicinalis adventus ejus apparatum, sublata videlicet pœnali imbecillitate naturæ, cui soli medendæ medicus necessarius est. Non enim hic agi de auxilio Christi ad remittenda præterita peccata, cujus necessitatem Pelagius in eodem loco disertissimè docet, & Augustinus agnoscit, sed de auxilio gratiæ contra futura quod sanandæ ægritudini & infirmitati voluntatis ex peccato nascenti Christus attulit, ut præcepta legis seu justitia mandatorum impleantur (quod Augustini phrasi, *iustificari*, vocari solet) tùm ex jam citatis locis manifestum est, tùm alijs plurimis Augustinus expressit: *Nemo ei dicit, inquit, sic hominem factum, ut de iustitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad iustitiam redire non posset: sed ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo seipse vitiavit*, hoc est, quo præter peccati culpam sibi vitium inflixit. *Vt autem redeat ad iustitiam opus habet medico* contra istud vitium, *quæ sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est.* Et paulò post, cùm tradidisset ærumnas hujus vitæ non posse nisi impetrata divinitus fortitudine superari, adjicit: *De qua gratia & adiutorio & misericordia, sine qua benè non possumus vivere, nescio quare iste omninò nihil dicit, imò etiam velut sibi ad iustitiam, id est ad* justè vivendum, *sufficientem, si voluntas sua adsit, defendendo naturam, gratiæ Christi qua iustificamur*, hoc est justè seu justitiam operamur, *apertissimè contradicit.* Et rursum nonnullis intersectis hoc ipsum apertius adversus illam Pelagianam naturæ defensionem, cum Pelagij redargutione manifestans: *Videtisne quemadmodum non dicat* (Pelagius) *necessariam misericordiam Dei ut non peccemus*, dando scilicet adjutorium gratiæ qua futura peccata caveamus, *sed quia peccavimus?* Et rursum instantius: *Sicut ergò vulnere verbi gratia claudicans ideò curatur ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa iam non sint* (interveniente peccatorum remissione) *sed ut de cætero rectè ambulare possimus.*

Quamobrem ut jam dicere cœperam, Pelagianam illam sententiam, qua præter culpæ reatum, nulla infirmitas naturæ inflicta esse dicitur, hoc est, qua benè in posterum vivendi, & non peccandi possibilitas integra illæsaque permansisse constituitur, tanquàm cardinem totius controversiæ de gratiæ adjutorio, quaque totus medici adventus evacuatur, densissimis convellit testimonijs. Nam hoc agit quando capite trigesimo quarto dicit: *Porrò quod Dei causam sibi agere videtur defendendo naturam; non attendit quod eandem naturam sanam esse dicendo, medicinæ pellit misericordiam. Ipse est autem Creator eius qui Salvator eius. Non ergò debemus sic laudare Creaturam, ut cogamur dicere, imo vero convincamur dicere superfluum Salvatorem.* Hoc agit, quando in eodem capite consequenter dicit: *Vitia sanè nostra, quæ sanat, non divino operi* (hoc est creationi) *sed humanæ voluntati iustaq; illius vindictæ tribuamus. Sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur; ita ut sanentur in illius magis esse misericordia, quam in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam & medicinale Salvatoris auxilium tantùm in hoc ponit, ut ignoscat commissa præterita, non ut adiuvet ad futura vitanda. Hic perniciosissimè fallitur, hic etsi nesciens prohibet nos vigilare, & orare ne intremus in tentationem, cùm hoc ne nobis accidat, in nostra tantùm potestate esse contendit.* Asserendo videlicet naturam esse sine vitijs quæ ex commissa iniquitate consecuta sunt, quibusque superandis adjutorium imploramus, ne intremus in tentationem. Nam ut de istis pœnalibus vitijs concupiscentia & ignorantia, undè post lapsum hominis, omnia omninò peccata pullulant, sermonem esse contra Pelagium disceremus, paulò ante præmiserat: *Vitium quo committitur* (nunc peccatum) *nondùm omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate descendit. Ex quo vitio tam malè valens, vel infirmitate vel cæcitate plura committit. Pro quo supplicandum est ut sanetur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbiendum, quasi homo eâdem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.* Hoc agit quando capite trigesimo nono dicit: *O utinam non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non*

non vult naturam humanam esse vitiatam. Vitijs videlicet illis jam dictis quibus actualia peccata perpetrantur. Hoc agit quando continuò præcedentibus attexendo gemebundus repetit: *O utinam sicut Christianus legeret, præter Iesum Christum nullum esse nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos: & non possibilitatem naturæ humanæ ita defenderet, ut homo per liberum arbitrium etiam sine isto nomine salvus esse posse credatur.* Hoc ipso scilicet quo sine vitijs illis illæsus, & consequenter gratiæ Christi ad benè vivendum non indigere perhibetur. Hoc agit, quando aliquo Pelagij quasi nomine respondente, quod gratia adversus unum vitium ignorantiam scilicet, esset necessaria, quasi victoriâ nonnihil in se inclinante respondet: *Vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit, quemadmodùm debeat leonem domare, & nescit quemadmodùm vivere.* Hoc agit, quando Pelagio velut concessionem istam retractante, & naturam à vitijs illæsam defendente subjungit: *An & hoc ut sciat, sufficit ei liberum arbitrium lexq; naturalis? Hæc est sapientia verbi qua evacuatur crux Christi &c. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad agnoscendum quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum sufficit sibi* (hoc est careat istis duobus jam dictis vitijs, cœcitate & infirmitate) *ergò Christus gratis mortuus est, ergò evacuatum est scandalum crucis &c. Sicut enim finis legu, ita etiam naturæ humanæ vitiosæ Salvator Christus, ad institiam omni credenti.* Hoc agit, quando capite quadragesimo secundo præclarissimè clarissimeque dicit: *Melius itaque Dei causa agitur, quam se iste agendo dicit defensare naturam,* dùm asserit eam istius jam dictæ vitiationis expertem, *cùm & Creator & Salvator agnoscitur; quam cum defensa velut sana viribusq; integris creatura, epitulatio Salvatoris inanitur.* Hoc agit, quando de virium istarum quibus olim benè vivi poterat, integritate & consecutâ vulneratione per vitia ista commemorata subtexit: *Quis nescit eum hominem sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad benè vivendum potestate libera constitutum?* (nullis videlicet vitijs liberam istam potestatem deprimentibus) *sed nunc de illo agitur quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq; vulneribus, non ita potest ad institiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiamsi iam est in stabulo adhuc curatur.* Nempè quia per baptismum quo stabulum ingreditur, illa vitia non auferuntur. Hoc agit, quando de illo vitio remedioque ibidem subijcit: *Sed medicina poterit quod vitio non potest.* Hoc agit, quando capite quadragesimo octavo dicit: *Miror quo corde etiam sine adiutorio medicinæ Salvatoris nostri nostrum putat esse non peccare; posse verò non peccare, naturæ esse contendat, quam sic apparere esse vitiatam, ut hoc maioris vitij sit non videre.* Hoc agit, quando iterum adversarium suum ad adjutorij divini necessitatem ex naturæ vitiatione confitendam, exemplo corporali perspicuo premit: *De homine sano pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibilitatem: confractis verò si velit non habet.* Habes exemplum corporis vitiati, propter cujus sanationem medicina necessaria est; jam accipe antapodosin: *Vitiata est natura de qua loquimur,* hoc est, natura liberæ voluntatis, per quam, ut audivimus, aderat benè vivendi possibilitas, *quid superbis terra & cinis? vitiata est, medicum implorat: salvum me fac Domine, clamat: sana animam meam, clamat. Quid intercludit has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impediat sanitatem?* Hoc agit, quando Pelagio adhuc mordicus tuente possibilitatem illam benè vivendi non potuisse interimi peccando, hoc est, ut ante dixerat, naturam non potuisse peccando vitiari atque debilitari, ut propterea opus esset Christi Salvatoris auxilio, rei absurditatem ex inflicta concupiscentiæ infirmitate convincit: *Vndè ergò illa vox: ut non quæ vultis illa faciatis? Vndè etiam illa: non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt, & de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines non alites erant. Ecce homo quod vult bonum, non agit, sed quod non vult malum hoc agit: velle illi adiacet, perficere autem bonum, non adiacet. Vbi est possibilitas quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ?* Et absurditatis enormitatem aperiens malorumque sequelam, quæ pòst se trahit: *Sed his verbis id agitur, etiam à nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo, qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, ut evacuetur Christi gratia, humana sibi ad iustitiam suam quasi sufficiente naturæ.* Hoc agit, quando adversus illam benè vivendi possibilitatem, hoc est, naturam vulnerum expertem dicit: *Exponat quemadmodùm cùm sit etiam in ipsis* (non baptizatis quibus caro contraria est) *illa ab eo multum defensa natura, certè vel in eis concedit esse vitiatam, si iam in baptizatis ille saucius, sanus de stabulo egressus est, quo eum curandum misericors Samaritanus adduxit.* Et rursum instantius: *Porro si velim istis* (non baptizatis) *concedit carnem esse contrariam dicat, quid contigerit, cùm sit utrumque, hoc est, & caro & spiritus creatura unius eiusdemq; Creatoris, quod propriâ inflictum est voluntate? Et hoc, ut in natura sanetur, eo ipso opus est Salvatore quo instituta est natura creatore.* Hoc agit, quando paucis interjectis ad ostendendam gratiæ Salvatoris necessitatem, ex carnis contrarietate urget instantius: *Ecce & baptizatis caro invenitur esse contraria, & non adesse possibilitas illa quam inseparabiliter insitam dicit esse naturæ.* Et operosius iterum iterumque gratiæ indigentiam ex vitio, id est, ex oborta pòst peccatum carnis contrarietate commendans: *Ecce etiam baptizatis caro contraria est: & quomodo contraria? Vt non quod volunt faciant. Ecce adest voluntas in homine, ubi est possibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam necessariam. Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondeatur nobis; Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hoc agit, quando idipsum irrefragabili argumento fidelium oratione convincit: *Fideles orantes dicunt,*

Ibid. c. 49. — Ibid. c. 49.

Cap. 50. — Cap. 50.

Lib. de natura & gratia cap. 50. — Lib. de natura & gratia cap. 50.

Cap. 52. — Cap. 52.

Ibid. — Ibid.

Cap. 53. — Cap. 53.

dicunt, contra tentationes vitij concupiscentiæ, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant? aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis huius? Vnde non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et à quo tandem corpore mortis, an à substantia per
Ibid. animæ & corporis dissolutionem? *Non utique de substantia corporis, quæ bona est, sed de vitijs carnalibus, unde non liberatur homo, nisi gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore. Et hoc ut diceret Apostolus, quid supra dixerat? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Hoc agit, quando nervosè, quasi cuncta hactenus adversus Pelagium jacta concludens: *Ecce quod vitium naturæ, humanæ inobedientia voluntatis instixit. Crateat ut sanetur.*
Lib. de natura & gratia cap. 53 *Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, verâ confessione non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei non qua instituatur, sed qua restituatur, quæratur: quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, dum tacetur.* Hoc agit,
Ibid. c. 54. quando brevius paulò inferius dicit: *Sed quod contraria est caro spiritui, non ut ea quæ volumus faciamus, vitium est non naturæ: gratia medicinalis quæratur & controversia finiatur.* Hoc agit, quando in eodem loco subjungit: *Si vel in illis* (non baptizatis) *natura vitiata esse conceditur* (per contrarietatem carnis & spiritus) *ut non sine causa clament: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, eisq; subveniatur in eo quod sequitur, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; concedatur iam tandem aliquando humanam medico indigere naturam.* Hoc agit, quando lectoris occurrens cogitationibus, declarat se hanc medicinalis gratiæ necessitatem non de peccatorum remissione, sed de adjutorijs ad vitium naturæ concupiscentiam superandam requisitis, intelligere: *an propter commissa præterita* (clamas, quis me liberabit &c.) *ut ea tantùm ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt? Dimitte hominem, clamet, quod clamabat. Non enim tantum desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, videt esse, non recolit fuisse; præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantum repugnantem videt, verùm an etiam captivitatem se in lege peccati, quæ est in membris eius, non quæ fuit. Hinc est quod clamat, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sinatur orare, sinatur adiutorium medici potentissimi flagitare.* Hoc ad postremum agit, quando sub finem istius acerrimæ concertationis dicit:
Ibid. c. 64. *Agitur de gratia Dei qua sanatur natura per* MEDICVM *Christum, quo non indigeret, si sana esset qua ab isto tanquam sana, vel tanquam sibi sufficiente voluntatis arbitrio posse non peccare defenditur.* Et
Ibid. c. 67. paucis adjectis: *De gratia Dei agitur qua nobis per mediatorem medicinæ opitulatur, non de impossibilitate iustitiæ.* Et mox iterum universum causæ statum cum Pelagianis ob oculos succinctè ponit: *Ita & exhortatus sum quantum potui ad benè vivendum, & gratiam Dei non evacuavi: sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari. De qua re cum isto tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro perversa naturæ defensione frustremus.* *Ibid.*

Quod si simili diligentiâ cæteris Augustini operibus lustrandis operam impendere luberet, testimoniorum copia ac tœdio lectores obruerem, ut est illud quod in libro de perfectione justitiæ contra Cœlestium Pelagii discipulum acutissimum dixit: *Respondemus vitiari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia scil. Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et *Lib. de perf. cap. 2.* quis defectus ille sanitatis? an reatus culpæ, qui remissione & habitualis gratiæ infusione deletur? Audi sequentia: *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cœcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vult homo faciat.* Vt est illud quod postquàm similitudinis adhibendæ causa dixerat, hominem inter ambulandum *vitare non posse claudicationem, nisi habeat sanatum pedem*; explicando subjungit: *Respondetur eadem similitudine, qua superius iam respondimus. Cum enim videmus claudum quis sanari possit, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione; & si debet posse; nec tamen cum vult, continuò potest, sed cui fuerit adhibita curatione sanatu, & medicina adiuverit voluntatem. Hoc sit in interiori homine, quod ad peccatum attinet, tanquam eius claudicationem, per eius gratiam qui venit non vocare iustos, sed peccatores, quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Vt quod in eodem libro iterum atque iterum dicit: *Consulti-* *Ibid. c. 5.*
simè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet; ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per Iesum Christum Dominum nostrum. Et quod paulò post, istud vitium naturæ, quo efficitur ista necessitas claudicandi explicando subiungit: *Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem. Vnde ad Deum fides clamat, De necessitatibus meis educ me. Sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur, si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Vt quod in libro de peccatorum meritis ipsam radicem necessitatis divini adiutorii & quæstionis adversus Pelagianos cardinem clarissimis verbis apetiendo dicit: *Nolunt homines fa-* *Lib. 2. de pec. mer. cap. 17.*
cere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidq; vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit, novimus, eoq; delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impedunt voluntatem, nemoveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates. Et efficaciam

caciam explicans, quantoperè vitia ista duo voluntatem à benè faciendo remorantur: *Secundum est*, inquit, *ex debita iusta pœna tale vitium, ut tam* (post lapsum) *molestum esset obedire iustitiæ. Quod vitium nisi adiuvante gratiâ superetur, ad iustitiam* operandam *nemo convertitur: nisi operante gratiâ sanetur, iustitiæ pace nemo perfruitur.* Vt quod in libris de libero arbitrio scripsit, cùm pœnalium istarum difficultatum vim exaggeraret, fontemque digito ostenderet, propter quem solùm jam Christi adjutorium ad bona opera facienda peccataque superanda postulamus: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine, hoc est concupiscentia, quæ violentia mortalis successionis quodammodò naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat quisque, quo benè uti voluit, cùm sine ulla posset difficultate si vellet, id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum sit: & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, Ignorantia & Difficultas. Ex Ignorantia debonestat error; ex Difficultate cruciatus affligit &c.* Quæ verba in alio libro recolens, apertissimè confitetur, *totam*, ut supra citavimus, *cum Pelagianis verti quæstionem de ista gratia*, qua natura jam *contenebrata atque vitiata illuminatur atque sanatur.* *Paulò ante ex lib. de nat. & grat. c. 67*

CAPVT SECVNDVM.

Idem ostenditur ex alijs varijs capitibus. Nomina gratiæ inde derivata.

CVM igitur hæc atque hujusmodi testimonia, in universis Augustini lucubrationibus pœnè innumera, passim obvia sint, & undequaque sibi semper concinant, indè consequenter nascitur quod sæpissimè contra Pelagianos docet, gratiam de qua cum illis controversia est, illam esse, adeoque nec aliam intelligi posse, quam qua liberamur de corpore mortis hujus: *In his verbis, quam dicat* Pelagius *Dei gratiam, prorsus latet. Et iudices quidem Catholici nullam aliam intelligere potuerant, nisi quam nobis plurimum Apostolica doctrina commendat. Hæc est enim quia nos liberari posse speramus, de corpore mortis huius per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quod autem liberari de corpore mortis sit liberari per gratiam de vitijs illis concupiscentialibus, quibuscum tota vita dimicamus, jam a superioribus intelleximus. Indè est, quod in eodem isto loco, cùm gratiam istius liberationis illam esse docuisset, quam in certamine cum libidinibus invocamus, iterum repetit: *Hanc gratiam quam in Catholicæ Ecclesiæ notissimam nostram Episcopi, crediderunt Pelagium confiteri.* Et Patres Concilij Carthaginensis: *Illam verò gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cuius Apostolus prædicat rectè, docens, Condelectur enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, &c. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nolunt omninò cognoscere.*

Indè est, quod gratiam de qua cum Pelagio controversia fuit, illam esse crebro docet, pro qua Ecclesia universa preces à Christo traditas fundit, Et ne nos inducas in tentationem: *Sed pro qua gratia impetranda oramus, ne inducamur in tentationem, hæc gratia non est natura, sed qua subveniatur fragili violatæque naturæ; hæc gratia non est legis scientia, &c.* Quam fragilitatem ac vitium illam vitiosam concupiscentiam esse statim ex Apostolo probat. Et ejusdem Concilij Carthaginensis Antistites virus Pelagianorum de adjutorio benè vivendi eruentes: *Consideret ergò*, inquiunt, *sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & discipulus monuit, & posuit in oratione quam docuit.* Nempè quia naturam nullo per peccatum vitio labefactatam esse statuebant, pro quo superando gratia peteretur. Quod enim non induci in tentationem nem sit idem, quod nulla concupiscentiæ tentatione (unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus) superari, nullis libidinibus nos proritantibus cõnetire, perquam sæpè Augustinus tradit: *Vt non ei concupiscentiæ consentiamus deprecamur adiutorium dicentes, Et ne nos inferas in tentationem:* Nempè, *ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.* Sub hac ergò petitione omne adjutorium gratiæ ad benè vivendum necessariæ postulatur, juxta illud Augustini: *Potens est Deus, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in sibi placitum gressum:* cui non frustrà dicitur, *Ne nos inferas in tentationem. Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus inferitur.* Ex quo fit ut hujusmodi necessariò rectè vivat.

Conc. Carthag.

Lib. 2. de pecc. meri. c. 4.

Lib. de dono pers. cap. 6.

Indè est, quod pluribus in locis gratiam de qua cum Pelagio controversia est, illam esse tradit, qua homo ex peccati vulneribus sit salvus per Iesum Christum: *Quando istis*, inquit *rectissimè dicitur, Quare sine adiutorio gratiæ Dei discitis hominem esse posse sine peccato? Non tunc de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus, sed de ista qua sit salvus per Iesum Christum. Fideles enim orantes dicunt: Ne nos inferas in tentationem, sed*

Lib. de natura & gratia cap. 33.

seu liberaties à malo. Quod enim salvum fieri sit idem quod medicinali gratia ignorantiæ & concupiscentiæ vulnus obduci; jam supra ex libro de natura & gratia demonstravimus.

Hæc igitur summa testimoniorum ac principiorum Augustinianæ doctrinæ consonantia cumulatissimè ostendit ac probat, præter gratiam remissionis peccatorum, de qua cum Pelagianis nulla quæstio fuit, summam totius disputationis, quam de gratiæ adjutorio ad benè vivendum necessario Ecclesia Christi cum Pelagianis habuit, de illo solo adjutorio fuisse susceptam, quod Christus velut humanæ naturæ medicus attulit adversus ignorantiam & concupiscentiam, quibus peccati merito natura vitiata est. Nam post lapsum primi hominis, cùm jam natura vitiata & ad peccatum prona est, nullum omninò ampliùs peccatum, illa indifferenti & versatili libertate committitur, sicut antea fuerat nullo vitio proritante perpetratum: sed quidquid jam ab Adami posteritate peccatur, totum hoc ex fontibus illis duobus ignorantia concupiscentiaque fluit, quorum nunc servituti, quemadmodum latissimè ex Augustini principijs declaravimus, arbitrium peccatricis voluntatis obstrictum est. Vt nemini mirum videri debeat, omnem Christi gratiam qua rectè operamur adeoque benè vivimus, circa ista duo vitia voluntatis superanda, curandaque versari. Nam indè profluit, quòd, ut aliquoties jam audivimus, si natura non esset istis vitijs sauciata *opitulatio Salvatoris inaniretur*, & *crux Christi evacuaretur.*

Illa quoque genuina veraque ratio est, cur istud benè viuendi adjutorium, pro quo largiendo Dominus crucifixus est, Augustinus subinde vocet, a *medicinale Salvatoris auxilium:* subinde b *medici gratiam:* subinde c *adjutorium medicinæ salvatoris:* subinde d *gratiam medicinalem:* subinde e *adiutorium medici potentissimi:* subinde f *gratiam qua sanatur natura per medicum:* subinde ut suprà latius diximus, *gratiam liberationis*, *gratiam liberatricem* à corpore mortis: g *gratiam qua arbitrium verè sit liberum*, ab illis jam dictis vitiis arbitrio dominantibus. Deniq; sæpiùs uno verbo genuini sensus prægnantissimo *medicinam.* Nempè ut omnes Christiani intelligerent de nullo gratiæ adjutorio cum Pelagianis ab Ecclesia disceptatum fuisse nisi de illo medicinali, quo vitia ignorantiæ maximèque concupiscentiæ superantur. Nam illud est, quod nobis Christus tanquàm medicus tulit; illud est quo natura salvatur, illud est quo infirmitas roboratur; illud est quod rogando postulamus, Ne nos inducas in tentationem; illud est denique quo juxtà doctrinam Apostolicam à Paulo traditam, ab Augustino assertam, liberamur de corpore mortis, hoc est, de vitiis corporis mortis hujus.

Quæ si paulò attentius considerassent, non ita exorbitassent nonnulli recentiores, ut cùm adjutorium gratiæ Christi quo nos adbenè vivendum adjuvat, negare vel interimere verentur, gratias nunquàm vel per somnium à Pelagio Augustinoque disceptantibus cogitatas, afferant, quibus sensa & pronuntiata sua tueantur. Alii namque concursum Dei generalem naturalemque cum voluntatis arbitrio, alii supernaturalem, alii gratiam habitualem, alii gratias concomitantes, alii physicam prædeterminationem, integris lætisque, Angelis & hominibus pariter necessariam, alii aliam proferunt, de quarum nulla inter eos unquam quæstio fuit. Sed de illa sola gratia controversia est, qua natura quæ peccando vitiata est, ita contra terrenas concupiscentias adjuvatur, ut affectus ab ejus servitute eruatur, ut in singulis oborientibus ad momenta singula tentationibus roboretur, ut cum libidinibus pugnet, ut superet, ut non in tentationem consentiendo inferatur. Quæ sane non est gratia habitualis, ut quam nemo justus in tentatione positus cum gemitu postulat; non concursus generalis, non supernaturalis, non gratia concomitans, quibus nemo contra fluctus irruentium libidinum roboratur, non prædeterminatio physica, quæ si illis credimus, & sanis & ægris pariter, nec minùs ad voluntatem robustissimam, quàm infirmissimam inclinandam necessaria est. Sed de his infrà pluribus ex propriis fundamentis: hic satis est ipsis crebro iteratis expressisque testificationibus Augustini commonstrasse, de sola ista *medicinali gratia* qua variarum libidinum impetus incessanter nos infestantiùs frangitur & sanatur cum Pelagianis fuisse quæstionem. Disertis enim verbis dicit: a *De illo nomine agi homine, qui gravibus est saucius confessus vulneribus:* b *de illa agi gratia quæ nobis per medicatorem medicina opitulatur:* c *de illa gratia qualibet nemesse, qua sit homo salvus per Iesum:* d *de gratia sine qua natura humana iam contenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari, totam cum ista verti quæstionem:* ideoque dicit, Pelagio fallaciter gratiam confitente, e *Catholicos iudices nullam in verbis eius intelligere potuisse, nisi qua liberari posse speramus de corpore mortis huius*, utpote *quam in Catholica Ecclesia notissimam noverant:* atque ita Pelagium qui eam negabat, f *infirmare medici gratiam:* g *opitulationem Salvatoris inanire.*

a *Lib. de natura & gratia cap. 34.*
b *Ibid. c. 39.*
c *Ibid. c. 48.*
d *Ibid. c. 53.*
e *Ibid. c. 53.*
f *Ibid c. 64.*
g *Vide supra cap. 3.*

Lib. de natura & gratia cap. 43. & lib. de perfect. iust. cap. 3. in

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Discrimen gratiæ *sanitatis*, & *medicinalis* à Recentiorum notitia valdè abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta discriminis. Libertas arbitrij ante peccatum, & captivitas post peccatum.

CVm ergò iste totius causæ status sit, A utrum sine *medicinali gratia*, sine *medicinali Salvatoris auxilio*, sine *medici opitulatione*. natura contenebrata atque vitiata benè possit operari, satis unicuique perspicuum est, similem istam esse quæstionem ac si disputaretur, utrum cœcus oculis, fractisque tibijs, sine medicinis possit cernere aut ambulare. Vbi cùm nemo sanâ mente dubitet, quid respondendum sit, ipsâ veritate in omnium cordibus clamante, medicinam ad illas actiones esse necessariam; simulatque ad animæ vulneratæ quæstionem venitur, velut occurrentibus tenebris, acies mentis hæret. Nam quàmvis naturis rerum perquam consentaneum esse videat, ut etiam in spiritualiũ rerum ordine, vulnera potentiarum, vitiaque medicinæ opitulatione reparentur, antequàm recta facultatis operatio possit sequi: quia tamen morbi istius natura, quo vires benè B vivendi labefactatæ sunt, à vulgari cognitione vehementer abstrusa est, hinc fit, ut ignorata etiam medicinalis adjutorij conditione atque necessitate; cum reipsa adjuterium oferendum est, nihil amplius medicinalis auxilij lathali infirmitati à plerisque ingeratur, quam si integerrima perstitisset peccantis arbitrij salus: & ab alijs vice versa, sanitati robustissimæ nihil minùs tribuatur, quam si fuisset pœnalibus vitijs temerata. Illi voluntatis liberæ creatorem de creaturæ laudibus prædicant, si gratiæ largitorem, utrique studiopletatis ducti Dei partes agere sibi videntur, sed illi imprudentes medicinam Salvatoris evacuant, si decolorant gratiam Creatoris. Inter utrosque sanctus Augustinus ita incedit medius, ut agnita stantis arbitrij dignitate, vires integræ libertatis longè altius quam recentiorum chorus extollat; & penetrata ruinæ ipsius profunditate, vires lapsæ C voluntatis longè acerbius concussas, quam vulgus putet, fractasque fateatur. Ex quo fit, ut juxta doctrinam ipsius, sicut in arbitrio primævę sanitatis, & consecutæ ægritudinis distantia suprà recentiorum suspiciones est longè maxima: ita quoque adjutorij *sanitatis*, & *medicinalis* sit extrema discrepantia. Quæ quibus in rebus constituta sit, accuratius constabit, si modum operandi utriusque, & à se invicem differentiam exploratam habeamus. Nam indè velut à nota perspicua, & obvia, in occultam utriusque naturam Deo juvante pertingemus.

Hæc igitur, ut quantum Deus vires dederit præstemus, memoria repetendum est id quod de primi hominis libertate differentes fusius diximus: cum illa videlicet voluntatis libertate conditum fuisse primum hominem, sicut & Angelos bonos, ut in neutram partem inclinatus solo suæ libertatis nutu alterutrum velle posset & nollet, juxta illam sententiam Augustini: *Quod* arbitrium *tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & malè.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Sic oportebat primis hominem fieri, ut & benè velle posset & male.* Quam voluntatis innocentis maximam libertatem & indifferentiam, in qua videlicet flexùs in alterutram partem, hoc est, ut benè vellet aut malè, à solo voluntatis nutu (non sine gratia) peteretur, fusè libro de statu naturæ innocentis declaravimus. *Lib. de Correp. & grat. cap. 11. In Enchirid. cap. 105.*

Ab hac felicitissima libertate in alteram electionis partem, hoc est, in peccatum, seu in malum propriâ sponte ita delapsus est, ut non solùm malè voluerit, seu peccaverit, sed etiam malè volendi seu peccandi servituti atque necessitati mancipatus sit, nisi per gratiam sublevetur. Nam præter peccati culpam malâ volitione commissam, arbitrium voluntatis profundis tenebris involutum est, viscosoque quodam pondere irretitum atque depressum est. (hoc est tenacissimo quodam amore creaturæ quam dilexit) quod ita voluntati dominatur, ut quocumque se vertat, quicquid arripiat, quicquid declinet, quoscumque vultus & formas induat, quantumcumque se viribus sursùm tollere, quibuscumque benè vivendi stimulis incitari videatur, non possit ab illa se viscosa catena expedire, nisi priùs caliginem ejus lux cœlestis effugaverit, & illas terrenæ cupiditatis compedes fregerit. Quod quamdiu non fit in tenebris, hoc est, peccatis jacet, tenebras diligit, tenebras in agendo, & cessando sectatur. Quicquid enim dilexerit, creaturæ limites non egreditur, & ita perpetuam terrenæ concupiscentiæ catenam trahit, cujus vinculis & servitute detinetur. Quem esse arbitrij lapsi statum juxta doctrinam sexcentis locis ab Augustino traditam, latissimè toto libro tertio de statu naturæ lapsæ demonstravimus. *Vide lib. 3. præcipuè c. 3. 4. 5. 6. &c. item 11. 12.*

Ex quo perspicuum est, vitium voluntatis, quod præter peccati culpam, peccando contraxit, in eo situm esse, quod post desertum Creatoris amorem rei creatæ dilectione cœcata, & undique perversa ac penetrata est, ita

ut

ut amissa illa utriusque partis indifferentia jam A ante gratiam & concupiscentia creaturæ omnibus actionibus dominante nutus ille imperialis invasus est: in beatis ab ardentissima charitate, quæ tantoperè in utriusque voluntatis arbitrio libertatique dominatur, ut omni sublata boni malique indifferentia, istorum nutum ad amplectendum bonum tantum, illorum ad malum tantum indeclinabiliter & insuperabiliter semper inclinet. Solus relictus est & his & illis quidam in suo quibusque vinculo indifferens sese volvendi motus, vt pro suo arbitrio hic & nunc singularia quæque bona vel mala appetendo sectentur: quæ in scholis libertas *exercitij*, & *contradictionis* appellari solet.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 24. *Illa est enim peccati pœna iustissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit.* Itaque quod jam homo sine gratia Salvatoris, amissa vnius partis libertate, benè velle non possit, supplicium est delinquentis; sicut benefacientis præmium, quòd amissa alterius partis libertate, malè velle non possit. Nam per ista præmia & supplicia, voluntatis liberæ status dumtaxat, non natura mutatur, quemadmodum imprudentes putant, qui quando certissimam illam Augustini doctrinam audiunt, B nescio ad quæ tanquàm exotica Manichæi spectra formidant. Sicut igitur nemini mirum videtur, quod benè volendo Beati in æterna beatitudine, malè volendi libertate spoliati sunt, ita nemo videtur, si in peccati damnatione peccator positus, bonæ voluntatis libertate privatus, ante adventum gratiæ de peccato in peccatum captivo arbitrio volutetur. Vndè liquet, quamdiu Angeli & primus homo in illa felici arbitrij libertate steterunt, penes ipsorum arbitrium fuisse nutum illum supremum, quod voluntas in hanc vel illam partem sive benè sivè malè volendo flecteretur. Nutus enim ille liberrimus erat voluntati, quem pro arbitrio suo, vel dando, vel retinendo, omnibus externis internisque actionis adminiculis, habitibus concursibus, gratiæ adjutorijs dominabatur. Hic nutus, hic flexus, seu ista suprema nuendi flectendique potestas, qua sese utrimque in bonum aut malum humana libertate ac dominatione librabat, supplicio non minùs cadentium, quam stantium remuneratione prorsus amissa est; dum utrobique indifferentis istius loco libertatis, servitus istius supremæ dominationis inducta est. Nam quemadmodum voluntas Beatorum serva facta est justitiæ, & peccatorum serva iniquitatis, juxtà illud Apostoli Petri ab Augustino sæpè repetitum: *A quo quis superatus est, huius & servus est*: ita quoque utrorumque arbitrium illa suprema & indifferenti ac dominativa sui in utramque partem flectendi libertate vel feliciter vel pœnaliter, spoliatum est. In peccatoribus enim

2. Pet. 2.

Quæ cùm ita sint, jam differentia *sanæ & ægrotæ* voluntatis, quantùm ad benè vivendum incipit subluescere; nempè voluntas sana ita robusta erat per institutionem primævæ suæ libertatis, qua primus homo creatus est rectus, ut se ipsa nutu suo perindè ad bonum volendum quam ad malum sponte flecteret, non à gratia vel cupiditate imperâte flecteretur. Erat enim plenissimè sui ipsius in utramque partem domina, cujus nutui quidquid habituum vel gratiarum, vel adjutorij intrinsecus vel extrinsecus adderetur, deberet fasces submittere, & ab illius velut Angeli impulsu exspectare aquæ motum, ut vel quiescerent, vel ad influxum operi conferendum ipsâ annuente raperentur. Nam quamvis arbitrium innocentis creaturæ *ita liberum fuisse* ab Augustino dicatur, *ut benè velle posset & malè*; non tamen hoc sine gratiæ adjutorio fieri potuisse censendum est. Quod alibi certissimis documentis demonstratum, hic supponimus. Nunc verò posteaquam est illa magna, robustaq; peccati merito amissa libertas, & peccandi servitus constituta, C rijt ab ægrota voluntate, ille imperativus benè volendi nutus, ut non magis ijsdem illis gratiæ adjutorijs, quibus ante in sua sanitate juvabatur, uti possit, quam si cœco ad cernendum lumen offerres. Nam ille sese flectendi erigendique nutus, potestati fractæ & ægrotæ libertatis extortus est, & à concupiscentia semper seipsam creaturasque diligente possidetur. Vndè per aliud novæ & medicinalis gratiæ genus, qua vitij istius intimis visceribus voluntatis infixi reprimantur vires & motus, frangendoque illa sanetur, ille nutus ac flexus eruendus, voluntatique dandus est, quem sibi ipsa suâ potestate dare non potest.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Affertur ex Augustino ac declaratur discrimen adjutorij sanæ voluntatis & ægrotæ, hoc est, adjutorij *sanitatis* & *medicinalis*, seu adjutorij *sine quo non*, & *quo*.

EX isto liberæ servæque voluntatis discrimine, quod ex Augustini principijs jam identidem traditis, proposuimus, jam utriusque gratiæ, *sanitatis & medicinalis* differentia, seu adjutorii quo voluntas sana in statu innocentiæ, & quo nunc post casum suum concupiscentialibus morbis ægra ad benè vivendum adjuvanda est, incipit sese ostendere. In eo quippè sita est, quòd illius primæ integritatis adjutorium sic adjuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa si vellet; nunc autem ipsum adjutorium facit ut velit. Hoc est, adjutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò post ruinam tale est, ut faciat annuere, & influere & velle voluntatem. Est enim observandum duplicis generis esse adjutoria voluntatis; nam aliud ejusmodi est, *sine quo* voluntas velle non possit, sic tamen ut velle & nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio: aliud *quo fit*, determinatè ut voluntas velit. Est enim illius naturæ, ut hoc ipso quo voluntati datur, confestim velit. Primi generis est, verbi gratia, lux respectu oculorum, species respectu intellectus, & hujusmodi. Sic enim adjuvant, ut sine illis quidem non possit opus fieri, non tamen illis præsentibus efficiatur ut fiat, sed hoc à liberæ volùtatis nutu pendet, quæ hujusmodi adjutoriũ & in usum assumere & negligere potest. Secũdi generis adjutoriũ, non est tale, sed hoc ipso quo datur simul usus ejus & influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suaptè efficaciâ facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invictè facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit. Talis est influxus omnis causæ formalis, hoc ipso quippè quo adest justitia, fit justus animus, & sine illa justus esse nunquàm potest. Quam duplicis adjutorii naturam ac differẽtiam libro primo fusius explicuimus, undè plenior intelligentia peti debet.

Hoc ergò verum & genuinum discrimen est inter utriusque status adjutorium, quod adjutorium sanitatis seu integræ libertatis influeret aut non influeret cum voluntate, prout voluntas vellet aut nollet, plenissimèque ipsius arbitrio in agendo & quiescendo subderetur: medicinale verò ipsum benè velle infidienti à grotæque voluntati tribuat, utpotè quod ipsa concupiscentiæ dominanti subjugata, de seipsa suaque libertatis impulsu etiam cum gratia quantumcumque magna sibi assistente, habere non posset quemadmodum olim potuit. Quod clarius fortassis ita dici posset, quod gratia sanæ voluntatis, in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur, gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deserat aut arripiat si voluerit, sed ipsa sit potiùs illa postrema gratia, quæ invictissimè facit ut velit, & à voluntate non deseratur. Quod discrimen tàm luculentè tradit Augustinus in lucubrationibus quas adversus hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere, nisi opinionis alicujus præoccupatæ caligo & præjudicium cernendi perspicaciam, judicandique libertatem impediverit. Hoc enim in primis probat ille diversus operandi modus, quem adjutoriis cujusque status tribuit; in quo velut immobili basi, tota doctrina de gratia & prædestinatione nititur. Quam si tollas, funditus universa ruere necesse est; quemadmodum à Semipelagianis, ut infrà pluribus, perspicaciter animadversum est. Hujus ergò differentiæ radicem detegens ita loquitur: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium* SINE QVO ALIQVID NON FIT, *& aliud est adjutorium,* QVO ALIQVID FIT. Declarat exemplis admodum perspicuis: *Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere.* Ecce differentiam duplicis adjutorii lucidissimã, non est ubi hæreat lector, aut caliget auditor, quoties extra præsentem controversiam disputatio est. Vnum est enim tale, ut non inferat vel inferat effectum propter quem datur, sed tantummodo *sine quo non* potest fieri. Effectus enim ab alia debet causa dominante, ipsumq; adjutoriũ secum rapiente seu applicãte produci. Ex quo fit, ut quantũcumq; magna præsto sint adjutoria, nisi

Lib. de corrept. & grat. cap. 12.

nisi illa causa dominativa, cujus arbitrio tota machina causarum concurrentium & adjuvantium ad motum impellitur aut retinetur velit, impulsumque agendi imprimat, nulla ex adjutoriis operatio secutura sit. Cujusmodi adjutoriis respectu voluntatis humanæ plenus est Orbis universus. Ipsa enim voluntas est, quæ quibuscumque corporalibus creaturis utitur ad scopum suum, quam licet adjuvent, non tamen aliter, ad summum, quam ita ut sine illis non possit opus voluntatis effici, non tamen ut per ipsas fiat, si voluntas nolit. Ipsa est quæ omnibus corporis sensibus quæ scientia & virtutibus intellectus, quæ propriis habitibus suis & bonis & malis utitur quando vult: nec ad peragendas actiones ejus ista concurrunt adjutoria, ut per illa fiant renitente voluntate, sed tantummodò ut sine illis non fiant, cum ea ad influendum secum voluntas rapit ut fiant. Alterum adjutorij B genus est, *quo*, simul ac datum fuerit, fit effectus, & si non detur nunquàm fiet. Nempè quia tantæ necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantæque efficaciæ, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat enim simul & posse & operari. Exemplum in Augustino manifestum est, quod jam dedimus. Hæc igitur cum sint veritate certissimâ & claritate liquidissimâ, videamus quid ad sanæ ægrotæque voluntatis adjutorium ex Augustini mente faciant. Nimirum hoc isto adjutoriorum discrimine spectat Augustinus, ut sciamus adjutorium sanæ voluntatis non fuisse talis conditionis, *quo* bonum opus fieret: hoc enim non conveniebat tàm robustæ liberrimæque voluntati, cum ipsa sufficeret, ut adjutorio quod sibi præsto aderat, si tantùm vellet, uteretur. Vt quid enim dare ipsum velle voluntati, quando illud ex seipsâ, non sine concurrente adjutorio obtinere poterat? C Erat ergò adjutorium ejus, non quo fieret, sed sine quo non posset opus bonum fieri. *Tale quippè erat*, inquit, *adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Adjutorium verò infirmæ captivæque voluntatis vult esse tale, *quo fiat*, ut velit. Hoc est, esse hujusmodi ut simul ac datur, ipsum velle voluntati detur, & si non detur, nunquàm velit, quia sine illo nunc propter infirmitatem velle non potest. Hoc est enim quod continuo adjutoria explicando subjungit: *Primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa*, hoc est perseveranter benè velle, *donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non* D *possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Hoc est, quod statim tanquàm ex Evangelicâ doctrinâ derivatum, ex Scripturis probat: *Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere*, quibus verbis adjutorium sine quo non possumus, exprimitur: *verum etiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus*, inquit, *verbis, eis non solùm justitiam, verum etiam in illâ perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebit?* Hoc est, quod cùm in præcedentibus iterum iterumque inculcasset, adjutorium primi hominis fuisse tale, *ut in eo maneret si vellet; ut illud per liberum arbitrium deserere posset; ut in eius libero relinqueretur arbitrio: quod desereret cùm vellet: in quo permaneret si vellet, non quo fieret. ut vellet*, & hujusmodi, tandem utrumque sibi conferendo subnectit: *Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ sit ut habeat homo justitiam, si velit: Secunda ergò plus potest, quia etiam sit ut velit, & tantum velit, tantoq; ardenter diligat, ut carnis voluntatem* (id est concupiscentiam) *contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Hoc est, quod ut tardissimis quoque satisfaceret, iterum repetit & repetendo commendat: *Nec illa quidem* (gratia sani hominis) *parvacerat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adjuvabatur ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto major est ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illâ, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Hoc est quod cùm iterum adjutorium sani hominis tale esse dixisset, ut *sine illo* quidem *bonum tenere non posset*, sed tamen ut vellet, in ejus libero relinqueretur arbitrio, opponens ei ægroti hominis longè potentius & altorius rationis adjutorium: *Nunc autem*, inquit, *tanto amplius datur per Iesum Christum Dominum* C *nostrum, quibus id dari Deo placuit, ut non solùm adjuvet sine quo permanere non possumus, etiamsi volumus, verum etiam tantum ac tale est ut velimus.* Hoc est quod rationem afferens ex illius adjutorij naturâ petitam, profundissimè subjicit: *Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus; quod non fuit in homine primo: utrum enim bonum in illo fuit, alterum non fuit.* Et quare non fuit datum homini primo haud secus atque secundo datum fuit? Nempè quia ipse acceperat posse perseverare si vellet, *quod ut nollet, de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset & malè.* Quo significatum cupit, nunc homini non sufficere posse perseverare si vellet, sed ipsum benè velle ipsi esse tribuendum, eo quod nunc arbitrium non ita liberum sit, ut cum hujusmodi etiam adjutorio benè velle possit & malè. Hoc est quod radicem diversitatis illius duplicis adjutorii ex ipsâ sanitate & ægritudine concupiscentiali voluntatem eruendo, præclarissimè doctissimeque docet: *Vt ergò non acciperet hoc donum Dei, id est, ut in bono perseverantiam primus homo, sed perseverate usque in finem, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio* (vi- delicet

Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

Ibid. c. 12.

Ibid.

Ibid.

Ibid. c. 13. init.

delicet cum adjutorio, sine quo perseverare non poterat) *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine illo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa* CONCVPISCENTIALITER *resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc verò postea quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Nimirum quia nulla interiori rixâ libertas illa sana discerpebatur, nulla luctâ lassabatur, nullo deorsum pondere premebatur, ut non nisi velle cum adjutorio concurrente à tantâ sanitate peteretur. Nunc verò difficultates gravissimæ superandæ sunt, non quibus corporis membra, sed quibus voluntas ipsa à volendo revocatur, dum concupiscentiali visco implexa, etiam tali adjutorio adjuta, aut velle aut satis potenter velle non potest. Tam enim dirum est istud concupiscentialis ægritudinis malum, ut non solum volenti homini difficultatem afferat ut languidè velit, quæ non nisi magnis (quibus caret) viribus arbitrii superanda est; sed etiam pestifera dulcedine creaturæ animum demulcendo voluntatem ipsam velle non sinat. Hoc est quod uberius naturam explicans utilitatemq; tanti adjutorii, quo superbia qua cecidimus, radicitus tollitur, dùm humanæ voluntati nihil omninò relinquit sui, magno verborum pondere & perspicuitate subtexit: *Ac per hoc ne de ipsâ perseverantiâ boni*, hoc est, perseverante boni volitione, *voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit* SINE QVO NON *possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint perseverantiæ eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideò sic volunt, quia Deus operatur ut velint.* Hoc denique est illud, quod rationem necessitatis tanti ac talis adjutorii inculcans sanæ voluntati non congruentis, ægrotæque capitaliter necessarii, perspicuè docet, ægram hujusmodi voluntatem neq; velle cum adjutorio Dei, neque permanenter velle posse, si usus adjutorii in ipsius libero relinquatur arbitrio, ita ut ipsum velle non in eâ Deus operaretur. *Nam si in tantâ infirmitate voluntatis hujus, in quâ tamen infirmitate, propter elatorem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut ex adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficiente infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* Hoc est quod continuo ex istâ adjutorii diversitate rationem petit, cur homo sanæ robustæque voluntatis divino munitus adjutorio tantâ facilitate corruerit; infirmissimus verò in sævientibus tentationum tempestatibus perseveret. Nempè quia quemadmodum oportebat sanus & fortis permitti ut adjutorio consentire si velit; ægro & imbecilli, hoc ipsum datur ut velit, & invictissimè velit: *Subcentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseveraverit.* Nempè causa in promptu est, quia voluntas invalida & imbecilla perseverat *per virtutem Dei*, hoc est per adjutorium quo fit ut velit; fortis & sana *habet virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei*, SINE QVO NON *posset perseverare, si vellet, non tamen tali* QVO *in illo Deus operaretur ut vellet.* Hoc ad postremum est illud, quod profundissimam finiens disputationem, tantæ diversitatis utriusque adjutorii rationem assignat præclarissimam, nempè magnam cum naturâ talium voluntatum, ac divinâ misericordiâ, sapientiaq; adjutoriorum congruentiam: *Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quid enim congruentius sapientiæ & misericordiæ Dei, quid ipsis naturis rerum magis consentaneum, quam ut robusta voluntas, sufficientissimo Dei adjutorio fulta, *sine quo* velle & perseverare *non* potest, optioni suæ relinquatur, adjutorio Dei utendo & perseverando, si velit: infirma verò, potentissimo Dei adjutorio ipsum velle & perseverare, & sui ipsius usum donante, muniretur?

CAPVT QVINTVM.

Inferuntur duo corollaria quibus accuratiùs declaratur discrimen duplicis istius adjutorij. Reijciuntur lex, scientia, revelatio, remissio peccatorum, gratia sufficiens, habitualis, congrua, efficax Recentiorum extrà limites adjutorij medicinalis Christi.

EX tot tamque manifestis Augustini testimonijs & inculcata toties doctrina, duo perspicuè colliguntur, quæ ad intelligendam plenè medicinalem Christi gratiam, & ab alia qualibet sanæ voluntatis discernendam plurimum faciunt, & quàmvis nihil præterea adderetur sola sufficiunt.

Primum est, nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut non utatur, ut illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat si voluerit, quantumvis sine illo non velit, aut velle non possit, esse adjutorium *quo* fit ut velit; sed tantum *sine quo non*: Et proindè ad medicinale adjutorium Christi nullo modo posse pertinere, sed ad adjutorium primi hominis & sanæ voluntatis esse referendum. Nam in eo consistit essentialiter differentia utriusque adjutorii, *sine quo non* fit actio, & *quo* fit, & consequenter sanæ voluntatis & infirmæ, Adami & Christi; quod auxilium *sine quo non* voluntatis, ut influat in volitionem & actionem pendet essentialiter à nutu voluntatis, illud ad influendum applicante: quod nisi consentiendo vel volendo fecerit, nullus indè influxus in actionem, effectusq; secuturus est. Nam istam ejus conditionem tam sollicitè, tam perspicuè, tanta verborum, sententiarumque repetitione commendat, quasi summo studio hoc unicum satageret, ne in perversum sensum cœlestis illa doctrina raperetur. Quid enim vel cœcis evidentius dici potuit, quam quod toties dicit primi hominis, sanæque & fortis voluntatis adjutorium hujusmodi fuisse, *non quo fieret ut vellet: non quo fieret ut perseveraret, non quo Deus operaretur ut vellet*, & hujusmodi; sed tale, *per quod posset permanere si vellet, per quod aderat ei posse, quod vellet, non velle quod posset; per quod acceperat posse si vellet*: tale rursum, *sine quo etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset: sine quo in bono non maneret: sine quo non posset in bono permanere si velit: sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet: sine quo omninò permanere non posset, sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Et ut apertius sine ullo obscuritatis ambiguo noscceremus, quo igitur modo se haberet istud adjutorii genus ad arbitrium voluntatis, utrùm illam secum ad opus raperet, an à voluntate pro libitu raperetur, identidem repetit, & inculcat studiosissimè, fuisse talis conditionis, quale videlicet liberrimæ sanissimæque voluntati congruebat, quæ nulla videlicet laborat imbecillitate, nisi quæ creaturæ naturalis est, ut *ad malum sufficiat, ad bonum verò nihil sit, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Hoc est fuisse gratiam talis naturæ, talis efficaciæ, talis influxus, quam Deus *reliquerit in eius libero arbitrio: quam per liberum arbitrium deserere posset.* Fuisse adjutorium, *quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet: quo fiebat ut haberet iustitiam*, hoc est opus justitiæ, *si vellet, sed si vellet etiam desereret: per quod posset permanere si vellet*: ut cum eo *perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio: ut dignè tantæ bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi cõmitteretur arbitrium: ut ei relinqueretur voluntas*, hoc est electio, *sua*: ut *fortissimo domiteret ac permitteret facere quod vellet.* Nullus Scholasticus quantæcumq; subtilitatis in intelligendo, & præcisionis in loquendo, & facundiæ in exprimendo, genuiniùs & accuratiùs, & clariùs nobis deliniare posset naturam adjutorij, quod vires præbeat quidem voluntati, ut cum illo posset bonum arripere, aut tenere si vellet; non tamen ipsum velle operetur, sed velle & nolle, arripere adjutorium ac deserere, consentire ac dissentire, in ejus libero relinquatur arbitrio. Si enim hoc in voluntatis arbitrio non relinquatur, sed ipsum adjutorium invictissimè donet ut velit, jam hoc ipso non est adjutorium *sine quo non*, sed *quo* fit actio: non adjutorium sanæ voluntatis, quæ suâpte sponte vegeta libertate suâ cum Dei adjutorio ad velle consurgit, sed ægrotæ & imbecillis, quæ ad bonum volendum ex concupiscentiali rixa erigi debet: non est denique adjutorium primi hominis, sed secundi, non creatoris, sed Salvatoris. Quod ne quis nimia fortassis tarditate adhuc non satis penetraret, etiam exemplis sensibilibus veritatem istam, de modo quo adjutorium sanæ voluntatis ejus arbitrio subderetur, planissimũ facere voluit. Docet enim ita se habere sicut alimentum ut vita teneatur, sicut lux ut oculorum objecta cernantur. Sunt enim adjutoria vitæ & oculorum, sine quibus teneri vita, & color cerni nequeat, non tamen quibus vivatur aut cernatur, si voluntas velit. Exemplum de alimentis jam supra dedimus. De luce accipe: *Nam & ibi* (in sana primi hominis natura) *esset adiutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant se præbere volentibus.* Hoc est si voluntas oculos ad intuendum præbere velit. Significat enim sanæ voluntatis adjutorium esse quantum ad operandi modum sicut lucem, cujus usus, ut cum ea videat oculus corporis aut non videat, pendet à volũtatis arbitrio. Non enim ipsa est quæ facit ut videas, quàmvis sine ea simul influẽte non videas, sed voluntas. Quod declarat alibi, ubi gratiam Salvatoris

vatoris medicinalem lucis ejusdem comparatione commendabat: sed in hoc statim annotat esse differentiam, quod Christi gratia facit velle voluntatem, cùm lux videre non faciat: *Etiam*, inquit, *ut convertamur ipse* (Deus) *adjuvat, quod certè oculis corporis lux ista non præstat*; nempè quia voluntatis, non lucis hoc officium est, ut oculus adjuvetur actu aut non adjuvetur, utatur aut non utatur luce, si voluntas velit.

Cùm igitur ista conditio adjutorii *sine quo non*, sanæque voluntatis, sit ipsâ luce de quâ tractamus clarior; nempè ut usus & non usus ejus in voluntatis relinquatur arbitrio; profectò eâdem claritate perspicuum est id quod diximus, nullum adjutorium gratiæ, cujus usus in voluntatis arbitrio relinquitur esse *adjutorium quo*, quàmvis sine illo simul concurrente velle non possit, nec esse adjutorium medicinale, seu gratiam Christi, de qua contra Pelagianos Augustinus & Ecclesia disputavit, sed ad summum esse tantum adjutorium *sine quo non*, seu adjutorium primi hominis sanæque voluntatis, quocumque tandem nomine appelletur. Ex quo fit ut neque lex, neque revelatio, neque sapientia aut scientia quæcumque aut qualiscumque, neque remissio peccatorum, neque gratia habitualis, neque virtutes, infusæ, ut quidam nimis aberrantes ab Augustini mente putaverunt, neque gratia sufficiens, neque gratia quam congruam vocant, quia sic adaptatur dispositioni voluntatis ut ei consensura videatur, sit illud adjutorium *quo* quod quærimus; sed ut summum tantum modo *sine quo non*: neque sit adjutorium ægræ infirmæque voluntatis, sed fortis & sanæ, nec adjutorium Christi Salvatoris sed Adami. Est enim non minùs manifestum atque certum, omnia hujusmodi adjutoria quantum ad usum & non usum plenissimè subjacere voluntatis arbitrio, usque adeò ut authores qui illas nobis pro gratia Christi venditant, qua voluntas in suis operibus adjuvetur, de nullo sibi contra prementes adversarios gratulentur magis, quàm quod illum liberum nutum voluntatis, quo utitur vel non utitur gratiæ adjutorio prout voluerit, relinquant integerrimum. Quod etsi non faterentur ipsi, per seipsa tamen tàm altè clamat, lex, scientia, quæcumque revelatio, remissio peccatorum, gratia tàm sufficiens quam habitualis, istam sibi adesse conditionem, ut supervacaneus esset in eo probando vel declarando labor. Nam istis omnibus adjutoriis maximèque gratia sufficienti & habituali utitur voluntas cùm voluerit, deserit ea cùm voluerit. Tribuunt enim ad extremum (si tamen tantum tribuunt) *posse si velis, non velle quod potes*. Nam ideò gratia sufficiens dicitur quia dat non voluntatem, sed sufficientem volendi potestatem.

De gratia illa congrua, quam magnâ verborum pompâ in gratiam Salvatoris Christi efficacem recentior Theologia subvexit, eadem omninò ratio est. Fatentur enim diserti verbis authores ejus, hanc esse mentem suam, eaque de causa præcipuè amplectendam esse gloriantur. Nam ita Molina: *Quo fit ut divisio sufficientis auxilij in efficacem & inefficacem, nostra sententia ab effectu qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur: illudque auxilium sufficiens sive maius sive minus in se sit, efficax dicatur, cùm quo arbitrium pro sua libertate convertitur, cùm tamen nihil eo auxilio impediente potuerit non converti.* Et paulò post: *In libera nostra potestate esse, vel illa efficacia reddere consentiendo & cooperando cum illo, vel inefficacia illa reddere continendo assensum & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo gratiarum dissensum.* Quod totâ illa disputatione ex professo inculcat, & ita verum esse explicat, *sicut concursus & influxus habituum virtutum ad nostras operationes pendet à cooperatione nostrarum potentiarum.* Ita prorsus & Lessius: *Fatemur liberum arbitrium directè esse causam cur his & nunc Deus influat in opus tum per sua dona, tum per seipsum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.* Et mox repetit, quod *liberum arbitrium causa sit, cur hic & nunc Deus influat in opus.* Et paulò superius: *Dicimus hominem divinæ gratiæ pro sua innata libertate posse consentire, sed non nisi cum auxilio eiusdem gratiæ; sicut qui habitu alicuius virtutis supernaturalis est præditus, potest pro sua innata libertate uti illa virtute, sed non nisi cum auxilio eiusdem virtutis.* Et capite decimo; *Rectè dixit Molina, quod gratia sit efficax vel inefficax pendere à libero arbitrio* (videlicet quod tale sit in actu secundo, seu quod influat) *addo ut in potestate liberi arbitrij sit, gratiam quæ secundum se est sufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu secundo. Quod non video quâ ratione negari possit, nisi quis nodum in scirpo quærat.* Eadem est omninò sententia Suarez, & esse debet, quicquid de Dei voluntate, conversionem vel actum voluntatis decernente, conjungat. Hoc enim efficit quidem ut aliter se ad hominem Deus habeat, non tamen ut aliter gratia cum voluntate operetur. Nam eâ de causâ efficaciam gratiæ in eo collocant inter cæteras, quod ita per præscientiam conditionatam adaptetur voluntati, sicut cum ea consensura prævidetur. Itaque Suarez ut cæteri apertè profitetur: *Ac male exercitum gratiæ in agendo vel determinatio eius ad agendum in tali tempore, vel inter dumetiam in tali specie actus, pendet à libero arbitrio, quatenus illa determinatio est actus eius: & licet etiam hoc modo à gratiâ dependeat, tamen sub hâc voce seu denominatione determinationis peculiari titulo potest attribui libero arbitrio propter proprium & intrinsecum dominium quod habet in actionem suam.* Hoc enim dominium voluntatis, ut pro suo arbitratu, quàmvis non sine gratiâ, se in alterutram libeat partem flectat, velut pupillam oculi, certatim isti tuentur Authores. Vndè alibi docet Author proximè citatus: *Nec ium efficax ut actu operetur consensum liberum in bonum, ultra sufficiens, excitans & adjuvans & actualem eius cooperationem cum voluntate, nihil necessario requirere quoad rem ipsam, seu nihil aliud addere ex*

Lib. de pec. orig. c. 5.

Vide Prædestinat. Sanct. lib. 3. de gratia, c. 4.

In concord. disp. 40. in 4. 14. ar. 13

Ibid.

Ibid.

Lessius lib. de grat. c. 11. n. 8. & 11.

Ibid. c. 10. num. 9.

Suarez lib. 3. de auxilio c. 14. nu. 2.

In opusc. 3. brevi resol. num. 46.

parte Dei præter illud auxilium gratiæ, quod in actuali concursu proportionali consistit. De quo addit paulò post: *Huic cooperanti gratiæ adiungendam dicimus cooperationem liberam nostræ voluntatis, in cuius potestate est impendere effectum gratiæ & illum efficere.* Quod non aliter sanè intelligunt, quam quemadmodùm voluntatem docent cum auxilio sufficienti posse cooperari, quàmvis reipsa non cooperetur. Vndè omnium istorum est ista notissima sententia, idem adjutorium in uno efficax esse posse & habere effectum, in alio non habere, ex diverso flexu libertatis: nihil in re includere ex parte hominis vocationem efficacem quod non includat aut includere possit vocatio sufficiens, si homo illa uti velit. Ex parte autem Dei, antecedere præscientiam effectus in uno & non in alio: tamen hanc ipsam differentiam non esse ex solo Deo, sed etiam ex libero arbitrio. Nam in hominis esse potestate (de quo Deus præscivit non consensurum vocationi) facere ut Deus præsciverit. Prout ipsi istis verbis, & alijs subindè liberi arbitrij dominium super usum gratiæ exaggerantibus dicunt. Denique tàm est illa nota & pervulgata sententia, de flexibili istâ voluntatis libertate sub gratia, ut Suarez ipse dicat: *Non est quod circa libertatem immoremur, quia potiùs nobis objicitur, quod plus nimio illi tribuamus.* Per libertatem autem intelligunt non id quod in scriptis suis omnibus de gratia Augustinus intelligit, sed semper illud jus dominatiuum voluntatis, quo penes ipsam illa ultima manet, ac decretoria sententia, ut pro sua in utramque partem indifferentia, se determinet, aut non determinet: quàmvis determinatio hìc & nunc, non fiat sine gratia concurrente.

Ex quibus profectò manifestissimum esse puto, authores qui congruam illam gratiam pro vera medicinali Christi gratia obtrudere moliuntur, nihil omninò proferre nisi adjutorium sanæ voluntatis primi hominis & Angelorum, hoc est, adjutorium non *quo* fiat ut voluntas velit, sed *sine quo non* potest se determinare vel velle, quemadmodùm idem Suarez illud explicat: *Non obstat*, inquit, *quod homo suâ liberâ determinatione hoc bonum accipiat: quia hanc ipsam liberam determinationem sine Deo inspirante & adiuvante habere non potest.* Sufficere enim putat hujusmodi esse adjutorium *sine quo non* potest voluntas velle. Vndè & cæteri omnes quotiescumque invidiam deprædicatæ nimium libertatis à se depellere conantur, semper hoc unicum inculcant, quod volitio, determinatio, consensus, actio fiat *non sine auxilio*, fiat cum auxilio gratiæ influente, fiat concurrente & adjuvante simul gratiâ, & hujusmodi. Vndè & Lessius locum soluturus: *Quis enim te discernit*, quem sibi vehementer vicebat adversum, clarè respondet non hominem se suis viribus discernere, quia *qui convertitur & credit, sperat, diligit, pœnitet,* NON ID FACIT SINE ALIQVO AVXILIO PHYSICO *trahente.* Et alibi: *Quod hic & nunc potiùs fiat conversio quam alias aut alio modo, huius causa directa & principalis est liberum arbitrium quàmvis* NON SINE AVXILIO GRATIÆ. Quibus locutionibus ex intimo fundo gratiæ congruæ depromptis, & naturam ejus genuinam exprimentibus, nihil omninò amplius tribuitur adjutorio gratiæ Christi, quam quod sit auxilium *sine quo* simul concurrente arbitrium se determinare, velle, consentire non potest: cujusmodi adjutorium Adami, cum reipsa Deum suâ voluntate diligebat, & stantium Angelorum fuit. Vndè etiam locutiones omnes, quibus Augustinus adjutorium sanæ voluntatis ornavit, de sua gratia sufficiente & congrua verissimas esse arbitrantur. Negare enim non possunt esse talem juxtà sententiam suam, *quam Deus relinquat in libero voluntatis arbitrio: quam per liberum arbitrium deserere possit: esse adjutorium, quod* ille cui datur, *deserat cùm velit, & in eo permaneat si velit: quo fit ut habeat homo iustitiam si velit, sed si velit, etiam deserat: per quod possit permanere si velit: ut cum eo velle & nolle, perseverare & non perseverare in eius libero relinquatur arbitrio: ut ei perseverandi committatur arbitrium: ut ei relinquatur voluntas sua: ut in eo adiutorio maneat si velit: tale* denique; *ut ei dimittat ac permittat facere quod velit.* Qui est unicus & proprijssimus character, quo sanæ voluntatis adjutorium à medicinali quod Christus attulit, discernitur. Et quid mirum, quòd adjutorium suum elogijs adjutorij plenissimæ sanitatis insigniunt, quandoquidem & ipsam lapsam voluntatem non aliter prædicant quam si plenâ sanitate frueretur? Nam in eo sanitas ejus erat constituta, quod, ut Augustinus, *arbitrium tunc ita liberum esset, ut benè velle posset & malè:* quàmvis sexcenties inculcet, nec tunc quidem sine Dei adjutorio concurrente benè velle potuisse. Si igitur etiam nunc concurrente simul adjutorio, & benè velle possit & malè, quis dubitet etiam nunc robustam & sanam esse voluntatem? Nec enim ulla ullius voluntas creaturæ fuit unquam, aut erit, aut esse potest tantæ sanitatis, roboris, aut libertatis, ut sine adjutorio Dei concurrente bonum apprehendere possit, aut in eo perseverare si velit; quemadmodùm jam diversis in locis ex Augustino declaravimus; sicut nec oculus tantæ sanitatis esse potest, ut sine adjutorio lucis operetur.

Opponet fortassis aliquis in August. doctrinâ minùs exercitatus, non esse adjutorium istud congruum adjutorium Adam, & *sine quo non*, sed potiùs *quo*: quia per istud reipsa voluntas vult & operatur & perseverat. Adami autem adjutorium tale dumtaxat erat, quo posset operari & perseuerare si vellet, non quo fieret ut vellet. Ideoque ipse nec voluit, nec perseveravit, cum adjutorio autem congruo quotquot accipiunt, illi & volunt & operantur & perseverant. Sed hoc omninò frustra & imperitè dici, ex secundo patebit Corollario.

Secundum itaque Corollarium, ex prædicta sancti Antistitis doctrina fluit, quod auxilium *sine quo non*, non transeat in auxilium *quo*, per hoc ipsum quod aliquis illo adjutus velit & ope-

Suarez opusc. de auxil. lib. 3. c. 14. n. 14.

Suarez in opus. tertio brevis resolutionis num. 52.

Lib. 3. de auxil. c. 15.

Lib. de auxil. c. 13. n. 10.

Ibid. c. 18. conc. 3.

Lib. de Corr. & gratia

& operetur: sed sive cum eo operari velit, sive nolit, ejusdem omninò naturæ & conditionis manet. Quod ex eo primo perspicitur, quia illa diversa adjutoriorũ genera, non ab effectu petita sunt, sed ex diversa operandi efficacia. Nam ideò semper extollit Augustinus maximam operandi vim adjutorij *quo*, quod Christus attulit, in ipsam voluntatem: *Sed hæc*, inquit, *gratia potentior est in secundo Adam: secunda plus potest, quæ etiam sit ut velit. Hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem &c. Nunc tanto amplius datur per Iesum Christum, ut non solum &c. Tantum ac tale est, ut velimus: Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint quia sic volunt &c.* Et hujusmodi plura quæ perspicuè significant adjutorium *quo* quod Christus per incarnationem dedit, esse longè majoris efficaciæ quam adjutorium *sine quo non*.

Vid. cap. 11. & 12.

Secundò istud manifestum est ex causis diversitatis, utriusque adjutorij. Nam causa cur Adamo & Angelis adjutorium dumtaxat *sine quo non* Deus erogaverit, fuit illa naturis rerum congruentissima; quia nulla concupiscentiali duarum voluntatum contentione vexati, suâ secum intus pace fruebantur; ex quo fiebat ut libertas eorum esset robustissima, ita ut utrumlibet vellet & nollet, solo nutu voluntatis arbitrium gratia adjutum impellente. Hanc enim libertatis fortitudinem fuisse causam dilutioris adjutorij frequenter Augustinus docet: ut quando dicit: *Qua* primi hominis gratia *demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij*: ut quando dicit; *Tales vires habebat eius voluntas, cui nihil ex seipsa concupiscentialiter resistebat ut dignè tantæ bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Vt quando dicit: *Cùm voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit.* Vt quando dicit: *Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet.* E contrario verò causam tàm potentis adjutorij, quod omnes oppositos internos externosq; obices perrumperet, nullam aliam assignat, nisi infrictæ infirmitatis concupiscentialis magnitudinem, quæ postulabat ut volũtas imbecilla adversus cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia, potentissimo adjutorio muniretur, quo cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus, vinceretur hic mundus. Nam hoc sibi volunt illa verba præclarissima: *Secunda ergò gratia Christi plus potest, quæ etiam sit ut velit, & tantum velit, tantoq; ardore diligat ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Hoc sibi volunt illa: *Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda venerunt infirmitas.* Hoc sibi volunt illa: *Nam si in tanta infirmitate vitæ huius ipsis relinqueretur voluntas sua, ut sine adiutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent; nec in illis Deus operaretur, ut vellent inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Et rursus illa: *Ita factum est ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei.* Et illa: *Infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Quæ manifestissimè probant ita fuisse necessarium tantæ efficaciæ adjutorium, ut nullo modo voluntas viribus internis fracta, tot objectas difficultates superare potuisset, nisi tanto ardore sancti Spiritus accenderetur: *Maior quippè libertas*, inquit, *est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt.* Quam ob causam *subventum est infirmitati humanæ ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Quibus tot iteratis testimoniis quid evidentius dici potest, quid prægnantius, ut intelligamus utriusque adjutorij diversitatem non ex eo peti, quòd cum uno voluntas pro sua libertate consentit, alteri non consentit, cum uno pro nutu suo cooperatur, cum altero non; vel quod hoc Deus ita futurum vel non futurum prægnoverit: Sed quòd talis ac tanta esset infirmitas lapsæ voluntatis, ut cum nullo adjutorio Adami vel velle posset, vel invictè velle: propter internæ enim cupiditatis pondus cum tali auxilio *infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non posset.* Hoc enim adjutorium supponit nihil esse in voluntate superandum: & si quid in ea superandum, hoc alio necesse est, fiat adjutorio. Ex quo fit impossibile ut propter solam cooperationem adjutorium *sine quo non* in adjutorium *quo* mutetur.

Lib. de Corr. & grat. 12.

Hoc tertiò inde manifestum est, quod adjutorium *sine quo non* Adami & Angelorum, sit adjutorium sanitatis, adjutorium autem *quo* sit medicinale. Illud est autem discrimen adjutoriorũ quibus adjuvantur sanæ facultates, & medicinalium quibus infirmæ, ut quemadmodum superius multis exemplis declaravimus, nunquàm sanitatis adjutorio læsa sanitas reparetur, etiamsi in immensum creseceret. Quis enim non intelligat oculo cœco nihil omninò prodesse lucis adjutorium, nihil tibijs fractis baculum? alterius enim rationis & naturæ tanquàm medicinali adjutorio priùs ipsæ vires sanandæ restituendæque sunt, quam istis adjutorijs sanitatis uti queat.

Quartò id manifestum est ex exemplis quibus Augustinus utitur, adjutorij *sine quo non*, alimentorum, & lucis, & navis, & pedum. Non enim alimentũ, aut lux, aut navis, aut pedes, in aliud genus adjutorij transeunt, quando in usum imperante voluntate sumuntur, & in aliud, quando in eâdem renuente relinquuntur. Vsus enim aut non usus non mutat naturam adjutorij, sed supponit. Imò verò tunc propriè est adjutorium *sine quo non*, quando in usum sumitur, tunc enim adjuvat, & secundùm naturæ suæ conditionem adjuvat, ut sine illo non possit fieri. Quòd tunc evidentius manifestatur, quando in eam em-

Lib. de Correp. & grat. cap. 12. Lib. de natura & gratia cap. 48. Lib. de gestis Pelag. cap. 1.

actionem utrumque concurrit. Nam verbi A gratia, lux est adjutorium sine quo non ut videamus, visio verò est adjutorium quo videamus. Ita non ideò fiet lux adjutoriũ quo quia lucem ad videndum admittimus. Nunquàm enim qualiscumque & quantacumque lux oculis affundatur, hoc ipso videbunt oculi quo præsto est lux. Hæc est autem definitio adjutorii quo, ut illo dato *continuo fiat propter quid datur*. Nunquàm igitur lux erit adjutorium quo, sive quis videat, sive non videat. Quod & Augustinus ipse animadvertit, quando differentiam adjutorii medicinalis Christi &

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 5. lucis notans, ut suprà diximus: *Etiam ut convertamur, ipse adjuvat, quod certè oculis corporis lux ipsa non præstat.* Idem de alimentis, de nave, de pedibus intelligere cuique in promptu est. Semper enim sunt adjutorium sine quo nemo vivat, naviget, gradiatur, Augustino itidem dicente, & ipsâ re clamante, *Alimenta non* B

Lib. de corrept. & gratia cap. 12. *consequenter faciunt ut homo vivat, sed tamen sine illis non possunt vivere.* Id autem quo posito statim vivimus, navigamus, incedimus, id verò est verissimum adjutorium quo.

Quinto hoc indè manifestum est, quia reipsa Adamus adjutorio sui status usus est, & Angeli, quibus adjutorium ejusdem generis juxtà doctrinam Augustini datum est, multo maximè. Nam utrique sicut sine illo adjutorio perseverare non poterant, ita nec quicquam omninò boni velle vel operari, quemadmodum hic in libro 1. fusè declaravimus. Iam autem & Adamus aliquamdiu stetit in bonâ voluntate in quâ creatus est rectus; Angeli verò boni in perpetuum. Neutrum fieri poterat sine adjutorio Dei, ergò uterque usus est isto adjutorio. Hoc autem non erat adjutorium *quo*, utpotè quod Adamo & Angelis tanquàm sanissimis & fortissimis nunquàm datum fuit, nec dari oportebat. Necesse est igitur ut fuerit adjutorium sine quo sive ex parte, sive ex toto permanere non poterant, quod apertius ex sequẽti capite patebit. Nam quod quidam ex libris de Civitate Dei obiiciunt Angelos bonos *amplius adjutos* esse, ut inde conficiant eos adjutorio *quo* & efficaci, & consequenter *medicinali* adjutos esse, non solum repugnat sanitati & plenæ libertati & statui Angelorum & naturæ medicinalis adjutorii, sed etiam quid sibi velit, *amplius* esse *adjutos* Angelos bonos, nullo pacto intelligunt, imò nec suspicione quidem assequuntur. Quod quia latè & perspicuè alibi demonstravimus, non est opus hic actum agere. Qui plura de adjutorii istius duplicis distinctione desiderat, eundem librum adeat ubi multa dicta sunt, quæ ad pleniorem hujus doctrinæ intellectum non mediocriter faciunt.

Lib. 1. 22.

Lib. de Civ. Dei cap. 9.

Lib. de bono primi hominis & Angeli cap. 11. & 15.

CAPVT SEXTVM.

Idem discrimen probatur secundo ex effectibus qui ex illo duplici adjutorio in Adamo ante & post lapsum; in Angelorum & hominum salvatione consecuti sunt. Proferuntur tres effectus istius diversitatis.

SED hoc ipsum discrimen adjutorii primi & secundi hominis capite quarto traditum, quod videlicet adjutorium *sine quo non*, in Adami arbitrio relinqueretur, ut illo pro suâ naturali libertate uteretur, vel non uteretur; adjutorium verò Christi *quo*, invictè donet ipsum sui & voluntatis usum, quem nunc à se habere non potest, multo luculentius ex effectibus eminebit, quos in Angelis & hominibus operatum est. Nihil enim declarat evidentius modum operandi causæ, quam modus quo effectus à causa fluit. Quæ doctrina ut plenius ex principiis suis percipiatur, memoria repetendum est id quod libro de statu primi hominis declaravimus, *adjutorium quo* primus homo & Angeli in statu primæ felicitatis adjuti sunt, non fuisse vel habitualem gratiam, vel concursum cooperantis Dei, sed fuisse verum & propriè dictum adjutorium actualis grãtiæ, quod singulis eorum operibus bonis, vnà cum libero voluntatis arbitrio influebat. Quod non solum diversis Augustini testificationibus clarissimis, sed etiam Conc. Arausic. definitione comprobavimus. Hoc igitur actualis gratiæ adjutorio, & influendi necessitate in singulas

Vide totum c. 12. & 13. lib. citati.

A eorum operationes bonas constitutâ, facilè ex solis effectibus utriusque adjutorii, discrimen quod tradidimus eruetur.

Primus itaque effectus illius diversitatis adjutorii est, quod Angelis & Adamo adjutorium illud *sine quo non*, non donaret meritum voluntati, quod illo licet cooperante nascebatur, sed hoc ipsa sibi voluntas pareret. Nunc verò gratia quantumvis arbitrium, ei simul influendo cooperetur, donat etiam ipsum opus & meritum, quod simul ex utroque proficiscitur. Nam hoc est quod in libro de correptione & gratiâ perspicuè profitetur: *Vnde autem non glorietur* nunc post lapsum *caro coràm ipso nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est,* PER LIBERVM ARBITRIVM: *propter quod non redditur liberandus nisi gratiâ liberantis.* Ecce per ipsum liberum arbitrium potuit habere merita status integer, nunc nullo pacto potest, nisi per gratiam liberantis. Et quamobrem obsecro? An tunc meritum sine gratiâ habere poterat? Absit. Apertissimè namque dicit: *Quamvis sine gratiâ nec tunc illum meritum esse posse fatentes.* Nimirum illa & vera & genuina ratio est,

Lib. 1. 22.

Lib. de corr. & gra. cap. 11.

In Epist. 106. cap. 2.

tio est, de quâ tradenda in eodem loco sum- A mis viribus satagebat, quod gratia status innocentiæ non donaret meritum, sed illud libero voluntatis arbitrio relinqueret, ut illud sibi ipsa vel daret, unà cum gratia pro suâ libertate cooperando, vel abijceret, nutum suum concursumque reprimendo. Nunc verò gratia potentissima & velle voluntati & consentire gratiæ, & cooperationem & meritum donat. Quâ de re plura vide libro primo nostro quem citavimus.

Secundus effectus illius diversitatis est, quod opus ac meritum quod sibi voluntas cum adjutorio *sine quo non*, parere poterat, futurum esset *humanum*; nunc verò divinum, tanquàm donum gratiæ Dei. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.* Cur quæso merita nunc humana conticescant? Cur merita in Adam periere, cùm B nec ibi sine Dei gratia meritum haberetur? Nempè, quia ab homine, non à gratiâ proficiscebatur, quòd ejus adjutorio voluntas uteretur. Vt enim satiatissimè docet Augustinus, Deus illud *adiutorium in humane voluntatis arbitrio relinquebat.* Vndè fiebat necessariò, ut quàmvis opus non fieret sine gratiâ, non tamen gratiæ sed voluntati tribui deberet, licet operatio & meritum ex utroque sequeretur. Quemadmodùm hoc Scholastici recentiores satis disertè explicare norunt, quando in voluntatem referunt neglectũ gratiæ sufficientis, & determinationem gratiæ congruæ, quæ simili modo ut adjutorium primi hominis præsto est voluntati, quemadmodùm suprà ex propriâ eorum confessione declaratum est. Nemini enim dubium esse potest, tam hominis esse, & homini tribuendum esse, & humani operis esse, quod quis aureo calamo C scribat, quam stanneo vel plumaceo; quod quis habitum virtutis ad opus applicet, quam vitii. Vt nihil rectiùs ab Augustino dici potuerit, quam humana fuisse futura Adami merita, taliaque merita, hoc est, talium meritorum potestatem in Adamo periisse. Vt sic intelligeremus illam diversitatem duplicis adjutorii; illius videlicet quo tunc concurrente homo sibi meritum comparare poterat, & illius quo nunc faciente meritum homini à Deo dari debet.

Tertius effectus ex secundo fluens, quod tunc æterna beatitudo non esset consequenter gratiæ specialis donum, sed *mercis* meriti futura: nunc ipsa quoq; beatitudo gratis detur. Sciendum est enim mercedem habere quandam cum gratuita donatione repugnantiam. Nemo quippè dixerit id tanquàm mercedem dari, quod omnibus modis gratis datur, sicut hoc Apostolus ad Romanos docet: *Si autem gratia iam non ex operibus &c.* Merces enim intrinsecè meritum respicit. Hinc fit, ut ubi meritum est gratuitum gratiæ donum, merces quoque sit gratia; & è contrario, ubi meritum non est speciale gratiæ donum, sed ex humanâ voluntate proficiscitur, nec merces quoq; speciale donum esse possit. Iam autem docuit Augustinus Adami meritum (idemque de Angelis judicium est) quàmvis non sine gratiâ adjuvante fieret, non tamen gratiâ donante comparatum; undè ex consequenti constanter tradit, gloriam eis mercedem futuram fuisse, quæ nobis est gratia: *Quæ* (confirmatio gloriæ) *futura erat homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Quod non aliâ ex causâ verum est, vel esse potest, nisi quod gratia primi hominis & Angelorum non erat adjutorium *quo* meritum fieret ac donaretur; sed tantùm *sine quo non* fieret, ipsâ voluntate hoc sibi meritum operante ac donante, in cujus libero arbitrio & usus adjutorii & meritum relinquebatur. Nunc autem gratia medicinalis est adjutorium *quo* fit meritum, hoc est, quo Deus infirmam voluntatem & velle & operari facit & meritum donat. Ex quo necesse est, ut consequenter tali voluntati *vita aterna sit gratia.* Vt enim rectissimè Augustinus: *Et ipsa* (vita æterna nunc) *gratis datur quia gratis data est illa cui datur*, hoc est, ut explicat, vita bona seu meritum gloriæ, quod in primi statûs integritate non gratis donabatur, sed pro voluntatis arbitrio, non sine gratiæ adjutorio, parabatur. Quâ de re vide plura ex Augustino in eodem libro nostro de statu primi hominis & Angelorũ disputata.

Ib. de gratia lib. arb. cap. 15.

Rom. 11.

Lib. de corrept. & grat. cap. 12.

CAPVT SEPTIMVM.

Profertur quartus effectus illius diversitatis.

QVARTVS effectus illius diversitatis adjutorii est, quod Angeli boni reipsa per liberum arbitrium in veritate steterunt, & in ipso gratiæ adjutorio permanserunt: nunc ipsa permansio in veritate & gratiâ, per medicinale adjutorium libero arbitrio dari debet. Docet hoc frequenter Augustinus, qui quemadmodùm operari & mereri tribuit viribus integræ libertatis Angelorum, ita etiam in veritate A persistere, concurrente scilicet primi generis adjutorio sine quo permanere non poterant. Nam cùm de Adamo sæpiùs dixisset Augustinus, quod haberet adjutorium sine quo non poterat perseverare, si vellet, utriusque partis optione in ejus arbitrio collocata, tàdem adjecit: *Sed quia noluit permanere, profecto eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis*

Lib. de corrept. & grat. cap. 11.

PER LIBERVM ARBITRIVM, PER IDEM LIBE-

LIBERVM ARBITRIVM *steterunt ipsi.* Et in eodem loco superius, cùm de reprobis dixisset Angelis, *per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt*; similiter flexum libertatis in alteram partem indicans, *Cæteri autem per idem liberum arbitrium in veritate steterunt.* Cujusmodi testimonia plurima vide eodem libro nostro, ubi susè declaravimus Adamum, perindè atque Angelos, viribus primævæ libertatis, benè velle, operari, mereri, credere, sperare, diligere Deum, adeoque ad finem usque in gratiâ perseverare potuisse; & hoc Angelos bonos reipsa per liberum arbitrium, non tamen sine adjutorio, sine quo nihil istorum poterant, præstitisse: quorum nihil omninò tracta nunc boni libertate, per ipsum arbitrium fieri potest, sed omnia ista per solum medicinale Christi *adiutorium quo*, non tamen sine voluntatis arbitrio donari debent. Nam indè est illa præclarissima profundissimaque sententia, qua cuncta solidè dilucidèque comprehendit: *Non est hoc* (videlicet non discedere à Deo seu permanere cum Deo) *omninò in viribus liberi arbitrij quales nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet.* Audis non esse nunc in viribus libertatis permanere cum Deo, fuisse verò antequam caderet. Sed quia quispiam comminisci posset, talem fuisse potestatem illam Adami, qualem nonnulli per sufficientem gratiam dari fingunt, quæ fuerit tantùm ad posse, non ad velle; seu quæ semper ab actu separata remaneret, attende reliqua: *Quæ tamen libertas voluntatis, in illius primæ conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in quâ nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt.* Ecce *tantum valuit* libertas voluntatis in primâ conditionis præstantia, ut aliis per liberum arbitrium cadentibus, alii *per idem liberum arbitrium*, ut ante dixerat, in veritate perstiterint: quantumvis, ut alibi demonstratum est, nec ipsi quicquam boni sine gratiæ adjutorio aut fecerunt aut potuerunt. An fortè suspicaris, etiam nunc per liberum arbitrium homines posse accedere ad Deum aut permanere cum Deo? Iam suprà sensum ejus audivimus; sed quia res ardua, obscura, & à Philosophiâ Aristotelis quam de libero arbitrio tenuit, remotissima, iterum repetendo commendat: *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Et quæ differentiæ istius est vel esse potest ratio, nisi quam ipse tantâ manifestatione declaravit, tanta cura commendavit, tot pœnè fastidiosis repetitionibus inculcavit in illo præcedenti libro, cujus doctrinam in isto propugnabat? Nempè quia adjutorium primi hominis & Angelorum erat adjutorium *sine quo* operari aut perseverare *non* poterant, sed in ipsorum arbitrio ita collocatum, ut cum illo perseverarent in veritate, si vellent. Ex quo sequebatur necessariò, ut (quemadmodùm hoc etiam ipsemet Augustinus jam suprà tradidit) & stare in veritate, perindè ut cadere ex veritate possent per liberum voluntatis arbitrium. Cujus exemplum in seipsis pro utrâvis parte Angeli præbuerunt. Nunc verò, postquàm illa magna potestas & libertas voluntatis per concupiscentiam violata est, ipsum velle bonum, ipsum operari bonum, ipsum perseverare in bono, per adjutorium Christi *medicinale quo* ægrotæ infirmæque voluntati dari debet, quæ alioqui cum quocumque adjutorio *sine quo non*, seu adjutorio sufficiente aut congruo talem libertatis vegetam potestatem postulante, nunquàm in æternum est volitura, aut velle potest. Et ista vera ratio est, cur indifferentiam talis adjutorii causamque dandi illud innocentibus creaturis, semper in potentiam arbitrii sani referat, utpotè, quod ita liberum esset, *ut benè velle posset & malè*, hoc est, ut seipsum posset non tamen sine adjutorio, in utramvis partem flectere. Nam hinc est illud: *Quæ libertas in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis.* Hinc illud: *Quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij.* Hinc alia multa, quæ superiùs de istâ potentiâ primævæ libertatis diximus. Imò verò ipsissima genuina, vera ratio, cur Deus tale genus adjutorii, quod non voluntatem secum raperet ut sibi coinflueret, sed ad coinfluendum secum à voluntate raperetur, hæc erat, ut per hoc daretur locus ostendendi quantus esset vigor ac potestas integræ libertatis, quæ sibi ipsi & opus & meritum & perseverantiam dare, adjutorio sibi cooperante, poterat. Vide quanta istud constantia & asseverantia, tanquàm Apostolicam fidem Apostolicis verbis traderet, hoc Augustinus affirmet: *Salubérrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumq; rerum omnium sic ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet,* QVID POSSET EORVM LIBERVM ARBITRIVM: *Deinde quid* POSSET *suæ gratiæ beneficium iustitiæq; iudicium.* Et quid tandem potuit eorum liberum arbitrium? Nimirum, cum adjutorio *sine quo non* in veritate stare, quemadmodùm cadere ex veritate. Hoc enim est istud quod subjungit, quod malis cadentibus per liberum arbitrium, *cæteri* PER LIBERVM ARBITRIVM *in veritate steterunt.* Et quid potest suæ gratiæ beneficium? Nimirum per aliud adjutorium *quo* ipsum velle voluntati restituere, ut non solùm velit, sed adversus omnes propriæ concupiscentiæ tempestates invictè velit: quod ei cum pristino gratiæ adjutorio post miserabilem suum casum per liberum arbitrium impossibile est.

Ibid. c. 10. *Vide lib. cit. cap. toto 7. & 8.* *Lib. de dono pers. c. 7.* *Ibid.* *Ibid.* *Lib. hom. ult. cap. ii.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Profertur quintus effectus ejus.

QVINTVS effectus diversitatis istius adjutorii, maximi momenti est, atque essentialiter connexus præcedentibus; quod ubi adjutorium *sine quo non*, seu sanitatis datum est, ubi homines meritis, hoc est, per liberum arbitrium discernendi erant; ubi adjutorium *quo* per gratiam Dei. Audet hoc Augustinus, & juxtà principia sæpiùs tradita, merito audet: *Non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in suâ sapientiâ prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ civitati impleret*; NON EOS IAM MERITIS DISCERNENS, *quandoquidem universa massa tanquam in vitiatâ radice damnata est, sed* GRATIA *discernens, & liberatis non solùm de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur ostenderet.* Vbi quod dicit, NON IAM MERITIS DISCERNENS, manifestè indicat discretionem illam ante peccatum futuram fuisse *per meritum*. Quod quàmvis non traderet Augustinus, ex toties inculcatæ doctrinæ fundamentis, consectaneum esse, cuivis vel mediocriter perspicaci liquet. Vbi enim gratiæ adjutorium tale tantaxat est, *sine quo non* possit aliquis operari si velit, non autem (quale nunc datur) *quo* fiat ut velit, sed velle & nolle in libero relinquatur arbitrio, ibi liberi arbitrii flexus adjutorium arripientis aut respuentis primam diversitatem facit. Ex quo infallibili nexu sequitur discretionem indè pullulantem, libero arbitrio voluntatis, quàmvis non sine gratiâ, esse tribuendam.

Hæc ergò causa est, quam profunda sua perspicacia Augustinus expressit, ut quia scholæ recentioris adjutorium sufficiens atque congruum non est aliud, ut suprà ostendimus, nisi adjutorium *sine quo* arbitrium velle non potest, quisquis per illud velit aut operetur, ipsum bonum à malo, salvandum à damnando suis meritis, hoc est, propriâ arbitrii sui voluntate discernat. Nihil enim hîc juvat quod eadem eadem ingeminant, non esse nudum voluntatis arbitrium, quod discernit, sed intimè cum adjutorio gratiæ conjunctum, sine quo nec opus, neque consensum, neque flexum, neq; motum, neq; nutum ullum quantumlibet minimum producere voluntas aut moliri potest. Hæc enim folia sunt ficulnea sub quibus gratiæ primi status potestas viget, sed gratiæ medicinalis Christi interitus latet. Etenim quando ad eandem actionem producendam plura concurrunt, sine quibus perfici nequit (quænam est enim quæso actio creaturæ, quæ non plerumque ex parte facultatis, medii, objecti, ceterarumque vel dispositionum vel principiorum complura postulet?) omniaque se habent ad illam ex parte principii in actu primo, quamdiu ab actuali influxu præsiduntur, quis unquàm negandum arbitratus est, ex illo principio vel causâ, vel concausâ, vel instrumento vel adjutorio, vel qualitate nasci determinationem ad agendum adeoque discretionem agentis à cessante, quod est causa efficax primi impulsus ad agendum, seu quo causa à non agendo extrahitur, ut actu agat? Oculus ad videndum tam multis indiget præparationibus, organo benè dispositio, aëre temperato, luce congruâ; quis ita ligneus est, ut discretionem videntis à non vidente, non ex organo, non ex medio, non ex lucis adjutorio, non ex concursu Dei proficisci sciat, sed ex voluntatis arbitrio, quantumvis nec absque oculo, nec absque medio, nec absque luce, nec absque Dei concursu hoc fieri queat? Quis nisi contentiosus abnuat, si homo moralis justitiæ, temperantiæ, castitatis habitibus vel aliis præditus, nunc temperanter, nunc justè, nunc castè operetur aut cesset, discrimen operantis à cessante, non ex habitibus, non ex corporis aut animi dispositione, non ex intellectus cogitatione, non ex objectis efficaciter nasci, sed ex solo voluntatis arbitrio, quod cum omnibus istis quando libet operatur, & cessat iterum quando libet? Hoc de intellectu ratiocinante, de voluntate externa opera moliente, ad quorum actiones phantasmata, species, principia, concludendi habitus, aliave complura necessaria sunt, & in similibus infinitis apertissimum est. Nemo quippè tàm ficulneus est, ut non intelligat discretionem attendentis à non attendente, ratiocinantis à non ratiocinante, utentis à non utente, amantis à non amante, non ex phantasmate, non ex intelligibili specie, non ex habitu, non ex ullo prævio vel circumstante adjutorio, *sine quo non* potest actus fieri, sed ex libero flexu voluntatis effici; esto cætera ita tantà necessitate concurrant, ut nullum actionis initium, vel nullus gradus, nulla formalitas sive illis concurrentibus produci queat. Fatemur itaque cùm in eorum sententiâ liberum arbitrium ad agendum cum adjutorio congruo se determinat, non hoc fieri sine gratiâ, sed ipsâ suadente, invitante, juvante, roborante, concurrente. Nemo peritus invidiam eis de gratiâ prorsus repudiatâ creat, quasi totum nuda potestas voluntatis efficeret. Sed hoc est quod verissimum esse in eorum opinione contendimus, positis jam omnibus istis gratiæ congruæ adjutoriis momentum & motum, & flexum, & nutum primum efficacemque in actionem ab illa dominum sui habente arbitrii potestate proficisci: quemadmodum nutus primus in visionem, in scriptionem, in intellectus discursum, in temperantiæ moralis

aut

aut cæcitatis actionem, non à lumine, digitis, arte pingendi, habitibus & cæteris adjutoriis cooperãtibus, sed ab arbitrio imperante proficiscuntur, quod omnia ista recensita adjutoria ad agendũ impellit, determinat & rapit. Nam hinc sunt illæ phrases eorum vulgatissimæ, quibus vel tardissimis explicant luce clarius meridianã sensum suũ. Gratia est *veluti instrumentũ, quo liberum arbitrium uti vel non uti potest. Totus influxus gratiæ in opus, & tota eius efficientia est in potestate liberi arbitrij, & pendet ab eius applicatione & cooperatione. Habituum usus subest nostræ libertati, usque utimur, non utimur, incipimus, desinimus uti longiore aut breviore tempore, prout volumus. Idem dicendum de auxilijs gratiæ prævenientis, sive in habitu aliquo consistant, sive in actuali inspiratione intellectus vel affectione voluntatis. Hæc enim omnia non determinant liberum arbitrium, sed solum vires vires tribuunt quibus uti vel non uti potest, perinde ac si ei naturales forent. Nisi influxus & efficacia gratiæ in opus subesset potestati liberi arbitrij, opus non esset liberum. Omninò fatendum est quod gratia sit efficax in actu secundo*, hoc est quod efficiat, *id pendet à libertate arbitrij. Ratio cur gratia hic & nunc influat in opus, referenda est in liberum arbitrium gratiã sic utens.* Gratia subjecta est libero arbitrio, sicut spiritus prophetiæ Prophetis subjectus est, & hujusmodi, quas ita sanas putant, ut eas Catholicæ fidei nomine indigetare non vereantur. Quod si non haberemus aliud quam istam eorum receptissimam communemque confessionem, nobis abundè sufficit ad id quod agimus. Per hæc ipsa namque invictè probant discretionem utentis gratia à non utente, positis omnibus adjutoriis voluntatis ad actionem concurrentibus, à libero arbitrio proficisci. Sicut prima discretio utẽtis habitu à non utente, à libertate proficiscitur. Sicut enim usu habitus, non ipso habitu, ita & usu adjutorii, non adjutorio discernimus. Ex quo necesse est irrefragabili consecutionis lege consequi, quod istud adjutorii congrui genus non sit aliud quam adjutoriũ *sine quo non* potest actus fieri, non *quo* fiat: ac proinde esse sanæ, non infirmæ voluntatis, esse primi hominis, non secundi. Alterutrum enim necesse est, ut in utendo vel adjutorium voluntati, vel voluntas adjutorio dominetur. Si voluntas dominetur, ut adjutorium in ipsius libero relinquatur arbitrio, jam ex ipsissimis Augustini describentis verbis, est Adami sanæque voluntatis adjutorium. Nempe non illud *quo* fiebat, ut vellet & perseveraret, sed *sine quo* velle & perseverare non poterat; ita videlicet ut adjutorium gratiæ, & ipsum *perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio*: quibus verbis & August. indifferentiam adjutorii istius & voluntatis expressit, & ipsimet exprimere solent. Sin autem adjutorium voluntati dominatur, ita videlicet ut usus & non usus ejus non in arbitrio voluntatis relinquatur, sed ipsi voluntati, sicut Augustinus loquitur, invictissimè donet ut velit; jam erit adjutorium *quo*, sed eorum congruæ gratiæ capitaliter adversarium. Perit enim illa potestas arbitrii dominatrix utendi gratia medicinali Christi, & non utendi, quam tantoperè prædicant, & sequitur usus adjutorii per ipsum adjutorium *comitante non durente, pedissequa non prævia voluntate.* Epist. 106.

Quod verò causantur, Deum indeliberatis motibus excitare ac delinire voluntatem, adeoque desiderare, velle, decernere ut cum isto adjutorio operetur; benevolentiam quidem Dei celebrat, sed vim argumenti intactam præterit. Semper enim hoc eis fixum & constans manet: qualescumque adjuvantis gratiæ motus, quibus voluntatis duritia molliatur, ab ultimo imperiali voluntatis pendere decreto, ut reipsa influat adjutorium aut non influat, sequatur effectus aut non sequatur. Hoc est, istorum motuum adjutoria in *libero relinqui voluntatis arbitrio*: qui est genuinus & ipsissimus character adjutorii *sine quo non*, sanæque voluntatis, prout illud nobis Augustinus declaravit. Ex quo efficitur ut impossibile sit discretionem hominis non proficisci radicaliter ex voluntate, concurrente licet adjutorio, sicut hoc multis exemplis declaravimus, & in operibus malis cuivis non contentioso ad oculum ostendi potest. Quis enim neget motus blandientes cupiditatis internæ vehementissimos esse, motibusque gratiæ, quales Neoterici statuunt, omninò similes? Nec tamen ullus eorum dixerit, dæmonem suadentem, aut mundum, aut carnem, aut ipsos denique qualescumque internos titillantesque concupiscentiæ motus esse, qui discernant amplectentem à respuente, sed liberum voluntatis arbitrium quod ex eorum sententia omnibus illis motibus suâ potestate dominatur. Quod si similiter motus gratiæ seu adjutorium Christi medicinale *in libero relinquatur voluntatis arbitrio*, quod ipsa *deserat si velit, & in quo permaneat si velit*, atque ita etiam facere & non facere, perseverare & non perseverare in ejus relinquatur arbitrio: quemadmodum hoc eâdem adductâ malorum motuum similitudine Molina profitetur, quis ita cæcus est, ut non videat discretionem ab ipsa voluntate, non tamen absque adjutorio, sine quo velle, facere & perseverare non potest, proficisci; atque ita meritis voluntatis homines ut ante lapsum, non adjutorio *quo* faciente discerni?

Multo verò minùs præscientia Dei conditionata vulneri, quod Christi Salvatoris adjutorio infligitur, mederi potest. Illa quippè adhibetur, non ut *gratia sibi humanam subjiciat voluntatem*, prout Prosper postulat, atque ita detur ei medicinale Christi adjutorium *quo* fiat ut velit; sed ut hoc ipsum quo adjutorium Adami ab adjutorio Christi essentialiter distinguitur, incolume tueantur. Nam istius præscientiæ beneficio hoc assequuntur, ne adjutorium invictè rapiat voluntatem, adimatque potestatem illam indifferentem, qua utitur vel non utitur adjutorio si voluerit: hoc est, ut per hoc adjutorium detur voluntati posse si velit, velle verò & nolle, uti & non uti adjutorio, in

Apud Lessi. de prædest. imm. 72. fol. 363. & seq.

Lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12.

eju-

eius libero relinquatur arbitrio. Deus enim explorat libertatem ejus, quo sese, inquiunt, cum quolibet, sed pro libero nutu suo, conversura sit: *Praevisio Dei*, inquit ille, *nullo modo officit libertati voluntatis, quia cooperationem & influxum non efficit, sed supponit, & ab eo quodammodo pendet.* Quibus conformia etiam passim alii docent. Nam illis explicandi modis nihil efficacius proferri posset ad probandum quod illud ipsum adjutorium *sine quo non* (quod tanquàm sanæ voluntatis adjutorium Augustinus explicuit) tanquàm Christi medicinale adjutorium recentiorum schola defendat. Vnde quando premuntur ab adversariis, quod nimium libertatem voluntatis efferant, imprudentes ipsissimis etiam Augustini phrasibus, quibus in explicanda primi hominis & Angelorum gratia usus est, sententiam suam ab eorum telis & seipsos ab impietate defendunt. Nam redarguti quod in ista sententia, prædestinatio & gratia Dei non sit causa postræ cooperationis sed effectus, negant hoc sequi, quia inquit ille, à Deo habemus *vires & auxilium, sine quo non possimus ad bonum opus cooperari.* Et mox addit, quod *voluntatis determinatio & influxus quodammodo sit prior ratione influxu gratiæ.* Et alibi alius ostendere volens Deum esse qui discernat homines: Quia, inquit, *hanc liberam determinationem voluntatis, sine Deo inspirante & adjuvante habere non potest.* Nimirum ut non tantùm explicandi modo, sed & ipsis verbis probent, se adjutorium *sine quo non*, pro medicinali Christi adjutorio *quo*, disputanti ipsis obtrudere; ut quemadmodum olim integrâ libertate futurum erat, ita & nunne homines *meritis*, non *gratia* meritum donante *discernantur.*

Leffius libr. 2. c. 25. dub. 9. n. 52.

Suarez t. 3. de auxil. c. 15. num. 7.

CAPVT NONVM.

Idem discrimen eademque natura gratiæ Christi probatur tertio ex differentia adjutorii *possibilitatis*, quod Pelagiani condiderunt, & *voluntatis atque actionis*, quod horruerunt.

SED ista natura adjutorii medicinalis, pro quo largiendo Christus crucifixus est, ulterius ex gravissimo conflictu Pelagii & Augustini perspicuè declarari & probari potest. Quod ut à fundamentis intelligatur, sciendum est duas fuisse distinctas Augustino cum Pelagio controversias. Vna fuit, quod, aut quale esset adjutorium Christi? hoc enim Pelagius asserebat esse legem atque doctrinam, sapientiæ, scientiæque revelationes, peccati remissionem, Christi exemplum, atque hujusmodi de quibus ante diximus; Augustinus è contrario, esse occultam subministrationem Spiritus sancti. Altera, quis esset adjuvandi modus adjutorii medicinalis, utrum tantummodo *possibilitatem*, hoc est, potentiam seu potestatem bene viuendi adjuvaret, an verò etiam *voluntatem*, hoc est, volitionem & *actionem.* Inter illa verò adjutoria, quantum ad adjuvandi modum, ista est differentia; quod adiutorium possibilitatis affert plenam operandi potestatem, in qua natura ejus absolvitur: concursus verò ipsius ad volendum aut operandum, aut neglectus ejus, à voluntatis nutu pendeat, ita videlicet ut non obstante possibilitatis adjutorio, *liberum hominis sit*, ut Pelagius aiebat, *nec voluntatem bonam habere nec actionem*; quamvis quando illo adjuvante vellet aut faceret, *hanc esse bonam simul ac Dei, qui possibilitatem gratiæ suæ semper adjuvaret auxilio.* Ipsum tamen velle & nolle ut actu haberentur, ad hominem referendum esse censebat, quia de arbitrii fonte descendunt. Adjutorium verò *voluntatis*, id est, volitionis & *actionis* longè alterius generis est. Non enim tantùm adjuvat possibilitatem voluntatis, hoc est, non tantùm complet potestatem ejus ut operetur illo adjuvante si velit; sed donat ut ipsa velit, ut veniat ad Christum, ut diligat, ut operetur: *Vbi*, inquit Augustinus, *tam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Et alibi: *Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis posse bene loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus patris vestri est, qui vobis dat, vel dedit posse bene loqui, sed ait, Qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectum*, hoc est, quod possibilitas sit facta major & auctior; *sed exprimens cooperationis effectum.* Et rursum: *Quomodo dicit liberi arbitrii elatus assertor, quod possumus bene cogitare, Dei est, quod autem bene cogitamus nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator: *Non quia idonei sumus aliquid ex nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Non enim ait: POSSE COGITARE, *sed cogitare.* Sed ad intelligendam plenius mentem Pelagii, naturamque adjutorii *possibilitatis & voluntatis atque actionis* omninò videnda sunt quæ fusè diximus in explicandis dogmatibus hæresis Pelagianæ.

Ibid. c. 140

Cap. 21.

l. 2. de grat. Christi c. 15.

Vide libr. 5. de hæres. Pelag. toto cap. 11. & num. 10.

Cùm igitur esset ista utriusque adjutorii differentia, Pelagius fortissimè contendebat, qualecunque esset benè volendi, vivendique adjutorium, hoc non nisi *possibilitatem*, hoc est, potestatem faciendi adjuvare, ita videlicet ut in plenissimo voluntatis arbitrio usus vel non usus & possibilitatis & adjutorii remaneret. Decantatissima quippè cantilena hæresiarchæ fuit, bene velle & nolle, loqui & non loqui, cogitare & non cogitare *nostrum esse*, quia *ex arbitrii fonte descendunt*, & *hæc omnia vertere etiam in malum possumus*, prout ibidem libro quinto declaravimus. Non quod negaret qualecunque

Ibid. c. 11. & 12.

Dei adjutorium simul influere cum voluntate, quod falsum esse jam jam demonstravimus, sed quia non minus adjutorium quodcumque possibilitatis voluntati subditum erat, ut in opus influeret aut non influeret, quam ipsa operis possibilitas; quandoquidem ex possibilitate & adjutorio, una possibilitas perfecta compleretur.

Cùm igitur hæc essent duo capita doctrinæ Pelagianæ capitalia, adjutorium gratiæ non esse nisi legem atque doctrinam: & qualecumque tandem esset adjutorium, hoc non esse nisi *possibilitatis*; non autem *voluntatis* & *actionis* adjutorium; utrumque Augustinus tanquàm errorem Apostolicâ proscriptum animi adversione damnavit. De primo non laboramus, hoc enim nobiscum omnes recentiores merito damnatum esse profitentur. De secundo, hoc est, de operandi modo, tota quæstio est. Ipsi quippè cùm non aliud invenire queant gratiæ genus, nisi vel habitualem, vel sufficientem, vel congruam (nam de authoribus prædeterminationis physicæ nunc non loquor) velint nolint, agnoscere coguntur ista gratiæ Christi adjutoria quantum ad adjuvandi modum, non esse nisi possibilitatis, voluntatis verò & actionis nequaquam. Complent enim secundùm ipsos plenam volendi operandique potestatem; ipsa verò volitio & actio, de liberi arbitrii fonte descendit. Tam enim in arbitrii per adjutorium jam completi potestate est, nolle quam velle, actionem omittere quam suscipere. Vt nihil verius de tali possibilitate divino adjutorio munita dici possit quam id quod Pelagius dixit: *Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat: quod verò benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum est, quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* Quibus verbis adjutorium possibilitatis explicuit. Vigilantissimè quippe & perspicacissimè vidit, (quod ego sæpiùs supra modum demiratus sum Scholasticos eruditissimos acutissimosque viros non agnoscere) quod sicut usus cujuslibet facultatis, sive oculi externorumque sensuum, sive facultatis progressivæ, sive intellectus, sive voluntatis noster est, hoc est, ad nostræ libertatis indifferentem flexum & nutum referri debet, non ad Deum, quatenus solam facultatem dedit; ita quoque cujuslibet adjutorii concursus, sive naturalis, sive gratuiti, etiamsi esset tantæ præstantiæ adjutorium, quantæ vel angelica cogitatio comminisci posset, imò etiamsi esset vel ipsa essentia Dei per modum speciei ad sui visionem, vel per modum gratiæ ad sui amorem concurrentis, similiter prorsus noster sit; si videlicet sic solam possibilitatem adjuvet, ut usus ejus & non usus in libero relinquatur arbitrio. Hoc si agnoscere dignarentur, quod ipsa clamat veritatis evidentia, nihil omninò laborarent in intelligendis multis capitalibus, certissimisque Doctoris profundissimi principiis, quæ nunc tanquàm paradoxa mirantur: Vt quod Angeli quantumcumque per gratiam possibilitatis seu *sine qua non* adjuti, per liberum arbitrium in veritate steterunt, & primus homo stare potuit, quod nunc non possumus: quod Adamus per liberum arbitrium habere meritum potuit, nos non possumus: quod ipse meritis discernendus erat, nos sola gratia discernamur: quod perseverare & non perseverare in ipsius relinqueretur arbitrio, nobis perseverantia ipsa donetur. Hæc in Augustini doctrina sunt planissima, si filum appareat, quo in isto te labyrintho regas. Nimirum non ab excellentia facultatis, aut potestatis, aut possibilitatis, aut adjutorii pendet, quod volitio & actio nostra sit, aut alterius hominis facultatem aut adjutorium possidentis, aut Dei largientis; sed ab ejus arbitrio qui potestatem agendi ad agendum actu inflectit, aut rapit. Iam verò quodcumque possibilitatis adjutorium, non subit nisi rationem possibilitatis, seu sufficientis potestatis. Quod tunc manifestè cerneres, si ex adjutorio gratiæ quantumvis maximæ, & ex facultate voluntatis unam numero & essentia completam potestatem, seu completum principium agendi nasci fingeres. Hoc enim ita perfectè à nutu voluntatis in agendo & non agendo penderet, ac si esset quæcumque alia potentia naturalis. Cùm igitur cuncta recentiorũ adjutoria nihil omninò compleant, nisi plenam volendi agendique facultatem, cujus jam adjutorio instructi tanquam naturalis cujuslibet facultatis usus & non usus, actio & cessatio libertati subditur, profectò vel cæcis manifestum est, impossibile esse, ut aliud sit istud adjutorii genus quam *possibilitatis*, quale Pelagianus error asseruit, non voluntatis & actionis, quod Augustinus ex Scriptura prædicavit.

Hoc igitur solius possibilitatis adjutorium, quam luculentè ab Augustino à limitibus adjutorii seu gratiæ Christi Salvatoris excludatur, operæ pretium est porrò videamus. Cùm ergò sententiam Pelagii fusè explicuisset, Scripturisque refutasset, tandem concludendo subjungit: *Desinat itaque iam Pelagius & se ipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Non propter illorum trium unum, id est, propter possibilitatem bonæ voluntatis atque operis, sed etiam propter voluntatem* (id est volitionem) *& operationem bonam, erga nos gratia Dei prædicanda est.* Et de possibilitatis illius adjutorio: *Non ideò tantum adiutorium divinæ gratiæ commendetur, quia possibilitatem adiuvat naturalem.* Et iterum, *desinat dicere, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare; illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat; quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus nostrum*: propter arbitrium videlicet voluntatis, cui tribuitur, quod possibilitas divinitus adjuta velit & faciat: *Desinat inquam ista dicere. Non solùm enim Deus posse nostrum donavit atque adiuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis.* Et paulò post: *Istam Dei gratiam* volun-

Lib. de grat. Christi. c. 4.

Lib. de grat. Christi. c. 4.

Ibidem

Ibid. c. 16.

voluntatis videlicet & actionis, qua ipsum agere & velle donatur, & non tantùm volendi agendique possibilitas; *in divinis eloquijs manifestè fatetur, sed tamen dicentem contra se fuisse non operiat impudentissimo pudore, sed dolore salubertimo aperiat.* Et nonnullis interpositis cùm iterum Pelagii sententiam retulisset, quod *ab illo manifestissimo suo dogmate non recederet omninò, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem & actionem, & solam possibilitatem diceret divino semper adiuvari auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adiutorio existimaret indigere; hoc verò auxilium esse legem atque doctrinam*, impietatem condemnando subtexit: *Hæc ergò pro meo captu intelligere potui in Pelagij scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quod qui ista sentiunt, ignorantes Dei iustitiam suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis sanctis maximè B Catholicis advertere atque cognoscere debuerunt.* Rectissimè omninò justitiam, hoc est, opus justum, quod tali possibilitatis adjutorio comparatur, esse dicit ex nobis non ex Deo. Cùm enim non sit justitia posse velle vel facere, quocumque tandem & qualicumque gratiæ adjutorio possibilitas ista voluntatis & actionis adjuvetur, sed ipsum velle & facere sit justitia. Hoc autem impossibile est ut per quodcumque possibilitatis adjutorium habeatur. Donat enim posse non velle, donat facere posse non facere: ipsum verò velle & facere in quo & Pelagio & Augustino confitente justitia est ab arbitrii libertate, possibilitatem & adjutorium in opus rapiente donatur. Vnde verissimè propriissimeque justitia hominis, justitia humana, meritum humanum, phrasibus Augustini nuncupari debet. Non quasi non esset excellentioris dignitatis operatio, in C quam gratia simul influit, quam si voluntas tam sola produceret, verum quia non adjutorii divini, sed voluntatis humanæ est, quod ipsum adjutorium ad influendum applicetur, A quantumvis & ipsa applicatio *non sine* possibilitatis adjutorio fieri queat. Hanc ergò gratiæ confessionem pestulans à Pelagio, quæ non tantùm posse sed etiam velle & agere largiatur, quæ tunc tantùm quando volumus & agimus, præsto sunt, ipsosque terminos *possibilitatis & voluntatis* explicans, ut idem quod *posse* & *velle* significent. *Quapropter quantum,* inquit, *attinet ad istam de divina gratia & adiutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit attenditis, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adiuvari, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus; eamq; esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, ut ea sit vera nostra iustitia*, hoc est opus justitiæ *quæ nobis ab illo est, nihil de adiutorio gratiæ Dei quantum arbitror, inter nos controversia remanebit.* Quibus verbis nihil compendiosius, librarius, veroque sensu plenius ab Augustino dici potuit. Nam & quid sit *possibilitas & voluntas* perspicuè explicat; & duplicem possibilitatem profundissimè insinuat, unam quæ adest non solùm quando non volumus, sed etiam quando volumus & operamur; alteram quæ non nisi quando volumus præsto est, quam infrà accuratè tradituri sumus; & ipsam voluntatem, hoc est, velle adjuvandum esse, hoc est, ut alibi frequenter dicit, esse donandum ut velit: & sine tali adjutorio nullum omninò opus bonum posse fieri; & hoc esse medicinale illud adjutorium quod nobis Salvator attulit; & opus hujus adjutorii esse decantatam iliam à Scripturis Apostolicis justitiam Dei, hoc est, opus justitiæ quod nobis largitur Deus, quibus nihil sublimius, & plenius, & accuratius dici potuit.

CAPVT DECIMVM.

Responsio quædam Neotericorum refellitur.

SCIO, quid responsi meditentur Neoterici. Augustinum adversus Pelagianos agere, qui possibilitatem naturalem voluntatis lege doctrinaque juvari statuebant. Vndè sequebatur, non juvari voluntatem & actionem, sed tantummodò potestatem. Itaque sibi cum illis nihil negotij esse, qui gratiam voluntatis internam, voluntatis & actionis adjutricem asserant.

Sed ipsi doctrinam Augustini non satis accuratâ lance ponderarunt. Quod si fecissent, forsan animadvertissent: primò, distinctos errores esse, pari censura damnandos, fideique sinceritate respuendos, quod adjutorium gratiæ medicinalis sit lex atque doctrina, & quod A qualecumque tandem sit istud Christi adjutorium per illud non nisi voluntatis & actionis possibilitas adjuvetur. Horum primus crassior pluribusque notior est, alter occulta virulentia pestilentior. Quippè semi-Pelagianam hæresim, ut infrà dicturi sumus, iste peperit, & per multa sæcula vix à fidelium opinionibus depelli potuit. Itaq; non quia primùm errorem aliquis respuit, idcircò statim liber est à secundo. Quapropter recte fortassis dicunt, se aliud adjutorium gratiæ quam Pelagianos necessarium constituere: at verò qualecumque tandem asserùt, hoc aliud esse quam possibilitatis auxilium, nulla vi quantumcumque limatæ disputationis ostendent, quamdiu

applicationem ejus ad influendum in ista indifferētis libertatis dominativa potestate constituunt. Non enim existimandum est solam legem atq; doctrinam esse possibilitatis adjutorium. Est etjam exemplum Christi, est remissio peccatorum, est cujuslibet artis, & vitii, & virtutis habitus possibilitatis adjutorium, non minus, imò verò perfectiùs quam scientia vel doctrina; plus enim adjuvant possibilitatem, hoc est, perfectius complent solam potestatem voluntatis ad operandum, & imbecillius ad actiones efficiendas voluntatem rapiunt, & magis eorum influxus in voluntatis arbitrio relinquitur (quæ omnia sunt adjutorij possibilitatis argumenta) quam rei diligendæ faciendæque scientia. Audi hac de re præclarè Augustinum: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoq; delectamur ardentius.* Vnde non solum *infirmitatem* concupiscentiæ, sed & *ignorantiam* veritatis *vitium* esse statuit, *quod impedit voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Vbi perspicuum est certam scientiam boni vehementer ad agendum bonum impellere. Hinc est enim quod ubi est certa scientia veritatis, crebro voluntas ad agendum vel abstinendū etiam invita stimulatur, ut in syndaresi perspicuum est. Denique scientia non minus, aut fortasse magis in actum influit, quam illi indeliberati voluntatis motus, quos Neoterici divinæ gratiæ adjutorium arbitrantur. Denique Pelagiani non minus quam Neoterici tales motus indeliberatos bonos sub gratia contemplationis universi, doctrinæ, suasionis, exhortationisque complexi sunt; quibus aurem pulsantibus illi ex corde prosiliebant. Qua de re multa diximus in recensione dogmatum erroris Pelagiani. Vnde voluntatem nostram *sapientia revelatione præmiorumq; pollicitatione succendi, & in Dei desiderium suscitari* fatebantur. Nam sive motus illos à Deo cordibus inseri præsente sapientiæ revelatione & promissione decernerent, sive auribus & mente per istam gratiam pulsata, ulterius naturaliter è corde proficisci, saltem eatenus eorum causam Deum adjuvantem esse sentiebant. Nec tamen unquàm Augustinus ab ipsis propterea invidiam negatu adjutorij voluntatis & actionis removit, nec ipsimet à se removendam esse judicarunt. Nam istos motus ita plenè sub arbitrii potestate collocabant, ut Iulianus, renitente licet Augustino, etiam de malis, nedum de bonis, motibus palàm diceret, *sufficit homo ingenitis sibi motibus dare leges.* De qua ingenti potestate libertatis in Pelagiana opinione loco citato plura diximus.

Hanc ergò mentem Pelagianorum cùm perspectam haberet Augustinus, quod quicquid motuum vel Deus vel diabolus in voluntate suscitaret, isti dominativæ voluntatis potestati subderent, usque adeo ut contrà servitutem gratiamque potentissimam ab Augustino prædicatam palàm assererent, hominem non posse *vel in peccatum à quoquam impelli, vel à peccato abstrahi voluntate captiva: quam non posse capi*, inquit Iulianus, *si dedi ipsa noluerit, testatur fortitudo:* cùm inquam hanc sententiam eorum esse sciret, non fuit sollicitus, utrùm gratiam legis atque doctrinæ, sive revelationem sapientiæ, sive exemplum Christi, sive remissionem peccatorum, sive habitus bonos, sive succensiones ac desideria voluntatis afferrent; sed generalissimè prophanum eorum dogma, quo solum possibilitatem adjuvari gratia censebant, ubicumque vel qualemcumque ponerent gratiam, velut exploratum errorem Scripturisque contrarium jugulat: *Posse, velle, esse, id est*, inquit Augustinus, *possibilitatem, voluntatem, actionem tantâ subtilitate curavit distinguere, ut quandocumque legimus vel audimus divinæ gratiæ adjutorium, ut à malo declinemus, bonumque faciamus* SINE LEGE ATQVE DOCTRINA *sive* VBILIBET *eam constituat, sciamus quid loquitur, nec erremus aliter eum intelligendo quam sentit, scire quippè debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adiuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis.* Et multo inferius quodlibet adjutorium solius possibilitatis oppugnant: *Venire posse*, inquit, *in natura ponit Pelagius, vel etiam ut modo dicere cœpit in gratia* QVALEMLIBET *eam sentiat, qua ipsa, ut dicit possibilitas adiuvatur.* Quod mox Evangelicis Christi verbis repugnare docet. Ecce VBILIBET constituat gratiam, QVALEMLIBET sentiat, si sola possibilitas voluntatis & actionis adjuvetur, Pelagianus error est, à *sana* videlicet, ut ante dixit, *doctrina* alienus, ab Apostolica doctrina dissentaneus.

Et verò si status disputationis istius exactè trutinetur, necesse prorsus erat, ut errorem istum tunc temporis generalissimè, quamcumque Pelagius tueretur possibilitatis gratiam, jugularet. Quamvis enim in gratiam legis plerumque magis propendere videretur, non satis tamen certum erat Augustino quam gratiam tàm vario magnificorum verborum strepitu Pelagius tunc defenderet, cùm nunc legem, nunc doctrinam, nunc sapientiæ revelationem, nunc exemplum Christi, nunc peccati remissionem, nunc voluntatum succensionem, nunc desideria à Deo suscitata celebraret. Fatetur hanc suam incertitudinem passim toto libro Augustinus, illisque in primis locis, ubi QVAMLIBET ejus gratiam & VBILIBET constitutam oppugnabat. *Hanc autem naturalem possibilitatem quod adiuvari Dei gratia profitetur, non est hinc apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adiuvari.* Quamquam verisimilius concludat esse legem atque doctrinam. Hinc similiter alio ejusdem libri loco, cùm ostendere vellet gratiam ex Pelagii dogmate, secundùm merita dari, propter eandem incertitudinem errorem istum QVAMLIBET & QVALEMLIBET istam gratiam sentiret esse, condemnat. *Nempè*, inquit, *manifestum est, eum dicere gratiam secundum merita dari*, QVAMLIBET EAM, vel

Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.

Ibid.

Vide lib. 2. de hæresi Pelag. c. 4 & 5

Lib. de grat. Christi c. 10.

Lib. 4. contra Iulianum capite ultimo

Lib. 1. oper. imperf. fol. 122.

Lib. de grat. Christi c. 9

Ibid. c. 14

Ibid. c. 15

Ibid. c. 34

vel QVALEMLIBET *significet, quam tamen aperte non exprimit.* Quod ante dixerat, *videris adhuc incertum esse, quo* Christi *auxilio muniatur.* Itaque ut omnis erroribus istis latebra clauderetur, sub *qualibet* & *qualilibet* & *ubicumque* constituta gratia, sua in eos tela dirigit. Sicut igitur si quis recentiorum convinceretur gratiam quam tuetur, secundùm merita dari voluntatis, non satis idoneè se defenderet asserendo Pelagium defendisse gratiam legis atq; doctrinæ, se veram genuinamque gratiam voluntaris; ita non satis à se Pelagiani erroris labem removet, qui dicit, se aliam gratiam quàm legis doctrina que defendere. Nimirum quia utrobique Augustinus *quamlibet, quolcunque, ubilibet* constitutam gratiam quisq; tuetur, si detur ex meritis: vel si solam possibilitatem voluntatis & actionis adjuvet, cum sanæ & Apostolicæ & Evangelicæ doctrinæ violatæ reum facit.

CAPVT XI.

Probatur quarto ex horrore, quo Pelagiani adjutorium *voluntatis & actionis* aversati sunt.

QVARTO natura adjutorii *voluntatis & actionis* quod Augustinus adversus Pelagianos tuebatur, & ejus ab Adjutorio Possibilitatis differentia clarissimè dignosci potest, ex illa ingenti aversione, qua Pelagiani illud semper horruerunt. Quod argumentum meo quidem judicio gravissimum, si Scholastici Doctores, ea qua fas erat attentione, ponderassent, non in eas opiniones se compegissent, undè evadi sine maxima Catholicæ & Pelagianæ doctrinæ perturbatione non potest. Sed quia tenuiter admodùm ipsis Pelagianus error perspectus est, magisque propriis tuendis principiis, quam veritati ex Augustino indagandæ intenti sunt, Pelagianis jam sepultis & silentibus facilè quidlibet imponitur, & celeberrimorum ingeniorum, veluti crassissimorum intoleranda hebetudo apud imperitos.

Vt igitur vis istius argumenti diluceſcat, breviter hîc tantùm nervos ejus, undè pendeat, indicabimus. Nam aliis locis pleraque susè declarata sunt, quorum inutili repetitione nolim fatigare lectores. Itaque sciendum est neminem, quod sciam, vel Catholicorum unquàm, vel Hæreticorum, vel Philosophorum potentiores vires adversus omnes extrinsecus irruentes, vel intrinsecus insurgentes animo motus arbitrio libertatis tribuisse, quam Pelagianos. Extat hac de re ex professo suscepta Iuliani cum Augustino dissertatio: in qua non solùm illos bonos & indeliberatos animi motus, quos Neoterici tanquàm veram Christi gratiam prædicant, sed etiam omnes vehementissimas animi perturbationes sola voluntatis libertate frenari, imò exstingui posse profitentur. Dogma enim adamantinæ veritatis inter ipsos erat, quod subindè diximus, *sufficit homo ingentis fibi* *Lib. 5. contra Iul. cap. vlt.* *moribus dare leges:* quam animi fortitudinem nullis doloribus domari, nullis blandiciis captivari posse sentiebant, nisi ultrò tanquàm omnibus superior motibus seipsum suâ libertate dederet. Hæc latius loco suo ex propriis eorum verbis demonstrata sunt. Ex quo fiebat consequenter, ut nullos immissos motus, nulla adjutoria voluntatis exhorrescerent, dummodò illam imperatricem arbitrii potestatem illibatam esse sinerent, ne quoquam illa domina tanquàm captiva trahi videretur. *Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 11.*

Cùm igitur hæc esset eorum de voluntatis fortitudine sententia, quibuscumque motibus ageretur, doctrinam Augustini qua non tantum *Possibilitatis* adjutorium, sed etiam *voluntatis & actionis* tuebatur, indignissimè tulerunt exploseruntque velut intolerabilem. Nam octo aut novem absurditates plus quam dici posset exorbitantes afferre sibi videbatur, quarum singulæ doctrinam Evangelicam Christianamq; fidem de moribus funditus subverterent. Nam sive daretur hominibus istud adjutorium voluntatis & actionis, quod Augustinus prædicabat, sive negaretur, certissimum putabant introduci libertatis excidium, coactionem afferri, necessitatemq; voluntati, fatum condi, ignavâ benè faciendi securitate animos obtorpescere, bonas voluntates laude, præclaras actiones merito frustrari præmioq; criminibantur, quæ sigillatim & susè ex propriis Pelagianorum & Augustini scriptis commonstravimus. Iam verò quam sit ineptum & ridiculum, adeòque delirum ac stultum, homines Augustino teste subtilissimos, cui nullis motibus in arbitrium voluntatis irruentibus terrebantur, tot criminationibus adjutorium lacerare, quod ab initio usque in finem semper exactissimè liberæ voluntati subditur, ejusq; nutu in influëdo secum, vel non influendo regitur & coërcetur, in eodem loco tum verbis nostris qualibuscumque declaravimus, tum per se res ipsa in cujuscumque periti vel imperiti corde tàm altè clamat, ut non tàm volentibus intelligere advertenda sit mens quæ veritas videatur, quam nolentibus aures obturandæ ne clamor ejus audiatur. Nam propter nimiam facilitatem istud adjutorii genus à Scholasticis illis, tanquàm verum adjutorium voluntatis & actionis, arreptum est. Vnde ne de trivio aliquid inveniſſe viderentur, Pelagiana sententia velut monstrosæ stupiditatis inducenda fuit: *Nisi enim nimis accusaretur Cacus, parum Hercules laudaretur.* *Vide l. 5. de hæres. Pelag. cap. 12. 13. 14. 15 & 16.* *Ibid. toto cap. 17.* *Lib. 19. de Civit. c. 12.*

Sed quàmvis Pelagianos tàm inerti stupore fuisse fateremur, ut rem oculis omnium vulgique judicio expositam & propriis principiis maximè consentaneam non perciperent, quis

primum Ecclesiæ ingenium Augustinum, Angelicamque subtilitatem ejus tàm obviam ac trivialem gratiæ cum libertate concordiam non penetrasse deliret, aut pietatem ejus Pelagianis eam declarare noluisse? unica namq; sententiola quod *adjutorium Christi in libero relinqueretur voluntatis arbitrio*, totius laboriosissimæ controversiæ filum præcidisset. An fortè mysterium istud recentioribus revelatum ignoravit? Quid ergò quando de actuali primi hominis adjutorio satagebat talem ejus cum libera voluntate concordiam & sub ejus nutu subjectionem tanta verborum ubertate, sententiarumque claritate manifestavit, & Neotericis præformavit, ut ipsi phrases ejus ad exprimendos propriissimè & efficacissimè conceptus suos, arripere cogantur, ac dominativam arbitrii potestatem super adjutorii concursu sententiis ejus explicare? Quid enim clariùs ullus Scholasticus in explicanda voluntatis sub gratiæ concursu libertate dixit unquàm, vel à quoquam dici potest, quam quod tunc iterum iterumque dixit & inculcavit Augustinus? Tale videlicet fuisse istud adjutorium ut hoc Deus *in hominis primi libero relinqueret arbitrio*: ut illud *per liberum arbitrium deserere posset*: quod *desereret cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet*: quo fieret ut haberet institiam si vellet, *sed si vellet etiam desereret*: *per quod posset permanere si vellet*: *cum quo perseverare & non perseverare in eius arbitrio relinqueretur libero*; per quod *homini relinqueretur voluntas sua, ut in illo adjutorio maneret si vellet, ut ei dimitteret ac permitteret facere quod vellet*. Denique quo adjuti Angeli *cadentibus aliis per liberum arbitrium*, alii reipsa *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Cujusmodi phrases ita efficaces & luculentæ sunt, ut ad clarè, propriè, genuinè exprimendum possibilitatis adjutorium & libertatem voluntatis cum gratiæ influxu, nihil addi posse videatur. Sed simul atque ad ventilandum adjutorium *voluntatis & actionis* cum Pelagianis ventum est, invidiosissimè libertatis interitum, fatum, coactionem, necessitatem, voluntatis oppressionem, præmii & meriti exstinctionem criminantibus, nec hiscere quidem Augustinus de tali adjutorio & libertate ausus est, per quæ tamen difficultas omnis & querimonia radicitus tolleretur. Iudicent Lectores quod voluerint: de me fateor facilius creditu videri Augustinum Dei gratiam perperam prædicasse, quam vel res ita perspicuas enormi stupiditate non vidisse, vel impia causæ Catholicæ prævaricatione aperire noluisse.

CAPVT XII.

Quinto ex errore Massilienſium, qui licet adjutorium *possibilitatis*, & *sine quo non*, defenderent, tanquàm gratiæ Christi destructores damnati sunt.

QVINTO denique planissimè intelligi potest, quæ fuerit natura adjutorii Christi medicinalis *quo* & *voluntatis & actionis*, quod Augustinus & Ecclesia prædicarunt, ex conflictu, quem cum semi-Pelagianis habuit. Quod ut Lectori, detersis omnibus ambiguitatis & obscuritatis nebulis pateat, eademque repetendi fastidium caveatur, memoria recolendum est id quod latissimè alio loco tradidimus, semi-Pelagianos ad illud initium fidei, orationem, desideria, similesque actus bonos, quos homini in potestate remansisse sentiebant, veræ, internæ, actualisque gratiæ adjutorium statuisse necessarium: & hoc ipsum quoque sanctum Augustinum quando cum semi-Pelagianis errabat agnovisse. Admittebat enim libentissimè adjutorium Dei, cum quo possent credere & orare si vellent, ita ut & adjutorium, & ipsum velle & nolle, quemadmodum homini primo in eorum libero relinqueretur arbitrio: horrebant verò illud capitaliter *quo* secundum Augustinum fiebat ut vellent. Istam verò suam gratiam sentiebant non solàm sufficientem semperque otiosam præbere potestatem, quasi aut nunquàm ad actum cum voluntate raperetur, aut cùm jam agendum esset, vel etiam agente jam voluntate, novum genus efficacis gratiæ succederet, hoc ipso quo voluntas ageret (cujusmodi novas gratias recentiores fabricant;) sed ita dare credendi facultatem, ut cùm homo pro arbitrii sui libertate gratia juvante crederet, illa eadem *gratia iuvaret volentem*, quæ nolentem non juvabat; quemadmodùm de omni adjutorio, quod in libero relinquitur voluntatis arbitrio sentiri debet, nec aliter sine perspicua absurditate sentiri potest. Hujusmodi gratiam admisisse semi-Pelagianos & Augustinum cùm ante Episcopatum eorum errore teneretur, fusissimè ex propriis Augustini, Hilarii, & Massilienſium Presbyterorum verbis demonstravimus, simul etiam ostendimus talem gratiam sustulisse funditus omnes omninò difficultates, propter quas vitandas ad eam comminiscendam, veramque Christi gratiam repudiandam compulsi fuerant. *Vide lib. 8. de bono perseverantiæ c. 7, 8, 9, 10.* *Videatur caput 27.*

Quæ quàmvis essent juxtà perspicuè erutam declaratamque semi-Pelagianam sententiam certa & plana, non potuerunt tamen Augustino & Ecclesiæ tanta divini adjutorii prædicatione satisfacere. Nam disertissimis verbis sanctissimus Præsul, Ecclesia probante docet, *errorem* esse, quem ipse tradiderat; *errare* quotquot ista tradunt; eos non *recedere ab ea sententia quam Pelagius damnare compulsus est, gratiam Dei secundùm merita dari*. Nimirum quia fidem homo sibi tribuit, quantumcumque se hujusmodi *Lib. de prædest. Sanct. cap. 2. & 3.*

modi gratia adjutum esse fateatur. Non enim credere est gratiam accipere cujus influxus in libero relinquatur arbitrio; sed hoc est credere, arbitrium sese ad credendum quovis adjutorio assistente, suo nutu reipsa flectere. Quod tàm est propriè & genuinè voluntatis humanæ quam ipsius esset, si nulla actuali gratia concurrente, solius habitus adjutorio pro sua indifferenti libertate crederet. Nam ut jam sæpè diximus, & necessariò sæpiùs dicendum est, actiones voluntatis humanæ ad quas diversa, sine *quibus* fieri nequeunt, instrumenta concurrunt, non magis instrumentis nobilibus quam ignobilibus tribui possunt. Puerilis enim imaginatio est, qua putatur, alteri causæ quam ipsi arbitrio voluntatis asscribendum esse, quod homo pingit aut non pingit, currit aut stat, clamat aut silet, appetit aut fugit, Deum diligit aut creaturas, quàmvis actiones pingendi, currendi, clamandi, appetendi, diligendique Deum sine penicillo, pedibus, linguâ, voluntate, aut fortè bonis habitibus fieri nequeant, quæ singula sunt dona Dei ab ejus gratuita liberalitate pendentia: nec sane sapientior cogitatio est, tunc non esse voluntatis humanæ quando penicillus aut penna aurea est; pedes corporis glorificati, lingua angelica, voluntas instructa caritate aut nobilissimæ entitatis adjutorio, si nihilominus omnia hujusmodi adjutoria pari omninò modo ac nudæ potentiæ liberæ voluntatis arbitrio concitentur & reprimantur. Hoc vigilantissimè prisci gratiæ defensores observarunt: & ex ista verissima & in communi omnium hominum sensu posita regula de actionibus Deo donanti vel humanæ voluntati facienti tribuendis indicarunt. Hinc enim illa sancti Doctoris eximata capitalia, quod Deus in Angelis & hominibus olim ostendere voluit, *quid posset eorum liberum arbitrium*: quod Adamus *per liberum arbitrium manere poterat*: quod Angeli *per liberi arbitrii vires poterant non discedere à Deo*; quod *per liberum arbitrium in veritate steterunt*. Nimirum quia gratiæ adjutorium *sine quo non poterant* stare, nec reipsa steterunt, ut sexcenties repetit, in eorum libera voluntate sic relictum erat, ut eis *perseverandi* eorum *perseverandi committeretur arbitrium*. Hanc benè vivendi possibilitatem in prima hominis conditione datam, quæ talem gratiam non excludebat, sed potiùs essentialiter & intrinsecè postulabat, semi-Pelagiani & Augustinus ante Episcopatum suum exigua ex parte salvam remansisse statuebant, vi cujus, adjutorio talis gratiæ concurrente, per liberum arbitrium hominem saltem credere posse sentiebant. Sed divinâ revelatione ab errore revocatus vidit, nihil aliud agi per istum ratiocinandi modum, quam ut eâdem omninò ratione, quemadmodùm ante lapsum in inchoanda fide præcipuæ partes homini, qui voluntatis machinam qua reipsa creditur, impellit & regit, secundæ verò Deo tribuantur, qui per hujusmodi adjutorium sine quo non potest credi, solam credendi potestatem tribuit: vidit etiam non esse solam operis supernaturalitatem, quam Neoterici semper ponderant, sed maximè & capitaliter adeoque solam concupiscentiam qua voluntas & libertas vitiata est, propter quam Christi medicinale adjutorium necessarium est. Istud vulnus arbitrii, ista plaga voluntatis, ista infirmitas libertatis non magis isto Adami, vel Angelico, vel sufficienti, vel congruo sanatur aut juvatur adjutorio, quam si cœcatis oculis lumen accenderes. Nam ista adjutoria sanitatis tribuunt quidem arbitrio sano posse si velit; sed hîc vulnus ipsis volendi cardinibus inflictum est. Nam propter voluntatis læsæ aut libertatis infirmitatem non potest ipsa trahente, se nimirum deorsum in creaturas propriâ cupiditate, ad ipsum illud velle pertingere, per quod præsente adiutorio isto sanitatis uteretur. Vndè medicinalis gratia ei necessaria est, quæ ipsum illud velle largiatur. Quod cùm Deus per medicinalem gratiam facit, dando ipsam credendi, orandi, sperandi, diligendique voluntatem, tum demùm talis actio est gratiæ divinæ, non voluntatis humanæ; tunc est meritum divinitùs datum, non humanâ voluntate præsumptum, tunc est iustitia non nostra sed Dei: non quasi sine nostra voluntate fieret, sed quia Deus concurrente licet voluntate, facit ut fiat: sicut antea, concurrente sanitatis adiutorio (hoc est, Adami, vel angelico & sufficienti & congruo) voluntas humana faciebat ut fieret. Hoc igitur modo quia Massilienses cum gratiæ præsentis adiutorio putabant hominem per naturales primæ integritatis reliquias posse credere, posse orare ac desiderare Deum, tanquàm gratiæ medicinalis destructores, & liberi arbitrii præsumptores meritâ censuræ severitate damnati sunt. Ex isto igitur duplici operandi modo voluntatis, duplicique adiuvandi modo gratiæ, quo *primæ sanitatis* gratia opitulatur arbitrio, si adjuvari velit, & *secundæ medicinalis* opitulatur ut velit, itemque ex illa Massilienium damnatione, quatenus primum gratiæ genus saltem ad credendum satis esse sancientes, ipsum credere voluntati tribuebant, apertissimè perspicitur, quæ sit natura medicinalis adjutorii, quod ægrotæ voluntati sanguine suo medicus peperit, & Augustinus, Ecclesia, Scripturaque prædicavit. Liquet etiam quam ei ex diametro quodlibet adjutorium sufficiens & congruum adversetur: utpotè sub quorum speciosis nominibus, prima integritas humanæ naturæ restituitur, fides, gemitus, & oratio cum Massilienibus, imò verò spes, charitas, & cuiuslibet virtutis operatio, tentationisque superatio, omne meritum & præmium dominatrici hominis libertati, sicut Angelis & Adamo vindicantur, discretio hominum à volendi fonte suspenditur, unoque verbo, reipsa Christo Salvatori, quàmvis à nescientibus ac detestantibus occlamatur, recede à nobis, non est opus tuo medicinali adiutorio, sani sumus; libertas arbitrii volendi & nolendi inviolata persistit; præsente primæ nostræ

istræ conditionis adjutorio sine quo velle non possumus, si volumus, operamur. Quid te medicum jactas, ut nobis ipsum velle largiaris, quod quicquid tu feceris nostræ sit potestatis & voluntatis? Hinc porrigit manus ista bonorum virorum de adjutoriis congruis, hoc est, sufficientibus disputatio. Nec enim aliud est, aut erit unquàm, aut esse potest, nisi sufficiens adjutorium, quod subtrahit fasces humanæ voluntatis arbitrio, ut ejus operatio & cessatio ab libertatis humanæ nutu tota religetur. Quid enim isto modo tribuet, nisi sufficientem volendi operandique potestatem, cui libertatis nutus impulsum afferat? Hoc libertati tribuerunt Massilienses, ut eo adjuta saltem crederet voluntas prostrata, si vellet; hoc tribuunt Neoterici, ut per illud & credat & speret & diligat, omnesque superet tentationes, si similiter velit. Vtri modestius de arbitrii potestate, religiosius de gratiæ medicinalis necessitate disseruerint, non est difficile abstrusumq; judicare. Sed quia res ista ex Massilienstum vera genuinaque opinione pendet, qui plenius ista intelligere desideret, sicut ad naturam gratiæ Christi penetrandam omninò necessarium est, legat ea quæ nonnullis aliis locis diximus, & maximè octavo de hæresi Pelagiana, & in primis capite decimo, undecimo, ubi declaravimus, quomodo talem gratiam semi-Pelagianam natura contineret, & sub illius patrocinio salutis initium, totaque discretio salvandorum ex voluntatis arbitrio seu ex volendi fonte scaturiret.

Vide lib. 6. de hæresi Pelagiana c. 7. & 8. & Ibid. cap. 9. & 11.

CAPVT XIII.

Ex præcedentibus infertur genuina declaratio multarum phrasium, ac doctrinalium decisionum Augustini, Prosperi, Fulgentij, Conciliorum Ecclesiæ, & Pontificum.

EX istis omnibus quæ hactenus hoc toto libro de diversis istis adjutoriis primi hominis & secundi, Adami & Christi, *sine quo non* possumus velle, & *quo* jam volumus, *possibilitatis*, & *voluntatis* atque *actionis*, disseruimus, non est difficile verum eorum præcisumque discrimen, quod jam sæpè tetigimus, intelligere. Eluceat ex eis consequenter sincerus planusque sensus plurimarum locutionum & sanctionum, quibus Augustinus, Prosper, Fulgentius & Ecclesiastica Concilia vel Catholicam asseruere veritatem, vel Pelagianorum ac Massilienstum sententias jugularunt. Quæ quamvis aliis diversis locis latiùs dicta sint, non erit inutile quasi compendio breviter hic perstringere.

Hinc enim in primis constat, quid sibi velint quando dicunt primum hominem in sua conditione a *incepisse voluntatem liberam & sufficientissimam* benè vivendi *potestatem*: b *talem esse factum, qui peccato malo carere sufficeret si voluisset*; idque, *quia libero arbitrio atque adjutorio vivendum potestate libera constitutus fuerat*: arbitriū ejus c *ita liberum fuisse ut benè velle posset & malè*: seu habuisse d *potestatem utrum vellet*: e *In natura posse, & in potestate habuisse velle, mentis valentia viguisse, qua præceptum Dei facilè posset custodire, si vellet*: Ei f *facultatem cognitionis Dei, ac dilectionis insertam*: & *naturaliter ei datum posse credere*: Eum h *per liberum arbitrium stare potuisse*: i *Angelos* reipsa *per liberum arbitrium, & per libertatem voluntatis in veritate stetisse*: k *In liberi arbitrij viribus fuisse non discedere à Deo*: Et hujusmodi plura, quibus illius libertatis valentia præstantiaque tantoperè extollitur, ut quicquid fidei, dilectionis Dei, vitæ bonæ, & in omnibus istis perseverantiæ à rationali creatura postulatur, hoc per arbitrii libertatem primum hominem præstare potuisse, & Angelos bonos reipsa præstitisse doceatur.

Hinc secundo constat, quid sibi velint illa, quæ sensum præcedentium locutionum multo perplexiorem durioremque reddere videntur, nos jam a *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidisse*: Deum b *dedisse quidem ab initio hanc homini facultatem*, ut sciret ea quæ sunt pietatis habere, cogitare, dicere, agere posset; *sed omnes eam in illo primo homine amisisse*. Primum hominem c *illa cognitandi quæ ad Deum pertinent, amisisse protinus facultatem*: d *gratiæ dono virtutem credendi naturam recipere, quam amisit*: gratiam datam e *per quam cogitationis sanctæ amissæ tam pridem in homine primo reciperetur facultas*: f *Solum protoplastum per se sibi, id est per liberum arbitrium sufficere potuisse*: Et sæpissimè eum g *amisisse illud possibilitatis bonum, quo valebat implere quod vellet*. Hæc & hujusmodi quæ frequenter dicunt, non illam spirant impietatem, quod Adamus & Angeli tantâ libertatis potestate præcelluerint, ut sola & nuda libera sua voluntate, nullo Dei actuali proprièque dicto adjutorio munita, potuerint Deo credere, Deum diligere, & rectè vivere, vitam æternam mereri, & in justitia perseverare, si vellent. Hanc enim suspicionem & Concilium Arausicanum & Augustinus, ut latè demonstravimus, tanquàm doctrinam à Catholica fide abhorrentem summâ virium contentione proscribit. Sed hoc per istas locutiones volunt, Adamum & Angelos habuisse arbitrium voluntatis tantoperè ab omni peccati cupiditate seu concupiscentia concreta liberum, ut in utramvis partem sese pro libitu posset flectere: ex qua tam felici libertate nascebatur, ut concurrente illo solo Dei adjutorio actuali, sine quo creata quælibet natura bonum omninò velle non potest, posset

a Lib. 3. de lib. arb. c. 16
b Lib. de nat. & grat. c. 43.
c Lib. de cor. & grat. c. 12 & in Enchir. c. 105.
d Lib. 3. de lib. arb. c. 5.
e Lib. 11. de gen. ad litt. c. 4.
f Fulgent. lib. de incar. & grat. c. 12.
g Ibid. c. 27.
h Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12.
i Ibid. c. 11. & de dono pers. c. 7.
k Lib. de dono pers. c. 7.

posſent & bona cogitare, & Deo credere, & Deum diligere, & bonum facere, & mala vitare, & in justitia perseverare si vellent; usque adeò ut reipsa quoque Angeli boni per istud liberum arbitrium sic adjutum in justitia seu veritate permanserint, per quod Adam & Angeli mali eodem isto adjutorio neglecto, ceciderunt. Hanc tantam tamque tranquillam arbitrii libertatem bonique cujuslibet faciendi posibilitatem peccato primi hominis perijsse profitentur; non quia perijt istud pristinæ libertatis adjutorium, vel quia opera sunt supernaturalia, sed quia concupiscentia visceribus voluntatis, & per hoc libertatis, insperſa est, qua liberum arbitrium in creaturas tanquàm gravissimo quodam pondere deprimitur, ut quamvis adesset istud idē pristinæ possibilitatis adjutoriū sexcentuplo amplius quam olim fuit, propter fr. ctas eo quo dictum est modo, voluntatis vires sese sursum cum eo ad B diligendum Deum non possit erigere. Nempè quia istud adjutorium non d at vulneri inflicto sanitatē sed supponit; non reddit amissam illā possibilitatem sed reddi postulat, ut cum volente voluntate possit influere: non inserit vo- A luntati velle concurrere, quæ per carnalem concupiscentiæ voluntatem in ipso velle vulnerata est, sed illius naturæ est, ut ipsum velle ab impulsu arbitrii præstoletur. Ad hanc ergò debilitatem reparandam nihil omninò juvat istud prioris generis sanæque voluntatis adjutorium, sed aliud medicinale prorsus necessarium est, per quod vulnerato arbitrio ipsum posse simul & velle reddatur.

Hinc tertio constat, quid sibi velit Augustinus & Prosper aliique prisci gratiæ defensores, quando Pel gio naturalem seu in creatione acceptam arbitrii libertatem prædicante, ut ita sine Christi gratia bene vivere, Deiq; legem custodire posse censeretur, respondent subinde, quod *si de sana hominis natura loqueretur, utcumque acceptaretur hoc dictum*, hoc est posset tolerari; nam & ipse et hoc sæpius docuit, subinde, *naturam hominis iam medico indigere, quia sana non est*: subinde quod cùm per Pelagium *defendatur velut sana, viri sapiens, buſq; integra creatura opitulatio Creatoris nanitur*. subinde si primitivus ille naturæ *vigor illæsus maneret*, *Lib. de nat. & grat. c. 53*

Ibid. c. 3 & 43 & alibi sæpius.

cap. 10. Prosper.

In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas Conciliare Deo pœnaque absolvere posset.

Hoc est, ne quidem esset opus ad peccati remissionem actuali Christi medici adjutorio, quia posset propriæ voluntatis posibilitate pœnitere sicut & credere, nullā concupiscentiali infirmitate libertatem remorante. Subinde veram fore Pelagii sententiam, si natura sana perstitisset; quod & Augustinus sæpius indicat, & author hypognosticon pressius & expressius docet. Non enim significant, vires illas possibilitatis naturalis sine ullo adjutorio recte facere & pœnitere potuisse, sed primum integræ conditionis auxilium fuisse futurum satis, nec opus fuisse medici vel Salvatoris adjutorio, quod voluntati vel stanti velle perseverare, vel peccanti pœnitere largiretur: posset enim libertas illæsa illo primo sufficienti adjutorio munita credere, diligere, pœnitere si vellet.

Hinc quarto constat, quid sibi velint Pontifices & Concilia, quando de fide, dilectione, operibus bonis per *liberum arbitrium*, per *naturæ vigorem*, per *naturæ bonum* seu *posibilitatem arbitrij naturalem* faciendis aut non faciendis multa adversus Massilienſium pronuntiata decernunt, ut, quando dicunt, Deum a *nostram non exspectare voluntatem, sed per Spiritus sancti infusionem fieri ut purgari velimus*; b *initium fidei non inesse nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus sancti*: c *per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari ut expedit, sed per illuminationem & inspirationem Spiritus sancti*: d *per liberum arbitrium ad gratiam baptismi homines non posse venire se multum potlea*, hoc est post lapsum primi hominis *per liberum arbitrium aut diligere Deum, sicut oportuit aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est posse, nisi gratia eum &* B misericordia divina prævenerit. e *Præclaram Sanctorum fidem non per bonum naturæ, sed per gratiam Dei esse collatam.* g *Latronis Centurionis Zachæi tam admirabilem fidem non fuisse de natura sed divinæ largitatis donum.* h *Nemo in de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei misericordis erexerit.* Harum & similium definitionum sensus sincerus, & ex ipsa petitus Massilienſium dogmatum genuina intelligentia, prout à veteribus explicata sunt, non est iste, ut recentiores putant, quod istiusmodi opera sint supernaturalia, sint meritoria, sint nimis perfectæ dignitatis & hujusmodi quæ nunquàm ab Augustino aut Conciliis in causa definitionum suarum reddenda cogitata sunt, sed quod liberum arbitrium jam peccando violatum, attenuatum, infirmatum, adeòque, ut Concilium loquitur, amissum sit, vigor naturæ perditus, posibilitas naturalis, qua innocens natura per integras libertatis vires, Deo credere, Deum invocare, Deumque diligere poterat, jam amissa sit; ex quo effectum est, ut omnes hujusmodi voluntates & actiones bonæ non adjutorio istius *posibilitatis*, quæ jam deperdita est, sed alio adjutorio *voluntatis & actionis*, hoc est, Spiritus sancti inspiratione velle & facere largiente reddendæ sint. Nam & ante lapsum omnes istiusmodi actiones erant meritoriæ, naturamque superantis excellentiæ, & Spiritus sancti gratiam & adjutorium, juxtà sanam doctrinam postulabant, sine quo non poterat eas homo velle vel facere. Sed non opus erat illo medicinali crucifixi Salvatoris auxilio, quod summâ Dei liberalitate justis & injustis ad volendi agendique occasiones

e Ibid.

g Ibid.

h Cœlestin. epist. ad Gal. c. 3.

ipsum

ipsum velle donat & facere, non amplius, ut olim, dominam illam expectando, sed pediſequam ſecum rapiendo voluntatem. Hoc ex ipſa ratione quæ ſubnectitur, & etiam atque etiam inculcatur, ſatis perſpicuè vigilantibus ſuggeritur. Non enim vel unius characteris apice tanti adjutorii neceſsitatem indicant inde ſluere, quòd opus eſt ſupernaturale, quia meritorium vel quid ſimile, ſed quia libertas non *donavit illæſa*, quod Synodus iſta ſequentium ſanctionum omnium quæ de gratiæ neceſsitate tractant, baſim collocat: quia *arbitrium in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum*: quia qui contrarium dicit, *is non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum: quia per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum eſt, ut nullus* POSTEA *aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum &c. poſſit niſi gratia eum divina prævenerit*: quia in *prævaricatione Adæ homines naturalem poſſibilitatem amiſerunt*: quia *infirmatum omnino amiſſum eſt liberum arbitrium*, videlicet ad colendum agendumque bonum. Quid aliud clamant iſta, niſi ex violatione, infirmatione, inclinatione, attenuatione, amiſsione libertatis, non ex operis ſupernaturalitate & meriti dignitate, iſtam humanæ voluntatis impotentiam quam concupiſcentialis languor & rixa intulit, contigiſſe? Quid palàm peritis & imperitis inſinuant, quando dicunt; ut *nullus poſtea* hæc poſſit *niſi prævenius gratia*, niſi Adamum, ſeu hominem, hoc antea ſine gratiæ Chriſti præventione potuiſſe? Quid item aliud volunt, quando alioquin ſequi dicunt, quod non omnium liberum arbitrium eſſet infirmatum, niſi per arbitrium non infirmatum iſta fieri potuiſſe? Nimirum quia ſanæ libertati non opus erat adjutorium, ut ſæpè diximus, quod ei velle donaret, non opus inſpiratione Spiritus ſancti, qua credendi, diligendi, operandi voluntas aſpiraretur, non opus gratia qua libertatis arbitrium in velle ſurgeret; ſed ipſum arbitrium, ſuæ ſe poſſibilitatis naturalis viribus, non deſiſtente poſſibilitatis adjutorio, in velle, in credere, in diligere ſuſcitabat.

Hinc conſtat quintò vera ratio, cur ſemper Concilium & Patres quando inculcant divinæ gratiæ neceſsitatem, non quolibet modo dicunt, quia homo ſine gratiæ adjutorio nihil facere poteſt, vel ſimilia, quæ in quolibet ſtatu ſunt veriſsima, ſed quod *ut purgari velimus, ſancti Spiritus infuſione & operatione* fieri debet: quod *per inſpirationem corrigitur voluntas ab infidelitate ad fidem*, id eſt velle à non credendo ad credendum retorquetur: quod *ut credamus, ut velimus, per inſpirationem Spiritus ſancti* in nobis ſit: quod *credulitatis affectus quo credimus ſit donum Dei*: quod *Deus fidem & amorem inſpiret*: quod *donum Dei ſit diligere Deum*: quod, *quæcunque bona agimus Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*, & hujuſmodi infinita, quibus Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & Eccleſiæ Synodi plenæ ſunt. Nam per iſtas efficaciſsimas expreſsiones ſemper ſignificatur, non amplius iſta per liberum arbitrium, per poſsibilitatem naturalem, per naturæ vigorem, ut ante ſolebat, fieri, concurrente videlicet *poſsibilitatis* adjutorio, *ſine quo* operati bonum homo, aut velle non poterat; ſed iſtas voluntates & actiones bonas eſſe jam magna & ſpecialia, & propriè dicta divinæ largitatis beneficia, ac dona. Nempè quia jam alio medicinali crucifixi Salvatoris auxilio tanquam *adjutorio quo* ipſius *voluntatis & actionis* ſingula pietatis opera & voluntates Spiritus ſanctus inſpirat ac donat.

Hinc conſtat ſextò quid ſibi velit Concilium Arauſicanum quando negat, *Invocatione humanâ gratiam Dei poſſe conferri*; negat *humilitatis aut obedientiæ humanæ ſubjungendum gratiæ adjutorium*; negat *ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam*, hoc eſt gratiam, *conferri divinitus*: quid item Auguſtinus, quando adverſus eoſdem ſemi-Pelagianos uno verbo cuncta complexus exſertiſsimè docet, *gratiam Dei non dari ſecundùm præcedentis meritа voluntatis*, hoc eſt, ſecundùm meritum vel fidei, vel orationis, vel cujuſcumque conatus boni. Nam invocatio *humana*, humilitas *humana*, obedientia *humana*, meritum voluntatis humanæ, fides, voluntas, deſiderium, conatus & hujuſmodi *ſine gratia* ab homine proſilientes, vocantur non actus aut voluntates ad quas omninò nullum influit adjutorium gratiæ Dei; ſed quas non donat aut inſpirat gratia Dei, dando videlicet ipſam credendi, invocandi, obediendi, conandique voluntatem. Nam præterquam quòd conſtat Maſſilienſes gratiam *ſine qua non* ad ipſum initium fidei ſeu primam credendi orandique voluntatem neceſſariam agnoviſſe, palàmque juxta doctrinam Auguſtini profeſſos eſſe, ut latiſsimè tradidimus, Concilium & Auguſtinus ita ſemper declarat ſe doctrinam iſtam intelligere. Nam gratiæ iſtius naturam explicantes, ex qua deberent opera iſta proficiſci, ut divina non humana cenſerentur, *ipſam* dicunt a *gratiam facere, ut invocetur à nobis*: b *per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti in nobis fieri, ut credamus, ut velimus*; per illam hominem *ex nolente fieri volentem credere*; *donari ut credat*; *mirò modo agi in cordibus ut credamus*; *duritiam cordis*, id eſt voluntatis *auferri*, & hujuſmodi infinita quibus indicant, ſe non aliam gratiam intelligere, quam illam Chriſti Salvatoris medicinalem, *quæ* Deus largitur & actionem & voluntatem. Hanc enim ipſam gratiam ſimiliter intelligebant non ſolùm Catholici ſed & ipſi Maſſilienſes, quando volentibus, credentibus, petentibus &c. *gratiam* & *miſericordiam* divinitus conferri poſſe ſtatuebant. Illam quippè gratiam quæ donaret, non quidem initium fidei, ſed opera ex fide pullulantia, fidei & orationis humanæ meritis tribuebant. Itaque humana erat iſta fides, humana invocatio, humana obedientia, quantumcumque non fieret ex eorum mente, ſine vero poſſibi-

Concilium Arauſ. canone 1.
Ibid. can. 80
Ibidem.
Canone 25 1.
Celeſtin. c. 30
Canone 14.
Conc. Arauſ. in diverſis canonibus.
Can. 3.
Can. 6.
Ibid.
Ibidem cap. 18.
a Concilium Arauſicanum b Can. 6.

possibilitatis adjutorio, sine quo nihil omninò boni hominem facere posse censebant; quia humani arbitrii erat cum ista gratia actu velle vel nolle, actu credere vel non credere, actu orare vel silere. Ita nimirum ut verè & propriè non tali gratiæ *sine qua non* poterate eorum quicquam fieri, sed humanæ voluntati tribui deberet, quod (licet non sine illa) actu quisquam vellet, crederet aut oraret. Sic enim & Augustinus *merita humana* primi hominis vocat, quæ nobis in Adamo periere, quantumvis ex professo docerat, ea nullo pacto sine vero actuali gratiæ adjutorio haberi potuisse. Itaque talem gratiam, quamvis esset vera gratia, hoc est, gratuitum donum Dei, tamen quia naturæ etiam integerrimæ quam maximè consentanea erat (quemadmodum de sufficienti gratia Scholastici philosophari solent) ferè sub ipsâ natura veteres comprehendebant. Qua de re quia multa diximus, cùm de Massilienſium opinione tractaremus, nolumus hîc ea iterato refricare. *Vide lib. 8. citato c. 10.*

CAPVT XIV.

Adjutorium gratiæ Christi esse revera tale quale hactenus declaratum est, ostenditur diversis aliis modis; & sexto quidem ex eo quod faciat ac donet velle & operari, & omnia merita.

ET ista quidem Augustini diuinę gratiæ patrocinantis & hæreticorum adversantium principia, quæ hactenus hoc libro explicuimus vel tetigimus, manifestè ostendunt nihil capitalius medicinali Christi adjutorio fingi posse adversum, quam istud gratiæ genus cujus actio vel cessatio, ut utilis vel inutilis homini sit, in libero relinquatur voluntatis arbitrio. Quod si reliquam doctrinam, quam de isto auxilio tradidit, eâdem diligentiâ lustrare vellemus, & ob oculos lectoris ponere, videret profectò & quodammodo manibus palparet, omnia ex istis jam traditis principiis sic intellectis ad amussim fluere, totamque doctrinæ molem in illum tanquàm scopum collimare, ut Christiani credant, & qui possunt intelligant, non liberum arbitrium esse, *quod reddat auxilium efficax vel ineffi-* *Vasq. in 1. 2. disp. 112. c. 2. Molina, Lessius, &c.* *cax*, quod sit *causa cur hic & nunc Deus influat in opus*; quod *posit gratiæ efficientiam seu influxum in opus impedire*: quod *libertas illius causa sit, ut* *Vasq. d. c. 2. & 3. Vide Molin. d. c. 4. num. 6. & seq. num. 11. & 12. num. 3. seq. 28. num. 3. & seq.* *illum singuli hic & nunc fiant*: quod *à sola libertate discrimen illud oriatur, quod hic & nunc, & ab hoc potius fiat, quam alias & ab altero*, videlicet gratia præveniente. Quod sit denique illius rei *causa directa & principalis*, & hujusmodi quæ studiosissimè inculcantur; sed gratiam esse causam ut arbitrium hic & nunc velit & operetur; esse causam, cur hic & nunc voluntas in opus influat; esse causam ut conversio nunc potiùs quam alias, hoc potiùs quam alio, intenso potiùs quam remisso modo fiat: hoc est non liberum arbitrium esse, quod dominetur gratiæ, sicut habitibus bonis, & virtutibus, & aliis instrumentis operandi potentialibus dominatur, sed gratiam esse quæ dominatur arbitrio; usque adeo ut quemadmodum Augustinus hoc intellexit, per hujusmodi gratiam *Deus* *Lib. de Corr. & grat. c. 14.* *magis habeat in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*; quo nihil disertius, sincerius & potentius ad exprimendum gratiæ divinæ dominatum super arbitrium excogitari potest.

Hanc igitur verissimam esse, nulloque verborum meorum fuco adulteratam Augustini sententiam de medicinali Christi adjutorio, diversis aliis ex capitibus tàm perspicuè erumpit, ut neminem nisi occupatæ jam opinionis præjudicio judicandi libertatem amiserit, arbitror hoc posse diffiteri. Hoc enim imprimis postulat solemnis ille loquendi modus quo juxta sacrarum Scripturarum normam Augustinus & Concilia docent, per istud Christi adjutorium Deum facere ut arbitrium velit, ut consentiat, ut operetur; nunquam autem vel leviter insinuat, sed potiùs expressis verbis negat, in hominis lapsi sicut integri hoc voluntate relinqui, ut illud amplectatur aut deserat. Hinc illud in epistola ad Vitalem: *Gratia prævenit hominis voluntatem*, id est, volitionem, *nec eam cujusquam invenit in corde sed facit.* Et illud: *Vocatione alta atque secreta sic agit hominis sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Et illud libro quarto ad Bonifacium: *Itane nondum evigilatis? non auditis, faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremo faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est, nos observamus, nos facimus: sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus.* Et illud in libro de gratia & libero arbitrio: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus, bonum. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit, Faciam ut in justificationibus meis ambuletis & judicia mea observetis & faciatis.* Et iterum: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et in libro de Correptione & gratia: *Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Cujusmodi locutionibus ac documentis quæ ex Scriptura sacra deprompsit August. scripta ipsius ubiq; scatent.

Epist. 107. *Libro 4. ad Bonif. c. 6.* *Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 16* *Ibid. c. 17.* *Lib. de Corr. & grat. c. 12.*

Quid verò juvat quod quidam respondendum

dendum esse putaverunt, per istas phrases, *ut velimus, ut operemur, ut ambulemus* & similes, Scripturam & Augustinum significatum voluisse finẽ cujus intuitu datur gratia? Hoc enim, inquiunt, intuetur Deus cùm gratiam tribuit, ut homo cum sua libertate operetur, non autem quasi ipsa gratia libero arbitrio *velle* largiatur. Hoc enim frustra objici, inde manifestum est, quod sexcentis locis explicat se per phrasim istam nihil aliud intelligere quam quod Deus arbitrio voluntatis per gratiam ipsum velle largiatur. Nam in epistola centesima septima, ubi locutiones istas usurpaverat, *Quapropter ut in Deum credamus, & pie vivamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, non quia velle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis velle operatur & currere.* Et libro de gratia & libero arbitrio: *Per hanc gratiam fit ut sit homo liberæ voluntatis*, id est ut benè velit, *qui prius fuit voluntatis malæ.* Et infra: *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Et quid est operans ut velimus? Audi: *De operante illo ut velimus dictum est, Deus est enim, qui operatur in nobis & velle.* Et libro de prædestinatione Sanctorum: *Qui non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est illis datur, ut credant, illis non datur.* Et libro de dono perseverantiæ citans illam Scripturam Apostolicam, *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate*, sic illam suis verbis quasi interpretando consignat: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Sed quid pluribus? Vix ullus est adversus Pelagianos & Massilienses liber aut epistola, in qua non frequenter hujusmodi doctrina commendetur. Ex quo fit ut sæpissimè opus justitiæ, pudicitiæ, continentiæ, seu justè, pudicè, continenter vivere, meritum, perseverantiam, seu perseverantem dilectionem Dei, quæ non nisi volendo & operando perficiuntur, munera ac dona Dei vocet, quæ Deus quibus voluerit, gratuito largiatur. Nam de ipsa etiam prima volũtate seu volitione bona qua viã Dei tenemus & gradimur, dicit quod nemo *hoc Dei donum præcedente suâ volũtate mereatur.* Et in eodẽ loco: *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet: ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitus ut velimus.* Et de nostra prima ad bonum conversione: *Nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos.* Et de operatione justitiæ de qua tota cum Pelagianis disputatio fuit in epistola nonagesima quinta: *Ergo neque per legem justitia, neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide & dono Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et adversus Iulianum: *Si origo justitiæ Deus est, cur homini ab ipso dari justitiam non fateris, & potius humanæ voluntatis arbitrium quam Dei donum vis esse justitiam?*

Epist. 107. ad Vitalem. — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.* — *Ibid. c. 17.* — *Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.* — *Lib. de dono pers. cap. 13.* — *Epist. 107. ad Vitalem.* — *Epist. 107. ad Vitalem.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 5.* — *Epist. 95.* — *Lib. 1. oper. imp. fol. 31.*

Et de vita pudica conjugali: *Donum Dei esse pudicitiam conjugalem Beatissimus Paulus ostendit.* Et ibidem, *Donanti Christo magna tibi est observantia pudicitiæ conjugalis.* Hoc autem cum de actionibus & voluntatibus intelligere quibus pudicè vivitur, ex toto discursu manifestum est, *An fortè nec Dei dona putanda sunt quando hæc infideles agũt?* Et mox: *Cùm igitur hæc faciunt homines sine fide quæ videntur ad pudicitiam conjugalem pertinere &c.* Et de continentia, hoc est, de voluntate qua libidines tumultuantes intra cancellos pudicitiæ continentur, cùm attulisset illud præceptum Apostolicum, *Contine teipsum*, addit, *Et tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt aut non implent quod volunt. Quibus autem datum, sic volunt ut impleant quod volunt.* Et de castitate perfecta, de qua tàm multa præcipiuntur, inquit, ne fornicationes & adulteria committantur, ut ostendatur in his faciendis hominem *habere propriam voluntatem, quæ divinis præceptis obediret: & tamen Dei donum esse*, ista videlicet voluntas, *sine quo servari castitatis præcepta non possunt.* Et de qualibet superatione tentationis, qua voluntas adversus eam invicta persistit, *Cùm voluntas ejus convenitur & ei dicitur: Noli vinci à malo; quid ei prodest, nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adjunxit. Nam & cùm dixisset, virtus peccati lex; continuo subjecit: Gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ergo & victoria, quâ peccatum vincitur nihil aliud est, quam Domini Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.* Et iterum: *Nec tamen sufficit liberum arbitrium voluntatis humanæ, nisi & victoria concedatur oranti.* Et de submissione animi qua quis in solo Domino gloriatur: *Quia & hoc Dei præceptum est, & hoc præceptum obedienter audire, id est, ut qui gloriatur in Domino glorietur, similiter ut cætera, Dei donum est.* Et de quacumque obedientia, qua cuicumque justitiæ repressa concupiscentia obeditur: *Obediendum est justitiæ Spiritui, cui obedire; nec obediendum est concupiscentiæ carnis, contra quam certare debemus: ita sane ut ipsam quoque obedientiam piam*, DONUM DEI *esse meminerimus.* Et de quacumque hominis voluntate, qua benè vivitur, & non peccatur: *Quod cùm ostendero, profectò manifestius apparebit benè vivere donum esse divinum.* Quà de re in eodem libro dicit: *Cogitare debemus, quamvis ad hominem id agere pertineat, scilicet quod benè vivat, hoc quoque munus esse divinum; atque ideò non dubitare opus esse divinum. Deus est enim qui operatur in vobis, ait Apostolus, & velle & operari.* Unde in libris contra Iulianum, ipsum *non peccare donum Dei esse* profitetur. Et de diversis bonis operibus ab initio fidei usque ad perseverantiæ consummationem: *Satis docuisse me existimo, vel potiùs plus quam satis*, DONA DEI *esse & incipere in Dominum credere, & usque in finem in Domino permanere. Cætera verò bona ad vitam piam, quà Deus rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter*

quos

Lib. 2. de nupt. c. 3. — *Ibid. c. 2.* — *Ibid. c. 5.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 20.* — *Lib. 1. contra Iul. imp. c. 106.* — *Lib. de perf. just.* — *Ibid. cap.* — *Lib. 2. contra Iul. imp. f. 37.* — *Lib. de dono pers. c. 17.*

quæ hæc agimus Dei dona esse concedam. Et de singulis vitæ bonæ meritis, quibus æterna vita retribuitur: *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Et alibi: *Quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur.* Et rursum cùm ex Apostolo gratiam Dei vitam æternam esse tradidisset: *Intelligendum est igitur*, inquit, *etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* De quo & lib. 13. de Trinitate: *Et ea quæ dicuntur merita nostra, dona sunt eius.* Quod probat ex Psalmo: *Dedit dona hominibus, hæc*, inquit, *dona sunt merita nostra, quibus ad summum bonum immortalitatis & beatitudinis perveniamus.* Et adversus Iulianum: *Sicut iudicij fuit ut vanitati subijcerentur, ita misericordiæ est ut veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.* Quæ doctrina apud Aug. constantissima est, usque adeò ut generaliter dicat, *Gratia est illis*, hominibus lapsis, *omne meritum.* Et hoc Conc. Arausi. definierit istis verbis quæ ex Aug. libris nuper inventis consignata sunt, & ex illis à Prospero in sententias redacta: *Debetur merces bonis operibus si fiat, sed gratia quæ nõ debetur præcedit ut fiat.* Nõ enim intelligitur, quælibet gratia, *sine qua non* possint fieri, sed gratia *qua donante* Deus operatur ut fiant. Hoc enim generaliter alio jam canone asseruerat: *Divini est* MVNERIS *cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitiâ tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq; nobiscum vt operemur, operatur.* Et Aug. generalissimè jam ante præformaverat: *Deus hæc omnia quibus animus humanus divinæ societati ad inhabitandam æternam cœlestemq; civitatem instruitur & aptatur, non solum iubet aggrediendo, verum etiam donat implendo.*

Hanc celeberrimam Scripturarũ & Aug. doctrinam tot testimoniis, quibus decuplo plura facile proferri poterant, munitam esse volui, ut intelligeremus, quando de lapsorum operibus Deo facienti tribuendis agitur, non ad quamcumque gratiam esse referenda. Non enim Ecclesiasticæ doctrinæ satisfeceris, si dicas Deum ad illa per gratiam internam quantumcumque magnam facienda concurrere, tanquam *sine qua non* possint humani arbitrii libertate fieri. Talis enim gratia nullo modo donat ut fiant, sed tantummodo vires præbet quibus adjutum voluntatis arbitrium, ea sibi ipsum donet si placuerit, sin displicuerit, gratia sine merito, sine opere, sine effectu Deo inutilis & cassa maneat. Nam ubi talis potestas ipsi gratiæ adjutorio & effectibus ejus dominatur, ridiculum est, dicere quod gratia donat ut fiant. Nunquam enim nuda potestas largitur opus, sed id quod applicat potestatem: cui quemadmodum tribui debet quando jam sufficientissimis viribus instructum pro sua libertate cessat, ita illi ipsi tribui debet, quando cum illa gratia sibi opus, effectum, meritum, pro eadem libertate largitur. Quod si fecerit, quantumcumque *non sine gratia* simul influente fieri prædicetur, non est meritum divinũ, non meritum gratiæ Dei, non meritum divinitus datũ, quemadmodum Scriptura postulat, sed ut illud rectè vocat Augustinus, meritum [a] *humanum*, meritum [b] *liberi arbitrij*, [c] *meritum voluntatis humanæ*, meritum [d] *nostrum*, meritum [e] *ab homine exortum*, meritum [f] *hominis ex semetipso* comparatum. Hujusmodi quippè phrasibus nunquam significatur esse nudum arbitrium aut voluntatem quod ad ista merita efficienda concurrat; sed esse voluntatis arbitrium quod ibi præcipuas partes agit, ut non potestas habendi meritum, sed meritum ipsum reipsa & actu habeatur. Tam verò certum est juxta istam recentiorum sententiam esse liberæ voluntatis ut meritum de facto & reipsa habeatur, quam liberæ voluntatis est, ut non habeatur. Vnde rectissimè & propriissimè vocatur & vocari debet, meritum nostrum, meritum hominis, meritum ab homine exortum, meritum voluntatis humanæ, meritum liberi arbitrii, meritum denique, & ut omnium sæpissimè nuncupat Augustinus, humanum. Cujusmodi meritum ubiq; sanctus Doctor tanquam *iustitiam suam*, & *liberi arbitrij*, & *ex natura humana prolatam* non datam, & justitiam *ex lege*, & *ex se sibi paratam*, deniq; tanquam justitiam operum non gratiæ, Apostolica damnatam authoritate proscribit.

[a] *Epist. 106 & 107. De grat. & lib. arbit. cap. 6. lib. de prædest. Sanct. c. 15 & 18.*
[b] *Epist. 106*
[c] *Epist. 107*
[d] *Lib. 4. ad Bonifacium cap. 6, & 7.*
[e] *Ibid. c. 6.*
[f] *Lib. de gratia & libero arbitrio c. 6.*

CAPVT XV.

Ostenditur tribus argumentis non esse satis quod gratia habitualis aut quælibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei, & non meritum liberi arbitrij & humanum ab Augustino damnatum: sed quod debeat esse gratia actualis dans operationem & meritum.

FALSA quippe & fallax recentiorum imaginatio est; ad hujusmodi *iustitiam*, quam tanquam *suam* homines volunt constituere, hoc est, ad opera & merita *liberi arbitrij*, & *humana*, & *nostra*, non à Deo data, efficienda, veram & supernaturalem gratiam non posse concurrere seu influere. Quæ existimatio, quia non minima plurium & gravium hallucinationum causa est, nonnullis manifestis indiciis ex Augustino convincenda, argumentisque convellenda est.

Primò igitur hoc inde falsum esse demonstratur, quia juxta doctrinam Augustini certum est, merita quæ ex gratia habituali proficiscuntur, libero arbitrio voluntatem simul & gratiam pro sua libertate ad operandum rapiente, esse merita, quæ Augustinus contra Pelagianos disputans tanquam meri-

ta *nostra & humana* condemnat. Etenim Pelagiani, maximè postquam fuerant Ecclesiastica damnatione percussi, merita hominis velut gratuitò data prædicabant, eo quod sine ullis meritis per peccatorum remissionem justificatus esset. Hoc autem eos intellexisse fieri per veram habitualis justitiæ donationem latissimè ex propriis Pelagianorum verbis, & plurimis habitualis gratiæ effectibus, per sex capita demonstravimus. Sed ista gratiæ divinæ prædicatio ad opus concurrentis nullo pacto sancto Doctori sufficit, ut meritum *gratiæ*, à Deoque *donatum* & non *humanum* esse celeatur. Hoc disertissimis verbis ipsemet de meritis à Deo donatis & humanis disputans, profitetur: *Sed cum dicunt*, inquit, *Pelagiani hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est, vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi: Respondendum est eis.* Jam igitur attende quid respondeat: *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa* DONA DEI *esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus; Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab alio sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt.* Ecce Pelagiani prædicant homini peccata divinitus dimitti, & per hoc, ut fusè declaravimus, eum habituali gratiâ seu justitiâ gratuitò donari; eoque non obstante, merita quæ jam à justo gratis sine meritis justificato proficiscebantur, Augustinus humana merita, & ex ipso homine promanantia, non Dei dona esse testatur. Nempe quia quamvis ea non operaretur justus *sine gratia* qua jam habitualiter perfusus erat, non tamen ea donabat gratia, sed arbitrium voluntatis humanæ: quod sicut ea sibi frequentissimè non donat, quando lubet, ita etiam donat quando lubet, hoc ipso quo gratiam qua præditus est, pro sua natura & indifferenti libertate, aut cessare aut operari facit. Non enim hoc est habere meritum, habere gratiam, qua meritum haberi potest, sed ipsam gratiam ad opus impellere. Quod tam certum est à sola libertate proficisci, concurrente licet gratiâ *sine qua non*; quam certum est, ab habituali gratia non proficisci, utpote quæ sicut cæteri habitus modo mortuo sese habeat, motumq; suum, fatentibus ac docentibus ex professo Neotericis, ab arbitrio voluntatis exspectet. Quod latius etiam nos in præcedentibus prosecuti sumus, & sexcentis exemplis tum habituum, tum luminis, tum quorumcumq; aliorum auxiliorũ ad opus concurrentium, quibus tamen opus non potest tribui, sed soli humanæ libertati, declaravimus. Hoc in cæteris omnibus veritissimum esse recentiores vident, cogũturq; fateri; in sola gratia quam tuendam non satis considerate susceperunt, tergiversantur ac hærent, quia læsaliter eam vulnerari cernũt.

Lib. 5. de hæresi Pelagiana à cap. 22. usque ad 28.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6.

Hæc est ergo ratio, cur consequenter, ut rectissimè notavit Augustinus, tale meritum proferenti verissimè Apostolus dicat; Quis enim te discernit? Iustus enim à justo, non habituali gratiâ, sed gratiæ istius operatione discernitur. Quod discrimen certissimum est esse non gratiæ, sed humanę, quamvis *non sine gratia*, libertatis. Quod ita manifestum est, ut ipsimet qui tuentur hujusmodi gratiæ genus, non possint ulla ratione dissiteri. Agnoscunt enim cumulatissimè, ut supra vidimus, discrimen istud, quod hic & nunc gratia influat aut non influat, à voluntate proficisci. Quod quid est aliud quam hominem humano merito se discernere? nam hic & nunc operari, hic & nunc ad operandum se applicare, hic & nunc facere ut gratia influat, hoc est, meritum sibi parere, & semetipsum ab alio cum quo hactenus par, æqualis & indiscretus fuerat, hic & nunc non operante, gratiam non applicante, gratiæ influxum cohibente, discernere. Per hoc enim quod alteri cum altero commune & indiscretum est, nemo discernitur: juxta id quod dixit Augustinus: *Numquid per hoc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* minimè gentium.

Lib. de corr. & grat. cap. 9.

Secundò falsum hoc esse, demonstratur ex meritis Adami & Angelorum. Nam ad illa concurrisse gratiam habitualem extra controversiam est; imò & actualem influxum apertissimè certissimèque Augustinus docet, & tamen illa fuisse merita humana, non data, fuisse merita liberi arbitrii, non dona Dei; adeoque Angelos reipsa stetisse, non discessisse à Deo, perseverasse per liberũ arbitrium, *non per gratiam*, quamvis *non sine gratia*, eâdem tradit asseverandi constantiâ doctrinæque certitudine. Quod quia aliis jam locis fusius ostendimus, importunum esset hic repetere. Perspicuum est igitur nullo modo fieri satis Augustino, Scripturisque & Conciliis, si opera & merita lapsi hominis, quoquo modo ad gratiam habitualem vel actualem referantur, sed ad illam referenda sunt, quæ justitiam, & opus, & meritum, donat. Quam nisi dederis, licet aliam quamcumque dederis, tantoperè aberrabis à veritate confitendæ gratiæ, ac si Christum non venisse, gratiam non attulisse, infirmitatem non adjuvisse, hominem integris viribus perstitisse, unoque verbo Christum gratis mortuum esse decerneres, quorum nullum sine damnato errore asseri potest.

Pr. mè tam à gratia pro homine sp. 16. & pro donatis hi præsta bis. cap. 7. & 9.

Tertiò hoc falsum esse demonstratur, ex duplici errore Massilienſiũ, quorum uterque rem istam planissimam facit. Prior erat quod initium fidei, orationem, gemitus, ac desideria, & hujusmodi ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio profilire censerent. Et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorũ libe-

libero relinqueretur arbitrio, & hoc eos apertissimè docuisse, jam supra latè patefecimus. Posterior erat perseverantiam in fide, non esse donum gratiæ Dei, sed humanæ voluntatis officium. Est autem certum eos nunquam rejecisse ab illa perseverandi voluntate gratiæ permanenter & habitualiter voluntati inhærentis influxum. Nam præterquam quod nullum extet in omnibus Augustini & Prosperi scriptis indicium tam insulsæ absurditatis, repugnat etiam scopo Massilienſium, qui quaslibet gratias etiam potentissimas post initium fidei libentissimè concedebant, dummodo *sub gratia adiutorio* sua sibi voluntas relinqueretur. Nam & credere & adepta justitia in credendo perseverare *sic in nostra constituebant potestate* Massilienses, *ut Dei dona esse non putarent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.* Cum quo tamen benè consistere judicebant, ut quamvis Deus per gratiam non operaretur in hominе istas voluntates & actiones, *sub ipso* tamen *gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præsciret*, quemadmodum eorum sententiâ Prosper exprimit. Hoc est, voluntatem perseverandi in fide nolebant ex gratia voluntatē ipsam donante & operante, sed ex ipso hominis arbitrio, *sub gratia tamen adiutorio* sese quaquaversum flectente proficisci. Non enim erant inimici gratiæ ad perseverandum, nisi illius tantùm quæ non relinqueret ipsis optionem suam, sed adamantina quadam Dei constitutione, quam mutare non possent, voluntates præveniret, atque operatione, quæ non ab eorum arbitrio suspenderetur, efficeret; sed hoc vel illud determinatè velle & arbitrari faceret. Hinc nunquam auditum est, eos veram propriéque dictam justitiam habitualem rejecisse, simul certum est eos justitiam, castitatem, sapientiam, continentiam, charitatem, ipsamque fidem auctiorem tanquam veræ divinæ gratiæ dona confessos esse; nunquam auditum eos opera, quæ ex talibus donis pullulabant ab ipsis donis, adeoque ab ipsa fide qua credebant iam gratis aucta & perseverante separasse; quasi fides divinitus aucta in actum fidei non influeret. Quale monstrum nullus Catholicus aut hæreticus aut philosophus unquam finxit: sed hoc tantummodo spectabant, ut cum quocumque & sub quocumque adjutorio gratiæ, *quicquid libet donatum esset præstitutis, possent & amittere & retinere propria voluntate.* Vnde disertissimis verbis fatebantur hominem ad credendum & perseverandum in fide *iuvari gratiâ volentem*, sicut & Adam adjutus fuit. Quod qui fusius ex radice, & propriis eorum verbis perspectum habere cupit, legat ea quæ de perseverantia, in opitione Massilienſium, itemque de gratia ad credendum, disseruimus. Nam ex illis certissimum apparebit, non sufficere influxum cujuslibet gratiæ supernaturalis sive habitualis, sive etiam actualis, ut justitia sit *Dei* non *nostra*, ut opus sit *gratiæ* non liberi arbitrii, ut *meritum sit doni* Dei non ex humana voluntate profectū.

Ad Hilar. & epist.

Vide lib. 8 de hæresi Pelagiana c. 14 & 15. Itemque de grat. ad credendum c. 6. 7. 8. 9. 10.

CAPVT XVI.

Idem ostenditur quarto ex natura gratiæ ad singulos actus necessariæ, quæ ex diversis capitibus ostenditur non esse habitualis, sed actualis inspirans etiam justis habitualiter velle & operari.

QVARTO convincitur hoc esse falsum ex natura gratiæ, cujus confessionem à Pelagianis tanquam ad singulos actus meritaq; singula efficienda donandaque necessariam Augustinus postulat, sine cujus adjutorij agnitione nec ipsos Christianos esse posse, neq; opera Dei dona, sed justitiam tantum nostram & humanam ex libero arbitrio proficiscentem, profitetur. Hoc est autem, non cujuscumque gratiæ adjutorium sive remissionis peccatorum, sive habitualis, sive legis, sive doctrinæ, sive alterius cujuscumque, sed adjutorium gratiæ actualis, quod tunc datur quando actu volumus & operamur. Quod innumeris probationibus tanquam certæ & Catholicæ fidei dogma, ex Augustini Conciliorumque monumentis demonstrari potest. Nos quia res tantillum versatis evidentissima est, & à nonnullis recentioribus agnita, paucis contenti erimus. Quod ut præstemus quam brevissimè fieri potest, supponimus tanquam Catholicæ fidei fundamentum illud adjutorium gratiæ, de quo cum Pelagianis agebatur, ad singulos actus nostros bonos efficiendos esse necessarium,

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

ita ut sine isto nihil omninò boni operis velle aut agere valeamus. Nam oppositæ sententiæ tanquam certæ exploratæq; hæresis damnationem sæpenumero commēdat Augustinus. *Hinc iam obiciuntur*, inquit, *Pelagio alia Cœlestij capitula capitalia, & sine dubitatione damnanda, quæ nisi anathematizasset cum his sine dubio damnaretur. In tertio capitulo scripsisse Cœlestium gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina.* De quo paulò inferius adijcit: *Nunc certè post hoc iudicium quando contra huiusmodi sententias disputamus adversus damnatam hæresim disputamus.* Et in fine libri dicit Palæstinos Episcopos *eam hæresim sine dubitatione damnasse*: adeoque istum articulum inter eos collocat, in quibus *potius tota hæresis ista consisteret*, exponitq; esse gratiam illam *quæ submissa inspiratione Spiritus sancti datur, ut ad nostros actus singulos adiuvemur.* Et libro de gratia Christi, à Pelagio postulat ut confiteatur gratiam qua *voluntas & actio divinitus adiuvatur, & sic adiuvatur, ut sine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suæ non nostræ iustitiæ iustos fecit.* Hoc est

Ibid.

Ibid.

Cap. 35.

Lib. de gratia Christi cap. 47.

est illam esse gratiam quæ non sinit opera vel merita nostra esse *voluntatis humanæ*, esse *liberi arbitrij*, esse *humanæ*, esse *nostræ*, esse *ab homine exorta*. Qualem justitiam, hoc est quale opus justitiæ qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Talibus enim gratia non donat opus aut meritum, sed ipsi sibi sua voluntate constituunt.

Hoc ergò gratiæ divinæ adjutorium, quo in singulis actibus nos adjuvandos Augustinus confitetur, & à Pelagio, si vult esse Christianus, confitendum tradit, tanquam gratiam de qua tota erat Ecclesiæ cum isto hæretico disceptatio, tam est perspicuum esse actuale & jugiter suppeditandum à Deo, ut mirum sit à quoquam in dubium potuisse revocari. Nam hoc probat in primis quod supra latissimè confirmavimus, de illa gratia fuisse controversiam, qua certantes adversus concupiscentiæ tentationes ab ejus dominatione liberamur, ne vincamur in prælio, hoc est, de gratia liberationis & salvationis ab infirmitate, qua sub tentationibus fatiscimus laborantes. Hanc autem esse actualis gratiæ adjutorium, ex eo manifestum est, quod sub initium pœnè tota disputatio cum Pelagio de justorum, hoc est, habitualem gratiam jam habentium, adjutorio fer eret, usque ad damnationem ejus. Quod omnes libri indicant qui contra ipsum usque ad Concilium Carthaginense scripti sunt: de natura & gratia, secundus de peccatorum meritis, de perfectione justitiæ, de Spiritu & littera, epistola octogesima nona, de gestis Pelagij, & hujusmodi. In quibus omnibus hoc totò virium conatu agitur, Christianos baptizatos, fideles & justos qui laborant contrarietate carnis & spiritus, divinæ gratiæ adjutorio ad singulos actus indigere. Non enim ita deliravit Pelagius unquam, ut existimaret justitiam habitualem, qualiscumque esset illa, ad opera justa suo modo non adjuvare. Deinde de illo agitur adversus concupiscentias etiam justorum adjutorio, quod nisi Deus legis jussu intonante largiatur, concupiscentia magis exardesceret, certissimaque legis prævaricatio sequeretur, ut etiam pluribus supra demonstratum est. Ergò perspicuum est, esse gratiam illam, quam Deus etiam justificatis largiri debet. Denique illa est gratia quam Deus & justis sæpè negat, sive ut superbia jam nata comprimatur, sive nascitura caveatur: *Deseruit aliquantum Deus*, inquit, *unde superbis, ut scias non tuum esse, & discas superbus non esse*: quam desertionem certum est non esse gratiæ habitualis.

Lib. de nat. & grat. c. 28

Secundò hoc probat, quia de illa gratia certabatur, qua Deo largiente suavitas oboritur animo non solùm impiorum, sed maximè justorum, ut bonum opus velle & operari libeat. Nam sine tali gratia, tædio nimirum animum certissimo alioquin occupante, nec opus bonum suscipi, nec ipsa voluntas humana justorum quorumcumque potestate haberi potest: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit. Cùm ergò nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur. Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere jubemur ut accipiamus &c.* Nihil evidentius dici à quoquam potest, ut gratiam actualem etiam ad singulos voluntatis justificatæ nutus necessariam, & inspiratione Dei conferendam probet. Quod longè apparebit ex alijs locis jam traditæ doctrinæ concinentibus manifestius: *Ideò quisque nostrum bonum opus sufcipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini amoris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur. Et sciat quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum est, Dominus dabit suavitatem*, id est gratiam agendi, *& terra nostra dabit fructum suum*. Et multò inferius ejusdem doctrinæ orbitam terens dicit: *Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum terra eorum*. Et iterum: *Idcirco etiam Sanctos & fideles suos in aliquibus vitijs tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ omnis ex parte justitiæ sufficit delectet bonum, sive cùm Later, sive etiam cùm manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iustificetur in conspectu eius omnis caro*. Quo significat inde contingere quod etiam Sancti & fideles in peccata venialia prolabantur. Ecce perspicuè, solidè, à fundamentis, inculcatèque traditum, gratiam de qua disceptat cum Pelagio Augustinus, etiam justis quam maximè esse necessariam (nam ut infra dicturi sumus, illa nullis omninò infidelibus datur, nisi qua fideles fiunt) etiam justis sæpè subtrahi, illam nunc dari nunc negari, prout Deo visum fuerit, ut sanctur caveaturque superbia. Denique talem esse, sine qua nullum omninò opus bonum quisquam amplecti, aut suscipere aut agere potest. De qua gratia, qua divinitus inspiratur ut delectet bonum, conformiter alibi dicit: *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valeat, si lateat veritatis via: Et cùm id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur non agitur, non suscipitur, non benè vivitur*. Itaque in eodem libro consequenter dicit, *Spiritu sancto fieri in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est: sicut prater hunc Spiritum peccare delectat*. Hanc autem delectationis gratiam, qua præsente justum non peccare delectet, vel absente delectet, actualem esse non habitualem, quæ justis ad peccatum usque mortale, & cum venialibus semper adest,

Lib. 1. ad Simplic. q. 2

Lib. 2. de spir. & lit. c. 27

Ibid. c. 36

Ibid.

Lib. de spir. & lit. c. 5

Ibid. c. 18

adest, tam est manifestum, ut nimium tardus sit, qui hoc sibi probatum velit. Vndè alibi dicit Augustinus, istam dilectionis gratiam esse solum & verum istud adjutorium, quod præter scientiam agendorum à justis etiam in omnibus precibus imploratur:

lib. 2. epist. cap. 13. *Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamq; justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat quod non delectabat.* Quod suavitatis adjutorium ne quis vel ad ipsas preces, quibus ipsum à Deo suppliciter petitur, necessarium non esse suspicetur, continuò adjungit:

ibid. *Quia & hoc ab illo esse deprecandum eius gratia dicimus; dum antea lateret, eius gratia dileximus, dum antea non delectaret; ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur.* Quo fit ut etiam tanquam de peculiari beneficio gratias Deo agēdas esse commendat, quoties nos quiescentes seu non agentes ad agēdum actu istā suavitate pertraxerit, eumque quoties non pertraxerit, deprecandum: *Ad hoc eis ostendi*

lib. de Corr. grat. c. 2 *quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est, ideſt, cum dilectione & delectatione iustitiæ suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant: quando autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non acceperi sunt, aut quid habent quod non acceperunt.*

Tertiò hoc probat, quod illud gratiæ adjutorium de quo disceptatio erat, utrùm & justis esset ad benè vivendum necessarium, vocet gratiam qua charitas, hoc est, dilectio boni operis inspiratur, quod etiam certissimum est, esse gratiæ actualis adjutorium. Nam sive nolentibus velle, sive volentibus plenius velle, sive non agentibus boni operis dilectio inspiretur, semper motio sancti Spiritus actualis exprimitur. Ex quo fit ut nullum omninò operis vel effectus boni genus excogitari possit, ad quod non talem inspirationem Augustinus exigat. Hanc postulat pro prima bona voluntate seu boni cupiditate, cùm dicit quod *invito & reluctanti*

lib. 2. ad Bonif. c. 8. *Deus inspiret boni cupiditatem, ut iam non sit reluctans, non sit invitus, sed consentiens bono & volens bonum.* Et in libro de correptione & gratia: *Vt strepitu correptionis foris sonantis atque flagellantis, Deus in illo occulta inspiratione intrinsecus operetur & velle.* Hæc enim operatio non est aliud nisi voluntatis inspiratio.

lib. de Corr. & grat. c. 6.

ibid. cap. 2. Nam in eodem libro *inspirationem voluntatis* à Deo per Apostolum peti docet. Hanc postulat pro fide qua Deo credimus: *Noverit eum sibi præstitisse ut crederet, qui misereturinspirando*

lib. 1. ad Simplic. q. 2. *fidem, cuius misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret.* Hanc postulat ad quamlibet ora-

Epist. 105. tionem fundendam Deo: Deus *interpellandi & gemendi inspirat effectum.* Et in ultimo pœnè

lib. de bono perseu. in prof. libro quem jam moriturus exaravit: *Vtrum dum hoc ago ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortasis accepturus ignoro: Scio me tamen nec petiturum, nec quæsiturum, nec pulsaturum quantum sat est, nisi & hunc affectum munere divinæ inspirationis accepero.* Hanc postulat pro studio virtutis: Studium hominis *quod dicitur bonum, non incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi.*

Lib. 2. ad Bonif. c. 10.

Quod alibi apertius dicit: *Reluctanti prius aditus divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur ac deinde in illo iam non reluctanti spiritus virtutis accenditur.*

Lib. 4. c. 6

Hanc postulat ad desiderium regenerationis: *Oramus pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret.*

Epist. 107.

Hanc pro victoria tentationis: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet atque inspirata gratia suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.*

Lib. de Spir. & lit. c. 29.

Quam inspirationem ita, cùm lex jubet, putat esse necessariam vt nisi à Spiritu sancto fiat, graviori lapsu sine dubitatione prolabatur: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem,* (seu actum diligendi, prout ipse semper intelligit istum locum) *diffundens in cordibus nostris, profectò lex illa quamvis bona auget prohibendo desiderium malum.*

Ibid. cap. 4.

Hanc postulat, ut habeatur quodlibet desiderium bonum: *In Domino laudabitur anima eius, qui satiavit in bonis desiderium eius: quia & hoc desiderium ipse inspiravit, ne virgo eius sic in aliquo bono glorietur quasi non acceperit.*

In Epist. 143.

Hanc postulat ad quamlibet dilectionem faciendi id quod novimus esse faciendum, quando reprehendit Pelagium quod negaret Deum adjuvare *cooperando & dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat.* Quæ dilectionis inspiratio apud Augustinum quodlibet opus bonum respicit, sine qua non modo non fieri, sed ut latè demonstravimus, nec bonum quidem opus esse potest. Vnde ad omnia justorum opera bona talem inspirationem requirit: *Hanc inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus ad Deum ne quid faciatis mali &c.* Quæ dilectionis cujuslibet boni operis inspiratio, quia generalissima est, hinc fit ut eam propriè gratiā contra Pelagianos vocet: *Legem in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam &c. ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.*

Lib. de Corr. & grat. c. 3.

Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5.

Et alibi se testatur à Pelagianis petere *inspirationem charitatis, ut quod discendo cognovimus etiam diligendo faciamus.*

Epist. 143.

Hanc itaque ad omnem omninò profectum postulat quo in benè agendo delectamur: *Cùm ergò, inquit, nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro aut industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis &c. ille largitur.*

Lib. 1. q. 2 ad Simplic.

Hanc ad quamlibet etiam cogitationem bonam postulat: *Quam cogitationem bonā quando habuisset, nisi ipsam illi in occulto pa-*

Epist. 106.

ter misericordissimus inspirasset? Quæ omnia tàm perspicuè gratiam actualem eamque potentissimam spirant, ut non videam quomodo possint ad remissionem peccatorũ, vel gratias habituales vel sufficientes, nisi pervicaciâ quidlibet pervertente, detorqueri. Quam ob causam Zozymus Papa cum hæresim Pelagianam Apostolicâ authoritate damnaret, gratiæque necessitatem & operationis efficaciam totius orbis Episcopis explicando, singulos bonos animi motus ad eam referendos esse sanciret, luculentissimis verbis & summoperè Aforum Antistitum Concilio commendatis declaravit, actualis esse gratiæ inspirationem, quæ de prostrato Pelagianorum errore triumphabat. Nos, inquit Pontifex,

Zozim. Papa in epistola ad totius Orbis Episcopor.

instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt unde nascuntur) ad fratrum & Coepiscoporum nostrorum sententiam retulimus. Quem sermonem, ut Celestinus Papa loquitur, sinceriſsimæ veritatis luce radiantem Afri Episcopi tanto honore venerati sunt, ut ad eundem scriberent, quod Pelagianos districto gladio veritatis velut cursim transiens amputasset:

Celestinus in epistola ad Episc. gallos.

Quid enim, inquiunt, *tàm libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen* INSTINCTV DEI *factum esse fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis* INSPIRATIONIBVS *suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ecce loco adjutricis gratiæ quam tantoperè celebravit Augustinus, audis hic *instinctum* Dei, audis *inspirationem* Dei, audis *tactum* quo corda filiorum Dei tanguntur & aguntur, in singulis voluntatis humanæ motibus bonis, ut nemini dubium esse possit, quin actualis gratiæ necessitas in omnibus bonis motibus pontificali & synodali authoritate asseratur. Et quia per talem tactum, instinctum, inspirationem, suavitatem Dei, voluntas infirma liberatur, vegetatur, reparatur, sanatur, à creaturis ad Deum retorquetur, rectificatur, justificatur, hinc est, quod eadem illa actualis gratia sexcentis Augustini locis vocatur sanans & justificans, non quod formaliter & habitualiter talem voluntatem hominis facit, sed quia illam ad talem justitiæ & sanitatis rectitudinem efficiendo perducit; non enim de habitualiter sanante & justificante gratia contra Pelagium vires humanæ voluntatis prædicantem agebatur, sed de illo principio quo læsi arbitrii infirmitas juvabatur. Quod facillimum esset innumeris testimoniis demonstrare, nisi hoc ipsum etiam non pauci recentiores agnoscerét.

Vide l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 2. & 3. de gratia Christi c. 20.

CAPVT XVII.

Idem ostenditur invictè juxta doctrinam sancti Augustini ex precibus Ecclesiæ quæ actualem motionem datricem voluntatis & operationis implorant.

DEINDE hoc invictè probat oratio totius Ecclesiæ, quam Lydium lapidem esse ad dignoscendam gratiam adjuvantem, de qua tota controversia est, sæpenumero testatur Augustinus: *Ipsa igitur oratio, clarissima est*, inquit, *gratia testificatio.* Et alibi nullo modo *facilius & apertius* Pelagianis responderi posse putat, quam si id

Epist. 95.

quod de orando Deo egerat, sic amplectamur, ut hoc menti nostræ nulla subtrahat oblivionis irreptio, nulla callidas argumentationis extorqueat. Quam ob causam securissimè quodam in loco dicit:

Epist. 107.

Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret. Hoc igitur argumentum, quia sanctissimus Doctor adversus omnes omnium cavillationes peremptorium esse judicavit ac docuit, frequentissimè adversus hostes gratiæ adhibuit, omniaque argutissima eorum subterfugia intercluſit, quibus nunc legem, nunc remissionem peccati, sub qua habitualis gratia comprehenditur, nunc exemplum Caroli, nunc gratiam Angelis & Adamo datam *sine qua* operari aut velle non poterant, pro vera Christi gratia opus & meritum largiente supponebãt. Cujusmodi testimoniorum Augustini, quia infinita multitudo est, ne tœdium lectores obruat, nos ea in pauca coarctabimus: quibus ostendemus, gratiam illam quæ singulis tentationibus superandis, singulis præceptis faciendis, singulis motibus bonis contra Pelagianos ex fidei Catholicæ doctrina, & Augustini explicantis suffragio necessaria est, non aliam esse nisi actualem, qua in singulis actibus nostra infirmitas adjuvetur. Hoc autem vel ex illo solo irrefragabiliter convincitur, quòd adjutorium habitualis gratiæ jam est in omnium justorum potestate (hoc enim juxta recentiorum etiam doctrinam habitualiter nobis adest) & utimur quando volumus. Est autem supervacaneum & stultum, & irrisorium, à Deo vel homine petere quod ipse non donat, sed jam ipse ut faciamus habes in tua potestate: non est igitur habitualis gratiæ adjutorium sed actualis, quod in omnibus orationibus justi postulant, & ratione cujus singulas bonas voluntates & operationes sibi à Deo donandas esse protestantur. Vim istam ora-

Lib. de dono perseverant. cap. 7.

manere non liceat. Docet enim ut singula A
præcepta impleantur dicendum esse *Da quod jubes*; docet ad victoriam tentationum obtinendam non sufficere liberum arbitrium, *nisi victoria concedatur orantis*: docet *quid quid jubetur, orandum esse ut impleatur*: docet, *nihil in Scripturis sanctis juberi, quod non inveniatur à Dei bonitate dari vel posci ad adjutorium gratiæ demonstrandum*: docet *nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo nos facere bonum, nisi inspiratione bonæ voluntatis ac operis*, quæ orando petitur, concedatur: Docet *nihil juvare quod monemus, docemus, hortamur; increpamus, nisi Deus orantes exaudiat*: Docet, orandum ut quando *non agimus, accipiamus agere*; eo quod *nihil habituri sumus quod non accipiamus*: docet *omnia quæ ad bonos mores pertinent esse poscenda; totum esse dandum Deo, ut humiliter petentibus ipsius pietate præstetur*: docet & *ipsum non discedere à Deo, dandum esse à Deo*. Et per hoc discendum esse eis qui Catholici esse vo- B
lunt, ut *si quid mali non faciunt, & si quid boni faciunt, non in seipsis sed in Domino glorientur*. Hanc denique gratiam quæ contra tentationes concupiscentiæ, incontinentiæ, insipientiæ, inobedientiæ, iracundiæ, omniaque quæ vel vetantur, vel jubentur implenda, postulatur, esse illam, quam Catholici confitentur & Pelagius fallaciter *in judicio Palæstino confessus est singulis actibus necessariam*. Quæ si paulò diligentius attenderent recentiores aliqui, non ita exorbitarent à tramite veritatis, ut solis philosophiæ principiis in re tanta nixi, gratias habituales fingerent ad opera multa bona posse sufficere. Et egregiè se munitos adversus Pelagianam hæresim putant, quod non sine influxu habitus gratiæ tales operationes voluntati tribuant. Quasi verò vel ullum indicium sit in
omnibus Augustini vel Pelagii scriptis, C
quod de habituum adjutoriis disputatum sit, vel habituales gratias Pelagiani ac Massilienses abjecerint, vel ita delirraverint ut negarent habitus voluntatis in opus voluntatis influere: vel denique quasi justi, baptismoq; sanctificati (de quorum orationibus profusis tum oratio Dominica, tum Augustini & Cypriani producta testimonia pœnè universa procedunt) gratiam habitualem qua donati sunt, tos precibus & gemitibus poscant. Commenta sunt ista hominum suas opiniones quoquo modo defendentium; qui divinæ gratiæ sinceritatem potiùs humani ingenii subtilitate, quam Ecclesiasticâ, ut oportebat, traditione discere ac docere voluerunt. Est enim apertissimum, gratiam istam tum suavitatis, tum inspirationis quæ orando petitur, esse actualem, quam Deus justus tunc quando agendum præceptumque implendum est, juxta profundissimi sui consilii arcanum donat orantibus aut negat, sicut placet, cui nihil injuste placet. Nam ut Augustinus adversus omnino similem Pelagianorum tergiversationem, naturam, peccati remissionem, & legis scientiam, tanquam Dei gratiam proferentium notat, justus orans Da quod jubes; Fiat voluntas tua; Ne nos inducas in tentationem; *non ut, inquit, id orat, ut homo sit quod est natura; neque id orat ut habeat liberum arbitrium; quod tam accepit, cùm crearetur ipsa natura: neque orat remissionem peccatorum* aut habitualem gratiam, *quia hoc superius dicitur, Dimitte nobis debita nostra: neque orat ut accipiat mandatum, si enim in tentatione defecerit hoc facit, quod est contra mandatum. Orat ergò ut non peccet, hoc est ne quid faciat mali*, quod vetatur, vel bonum faciat quod jubetur. Vt proinde rectissimè firmissimèque pro actuali & nondum data gratia cum Augustino concludatur: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio.*

Epist. 95. ad Innocent.

Vide omnino similem locum lib. de gest. Pelag. cap. 9. & epist. 107. ad Vitalem.

CAPVT XVIII.

Eandem doctrinam Romani Pontifices tradunt, & Ecclesia tota profitetur.

NEc Augustini duntaxat, sed & A
Pontificum Romanorum & Conciliorum Ecclesiæ veritatem suo calculo comprobantium, mens eadem omninò eademque doctrina est. Vnus Pontificum erit instar omnium, sanctus Innocentius qui tempore conflictus istius cum inimicis gratiæ & vixit & scripsit, & Ecclesiasticis Conciliis Carthaginensi atque Milevitano respondens scripsit. Tota enim epistola utraque Synodalis adjutorium Dei actuale ad nostros singulos actus necessarium esse tantâ inculcat acrimoniâ & evidentiâ, ut vel tardissimos de somno excitare, clausisque oculis lumen istius veritatis inferre posse videatur. Nam in primis, quid spirat aliud quod iterum iterumque inculcat, illam *gratiam, adjutorium, remedium* esse *quotidianum*, quod Pelagius & Cœlestius oppugnabant? *Nec illum considerant cujus quotidie gratiam consequuntur*. Et, *Quid tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere, quicquid in quotidiana gratia consequeris?* Et, *Cui putes debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere quod taliter vivis?* Et, *Adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus*. Et: *Quotidiana præstat ille remedia*. Et: *Quis rogo tantus illorum peccatorum error obcœcat, ut si nullam gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de aliis considerant, quid quotidie singulis gratia divina largitur*. Quid aliud spirat quod plus

Epist. Innoc. ad Concil. Carthag. est apud August. 91.

plus quam decies commendat, non quamlibet esse gratiam istam quotidianam, sed eam quam justi pariter & injusti quotidianis precibus à divina misericordia poscimus? *Hoc adiutorium, seu benè vivimus* (hoc est justi sumus) *precamur, ut melius sanctiusq́ vivamus, seu prava sentientes &c.* Et iterum: *Nescientes quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat &c.* Et, *Cùm enim hoc totum* (gratiæ istius postulatio) *in nostra professione consistat, quotidianisq́ precibus nihil agamus, nisi quæ admodum Dei misericordiam consequamur, quem ad modum ferre possumus ista iactantes?* Quid aliud spirat, quòd istam adjutorii quotidiani necessitatem ex instatissimis & assiduis Davidis viri sanctissimi & Prophetæ maximi, & habituali gratia robustissimi precibus probat? *Cùm vir beatus etiam electus à Domino, nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans: Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Et; *Nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem.* Et; *Adiutorem sibi Deum & assiduum adiutorem invocat, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando eum despiciat, orationibus pronus exoptat, & per omne corpus psalterij hoc & prædicat & clamat.* Et, *Si hoc illi tam magnum est ut assiduè diceret, ita necessarium est confessus ut doceret.* Quid aliud spirat, quòd ut explicaret naturam adjutorii, quod tam assiduis orationibus deprecamur, exemplum hominis primi profert, *quem libertas ipsa decepit*, quique *liberum arbitrium perpessus est*; hoc est, vires ejus expertus est, *dum suis inconsultius utitur bonis.* Nempè, quia ut Concilium Arausicanum Augustini verbis exponit: *nullo modo potuit seipsam* *Conc. Arauf. canone 19.* *Creatore suo non adiuvante servare; nec sine gratia Dei salutem custodire quam accepit.* Quis enim eo usque deliret, ut putet Pontificem aut Concilium definire voluisse, quòd Adam sine gratia habituali, gratiam habitualem servare non potuerit? Aut ut hoc possit solâ libertate contenderit? Somnia sunt ista hominum pro suis suspicionibus quomodolibet depugnantium, qui doctrinam Augustini non satis perspectam habent, in qua multipliciter docetur; Adamum actualis gratiæ adjutorio, quamvis alterius rationis quam posteritatem ejus, ad opera singula eguisse. Quid spirat aliud quòd etiam illis quibus gratia habitualis & pristina Adami libertas restituta est, adjutorium istud *Epist. 93.* quærendum esse distertis verbis profitetur? *Ergò*, inquit, *Dei gratiam conantur auferre; quam necesse est etiam restituta nobis status pristini libertate quæramus.* Quid aliud denique spirat, quòd sine isto quotidiano adjutorio, quod sancti, hoc est, habitualiter justi & grati Deo precando postulant, nihil omninò boni nos agere posse, multiplici attestatione confirmat? *Hoc enim seu benè vivimus precamur, ut melius sanctiusq́ vivamus, seu prava sentientes à bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, eius auxilio plus egemus.* Et rursum: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrena labis & mundani corporis vincere conamur errores.* Ratio tantæ necessitatis est: *Cum pares nos ad resistendum non liberum, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et adhuc instantius: *Omnes sancti* NIHIL *se, sine hoc adiutorio*, quod Psalmorum precibus quæritur *agere posse testantur.* Et ne quis doctrinam istam, quæ ad sinceram infirmitatis humanæ & gratiæ divinæ confessionem, & ad gloriam crucifixi prædicandam maximè necessaria est, propter inveteratas humanæ philosophiæ suspiciones, aut obiter dictam quasi surdis auribus præteriret, iterum commendat instantissimè: *Qua gratia divina privatus, necesse* *Epist. ad Prot. Conf. Mifer. cap. Auguſt. 31.* *est diaboli laqueis irretitus occumbat.* Et præmissis sancti Davidis precibus pro impetrando Dei adjutorio subjicit: In omnibus divinis paginis legi, *voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei esse nectendum, eamq́* NIHIL *posse cœlestibus auxiliis destituram.* Et rursum: *Quotidiana præstat ipse remedia; quibus nisi freti confisiq́ nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Causa qua omnis exceptio de naturæ viribus, de libertate voluntatis, de habitu gratiæ, de nonnullis exiguis actibus, radicitus exciditur ista est: NECESSE EST ENIM VT QVO AVXILIANTE *Epist. 91. ad Conc. Carthag.* VINCIMVS, EO ITERVM NON AVXILIANTE VINCAMVR. Quid apertius & sanctius & præcisius à sancto Præsule, ad omnes philosophiæ Aristotelicæ de habitibus & voluntatis libertate, subtilitates suffocandas dici possit ignoro: in illis præsertim circumstantiis, ubi Conciliis respondet Africanis, eorumque doctrinam comprobat, qua inter cætera Pelagiani erroris capita, etiam istud amputaverant, quòd ad recte vivendum illam prædicabat naturæ possibilitatem, QVAM NVNC NON ACCIPIMVS, quando adjutorium Dei precibus imploramus. Nam quamvis habeamus quandam possibilitatem in voluntatis arbitrio, illa tamen nec ad benè vivendum sufficit, nec est illa, quæ TVNC ACCIPITVR cùm oratur. Hanc ergò sancti prædecessoris sui radiantissimam veritatis luce sententiam Celestinus Pontifex tanti fecit, ut eam litteris ad Antistites Gallos destinatis, tanquam immobilem *Epist. ad Gallos.* Catholicæ fidei regulam inseruerit. Et ne cui fortè verbum veritatis in ore vnius testis fluctuare videretur, addit & Zozymi Papæ testimonium, ac denique suum, ut tribus irrefragabilibus testibus res tanta niteretur. Dicit enim ac testatur ipse Celestinus: *Quod ita Deus* *Ibid. c. 1.* *in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisq́ motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid possumus, sine quo nihil possumus.* De quo verò tandem Dei adjutorio hoc intelligit, an de peccati remissione, an de gratia perpetuò & sufficienter justis assistente, an de adjutorio habituali? Ipse dicat Zozymi Pontificis verbis universam Ecclesiam instruentis: *Ad hanc enim nos professionem idem Doctor* (Zozymus) *instituit: qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur, Quod ergo, ait, tempus intervenit, quo eius non egeamus auxilio?* IN OMNIBVS igitur ACTIBVS, *causisque, cogitationibus, motibus adiutor & protector orandus est.* Et quid orandus, nisi ut quod à justis injustisque petitur, ac nondum dedit adjuto-

jutorij largiatur. *Superbum est enim ut quisquam sibi humana natura præsumat.* Nempe quia post lapsum suum quantumcumque justa & sancta, nihil omninò in operibus bonis, sine illo Dei adjutorio, quod simpliciter oratur, potest: ut necessariò superbum sit, si quicquam sine illo se posse præsumat.

Quapropter cum veritatem istam capitalem Catholicæ fidei basim esse sciret Celestinus, non contentus hujusmodi Sedis Apostolicæ sanctionibus, eam ex unanimi universalis Ecclesiæ professione confirmat. Nam hoc ipso quo nihil omninò boni in operibus nostris inveniri potest, quod non à Deo supplicibus votis adipiscendum postulat, & adeptum per sinceram gratiarum actionem, ad gratuitam ejus liberalitatem refert, apertissimè protestatur, omnia omninò ab ejus misericordia per actuale adjutorium, quod negat aut donat, quibus, quando & quoties visum fuerit, ab initio inchoationis usq; ad finem consummationis per opera singula, quibus in justitia incipimus esse vel crescimus, debere proficisci: *Præter*, inquit, *beatissimæ & Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos pissimi Patres pestiferæ veritatis elatione detecta & bonæ voluntatis* EXORDIA, & INCREMENTA *probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationem quoq; sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita toto mundo, atq; in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut* LEGEM CREDENDI LEX STATVAT SVPPLICANDI. *Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legationis sunguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis effulgeat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione refocillent, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis sacramenta pulsantibus cœlestis misericordiæ aula reseratur. Hæc autem non perfunctoriè neq; inaniter à Domino peti rerumq; ipsarum monstrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur avertere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filij charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo verum dijmi operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisq; confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.* Vnde concludens universam de adjutoriis divinæ gratiæ doctrinam, nihil omninò bonæ voluntatis aut operis ab ista gratia subtrahit, quam Ecclesiasticis precibus tanta diligentia commendaverat: *Vis ergò Ecclesiasticis regulis, & ex divina suppetis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectum atq; operum, & omnium studiorum omnimq; virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; & non dubitemus ab ipsius gratia, omnia hominis merita prævenire, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* Quibus sanctorum Pontificum documentis conformiter definivit Concilium Arausicanum de sanctorum & justorum singulis operibus, quæ Scholasticorum quorundam subtilitas ab actualis gratiæ adjutorio separavit: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Perspicuum enim est, opera singula sequentia præcedentibus attexendo, in bono opere perdurari. Quod si à renatis & sanctis solo regenerationis jam acceptæ beneficio ac robore aliquo usque fieri potest, perfunctoriè hoc potiùs quam verè precibus poscunt: perfunctoriè potiùs quam verè gratias agunt: ut sit irrisoria *gratiarum actio* atque *petitio. O homo*, inquit Augustinus, *non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationum testis est Deus, si aliquid à tanto divite veraciter ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis te accipere crede, quod poscis. Noli eum labijs honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare.* Quare idem Concilium Arausicanum hujusmodi cavillationes jugulans quibus una pars bonorum operum Deo, altera jam acceptis in sanctificatione viribus tribuitur, *Divini est*, inquit, *muneris, cum* (hoc est quandocumque) *& velle cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Quibus verbis continuò canonem istum supradictum de *adjutorio semper Sanctorum precibus implorando* subtexit.

Ibid. cap. 11

Conc. Arausic. canone 10.

Lib. de dono pers. cap. 2.

Conc. Arausic. canone 9.

Canone 19.

CAPVT XIX.

Eadem actualis gratiæ seu motionis necessitas ad singulos actus, ostenditur ex diversis alijs locis Augustini.

ET quamvis actualis gratiæ adjutorium ad singulos actus necessarium tanta evidentia ex quotidianis Ecclesiæ precibus asseratur, non desunt tamen & alia ex Augustino argumenta quibus idipsum tam perspicuè demonstrari potest, ut Augustinus de distinctione adjutorii, quod actualis gratia & quod habitualis tribuit, solicitus fuisse videatur. Quod ut plenius percipiatur sciendum aut memoria recolendum est, id quod aliis in locis aliquoties diximus, gratiam, hoc est, charitatem habitualem esse *bonam voluntatem*, esse illam *sanitatem* per quam animus à cupiditate sanatur: esse *libertatem* qua à concupiscentia consensui dominante liberatur, esse *potestatem* seu *virtutem*, qua

dicitur justè sanctèque vivere posse si velit. Vnde & virtus, tanquam animi fortitudo & potestas dicitur, de qua habituali potestate sine præjudicio gratiæ actualis, innumera sunt Augustini testimonia: *Epist. 89.* *Nec eorum virtus fuerat revelanda, quâ virtute hoc eos facillime posse, Deus in eorum cordibus noverat.* Et libro de natura & gratia: *Lib. de nat. & grat. c. 32.* *Ipse det salutem*, id est, animi sanitatem quæ est charitas *ut ambulare possimus.* Et libro de Spiritu & littera: *Lib. de Spir. & litt.* *Vt cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat, si autem continuo potest, & obedienter facit &c.* Et in Psalmum secundum: *In Psal. 2.* *Et nunc Reges intelligite. Et nunc, id est iam innovati, iam valentes regere quicquid in vobis servile atque bestiale est, & iam valentes pugnare.* Et ex professo in libro de bono conjugali: quosdam docet habentes virtutem continentiæ (quæ juxta principia ipsius sine charitate prorsus nulla est)[a] *Posse*, alios *non posse* continere: [b] *Hunc*, inquit, *habitum circa continentiam, quæ fit à concubitu, non habent illi quibus dicitur, si se non continent, nubant: hunc verò habent quibus dicitur: Qui potest capere capiat.* Per istum habitum continentiæ *poterant non uti temporalibus, si opus non esset.* Et inferius: *Ex hoc habitu & Paulus dicebat: scio*, hoc est, possum, *& abundare, & penuriam pati.* Et paulò post inducit hominem Christianum continentiæ virtute præditum ita loquentem: *Cap. 22.* *Melior sum illis qui per animi incontinentiam non possunt quod ego.* Et in Psalmis tribuit charitati *grandes vires quærendi faciem Dei.* *In Ps. 104.* Et in epistola ad Paulinum tradit posse liberum arbitrium *forte ac firmum* dici, *quamvis sine Dei gratia actuali id efficere atque implere non possit; sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere non possunt, si desit lucis auxilium.* *Epist. 106. ad Paulin.* Hâc igitur doctrinâ suppositâ tanquam in Augustini scriptis perspicuâ.

Quintò, potest necessitas actualis adjutorii ad singulos actus necessarii ex plurimis ostendi locis, quibus illud expressis verbis ab habituali ista sanitate, & libertate, & potestate seu virtute distinguit. Cujusmodi est illud ex libro de natura & gratia manifestum de sanitate: *Lib. de nat. & grat. c. 26.* *Mala nostra non ad hoc solùm superius medicus sanat, ut illa tam non sint*, per infusionem scilicet charitatis cum peccata delentur, *sed ut de cætero rectè ambulare possimus: quod quidem etiam sani non nisi Deo adiuvante poterimus.* Sed quomodo adjuvante: an per istud collatæ sanitatis adjutorium quod in cælo erit perfectissimum? Audi quomodo: *Deus cùm iustificat impium, & cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam iustitiamq; perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper iusteq; vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æternâ luce iustitiæ* (hoc est Deo) *divinitus adiuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergò Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Ecce distinctum ab impertita animi sanitate adjutorium, sicut lucis ab oculo sano, sine quo sicut oculus nequaquam potest ullo actu cernere, ita nec animus rectè vivere. Hanc sanitatis & adjutorii distinctionem & alibi in eodem libro indicat: *Beati omnes qui confidunt in eo, ut quæ ut ipse det salutem* (id est sanitatem) *ut ambulare possimus: cui dicitur & salutare tuum da nobis: ipse in eadem via deducat: Deduc me Domine in via tua.* *Ibid. cap. 31.* Et inferius: *Neque de ipsa possibilitate contendo, cùm à sanata & adiuta hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in Sancto proveniat.* Et sic distincta vides sanitatem & adjutorium, dum *sanata* dicitur, & *adiuta* voluntas hominis: & sanitati *possibilitas*, adjutorio *effectus* possibilitatis asscribitur, hoc est, illi posse velle & facere. Quæ quemadmodum de sanitate & adjutorio sanitatis manifesta sunt, ita de arbitrii liberatione & adjutorio liberati apertissima. *In bono faciendo liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si vos Filius liberaverit tunc vere liberi eritis.* *Lib. de gr. & lib. arb. c. 13.* *Nec ita ut cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, tam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potiùs ut ab illo audiens, sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse, Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Hoc est, orat ut nunquam in illo actu isto auxilio, quo etiam liberatus indiget, deseratur. Sic enim eiusdem istius precationis reddit sensum in libro de gratia & libero arbitrio, ubi acerrimè pro gratia justos adjuvante decertat: *Si se illa subtraxerit*, inquit, *cadit homo, non erectus sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando caperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa sed Deo, cui dicitur in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicendo, ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit* NIHIL *boni valet ipse per se.* *Lib. de gr. & lib. arb. c. 4.* Quod ejus exemplo probat qui in Psalmis dixerat, non movebor in æternum. Nam *paululum gratiâ deserente admonitus dicit: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* *Ibidem.* Vnde subjungit Augustinus: *Ideò necessarium est hominis ut gratiâ Dei non solùm iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cùm redduntur ei bona pro malis, sed etiam cùm fuerit iam iustificatus ex fide ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat*, nempe non semel aut bis incumbat, sed perseveranter & consequenter in omnibus actibus bonis. Sic enim semetipsum Augustinus explicat: *Quando ergò dealbata*, hoc est, justificata *est* Ecclesia, *nihil boni merebatur: iam verò alba facta, benè ambulat: sed si super eum à quo dealbata est, perseveranter incumbat. Propter quod & ipse Iesus super quem incumbit dealbata, dixit Discipulis, sine me* NIHIL *potestis facere.* *Ibidem.* Sed ad adjutorium hominis jam liberati, hoc est, jam sanctificati redeamus. Hoc inculcat etiam ad singulos actus esse necessarium, quando ad Bonifacium scribit: *Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet: ad iustitiam verò nisi divinitus* LIBERATVM ADIVTVMQVE NON VALET. *Lib. 2. ad Bonif.* Hoc est, ad nullum omninò actum valet. Vnde libro ad eundem Bonifacium secundo, sensum suum exactius explicans respondet Pelagianis: *Liberum arbitrium ad benè pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit* LIBERATA, *& ad omne bonum* *Lib. 2. c.*

[a] *Lib. de bono coniugali c. 13. & 14.*
[b] *Ibid. c. 21.*

bonum actionis, sermonis, cogitationis ADIVTA. Et libro de correptione & gratia: *Quia sola* (gratia) *homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum.* Quam gratiam statim explicat esse *inspirationem bonæ voluntatis atque operis*, quam orando pro Corinthiis poscebat Apostolus.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Porrò quia istud jam liberatæ voluntatis adjutorium voluntatem in actus bonos dirigit, regit, atque agit, hinc aliquando ab Augustino vocatur adjutorium quo voluntas liberatur ac regitur, ut illud sic evidentissimè ab habitualiter inhærente ac liberante qualitate secerneret. Nimis enim perspicuum est, non esse justitiam inhærentem, quâ voluntas à Deo regitur: *Defendens*, inquit, *gratiam qua natura liberatur ac regitur.* Quod libro de gratia & libero arbitrio aliis verbis dicit: *Bonas voluntates Deus per gratiam facit ex malis,* B *& à se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam:* Et illis, gratia, *qua voluntas ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit adjuvatur.* Hanc autem rectricem in singulis actibus eum regere & adjuvare locis aliis perspicuè docet. Cùm enim Pelagius dixisset *omnes propriâ voluntate regi*, vehementer adversus eum Augustinus insurgit: *Procul dubio plus est agi quam regi. Qui enim regitur aliquid agit, & a Deo regitur ut recte agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere. Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agenda commendet, qui malè agere non potest: & hoc tum fecerit ab illo se ut faceret adjutam non dubiter, cui dicitur in Psalmo: Deus meus misericordia eius præveniet me.* Et continuò ostendit ex Salomone eum non ausum fuisse se regendum sibi committere, sed *optavi, id est, oravi & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ.* *Hoc*, inquit, *Spiritu, non viribus propriæ voluntatis reguntur & aguntur, qui sunt filij Dei.* Et ut intelligas in singulis actibus bonis hoc regimen, per actualem & extrinsecus illabentem gratiam, Deum arbitrio voluntatis impendere, de proposita homini electione mali ac boni, ut eligat quod A placuerit, ita loquitur: *Si ad ignem mecum mittit, & malum actum ei placet, id voluntas hominis operatur: si autem bonum actum ei placet, non solum voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum verò lumine sim, non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium claritatis lumine præbeatur.* Et inferius ipse Pelagius damnationis timore confitetur, quòd arbitrio *eligenti bona Deus esset adjutor, peccans verò esset in culpa, ad hoc sibi sufficiente propriâ voluntate.* Cui statim subjungit Augustinus: *Ac per hoc Deus regit, quibus adjutor est, eligentibus bona. Et ideo benè regunt, quicquid regunt, quoniam ipsi reguntur à bono.* Nihil profectò manifestius dici posset ut actualis gratiæ necessitatem ad singulos actus bonos commendaret. Nam & ipsa rectio voluntatis quâ à Deo *regitur* & *agitur*, actualem Dei motionem impulsumque sonat, ac talem sonat, ut *vix agere* voluntas *aliquid intelligatur*: & *luminis extrinsecus* oculis illabenti comparatur, & ita sine illo nihil voluntas agere posse, ut nec oculus sine lumine videre posse decernitur. Et ideo benè homines regere, *quicquid* regunt eligendo bonum, quoniam *reguntur* à bono.

Ibidem.

Aliquando sic adjutorium istud à gratia liberationis seu justificationis distinguitur, ut vocetur *gratia, qua à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus.* Vbi quidem gratia tam qua liberamur, quam qua merita comparamus, utraque est actualis, tanquam principium quo tum libertas seu gratia formalis & habitualis liberationis, tum merita conferuntur. Sed tamen ipsa gratia liberationis formalis, multum à gratia meritum conferente discrepat. Illa quippe habitualis est charitas, ista actualis inspiratio bonæ C volitionis atque operis meritorii: quæ tunc datur quando aliquod meritum datur. Iuxta illud Augustini brevissimum sed præcisum: *Quibus* Scripturis *commendatur vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita datur,* SED DAT MERITA IPSA CVM DATVR, *quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam in cuiuspiam invenit corde, sed facit.* Ex qua radice nascitur, quod superius tot ejus documentis asseruimus, singula hominis merita esse *dona* Dei; quia gratia dat merita ipsa cùm datur.

Epist. 107. ad Vitalem.

CAPVT XX.

Idem ostenditur ex illis Augustini & Hieronymi locis, ubi ex professo de gratia ad singulos actus necessaria disputatur cum Pelagio: & ex ipsa professione.

EX hac doctrina sibi undique consonante manifestè constare puto, & Augustinum, & Pontifices, & Concilia, & ipsam totam Ecclesiam, non aliter intellexisse fidem suam, qua *gratiam Dei, & adA jutorium ad singulos actus dari* sanxerant, ut suprà vidimus, quam quod vera & actualis Dei motio & suavitas cordis, quæ magno gemitu à sanctis & justis assiduè invocatur, à Spiritu sancto infundi debeat, quâ *paternâ inspiratione*

spiratione juxta Patres Africanos, *suorum ipse tangat corda fidelium, ut boni aliquid agant*: atque ita in bonis *quibusque voluntatis humanæ singulis motibus*, illius auxilium actuale credamus. Quod quamvis in superioribus satis egimus operæ pretium est tamen sigillatim,& Augustini & Hieronymi, & ipsius denique Pelagii attestatione firmare ex illis ipsis locis, ubi ista propositio suis propriis terminis concepta tractatur. Itaque cùm Pelagius in Synodo Palæstina damnasset eos tanquam hæreticos, qui dicerent *gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina*, Augustinus istam hæresis damnationem explicans ostendit fusè,non aliam gratiã& adjutorium à Pelagio intelligi potuisse, quam quod per singulos actus à Spiritu actualiter hominem regente confertur. Dicit enim *satis evidenter apparere* quod illam gratiam dixerit *quæ in Christi Ecclesia prædicatur*. Et quænam ista deprædicata gratia? *quæ subministratione sancti Spiritus datur, ut ad nostros actus singulos adiuvemur*. Et quænam adhuc ista? *Vnde & oramus semper adiutorium oportunum, ne inferamur in tentationem*. Dic adhuc clarius Augustine: *Quid ergo restat nisi ut eam intelligat* Pelagius gratiam, *quam dicit Apostolus subministratione Spiritus sancti dari*? de qua *dicit Dominus, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis*. Dic adhuc evidentius, ne homines pro suis suspicionibus decertantes, habitualem gratiam, quam omnes justi habent, somnient: *Profectò Dei gratia vel adiutorium ad singulos actus datur, excepto libero arbitrio, vel lege atque doctrinâ*; ac *per hoc per singulos actus à Deo regimur, quando rectè agimus: nec frustra orantes dicimus: itinera mea dirige secundum verbum tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas*. Quis hic jam audeat, gratias justorum habituales, pro Dei gratia qua juvamur obtrudere, nisi qui fidem Ecclesiæ adulteratam velit. Non enim gratia habitualis est illa *quæ in Christi Ecclesia* tanquam actuum singulorum adjutorium *prædicatur*, sed ab auctoribus quibusdam nimis Aristotelè diligentibus, sine ullo Augustini vel Pontificis, vel Concilij, vel Ecclesiæ attestatione prolata est. Non est illa quæ jam sanctificatis & justis *subministratione*, hoc est, inspiratione Spiritus sancti datur: non est illa quæ sanctificatis & justis coram Iudicum tribunali positis *dabitur*, & *in illa hora* dabitur: non est illa qua per singulos actus *regimur*: non est illa denique quam sanctificati & justi tanquam *adiutorium oportunum semper*, implorant, ne inferantur in tentationem: non est illa quam petunt, ut itinera sua *dirigantur*, ne sibi *dominetur* omnis iniquitas, id est, concupiscentia, prout hoc solet exponere Augustinus. Quod si illam sibi iam datam peterent, & cujus usus juxta Scholasticos in sua potestate est, profectò *frustra orantes* dicerent: *Itinera* mea dirige&c. Nam quid stultius,quam illud implorare quod habes in tua potestate?

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Quapropter cum Augustino postea non sufficeret ad veram gratiæ confessionem, quod Pelagius post istud judicium adhuc remissionem peccatorum, hoc est justitiam habitualem, & legem atque doctrinam pro vera Christi Ecclesia obtruderet, non eum refutat, quia ista non influunt in singulos actus bonos: istud enim & falsum est, & non sufficit: sed refutat quia hoc dicendo non confitetur, quòd *adiuvemur aliquâ subministratione virtutis*; quam statim exponit *inspirationem dilectionis*, qua Deus *nos adiuvat ut velimus* atque faciamus. Itemque cùm ostendere vellet etiam Pelagium dicere posse, quòd *peccatorum remissione lege* atque *doctrina*, per *actus singulos adiuvemur*, non ea sic interpretatur, quòd remissio peccati, adeptaque scientia in singulis concurrit actibus: sed exponit per aliquid actuale, quod tunc cùm singuli actus fiunt, sese exserit: *Potest huic sensui ista verba*, inquit, *coaptare, dicens; ideo gratiam per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, ut semper in memoria retinentes & reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius*: Et infra: *Per singulos actus necessariam nobis esse huiusmodi gratiam, id est ut in omni conversatione nostra intueamur (actu) dominicæ conversationis exemplum*. Et multò pòst: *Si enim quæras cur dixerit* SEMPER adjuvari liberum arbitrium: *poterit respondere quia dictum est: Et in lege eius meditabitur die ac nocte*. Ex quibus vides Augustinum, quæcumque tandem gratia obtrudatur, tanquam ad singulos actus necessaria, non esse contentum, ut semel data postea quoquo modo simul in actus cum voluntate influat; sed aliquod auctuale adjutorium postulare; quod ipse *subministrationem virtutis*, hoc est, roboris & *inspirationem dilectionis*, ad singulos actus à Spiritu sancto suppeditandam nuncupat, & actuale esse & potentissimum tantâ ac toties iteratâ manifestatione declarat, ut quomodo habitualis gratiæ adjutorium, alicui in mentem venire possit, nisi qui nihil in antiquis legerit, prorsus ignorem. Dicit enim quod Deus per hoc adjutorium a *dilectionem inspirat, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat*: quod b *donat atque adiuvat ut agamus*: quod c *ineffabili cum suavitate doctrinam infundit*: quod d *interna atque occultâ mirabili ac ineffabili potestate operatur in cordibus hominum bonas voluntates*: quod e *velle & operari operatur in nobis*: quod f *inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis impertit*. Et quod sine tali adjutorio g *nihil omninò boni quod ad pietatem pertinet fieri posse, nemini* qui veraciter gratiam confiteri cupit, *dubitandum* est. Nonne ridiculũ est tam perspicuas gratiæ efficacissimę cõfessiones, ad habitus modo mortuo, ut ipsi tradũt, sese habentes, & voluntatis nutui ad amussim subditos detorquere, ut quoquo modo Aristotelica speculatio de habitibus adversus Apostolum,

Lib. de gratia Christi cap. 2. Cap. 3. Cap. 5. Cap. 7. Cap. 8. Cap. 14. Cap. 16. Cap. 24. Cap. 31. Cap. 32.

stolum, Patres, & Concilia prevaleat? Nam quod ipsi ex habitu virtutis opus citra actualis gratiæ motum fieri posse statuunt, non ex Scripturis, non ex Patribus, non ex Conciliis, sed ex sola philosophia, Scripturis, Patribus, & Cōciliis reclamātibus proficiscitur, quæ non aliud agnoscunt adjutorium, quam quod justissimi & quibuscumque habitibus ornati, supplicibus votis assidue postulant; ut videlicet bonum, quod noverunt faciant, & ne quid faciant mali, néve in tentationem inducantur. Nesciunt enim istud divinæ gratiæ adjutorium, non ad supplendos habitus dari, sed sive præsentibus sive absentibus habitibus perinde esse necessarium. Datur enim ut adversus actuales concupiscentiæ motus, quæ per habitus non compescitur, animus cælesti suavitate roboretur, ne voluntas tentationi cedat atque consentiat: *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, ne non quæcumque volumus illa faciamus.* Vnde & Apostolus in illa lucta cum gemitu miserabili exclamabat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Hanc gratiam si quis adhuc dubitet, utrum ad singulos actus nostros, ex Ecclesiæ Catholicæ sensu detur, audiat ille sanctum Hieronymum cum Pelagio disputantem, ut videat ab eo omnes penitus tergiversationis ansas amputari. Quid enim cum aliquo colore contradici potest, quo minùs Dei auxilium ad singulos actus novum ab illo Sancto asseratur, quando ad Ctesiphontem dicit: *Quam libertatē arbitrij nos libenter amplectimur, ita duntaxat ut agamus semper gratias largitori, sciamusq; nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Velle & currere meum est: sed ipsum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Et Salvator in Evangelio: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut accipiam, & cum accepero rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego salvor in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio.* Quid cum aliquo colore & illis ejus verbis contradici potest? *Fraudulenter pratendis ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus Dei requiras; ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.* Quid item illis? *Audite quæso, audite sacrilegum. Si, inquit, volvere curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa tacere, duobus digitis narium purgamenta detutere, relevare alvum, urinam digerere,* SEMPER *mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingratè imo sacrilege Apostolum prædicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite,* tanquam videlicet qui auxilio suo adest ut ista agatis quemadmodum oportet. Non enim Hieronymus ibi concursum generalem ad isti naturalia probat opera, sed gratuitum ad illa tanquam opera bona. Nam istam ob causam etiam Augustinus non solum ad ista, sed ad quælibet opera externa, gratiam postulat, ut possint opera esse bona. Quid & istis verbis ejus statim subjunctis opponi potest: *Iniuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas; Oculi mei* SEMPER *ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Vnde & audes linguâ proferre temerariâ, Vnumquemque arbitrio suo regi.* Quis enim ita sit fatuus, ut per adjutorium habitus, quos sicut & consuetudines admittebant libenter, tradebantque Pelagiani, libertatem destrui somniet? Sed hoc est quod vehementer abhorrebant, quod concessâ semel homini liberâ volendi quidlibet agendique potestate, hoc ipsum exequi non posset, nisi per singulos actus & momenta divino auxilio juvaretur. Sic enim & Hieronymus & Pelagius & Augustinus disertis verbis frequenter exponunt. Nam in eadem epistola sanctus Hieronymus: *Ipsum liberum ut diximus arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula ope indiget: quod vos non vultis: sed id vultis, ut qui semel habet liberum arbitrium Deo adiutore non egeat.* Et libro primo dialogorum sic Hieronymus ex hæretico quærit: *Sed quærō hoc ipsum, quod Dei asseris gratiæ, utrum ad conditionis referas beneficium; an in singulis rebus putes esse, quas gerimus, ut scilicet illius in omnibus ut anjur auxilio; an semel ab eo liberi arbitrij conditi, nostrâ voluntate vel viribus agamus quod volumus? Novi enim plerosque vestrum, ita ad Dei cuncta referre gratiam, ut non in partibus, sed in genere, hoc est nequaquam in singulis rebus, sed in conditione arbitrij intelligant potestatem.* Et paulò pòst ita inducitur Pelagius loquens: *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, flere, videre, & cætera huiusmodi nisi Deus iuverit, non poterimus.* Quod item, ut ante diximus, intelligitur de istis tanquam operibus bonis. Nam statim inferius additur: *Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me iuverit, nihil possum agere, nec pro bonis me iuste operibus coronabit, nec afflliget pro malis; sed in utroque suum vel recipiet, vel damnabit auxilium.* Nempe quia si dederit, facio, si non dederit, prætermitto. Et rursum inferius: *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum, sed eius qui adiuvat, imò qui in me cooperatur, præsertim cum absque eo facere nihil possim.* Et paucis interjectis iterum: *Mihi autem nullus auferre poterit*, disputando, *liberi arbitrij potestatem, ne si in operibus meis Deus adiutor extiterit, non mihi debeatur merces, sed ei qui in me operatus est.* Similimodo ratiocinatur Celestius apud Augustinum: Cùm enim negasset *gratiam Dei ad singulos*

Ep. epist. ad Ctesiphontem

Lib. 1. dialog. adversus Pelag. initio

los actus dari, sic argumentando subjungit:
Lib. de gestis Pelag. c. 14. *Propterea & ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus, quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adiuvare omnimodo, & non potuit.* Et iterum ait: *Si gratia Dei est, quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpa, quando à peccato vincimur, quia omninò custodire nos aut non potuit aut noluit.* Et aliquot capitibus interpositis, sic Celestius eâdem de re argumentatur:
Lib. de gestis Pelag. c. 18. *Non esse liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio: quoniam in propriâ voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* Et iterum: *Victoriam nostram non ex Dei esse adiutorio, sed ex libero arbitrio. Quod inferre dictus est his verbis: Nostra est victoria, quoniam propria voluntate arma suscepimus: sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.* Adversus istas & istiusmodi ratiocinationes Pelagianas, ita B concludit sanctus Hieronymus in eo quem supra citavimus loco:
Lib. 1. dialog. *Ergò ut dixi, non debeo à Deo per singula auxilium deprecari, quod semel meo datum est iudicio.* Et non multò pòst:
Ibid. *Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula, Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in singulis operibus suis illo adiutore & protectore uti desiderent. Lege totum Psalterium, omnes Sanctorum voces, nihil erit nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.* Non arbitror esse operosiore dissertatione, sed solum lectione atque attentione opus ad intelligendum, quid in hujusmodi verbis & Hieronymus, Augustinus atque Pelagiani velint, vel quomodo in singulis operibus Dei gratiam adjutricem negent aut postulent. Etenim per se res ipsa clamat, non agi de aliquo Dei per habitus semel datos manentesque adjutorio, sed de illo quod per singulos actus novum à Sanctis poscitur, novumque datur à Deo. C

Quid enim est manifestius, quam non semel datum sed novum & actuale esse adjutorium cujus Deus *semper largitor* esse debeat *semperque donator*? Ad quod *non sufficit quod semel donavit, nisi semper donaverit?* Ratione cujus Christus dicebat, *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*? Ratione cujus Deus *non deficit in dando*, nec nos *satiamur in accipiendo*? Quid evidentius, quam non esse semel datum habitus vel aliud quodvis adjutorium, sed quod in singulis actibus novum datur: quod nos *petimus ut accipiamus, & cum acceperimus rursus petimus*: propter quod impetrandum *ad Deum semper auctorem recurrimus*, & ex *illius voluntate pendemus*? Propter quod *oculi nostri semper ad Dominum*; quod *per singula à Sanctis flagitatur*, per quod *in singulis operibus suis uti Deo adiutore & protectore desiderant*: denique propter quod impetrandum *omnes Sanctorum voces nihil sunt, nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio*? Quid stultius quam ita delirare, ut propter adjutorium habitus *libertas arbitrii destruatur*? Nonne Philosophi omnes, imò omnes homines, quibus est mens duntaxat sana in corpore sano, intelligùt habitus non minùs virtutum quam vitiorum esse plenissimè subjectos libertati, ut ijs utantur & non utantur quando volunt? Quid furiosius aliquis phreneti correptus somniaverit, quam si Deus per habitum aliquem nos adjuverit, *non nos sed Dei auxilium pro operibus coronandum aut damnandum sit*: non *nobis sed Deo merces debeatur*: non *nos vinci sed gratiam Dei: Deum in culpa esse quando vincimur*. Nonne manifestum est, homines habitu vitioso præditos peccare cùm volunt, non peccare si nolunt? Nonne justus habitu virtutis instructus, dormit ut libet, vigilat ut libet, cessat & operatur ut libet? Imò, nonne ipsimet Pelagiani profitentur nostram esse victoriam, quia *propria voluntate arma suscipimus*; sicut *nostrum esse quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus*? Nimirum ut rudissimus quisque intelligeret, non eos etiam arma divinitus ad pugnandum suppeditanda respuere, dummodo illorum, sicut armorum, usus & non usus in eorum potestate & propriâ voluntate remaneret. Adjutorium igitur istud actuale respuebant, quod Sanctus Augustinus & Ecclesia prædicat: per quod videlicet Deus non exspectat ut homo velut habitu utendo velit, sed in ipsa humana voluntate operatur ut velit & operetur; quod in singulis operibus à Sanctis poscitur; quod si defuerit, nec velle bonum potest aut facere: denique quod Deus velut gratuitum donum suum, donat aut neget quibus vult & quando vult. Hoc enim ex multis capitibus, ut alibi declaravimus, videbatur habere magnas cum libertate repugnantias.

CAPVT

CAPVT XXI.

Concluditur argumentum capitis decimi quinti inchoatum, atque ostenditur non esse gratiam habitualem, vel aliam quamcumque in operandi modo ei similem, illam Christi gratiam quæ inspirat ac donat velle, agere, opus, meritum &c.

HÆc itaque quæ à capite decimo quinto tractatûs hujus in hunc locum usque deduximus, perspicuum lectori relinquunt, falsam fallacemque imaginationem esse quorundam recentiorum, dum putant justitiam, hoc est, opus justitiæ seu meritum esse gratiæ donum, si gratia quoquo modo in meritorium opus influat & opus supernaturale constituat. Nam si non est illa gratia & motio sancti Spiritus actualis, quæ à justis & injustis, precibus poscitur, & tot jam testimoniis à nobis declarata est, quantumcumque ad opus bonum excitare, velad hoc influere & cooperari dicatur, justitia seu meritum non erit gratiæ, sed arbitrii, non justitia Dei, sed sua seu nostra, quam homines velint constituere, ut justitiæ Dei non sint subjecti. Quod apertissimè declarat Augustinus in libro de gratia Christi circa finem.

Cum enim gratiam istam actualem qua donantur opera & merita tanquam singulis operibus necessariam prædicasset, eamque multipliciter talem descripsisset, qualem diximus, ut quod per eam Deus a *donet atque adiuvet ut agamus*; ac b *sapientia non solum revelatur sed & amatur*, nec *suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur*: quod *cum ineffabili suavitate credatur infundi*: quod quemcumque illa docet, non tantùm *cognoscendo videat, verum etiam volendo appetat, agendoq; perficiat*; quod per eam Deus *interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operetur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*, hoc est volitiones; nec solum *posse donet atque adiuvet, sed etiam velle & operari operetur in nobis*; idque ut uberius explicat, *intus agendo in mente, in voluntate*; dum, ut explicat, misericordiâ Dominus *latenter subvenit, cor tangit, meritoriam revocat, interiore gratia suâ visitat* hominem, *interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movet & producit effectum. Ecce*, inquit, *quemadmodum Deus adiuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.* Cùm, inquam, elogiis declarasset naturam gratiæ Christi singulis operibus necessariam, ne quis gratias habituales, vel nescio quas actuales non voluntatem agendi homini dantes, sed exspectantes somniaret, tandem in compendium disputationem totam contrahens, sic adjungit: *Si ergo consenserit nobis non solum possibilitatem in homine etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, si ut dixi consenserit etiam voluntatem & actionem*, hoc est, non solum posse, velle, & agere, sed ipsum actualiter velle & agere, *divinitus adiuvari, & sic adiuvari, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus.* Ecce gratiam illam actualem descriptam, qua donatur à Deo, non solum volendi agendique facultas, sed ipsum velle & agere, seu, ut ipse latinius loqui solet, ipsa voluntas & actio; & sic donatur, ut sine tali adjutorio nihil bene velimus & agamus, hoc est, ut hoc adjutorium sit singulis omninò operibus necessarium, illud videlicet quod in singulis operibus, ut fusissimè probatum est, precibus invocatur. Iam igitur audi quid de cæteris quibuscumque, sive habitualibus, sive potentialibus adjutoriis, sive actualibus voluntati assistentibus, quibus non donatur ut velit atque agat, juxta doctrinam istam sentiendum sit: Si ergò, inquit, consenserit, *eam* (jam ante dictam) *esse gratiam* DEI *per Iesum Christum Dominum nostrum* IN QVA NOS SVA, NON NOSTRA IVSTITIA IVSTOS FACIT, VT EA SIT VERA NOSTRA IVSTITIA, QVÆ NOBIS AB ILLO EST, *nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ remanebit.* Audis Pelagio confitendũ esse, quod illa jam tot modis descripta gratia, sit illa gratia Dei quæ per Iesum Christum hominibus data est, sit illa, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, hoc est, qua opera justa donantur homini à Deo, non ea homo sibi ipsi suæ libertatis ope facit. Nam Apostolica phrasi justitiam pro opere justo, hic & fexcentis locis Augustinus capit. Omnis igitur alia quæ fingitur gratia, sive justitia habitualis, sive alia quælibet potentialis, non est illa gratia qua Deus donat homini justitiam, hoc est, opus justitiæ, sed sive adsit, sive desit, sive influat, sive non influat, justitia quæ inde sequitur, non est Dei sed sua, non divinitus data sed humanitus prolata, est meritum non gratiæ sed liberi arbitrii, non divinum sed humanum. Nempe quia cùm omnis justus gratiam habitualem habeat, si illa est gratia in qua Deus in singulis operibus donat justitiam suam, hoc est, opus justitiæ, profecto nihil opus est, ut justus tot lacrymis & gemitibus divinum imploret auxilium, nihil opus ut ei Deus infundat volendi agendique suavitatem, nihil opus ut inspiret voluntatem & actionem, habet homo posse per gratiam habitualem, habet velle per liberum arbitrium,

a lib. de pec. Christ. cap. 8. & 10.
b cap. 14.
cap. 14.
cap. 15.
cap. 16.
cap. 47.

quid alterius implorat adjutorium? Stultum est enim, ut illud imploret quod habet in sua potestate. Quod si vero omnis doctrina sensusque Christianus hoc impium esse non dubitat, non est gratia habitualis illa gratia, in qua Deus donat nobis velle & operari suâque justitiâ nos justos facit. Quicquid igitur ex tali gratia (quantumcumque influere & supernaturale efficere statuatur) operis justi sequitur, justitia nostra est, non Dei, quam qui volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, meritū est non gratiæ Dei, sed voluntatis hominis, non divini auxilii sed arbitrii humani. Quam ob causam quæso & quomodo, cùm in ipsum meritum talis gratia influere, & cum humana voluntate cooperari dicatur? Qui istud quærunt aut dicunt, non intelligunt hujusmodi simultaneos cum humana voluntate influxus atq; cooperationes gratiarum habitualium, addo & actualium quarumcumque, nihil omninò ad agnoscendā Christi medicinalem gratiam facere. Tales enim tam habituales gratias quam actuales cum voluntate ad opus bonum concurrentes etiam Angeli sancti & Adamus habuerunt, quibus tamen Christi medicinalis gratia nullo modo erat necessaria. Ex quo fiebat ut talis gratia nec justitiam, hoc est, opus justum, nec meritum, nec perseverantiam Adamo aut Angelis donaverit, sed velle & nolle, agere & non agere, perseverare & non perseverare, in eorum libero relinqueretur arbitrio, per quod liberum arbitrium quemadmodum Adamus noluit, non operatus est, non stetit, non perseveravit; ita Angeli boni, quamvis non sine gratia, voluerunt, egerunt, steterunt, perseverarunt. Quorum quicquam si homo peccatis lapsus jam etiam potest, nec gratia Christi medicinalis donet ut possit & velit, liberè dico, *gratis Christus mortuus est*. Hoc est enim quod Pelagiani jam justificatis hominibus, maximèque Semi-Pelagiani longè mitius tribuerunt, nec tamen hostes gratiæ esse desierunt, ut latius in superioribus declaravimus.

Quapropter quod justo gratia habitualis non sufficiat ut operetur justitiam Dei, sed quod opus inde fluens justitiam hominis, humanumque meritum esse sinat, aliaque gratia precibus justorum omnium implorata necessaria sit ut operentur ac velint, non illa ratio est, quod habitualis gratia non satis in opus influat, vel non satis opus in ordinem supernaturalem evehat, & hujusmodi quæ à recentioribus excogitata sunt; falsa sunt ista & parerga penitus præsenti instituto. Sed illa sola ratio est, quia talis gratia, & alia quæcumque illi similis, sive actualis, sive potentialis proferatur, sive simul influat sive non influat, non donat homini justitiam seu opus justum de quo quæstio est, hoc est, non est illud adjutorium Dei, quod languentem ex vulnere concupiscentiæ voluntatem facit ex non volente & operante, velle & operari, sed potiùs è contrario voluntas tanquam robusta & sana talem gratiam habitualem facit influere, quiâ illam tanquam habitum suum, vel sibi assistentem potentialem gratiam, modo mortuo sese habentem, secum ad opus rapit, quemadmodum hoc in cæteris naturalibus habitibus & adjutoriis patet: ubi luce meridianâ manifestius est, non esse habitum qui facit facere, sed ipsissimum liberæ voluntatis arbitrium, quantumvis sine influxu habitus simultaneo nec velit nec operetur. Quod si gratia habitualis non est illa gratia quæ facit velle vel facere, quæque donat voluntatem & actionem (nam alioquin justus semper vellet & faceret) consequenter valdè perspicuum est, opus quod inde sequi posse fingitur, non esse justitiam Dei, hoc est, quam homini donat Deus, sed justitiam nostram, seu humanæ voluntatis: quia liberum arbitrium sicut voluntatem, ita & actionem sibimetipsi donat, (quamvis non sine gratia concurrente;) eodem planè modo quo sibi donat velle & operari, & opus est suum, quando alio habitu concurrente vult & operatur.

Quæ si in habituali gratia vera & clara & certa sunt, sicut juxta sancti Augustini & Scripturarum principia dubitari nullo pacto potest, facile intelligitur, eandem omninò in alia quacumque actuali gratia esse rationem; si eodem modo, quemadmodum de habituali declaratum est, velle & nolle in libero reliquit voluntatis arbitrio, ut non illud à gratia operante accipiat, sed sibimetipsi, gratiâ licet concurrente largiatur. Tunc enim quamvis volendi & operandi potestas perspicuè sit à largiente Deo, ipsa tamen voluntas & actio non datur à Deo, sed illam homo pro sua libertate sibimetipsi, quamvis non sine gratia, parit ac donat: Quemadmodum in concursu generali, cui ista actualis gratia quantum ad operandi modum est simillima, manifestè constat. Non enim est concursus generalis, sive sit naturalis sive supernaturalis, qui facit velle vel facere, vel qui donat voluntatem & actionem, sed est ipsum liberæ voluntatis arbitrium, quamvis sine concursu non possit velle vel facere. Quia in re, quòd tam enormiter quidam recentiores hallucinantur, non alia ratio est, quam quòd discrimen illud præclarissimum quod Augustinus inter adjutorium *sine quo non*, & *adiutorium quo*, & consequenter inter *adiutorium Adami & Christi*, inter adjutorium *sanæ* & *infirmæ* voluntatis, inter adjutorium *possibilitatis* & *voluntatis* atque *actionis* tam diligenter tradidit, non intelligunt, aut fortè quòd illud tanquam sibi capitaliter contrarium nolunt intelligere.

CAPVT

ter misericordissimus inspirasset? Quæ omnia tàm perspicuè gratiam actualem eamque potentissimam spirant, ut non videam quomodo possint ad remissionem peccatorũ, vel gratias habituales vel sufficientes, nisi pervicaciâ quidlibet pervertente, detorqueri. Quam ob causam Zozymus Papa cum hæresim Pelagianam Apostolicâ authoritate damnaret, gratiæque necessitatem & operationis efficaciam totius orbis Episcopis explicando, singulos bonos animi motus ad eam referendos esse sanciret, luculentissimis verbis & summoperè Aforum Antistitum Concilio commendatis declaravit, actualis esse gratiæ inspirationem, quæ de prostrato Pelagianorum errore triumphabat. Nos, inquit Pontifex,

Zozim. Papa in epistola ad totius Orbis Episcopor.

instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt unde nascuntur) ad fratrum & Coepiscoporum nostrorum sententiam retulimus. Quem sermonem, ut Celestinus Papa loquitur, sinceriſsimæ veritatis luce radiantem Afri Episcopi tanto honore venerati sunt, ut ad eundem scriberent, quod Pelagianos districto gladio veritatis velut cursim transiens amputasset:

Celestinus in epistola ad Episc. gallos.

Quid enim, inquiunt, *tàm libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? Et tamen* INSTINCTV DEI *factum esse fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Ideo utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis* INSPIRATIONIBVS *suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.* Ecce loco adjutricis gratiæ quam tantoperè celebravit Augustinus, audis hic *instinctum* Dei, audis *inspirationem* Dei, audis *tactum* quo corda filiorum Dei tanguntur & aguntur, in singulis voluntatis humanæ motibus bonis, ut nemini dubium esse possit, quin actualis gratiæ necessitas in omnibus bonis motibus pontificali & synodali authoritate asseratur. Et quia per talem tactum, instinctum, inspirationem, suavitatem Dei, voluntas infirma liberatur, vegetatur, reparatur, sanatur, à creaturis ad Deum retorquetur, rectificatur, justificatur, hinc est, quod eadem illa actualis gratia sexcentis Augustini locis vocatur sanans & justificans, non quod formaliter & habitualiter talem voluntatem hominis facit, sed quia illam ad talem justitiæ & sanitatis rectitudinem efficiendo perducit; non enim de habitualiter sanante & justificante gratia contra Pelagium vires humanæ voluntatis prædicantem agebatur, sed de illo principio quo læsi arbitrii infirmitas juvabatur. Quod facillimum esset innumeris testimoniis demonstrare, nisi hoc ipsum etiam non pauci recentiores agnoscerét.

Vide l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 2. & 3. de gratia Christi c. 20.

CAPVT XVII.

Idem ostenditur invictè juxta doctrinam sancti Augustini ex precibus Ecclesiæ quæ actualem motionem datricem voluntatis & operationis implorant.

DEINDE hoc invictè probat oratio totius Ecclesiæ, quam Lydium lapidem esse ad dignoscendam gratiam adjuvantem, de qua tota controversia est, sæpenumero testatur Augustinus: *Ipsa igitur oratio, clarissima est*, inquit, *gratia testificatio.* Et alibi nullo modo *facilius & apertius* Pelagianis responderi posse putat, quam si id

Epist. 95.

quod de orando Deo egerat, sic amplectamur, ut hoc menti nostræ nulla subtrahat oblivionis irreptio, nulla callidas argumentationis extorqueat. Quam ob causam securissimè quodam in loco dicit:

Epist. 107.

Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret. Hoc igitur argumentum, quia sanctissimus Doctor adversus omnes omnium cavillationes peremptorium esse judicavit ac docuit, frequentissimè adversus hostes gratiæ adhibuit, omniaque argutissima eorum subterfugia intercluſit, quibus nunc legem, nunc remissionem peccati, sub qua habitualis gratia comprehenditur, nunc exemplum Caroli, nunc gratiam Angelis & Adamo datam *sine qua* operari aut velle non poterant, pro vera Christi gratia opus & meritum largiente supponebãt. Cujusmodi testimoniorum Augustini, quia infinita multitudo est, ne tœdium lectores obruat, nos ea in pauca coarctabimus: quibus ostendemus, gratiam illam quæ singulis tentationibus superandis, singulis præceptis faciendis, singulis motibus bonis contra Pelagianos ex fidei Catholicæ doctrina, & Augustini explicantis suffragio necessaria est, non aliam esse nisi actualem, qua in singulis actibus nostra infirmitas adjuvetur. Hoc autem vel ex illo solo irrefragabiliter convincitur, quòd adjutorium habitualis gratiæ jam est in omnium justorum potestate (hoc enim juxta recentiorum etiam doctrinam habitualiter nobis adest) & utimur quando volumus. Est autem supervacaneum & stultum, & irrisorium, à Deo vel homine petere quod ipse non donat, sed jam ipse ut faciamus habes in tua potestate: non est igitur habitualis gratiæ adjutorium sed actualis, quod in omnibus orationibus justi postulant, & ratione cujus singulas bonas voluntates & operationes sibi à Deo donandas esse protestantur. Vim istam ora-

Lib. de dono perseverant. cap. 7.

orationis audi crebertimè inculcantem Augustinum: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur.* Et alibi de sanctissimo Propheta Davide: *Non de se præsumsit sed optavit, ut faceret, Vtinam dirigerentur viæ meæ &c. Quis autem optat, quod in potestate jam est, ut ad faciendum nullo indigeat adiutorio?* Et in libro de natura & gratia, de superandis peccatorum tentationibus: *Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit; jam justis ne in tentationem inducantur orantibus, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit, ideo pro hac re nec superbia nec imprudens Domino immolatur oratio. Quid enim stultius, quam orare ut facias, quod in potestate habeas?* Ex quo consequenter fit, ut quemadmodum id quod à Deo poscimus, non esse in nostra potestate probat oratio: sic è diverso donum Dei esse quicquid orando petimus, & ab ejus misericordi expectandum largitate apertissimè profitemur. *Quid vero evidentius*, inquit Augustinus, *quam Dei ostenditur gratia, ubi quod eratur accipitur?* cui paulò post subjungit: *Nisi donum Dei, esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum convertere nos.* Et libro de correptione & gratia: *Rogavi pro te ne deficiat fides tua. Quid ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? quæ profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset.* Siquidem, ut adjungit: *Nullo dubitante, quisquis à Domino, vt in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confiteatur.* Et libro de prædestinatione Sanctorum: *Frequentatio orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret. Non enim posceretur a Deo quæ præcipi fieri, nisi ab illo donaretur ut fieret.* Et in eodem libro: *Non enim orando peteretur a Deo, nisi ab ipso tribui crederetur.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Cur perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur a Deo? An & ista irrisoria petitio, cum id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate? Sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratias agimus Deo, quod non donavit ipse nec facit. Sed quod ibi dixi hoc & hic dico: Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. O homo non verborum tuorum, verum etiam cogitationum testis est Deus. Si aliquid a tanto divite veraciter & fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Nolis eum labijs honorare & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse quod ab illo te fingis orare.* Et in epistola centesima quinta: *Impetrando quidem oratio, quicquid impetrat evidenter Dei donum esse ostendit, ne homo existimet à seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur non utique posceretur.* Et in epistola ad Vitalem: *Nemo est tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogare se præcipit ut faciat.* Quam doctrinam tanquàm quæ ex Christi institutione totiusque Ecclesiæ unanimi sensu proficiscatur, instantissimè in omnibus pœnè contra Pelagianos libris, urget Augustinus, studiosissimeque commendat. Nimirùm quia qua certitudine & evidentiâ ostendit, non esse in hominis quantumvis Christiani & baptizati & justissimi potestate quod petitur, sed gratuita Dei gratia donandum esse, eâdem profectò probat id quod contra Pelagianos agebatur, singula opera & merita, sive tentatio peccati quæcumque superetur, sive quodlibet præceptum impleatur, non esse in hominis potestate, sed ab eadem illa gratuita Dei gratia etiam justissimis esse largiendam. Nam quo quis justior sanctiorque fuerit, eo magis profundè novit infirmitatem suam, & instantius pro singulis operibus faciendis postulat adjutoriũ: non illud quod in habituali vel sufficienti gratia jam accepit, quod inaniter stulteque poscitur, si habetur; sed illud quod sibi deesse, & à Dei misericordia adhuc donandum esse, & sine quo nihil se posse orando profitetur. Docet & hoc Augustinus tantâ testimoniorum claritate & multitudine, ut integri libri implerentur, si cuncta accumularem. Quanquam quid vel rudissimis Christianis qui suæ salutis curam gerunt, notius, & commendatius, & profundius insculptum est, quam ut nihil omninò boni sine Dei gratia se facere posse, & propterea sibi singula divinitus misericorditer donanda esse precibus fateantur? Verumtamen ad majorem istius Christiani sensus evidentiam ex multis Augustini testimoniis pauca accipe: quibus omnia omninò in orationibus à Deo peti à fidelibus docet, ut contra Pelagianos omnia à Dei gratia donanda esse convincat. Nam de singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando dicebat: *Cum ergo nobis iubet dicens, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, nos quoque illis dicimus, Converte nos Deus salutarium nostrarum; & , Deus virtutum converte nos: quid aliud dicimus, quam, Da quod iubes? Cum iubet audendo, Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo; & nos illi dicimus, Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, quid aliud dicimus, quam, Da quod iubes? Cum iubet dicendo, Post concupiscentias tuas non eas, nosque dicimus, Scimus quia nemo potest esse continens nisi Deus det: quid aliud dicimus, quam, Da quod iubes? Cum iubet dicendo, Facite iustitiam, nosque dicimus, Doce me iustificationes tuas, quid aliud dicimus, quam, Da quod iubes? Item cùm dicit, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: à quo debemus petere cibum, potumque iustitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam & sitientibus promittit eius saturitatem?* De singulis omninò operibus bonis, præceptisque loquebatur, quando dicebat: *In eis certè libris confessionum mearum dixi Deo nostro, & sæpè dixi: Da quod iubes, & iube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre Coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, pœnè cum eo qui illa commemoraverat, litigavit. Nempè quia tam perspicuè ad singula Dei præcepta gratiam poscunt. Quid verò nobis primitus & maximè Deus iubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod iubes. Et in eisdem etiam libris, quod de mea conversione narravi, Deo me*

Lib. de peccat. merit. c. 5.

Lib. de dono perf. cap.

me convertente ad eam fidem quam miserrimâ & furiosissima loquacitate vastabam: nonne ita narratum esse meministis, ut ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meæ lacrymis ne perirem fuisse concessum? Vbi utique prædicavi non solùm aversas à rectâ fide, sed adversas etiam rectæ fidei, Deum suæ gratiæ ad eum convertere hominum voluntates: De proficiente verò perseverantia quemadmodum Deum rogaverim, & scitis & potestis recensere cum vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optavi sive laudavi quis non dicat negare sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit nunquam potuisse nescire? Optaverat autem in illo opere id quod præcipit Deus dicendo, Da quod jubes? Laudaverat quicquid hominem Deo propinquiorem similioremque facit, sub quibus omnia bona opera comprehendi, extra controversiam est. De singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando dicebat; *Ipse qui dixit, Si volueris conservabis mandata*, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit: *Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum certum?* &c. Iam certè mandata acceperat: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Cum ergò verum sit, quod dixit, si volueris conservabis mandata: quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo: Pone Domine custodiam ori meo: Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quandoquidem si voluerit cõservabit mandata? Quam multa Dei mandata sunt contra superbiam? Iam novit ea; si voluerit conservabit ea. Quare ergò paulo post dicit, Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum meorum ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex, Non concupisces: velit ergo & faciat, quod iubetur; quoniam si voluerit conservabit mandata. Quare sequitur & dicit, Concupiscentiam averte à me? Contra luxuriam Deus quam multa mandavit? Faciat ea quia si voluerit, conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, ventris appetitio & concubitus ne apprehendat me? Si hæc ei præsenti diceremus rectissimè nobis responderet & diceret: Ex ista oratione mea, quâ hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, si volueris conservabis mandata. Certum est enim nos mandata servare si volumus; sed quia præparatur (id est datur) voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui, Præparatur voluntas à Domino: De quo dictum est; A Domino gressus hominis dirigentur & viam ejus volet: de quo dictum est; Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis; & iudicia mea observetis & faciatis. Cum dicit; Faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis; & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis?* De singulis omninò operibus nostris bonis præceptisque loquebatur, quando fusissimè duobus integris capitibus

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.

præcepta Dei omnis generis plurima cocervaverat, quæ hominis voluntatem postulant, ut ea velit aut nolit, ac tandem adijcit: *Proinde charissimi sicut testimonijs Scripturæ rum probavimus sanctarum ad benè virendum & re- Lib. de gra. & lib. arbi. cte agendum esse in homine liberum voluntatis arbi- cap. 4. trium: sic etiam de gratia Dei, sine qua nihil boni agere possumus, quæ sint divina testimonia videamus.* Et statim ad singula implenda gratiam necessariam esse & Scripturarum & precum attestatione convincit. Vndè inter cætera illud generalissimum ponit: *Noli vinci à malo sed vince in bono malum: quod tamen ut fiat adiuvat gratia, quæ nisi adiuverit nihil lex erit, nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & maiores vires accipit lege prohibente nisi adiuvet spiritus gratiæ.* Et iterum: *Cum voluntas eius convenitur & ei dicitur; Noli vinci à malo: quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat?* Et de victoria cujuscumque tentationis: *Ergo & victoria quâ peccatum vincitur, nihil aliud est quam donum Dei in isto certamine adiuvantis liberum arbitrium.* An fortè per gratiam habitualem? Audi: *Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid verò evidentius, quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?* De singulis omninò operibus nostris præceptisque faciendis loquebatur, quando dicebat: *Oramus, inquit Apostolus, ad Deum, ne quid faciatis mali. Poterat dicere: Monemus ne quid faciatis mali; docemus vos ne quid faciatis mali, iubemus vobis, præcipimus vobis. Quod quidem si diceret certum diceret, quia & voluntas nostra agit aliquid: non enim voluntas nostra nihil agit, sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere* ORAMVS, *ut ipsam gratiam commendaret: ut intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non solâ suâ voluntate se vitare malum, sed adiutorio Dei se implere quod iussum est. Ergò fratres quando præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium: Vtrumque enim in Scripturis habes. Et præcipitur, & oratur, quod præcipitur, hoc oratur.* An fortè non singula quæ præcipiuntur orantur? *Videte quod dico. Præcipitur ut intelligamus: Nolite esse sicut equus & mulus non habentes intellectum. Audistis quia iussum est: Pete ut possis implere quod iussum est. Quomodo, inquis, peto?* &c. *Audi quia oratur ut agnoscas gratiam, Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Iussum est ut habeamus sapientiam: Qui insipientes estis in populo. Quia iussum est, lego. Vbi legis? inquit. Audite: Qui insipientes estis in populo & stulti aliquando sapite.* Iamille (hostis gratiæ) quid dicit? *Vides quomodo nobis præcepit Deus ut sapiamus? Ergo sapientia in nostra est potestate. Iam dixi præceptum, audivi, voluntatem cognovi: audi orationem, ut gratiam possis agnoscere: Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Iubetur nobis continentia: Continе teipsum. Iussio est, præceptio est, audiendum est, faciendum est; sed nisi Deus adiuvet, remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas: non præsumat potestas, nisi adiuvetur infirmitas. Certè enim iussum est: Continе teipsum. Audi alium locum Scripturæ: Et cùm scirem, inquit, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, &*

hoc

hoc ipsum erat sapientia scire cuius esset hoc donum. Et quid inquit feci? Adij Dominum, & deprecatus sum. Quid opus est multa percurrere? fratres mei? QVICQVID NOBIS IVBETVR ORANDVM EST, *ut impleatur.* De singulis omninò operibus præceptisque implendis loquebatur, quando dicebat: *Distinguenda est lex & gratia. Lex iubere novit, gratia iuvare. Nec lex iuberet nisi esset voluntas; nec gratia iuvaret, si sat esset voluntas. Iubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur; Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur; Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Iubetur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur* (videtur hic lacuna esse, & addendum, Et stulti aliquando sapite. Et tamen oramus vt habeamus sapientiam, ubi dicitur) *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo &c. Iubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur:* (& hic videtur supplendum: Contine teipsum. Et tamen oramus ut habeamus continentiam ubi dicitur) *cùm scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, cuius esset hoc donum, adij Dominum & deprecatus sum. Postremo ne nimium longù sit cuncta percurrere, iubetur ut non faciamus malum, ubi dicitur: Declina à malo: Et tamen oratur ut non faciamus malum, ubi dicitur, Oramus ad Dominum, ne quid faciatis mali. Iubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur, Et fac bonũ: Et tamen oramus ut faciamus bonum, ubi dicitur; Non cessamus pro vobis orantes & postulantes: atque inter cætera pro illis orare dicit; Vt ambuletis dignè Deo in omne placitum, & in omni opere & sermone bono. Sicut ergo agnoscimus voluntatem cùm hæc præcipiuntur, sic & ipse agnoscat gratiam cùm petuntur.* De singulis omninò præceptis implendis, operibusque loquebatur, quando dicebat: *Oret gemitu voluntatis ut impetret donum facultatis. Qui enim dicit, Fiat cor meum immaculatum; &, Itinera mea dirige secundùm verbum tuum; &, Ne dominetur mihi omnis iniquitas; &, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: &, Ne nos inferas in tentationem; & cætera huiusmodi quæ commemorare longum est*, hoc est, in quibus precibus & votis, quæ pro universis & singulis præceptis faciendis funduntur Deo, *hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat: quæ ut fierent, nec iuberentur, si nihil ibi nostra voluntas ageret; nec oraretur si sola sufficeret.* Sed quid operam plurimis Augustini testimoniis coacervandis impendo? opera ipsius universa quæ contra Pelagianos exaravit, nihil aliud nisi gratiam singulis præceptis operibusque faciendis necessariam spirant. Ex quo fit ut frequenter simulatq; præceptum aut opus aliquod singulare implendum occurrerit, mox ad gratiam implorandam recurrat, ut fiat, & ad agendas gratias postquam factum est. Itaque Catholicæ fidei regulam proferens: *Scimus pro eis qui nolunt credere, nos qui iam credimus rectè fide agere cùm Deum oramus ut velint. Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficijs rectè atque veraciter & debere nos Deo gratias agere & solere.* Quod de omnibus omninò præceptis implendis verum esse, eâdem certitudine Christianus agnoscit. Vnde statim de

A Vitale simpliciter errante adijcit: *Si ergò illas duodecim sententias, quas nos dixi scire ad fidem rectam & Catholicam pertinere, etiam tu frater nobiscum tenes, ago Deo gratias: quas profectò non veraciter agerem nisi Dei gratia fieret, ut tenerem.* Et de superanda iracundia, ne Augustino Pelagius succenseret: *Si autem mihi iratus fuerit, quam inique mihi irascatur attendat, & ut vincat iram, tandem aliquando postulet gratiam, quam in hoc iudicio confessus est singulis suis actibus necessariam, ut veram consequatur illo adiuvante victoriam.* Et de quacumque obedientia qua obtemperatur præcipienti ac docenti Deo: *Surde audi Apostolum gratias agentem Deo, quod eius doctrinæ ex corde obedierint, quandoquidem non dixit, Gratias ago quia prædicata est vobis doctrina eius, sed quia, obedistis. Non enim omnes obaudiunt Evangelio, sed quibus datum est, ait Dominus, illis autem non est datum. Non ergò ex corde, hoc est ex voluntate obedissent, si non præpararetur voluntas à Domino. Alioquin mendaciter ei de hac re Apostolus gratias agit, si hoc ipse non fecit.* Hæc ergò ratio est, cur postquam toties vim orationis ad gratiam voluntatis atque operis impetrandam ac manifestandam explicuit, generalissimè nulla voluntatis ullius aut operis aut tentationis exceptione, concludit, nullum opus fieri, nullum præceptum impleri, nullam peccati tentationem vinci posse sine illa gratia quæ precibus invocatur. Omnem quippè bonam actionem quantumcumque minimam complectitur id quod ad Valentinum dicit: *Intelligenda est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.* An fortè per gratiam sufficientem aut habitualem? Audi qualem: *Hanc quippè inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis. Quis hoc audiat & non evigilet, atque fateatur à Domino Deo nostro esse, ut declinemus à malo & faciamus bonum?* Omnem bonam actionem quantumcumque minimam complectitur id quod ibidem subijcit: *Faciebat Apostolus, illa omnia quæ commemoravi: monebat, docebat, hortabatur, increpabat, sed sciebat, hæc omnia non valere quæ plantando & rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem Doctor gentium dicit: neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Omnem actionem bonam quantumcumque minimam complectitur, id quod adhuc subjungit: *Quando non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant, hoc est gratiam faciendi. Quid enim habebunt, quod non accepturi sunt; aut quid habent quod non acceperunt?* Omnem actionem bonam quantumcumque minimam complectitur id quod in Epistolis ad Adrumetinos dicit:

Ibid.
Lib. de gest. Pelag. c. 35.
Lib. 2. oper. imp. contra Iul. fol. 453
Lib. de Cor & grat. c. 2.
Ibid.
Ibid.
Ibid.

Lig-

Epist. 2. ad Valent. & fratres eius. *Legimus eis etiam librum Beatissimi Cypriani de oratione Dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à patre nostro qui in cœlis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio à divina gratia decidamus.* Ad quos dixerat in epistola prima, eadem omnium bonorum operum & *Epist. 1.* motuum amplitudine: *Probavi per testimonia Scripturarum quæ tibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem, nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acceperimus ab illo de quo dicit Apostolus Iacobus, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Omnem actionem nostram bonam, quantumcumquè minimam complectitur quod in libro de dono perse- *Lib. de dono pers. cap. 6.* verantiæ dicit: *Dicat mihi quisquis audet, utrùm Deus dare non possit, quod à se posci imperavit? hoc certè qui sapit, non dico desipit sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti eius dicant orantes, Ne inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.* Et infrà: *Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur.* Et rursùm ibidem generalissimè: *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Quod vidit iste venerabilis martyr* Cyprianus, qui *Lib. de dono pers. cap. 6.* à Domino dictum esse tradit: *Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur* TOTVM DEO, *quicquid supplicitèr cum timore Dei petitur ipsius* PIETATE *præstetur.* Et mox perinde generaliter ex Ecclesiæ totius oratione & Catholica *Ibid. citatur ab August.* consequenter fide concludit: *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ quam defendimus, sola sufficeret: quæ* NIHIL *nobis reliquit, in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem ut non* DISCEDAMVS A DEO, *non ostendit* DANDVM *nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem non discedit à Deo.* Et vim orationis ad veræ *Ibid.* gratiæ demonstrationem exponens: *Quod poterat, inquit, nobis etiam non orantibus, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc bona fide. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo iussum est, ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent; ergo Deus donat perseverantiam.* Quam Cypriani & Augustini doctrinam saluberrimam, de omnibus omninò bonis operibus pro quibus Ecclesia piè & humiliter & utiliter preces fundit, similiter locum habere confiteri debet, quisquis pro eis regendum Deum antequam dederit, & gratias ei agendas, postquam dederit, confitetur. Denique omnem actionem nostram bonam quantumcumque minimam complectitur id quod ad *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* Bonifacium dicit: *Si studium quisque ut pro aliis habeat, Deus dat, ut pro seipso habeat, quis alius est daturus? Quæ cùm ita sint;* NIHIL *in Scripturis sanctis hominis à Domino Deo video inberi propter probandum liberum arbitrium; quod non inveniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiuvandum gratiæ demonstrandum.* Et statim iterum: *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mentationis, usque in finem consummationis qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.* Omnem omninò bonam actionem nostram quantumcumque minimam cõplectitur quod cùm ex Cypriano Dominicam orationem exponente, ac *totum quod rectè vivimus, quodq; lex iubet à Domino Deo precibus impetrandum* declarante, docuisset *nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei inciLib. 2. ad Bonif. c. 3.* pere & esse in hominibus, usque adeò nec ad istud quod lex dicit, *non adorandum idolum, non machandum, non homicidium perpetrandum atque huiusmodi*, Christianorum atque iustorum sufficiant voluntates, qui suam infirmitatem quotidianâ oratione humiliter confitentur, tandem etiam de illis qui nondum Christo crediderunt, adijcit, ut per orationem nihil à Dei gratia exceptum esse monstraret: *Oramus ergo non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo, de quo scriptum est; Præparatur voluntas à Deo?* Et doctrinæ istius certitudinem & amplitudinem omnibus commendans qui Christiani & Catholici esse cupiunt universalissima generalitate subjungit: DISCANT ERGO ESSE CATHOLICI, QVI DEDIGNANTVR SI QVID MALI NON FACIVNT, ET SI QVID BONI FACIVNT, NON IN SEIPSIS SED IN DOMINO GLORIARI.

Quæ quamvis aliis innumeris testimoniis comprobari potuissent, hæc tamen cuivis Christiano, pioque lectori arbitror, sufficient, ut intelligat in Catholica doctrina totiusque Ecclesiæ professione nihil esse certius quam id quod tanta securitate & firmitate, & asseverandi constantia, in omnibus adversus hostes gratiæ scriptis Augustinus docet, nullum propositum bonum, nullum studium virtutis, nullum opus bonum, nullum voluntatis motum bonum in hominibus, sive non credentibus sive credentibus, sive Paganis sive Christianis, sive catechumenis sive baptizatis, sive injustis sive justis esse posse, quem non per suam gratiam Deus misericorditer largiatur. Nec per quamlibet gratiam, sed illam, quæ quotidianis precibus à Christianis, baptizatis, justisque poscitur & occulta sancti Spiritus inspiratione tribuitur. Quod tanto verborum pondere, sententiarumque claritate ac densitate, tanta fidei Catholicæ tuendæ sollicitudine per universa sua monumenta sparsit, ac docuit, ut qui necdum hanc doctrinæ sinceritatem agnoscere possunt aut volunt, suo documento satis ostendant, quantum in moribus humanis valeat, eò quemquam progressum esse, unde redire non libeat, quamvis manere-

manere non liceat. Docet enim ut singula A
præcepta impleantur dicendum esse *Da quod jubes*; docet ad victoriam tentationum obtinendam non sufficere liberum arbitrium, *nisi victoria concedatur orantis*: docet *quid quid jubetur, orandum esse ut impleatur*: docet, *nihil in Scripturis sanctis juberi, quod non inveniatur à Dei bonitate dari vel posci ad adjutorium gratiæ demonstrandum*: docet *nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo nos facere bonum, nisi inspiratione bonæ voluntatis ac operis*, quæ orando petitur, concedatur: Docet *nihil juvare quod monemus, docemus, hortamur; increpamus, nisi Deus orantes exaudiat*: Docet, orandum ut quando *non agimus, accipiamus agere*; eo quod *nihil habituri sumus quod non accipiamus*: docet *omnia quæ ad bonos mores pertinent esse poscenda; totum esse dandum Deo, ut humiliter petentibus ipsius pietate præstetur*: docet & *ipsum non discedere à Deo, dandum esse à Deo*. Et per hoc discendum esse eis qui Catholici esse vo- B
lunt, ut *si quid mali non faciunt, & si quid boni faciunt, non in seipsis sed in Domino glorientur*. Hanc denique gratiam quæ contra tentationes concupiscentiæ, incontinentiæ, insipientiæ, inobedientiæ, iracundiæ, omniaque quæ vel vetantur, vel jubentur implenda, postulatur, esse illam, quam Catholici confitentur & Pelagius fallaciter *in judicio Palæstino confessus est singulis actibus necessariam*. Quæ si paulò diligentius attenderent recentiores aliqui, non ita exorbitarent à tramite veritatis, ut solis philosophiæ principiis in re tanta nixi, gratias habituales fingerent ad opera multa bona posse sufficere. Et egregiè se munitos adversus Pelagianam hæresim putant, quod non sine influxu habitus gratiæ tales operationes voluntati tribuant. Quasi verò vel ullum indicium sit in
omnibus Augustini vel Pelagii scriptis, C
quod de habituum adjutoriis disputatum sit, vel habituales gratias Pelagiani ac Massilienses abjecerint, vel ita delirraverint ut negarent habitus voluntatis in opus voluntatis influere: vel denique quasi justi, baptismoq; sanctificati (de quorum orationibus profusis tum oratio Dominica, tum Augustini & Cypriani producta testimonia pœnè universa procedunt) gratiam habitualem qua donati sunt, tos precibus & gemitibus poscant. Commenta sunt ista hominum suas opiniones quoquo modo defendentium; qui divinæ gratiæ sinceritatem potiùs humani ingenii subtilitate, quam Ecclesiasticâ, ut oportebat, traditione discere ac docere voluerunt. Est enim apertissimum, gratiam istam tum suavitatis, tum inspirationis quæ orando petitur, esse actualem, quam Deus justus tunc quando agendum præceptumque implendum est, juxta profundissimi sui consilii arcanum donat orantibus aut negat, sicut placet, cui nihil injuste placet. Nam ut Augustinus adversus omnino similem Pelagianorum tergiversationem, naturam, peccati remissionem, & legis scientiam, tanquam Dei gratiam proferentium notat, justus orans Da quod jubes; Fiat voluntas tua; Ne nos inducas in tentationem; *non ut, inquit, id orat, ut homo sit quod est natura; neque id orat ut habeat liberum arbitrium; quod tam accepit, cùm crearetur ipsa natura: neque orat remissionem peccatorum* aut habitualem gratiam, *quia hoc superius dicitur, Dimitte nobis debita nostra: neque orat ut accipiat mandatum, si enim in tentatione defecerit hoc facit, quod est contra mandatum. Orat ergò ut non peccet, hoc est ne quid faciat mali*, quod vetatur, vel bonum faciat quod jubetur. Vt proinde rectissimè firmissimèque pro actuali & nondum data gratia cum Augustino concludatur: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio.*

Epist. 95. ad Innocent.

Vide omnino similem locum lib. de gest. Pelag. cap. 9. & epist. 107. ad Vitalem.

CAPVT XVIII.

Eandem doctrinam Romani Pontifices tradunt, & Ecclesia tota profitetur.

NEc Augustini duntaxat, sed & A
Pontificum Romanorum & Conciliorum Ecclesiæ veritatem suo calculo comprobantium, mens eadem omninò eademque doctrina est. Vnus Pontificum erit instar omnium, sanctus Innocentius qui tempore conflictus istius cum inimicis gratiæ & vixit & scripsit, & Ecclesiasticis Conciliis Carthaginensi atque Milevitano respondens scripsit. Tota enim epistola utraque Synodalis adjutorium Dei actuale ad nostros singulos actus necessarium esse tantâ inculcat acrimoniâ & evidentiâ, ut vel tardissimos de somno excitare, clausisque oculis lumen istius veritatis inferre posse videatur. Nam in primis, quid spirat aliud quod iterum iterumque inculcat, illam *gratiam, adjutorium, remedium* esse *quotidianum*, quod Pelagius & Cœlestius oppugnabant? *Nec illum considerant cujus quotidie gratiam consequuntur*. Et, *Quid tam iniquum potest esse, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere, quicquid in quotidiana gratia consequeris?* Et, *Cui putes debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere quod taliter vivis?* Et, *Adjutorio quotidiano nos egere negare non possumus*. Et: *Quotidiana præstat ille remedia*. Et: *Quis rogo tantus illorum peccatorum error obcœcat, ut si nullam gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de aliis considerant, quid quotidie singulis gratia divina largitur*. Quid aliud spirat quod plus

Epist. Innoc. ad Concil. Carthag. est apud August. 91.

CAPVT XXIII.

Ostenditur eadem natura gratiæ medicinalis Christi *septimò* ex orationibus Ecclesiæ, quibus ipsa voluntatis determinatio à Deo poscitur.

SEPTIMO genuinam gratiæ medicinalis naturam in eo sitam esse non quod sit gratia *sine qua non*, sed *qua*, hoc est, non sine qua non possumus benè operari, vel possumus si velimus, sed qua determinatè volumus & operamur, perspicuè constat ex orationibus quotidianis, quas Ecclesia fundit ad Deum. Nam quemadmodum ex eis colligimus invictè, gratiam illam non esse habitualem, sed actualem Spiritus sancti motionem, ita ex ipsdem rectissimè conficimus, esse non quamlibet actualem, sed illam tantum qua Deus ipsum velle & operari operatur in nobis, seu, ut expressius dicam, qua Deus ipsam determinationem voluntatis ad volendum & operandum inspirat nobis & operatur in nobis. Quod duobus modis perspicuè ostendi potest. Primò ex eo quod Ecclesia pœnè in omnibus suis orationibus petit ipsum velle & agere. Inspiciantur enim preces ejus, ubique audies, *Fiat voluntas tua*; *Da mihi intellectum ut discam mandata tua*, & ei conPsal. 118. Luc. 1. formiter Evangelista, *Aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Vtinam dirigantur viæ* Psal. 118. *mea. Averte oculos meos ne videant vanitatem. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Non dominetur mei omnis iniquitas. Et ne nos inducas in tentationem.* Hinc petimus ut infideles credant, ut fideles piè, justè, continenter vivant, ut superent tentationes, & hujusmodi, in quibus semper hoc petitur, ut velint & faciant bonum, ut non faciant malum, juxta illud Apostoli quod universa complectitur: 2. Cor. 13. *Oramus ad Deum ut nihil mali faciatis, sed ut vos quod bonum est faciatis.* Cujusmodi orationibus pro omni genere bonorum operum epistolæ Apostolicæ refertæ sunt, & Ecclesia Christi sub incruenti sacrificii oblatione quotidie resonat. Iam autem perspicuum est, neminem posse velle quicquam aut facere, hoc est, neque credere, neque sperare, neque diligere, neque sobriè, justè, piè, continenter vivere, neque tentationem impugnantem superare, vel aliud quicquam bonum facere, nisi hic & nunc voluntas ejus ad hoc determinetur. Quamdiu enim non determinatur hic & nunc, tamdiu non vult, & consequenter tamdiu non credit, non sperat, non diligit. Quisquis ergo petit à Deo ut aliquis velit, ut credat, ut diligat, ut aliud quicquam boni operetur, hoc ipsum directè petit, ut ad illa voluntas ejus hic & nunc determinetur. Ipsa igitur determinatio voluntatis etiam hic & nunc ad volendum & operandum, est propriè dictum divinæ gratiæ donum, utpote non solum, sine qua non fiat, sed qua fiat ut voluntas determinetur. Quod duobus ex capitibus manifestum est. Primò ex eo, quòd sola causa *sine qua non*, nunquam est illa qua fit actio. Nam illa in sua ratione abstrahit ab agendo actualiter, & solum necessaria est si agatur. Ex quo fit ut quisquis petit ut velit, seu ut voluntas ejus ad volendum hic & nunc determinetur, amplius petat, quam ut sibi detur gratia, sine qua non potest determinari: sed illam poscit, qua reipsa & actu fiat ut ad volendum determinetur. Secundò ex eo, quòd Ecclesia & quislibet humilis fidelis ejus, non cessat ab oratione, quantiscumque gratiis potentialibus & *sine quibus non* potest velle vel agere instructus sit, quamdiu se sentit idipsum nondum velle & agere. Quamdiu enim istud ei deest, institutio Christi & Scripturarum, quibus ipsas voluntates & actiones à Deo poscere docemur, plenissimè locum habent, neque quisquam nisi superbiæ spiritu seductus eo amentiæ prorumperet, ut quamdiu non vult atque agit, se sibi ad volendum agendumque sufficere posse sentiret, nec opus esse illa dona precibus à Deo postulare. Quod signum apertissimum est, gratiam Christi quæ fidelium precibus imploratur, esse illam (post omnes habituales & potentiales gratias & sine quibus non possumus agere) postremam gratiam, qua ipse postremus nutus voluntatis, hoc est, determinatio & inclinatio voluntatis ad consentiendum, volendum, agendumque donatur, quâque omnes gratiæ præcedentes qualescumque, sive lex, sive doctrina, sive revelatio, sive habitualis, sive sufficiens, sive alia qualiscumque sine qua non potest agere, ad opus rapiuntur & applicantur, juxta illas à Spiritu sancto inspiratas postulationes: *Inclina cor meum in testimonia tua & non in avaritiam. Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis viis ejus, & custodiamus mandata ejus.* Et juxta illam profundissimam Augustini definitionem: *Opus est gratiæ, quam qui accipiunt doctrinæ salutari Scripturarum sanctarum, etsi fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia, peiores eius efficiuntur inimici.* Et illam ibidem: *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed agnoscamus gratiam quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam.* Nimirum quia per illam solam fit, ut doctrina præceptorum Dei, *non audiendo sed obediendo, neque lectione sed dilectione teneatur.* Nam illa gratia quæ facit prodesse doctrinam, est sola illa postrema gratia quâ voluntatis nutus reipsa & actu ad consentiendum, volendum, agendum, determinatur: quæ si desit, nunquam doctrina audita

Psalm. 118. 3. Reg. 8. Epist. 107. ad Vitalem. Ibidem. Ibidem.

pro-

proderit, sed reum prævaricationis efficiet. Nam ut alibi profundissimè de illa postrema & vera & genuina Christi gratia pronuntiat: *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur.* Hoc est, ideo tribuitur, ut hoc ipsum auferat quod impedit ne ex nolente fiat volens, ipsam videlicet indeterminationem ejus ad volendum, quæ quamdiu non tollitur, tamdiu cordis duritia non aufertur, nec ad volendum determinabitur, hæc doctrina præcepti proderit, nec voluntas hominis consentiet, aut volet, aut operabitur. Hoc ipsum ergo quod se voluntas hic & nunc determinat, est præcipuum & propriè dictum divinæ gratiæ donum, quod si non detur, nunquam in æternum voluntas bonum volet, quia sine illo dono quo duritia cordis aufertur, velle non potest. Si enim sine illo se ad volendum inclinare & se determinare potest, frustra precibus poscitur: *Cur enim oratur ut accipiatur si ab homine est ut habeatur? Nam quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habes?*

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.

Lib. de nat. & grat. c. 26.

Ibid. cap. 18.

Secundò, ipsam determinationem voluntatis hic & nunc ad volendum & operandum, fidelium precibus posci, ex Dei præceptis patet. Omnia quippe præcepta quæ nobis ad agenda bona præstituta sunt, non aliud à nobis petunt, quam ut voluntatem nostram ad volendum determinemus: & è contrario, omnia quæ malum vetant, hoc vetant ne voluntatem nostram ad malum determinemus. Nam quid est aliud, Crede Deo, dilige Deum, fac bonum, quam determina voluntatem ad credendum, diligendum, & faciendum bonum? Et quid est aliud, Noli vinci à malo, nisi voluntas tua non determinetur ut cedas malo? *Nam cui dicitur Noli vinci*, inquit Augustinus, *arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur. Velle enim & nolle propriè voluntatis est.* Nec velle aut nolle potest nisi voluntas ad volendum nolendumque hic & nunc determinetur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap 3.

Cùm igitur ista perspicua certaque sint, jàm æquè certum est, hoc ipsum totum, quod homini à Deo præcipitur in illis, quibus impletur, esse divinæ gratiæ donum. Docet hoc Augustinus locupletissimè multis in locis. Unus aut alter in re aperta sufficit. Nam hinc istud de omnibus præceptis Dei generale pronunciatum: *In eis libris confessionum meorum certè dixi Deo nostro & sæpè dixi, Da quod iubes, & iube quod vis. Quid verò nobis primitùs & maximè Deus iubet, nisi ut credamus in Deum? Et hoc ergò ipse dat, si benè illi dictum est, Da quod iubes.* Quid verò etiam in ipso credendi actu, & in alio quocumque qui præcipitur, jubetur maximè voluntati, quam ut hic & nunc, cùm præceptum obligat, ad volendum aut nolendum se determinet? Et hoc ergò ipse dat, hoc est, ipsam igitur determinationem voluntatis Deus tribuit voluntati, si rectè dicitur, Da quod jubes. Rectè hoc autem dici, fides Catholica nos negare non sinit: juxta quam in Concilio Arausicano definitur: *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Et Augustinus confidenter dicit: *Nihil in Scripturis sanctis homini à Domino video iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Si quod jubetur à Deo, poscitur à Deo, ergò datur à Deo. Nam ut alibi Augustinus de perseverantia in bono, quod in omni quod à Deo poscitur locum habet: *Cur perseverantia ista poscatur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm ab eo poscitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?* Si ergò in primis & ante omnia in omnibus præceptis poscitur, ut voluntas nostra ad volendum agendumque determinetur, hoc ipso quo poscimus ut velimus & agamus, profectò ipsam voluntatis nostræ determinationem, per gratiam nobis dari, manifestum est.

Lib. de dono pers. cap. 10.

Conc. Arausic. canone 20.

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Lib. dono pers. cap. 6.

CAPUT XXIII.

Ostenditur *octavo* ex eo quod post lapsum nihil omninò boni in homine, vel ab homine esse potest, nisi donetur à Deo, etiam ipsa suæ voluntatis bonæ determinatio: nec in ullo laudari nisi in solo Deo.

Quod sanè octavo ex alio capite perspicuè constare potest. Docet enim Augustinus frequenter, id quod sine aperta impietate negari nequit, postquam humana natura in peccati infirmitatem præcipitata est, jam nihil omninò in homine boni esse posse, nec nutum quidem voluntatis, aut studium, aut conatum, nisi homini detur; non solùm illud facere posse si velit, sed nisi ei hoc ipsum quicquid boni ab ipso vel in ipso fit gratiâ largiente donetur. Ex quo necesse est confiteri, ipsam voluntatis determinationem, qua hic & nunc voluntas ad consentiendum, volendum, conandum, agendumque se determinat, ab ipsa gratia debere conferri. Hoc enim est potissimum quod in omnibus bonis operibus eminet, & sine quo nec opus ipsum in rerum natura existere, nec bonum esse aut vocari potest. Hoc ergò totum nunc à gratia Dei debere donari ac fieri plurimis in locis Augustinus docet. Nam inde illud generale

generale de Christi Redemptoris donis, *Ab ipso quicquid boni est donatur. Ergò quia hoc bonum est, ab ipso utique donatur, ut sciatur à quo bonum omne donetur: ut omninò de omnibus bonis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Si ergò determinatio voluntatis hic & nunc ad volendum bonum, non exiguum est donum, ab ipso igitur hoc donatur, à quo bonum omne donatur. Cui æquipollet istud contra Pelagianos alibi: *Proinde cupiditas boni, non hominis à Domino esset si bonum non esset: Si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Et pressius in aliis locis: *Cùm ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industriâ aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate fervентia, ille tribuit, ille largitur.* Ecce etiam ipse nutus voluntatis, qui non est aliud quam ipsa voluntatis ad aliquid determinatio hic & nunc, à Deo dari & inspirari debet, non ut habeatur nutus seu determinatio ad annuendum, si tamen velis, quod non est aliud quàm potestatem annuendi determinandique accipere, sed ut ipse nutus seu determinatio habeatur, ubi jam est profectus potestatis ad ipsumactum & nutum atq; determinationem. Nam ut rectè ponderat hujusmodi Scripturas Augustinus: *Non est consequens ut qui potest venire & annuere & se determinare, etiam veniat, & annuat, & sese hic & nunc determinet, nisi* id voluerit atque fecerit: *Sed omnis qui audierit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus est.* Si ergò & ipse nutus, & consequenter determinatio voluntatis hic & nunc à Deo datur, non solum nuendi atque determinandi si velis, sed ipse possibilitatis ilius profectus & voluntatis effectus, & ipse nutus seu determinationis effectus datur.

Hinc est ergò consequenter, quod gratiæ tribuit Augustinus quicquid omninò in voluntate, sive consentiente, sive annuente, sive volente, sive sese determinante excogitari potest. Nam & victoriam tentationis, hoc est, illud ipsum quod duabus voluntatibus inter se contendentibus, una superat, & in alteram partem se determinat, gratiæ donanti tribuit: *Cùm dicitur, Noli vinci à malo, quid ei prodest nisi gratiâ succurrente fiat? Ergò & victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est, quam donum Dei &c. Nec sufficit liberum arbitrium, nisi & victoria concedatur oranti.* Quod autem non aliter hoc fiat, nisi ipsam voluntatem in alteram partem determinando, manifestissimè tradit quando dicit: *Ideò petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat*, id est, ut voluntate nostrâ non deseramus Deum. *Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Potens ergò est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere ac dirigere in placitum gressum. Cui non frustra dicitur: Deus tu convertens vivificabis nos.* Quid est flectere voluntatem in bonum, quid est in lapsum pronam convertere, nisi eam vel fluctuantem, vel in alteram partem jam nutantem ad propendentem, istâ determinatione revocare, & in alteram partem determinare? Flexus enim & converso voluntatis in hanc vel illam partem, nihil est aliud quam ejus in alterutram partem determinatio. Nunquam enim Deus hominis voluntatem in bonum reipsa flectet atque convertet, nisi hic & nunc determinet. Quod quidem olim ante lapsum in illa voluntatis prima fortitudine homo potuit, nunc non potest dicente disertissimis verbis Augustino: *Non est hoc omninò in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo* ACCEDAT *ad Deum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo* NON RECEDAT *à Deo.* Nempe quia nunc post lapsum ipsa gratia debet voluntatem, ut accedat ad Deum gratuitâ bonitate convertere, ipsa gratia debet eam ne recedat retinere, ipsam videlicet, ut ante dixerat, in hanc partem flectendo, dirigendo, inclinando, convertendo, quod nihil aliud est quam determinando; ante verò proprio suo robore poterat volûtas (gratia licet juvante, *sine qua* nihil eorum poterat) sese ad Deum flectere, dirigere, inclinare, convertere, permanere si vellet. Quam ob causam nunc ipse voluntatis nutus & flexus, & inclinatio, & directio, & conversio, quæ sine ipsius determinatione hic & nunc, neq; esse neque cogitari possunt, specialia divinæ gratiæ dona sunt, ut satiatissimè audivimus: tunc non erant nisi tantùm in radice, quatenus gratia quædam dabatur potentialis, cum qua poterat omnia ista si vellet, & *sine qua non* poterat, quamvis vellet, quemadmodum etiam latissimè supra demonstravimus.

Hæc est ergò vera ratio, cur Augustinus, quando de bonis actionibus & voluntatibus lapsi hominis tractat juxta Scripturas sacras, nihil omninò boni quantumvis exiguum, quod cum Deo partiri velle possemus, à divina gratia donante subtrahi sinat. Quis autem dubitet, præcipuam partem bonæ voluntatis & actionis eripi Deo, si ipsa voluntatis determinatio hic & nunc divinæ gratiæ ita subtrahatur, ut eam cum recentioribus *præcipuè* humani arbitrii esse dicamus? Contra hujusmodi præsumptionem illæ sententiæ sanctissimi Doctoris tortæ sunt: *Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Quod & sancti Cypriani verbis probat: *Vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid supplicitur cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Quod ex Paranympho Christi Salvatoris didicerant, quando dicit: *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Et ex Iacobo Apostolo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de cælo est.* Et Paulo Coapostolo ejus: *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ: vsque adeò*, omnia addit explicando Augustinus, *ut in nobis operetur & velle.* Quis autem

Ibid. c. 7.

Lib. de dono perf. cap. 6

Ioann. 3.

Iacobi 1.

Ephes. 1.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 18.

Autem dubitari erit, quin totum non detur Deo de cælo nobis dantibus atque operanti secundum consilium voluntatis suæ, sed quod nobis ex parte maxima, & illi ex alia parte exigua committamus, si determinatio voluntatis hic & nunc ad benè volendum & operandum homini non à Deo dante, sed humanâ voluntate seipsam hic & nunc determinante conferatur? Nam voluntatis determinatio præcipuum illud est, propter quod laudabiles aut vituperabiles sumus, imò propter quod, & per quod vel opus bonum in rerum natura ponitur. Quod si homini est ab homine, falsissimum est, quòd *totum Deo damus*, ut Augustinus & Cyprianus faciendum docent; falsissimum NOSTRVM ESSE NIHIL, ut alibi Cyprianus clamat; falsissimum non posse hominem *accipere quicquam*, nisi fuerit ei datum de cælo; falsissimum Deum *operari omnia*, aut *omne datum optimum* esse de cælo, ut Apostoli docent. Nam dare gratiam sine qua non potest se determinare, si velit, & cum qua potest, se determinare quando lubet, non est ipsam dare determinationem; quemadmodum ex donatione habitualis & cujuslibet potentialis gratiæ, adeoque ipsius liberi arbitrii perspicuè patet.

Ex quo & alia radix detegitur, cur determinatio voluntatis hic & nunc ad operandum potiùs quàm non operandum, non possit soli voluntati tribui, prout recentiores quidam tribuunt: quia hoc manifestè esset laudem boni operis bonæque voluntatis partiri cum Deo. Hoc autem impium esse ex eo patet, quod post lapsum hominis tota laus bonæ voluntatis atque operis in solam gratiam referenda sit: neque ulla ex re placere possit homo Deo, nisi fluat ex Deo, & homini ipsius gratia largiente tribuatur. Quicquid enim homo sibi ex seipso esse boni putat, in eo necesse est in seipso, non in Domino glorietur. Si ergò ex seipso habet determinationem suæ voluntatis hic & nunc, & non ex Deo determinationem largiente, in quo nisi in seipso, non in Domino contra Apostolum gloriabitur? Quam ratiocinationem format Augustinus quando adversus cogitationes non dissimiles dixit: *Necesse est ut parum diligat eum, qui non ab illo sed à seipso bonum se arbitratur effectum. Vnde autem fieri potest, ut talis non in seipso sed in Domino glorietur? Qui enim gloriatur, quod sit bonus*, quod nemo esse potest, nisi determinatione suæ voluntatis ad bonum, *in illo debet gloriari à quo factus est bonus. Ac per hoc qui se à semetipso factum bonum arbitratur, consequens est ut in seipso non in Domino glorietur.* Contra hujusmodi præsumptiones, Deo partem unam & sibi alteram tribuentes, deinde subjungit: *Omnis autem intentio gratiæ novi Testamenti, qua sursum cor habemus (quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est) id agit, ne simus ingrati, atque in ipsa gratiarum actione nihil aliud agitur, nisi ut qui gloriatur in Domino glorietur.* Hinc & in Psalmum sexagesimum quintum: *Totam intentionem nostram in laudem Dei mittit, nihil nobis relinquit unde laudemur.* Et in Psalmum sexagesimum nonum: *Semper magnificetur Dominus. Qui hoc dicunt? Qui diligunt salutare tuum. Ecce magnificetur Dominus, nunquam tu, nusquam tu. In illo aliquid, in me nihil. Si autem in illo quicquid ego, ille, non ego. Tu ergò quid? Ego vero egenus & pauper.* Et in sermonibus ad populum: *Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te displicet Deo.* Ex his liquet quantoperè ab Augustino alienum sit, determinationem suæ voluntatis ad bonum sibi soli arrogare, ita videlicet, ut quod voluntas hujus nunc agat bonum, quod alius negligit, hoc non gratiæ Dei, sed voluntati seipsa determinanti tribuatur. Sic enim hic & nunc seipsa determinare bonum est, in quo de isto bono, nisi in seipso à quo habet gloriabitur? Hoc autem Apostolus & Augustinus, & ipsa pietas, & Christi Religio vetat: non ergò ex homine homini est ista suæ voluntatis determinatio, sed ex Deo gratiâ suâ hominem determinante, quam alteri negat, ut seipsum sua voluntate determinet. Quæ sua determinatio propterea neque bona est, neque laudabilis, neque placet Deo, *Nihil enim placet Deo nisi quod habes ex Deo. Quod autem habes ex te, displicet Deo.* Ex quo nascitur, ut qui gloriatur & laudatur in Domino glorietur & laudetur, juxta illud Psalmi: *In Domino laudabitur anima mea.* Nimirum, quia nos ita voluntatem nostram hic & nunc determinamus, ut tamen Deus determinationem illam operetur in nobis: non quia sine ipso nos determinare non possumus, sed quia nos, ipso determinationem operante, determinamus. Hoc enim nos profundissimè veracissimèque docuit Augustinus, quando hujusmodi phrases, quæ nobis aliquid tribuunt, explicando dicit: *Certum est, nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus in nobis operatur & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati qui dicit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis.* Et alio in loco ad Bonifacium: *Non auditis faciam ut ambuletis, faciam ut observetis, postremò, faciam ut faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus*, nos nosipsos determinamus; *sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus*, ut nos determinemus. *Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia ejus præveniens nos.* Quid est enim Deus *operatur & velle*: Deus *facit ut faciamus, ut ambulemus* & hujusmodi, nisi Deus operatur ipsam nostræ voluntatis determinationem? Hoc est enim velle & facere, animum scilicet seu voluntatem hærentem ad volendum faciendumque determinare. Et hoc ipsum & nihil aliud est, auferre unam voluntatem ac dare alteram, seu ut Scriptura loquitur, auferre cor lapideum, ac dare cor carneum, quorum utrumque in sola voluntatis determinatione ad bonum aut malum situm est. Vnde consequenter subjungit Augustinus: *Cùm dicit faciam ut faciatis quid aliud dicit nisi auferam à vobis cor lapideum, unde non facia-*

Videlocavaria Lessij supra citata ex libro de gratia efficaci c. 18. num. 7. & aliis locis.

Epist. 120. cognite ult.

In Psal. 65.

In Psal. 69.

Serm. 44. de tempore c. 3.

Ibid.

Psal. 33.

Lib. depr. & lib. ad rep. lib.

Lib. 1. ad Bonif. c. 1.

Lib. depr. Christ. &

cisbatis, & dabo cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis? Cor autem durum & lapideum quid est, nisi voluntas inobediens, & ut alibi dicit, *durissima, &* A *adversus Deum omninò inflexibilis?* Hanc ergò qui aufert nobis, & qui bonam tribuit, determinationem ejus ad bonum operatur: ut ita qui de suæ voluntatis determinatione gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

CAPVT XXIV.

Nonò natura gratiæ medicinalis generaliter demonstratur ex octo proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.

QVOD si quis adhuc luculentius naturam gratiæ Christi medicinalis, prout ab Augustino intellecta descriptaq; fuit, audire expressam, & intelligere desideret, proprietates ejus genuinæ, quibus ab eo delineata est, & epitheta quibus depicta, & elogia quibus efficacia ejus celebrata est, attendenda sunt. Videbit enim non talem gratiam ab eo prædicatam esse, qualem recentiores nonnulli tradunt, quæ videlicet curiosà exploratione voluntatis ac dispositionum ejus indigeat, ne forte per gratiam pulsata nolit ac dissentiat: A non talem quæ instar alicujus habitus, impulsum ad operandum ab ipsa exspectet voluntate: non talem quæ dominatrici famulando voluntati, vel influit, vel non influit, prout imperanti sese determinare vel hærere placet; sed prorsus talem quę simul ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistentiam, rapit eam secum, & ex invita volentem ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit. Quod utcumque tetigit Prosper dum ita canit.

At verò omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi,
Semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Hanc ergò medicinalis gratiæ naturam non tàm servientem quàm dominantem nutibus ægrotæ voluntatis, nec talem *sine qua non* potest ægra voluntas velle, sed qua Deus invictè facit ut velint, nobis

Primò commendant illa loca quibus Aug. eam summæ efficaciæ esse docet, in eo persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit. Aliquando enim vocat potestatē ejus efficacissimam. *Vt autem de cælo* (Paulus) *vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et in eundem sensum inferius: *Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Aliquando occultissimam & potentissimam, ut cùm dicit, *Deum posse quem velit, ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicina sua* (hoc est gratiæ medicinalis) *potestate perducere.* Aliquando ineffabilem: *Legant ergò atq; intelligant, intueantur atq; fateantur* B *non lege atq; doctrinâ insonante foris sed internâ atq; occultâ, mirabili atq; ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Aliquando hanc gratiæ efficaciam cum pervicaci hominis voluntate collidit, & omni humanâ aversione & pertinacia superiorem facit. *Aversus quippe à fide quam vastabat, eiq; vehementer adversus, repente est ad illam gratiâ* POTENTIORE *conversus.* Et ad Bonifacium Papam: *Cor Regis antequam muliebris sermonem poscentis audisset occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.* In quo comparationis genere potestatem quæ per gratiam operatur, etiam omnipotentissimam vocat; ut in lib. de Corr. & grat. *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.* Et in Epistola ad Vitalem: *Quibus non ei credentibus & eius doctrinam voluntatē impiâ persequentibus misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum* OMNIPOTENTISSIMA *facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.* *Lib. de corr. & grat. c. 14.* *Epist. 107. ad Vitalem.*

Secundò hanc efficacissimā, potentissimamq; hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exseri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur & agatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quod nisi Aug. ipsemet exsertè declarasset, nunquam ausus fuissem voce aut calamo proferre: *Procul dubio*, inquit Augustinus, *Plus est* AGI *quam regi. Qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubiter Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendā commendet qui malè agere non potest.* Quæ sanè causa videtur cur isto verbo Apostolico, quo voluntas, vel nos agi à Spiritu Dei dicimur, perlibenter & frequenter utatur Augustinus: *Profectò ut agant quod* *Lib. de gest. Pelag. c. 3.* *Lib. de grat. Christi c. 25.*

quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Et ad
Lib. 3. ad Bonif. c. 2. Bonif. *Quis ambulat secundùm Spiritum, nisi quis-quis agitur Dei Spiritu?* Itaq; hunc impetum Spiritus quo aguntur filii Dei, talem actum infallibilis efficaciæ esse tradit, ut quotquot illo aguntur, etiam reipsa velint & operentur.
Lib. 6. contra Iul. c. 14 *Quicumq; aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Nempe quia Apostolus dicit,
Rom. 8. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.*

Tertiò igitur hæc ratio est, quod nullum sit locutionis genus apud ipsos Scholasticos Doctores tam efficax prægnansq; ad exprimendũ, quod ipsa volũtatis determinatio, adeoq; prædeterminatio sit à gratia Dei, quin Augustinus illud usurpet, ut Christianis lectoribus indicaret, non esse istius naturæ medicinalem Christi gratiam, ut ejus effectus à voluntate suspendatur, sed illius ut per eam effectum potentissimè invehat inseratq; voluntati, non operando si voluntas velit, sed operando atq; determinando ut velit. Nam ut non repetam illas locutiones, de quibus ante diximus, quod Deus per gratiam a *convertit hominum voluntates*, hoc est, ut alibi dicit, b *volentes ex nolentibus* efficit: quod c *à malo in bonum flectit voluntates*: quod d *duritiam cordis*, hoc est, resistentiam voluntatis *primùs auferat*: quid efficaciùs quam quod dicit inclinare Deum corda & voluntates quo voluerit? e *Sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimã potestatem.* Et lib. de prædest. Sanct. dicit: f *Cùm Deus vult fieri quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet* INCLINANTE *qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quæ locutiones apud ipsum perfrequentes sunt. Quid est autem cor inclinare, ut ita ineffabili modo operetur velle, nisi cor ad ipsum velle determinare? Nihil enim mirabile vel ineffabile, si solummodo motũ prævenientem in cordibus excitet (quod in rebus humanis homines quotidie suadendo faciũt) cui volũtas pro suo beneplacito effectum donet aut neget. Itaq; modum operandi in voluntate longè potentiorem significat
Lib. de corr. & grat. c. 14 Aug. quando dicit, quod Deus *intus agit in hominibus, corda tenet, corda movet, eosq; voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est trahit.* Et quando dicit de illis in quibus Christus dominatur: *Non eris inops in respondendo, non enim tu eris qui loqueris; Manens in te Christus arripiet instrumentum tuum, linguam tuam velut gladium suum, utens corde tuo & voce tua tanquam possessor, resistet adversario, securum te faciet.* Et quando alibi in
Serm. 129. de diversis cap. 15. eundem sensum dicit: *Apprehendis animam meam & debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ & coruscationis vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat & pugnet, de illa? Nam qualibet optima facta framea, si non habeat bellatorem, iacet.* Et inferius: *Ergo quicquid vult facit de anima nostra. Cùm in manu eius est, utatur ea quemadmodum vult* Et quando alio
In Psal. 34. Conc. 1. in loco, potentiùs quam ullus determinationis aut prædeterminationis defensor, dicit: *Nos ergò loquimur foris, ille ædificat intus: quomodo audiatis nos advertimus, quid cogitetis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt, ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum.* Et quando ad Vitalem scribens dicit, quod Deus *vocatione illâ altâ atque secretâ sic hominis ageret sensum, ut legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Quid enim est, applicare sensum ad fidem post monitiones, terrores, intellectûs apertiones, vel sic agere sensum ut accommodet assensum, nisi voluntatem ad assentiendum credendumque determinare? Facultatem enim actricem ad agendum agere vel applicare, nihil est aliud quam illam ad agendum determinare.

Hinc est quartò, quod omnes operationes hominis bonas, quantumcumque fiant à libera voluntate, tribuere soleat Augustinus ipsi Deo, tanquam qui per voluntatem, ut per instrumentum, quod pro libero suo beneplacito agit, impellit, flectit, vertit, inclinat quòlibet, motus ipsius voluntatis operetur: *Ipse*, inquit, *cantat in nobis, cuius gratia cantamus.* Et in Psalmum quinquagesimum sextum: *Quando loquitur ex personâ suâ Propheta, ipse Dominus loquitur per eum, qui ei dictat veritatem quam loquatur.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Christus in Zacheo erat & de illo sibi dicebat, quod ex ore eius audiebat.* Et de verbis Domini: *Quando illi Martyres perhibent testimonium, ipse sibi perhibet testimonium: Ipse enim habitat in martyribus, ut perhibeant testimonium veritati.* Quod alibi expressiùs verbis Christi dicit: *Ille testimonium perhibebit de me & vos testimonium perhibebitis: utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis. Ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris. Ille inspirando vos sonando.* Et in eodem sermone jamjam citato: *Vt ergo ames Deum, habitet in te Deus, & amet se, de te, id est ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te.* Cujusmodi voluntatis opera, quomodo ab homine fiant, multis in locis ita explicat, ut hominem instrumentum Dei faciat, quod ab illo inspiretur, tangatur, agatur, & quocumque flectatur: *Per humilitatem nostram cum aliquid verum dicimus ipse loquitur. Videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando.* Has locutiones vim divinæ gratiæ nobis insinuantes ex Scripturis sacris Augustinus didicit ac deprompsit. In illis enim legimus: *An experimentum quæritis, eius, qui in me loquitur Christus?* Et alibi Christus ipse: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Nempe dicuntur ista, non ut homini libera voluntas, sed gloriatio de sua voluntate tollatur; ne putet à se sibi esse, quod Deus ei donat facere. Potestatem enim donando atq; adjuvando si velis, actio non donatur nisi homo velit & faciat. Deus autem non solùm donat homini per gratiam posse loqui, posse testimonium Deo perhibere

a *Lib. de prædest. Sanct. cap. 10.*
b *Lib. 2. ad Bonif. c. 19.*
c *Lib. de dono pers. c. 6.*
d *Lib. de prædest. Sanct. cap. 8.*
e *Lib. de corr. & grat. c. 14*
f *Lib. de prædest. Sanct. cap. 20.*

In Psal. 118. Ser. 17. & 18.
In Psal. 56.
Serm. 2. de verb. Apost. cap. 4.
Serm. 17. de verb. Dom. cap. 3.
Tract. 74. in Ioan.
Serm. 17. de verb. Dom. cap. 4.
In Psal. 85.
2. Cor. 13.
Matth. 10.
Ibid.

bere, posse Deum diligere, sed ipsum loqui, testimonium perhibere, diligere. *Non enim ait,* inquit Augustinus, *non vos estis qui dedistis vobis posse bene loqui; sed ait: Non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est, qui vobis dat vel dedit posse bene loqui: sed ait, Qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.* Nam ut alibi similes sacrarum Scripturarum phrases ponderans ait; *Non est consequens ut qui potest venire ad Christum, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui audivit a Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi tam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Quinto ex isto efficaci inoperandi modo prodiscitur, quod Aug. non raro gratiam Christi medicinalē *victricem* vocat, quia omnes oppositos obices voluntatū & affectuum invicta potestate perrumpit: *Donat per Spiritum charitatem, cuius delectatione vincatur delectatio peccati.* Et libro istius operis secundo: *Donat gratia ut delectatio peccati, iustitia dilectione vincatur.* Et lib. 2. de pecc. merit. dicit, *Dominum Deum, etiam Sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse suavitatem qua det fructum suum terra eorum.* Cuiusmodi victrix gratia nisi homini luctanti cum tentatione tribuatur, nunquam victoriam assequetur ut propterea profundè dixerit Aug. *Non sufficit arbitrium voluntatis humanæ nisi à Deo victoria concedatur oranti.* Et alibi, *dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt.* Quod detestantes quidam Pelagiani, cum hominem arma suscipere faterentur propria voluntate, victoriam etiam nominis voluntati tribuebant. Et Augustinus è contrario cum Concilio Diospolitano, non nisi gratiæ Dei

Quamobrem sextò, gratiam Dei Aug. ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam *non posse resistere*, sed è contrario Deum, non quicquid voluntatem facturam prævidet, sive absolutè sive conditionatè, sed quicquid omninò voluerit, in voluntate operari, quam ipse magis habeat in sua omnipotenti potestate, quam ipsa voluntas se: *Cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nelle in voluntate aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem. De his enim qui faciunt, quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Paulòq; inferius in eodem libro & loco: *Non est itaq; dubitandum volentati Dei qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit.* Et exemplo explicans quod tradiderat: *Nisi fortè (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Saulī regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere.* Et paucis adhuc interjectis de Amasa: *Numquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum suum quo induens est, ut hoc vellet, dicere, facere?* Cui mox adjungit: *Hoc vi est ergo qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.* Et iterum concludens disputationem illam: *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correptio, ut cælesti constituatur in regno?* Vnde in eodem libro cùm Angelos & primum hominem ita per adjutorium status innocentiæ adjutos esse docuisset, ut adjutorium istud in eorum *libero relinqueretur arbitrio*, à quo possent declinare si vellent, ita è contrario de lapsi hominis subjicit adjutorio: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSVPERABILITER AGERETVR.

Ex quibus septimò, non est difficile perspicere quam procul ab Augustini doctrina & sensibus aberraverint, qui nobis talem gratiam procuderunt quæ semper exploratexspectatque voluntatem hominis, ne si forte pervicacior fuerit, cassa & inanis gratia & effectus divinæ misericordiæ irritus humanà potestate reddatur. Nempe ut sit quædam potentialis gratia, cum qua homo credat, convertatur, operetur si velit, sin verò nolit, nullus sequatur voluntatis aut operationis effectus. Quales de gratia medicinali cogitationes, quibus effectus ab ea ponendus dicitur, SI VELIMVS, jam olim convellit Augustinus, cùm ad Simplicianum scriberet: *Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur ergo iam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum quando jam cum Pelagianis similem potentialem gratiam prædicantibus decertabat: *Quare inquiunt non omnes docet, ut ad Christum veniant? Si dixerimus quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis: Et ubi est quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesia &c.* De quibus ijsdem non volentibus ad Christum venire paulò superiùs dicit: *Nam si & illoc, quibus stultitia est verbū crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset procul dubio venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur, qui ait: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Itaq; contra illos qui operationibus divinę gratię atq; misericordię tales cōditiones apponunt, ut effectum suum fortiātur *si homo velit*, non uno loco illam Scripturam intorquet August. *non est volentis atque currentis, sed miserentis est Dei*; tanquam quæ inverti non possit in hunc modum: non miserentis est Dei, sed volentis atq; currentis hominis. Quæ tamen Apostolica sententia verissimè sic inverteretur propriissimèq; si gratiæ effectus ita ab humana voluntate penderet, ut dici posset, eum secuturum *si tamen homo velit.* Sed ipse Aug. audiatur: *Nam si propterea solum dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste rectèq; vivamus, nisi adiuvemur misericordia*

Dei : potest & hoc modo dici ; Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, ergò iam volumus : ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus: Deus enim operatur in nobis & velle & operari &c. Et in libro de gratia & libero arbitrio : *Quæ sententia nullo modo potest etiam sic converti ut dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis. Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere aperte se ostendit Apostolo contradicere.* Cujus rei causa est, quia ut idem dicit ad Simplicianum: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur si homo nolit.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 7.

Octavò itaque per hujusmodi gratiæ prædicationem, quæ nos operari facit si velimus nihil aliud agitur, nisi ut Christi gratia medicinalis tollatur funditus, & gratia sanæ voluntatis, hoc est, Adami & Angelorum substituatur in locum ejus, atque ita gratis Christus mortuus sit. Nam propriè dicta Christi gratia, quam per Passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum, si velimus, sed *quæ operatur in nobis & velle & operari : quæ facit ut in iustificationibus eius ambulemus ; qua creamur in operibus bonis, qua præparavit Deus, ut in illis ambulemus,* & hujusmodi innumera. Non enim gratia effectum propter quem datur, operatur si velimus, exspectando voluntates nostras, sed *ut velimus*, prout loquitur Concilium Arausicanum. Nam in isto solo, juxta profundissimam sanctissimi Antistitis doctrinam, sita est præcisa differentia gratiæ sanæ voluntatis & ægrotæ, stantis & lapsæ, hoc est, primi hominis & secundi, quod cum illa gratia benè operaretur homo si vellet ; hæc verò jam operetur, ut velit, iuxta solidissimam illam Augustini doctrinam ab eo creberrimè inculcatam: *Prima gratia est qua fit ut habeat homo iustitiam*, SI VELIT: *Secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit.* Qua de re fusè Augustini testimonia recensuimus ejusque mentem explicuimus.

Con. Arausic. can. 9.

Lib. de Corr. & grat. c. 11.

CAPVT XXV.

Decimo ejus efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prorsus effectu caret, sed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operatur.

HÆc itaque est vera ratio & radix, cur nulla omninò medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur. Quod quantumvis gratiæ istius congruæ auctoribus per mirum videatur, veritas tamen est in Scripturis sacris & Augustini scriptis explorata. Quanquam hoc igitur ex ipso essentiali discrimine jam assignato utriusque gratiæ, iuxta quod prima gratia justitiam dabat homini si vellet, secunda ut vellet, cæterisque pœnè omnibus quæ toto libro diximus, apertissimè consequatur, operæ tamen pretium est, distertis confirmare testimoniis, ne quasi ad rem à me recenter excogitatâ trepidet aut perturbetur auditor.

Primò igitur hoc probat quod apud Augustinum gratia & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodùm ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versa, ex defectu operis, gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tanquam causam & operationem voluntatis bonam velut effectum, esse, ut Philosophi loquuntur, convertibiles, & à se mutuo inseparabiles. Affirmativus iste arguendi modus apud S. Doctorem frequens est. Sic enim loquitur de pugna contra tentationes: *Agis si ageris, & benè agis si à bono agaris.* Quod ex Apostolo videtur didicisse, qui ad Romanos dicit: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt*, ut probaret hujusmodi reipsa operari & facta carnis reipsa mortificare. Vnde & Aug. ibidem adiicit, *Non sunt filij Dei, si non aguntur Spiritu Dei. Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adiutorem.* Et alio in loco, de illa eadem carnis mortificatione, quam pugnando adipiscimur, *ut scirent se hoc non facere* (facta carnis mortificare) *nisi gratiâ Dei, continuò subiidia,* Apostolus ; *quotquot enim Spiritu Dei aguntur, si filij Dei sunt. Ac per hoc quicumque aguntur Dei Spiritu, ipsi facta carnis mortificant Spiritu.* Et lib. 3. ad Bonif. *Quis autem ambulat secundùm Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu? Quotquot enim Dei Spiritu aguntur, hi filij Dei sunt.* Similiter de victoria quæ omnis pugnæ cum tentationibus finis est : *Salva fit autem à persequentibus anima, si non eis consentitur ad malum. Non eis autem consentitur, cùm assistit Dominus à dextris pauperis: ne ipsâ paupertate, id est infirmitate succumbat.* Et de præparatione cordis: *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei: qui si tangit cor, homo præparat cor.* Et lib. de corr. & grat. *Numquid aliquis dicturus est, non iterum fuisse cum Saul quorumquam eorum, quorum tetigit corda Deus, ut irent cum illo ; aut esse aliquem pestilentium, quorum ut hoc facerent corda non tetigit?* Nempe quia ipsa Scriptura sacra exsertè dicit : *Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul.* Vbi noster textus vulgatus legit : *Abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigit Deus corda.* Vt significaret illam exercitus cum eo partem abiisse quorum tetigit Deus corda. Et de ipsa prima hominis voluntate bonâ, in primo ad Simplicianum libro, ubi & rationem tangit, cur non possit gratia effectu suo sine absurditate destitui : *Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, iam volumus. Ad eandem quippe mise-*

Serm. 43. de verb. Domini

Rom. 8.

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

1. Reg. 10.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2.

misericordiam pertinet ut velimus. Quod si jam volumus, quando miseretur Deus, profectò gratia quæ est effectus misericordiæ & voluntatis effectrix, non potest ab hominis, cujus miseretur Deus, voluntate seu volitione separari. Quamobrem disertè subiicit in eodem loco: *Nullius Deus frustra miseretur.* Ratio est, quia, ut adjungit, *cuius miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* Et de cursu jam volentis hominis: *Ideo volunt & cucurrit Iacob quia misertus est Deus.* Et de fructu exteriæ correptionis: *Tunc est salubris correptio cùm supernus medicus respicit, non enim aliquid proficit, nisi cum facit, ut peccati sui quemq; pœniteat.* Et in epistola ad Vitalem: *Gratia dat merita ipsa cum datur.* Et eodem modo sanctus Ambrosius apud Augustinum: *Quos respicit Iesus plorant delictum.* Probat enim exemplo Petri: *Negavit primo Petrus, & non flevit quia non respexerat Dominus, negavit & tertio, respexit Iesus, & amarissimè flevit.*

His igitur & hujusmodi crebris locutionibus affirmativis, sicut significat Augustinus, hoc ipso quo data est homini gratia, mox effectum sequi, sic è contrario negativè subinde ratiocinando docet, hoc ipso quo effectu homo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti. Luculentiora sunt istius doctrinæ testimonia, quam ut ullo artificii fuco obscurari queant. Nam in libro de gratia Christi, ubi ex professo cum Pelagianis de adjutorio medicinalis gratiæ, hoc est, gratiæ Christianæ, adeoque veræ gratiæ quæ per crucem Christi humano generi revelata atque donata est, ita definitivè loquitur: *Qui novit, quid est quod fieri desideat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram, quamvis multi quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ, quam dicit Apostolus iustitiam suam, quæ ex lege est, tanquam sit imperata non data.* Et paucis in eodem loco interpositis, sic subjungit: *De isto docendi modo (nempe per gratiam) etiam Dominus ait: Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me: Quicergò non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit.* PRORSVS NON RECTE DICITVR DE ISTO DOCENDI, MODO, QVO PER GRATIAM DOCET DEVS. *Si enim, sicut Veritas loquitur,* OMNIS *qui didicit venit: quisquis non venit, profectò non didicit.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum: *Quid est omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: nisi nullus est qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profectò omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit. Nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit ac didicit, & non venit: sed omnis, ut ait Veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.* Et iterum inferius: *Si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi.*

Non enim fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me. AUSIT ERGO VT QUISQVAM NON VENIAT QVI A PATRE *audivit & didicit.* Et rursum instantius & inculcatius: *Qui credunt, prædicatore foris sonante, intus à Patre audiunt atque discunt, quos autem non credunt* FORIS AVDIVNT, INTVS NON AVDIVNT NEQVE DISCVNT. *Hoc est illis datur ut credant; illis non datur.* *Ibidem.*

Secundò hoc probat illa laboriosa sancti Doctoris cum Pelagio concertatio, in qua ex professo de natura gratiæ Christianæ disputatur, non cujuslibet, sed illius quæ generaliter opponitur legi atque doctrinæ, quam solam à Pelagio prædicatam esse recentiores multum urgent ac docent. Tradit igitur Augustinus iterum atque iterum, studiosissimèque commendat illam gratiam quæ non est gratia aut lex neque sapientiæ scientiæq; revelatio, neque futurorum demonstratio, neque præmij promissio, cujusmodi Pelagius commendabat, opus ipsum afferre voluntati. Sic enim loquitur in illis ipsdem locis jam allegatis, ubi toties reperentem audivimus, neminem didicisse secundùm gratiam qui non facit: *Sed nos eam gratiam volumus ipsi aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur, nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus.* *Lib. de grat. Christi, c. 10.* Et interjecta nonnulla de Apostolo Paulo disputatione subjungit: *Qua gratia agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* *Ibid. c. 12.* Et iterum continuò post: *Hæc doctrina si doctrina discenda est, certè sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem,* hoc est sinceram faciendi voluntatem. *Ibid. c. 13.* Nam ita mox rationem dando subnectit: *Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* *Ibidem.* Et paulò inferius: *Hoc modo quisquis discit,* per gratiam scilicet, *agit omninò, quicquid agendum didicerit.* Et rursum disputationem istam sententiamque suam irrefragabili definitione conjugans: *Ac per hoc,* inquit, QVANDO DEVS DOCET, NON PER LEGIS LITTERAM, SED PER SPIRITVS GRATIAM, *ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat. Et isto divino docendi modo* (per gratiam quæ non est lex) *etiam ipsa voluntas,* id est volitio, *& ipsa operatio, non sola volendi & operandi natura adjuvatur.* Quam doctrinam tanquam in Catholica Ecclesia indubitatam in scriptis ceteris passim magnâ asseverandi constantiâ tradit. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum, ubi pariter non semel inculcaverat,

eos qui non credunt, *intus nec audire nec discere*, sic illam Christi gratiam depingit. *Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à* NVLLO DVRO CORDE RESPVITVR. *Ideò quippe tribuitur ut* CORDIS DVRITIA PRIMITVS *auferatur.* Quod est perinde ac si apertissimè diceret; nunquam illa caret effectu suo, ideò quippè tribuitur ut duritiâ cordis seu voluntatis ablatâ, quâ solâ impeditur operatio non careat effectu suo. Vnde statim adijcit: *Quando ergo pater* INTVS AVDITVR ET DOCET, *ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum*, hoc est voluntatem duram & inflexibilem, *& dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit.* Et non multò inferius explicans quid sit *trahi* per gratiam, quid *audire*, quid *discere*, prout distinguuntur à tractu, auditu, doctrinâque, quæ per legem afferuntur: *Ergò trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum.* Et in epistola centesima septima ad Vitalem: gratiam Christianam opponens Pelagianæ, de qua ex professo disputat: *Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed* AGNOSCAMVS GRATIAM, QVÆ FACIT PRODESSE DOCTRINAM: *quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Et in eadem epistola non multò superiùs: *Opus est hoc gratiæ,* QVAM QVI ACCIPIVNT, *doctrinæ salutari Scripturarum sanctarum, & si fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et in libris ad Bonifacium: *Ergò benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et in libro quarto explicans, ipsisque vocabulis etiam designans *propriè* dictam illam gratiam, prout contra gratiam externam legis distinguitur atque opponitur: *Legem quippè diversis locutionum modis & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam: ut scilicet à Domino Deo adiutorium cogitationis habeamus quo ea quæ facienda sunt, novimus, non inspirationem dilectionis*, hoc est sanctæ volitionis, *ut cognita sancto amore faciamus* QVÆ PROPRIE GRATIA EST.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. *Ibidem.* *Ibidem.* *Epist. 107. ad Vitalem.* *Ibidem.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Lib. 4. ad Bonif. c. 5.*

Tertiò quemadmodum ex ista cum Pelagianis concertatione perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat, ita similiter illud ipsum ex disputatione cum Semi-pelagianis apertissimum est. Nam præterquam quod ipsi gratiam quandam potentialem intus cum libero arbitrio concurrentem afferrent, quæ adjuvaret hominem ad credendum si vellet, nec tamen hæresis notam effugere potuerunt (ut supra fusiùs declaravimus) ipse Augustinus disertis verbis docet illam gratiam esse confitendam, qua Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur. Nempe quia ipsa vera & sola Christi gratia est, quam sanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit. Hoc toto libro de prædestinatione Sanctorum, maximèque de dono perseverantiæ manifestè liquet. Ex illorum primo, multa jam statim audivimus. In altero Semi-pelagianorum verba tanquam veritati Christianæ contraria reprehendit, quibus dicebant, *Nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ ut nos faciamus hortamini*, hoc est, istam gratiam qua Deus donat homini velle & operari, ad quæ hortationibus provocatur. Et in toto libro nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet quàm qua Deus id reipsa operatur ac donat, quod homini præcipit, ipseque se facturum promisit atque prædestinavit, hoc est, ipsum velle, ipsum credere, ipsum operari: denique gratiam, non qua credimus si nos volumus, quàm libentissimè fatebantur laudabantque Massilienses, sed qua, ut alibi de vocatione quæ fit per gratiam dicit, *id prorsus agitur & peragitur ut credamus.*

Lib. de dono pers. c. 23. *Lib. de præd. Sanct. cap. 13.*

Cùm igitur talis sit natura gratiæ, quam ægrotanti generi humano, Christus per mortem suam attulit, jam nemini mirum videbitur, sed potiùs maximè rerum naturæ consentaneum, quod Augustinus gratiam Christi nomine *Incrementi* plerumque vocare soleat, atque illud ipsum quemadmodum & gratiam omnibus externis adjutoriis opponere. Hinc illud in epistola ad Sixtum: *Nec omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incrementum.* Et illud quod paulò ante dicentem audivimus, *gratiam* cum ineffabili suavitate infundi, *non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Et illud in opere imperfecto contra Iulianum, ubi docet Deum operari voluntates in mentibus hominum, *non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant: non sicut facit Doctor homo, docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei, quod frustra fit, nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cum enim verbis Doctor plantat & rigat, possumus dicere, fortè credit auditor: cum vero dat incrementum Deus, sine dubio credit & proficit.* Quibus verbis ut ostenderet se dedisse differentiam legis & gratiæ, litteræ & Spiritus statim adjicit: *Ecce quod interest inter legem & promissionem, inter litteram & Spiritum.* Quam gratiæ & incrementi indifferentiam pluribus in locis usurpat Augustinus, & ex Apostolo sumpsit, ubi effectum divinæ gratiæ à quorumlibet ministrorum cooperatione secernit: *Ego plantavi Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Quo nihil aliud ex Augustini mente dicit, quàm *qui gratiam dat Deus*, vel *qui Spiritum dat Deus.* Cùm igitur *Incrementum* etiam ipso nomine significet effectum adjuvantis gratiæ, nihil mirum si Augustinus universim doceat, medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.

Lib. de pr. cap. 13. *Epist. 106. ad Sixtum.* *Lib. de corr. & grat.* *Lib. 3. oper. imperf. contra Iul. fol. 366.* *1. Corinth. 3.*

CAPVT

CAPVT XXVI.

Declaratur ratio diversitatis phrasium, quibus utitur Augustinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratiæ.

HINC jam igitur germana quoque ratio intelligitur cur Augustinus omnes pœnè phrases, quibus de bonis operibus, & meritis, & perseverantia hominum & Angelorum loquitur, immutaverit, ita ut quæcumque ante lapsum naturæ & voluntatis arbitrio tribuebat, post lapsum tribuat soli gratiæ Dei, etiam exclusâ subinde hominis voluntate. Sic enim non semel dicit, Angelos & primum hominem *per liberum arbitrium* stetisse, *per illud* perseveralle, & hujusmodi plura, quarum phrasium exempla fusè dedimus, cùm de primo homine nobis esset disputatio. Oppositæ quoque phraseos exempla sunt creberrima. Nam hinc istud epistolæ ad Hilarium: *Quod hominibus, inquit Christus, impossibile est, Deo facile est: ostendens quando* [illa] *recte fiunt, non fieri potentiâ hominis, sed Dei gratiâ.* Et in calce istius epistolæ: *Perfectionem de qua Dominus locutus est, vehementer adamavi,* B *& non meis viribus, sed gratiâ ipsius adiuvante sic feci.* Et in epistola ad Vitalem: *Fateatur quando contra tentationes concupiscentiasq; illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adiutorio Dei nostram provenire victoriam.* Hinc est illud frequentissimum, quo justitiam gratiæ, hoc est, opus justum quod ex Christi gratia proficiscitur, vocat justitiam a *non nostram* sed *Dei.* Hinc alibi negat homines ad vitam æternam b *operari voluntates suas*: alibi profitetur, hominibus quibus gratia tribuitur, c *non relinqui voluntatem suam, ut in Dei adiutorio maneant si velint.* Cujusmodi phrases passim obviæ sunt. Quem loquendi & sentiendi modum ex Apostolo dicit, qui omnia ad gratiam Dei revocat, tum aliis locis passim quibus dicit, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum &c.* Et, *Non ego sed gratia Dei mecum.* Tum imprimis ubi dicit: *Non volentis neque currentis,* C *sed miserentis est Dei.* Nam propter illum potentem dominatum gratiæ super voluntatem, quo fit ut ei non jam relinquatur voluntas sua, negat Augustinus, ut supra vidimus istam locutionem Apostolicam ita inverti posse, ut dicatur, non miserentis est Dei, sed volentis & currentis est hominis. Hâc itaque loquendi diversitate, non hoc significatum Augustinus voluit, quod olim per solas liberi arbitrii vires Adam rectè operari, & in justitia stare potuisset, vel Angeli steterint: nec è contrario, nunc solam gratiam sine liberæ voluntatis adjunctione justitiam operari, quorum utrumque Catholica fides destruit: sed hoc voluit, in primæva hominis & Angelorum integritate sic liberum arbitrium bene egisse vel stetisse, ut quamvis *non sine gratia* hoc fieret, sine qua neutrum poterat, utrumque tamen liberæ voluntati, non gratiæ esse tribuendum, utpote cujus actio vel cessatio liberæ voluntatis arbitrio relinqueretur. Nunc vice versa, quamvis opus bonum *non sine voluntate nostra fiat*, ut notanter profundèque Augustinus loquitur, quod tamen reipsa fiat, non voluntati asscribendum esse, sed gratiæ, utpote quæ nunc, non olim, voluntati dominatur; non determinationem ad operandum, quemadmodum olim à voluntate præstolando, sed voluntati suaviter potentissimèque tribuendo. Nunc enim infirmam voluntatem gratia ad influendum operandumque rapit, tunc à forti & vegeta voluntate rapiebatur: quia tunc nullo concupiscentiali languore deorsum pressa, flectebat se velut plena sui domina quoquoversum videretur: nunc verò amisso isto indifferenti ad utrumlibet flexu, & in alterius partis dilectionem incuruata, propter inhærentem visceribus suis terrenum amorem, quem funditus sibiipsi exstirpare non potest, ad singulos dilectionis cælestis impetus erigi debet, juxta illud Apostolicum, *Deus operatur in vobis & velle & perficere*, hoc est, & inchoatam & perfectam voluntatem. His ergò loquendi formulis, non voluntatis liberæ cessationem vel interitum in operando, sed gratiæ dominatum voluit Augustinus indicare, quod explicat, quando dicit: *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et quando dicit: *Gratia Dei sic laborat cum homine, ut quod non peccat, non volentis neq; currentis, sed miserentis sit Dei.* Et quando dicit: *Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam ut in iustificationibus meis ambuletis &c.* Hæc & hujusmodi prorsus falsa sunt, de quacunque gratia potentiali, qua videlicet homini tribuatur operari posse si velit, sive Deus operationem secuturam videat, sive non videat, sive Deus hoc velit, sive non velit. Semper enim cum tali gratia, non hoc secutum est, quod gratia volûtatẽ facit facere, sed quod voluntas gratiam facit facere. Nam istud gratiæ genus, cum quo Deus voluntatem operaturam prævidet, pro sua naturali ad utrumlibet indifferentia istius naturæ est, ut operatio & influxus gratiæ ex impulsu voluntatis oriatur, non contra: quam naturam nunquam exuet, etiamsi gratia talis ad sexcentos gradus augeretur, nec unquam aliud quicquam tribuet voluntati, nisi *posse si velit.* Aliud longè potentius & alterius naturæ adjutorium poscit Apostolus, quando scribit Philippensibus: *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Nam ut optimè notat Augustinus, *Non ait, Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi,* accepta

Lib. de Spir. & lit. cap. 9. & 12.

ad Philip. 2.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib de gestis Pelag. c. 15.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

Philip. 1.

Lib. de grat. Christi. c. 4.

acceptâ scilicet volendi potestate per gratiam, *iam velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant: sed aiet, Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere.* Hoc est, Deus ita in vobis per gratiam operatur, ut non solum operetur in vobis volendi faciendique potestatem si volveritis, sed ut A ipsam vobis volitionem operationemq; largiatur. Nam ista sola est causa, cur jam & voluntas, & opus bonum, & meritum, & conversio voluntatis, & victoria tentationis sint, & vocentur ab Augustino, & Scripturis dona Dei, ut supra fusè declaravimus.

CAPVT XXVII.

Duobus scrupulis occurritur, quomodo nulla Christi gratia effectu careat: itemque cur Augustinus loquatur de sola gratia efficaci, non sufficiente.

NEc verò moveat quemquam quod A constet, multos divinitus mente collustrari, imò verò & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt, ut propterea falsum puret gratiam in eo cui datur, semper operari effectum, ob quem datur. Considerandum est enim, multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat, est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent: & hoc ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergò primus est cælestis istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus. Nam quemadmodum inundatio divinæ gratiæ, totam hominis voluntatem secum in B petuosi cujusdam torrentis rapit, sic ut omnia humani cordis retinacula, quibus terrenis rebus irretitur, velut violentâ quâdam tempestate dirumpat; ita lenis ille velut auræ tenuis afflatus, complacentiam quandam voluntatis tenuissimam, rei tam pulchræ, quæ simul objicitur contemplanda, contemperatam suaviter imperrat, & celerrimè quasi furtim post se rapit. Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat, ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cælestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet, quas, nisi divinitus infundantur, obtinere humanâ potestate nemo potest. Non enim quævis gratia, ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, C sed potestates operationū difficultati attemperandæ sunt. Rectissimè igitur profundèq; dixit Augustinus: *Qui novit quid est, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam sed secundùm legem.* Nimirum nondum didicit secundùm gratiā id ipsum quod faciendum jubetur: quamvis aliquid aliud infectioris notæ secundùm gratiam didicisse, nihil veret. Qui ergò scit Deum super omnia diligendum, spe ac fide colendum & similia, & nondum ita diligit, sperat & credit ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundùm gratiam, sed tantummodo secundùm legem: quamvis interim aliud quippiam quod prævium esse solet, ut verbi gratia, quod in Deo vel charitate ac fide ipsius sibi quoquo modo placeat, illoséque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundùm gratiam potuerit didicisse. Sic enim videmus plurimos qui necdùm ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam: cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda sint. Itaque optimè subjungit Augustinus: *Hoc modo* (per gratiam) *quisquis discit, agit omninò* QVICQVID AGENDVM DIDICERIT. Nempe quia quicquid nondum agit, id nondum agendum didicit, secundùm gratiam, sed tantummodo secundùm legem.

Respondebit fortassis aliquis, magis in Scholasticorum scriptis quam Augustini revolvendis exercitatus, hæc omnia quæ produximus, cum de gratia tantum efficaci tradidisse, nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant.

Respondeo nihil verius dici posse, quam quòd omnia quæ hactenus protulimus, de gratia efficaci Augustinus dixerit atque intellexerit. Cujus rei causa est, quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regulas omnes fundamētales quibus innixus naturā gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere. Nam ex quo primi hominis voluntas concupiscentiali ægritudine vitiata atque debilitata est, non ei sufficit amplius, neque posteritati ejus illud adjutorium, cum quo *habeat iustitiam si velit*, sed opus est alio potentiore *quo fiat ut velit & tantum velit, tantoq; ardore diligat ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat.* Nam, ut idem profundissimus Doctor eodem in loco radices veritatis istius detegendo dicit, si in tanta infirmitate vitæ hujus, hominibus relinqueretur

Lib. de grat. Christi c. 13.

Lib. de grat. c. 13.

retur *voluntas sua*, ut in adjutorio Dei, sine A
no perseverare non possent, quod non pauci
recentiores prædicant, manerent, si vellent,
nec Deus in eis operaretur ut vellent, *inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis ut possent.* Isti vitio, isti languori, isti voluntatis infirmitati, quæ totius humani generis viribus conspersa est, remedio potentiore succurrendum fuit, ne tum carnalium rerum cupiditate prostratum, volendi infirmitate perderetur, quod consequenter Augustinus adjicit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma* per istam concupiscentialem ægritudinem, *non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Cujusmodi doctrina fusius alibi explicata est. Quapropter quisquis B
jam alia divina gratiæ adjutoria infirmis hominibus asserre nititur quæ deserant si velint, & in quibus permaneant si velint, cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi ut originalis peccati virus evacuet, illæsas liberi arbitrij vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat. Iam enim per naturam liberamque voluntatem, non minùs quam primus homo justitiam operari potest.

Nec enim alio ille indiguit adjutorio, quam illo, quod, ut Augustinus loquitur, *in eius libero voluntis arbitrio, ita ut illud desereret si vellet, & in eo permaneret si vellet.* Cujusmodi adjutorium nihil impedit quo minùs per liberum arbitrium ac naturam, ut supra declaravimus, sit justitia. Hoc ergo si nunc etiam fieri potest, quemadmodum olim sine dubitatione potuit, fidenter juxta Augustini doctrinam dico, gratis Christus mortuus est.

Quamobrem quicumque animadvertit omnia quæ de adjutorio gratiæ medicinalis ex Augustino diximus, de gratia quadam potentissima, quam efficacem recentiores suo sensu vocant esse intelligenda, consequenter hoc etiam animadvertere debet, non aliam Christi gratiam medicinalem in scriptis ejus reperiri. Proinde fatendum sibi esse, quod aliam nobis procudendo, novum gratiæ genus Christianis afferat, quod nec Augustinus, nec ullus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis generalibus vel provincialibus ab Apostolica Sede probatis agnovit vnquam, nec agnoscere potuit, nisi principia, quibus ipsa per antiquos Patres, medicinalem Christi gratiam defendit, funditus evertantur. De quo genere sufficientis adjutorii nonnihil adhuc in sequentibus, Deo dante differturi sumus.

CAPVT XXVIII.

Transitus ad argumentorum solutionem. Solvitur primum, quod discrimen gratiæ stantis & lapsæ naturæ directè tollitur, quantum ad operandi modum.

HACTENVS gratiam Christi medicinalē, quantum ad operandi modum ex Augustini mente explicuimus, ut inventionis methodo, à proprietatibus notioribus, tanquam notis & signis naturæ ad notitiam quidditatis ipsius paulatim progrediendo veniamus. Ostendimus autem talem esse quantum ad operandi modum, ut directè opponatur illi gratiæ quam natura fortis Angelorum & hominis innocentis habuit: hoc est, illi gratiæ potentiali quæ dat homini posse si velit: seu quæ, juxta descriptionem sæpiùs iteratam sancti Augustini, relinquitur *in libero voluntatis arbitrio*, utpote *sine qua bonus esse non potest*, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere potest: quam desereret primus homo cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Velle enim & nolle, stare & cadere, perseverare & non perseverare, propter vires integræ voluntatis, B
in libero relinquebantur arbitrio. Isti inquam gratiæ ostendimus directè repugnare gratiam Christi: tanquam quæ non relinquit voluntatem in isto æquilibrio, sed illud auferat & efficiat ut velit. Ideo quippe tribuitur, ut duritia seu resistentia cordis primitùs auferatur.

Quod utriusque gratiæ discrimem brevissimè A
profundissimeque expressit Augustinus, hanc vocando adjutorium *quo fit ut velit*, illam *sine quo non fit* ut velit. Nunc quia recentiores non pauci primum illud adjutorii genus, sub nomine gratiæ *sufficientis* vel congruæ, tanquam veram Christi medicinalem gratiam supponere volunt mordicusque defendunt, duo præstanda nobis reliqua sunt; primum est, ut doctrinam illam capitalem Augustini, qua supradictum duplicis adjutorii discrimen tradidit, ab eorum argumentis tueamur. Alterum, ut eis loca nonnulla ejusdem sancti Doctoris auferamus, in quibus opinionem suam certissimè significatam solidissimèque fundatam esse non dubitant.

Auctores igitur qui discrimen istud utriusque gratiæ, prout à nobis explicatum est, molestè ferunt, doctrinam ejus vel facile objiciunt, vel in alienissimum sensum torquere conantur. Quidam igitur, cùm illa doctrina de gratia congrua præteritis annis fervere cœpit, sic apertè argumentati sunt: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia qua poterat perseverare, si vellet, ergo & nunc.* Quod argumentum directè adversus illam solemnem Augustini doctri-

Leonardus Lessius cum suis in Prop. 21. quam facultates Theologicæ Lovaniensis & Duacensis censuerunt,

doctrinam, quam libro de correptione & gratia capite decimo, undecimo, & duodecimo tradit, intortum est. Docet enim ex professo istis locis Augustinus, illud gratiæ genus cum quo potuit Adam perseverare si vellet, nullo modo nunc propter consecutam infirmitatem voluntatis esse satis: eo quod, si nunc hominibus *relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent.* Ratio est, *quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Quæ fusè suo loco tradita sunt. Quisquis igitur sic argumentatur, profectò demonstrat Augustini doctrinam sibi displicere, & aliud gratiæ genus, quam quod pro lapsis hominibus agnovit necessarium inferre velle; nempe hoc ipsum quod statui innocentiæ proprium esse docuit, cum quo videlicet posset homo lapsus perseverare, si vellet. Hoc & à Massilientibus olim factitatum est, nam & ipsi molestè tulerunt, illam utriusque gratiæ differentiam, libentissimeque pro statu lapsorum nominum illud gratiæ genus amplexi sunt, cum quo possent credere si vellent, quemadmodùm alibi accuratiùs demonstravimus. Quanquam illi non ita enormiter exorbitarunt, ut asserere auderent generaliter, nunc etiam, quemadmodum in statu innocentiæ sufficere gratiam, cum qua possit homo perseverare si velit. Imo hoc tanquam contrarium Catholicæ fidei Massilienses improbabant: sed hoc dumtaxat asserebant, quod ad fidem vel ejus initium talis gratia sufficiat: deinceps verò ad operandum, & in operibus bonis perseverandum gratia homines, *amissu & perditis viribus non solum erigat prostratos, verum etiam sustulciat ambulantes.* Quanta igitur audacia post condemnatos jam à tot seculis Massilienses asserere, quod quia in statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutē gratia qua poterat perseverare si vellet, etiam nunc sufficiat? Itaque non satis penetrant aut perpendunt naturæ corruptionem & humanæ voluntatis infirmitatem quam peccatum attulit, & in qua discrimen istud fundavit Augustinus, qui talibus ratiunculis doctrinam ejus saluberrimam imprudentes evertunt.

Lib. decorr. & grat. c. 12.

Vide sup. cap. 12. & l. de dono Perseu. c. 6.

CAPVT XXIX.

Solvitur secundum quo similiter tollitur istud discrimen, substituendo pro adjutorio medicinali gratiam habitualem, excitationes, protectiones, concursum generalem ordinis supernaturalis.

QVAPROPTER ijdem auctores, & cum illis etiam alij, ut illam celeberrimam differentiam duplicis adjutorii, ex qua intellectus gratiæ pendet quam Augustinus tradidit, quoquo modo salvare viderentur, diversis modis illam ejus doctrinam exponere conati sunt. Aliqui dixerunt, in eo discrimen esse situm, quod Adamus in statu Innocentiæ per dona habitualia potuerit perseverare, si vellet, nobis ista non sufficiant, sed præter illa indigeamus curâ singulari, protectione & excitatione crebrâ Dei, cum quibus fit ut de facto velimus atque perseveremus. Alii addunt gratiam Adamo necessariam fuisse, cooperationem Dei in actu primo paratam, hoc est, concursum Dei generalem ordinis supernaturalis, quem puto priores illos auctores etiam nullo modo negare voluisse, sed non addidisse, eo quod nihil ad præsens discrimen pertinere animadverterent. Eò igitur res tota redit, ut putent adjutorium Adæ fuisse gratiam habitualem, lapsorum verò hominum esse gratias excitantes, suasiones, protectiones Dei.

Idem Lessius: itemq; Bellarmin. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 8. & l. 5. c. ult.

Bellarm. lib. de grat. primi hominis cap. 4.

Respondetur primò non hîc esse quæstionem de quidditate utriusque adjutorii, quænam videlicet illa fuit, an gratia habitualis, an concursus, an protectio, suasio, excitatio, illustratio & hujusmodi: hoc enim in illa tota prolixa disputatione sancti Augustini ne semel quidem ullo verbo tangitur: sed quæstio est, cujusmodi sit utriusque statûs adjutorium quantum ad adjuvandi modum. Augustinus docet adjutorium Angelorum & primi hominis fuisse duntaxat *sine quo non*, secundi hominis, *quo*: quod sexcenties nobis eo modo interpretatur, ut dicat illud primum tale fuisse, ut cum eo *possent perseverare si vellent, non quo fieret ut vellent*; tale quod *in libero arbitrio reliqueretur*; *tale quod desererent cum vellent, & in quo permanerent si vellent.* Alterum verò esse tale, *quo efficiatur ut velint, quo donante invictissimè quod bonum est velint, & hoc invictissimè deserere nolint.* Cujusmodi descriptiones, discrimen indicant apertissimum in operandi modo, quæcunque tandem fuerit utriusque statûs gratia, quod illi disputationi prorsus est impertinens. Hanc differentiâ in quam totis viribus directè collimat Augustinus, Doctores illi funditùs tollunt, imò se toto conatu tollere velle profitentur, dum perspicuè docent, cum utriusque status adjutorio qualecumque tandem fuerit, homines stantem & lapsum ita adjuvari, ut sine illo non possint perseverare & cum eo possint perseverare si velint; ut in utriusque libero relinquatur arbitrio, ut utrumque deserant si velint, & in eo permaneant si velint. Et in eo putant esse gratiæ utriusque similitudinem,

dinem, usque adeo ut si discrimen aliquod in A
isto operandi modo statuatur, sine dubitatione liberum destruatur arbitrium. Hanc utriusque adjutorii confusionem, quantum ad adjuvandi modum, dicimus istâ Augustini authoritate manifestè jugulari, nec posse sine totius doctrinæ ipsius eversione sustineri.

Jam verò quod secundò additur, adjutorium primi hominis fuisse gratias seu dona habitualia, concursumque generalem seu cooperationem quam supra diximus cum operibus supernaturalibus, non minùs perspicuè falsum est & ab Augustino refutatum. Quod quia fusè demonstravimus in libro de gratia primi hominis, supervacaneum esset hic repetere.

Quod igitur in secunda istius responsionis parte dicitur, gratiam lapsorũ, qua fit ut velint & operentur & perseverent, esse gratias excitantes, suasiones & protectiones Dei, multipliciter repugnat Augustino. Primò quidem, B
quia tales gratiæ prout eas ipsi explicant, velint nolint continentur sub membro primo istius divisionis, sub quo & Adami gratia continetur. Sunt enim adjutoria *sine quibus non* fit opus, non quibus fit, etiam tunc quando cum ijs reipsa liberum arbitrium operatur. Nam adjutorium *sine quo non*, non mutat naturam suam, sive actio sequatur, sive non sequatur, quemadmodùm ex exemplis Augustini, alimento, luce, & similibus manifestum est. Nam sive alimentis ad vivendum, luce ad cernendum utaris, sive non utaris, nunquam illa sunt adjutoria *quibus*, sed *sine quibus non*. Quod ulterius in explicanda istius divisionis natura declaravimus. Hinc fit secundò, quod istæ gratiæ non aliud propriè tribuunt quàm *posse*, non *velle*. Docent enim ipsimet cum omnibus istis gratiis perfectissimè consistere posse, ut voluntas ijs excitata & suasa atque protecta nolit: quod certissimum est illi gratiæ me- C
dicinali repugnare quàm Augustinus lapsis hominibus dari tradit. Illa enim duritiam cordis, hoc est nolitionem aufert & ex nolente volentem facit. Quod si non facit, non est illa quam quærimus. Et certè quid absurdius, quam excitationes istas, quæ in gravissimis peccatoribus cum obstinata sæpe voluntate consistunt pro gratia Christi medicinali, quæ velle tribuit, obtrudere, cùm nec ipsa charitas habitualis, quæ cum mala voluntate stare non potest, sit illa medicinalis gratia quæ tribuat velle voluntati? Seu illa *qua* fiat, ut voluntas velit, imò nec illa *sine qua non fiat*, sed indifferenter & valdè per accidens se habeat ad actualiter velle & operari? Hoc enim aliunde voluntati quàm ab habitu dari debet; haud secùs atque aliundè quàm ab ipsis excitationibus & suasionibus, & protectionibus peti debet, quòd cum ipsis etiam concurrentibus actualiter voluntas velit & operetur. D

Denique nec primis hominibus hujusmodi excitationes & protectiones & suasiones deerant, nec tamen erant aliud quàm gratiæ potentiales, quibus daretur posse si vellent, non velle quod possent. Nam totam terrenam cæ-

lestemque machinam in usum istum divina providentia disposuerat, ut loqueretur altissima voce Creatorem suum, & Angelicas humanasque mentes ad eum laudandum excitaret, amandumque succenderet. Nam hinc ista toties repetita in Augustini lucubrationibus doctrina, quod etiam Angeli sancti ex contemplatione conditæ creaturæ, quasi vespertinâ quâdam decoloratâque cognitione laudaverint Dominum. Et illud in confessionibus: *Sed & cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Quod quid est aliud quàm quædam suasio & excitatio? Nec nudâ externâ quâdam suasione hoc erga primos homines egisse cælum & terram, sed adjunctis etiam internis excitationibus & amandi suasionibus, quas mentibus inspirat Deus, ex illo Augustini loco patet, ubi dicit: *Si voluntas* eorum *in amore superioris incommutabilis boni à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret &c.* Nempe tali illustratione & accensione voluntatis accendebatur, ut in ejus amore posset stabilis permanere si vellet. Nam illa accensio non ei dabat velle, ut ex eo patet, quia *accendebatur ut amaret*, hoc est, eo fine ut amaret, seu ut stabilis in amore per creationem dato permaneret. De protectione verò primorum hominum quid dicam? Quia ista gratia valdè externa est, nulla pœnè magis ab ipsis recentioribus commendatur erga primum hominem quàm protectio Dei, qua eum tradunt adversus omnes diaboli insidias, concupiscentiæ seu appetitus commotiones fuisse protectũ à Deo. Putant enim ex eis non pauci dona interna non potuisse talem effectum appetitui conferre, ne præsentibus objectis illecebrosis adversus rationem surgeret. Sed & Augustinus gratiam *regiminis* & *custodiæ*, & similes fuisse hominibus innocentibus impertitam à Deo, perspicuè docet, quando dicit: *Regebat eum ipse qui fecerat.* Et rursum de primo homine, *Deus operatur hominem atque custodit, ut bonus beatusq; sit.* De quibus plura diximus, cùm de primi hominis gratia tractaremus.

Vide lib. de gen. ad litt. c. 24. usque ad 30. & lib. 10. Confess. cap. 6.

Lib. 12. de Civit. c. 13.

Ser. de verb. Apost. c. 2.

Lib. 8. de gen. ad lit. cap. 10.

Sup. lib. cit. cap. 10.

Quod verò quidam istis excitationibus, suasionibus atque protectionibus, addunt etiam concursum generalem ad opera supernaturalia, quem ipsi velut magnam gratiam, *concursum specialem*, & gratiam *concomitantem*, & hujusmodi appellare solent, ut aliquid magnum protulisse censeantur, multò minùs ad discrimen utriusque gratiæ declarandum facit. Quis enim ignorat talem concursum, sicut eum ipsi explicant, non facere ut homo velit, sed viceversa hominem facere ut Deus concurrat? Ponunt enim hujusmodi concursum omnibus agere volentibus præparatum, ita ut tunc detur, cùm quis agere voluerit, cùm noluerit, tunc negetur: nec ullas vires ad agendum tribuat, sed supponat. Si quis enim viribus internis actioni proportionatis caret, non illum concursus ille supplebit aut dabit, quemadmodùm in omnibus causis agentibus

sive

sive naturalibus sive liberis ex ipsa Scholasticorum confessione manifestum est. Non est ergò illa Christi gratia, quàm inquirimus. Accedit, concursum illum esse institutioni naturarum consentaneum, utpote sine quo nulla omninò creatura propter defectum naturalem quicquam operari potest. Ex quo fit ut ille non ad gratiam Christi medicinalem, sed ad naturæ institutionem pertinere videatur, prout & supra diximus. Itaque non minùs Adamo & Angelis innocentibus quàm peccatoribus datus fuit, nec magis ad adjutorium lapsæ naturæ quàm stantis referendus est. Denique Christi gratiâ quam per crucem attulit humano generi, vulneribus peccatorum sanandis destinata ac data est, ut supra latissimè demonstravimus. Incidit enim natura peccatrix in horrendam agendi cœcitatem per ignorantiam, & in infirmitatè per concupiscentiam, quæ duo mala, nisi per Christi gratiam dispellantur nunquam in A æternum, liberum arbitrium ad justitiam diligendam operandamque convertetur aut provocabitur. Hæc autem vulnera non modo non sanat concursus ille generalis ad opera supernaturalia, sed nec attingit quidem, utpote qui relinquit vires operandi, intellectum & voluntatem quales aliundè præparatas invenit. Non est ergò ille, Christi gratia ad operandum homini necessaria, qua fiat ut velit. Denique talem gratiam Christi nec ipse Pelagius detrectavit. Nec enim unquam in Augustino vel vestigium invenies, unde colligatur, quod cum ipso de tali gratia decertaverit, sed merum inventum est recentiorum ut quoquo modo gratias à se excogitatas aliquo colore tueantur. Vt sane mirum sit, homines eruditos relictâ regiâ viâ, quæ in Augustini scriptis, ostio tantummodo referato, valde manifesta est, ad talia diverticula B tam nova, tam periculosa divertere.

Vide Vasq. alibi sæpe & concordes Patres Augustinum Pelagianorum, lib. 5. de Pelagiana cap. 3. & 10.

CAPVT XXX.

Solvuntur duo loca Augustini ex libro de Spiritu & littera, in quorum utroque recentiores objectionem errantium cœperunt pro solutione Augustini.

SED aliâ nonnulla ipsius sanctissimi A Doctoris proferunt loca, quibus non dubitant ab ipso illam Christi potentialem gratiam tradi, quæ det homini operari posse si velit. Hanc ipsi si affectui vel internæ externæque hominis dispositioni congruat, etiam *congruam* vocare solent; quâ congruitate fit ut reipsa velit & operetur; sic tamen ut liberum arbitrium, stante eâdem gratiâ, possit, neque velle neque facere. Pro ista gratia asserenda multa ex Augustino loca congerunt, atque in primis ex libri de Spiritu & littera capite trigesimo tertio, ubi disputans, unde voluntas credendi oriatur, dicit: *Liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideò nec istam voluntatem qua credis Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur, accepit.* Profert hunc B locum Franciscus Suarez pro illa indifferentia voluntatis, quam ipsi cum gratia sua sufficiente & congruâ remanere volunt, quo videlicet det posse si velit. Alter locus ibidem est, ubi dicit: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium* quo *vel benè vel malè utentes justissimè judicentur.* Quo loco significari volunt, Deum *omnibus dare, unde possint velle, credere & salvari*, si videlicet velint cooperari gratiæ divinæ prævenienti. Ex quo necesse est talem esse gratiam illam, ut ex libera voluntate oriatur, quòd cum ea velit aut nolit, prout hunc locum citat et explicat Bellarminus. Et pro eodem sensu citat hunc locum Franciscus Suarez. Et in primis Molina, Leonardus, Lessius & alij.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Suarez lib. 3 de concurs. cap. 9. n. 6.

Bellarm. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 5. Suarez l. 4. de præsc. cap. 1.

Molina 1. 4. q. 14. art. 13. Leonard. de grat. & lib. arb. q. 2. art. 6.

Respondeo rem videri admiratione dignam, & tamen veram, quòd cùm Augustinus adjutorium quod primus homo habuit, & quod secundus attulit luculentissimè distinxerit, unum appellando adjutorium *sine quo non* fit id quod agitur, alterum *quo fit*, tantâque manifestatione declaraverit ut nihil addi posse videatur; Scholastici tamen recentiores, qui columina sunt illius gratiæ sufficientis & congruæ quibus datur posse si velis, in utroque membro intelligendo tam enormiter aberraverint, ut directè oppositum ejus quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex ejus verbis exsculpserint. Nam utrumque membrum pervertendo, utrobique Pelagianorum objectionem pro Augustini solutione cœperunt. Ex quo secutum est, ut & Adamo (contra Augustini mentem & verba sæpè repetita) tribuerint *adjutorium quo*, quod fractis viribus necessarium ac proprium est, & assignaverint hominibus lapsis adjutorium *sine quo non*, quod libertatem illæsam esse supponit. Quis non miretur, hoc tam oculatis viris accidere potuisse? Quis verò miretur, postquam accidit, eos in mirabilium hallucinationum seriem, uno errore ex alio consequente præcipitatos totamq; Christianæ & medicinalis gratiæ faciem esse perturbatam?

Et quidem eos in primo membro ita aberrasse,

erraſſe, ut objectionem adverſantium Auguſtino, propius doctrina ceperint, in primo libro declarauimus eſt. Nunc quantum ad ſecundum membrum iſtius diſcriminis, eos non diſſimiliter objectiones contra Chriſti gratiam, pro ſolutione, erroreḿque pro veritate cepiſſe, atque ita loco Chriſtiani & medicinalis adjutorii *quo fit opus*, adjutorium ſufficiens & congruum, quale Adamus habuit procudiſſe, *ſine quo* videlicet *non* fit, non eſt difficile demonſtrare. Itaque memoria repetendum eſt, ſanctum Auguſtinum, antequam Epiſcopatum ſuſcepiſſet, in illo Pelagiano errore hæſiſſe, quem poſteà Maſſilienſes amplexi ſunt. Quamvis enim de Dei gratia, quæ dat opera, commendanda ſatageret, fidem tamen qua primitùs Deo credimus, exiſtimabat non à Deo per gratiam dari, ſed præcedente præconio veritatis, ex libero arbitrio proficiſci. Hoc ipſemet de ſe teſtatur in libro de prædeſtinatione Sanctorũ, ubi ſe *ſim luce erraſſe & aliter ſapuiſſe* profitetur, quam divinæ gratiæ ſinceritas poſtulat. Adverſus hunc igitur errorem de initio fidei, ſeu de prima credendi voluntate, unde naſcatur, utrum ex libero voluntatis arbitrio, an ex gratia Dei, ſæpè diſputat Auguſtinus, illaḿque quæſtionem, in quatam proclivem periculoſuḿque lapſum ſuo malo ſenſerat, non ſemel ſolvit, ut ita gratiæ Chriſtianæ ſeu medicinalis, non tantum ad opera, ſed ád ipſam quoque primam credendi voluntatem, quam largiri debet, neceſſitas noſceretur. Hanc omnium primò excuſſit & ſolvit, ante exortum hæreſis Pelagianę, in libro primo quæſtione ſecunda ad Simplicianum, quando primum cœpit ex illo errore reſipiſcere; quemadmodùm ex libro de prædeſtinatione jam citato manifeſtum eſt. Pelagianá verò jam ferventecontentione, diverſis locis eam diſputando ventilavit, & refellendo exortis Pelagianis remedium, exorituris verò Maſſilienſibus antidotum propinavit.

Itaque primum omnium poſt Pelagianam hæreſim natam, quæſtionem illam tam lubricam tetigit libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſſione, quem ſcripſit in primis illius erroris exordijs, ut ex libro ſecundo retractationum liquet. Cùm enim vitam bonam, qua mandata Dei ſervando benè vivimus, ex Dei gratia eſſe latè docuiſſet, tandem quæſtionem etiam de bona voluntate proponit; utrum & illam accipiamus ex Deo ſecundum illud Apoſtoli, *Quid enim habes quod non accepiſti?* Mox igitur ut magis difficultas ex adverſarij reſponſione, & veritas ex difficultatis diſſolutione clareſceret, Pelagianos reſpondentes induxit: *Ideo quicquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum eſſe, quia & hoc in illo eſſe non poſſet, ſi homo ipſe non eſſet*: hoc eſt, ſi non haberet liberum voluntatis arbitrium: *Cum verò ſit aliquid, atque ut homo ſit, non habeat niſi ex Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quicquid in illo eſt bona voluntatis, quod non eſſet, niſi eſſet in quæ eſſet?* Hanc reſponſionem ſtatim ex eo refellit, quod ſimiliter mala voluntas poſſet Deo tribui, quia & illa non eſſet, ſi non eſſet homo, in quo eſſet. Hoc eſt, ſi non haberet à Deo liberum arbitrium, ex quo ſurgeret. Vnde demonſtrans non ſic poſſe ſalvari locum Apoſtolicum, *quid habes quod non accepiſti*, reſponſionem illam uberiùs refutando & explicando ſubtexit: *Quapropter niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt; ſed etiam voluntatem bonam quæ iam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus, quod dictum eſt, Quid enim habes quod non accepiſti?* Vbi conſequenter oſtendit voluntatem bonam divinitùs nobis à Deo excitante & adjuvante donari. Quam diſputationem totam clariſſimum eſt adverſus Pelagianum errorem eſſe directam.

Simili prorſus ratione eandem proponit & Pelagianorum allatá reſponſione ventilar, ſolvit́que quæſtionem in libro de Spiritu & littera, unde objectiones iſtæ ſumptę ſunt. Quod ita manifeſtum eſt, ut mihi prodigij loco ſit, quomodo in mentem alicui erudito venire poſſit, verba quæ ex illa diſputatione pro ſententia ſua decerpſerunt Auguſtini ſenſum continere; niſi quia excogitata arreptáque opinio, quoquo modo in ſanctiſſimi Doctoris auctoritate fundanda videbatur. Sic enim ſtatim initio citati capitis, cùm ſimiliter toto libro docuiſſet, juſtitiam operum, quibus homines Dei præcepta cuſtodiunt, dari per ſancti Spiritus donum, jam ſupra dictam proponit quæſtionem: *Sed conſequens eſt paululum quærere, utrum voluntas illa qua credimus, etiam ipſa Dei donum ſit, an ex illo naturali arbitrio ſit adhibeatur arbitrio.* Quid manifeſtius? Quid liquidius, quam quæri, utrum pro accipienda bona voluntate, ſententia Catholica quæ illam gratiæ tribuit, an Pelagiana quæ libero arbitrio ſit tenenda? Nam bonam voluntatem, & voluntatem qua credimus, eandem eſſe novit, qui novit illud Auguſtini ad quendam ſimili errore laborantem: *Tu autem initium ſidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis, non vis donum Dei eſſe, ſed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus.* Ad hujus igitur quæſtionis diſcuſſionem primò profert, eodem modo ut ſupra in loco præcedenti vidimus, id quod Apoſtolus dicit, *Quid habes quod non accepiſti?* Nam, inquit, *ſi dixerimus eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt ne exiſtimemus invenisse nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti & dicenti, Quid enim habes quod non accepiſti? reſpondere poſſimus, Ecce habemus bonam voluntatem credendi, quam non accepimus &c.* Ad hanc difficultatem diſſipandam, primò ſolutionem illam profert, quæ Pelagianis & Auguſtino quondam probabatur, & poſteà à Maſſilienſibus arrepta defenſaq; fuit, quod bona voluntas ratio-

Lib. de gratia primi hominis & reparatione cap. 5.

Lib. de libero arbitrio cap. 20.

Epiſt. 105. ad Vitalem.

ne accepti à Deo liberi arbitrij referretur ad Deum : *Prius igitur*, inquit, *illud dicamus & videamus, utrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideò nec istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur accepit.* Quid etiam hîc evidentius, quam Augustinum in isto loco nihil asserere, sed aliorum tanquam dubiam proferre responsionem & examini subijcere? Quid item est manifestius, quàm secundùm illam, Deo tribui voluntatem bonam, quia dedit homini liberum arbitrium ex cujus libertate consurgat? Hoc autem esse sensum Pelagianum sive Semipelagianum jam perspicuum est, ut nimis rudis sit, qui hoc sibi probatū velit. Nam statim in ejusdem libri exordio, eandem istam responsionem Pelagianis disertè tribuit : *Sed cùm vrgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere, quoniam vident quàm sit impia, & non ferenda. Sed aiunt, ideò ista sine ope divina non fieri, quia & hominem creavit cum libero voluntatis arbitrio &c.* Et similiter libro de natura & gratia, libro de gratia Christi, aliisque plurimis locis. Erat enim solemnis responsio Pelagiani erroris, quod bona opera, vel certè fides, voluntasque credendi, inter divinæ gratiæ beneficia esset numeranda, quia Deus hominem cum libero voluntatis arbitrio condidisset, ex quo huc vel illuc se flectente surgeret. Naturam quippè humanam liberumque arbitrium, illam gratiam esse sentiebant qua benè viveretur, & sine qua benè vivere nemo posset, prout fusè in libris de dogmatibus Pelagianis demonstravimus.

Epist. 107. ad Vitalem.

Lib. de Spir. & lit. c. 2.

Lib. de nat. & grat. c. 51

Lib. de gratia Christi cap. 4. & 16. vide & epist. 95.

Vide lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 2. 3.

Cùm verò celebris esset quæstio, si voluntas bona qua creditur, est donum Dei, cur non omnibus detur, cùm Deus *velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quemadmodum in eodem loco de Spiritu & littera proponitur, Semi-pelagianam illam responsionem jam datam prosequendo subjungit : *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire : non sic tamen ut eis admat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes iustissimè iudicentur*, hoc est, vult omnes homines salvos fieri, si tamen ipsi per suum liberum arbitrium velint : quam fuisse usitatam Pelagianorum & Semi-pelagianorum interpretationem, adeoque omnium qui gratias quasdam universales & sufficientes introducebant, quarum effectus à voluntatis nutu assentiente vel dissentiente penderet, nos alibi fusè declaravimus, ut nihil hic opus sit eadem repetere.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Vide lib. de hæresi Pelagiana

Cùm igitur hactenus Augustinus responsionem Pelagianam, quæ posteà Massilienſium fuit, disputando ventilasset ac propugnasset, tandem ad veram solutionem propositæ quæstionis illius, unde voluntas credendi proficiscatur, accedens, ita loquitur: *Hæc disputatio si quæstioni illi solvendæ, sufficit, Lib. de Spir. & lit. c. 33.* *sufficiat.* Ecce disputationem non solutionem quæstionis. Ecce dubitationem, *si sufficiat*, non assertionem *quòd sufficiat*. Unde refellens eam eodem prorsus modo, quo supra ex libro de peccatorum meritis vidimus, *Si autem*, inquit, *respondetur, cavendum esse ne quisquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, si in eo quod dicitur, quid habes, quod non accepisti? Propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei tribuitur, quia* DE LIBERO EXISTIT ARBITRIO, QVOD CVM CREAREMVR ACCEPIMVS. Ecce rejectam responsionem ipsissimis illis verbis, quibus à Pelagianis concepta, & à nostris recentioribus velut Augustini doctrina arrepta fuit, quod videlicet ideò voluntas credendi sit donum Dei, quia vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod homo naturaliter cùm crearetur accepit. Vnde suam veramque solutionem afferens, cum iterata prædictæ responsionis condemnatione, ijsdem iterum verbis quibus concepta fuerat, subijcit *Attendat & videat, non ideò tantùm istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus &c.* Quæ sanè manifestissimè ostendunt Augustinum in loco qui objectus fuit, non tradere doctrinam suam, sed adversariam; non docere, sed disputare; non asserere, sed refellere; adeoque mirabili hallucinatione, recentiores nostros, objectionem pro solutione, Pelagianam responsionem pro Augustini doctrina, errorem pro veritate accepisse. Vt nemini profectò mirum videri debeat, si post istam capitalem offensionem, qua jugulum divinæ gratiæ petitur, tota illius intelligentia perturbata sit; & loco gratiæ, quæ sibi humanam cui datur, subijcit voluntatem, gratias congruas & sufficientes, & omnibus hominibus communes, quæ suis effectibus ex arbitrij libertate frustrentur, jam olim ex adversarijs veræ gratiæ excogitatas defendi audiamus.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Solvitur alius locus ex libro primo quæstione secunda ad Simplicianum, ubi similiter hallucinati sunt.

ALIVS locus à multis proferri solet ex libro 1. quæstione secundâ ad Simplicianum, ubi sic loquitur Augustinus: *Aliter Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Vt velimus enim & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè vivere.* Ex quo colligunt dari quandam gratiam sufficientem cui voluntas resistere possit, ita videlicet ut quemadmodùm loquitur Suarez, mentem excitet, semper tamen consensus voluntatis nobis committatur, eo modo quo hocipsi explicare solent. Nam est quidem certum consensum voluntatis homini committi, sed non ita sicut ipsi putant, ut voluntas quodammodo suâ libertate gratiæ, sed potiùs ut gratia, suâ efficaciâ voluntati dominetur. Hunc ergò locum afferunt Suarez, Bellarminus, Lessius.

Respondeo & istum locum ab Augustino pro suo errore, quo ante Episcopatum tenebatur disputando proferri, & posteà in eodem loco refutari. Quod ut perspicuè cerni queat, observandum est, Augustinum ante Episcopatum existimasse fidem seu primam bonam voluntatem, quæ ab initio fidei incipit, sic tribuisse libero arbitrio, ut tamen vocationem Dei præcedere fateretur: quâ positâ non existimabat fidem à Deo peculiari benevolentiâ inspirari, sed eam à libera voluntate pendere ut crederet, quisquis vellet. Post conceptam tamen fidem fatebatur hominem non posse ulteriùs progredi quantumcumque progredi vellet, sed id quod vellet, hoc est, potestatem benè operandi seu opera bona, divinitùs ei esse tribuenda. Ideoque putabat electionem ex fide fieri, ita ut volenti credenti que gratiam operandi Deus infunderet. Tradit hanc doctrinam clarissimis verbis in libro expositionis quarundam propositionum ex epist. ad Rom. num. 60. 61. & 62. quam arripuerunt libentissimè Massilienses, ut Hilarius in litteris ad Augustinũ datis, & Augustinus ipse rescribens retractansq; testatur.

Cùm ergò in isto libro ad Simplicianum Augustinus primum ex illo errore resipisceret, semetipsum ex professo refellendum suscipit. Quod ut præstaret solidissimè, primo Catholicam doctrinam, quam Deo, ut profitetur, revelante hauserat perspicuè tradit: *Noverit enim* (Deum) *sibi præstitisse ut crederet qui miseretur inspirando fidem, cuius misertus est ut adhuc infideli vocationem impertiret. Iam enim discernitur fidelis ab impio. Quid enim habes quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hoc itaque jacto fundamento, mincipit ulteriùs disputare, undè nascatur, quod alicui illa desit Dei misericordia qua velit & credat. An ex humana voluntate, quæ nolit credere, an aliunde? Objicit igitur: *Rectè quidem hoc*, nempe quod tradiderat, homini fidem à Deo miserante inspirari; *sed cur hæc misericordia subtracta est ab Esau, ut non sic vocaretur, ut & vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret* (Esau) *ut benè operaretur?* Et quærit primò, an hoc oriatur ex humana voluntate: *An fortè quia noluit?* Refellit hoc ex Apostoli verbis: *Si ergò Iacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, & habuit aliquid quod non accepit.*

Adversus istam veracem refutationem objicit solutionem Semi-pelagianam, quam ipse hactenus tenuerat, nempe, quod quamvis nemo nisi volendo credat, præcedere tamen debere vocationem Dei, ratione cujus illa voluntas est donum Dei, quam vocationem alius suâ libertate contemnat: *An,* inquit, *quia nemo potest credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare ut vocetur, vocando Deus præstet & fidem? Quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus. Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus &c. volentes autem sine dubio crediderunt.* Hoc est ipsissimum, quod se Augustinus ante Episcopatum tenuisse tradit, quando dicit: *Neque enim putabam fidem Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod posteremus utiliter: nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis*, hoc est, vocatio, ut hic vocat: *Vt autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium & nobis ex nobis esse arbitrabar.* Hoc est, esse volentis, seu propriè volũtatis. Vndè in epist. ad Rom. ubi istum errorem ex professo docuit, illæ phrases ejus erant familiares: *Nostrum est credere & velle: Neque velle possumus nisi vocemur, & huiusmodi.* Quibus tunc significabat Deo tribui voluntatem credendi, ratione impertitæ misericordiæ vocationis: sed illâ semel datâ, esse propriæ voluntatis, seu esse volentis, quod credamus, Dei verò gratiæ quod credentibus facultas benè operandi tribuatur.

Adversus hanc igitur Semi-pelagianam imaginationẽ statim objicit suo nomine Aug. *Quid est ergò quod sequitur* (in Epist. ad Rom. cujus partem susceperat exponendam) *Igitur non volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei?* Nam istâ Scripturâ significari videtur, post vocationem non oriri discrimen ex humana voluntate, sed ex misericordia Dei. Huic objectioni respondet iterum ex adversantium persona, longè aliam interpretationem illorum verborum suggerendo quàm præ se ferant; nempe non significari quod non sit volentis, seu quod non pendeat ex solâ humanâ

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Lib. de præd. Sanct. cap. 3

In expositione quarundam Propos. in Epist. ad Romanos.

manâ voluntate, ut post vocationem Dei credat, verum non esse volentis ut adipiscatur rem illam quam credendo adipisci cupit, sed hoc esse solius misericordiæ Dei. Audi verba respondentis ad istam Scripturam ex adversarij persona: *An quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi ut perficianus adjuvet Deus?* Hoc est, ut per charitatem benè operemur. Quibus paucis verbis continetur ipsissimus error Massilienſium qui & Augustini olim fuit. Sentiebant enim nos quidem, quamvis non absque vocatione Dei, credere & velle posse justitiam, non tamen perficere. Hoc est, quod etiam dicere solebant, gratiam Dei non ad inchoandum per fidem, sed ad perficiendum esse necessariam. Hunc igitur sensum uberiùs consequenter explicat ipsissimis illis verbis, quæ nobis in initio præsentis capitis objecta sunt: *Opus est ergo velle & currere. Non enim frustra diceretur. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut quod volumus,* id est, rem quam volumus, seu potestatem benè vivendi, *adipiscamur, & quo volumus perveniamus. Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere,* non voluntatis inspiratione, *sed* VOCANDO *præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus,* hoc est, rem quam volendo appetiverimus. *Ut velimus enim, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus,* hoc est, rem volitam seu desideratam, *solus præstat.* Quid est autem res illa volita? *Id est,* inquit, *posse bene agere, & semper beatè vivere.* In quibus verbis manifeste, non aliter istud (*ut velimus*) vult esse Dei, nisi vocando, hoc est, ut supra exposuimus, nisi *quia præcederet præconium veritatis*: quo præcedente, *nostrum,* seu nostræ voluntatis esse vocantem sequi. Sed *quod volumus,* seu ipsum posse benè agere & benè vivere, & ad beatitudinem pervenire, quod volendo cupimus adipisci, à solo Deo per gratiam esse præstandum. Non quasi sine nostra voluntate hoc effici posse sentirent: hoc enim absurdissimum, & ab eorum mente remotissimum; sed quia bonas operationes, seu potestatem benè agendi, non autem potestatem volendi & credendi, per veram gratiam homini dandam arbitrabantur. Namque dilectionem Dei & opera bona tam Augustinus cùm erraret, quam Semipelagiani libentissimè asscribebant Deo, fidem voluntatemq; nullo modo, nisi quatenus hominem vocando præveniret. Nam hinc illud in opere quod errando se scripsisse profitetur: *Quod ergò credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus in se dat Spiritũ S.* Et mox adjungit: *Est autem gratia, ut vocatio peccatoris provocetur, cum ejus merita nulla, nisi ad damnationem præcesserint. Quod si vocatus vocantem secutus fuerit, quod est jam in libero arbitrio, meretur & Spiritũ sanctum per quem bona possit operari.* Et rursus cum Dei vocantis misericordiã præcedere debere docuisset, ut homo velle possit & credere, sic subnectit: *Non ergò eligit Deus benè operantes, sed credentes potiùs, ut ipse illos faciat benè operari. Nostrum enim est credere & velle, illius autem dare volentibus & credentibus facultatem benè operandi.* Quibus locis idem omninò significatur, quod in illo loco qui nobis objicitur, nempe, quòd ut velimus & credamus, Deus & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo, id autem quod voluerimus, hoc est, ipsum posse benè agere, & semper beatè vivere, quod credendo assequi cupimus, solus nobis præstet Deus. Hoc autem ex erroneo se dixisse sensu apertissimè in retractationibus profitetur, quando postquam admissâ Dei vocatione dixerat: *Quod ergò credimus,* vocanti Deo, *nostrum est: quod autem bonum operamur; illius est, qui credentibus in se dat Spiritum sanctum,* per quem facultas benè operandi conferatur, statim corrigendo subjungit: Hoc *profectò non diceremus jam scirem fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.*

Quapropter etiam in ipso eodem ad Simplicianum loco, noluit nos celare perspicacissimus Doctor, se ex errantium sensu ista respondisse. Nam illa statim aggressus verba, *non volentis neque currentis sed miserentis est Dei,* quorum perversam interpretationẽ responsio prædicta continebat, palàm ostendit non ita explicari posse, ut solum *id quod volumus,* seu ipsum benè agere beatèque vivere, Dei misericordiæ tribuatur, quia voluntas hominis sola non sufficit, sed ita potiùs ut etiam ipsum *velle* tribuatur miserenti Deo, qui hoc in nobis ipsis operatur: *Illa etiam verba,* inquit, *si diligenter attendas, Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; non hoc Apostolus propterea tantùm dixisse videbitur, quòd adjutorio Dei ad id quod volumus, perveniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Vbi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* Non solà videlicet vocatione seu præconio veritatis præcedente, cui assentiendo vel dissentiendo homo velit aut nolit, sed per interiorem gratiam, quæ facit ut velit. Nam *si propterea solum dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; quia voluntas hominis sola non sufficit, ut inde rectèq; vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei,* præstante videlicet, ut benè possimus operari, seu ut perfectionem ejus quod post vocationem volendo inchoavimus, benè agendo consequamur, *potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur;* nempe credendo præcedenti vocationi Dei: *At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, ergò iam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus est enim*

A

B

C

D

Ibid. n. 61.

Lib. 2. n. 21. ad Simpl.

Lib. 2. n. 3. ad Simpl.

In lib. expos. quarundam propos. in epist. ad Romanos n. 60.

est enim qui operatur in nobis & velle & operari &c. Quibus verbis & consequentibus pleniſſimè docet etiam ipſum velle, quod illa ſuperior reſponſio errando homini, ſolâ vocatione præcedente arrogaverat, Deo miſerenti & operanti, non tantùm vocanti aſſcribendum eſſe: ac proinde non eſſe ſic partiendum cum Deo *velle* & *operari*, ut dicamus velle eſſe Dei & noſtrum, *Dei vocando*, *noſtrum ſequendo*; id verò quod volumus, hoc eſt, ipſum benè agere eſſe ſolius Dei: ſed potiùs ſicut hoc ex profeſſo explicat: *Vtrumque* & velle & benè agere, *noſtrum eſt, propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei & charitatis.* Quis enim dubitet & velle & operari noſtrum eſſe, cùm ſit impoſſibile velle aut benè operari niſi arbitrio voluntatis? Sed & operari & A ipſum velle Deus in ipſa voluntate operatur, non ſi homo velit, & conſentiat, & operetur *(quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur ſi homo nolit)* ſed ita ut ſine dubio homo velit & conſentiat & operetur. Et hæc ſufficiunt, ut perſpicuè lector intelligat, quantâ abſurditate, & veritatis indagandæ tradendæque præjudicio, & gratiæ perdendæ periculo, hujuſmodi loca quibus errores gratiæ capitaliter pernicioſi ab Auguſtino refelluntur, ad gratiam Neotericorum explicandam aſſerendamque rapiuntur. Quid enim Lector ſobrius, & in Auguſtino verſatus ſuſpicari aliud poteſt, quàm à viris, licet bonis, imprudentibus & neſcientibus, eorum ſibi doctrinam tradi quorum principia tantoperè verbaque placuerunt?

Ibidem Tu eadem quæſtione 2. lib. 1. ad Simplic.

CAPVT XXXII.

Solvitur difficultas de vocatione congrua, ex eadem quæſtione ſecunda ad Simplicianum.

AL1VS eſt in eadem quæſtione ſecunda Auguſtini locus, ubi ſæpiùs mentionem facit congruæ vocationis: *Igitur non volentis neque currentis ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocavit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem:* Et paulò poſt: *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quo modo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent & ſequerentur.* Et iterum inferius: *Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti quamvis vocati.* Et infra: *Quæ etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocati aptum eſt ut ſequantur.* Et paucis interpoſitis: *Cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Et cum ejus rei multa exempla protuliſſet, tandem concludit generaliter. *Cùm ergò alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademq; B res ſæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere deſuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq; conjungeret, in qua Iacob juſtificatus eſt?* Et libro de dono perſeverantiæ: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi* CONGRVA SVIS MENTIBVS *vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Quæ congruitas etiam illis libris de Spiritu & littera indicari videtur: *Cur illis ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illis autem non ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat &c.* Ex quibus locis collegerunt Scholaſtici quidam gratiâ ſuam congruam, quæ videlicet tali tempore & loco datur, quo per ſcientiam conditionatam prævidet Deus voluntatem hominis ei conſenſum præbituram: quamvis pro ſua natu- C rali indifferentia ad agendum & non agendum, poſſit ei non conſentire, & aliquando alia voluntas eodem modo affecta non conſentiat. Nam per iſtam Dei præſcientiam conditionatam dicunt *ſe omni Auguſtiâ & perplexitate liberari*, in declaranda videlicet libertate voluntatis. Ex quo fit etiam, ut alii ſimpliciter efficacem gratiam eſſe dicant eam, cum qua voluntas operatur, ita ut ab effectu efficax dicatur.

Lib. 1. 2. Simplic. *Lib. de dono perſ. cap. 14.* *Lib. de Spir. & lit. c. 34.* *Tol. Franciſc. Suarez lib. 3. de concurſu.* *Lefſius lib. de gratia efficac. & de int. conſ.*

ad Cenſuram Lovanienſium aſſert. 1. *Molina in concord. & alij.* *Suarez lib. 1. de concurſu cap. 16. n. 4.*

Reſponderunt nonnulli hoc argumento territi Auguſtinum hoc libro diſputare potiùs quàm reſolvere, ventilare quæſtionem quàm definire. Sed quamvis revera ſanctus Auguſtinus in hoc libro veritatem inveſtigando, multum in utramque partem diſputet, tantâ quidem contentione vt fatiget intentionem lectoris, & niſi vigilanter attendat proclivis admodùm ſit lapſus quo diſputatio pro reſolutione capiatur; ſatis tamen perſpicuè videntur allegata loca mentem reſolventis ac docentis exprimere. Quare alii dicunt Auguſtinum eo libro diſputare potiùs quàm planè, plenèque gratiæ Chriſti vim, naturamque explicare. Sed quamvis verum ſit, uberius eum contra Pelagianos de natura gratiæ diſputaſſe, utpotè qui ſe fateatur *proficienter Deo miſerante ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cæpiſſe*; nihil tamen omninò, quod ſciam, ex iſta quæſtione retractavit; ac proindè quicquid in ea de gratia Chriſti docuit, verum eſſe cõfeſſus eſt.

Lib. de dono perſ. cap. 21.

Reſpondeo igitur, quicquid objectum eſt ex illa quæſtione de vocationis divinæ congruitate, nos admittere, ſed nihil eorum inde cõſequi pro ſtabilienda tali gratiæ congruitate, vel voluntatis indifferentia, qualem ipſi præſcientiæ conditionatæ beneficio ſtatuunt, idque propter duas cauſas.

Prima est quia Augustinus non loquitur de congruitate internæ, gratiæ qua cor mollitur & frangitur, sed externæ vocationis, quæ alicui congrua dicitur, quia affectibus ejus adaptata est. Quod ita perspicuum est ex illo ipso istius quæstionis loco, ubi de congruitate disputat, ut non videatur in dubium posse revocari. Nam statim in initio istius objecti loci, congruam vocationem explicans ita loquitur: *Vt quamvis multi uno modo vocati sunt, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Ecce multi uno modo vocantur, & tamen unius affectibus congruit, non alterius; & illi sequuntur quorum affectibus congruit. Externa est igitur illa vocatio & congruitas ejus. Nam interna vocatio ipsos affectus quibus congruit vocatio, non invenit sed inserit. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, ipsos affectus quibus vocatio congruit, & per quos idonei sunt homines ut sequantur vocationem, ut eam capiant, ut eam capere apti sint, prout Augustinus loquitur, per ipsam gratiam, intrinsecùs inspirari. Illis autem inspiratis, mox incipit placere quod promittitur & jubetur, displicere quod vetatur, & ita fit capax vocationis, ita fit ad eam sequendam idoneus, ita denique ut Augustinus loquitur, incipit ipse *congruere & contemperari vocationi*: cui nunquam per affectus rerum terrenarum, quibus ante affectus gratiæ inspiratos, plenus est, congruet aut contemperabitur. Proinde quod aliquoties ibidem ait, ita Deum vocare, *prout scit congruere ut vocantem non respuat &c.* de externa vocationis congruitate sermo est, cui utpote res divinas proponenti, & ad divina diligenda provocanti, nunquam congruet homo ante gratiam acceptam & affectus novos, quos se recipientibus tribuit.

Quod si cui fortè in ista decertatione obscuritas, vel in Augustini verbis ambiguitas aliqua adhuc superesse uideatur, ea statim luculentissimè in consequentibus tollitur, dum exponens diversitatem vocationum, quarum aliis aliæ congruant, nullas omninò nisi externas meminit, quatenus omnia signa comprehendunt, & ab internis voluntatis motibus distinguuntur: *Cur ergò*, ait, *Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter* IISDEM REBVS DEMONSTRATIS VEL SIGNIFICATIS *ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem parvulum credidit,* SPIRITV EI REVELANTE COGNOSCENS. *Nathanael ad unam sententiam, quam ab illo audivit &c. respondit, Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* MIRACVLO FACTO IN CANA GALILEÆ, *crediderunt in eum discipuli eius; multos* LOQVENDO *incitavit ad fidem, multi nec* SVSCITATIS MORTVIS *crediderunt. De cruce atque morte eius conterriti etiam discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit, cùm eum non præstantiorem videret in operibus, sed* CONSORTIO CRVCIS ÆQVALEM. *Vnus etiam de numero discipulorum post eius resurrectionem, non tam viventibus membris, quàm* RECENTIBVS CICATRICIBVS *credidit. Multi ex eorum numero, à quibus crucifixus est, qui videntes eum* MIRACVLA FACIENTEM *contemplerant,* DISCIPVLIS EVM PRÆDICANTIBVS, *& in nomine eius* TALIA FACIENTIBVS *crediderunt.* Quis non videt, omnes istos tam diversos vocationis modos non nisi externos esse, prout etiam omnia signa intellectui servientia complectuntur? Vnde clarissimè subjungit: *Cùm ergò alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademq; res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumq; moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq; coniungeret?* Quid est alius sic, alius autem sic movetur ad fidem, nisi alius revelatione, alius unâ sententiâ, alius miraculo, alius loquendo, alius mortui suscitatione, alius videndo Domini cicatrices, alius discipulorum prædicatione, alius alijs rebus demonstratis vel significatis, quos diversos vocationis modos explicuerat? Nam ideò disertissimè adjungit, quod eadem res *alio modo dicta* moveat, *alio modo dicta* non moveat, eo quod uno modo dicta congruat, alio non congruat movendæ voluntati. Istos autem dicendi modos, ex quibus ista congruitas nascitur, externos esse, nemo sanæ mentis dubitare permittitur. Itaque ut omnis dubitatio tolleretur in subsequentibus, alios externos vocationis modos profert, quibus vel effectum congruitatis, qui est movere voluntatẽ, vel ipsam etiam congruitatem expressis verbis tribuit: *Conqueritur autem iuste de peccatoribus Deus, tanquam de his, quos peccare ipse non cogit. Simul etiam ut hi, quorum miseretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad eius gratiam convertantur.* Hoc est ut Dei de peccatoribus querimonia, sit alijs congrua vocatio, ad conversionem. Et paulò inferiùs: *Hæc demonstratio potentiæ Dei* contra Pharaonem, *& annuntiatio nominis eius in universa terra, prodest eis ut timeant, & vias suas corrigant, quibus* VOCATIO TALIS CONGRVIT. Ecce gravis illa flagellatio Pharaonis, & inde secuta nominis Dei gloriosa prædicatio, congrua quorundam est vocatio, quam externam fuisse dubitari non potest. Vt proinde ex istis valde perspicuum sit, immerito obtortoque collo loca quæ de congrua vocatione loquuntur, ad illud genus gratiæ internæ congruæ rapi, quam Neotrici tuendam susceperunt.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Nam si reliquas quoque sancti Doctoris lucubrationes percurrere liberet, eaque expendere, quæ de congruis verbis aut rebus aut operationibus passim docuit, sæpissimè reperiremus eum tribuere congruitatem vocationi seu suasioni & similibus, per quæ homini fit quædam testificatio aut significatio rei per voluntatem amplectendæ aut respuendæ, gratiæ verò nunquam. Nam vocatio, prout nomen sonat sub genere signorum cõtinetur, eoq; modo ab Augustino accipi solet. *Quis*, inquit, *po-*

test credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua re- A *rum testificatione tangatur?* Et in libro de Spiritu & littera: *Neque enim credere potest, quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat.* Testificatio verò sicut & suasio sub signis continentur, quæ ad externos internosque sensus cognitivos pertinent, quemadmodum etiam in utroque loco significat. In primò quidem quando immediate subijcit; *Quis habet in potestate, tali viso* (id est phantasmate vel cogitato ad illam vocationem pertinente) *attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem?* Hoc est, quod sit ei congruum. In secundo verò quando præmittit: *Visorum suasionibus agit Deus*, id est, vocat nos *ut velimus & ut credamus. sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniet in* B *mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Sed alibi multò manifestiùs: *Et quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus sive intrinsecus ubi nullus hominum videt* (per visa scilicet) *sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia.* Et paulò inferiùs de Pharaone: *Illius rei gestæ* (per Ioseph) *cognitio, vocatio eius fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus.* Ex quibus documentis vides Augustinum vocationem, quam subindè & suasionem & testificationem vocat, illam intelligere, quæ veluti signum divinæ voluntatis, vel sensibus externis illabitur, ut ad mentem deferatur, vel etiam intrinsecus immediatè menti per visa præsentetur, ut ei voluntas consentiat vel dissentiat. Sicut ergò vocatio veluti signū quoddam ad cognitivas facultates pertinet, & eatenus etiam ad intelligentiam, quatenus obiectum amplectendum aut respuendum offert voluntati, ita congrui- C tas ejus, ejusdem ordinis est, hoc est, in genere signi: Et utraque quamvis in ipsa quoque mente locum habere possit, externa tamen est, comparatione voluntatis.

Augustinus igitur attentâ notione & naturâ vocationis, itemque suasionis & exhortationis, & testificationis, per quas homines ad fidem, spem charitatemque vocari solent, non solùm in ista secunda ad Simplicianum quæstione, sed alijs plurimis locis, congruitatem rebus aut operationibus externis tribuit, quibus homo ad aliquid agendū aut relinquendū accommodatè vocatur & impellitur, nunquam verò, ut dixi, gratiæ voluntatis internæ. Nam hinc est, quod congruitatem illam aliquando generaliter *signis* tribuit, quibus omnis aut pœnè omnis vocatio peragitur: *Ex quo* 12. *debeas* 13. *apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si* CONGRVA *suis mentibus vel audiant verba,* D *vel signa conspiciant.* Aliquando eam tribuit *visis*, quæ signorum externorum quædam effecta sunt, intus ex externo sensuum tactu pullulantia; quamvis & sopitis vel vigilantibus sensibus per seipsa intrinsecus nasci, vel divinitùs excitari possint: *Vt alij ad salutem suam crederent, alij ad naturam suam, non crederent, ipse utique non in carne, sed in Spiritu veniebat,* VISIS CONGRVIS *alloquens, quos volebat, sicut volebat.* Epist. 99. Et in libris de Trinitate: *Missa sunt nobis diuinitùs* VISA CONGRVA *peregrinationi nostræ, quibus admoneremur non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum.* Lib. 4. de Trinit. c. 1. Et in eadem supra objecta secunda quæstione ad Simplicianum: *Quam rabida voluntas Pauli, quam furiosa, quam cæca! Qui tamen unâ desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illi & voluntas, refractâ sævitiâ, retorqueretur ad fidem.* Lib. 1. q. 2. ad Simplic. in fine. Aliquando tribuit eam congruitatem verbis ac sermonibus, quia inter signa quibus fit vocatio, principatum tenent. Locum jam statim ex libro perseverantiæ capite decimo quarto vidimus. Et in libris de doctrina Christiana: *Hesther oravit, ut in os eius Deus* CONGRVVM *sermonem daret*; ad movendum videlicet ac persuadendum Regem. Et libro octavo de Trinitate vocat bonam locutionem, *quæ suaviter docet, &* CONGRVENTER *movet auditorem.* Lib. 4. de doct. Christiana c. 30. Et in sermonibus de verbis Domini: *Adsit misericordia Dei, & ita rem à nobis dici faciat, ut* VOS AVDIRE OPORTET, *& nos dicere*, hoc est, congruè. Quod alibi dicit: *Adiuvet me Deus, ut ea dicam quæ vera sunt &* APTA *sunt vobis.* Aptum enim & congruum esse, idem sunt. Et in alio sermone: *Vt sic dicam, quomodo vos audire expedit*, ut videlicet sequatur assensus voluntatis, & ex assensione ædificatio & profectus, sicut hoc explicat alibi: *Tunc sermo noster* CONGRVVS *erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum nostrarum, Deo vos interius ædificante proficiat.* Aliquando tribuit istam congruitatem scriptis quoque rerum explicationibus: nam & illa signa sunt, quibus multos Deus ad salutem vocat: *Quod Dominus præstabit, ut ita* C *explicem, quemadmodum novit tibi* CONGRVERE *ac saluti fidei tuæ.* Aliquando tribuit eam figuris allegoricis quæ in sermone vel scriptis, ad movendos animos assumuntur. *Si quæ autem figuræ similitudinum non tantum de cælo & sideribus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispensationem Sacramentorum, eloquentia quædam est doctrinæ salutaris,* MOVENDO AFFECTVI DISCENTIVM ACCOMMODATA. Et quia non omnes omnibus moventur modis figuriséque dicendi, sed alij alijs pro affectuum diversitate diversis, hinc salubriter docet, congruitatem sermonis nostri cum auditoribus à Deo esse poscendam: *Cùm enim de vnaquaque re quæ secundum fidem, dilectionemq; tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur, ab eis qui hæc sciunt, quis novit quid ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat* (id est congruat) *audiri, nisi qui corda omnium videt?* Et *quis facit, ut* QVOD OPORTET, & QVEMADMODVM OPORTET *dicatur à nobis nisi in cuius manu sunt & nos & sermones nostri.* Nonne ad ipsum prorsus hic respicit, quod quæstione secundâ ad Simplicianum, ubi dicit *Quod alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademq; res sæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat,*

aliumque moveat, alium non moveat, ideoq; modum dicendi CONGRVVM auditoribus persuadendis in Dei à quo poscendus est, esse potestate? Aliquando tribuit istam congruitatem rebus ipsis externisq; Dei vel hominum operationibus. Non solùm enim verbis & scriptis, sed factis etiam frequentissimè docemur, & si congrua sint, ad aliquid faciendum vel cavendum trahimur. Habent enim res ipsæ, & facta Dei atque creaturarum diversas cum diversis affectibus congruentias atque incongruentias, quas Deus per occultissimas providentiæ suæ vias temporibus locisque oportunis novit adhibere, ut homines ad salutem vocet. Res enim & facta movent suadendo vel dissuadendo potentissimè, si personarum & animorum affectibus & circumstantijs congruant.

Hinc est igitur, quod hujusmodi congruitatem seu congruam suadendi movendique vim subinde tribuat pœnis ut homines corrigãtur. Nam inde est illud quod in illa secunda quæstione citata de Pharaonis flagellis, dixit, quod *ista demonstratio potentiæ Dei, & annuntiatio nominis eius in universa terra, prodest eis ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis* CONGRVIT. Inde est illud quod alibi eodem sensu dicit, *Deum sustinuisse patienter impietatem Pharaonis, donec ad illud tempus perduceretur, quo* OPORTVNE *in eum vindicta procederet, ad correctionem eorum quos ab errore constituerat liberare & ad cultum suum pietate vocando perducere.* Nam ista pœnæ demonstratio erat quorundam congrua vocatio. Inde & istud de pœnis generaliter: *Numquid malitiæ eorum vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum iusta pœna consulit,* QVIBVS HOC MODO *consulendum esse constituit? Non utique.* Vt enim ibidem altissimâ cõsideratione salubriter docet, malos istos eorum saluti Deus deputat, *quos in hoc genere ita creavit, ut ad bonum proficere nisi malorum comparatione non possint.*

Ista quippe malorum hominum, pœnarumque contemplatio, congruentissimè est quorumdam vocatio ad timorem, ad correctionem, ad animi submissionem, ad gratitudinem. Inde & illud quod in Psalmos dicit: *Si non blandiretur Deus, nulla esset exhortatio; si non minaretur, nulla esset correctio.* Nam quidam promissis blandientibus, quidam pœnarum comminationibus, tanquam congruis vocationibus corriguntur, juxtè illud Augustini de pœnis infligendis ac disciplinâ servandâ satagentis: *Multi amore*, id est, blanditijs, *multi timore correcti sunt. Sed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt.* Hinc est quod eandem congruitatem subinde asscribat laboribus ad persuadendam hominibus peccati magnitudinem justitiæque custodiam diligentiorem. Nam tractans illud Psalmi sexti: *Sed tu Domine usquequo*, sic illam exclamationem ponderat: *Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis: diu autem dilatam à medico, ut ei persuaderetur, in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facilè sanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligẽtior custodia recepta sanitatis.* Itaque statim adijcit quod Deus hoc faciat tanquam BONVS PERSVASOR ANIMÆ, *quid mali sibi ipsa pepererit.* Nempe quia differendo sanitatem, congruentissimum adhibet persuadendi modum. Qualis & ille, ubi de justitiæ custodiendæ difficultate dicit: *Quare vix tenemus quod facile amisimus? Ne facile recipiendo quod amisimus, discamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat: tenebit ad firmitatem, quod tenuerit post laborem.* Qualis & ille quo permittendo suos etiam electos in deceptionem Hæreticorum aut pseudo-Prophetarum labi, *dissuadet* eis oportune *superbiam*, qua de sua sagacitate præsumebant. Qualis & ille, quo tres pueros à camino ac Danielem à leonibus liberando, Regibus Babyloniæ congruâ quãdam vocatione consuluit, septemque fratres non liberando, Regem Syriæ duriorem fecit: *Hoc enim erat in occulto iudicio & misericordiâ Dei, ut illis Regibus eo modo consuleret ad salutem. Antiocho autem Regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, nolunt ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus cor duri Regis acriori severitate punivit.* Istis enim & ejusmodi infinitis vocandi modis utitur Deus, non solùm per scripta vel verba, sed, ut diximus, etiam per facta, sive hominum, sive sua, quæ vel congruant eis, quibus ad salutem consulit, vel non congruant, quibus ita non esse consulendum occultâ providentiæ suæ severitate constituit. Sed omnes isti modi quamvis etiam in ipsa phantasia & intelligentia, sive dormientium, sive vigilantium per congrua visa vel aliter fiant, extrinsecus tantum voluntatem feriunt, non intrinsecus ipsos ejus motus operantur. Hoc est enim propriè gratiæ Dei, quæ si defuerit, frustra adhibetur quicquid adhibetur; sicut frustra plantatur & rigatur nisi incrementum dederit Deus.

Ex his itaque satis superque constare arbitror, congruitatem quam Augustinus passim in scriptis suis vocationi & suasioni & similibus asscribit, non esse nisi vocationis & suasionis externæ, hoc est, extra voluntatem peragentis partes suas: ac proindè absonè obtortoque collo ad gratiam illam internam voluntatis trahi; ut genus gratiæ medicinalis novum habeatur, cui quantum ad influxum actualem voluntas suâ indifferentiâ dominetur. Nam, ut ante etiam dixi, nunquam in scriptis suis universis Augustinus illam Christi internam gratiam, CONGRVAM appellavit, multò minùs INCONGRVAM, Quod aliqui recentiores ausi sunt. Cujus rei si quis radicem scire velit, meminisse debet, nullam gratiam actualem ab Augustino pro illa vera Christi gratia agnosci, quam tanquam medicus infirmæ voluntati attulit, nisi quæ agit & peragit effectum: omnis alia qualiscumque fuerit ab ipso ad legem doctrinamque relegatur. Ex quo nascitur, ut si nomen congrui vel incongrui usurpandum esset, omnis Christi gratia deberet potiùs dici congrua, quia omnis omninò efficit ut voluntas sive tenuiter sive fortiter velit, quemadmodum supra diximus.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

In expositione quarumdam propositionum epist. ad Rom. num. 63.

Lib. 11. de gen. ad litt. cap. 11.

Ibidem.

In Ps. 144.

Serm. 94. de temp. cap. 8.

In Psalm. 6.

mus. Vndè quodam loco dicit Augustinus: *Gratia verò Dei semper est bona.* Et effectum ejus adæquatum duplicem, videlicet voluntatem seu volitionem infirmam ac fortem statim explicans: *Et per hanc*, inquit, *etiam fit, ut sit homo bonæ voluntatis, cùm prius fuerit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur & tam magna fiat, ut posit divina implere mandata quæ voluerit, cùm valdè perfecteq; voluerit.* Vbi quod dixit gratia Dei semper est bona, non alium sensum habet, nisi quod semper hominem efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit & congruè moveat voluntatem. Nimirum quia semper voluntatem determinat ad influendum secum, non à voluntate ad influendum determinatur. Hanc sanè perpetuam gratiæ cum effectu secuturo congruitatem, si ita vocare libet, satis indicavit Augustinus, quando gratiam non semel Apostolicâ phrasi INCREMENTVM appellat, quemadmodum & in præcedentibus declaravimus. Incrementi enim ratio non potest ab effectu voluntatis realiter consequente separari, quemadmodum hoc in arboribus manifestum est. Si enim homine extrinsecùs congruè plantante, Deus intrinsecùs dat incrementum, reipsa crescit quod plantatum est. Congruitas enim prædicationis seu vocationis ita se habet ad motum voluntatis bonum, sicut congruitas plantationis ad accretionem ejus quod seritur: quarum utraque quidem valdè ad producendos effectus istos utilis est & pœnè necessaria. sed ab illis tamen separari potest, si Dei desit operatio, qua intrinsecùs incrementum tribuit, sive per naturam sive per gratiam. Nam inde est illud celeberrimum Augustini, *Agnoscimus gratiam quæ facit prodesse doctrinam*, hoc est, quæ incrementum tribuit.

Ex his jam sublucet secunda causa, cur, etiamsi concederemus in ista secunda ad Simplicianum quæstione CONGRVAM dici vocationem internam, vel potiùs externam, prout internam vocationem sibi conjunctam habet (nimis enim est manifestum quod de sola interna gratia non loquatur) nihil tamen pro Neotericorum opinione sequeretur. Diceretur enim hominem vocare congruè seu congruenter, quia causam adhibet accommodatam ad illum effectum quem vult, concurrente voluntate, producere: sicuti Deus rebus omnibus producendis causas congruas instituit. Consequenter igitur Deus diceretur ita vocare, *quomodo aptum est eis qui sequuntur vocationem*: vel, *quomodo aptum est, ut moveantur*; *quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*, quia novit efficaciam suæ vocationis, quæ ex externo signo & inspiratione conflatur; qua sic vocat alios ut vocando convertat, alios ut vocando roboret, & fortissimos reddat. Quæ locutio similis esset, ac si diceretur, Christus ita vocavit filium viduæ & Lazarum, quomodo sciebat esse suscitandos. Non enim hoc intelligeretur, vel de sola interiori operatione, qua vitæ reddebantur, nec de sola exteriori vocatione, vel de aliqua præscientia conditionata, sed de utraque vocatione simul unam completam causam constituente suscitationis, cujus vim ita pernovit Deus, ut inde effectus infalliblliter secuturus sit. Inter istos autem duos solutionis modos, ista differentia est, quòd juxta priorem, congruitas externæ vocationis respicit affectus quos gratia inspirat tanquam terminum congruitatis, nam per istos homo vicissim *congruit*, & *contemperatur vocationi*, prout Augustinus loquitur, ut *eam capiat*, eique *sequendæ sit idoneus.* Iuxta posteriorem verò, congruitas externæ internæque vocationis respicit ipsum voluntatis motum seu effectum vocationis qui intenditur, & affectibus illis inspiratis naturâ posterior est tanquam terminus congruitatis. Tunc enim dicitur congrua vocatio, non quia inspiratis affectibus contemperata, sed quia conveniens est movendæ voluntati, ut aut velit, aut fortius velit: cujus motionis causa est illa affectuum novorum inspiratio, tanquam videlicet ipsa interior vocatio. Sed de congrua vocatione satis.

CAPVT XXXIII.

Alia difficultas tollitur ex duobus æqualiter tentatis, ex libro duodecimo de Civitate Dei.

OBICITVR alius ex libro 12. de Civitate Dei locus, ubi docet August. solam libertatem voluntatis esse causam voluntatis malæ. Ponit enim duos *æqualiter affectos animo & corpore videre unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum adillicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudicæ stabilis perseveret.* Addit inferius eos etiam eâdem tentatione pulsari: *Nam ut hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur, si eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat; alter idem, qui fuerat perseveret*, quâ positâ circumstantiarum æqualitate subjungit: *Quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Vndè nisi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: ambobus pariter institit occulta tentatio?* Ex quibus colligunt reipsa fieri posse, ut cum eadem omninò gratia, unus velit, alter nolit, non alia videlicet ex causa, nisi ex sola libertate & indifferentia voluntatis, utpote cujus sit, hic & nunc gratiam ad influendum determinare, vel non determinare ut ipsi loquuntur. Ex quo consequi videtur, etiam nunc gratiam relinqui in libero arbitrio, utpote quæ tribuat ei

Vide Franciscũ Suarez lib. 3. decursu c. 20.

ei *posse sivelit*, ipsum velle vel nolle permittendo indifferentiæ voluntatis.

Ad hunc locum alii aliud respondent, magis, quantum videtur, ut vim argumenti evadant, quam ut genuinam Augustini sententiam assequantur. Itaque dicunt aliqui, non exactè in isto loco tractare Augustinum de gratia, dum totum reducit ad voluntatem, quod aliis in locis gratiæ Dei tribuit. Addunt itaque casum Augustini nunquam accidere posse. Alii tentationem, de qua Augustinus, sine gratia superari posse, viribus arbitrii naturalibus, nec illam victoriam futuram opus supernaturale; atque ita perperam indè concludi aliquid contra naturam necessitatemque gratiæ, quæ determinet voluntatem ad opus supernaturaliter bonum. Alii alia dicunt, quibus recensendis non est opus immorari.

Vasquez 1. parte disp. 98. c. 7.

Leonard Coquæus in illum Augustini locum.

Dico itaque duobus modis ad hanc difficultatem posse responderi. Primus est, Augustinum illo loco indagare causam voluntatis malæ, eoque rem deducere, ut constet eum qui cadit non cadere nisi propriâ voluntate. Quod verissimum esse nemo sanæ mentis dubitat: quamvis etiam propriâ voluntate fieret, adjutum tamen esse posse peculiari auxilio gratiæ Dei, ut firmiùs quam alter staret. Non enim erat quæstio de causa standi, sed cadendi. Non enim idcirco alter non cecidit solâ propriâ voluntate, quia alter qui stetit etiam suâ voluntate, sed adjutâ permanserit. Cùm ergò dicit: *Quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse à cælitate deficere?* Verissimum dicit, proximamque causam discretionis illius adducit, sed si ulteriùs etiam indagare cogeretur, an etiam bona voluntas sicut mala, ex solâ libertate nasceretur, responderet fortassis id quod aliàs de malâ lapsorum hominum voluntate interrogatus, cur homo non esset sine peccato, respondit, *Possum facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* En causam proximam peccatorum, *sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum.* Ita & hic de bona permanente voluntate dixit, *quia noluit à cælitate deficere.* Sed si causa istius firmitatis quæreretur, fortassis ostium divinæ gratiæ panderet. Nam in libro de prædestinatione Sanctorum discretionem credentium à non credentibus, eodem planè modo non semel ad humanas reducit voluntates, sed tanquam ad causam proximè discernentem homines. Quod ne quis in præjudicium divini adjutorii traheret, sicut nunc iste locus ex libro de Civitate Dei trahitur, statim adjecit causam istius discretionis, altiorem videlicet gratiam Dei. Nam cùm docuisset; *Credere vel non credere, esse in arbitrio voluntatis humanæ*, quo nihil apertiùs dici potest, quam homines credere, quia volunt, non credere, quia nolunt, confestim subjungit, *sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Et iterum inferius, cùm objecisset aliquis pro libertate voluntatis humanæ qua homines discernuntur: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Respondet Augustinus: *Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino discernendum est utique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio.* Et adhuc paucis interpositis apertissimè: *Et tamen ille,* QVIA VOLVERVNT, *crediderunt, illi* QVIA NOLVERVNT *non crediderunt.* Et mox subnectit causam discretionis ulteriorem: *Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiæ est &c.* Ecce quoties Augustinus causam discretionis credentium à non credentibus in voluntates humanas refert, sicut revera referenda est: sed cùm ultimus cardo etiam istius diversitatis voluntatum quæreretur, clarissimè recurrit ad misericordiam & judicium Dei, quæ in ipsis etiam hominum voluntatibus fierent.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 3.

Cap. 6.

Nec verò ista adjutorii differentia repugnat hypothesi, qua ponit utrosque æqualiter affectos animo & corpore; hoc enim sine incommodo de naturali constitutione intelligitur. Adde quod ipsemet in fine exponit illam constitutionis æqualitatem, *ante visionem atque tentationem*: ut nihil obstet Augustino, si post illam disparis adjutorio asserantur: quod mirum videri non debet, quia illud adjutorium quod facit velle, cum ipso velle intimè conjunctum est, ut cum eo unum quodammodò censeatur. Quæ quidem responsio non videtur esse contemnenda, & ostendit nihil omninò pro Neotericorum opinione ex isto Augustini loco sequi. Sed ut verum fatear, non videtur genuinum istius loci sensum attingere.

Itaque secundò respondeo, etiam hîc (quemadmodùm & in præcedentibus nonnullis objectionibus) ostendere Scholasticos, qui illo loco pro suæ gratiæ congruæ firmamento & illâ decantata indifferentia voluntatis utuntur, cujusmodi gratiam pro Christi gratia inferre, conentur: illam videlicet, quæ primis hominibus innocentibus, atque Angelis data fuit, prout Massilienses ex aliqua parte tenuerunt: atque ita vires hominis post peccatum non solum illæsæ, sed etiam fortiores esse censeantur, quàm ante lapsum fuerint.

Hoc igitur ut intelligatur, observandum est, Augustinum in isto loco, non de qualibet, sed de prima omninò malâ voluntate disputare, causamque inquirere, unde nascatur. Patet hoc liquidissimè ex illa ipsa quam tractat hypothesi quænam videlicet causa fuerit, deficientis voluntatis Angelorum. Nam de illa statim initio capitis dicit: *Hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium eius naturæ &c. Huius porrò malæ voluntatis causa efficiens si quæratur, nihil invenitur.* Et infra cùm causam eius ad aliam malam voluntatem priorem disputando & inquirendo, non asserendo produxisset, eademque quæstio de ista priore & aliâ quâcumque præcedente nascereretur, tàdem ut omnis ambiguitas tolleretur: *Ut sit aliquis*, inquit, *inquirendi modus, causam primæ voluntatis malæ inquiro. Non est enim prima voluntas mala, quam nulla* (legendum videtur ulla) *fecit voluntas etiam mala, sed illa prima est quam*

Lib. 12. Civit.

quam nulla fecit. Nam si præcessit, à qua fieret, illa prior est qua alteram fecit &c. Et infra: *Si ergò non erat sempiterna, quis eam fecerit quæro.* Ad hanc igitur quæstionem luculentiùs illustrandam, ponit etiam in duobus æqualitatem corporis & animi, paritatem tentationis, ceterarumque circumstantiarum; sed ita ut & hîc multis insinuet modis se de prima mala voluntate prosequi disputationem suam. Nam hinc est quod modum tentationis exprimens, non nisi *suggestionis & qualiscumque suasionis* meminit, relictâ delectatione concupiscentiæ, per quam homines juxta constantem doctrinam ejus, jam post lapsum, hoc est, post primam voluntatem malam, ad omnia peccata propelluntur. Hinc est quod dicit ante istam voluntatem malam, nihil esse hominem *nisi naturam bonam, cuius auctor Deus*, cùm tamen ipse semper in hominibus lapsis gravissima agnoscat vitia, quorum non est auctor Deus. Hinc est denique, quod concludens istam de duobus æqualiter tentatis disputationem, disertè dicit; *Inveniet, voluntatem malam non ex eo esse* INCIPERE, *quia natura est, sed ex eo quod de nihilo natura facta est.* Si ex eo *incipit* ergò de prima mala voluntate sermo est, quæ nullius omninò sit pœna peccati. Hanc autem certissimum est, nullam esse juxta doctrinam sancti Præsulis, nisi illius qui inter Angelos, aut homines primus cecidit. Nam lapsorum hominum omnia peccata ita peccata sunt, ut sint simul supplicium præcedentis malæ voluntatis, quemadmodùm ex professo alibi secundùm ejus principia tradidimus. Ad hunc igitur collimans perpetuò Augustinus intẽtionis susceptę scopum, etiam in reliquis quę sequuntur capitibus, per easdem lineas de prima mala voluntate reciprocat disputationem suam, quærens latissimeque differens, utrum cum illa mala voluntate creati sint, an à bona voluntate deficiendo mutati. Vt sanè nihil manifestiùs esse possit, quàm de prima mala consensione voluntatis sermonem esse, quæ videlicet nullo adhuc vitio concupiscentiæ, contra cujus violentos impetus victrix gratia requiritur, depravata sit.

Quæ si vera sint, sicut esse vera discursus Augustini & apertissima ejus verba nos confiteri cogunt, profectò locus iste non solùm nihil adversarios juvat, sed etiam jugulat. Non juvat quidem, quia non loquitur de lapsæ naturæ statu, de cujus gratia nobis disputatio est; sed de statu innocentiæ hominum & Angelorum, in quibus prima voluntas mala, & bonæ voluntatis permansio non ex adjutorij, sed ex voluntatis diversitate nascebatur, quemadmodum nos ex professo, tum hoc libro, tum alio loco juxta sanctum Augustinum demonstravimus. Iugulat verò eos ille ipse locus, quia cùm Augustinus voluntatis primæ, stantis cadentisque differentiam non ab adjutorij diversitate, sed ab indifferentia voluntatis petat, & ipsi doctrinam istam ad lapsas infirmasque voluntates pertinere contendant, perspicuè declarant, indifferentiam libertatemque voluntatis, & consequenter gratiam qua voluntas lapsorum hominum adjuvatur, juxta sententiam suam, non esse jam alterius rationis, quantùm ad operandi & adjuvandi modum, quàm in Adamo, hoc est, quàm in præstantia primævæ libertatis fuit. Nempè volunt eodem modo (sicut hoc Augustinus de Angelis & hominibus primis omni concupiscentiali motu carentibus docuit) ita gratiam nunc etiam adjuvare voluntatem, quæ tentationibus premitur, *ut eas possit superare si velit*, ut in adjutorio gratiæ permaneat si voluerit, ut autem velit, in ejus libero relinquatur arbitrio. Denique sic per illud adjutorium muniri voluntatem, ut quamvis *non sine adiutorio* stet, stare tamen & cadere, ab illa dominatrice voluntatis indifferentia suspendatur; ideoque cum eodem adjutorio, omnibus paribus, non solùm diversos homines, sed etiam eundem reipsa posse, nunc stare, nunc cadere, prout ei pro sua libertate placet. Nam propterea ut hoc omnibus persuadeant, tum istum præsentem locum de duobus æqualiter tentatis, quem Augustinus de prima mala voluntate intellexit, facillimèque pro nutu liberæ indifferentisque voluntatis caveri potuit, tum verò omnia quoque superiora loca, quæ Semi-pelagianorum sententiam continebant, tanquam sententiæ suæ ad ungem concinentia, tanto studio ac sedulitate corradunt. Hoc autem ab Augustini & Ecclesiæ doctrina remotissimum esse, satis in superioribus demonstravimus.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Explicantur alia quædam quæ ex Augustino proferuntur, quod velle & nolle, consentire ac dissentire sint propriæ voluntatis; quod sint nostra; quod habere dona Dei sit accipientis & habentis &c.

SED alia nonnulla loca pro sua opinione proferre solent, quibus Augustinus aliquoties docet, non solùm in Angelis & primis hominibus, sed etiam post peccatum, Dei esse vocare, suadere, excitare, & consentire, ac dissentire; velle ac nolle esse propriæ voluntatis. Ita loquitur libro de Spiritu & littera, ubi de gratia lapsorum hominum ex professo disputat: *Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus &c. sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Quod mox iterum repetit: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et libro de gratia & libero arbitrio: *Velle & nolle propriæ voluntatis est.* Similia dicit Aug. libro 1. de peccatorum meritis & remissione, libro de prædestinatione Sanctorum & aliis locis. Ergò non rectè statuitur istâ differentia inter primum hominem & posteros ejus, quod præsente Dei adjutorio, velle & nolle; cõsentire ac dissentire, in primi hominis libero relinqueretur arbitrio; nunc verò per ipsum adjutorium conferri debeant. Sed potiùs è contrario significari videtur, inquiunt, quod Deus non astringit voluntatem in alterutram partem, sed utrumque relinquit in indifferenti ipsius potestate, ut seipsum determinet ad alterutrum. Addit alius, semper in his & hujusmodi locis, dicere Augustinum *determinationem esse propriam voluntatis.*

Lib. de Spir. & litt. c. 34.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3.

Lib. 1. de peccat. merit. c. 22.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

Ita Lessius lib. de gratia efficaci c. 5. num. 9.

Suarez lib. 3 de concurs. c. 13. n. 19.

Respondetur hujusmodi loca sancti Augustini apud eos qui in ejus doctrina tantillum versati sunt nullam continere difficultatem, vel omninò quicquam quod faciat pro alterutra sententiarum de quibus agimus, vel pro ulla omninò, quæ liberum arbitrium in hominibus superesse fateatur. Non enim significatur aliud istis & similibus locis, quam quod velle & nolle, consentire ac dissentire, credere & non credere sint officia voluntatis & libertatis; seu quod idem est, creaturam rationalem non posse velle aut nolle, consentire aut dissentire, credere aut incredulam esse, nisi libero voluntatis arbitrio. Quod in ipsis illis quæ producuntur locis, satis perspicue illis patet, qui magis sensum auctoris intelligere quam suum ex auctore stabilire contendunt. Nam in libro de gratia & libero arbitrio, ubi secundus ille locus reperitur, quo dixit, velle & nolle esse propriæ voluntatis, cum quo prorsus idem est, quod dicit consentire aut dissentire esse propriæ voluntatis, ex professo probandum susceperat, *esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Hoc autem probat, A toto capite secundo ac tertio Scripturis innumeris, quæ jubent, suadent, consulunt, vetant hominem aliquid velle vel nolle. Ex quibus tandem concludit: *Nempe ubi dicitur, noli hoc & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis mandatis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et rursum: *Nemo ergo, cùm aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate.* In quo probãdi genere cùm etiam capite tertio perrexisse ostendendo & illos qui ignorantiâ rerum agendarũ quærunt, itemque qui concupiscentiam reluctantem superare nolunt, suâ voluntate peccare, concludit verbis illis quæ recentiores truncata producunt: *Et utique cui dicitur, noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.* Quid evidentius quam hoc unicum istis & similibus locis probare Augustinum, quod homo velle & nolle, sive peccando sive benè faciendo, non possit, nisi suâ voluntate? Quod qui negat, hæresis manichææ reum esse manifestum est. Sed inde concludere velle, quod in operibus bonis determinatio fiat vel à voluntate, vel etiam à gratia, paralogismus est ab Augustini mente remotissimus. Habet enim ista doctrina in omni omninò statu locum, sive hominum, sive Angelorum, sive stantium, sive lapsorum, sive damnatorum, sive Beatorum, cum quocumque adjutorij genere liberè operantium. Intactum enim hoc dicendo reliquit Augustinus, utrum voluntas libera gratiam ad influendum rapiat, an gratia voluntatem; imò utrum cum gratia, an sine gratia, benè, vel malè voluntas operetur. Utrovis enim modo fiat, velle & nolle sive bonum sive malum, propriæ voluntatis est, & sine propria voluntate, sicut sine libero esse non potest arbitrio. Implicat enim contradictionem, ut sine propria voluntate velit aut nolit, consentiat aut dissentiat, credat aut incredulus fiat, quocumque tandem modo adjutorium aliquod simul juvet aut non juvet. Hoc igitur est, quod similiter dicit in libro de peccatorum meritis: *Vbi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis: sed ut iste audiat, quod credat, ille non audiat? Hoc enim non est in hominis potestate.* Audire namque & non audire potest quispiam etiam nolens, credere aut non credere, nemo nisi volens seu nemo nisi propriâ voluntate potest. Hoc est idem quod in libro de prædestinatione Sanctorum dicit: *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humano.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Ibid.

Ibid. c. 3.

Lib. 1. de peccat. merit. cap. 22.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

humana: sed in electis præparatur voluntas à Domino, hoc est, in electi gratia Dei facit ut credere sit in arbitrio voluntatis humanæ, nempe quia gratia præparans voluntatem facit ut homo propriâ voluntate credat.

Ex his jam perspicuè constat, perperam Scriptorem illum recentiorem asserere, quod *semper* Augustinus dicat, *determinationem esse propriam voluntatis*. Hoc enim nunquam Augustinus dixit, sed ei ab isto Scriptore attribuitur, quasi ex Augustini principijs conficiat, determinationem ita voluntati esse propriam; ut non conveniat gratiæ. Invertit enim sanctissimi Doctoris verba, qui cùm dixerit velle & nolle, hoc est, si ita interpretari libet, determinationem ad volendum & nolendum, *esse propria voluntatis*, ipse substituit, *esse propriam voluntatis*. Itaque determinatio ad volendum est quidem propriæ non alienæ voluntatis, sed ita tamen ut ad eam determinandam nunc, gratia præcipuas partes agat, juxta illud Augustini: *Non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino.* Hoc est, Dominus in electis facit ut velint. Et juxta illud: *Certum est nos velle cùm volumus*, hoc est, est propriæ nostræ voluntatis: *sed ille facit ut velimus bonum.* Et juxta illud: *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Vbi significatur nos esse quidē qui nos determinamus ad volendū atq; faciendum, sicut nos sumus qui volumus atq; facimus, sed Deum esse, qui efficacissimâ suâ motione facit ut nos determinemus, juxta illud item Augustini: *Ille facit ut faciamus, cui dicit homo, Pone Domine custodiā ori meo: hoc est enim dicere fac ut ponam custodiā ori meo.*

Juxta hæc Augustini principia non est difficile & alias nonnullas phrases intelligere, in quibus admittendis vel negandis nonnulli hæsitant. Nam subinde negat Augustinus, velle, credere, facere bonum, & hujusmodi ESSE NOSTRA. Hoc enim dicit, non quasi ihiusmodi operationes non essent officia propriæ voluntatis, sed quia non ita sunt propriæ voluntatis, ut istorum operum fons voluntas sit. Nam ea voluntati tribuit gratia Dei, dum facit ut velit, ut credat, ut operetur. Hinc ergò sunt illæ locutiones Augustini: ut quando dicit tardius aliquando à Deo vitia nostra curari, *ne facilitatem in omnibus affectui, nostrum putemus esse quod eius est.* Vt quando dicit: *Quæcunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, & ideò tua magis quam mea sunt.* Vt quando post Cyprianum sæpiùs dicit, *In nullo gloriandum quando nostrum nihil est.* Et illud, *ne quis confessionis aut passionis gloriam suam dicat.* Vt quando dicit: *Nihil nobis reliquit in quo tanquam in nostro glorietur.* Vt quando Massilienses clamantes inducit: *Quid nos hortamur? Quid & terrimur, si nihil boni habeamus quod sit nostrum?* His enim & similibus phrasibus tantummodo negatur ita esse nostrum ut non sit datum à Deo; hoc est, negatur esse nostræ solius voluntatis quam non nobis deberit, & in nobis operata sit gratiâ Christi. Sic enim exponit eam locutionem in eodem capite: *Illi tales tantiq; Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur.* Hoc ergò sensu id quod Augustinus negabat esse nostrum, hoc Pelagiani confidenter nostrum esse statuebant: *Nostra est victoria* inquit Celestius, *sicut è contrario nostrum est quando vincimur.* Nempe quia sentiebat *victoriam nostram*, ut ibidem dicitur, *non ex Dei esse adiutorio, sed ex libero arbitrio*, hinc & Pelagius, *Non peccare nostrum est.* Et alibi: *Quod benè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, NOSTRVM EST.* Quæ Augustinus graviter reprehendit. Hoc eodem sensu, quando ipse sanctus Doctor adhuc Massilienium errore tenebatur, quo putabat fidem non donari à Deo, sed esse humanæ officium voluntatis, dicere solebat: *Quod credimus nostrum est, quod autem benè operamur illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum &c.* Hoc est, quod benè operamur non est nostrum sed Dei. Et in eodem libro iterum: *Nostrum est credere & velle: illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi.* Hoc eodem sensu sæpiùs peccata soli tribuit nostræ voluntati: *Si ab illo* (Deo) *avertimur, nostrum est.* Et iterum in eodem libro: *Quocirca quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala.* Nempe quia nec Pelagiani ad operandum, nec Augustinus olim ad credendum, nec unquam ad peccandum, Dei auxilium voluntati liberæ necessarium esse arbitrati sunt, quo Deus faceret ut voluntas ageret, crederet, aut peccaret.

Iam verò rursus è contrario subinde Augustinus diserte docet, nostrum esse quod benè volumus, quod credimus, quod benè vivimus. Non tamen eo sensu quasi benè velle, credere, rectèque vivere, sola nobis voluntas nostra tribueret etiam cum concurrente gratia Dei, sed quia impossibile est velle, credere, rectè vivere, ut supra diximus, sine propria voluntate. Sic enim seipsum exponere solet Augustinus: *Hæc Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis.* Et inferius luculentius: *Quia etsi etiam ex illa propter arbitrium proprium, sine quo non operamur bonum, non tamen sicut iste dixit, non nisi ex illa. Proprium quippè arbitrium nisi Dei gratiâ iuvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* Et in libro primo Retractationum, exponens quomodo & credere & operari, quæ olim distinguere solebat, quamvis utraque per gratiam darentur, *nostra* tamen dici possent: *Vtrumque ergò nostrum est*, inquit, *propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis.* Et paulò post, id quod ante dicere solebat, nostrum est credere & velle, illius autem dare facultatem credentibus benè operandi, statim subijciendo corrigit: *Verum est quidem, sed eâdem regulâ, utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Hoc est quia non fit nisi propriâ nostrâ voluntate. Et in homilia decima quarta exponens

Homil. 14. cap. 1. nens illud, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, ita loquitur: *In vestra patientia*, inquit, *non enim esset patientia tua, si non ibi esset & voluntas tua. In vestrâ patientia*, sed *unde vestra? Nostrum est, quod à nobis habetur: nostrum est & quod nobis donatur. Quomodo enim aliquid donas, nisi ut eius sit cui donas? Aperta est enim illa confessio, ab ipso enim patientia mea. Dicit nobis ipse, In vestra patientia. Dicamus illi & nos, Patientia mea ab ipso est.* TVVM *fecit donando; noli ingratus esse tibi assignando.* Quod ibidem de pane nostro quotidiano sumptâ similitudine illustrat: *Panem nostrum quotidianum da nobis. Ecce nostrum, Ecce da nobis. Illo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum, nobis superbientibus fit alienum.* Quibus omnibus hoc docet Augustinus, velle, credere, diligere, ceteraſque quaslibet operationes bonas, quamvis non nisi gratia eas operante & largiente in nobis esse non possint, rectè tamen dici nostras, quia sine propria nostra B voluntate esse non possunt. Vnde illud præcisissimum & verissimum: *Quid autem meum dicam prorsus non invenio, si voluntas qua volo & nolo non est mea.* Quod sanè nihil omninò aliud est, quam id quod in initio capitis hujus objectum est, *consentire aut dissentire, velle aut nolle, credere aut non credere, esse propriæ voluntatis.*

Ibidem.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

Hinc etiam jam facile intelligitur & ista phrasis, in qua nonnullos etiam difficultatem invenisse aut fecisse, velut nodum in scirpo, memini, quando tractans illum Apostoli locum: *Quid habes quod non accepisti*, in libro de Spiritu & littera dicit: *Accipere & habere utique accipientis & habentis est.* Nam & inde nonnulli exsculpere moliuntur, quòd actum propter quem gratia datur, accipere & habere, ab indifferentia voluntatis accipientis habentisque pendeat. Sed revera phrasis ex antecedictis plana est. Nihil enim C aliud significatur, quàm ea dona fidei, charitatis, continentiæ, hoc est, quod credimus, diligimus, continemus, & hujusmodi quæ nobis per gratiam suam largitur Deus, non posse à nobis accipi & haberi, nisi consentiendo propriâ voluntate, ut ita fiant accipientis & habentis. Nam talia dona Dei, quæ in ipsorum actuum liberorum productione sita sunt, non possunt accipi vel haberi, nisi propriâ nostrâ voluntate velimus atque consentiamus. Sic enim seipsum explicat Augustinus in eodem loco: Nam cùm dixisset, *consentire ac dissentire esse propriæ voluntatis*, hoc est, fieri non posse nisi propriâ voluntate, nequis hoc isti Scripturæ adversari

Lib. de Spir. & litt. c. 34.

A crederet, qua dicitur: *Quid habes quod non accepisti?* Statim adjecit: *Quæ res non solum infirmat, quod dictum est, Quid habes quod non accepisti. Verum etiam confirmat.* Et quomodo, cùm accipere ab alio voluntatem seu velle, & propriâ voluntate consentire, valdè diversa videantur? Respondet Augustinus: *Accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo* sive volendo: *ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Deo est: accipere autem & habere, utique accipientis & habentis est.* Hoc est, quæ dona ei conferantur, sive velle, sive credere, sive diligere, sive continere, sive sapere &c. non est ipsius, sed Dei, qui pro sua libertate donat cuique quod vult; sed ea accipere & habere, est accipientis & habentis, quia est volentis & consentientis, quia dona ista in volendo & consentiendo consistunt; consentire enim ac dissentire, B propriæ voluntatis est. Quæ sanè in quocumque hominum aut Angelorum statu vera sunt, sive voluntas se per se determinet, sive per gratiam ab illo determinetur. Semper enim accipere & habere est accipientis & habentis, semper velle aut nolle, consentire aut dissentire, sive vocationi, sive tentationi est propriæ voluntatis. Hoc tantummodo discrimen est, quod quando voluntas vult aut non vult, consentit aut dissentit, sive vocationi, sive tentationi, propriis suis dumtaxat adjuta viribus (quemadmodum peccando fieri solet) vel etiam adjutorio gratiæ *sine quo non*, quod ei tribuit posse si velit (sicut in Angelis & Adamo contingit) tunc ipsa est quæ jam potentialiter ac sufficienter instructa, sibi ipsi velle tribuit, & seipsam ad velle determinat, nec ac alio sive tentante sive vocante determinatur: quando verò voluntas adjuvatur *adiutorio* quo fit ut velit, ipsa quidem est etiam quæ vult & non vult, consentit atque dissentit, & ad volendum sese, consentiendumque determinat, sed sic, ut ipsum velle & consentire, ac sese determinare, ipsi ab alio adjuvante tribuatur. Tunc enim Deus per illud adjutorium in ea operatur velle & consentire, & sese ad volendum consentiendumque determinare. Est enim tale adjutorium, quod *à nullo duro corde respuitur.* Cujus ratio est, quia *ideò tribuitur, ut cordis duritiæ primitus auferatur.* Denique est adjutorium quod cùm datum fuerit, non exspectat ut voluntas velit, sed facit ut velit, facit ut consentiat, facit ut faciat, facit ut determinet.

COR-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS.
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER TERTIVS.

Qui est de gratia sufficienti.

CAPVT PRIMVM.

Tangitur natura adjutorij sufficientis, & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit. Hoc enim repugnat multis principijs Augustini & Ecclesiæ.

QVæ hactenus de medicinali Salvatoris adjutorio tum asserendo, tum objectiones ex ipso sancto Augustino petitas dissolvendo disseruimus, quo captivum arbitrium à concupiscentiæ servitute liberatur, & ut bonũ velit & agat adjuvatur, ad oculum nisi fallor ostendunt, quantoperè à tramite veritatis aberraverint, qui magis ex principiis Philosophorum quam Augustini aut Ecclesiæ, concursum Dei generalem, vel habitus virtutum, vel etiam gratiam, quam *sufficientem* dicunt, pro vero Christi adjutorio protulerunt. Et quidem de duobus primis adjutorii generibus, facile credo, mihi consentiet quisquis vel à limine lucubrationes Augustini, & Conciliorum doctrinam salutaverit. De postremo major videtur esse difficultas. Nam per istam duplicis adjutorii distinctionem *quo* fit actio, & *sine quo non* fit, ostendi videtur, gratiam sufficientem, non solum non esse Christi Salvatoris gratiã, sed etiam totum istud adjutorii genus ita radicitus evelli, ut humana voluntas concupiscentiali morbo læsa & infirmata, nihil omninò boni cùm eo velle vel operari possit.

Sed illud ipsum est, quod istam adjutorii medicinalis naturam attentius ponderantes non mediocriter perturbat. Videtur enim sanæ doctrinæ repugnare quod nullum nunc detur hominibus adjutorium, quo possint credere, orare, diligere, Deique præcepta facere, qui illa vel negligendo vel spernendo prævaricantur. Nam undè judicandi sunt si non acceperunt, legem Dei custodire posse, si velint? Vt quid eos monemus, suademus, hortamur, præcipimus, minamur, ac pœ-

A nis plectimus, si non datur eis, qui non faciunt, adjutorium quo & velle facere legem Dei, & re quoque ipsâ adimplere sufficiant? Hæc per se gravia esse, docendique consuetudine facta esse graviora, non diffiteor. Verumtamen quia mihi in hoc opere propositum est, non tam ex meo sensu patefacere, quid ex parte rei de divinæ gratiæ adjutorio statuendum sit, quam quid statuerit Augustinus, atque ejus veram genuinamque sententiam, eruditorum oculis exponere, nullis difficultatibus territus, porrò peragendum esse censeo. Eruet, spero, Augustinus ipse ac Deus cuius causam doctissimus pariter sanctissimusque Præsul egit, profunda de tenebris & aspera faciet, quantum rei perplexæ natura sinit, in vias planas: ut neq; eruditione suâ profundissimâ, neq; pietate Ecclesiæ sacratissimâ, neque iustitiâ Dei irreprehensi-

B bili, quicquam indignum docuisse videatur.

Quapropter sufficientem illam gratiam, quam Scholastici multi in Theologiam velut adjutorium Salvatoris intulerunt, ab Augustino destructam, funditusque eversam esse, libens fateor. Hoc enim principia hactenus ex eo tradita, cum quibus illa gratia subsistere nullo pacto potest, perspicuè probant. vocamus autem illam sufficientem gratiam, seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit aut operetur. Sic enim à multis recentioribus & vulgo ferè accipi soler. Quod si verò sic accipiatur ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit ut de facto operetur, de hujusmodi sufficienti gratia, non est hîc nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficul-

ter S. Aug. admitteret, quamvis esse veram illam Christi gratiam, de qua quæstio est, pernegaret. Nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens juxta primum sensum, quin sit simul efficax in Augustini principiis exploratū est. Viderunt hoc etiam tradiderunt que non pauci recentiores, & in primis a Didacus Alvarez, b Cumel, c Navarette, d Sylvius, denique omnes illi Doctores qui tenent præter adjutorium sufficiens, quod dat nudum posse, necessarium esse aliud auxilium efficax, quo Deus efficiat ut actualiter operetur. Hoc ipso enim apertè sentiunt, nullum dari adjutorium ita sufficiens, ut nihil aliud ex parte Dei ad actu operandum requiratur, quin sit simul efficax. Sed omnium apertissimè hoc tanquam S. Augustini doctrinam docuerunt duæ celebres Facultates Sacræ Theol. Lovanienſis ac Duacensis; quando judicii sui censuram adversus propositiones quasdam sibi oblatas protulerunt. Nam Lovanienſis in Censura propositionis 14. sic loquitur: *Cum certum sit non præstari à Deo hujusmodi hominibus* (induratis) *gratiam eam, quæ cor lapideum & cæcitatem auferat, manifestum est, eos non habere sufficiens auxilium, ut convertantur, cum sine tam dicta gratia, nullum eis auxilium sufficiat, sive illa exterior sit, etiam cum miraculis prædicatio, sive interior per Spiritum timoris concussio, aut velleitatis etiam cuiusdam inspiratio.* Et in apologia Censuræ suæ multis argumentis ex professo improbat, id quod ab aliis dictum fuerat: *Fieri posse & de facto sæpè fieri, ut quis auxilium habeat præveniens omnino sufficiens in genere auxilij prævenientis ad conversionem, & tamen non convertatur, quia non vult.* De qua propositione subjiciunt generaliter: *Hoc est, quod iterum nobis non probari testamur, negamusq; doctrinæ Augustini consentaneum.* Probantq; sententiam suam sex argumentis, & ad singula concludunt sequi, non esse gratiam sufficienter præparantem nisi in eo qui actu credit, convertitur aut operatur. Facultas verò Duacensis in earundem propositionum censura, tradit eandem doctrinam disertissimè & multis locis. Nam in primis in censura propositionis secundæ, cùm definissent auxilium sufficiens illud esse, *præter quod ex parte Dei non est aliud necessarium*, mox diversis modis ostendit, non aliud esse sufficiens, nisi quo reipsa cor frangitur & convertitur. Dicunt enim in eodem loco, quod *nec illi quibus Evangelium prædicatur, credere possunt, nisi Deus cor eorum aperiat vt prædicationi intendant*: Dicunt id quod Aug. protulit, inscrutabilis esse judicii Dei, quod huic detur gratia, illi non detur, eum hoc *haud dubiè intelligere de auxilio ex parte Dei ad salutem necessario*; cùm tamen loquatur de solo auxilio efficaci. Dicunt in Censura propositionis 14. qua credebatur induratos & excœcatos habere sufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur, rejiciendā esse penitus istam assertionem. *Nam neque induratus converti potest, nisi per gratiam auferentem cor lapideum, & tribuentem cor carneum, quam utique quamdiu induratus est, non habet, neque excœcatus potest aspicere lumen veritatis, nisi per gratiam tenebras eius illuminantem, & velamen de corde eius auferentem, quam similiter quamdiu excœcatus est, non habet.* Neque *infidelis quisquam potest credere, nisi per gratiam qua cor eius ex infidelitate ad fidem mutetur &c.* Et in Censura propositionis 15. *Non est negandū quin possint converti ad Deum omnes peccatores durante hac vita, sed simul quoque fatendum est, nullum peccatorem converti posse, nisi per specialem Dei gratiam, seu speciale auxilium quo voluntas eius in bonum mutetur, quod auxilium non habet nisi cum actu convertitur.* Vtraque verò Facultas doctrinam suam tanquam S. Aug. principiis, quorum peritissimæ fuerunt, maximè consentaneam tuetur, & ex professo probat. Vnde Duacenses ad propositionem 8. ita loquuntur: *Sententia hæc quatenus dicit per auxilium præveniens acceptum in actu secundo, id est, gratiam excitantem posse peccatorem converti, ita ut ad actualem eius conversionem non sit necessaria singularis illa gratia Dei cooperatio, qua ex nolente volens, ex averso conversus, & ex malo bonus efficiatur, tam Scripturis quàm B. Augustini doctrinæ repugnat.* Quid, quòd nec ipse D. Tnom. aut ullus antiquorum Patrum inter ipsum & Augustinum, vel ullus vetustiorum Scholasticorum istius gratiæ sufficientis meminit. Dixit quidem aliquando S. Thomas redemptionem sufficientem, sed hoc multum à gratia sufficiēte diserepat. Dixit etiam, quod *aliquam habeamus sufficientiam qua bonum velle & credere incipiamus*: sed hoc ad istam controversiam dirimēdam neutiquam sufficit. Nam & gratia Christi ab Aug. prædicata sufficientiam donat, non ab actu tamen disiunctam, sed quem victrici potestate largitur. Per illam enim homo verè sufficit: *Tunc enim utile est posse cum volumus, & tunc utile est velle cum possumus*, inquit S. Doctor. Nam vera Christi gratia est talis, ut quemadmodum Salvator mundi dicit: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, veniat ad me. Qui ergo non venerit non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus.* Dum igitur facit gratia Christi ut omnis qui audivit ac didicit veniat profectò satis ostenditur & *possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.* Talem igitur sufficientiam omninò agnoscit August. agnoscit Scriptura, sed illa non est quam quærimus, nisi ita à sua natura degeneret, ut & ab actionis effectu, & à voluntatis affectu, & à possibilitatis profectu separetur, & solà sterili & inutili perniciosà potestate superbi sibi blandiantur. *Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus.* Et quidem talem sufficientem gratiam Augustino, repugnare, non est difficile advertere, si quis principiorum ejus meminerit, quibus tanquam cardinibus tota ejus doctrina vertitur.

Nam primò, tale adjutorium non est aliud quam adjutorium *sine quo non* fit opus, nequaquam verò *adjutorium quo*, ac proinde est adjutorium sanæ voluntatis seu primi hominis, non ægrotæ: supponit enim robustā esse sanamque

a *Alvarez l. 8. de auxilio disp. 79. n. 2.*
b *Cumel disput. variar. ad 1. part & 1. 2. disput. 4. sect. 2 conclus. 1.*
c *Navarette controv 19. ad quæst. 19. prima parte.*
d *Sylvius in 2. 2. q 111. quæsito 3. conclus. 3.*
Facultas Sacræ Theologiæ Lovan. in Censura Propos. 14.
Facultas S. Th Duacensis in censura Assert. 2.
Ibid. in Censura Assert. 14.
In Censura Assert. 15.
Duacenses in Censura Assert. 8.
S. Th. 1. p. Epist. ad Corinth.
Lib. de grat. & lib. ar. cap. 16.
Lib. de grat. Christi, c. 14
Ibid.
Lib. de grat. & lib. ar. cap. 15.

Fulg. ep. lib. de prædest. c. 3. & 4. & Prosper. sent. 5.

natamque voluntatem, atque ita prorsus inutile esse hominibus post lapsum suum; quæ latiùs in præcedentibus declarata sunt:

Secundò, est tantum adjutorium *possibilitatis, non voluntatis, & actionis* dat enim homini posse si velit non velle quod possit; ac proinde est Pelagianicum adjutorium, non Christi Salvatoris, de quo etiam superius abundè diximus.

Vide ibidem cap. 9. & 10.

Tertiò, quia est adjutorium, quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuebant, ut cum eo credere posset homo si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt: non aliam sane ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent, adeoque nullum aliud adjutorium ad credendum actu ex parte Dei esse necessarium; de quo etiam fusius dissertum est.

Vide pra cap. 11.

Quartò, quia si cum tali sufficienti adjutorio nunc homo posset operari, consequenter homo post lapsum posset sibi ipsi, Deo non specialiter donante, bonas actiones ac meritum dare, posset per liberum arbitrium gratiâ non donante, à lapsu surgere, in veritate stare, perseverare, vitam æternam velut mercedem humanorum meritorum adipisci: denique posset seipsum ab alijs suæ voluntatis libertate discernere, atque ita contra Apostolum gloriari dicentem, *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Nam talis gratiæ adjutorium non discernit bonos à malis, sed commune est bonis & malis. Hæc autem omnia non solum doctrinæ sancti Augustini, sed & Scripturis sacris adversantur: *Nihil enim*, inquit Augustinus, *huic sensui* Apostoli dicentis, Quis enim te discernit &c. *tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia, Dei, sed gratia quæ bonos discernit a malis, non quæ communis est bonis & malis.* Est autem perspicuum talem gratiam sufficientē esse communem bonis & malis. De quibus vide etiam quæ in superioribus dicta sunt.

Lib. de peccat. mer. & remiss. lib. 2. cap. 5. Vide lib. 3. cap. 8.

Quintò, quia tale adjutorium repugnat precibus quas vel Deus Ecclesiæ suæ tradidit & inspiravit, vel ipsa sibi à Spiritu sancto erudita formavit. Idque duplici ex capite. Nam primò in universis ejus precibus non reperitur ulla oratio qua filijs suis vel in filiis petat *posse si velint*, sed semper ipsum velle, converti, credere, diligere, facere præcepta, perseverare & hujusmodi. Vnde si quem sciret Ecclesia motibus gratiæ quam vehementissimis præveniri & excitari, nondum tamen reipsa velle vel credere, vel facere, non desiniret pro ipso preces fundere, donec eum Deus reipsa convertere dignaretur. Et si ex duobus æqualiter excitatis, unus crederet, alter in incredulitate persisteret, peculiares ageret gratias Deo, tanquam qui peculiari gratiæ beneficio ei inspirasset fidem. Orat ergò Ecclesia & gratias agit, non ut habeant, vel quod habuerint credere posse si vellent, sed ipsum velle & credere: *Quid ergò oramus*, inquit Augustinus, *pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illo operetur & velle?* Et iterum: *Orat pro non credentibus, quid nisi ut credant?* Secundò tale adjutorium Ecclesiæ precibus repugnat, quia tollit funditùs fidelium orationes, quibus precantur sive pro alijs, ut convertantur, sive pro seipsis ut benè vivendo proficiant. Docent enim ijdem recentiores hujusmodi adjutorium semper esse præsens omnibus etiam induratis, vel certè; quibus omnibus fides prædicatur, vel, ut alij volunt, saltem Christianis maximèque justificatis. Quod si verum est, quis non videt pro illis, quibus sufficiens adjutorium præsto est inaniter preces fundi? *Nam quid stultius, quam orare, ut sanes*, inquit Augustinus, *quod habeas in potestate?* Hoc est, quod potes facere si velis. Hoc enim dicimur habere in potestate, quod possumus facere si volumus, qui est proprius effectus gratiæ sufficientis. Dat enim posse si velis sicut efficax, velle quod possis. Stultè igitur hoc orat fidelis, vel pro infidelibus, quibus jam prædicatur fides, vel pro fidelibus aut seipsis, quibus incumbente Dei præcepto adjutorium sufficiens non adimitur. Cùm ergò juxta doctrinam Romanæ sedis, *legem credendi lex statuit supplicandi*, & supplicatio fiat per universam Ecclesiam ex ipsa Christi Domini institutione, non solùm fidelium pro infidelibus, sed etiam pro fidelibus, & maximè pro seipsis, profectò legem credendi statuit, non solum infideles sed etiam fideles illo sufficienti carere adjutorio: ne alioqui inaniter & stultè convincātur orare ut faciant quod jam habent in potestate. Nam inde est quod Augustinus quando Adamo stanti tale adjutorium adesse statuebat, etiam orationes pro faciendi potestate & actione subtraxit: *Quæ illi abundantia erat, quando constitutus est homo in paradiso, quando nihil illi deerat, quando Deo fruebatur.* Et inferius: *In paradiso non clamabas* tanquam indigus, *sed laudabas, non gemebas, sed fruebaris.* Et quid ni clamabat primus homo? Nempe, ne quando non deerat illa gratia sufficiens, in illam incideret stultitiam qua oraret ut haberet, aut faceret, quod jam habebat in potestate. Quibus consideratis. Nihil verius videtur, quam hujusmodi gratiā sufficientem, quam hominibus infirmis tantā liberalitate tribuunt recentiores esse instrumentum aptissimum, quo *extinguatur oratio, accendatur elatio, dum timemus ne incipiat hortatio*, sicut alicubi Augustinus loquitur. Extincta enim oratione propter illā quæ sufficienter adest operandi potestatem, necesse est in Dei adjutoris neglectum suarumque virium confidentium incidere, quo nihil perniciosius homini contingere potest.

Celestin. in epist. ad Episcopos Gall. cap. 10.

Vide sup. lib. pra cap. 11. & cap. 17.

In exposit. 2. Psal. 29.

Lib. de dono pers. cap. 16

Quod si reliquas gratiæ Dei proprietates percurrere velimus, ut quod dōnat homini voluntatem & opus & meritum, quod efficacissimè potentissimèque agit homines, cæteraque quæ superius recensuimus, & infra nonnihil adhuc delibaturi sumus, ex omnibus liquebit, non esse nivem calori dissimiliorē, quàm sufficientem illam gratiam veræ gratiæ quam Augustinus tradidit: ut alterutrum profectò necessarium sit, vel quod eam nunquam post lapsum hominis agnoverit, vel quod eam à medicinalis adjutorii limitibus, quod per crucem suam Salvator dedit, excluserit.

CAPVT SECVNDVM.

Adjutorium purè sufficiens ad gratiam naturæ pertinet: Lapsorum reparationi inutile & pernicioſum. In quo ſita ſit læſio liberi arbitrij.

VIDIT enim perſpicaciter, adjutorium ſufficiens, præcipuè prout à recentioribus explicari ſolet, non tam ad gratiam, quæ propriè nunc gratia vocatur, quam ad naturam pertinere, quamvis & natura ſit quædam gratia. Quid enim magis ad naturã pertinet, juxta principia recentiorum, quàm quod ita naturæ conſertum arctéque junctum eſt, ut ei auferri non poſſit, quin liberras naturalis creaturæ rationalis auferatur? Confidenter enim aliqui pronuntiant, quod *Deus non ſolum neminem deſtituat auxilio ſufficienti & neceſſario, cum quo integra maneat voluntatis libertas, ſed neque poſſit illud auferre, quoties ratio non perturbatur & ſufficienter advertit. Nam ſi alterum horum contingat, nec libera manet moraliter, nec culpa illi imputatur.* Cum quo non pauci Scholaſtici conſentiunt. Putant enim communiter non poſſe ſufficiens adjutorium ſubtrahi, niſi velimus dicere actum ſecuturum non eſſe peccatum, vel Deum jubere impoſſibilia, vel nos peccare in eo quod præſtare non poſſumus. Vidit igitur Auguſtinus hujuſmodi auxilium potiùs ad naturæ rationalis inſtitutionem, quam ad reparationis gratiam eſſe referendum. Vnde etiam de Angelis & primis hominibus fere ſimili conſideratione dixit: *Si autem hoc adjutorium* (cum quo poſſent perſeverare ſi vellent) *vel Angelis vel homini, cum primum facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Hoc autem eſſe auxilium ſufficiens, ex ipſo nomine manifeſtum eſt. Quid eſt enim adjutorium cum quo quis *poſſit permanere ſi velit*, niſi id cum quo *ſufficit permanere ſi velit.* Itaque tale adjutorium, ſicut & ipſa natura, præambulum quoddam eſt ad verum gratiæ medicinalis adjutorium, per quod, non, poſſe ſtare vel permanere, ſed ipſum velle largiendũ eſt. Hæc ergò quia vidit Auguſtinus, ideò nunquam amplius iſtius adjutorij tanquã reparatorij poſt caſum hominis meminit.

Nimirum vidit conſequenter Auguſtinus, hoc adjutorij genus jam eſſe prorſus inutile lapſorum reparationi vel operationibus, etiamſi ad ſexcentos ſufficientiæ gradus augeretur: imò verò aſſeri non poſſe poſt lapſum, niſi, majori hallucinatione quàm Pelagiani ſublato originali peccato, naturæ vires illæſas eſſe fateamur. Quod quamvis alibi, niſi fallor, utcumque diximus, nihil tamen vetat, & hîc paulò uberiùs exponere. Pelagiani enim ſuis conſentaneè principijs, ideò gratiam Chriſti hominibus adultis ad operandum negabant eſſe neceſſariam, quod nihil in eis eſſet peccando vitiatum, prout apud Auguſtinum libro de natura & gratia fuſius exponitur. Quid enim eſt opus gratiæ medicinã, ubi nullius morbi languor eſt? Tantæ namque vires decent hominem, quando eſt ſine vitio creatus, tantæque fuerunt ei collatæ ex creationis & libertatis primævæ beneficio, ut benè vivere poſſet ſi vellet, aſſiſtente ſufficiente Dei adjutorio; nec opus eſſet, ut ei Deus per gratiam ipſum velle largiretur. Recentiores autem longè deteriùs philoſophantur. Credunt enim hominem jam eſſe peccato vitiatum, & concupiſcentiam eſſe à diabolo tanquam vulnus inflictam, & eã plagã non obſtante, tantas ei vires tribuunt, ut & vulneratus & ex vulnere graviter ægrotus idem poſſit, quod ſanus potuit. Quod nemo ſanæ mentis ſtatuere poteſt, niſi hoc ipſo ſemetipſum interimat, vireſque arbitrij illæſas eſſe decernat. Nam ſive adjutorium iſtud ſufficiens dederis ſive negaveris ad lapſi hominis voluntatem perinde omninò ſeſe habet. Eſt enim illius naturæ, ut ſine illo non poſſit arbitrium operari, ideoque neceſſitas ejus, nullam convincat inflictam eſſe voluntati ægritudinem, ſed naturalem tantum adeſſe creaturæ rationalis infirmitatem, quæ talis eſt ut fortaſſis eam nec Deus ipſe poſſit auferre. Eſt enim creaturæ ex nihilo productæ naturale, ut ſine ſufficienti Dei adjutorio omninò non poſſit operari bonum, juxtà illud Auguſtini, quo ſufficiens primi hominis & Angelorum adjutorium aſſeruit: *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum verò nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Ex quo conſequitur illud adjutorium ſufficiens, quod etiam integerrimis viribus voluntatis conſentaneum ac neceſſarium eſt, nullam omninò afferre vulneri concupiſcentiæ ſanitatem, quamvis vel perpetuò adeſſe, vel peccato perditum, Chriſti cruce reditũ eſſe poneretur. Ita quippe ſeſe ad voluntatem habet reſpectu operationis bonæ, quemadmodum adjutorium alimenti, hoc eſt cibi & potus, ſine quibus non poteſt natura mortalis vivere, vel adjutorium lucis, ſine quo non poſſunt oculi cernere. Etenim talium adjutoriorum neceſſitas, non arguit ullam in homine ad vivendum vel in oculis ad videndum irrepſiſſe ægritudinem, ſed imbecillitatem naturæ mortali atq; oculis concreatam; utpotè quę ſaniſſima quoque & robuſtiſſima talibus adminiculis opus habent. Vndè ſi propter delictum aliquod, homo

Vaſq. 1. p. diſput. 97.

Vide Leſſium de præceſt. ſect. 6. n. 66. Franciſcus Suarez lib. 3. de Conc. c. 11. num. 8. & alios.

Lib. de Corr. & grat. c. 11

Lib. de Corr. & grat. c. 11

homo luminis vel alimenti privatione ita A plecteretur, ut nullâ humanâ potestate restitui possent, nequaquam hoc argueret valetudinem sontis esse læsam, vel oculos ejus vitiatos, quemadmodum ex vulnere, ægritudine, cœcitate, lippitudine contingit; sed illis integerrimis perstistentibus, naturalia externaque quædam subsidia tantum esse subtracta. Nec si quis veniret, velut medicus qui alimentum lucemque restitueret, ille valetudinem aut vires corporis aut oculorum sanasse diceretur. Ita profectò, si nihil aliud, quantum ad adjutoria, peccato actum esset, quam quod Deus offensus subtraxerit stirpi peccatrici illud præcedens gratiæ adjutorium, ineptissimè diceretur hominis naturam esse vitiatam infirmatumque voluntatis arbitrium: ineptissimè pariter diceretur Christus hominem sanasse, si dumtaxat illud idem sufficiens, quo gaudebat, adjutorium reddi- B disset. Et vice versa, si illud redditum est homini, & cum illo iterum operari potest, quemadmodum olim sanus & robustus potuit, ut videlicet cum eo *possit seu sufficiat bonum facere si velit*, quis non videt arbitrium voluntatis non esse peccato vulneratum, vel infirmatum, vel ægrotum? Nemo enim dixerit, idcirco hominem ægrotum esse, vel cœcum, quia sine alimento non potest vivere, vel sine luce cernere. Sicut igitur homini ægrotanti non sufficit alimentum robustorum tollere, vel cœco lumen, quibus redditis nihil omninò ad operationes vitæ & visionis adjuvabitur, sed opus est, alterius rationis adjutorio, quod medicinam vocant, ut læsa temperatura reddatur, vires labefactæ reparentur, succus redeat, humores vitiosi purgentur aut restinguantur; ita nullius momenti est ad efficiendas operaC tiones bonas, istius adjutorij sufficientis restitutio, quo præsente non minùs intrinsecus erit æger & imbecillis, atque ante illo absente fuit. Opus est enim gratia medicinæ, quæ id restituat atque suppleat aut roboret, quod propriè in voluntatis arbitrio læsum est. Nam quemadmodum cibus & lumen non sunt propriè læsarum virium, sed sanarum adjutoria, non enim reparant id quod læsum, sed juvant id quod adhuc sanum est; ita sufficiens istud adjutorium, quod dat homini posse si velit, hoc est, quod tribuit potestatem operandi, si illo adjutorio uti velit, non est adjutorium læsæ voluntatis, sed si eo voluntas uteretur, hoc ab ea fieret quatenus adhuc sana est. Nam ut læsio valetudinis & oculorum fit per ablationem aut violationem alicujus quod internum est, & per alimentum lucemque redditam non restauratur nec attingitur; ita voluntatis læsio in eo ipso sita est, quod adjutorio sufficienti deest, hoc est, quod neque per illud sublatum tollitur, nec per illud redditum restituitur. Cum enim sufficientis adiutorii natura sit, dare ipsum operari posse si velis, & in eo sit sita voluntatis integritas tali adiutorio consentanea, ut cum eo possit operari si velit, quemadmodum ex Adami libertate & adjutorio patuit; læsio seu vulnus voluntatis in ipsum illum volendi nutum voluntatis inflictum est, ad quem pertingere pondere contrariæ concupiscentiæ deorsum retrahente ac deprimente non potest. Hoc enim utei reddatur, non habet natura gratiæ sufficientis, prout omnes etiam recentiores confitentur, cùm in hoc ipso præcisè constituta sit, ut det nudum posse *si velis*. Hoc ergò per aliam gratiam reddi debet, cujus videlicet natura sit, non tantum dare dormientem quandam seu indifferentem ad usum & non usum sui, potestatem, sed etiam voluntatem: hoc est non tantum posse, sed velle. Nimirum non tantum afferre debet assistentiam quandam per modum alimenti & lucis quæ non efficiunt, ut vivat & videat etiam sanissimus, nisi velit, & nisi illa ipso nutu volendi ad opus rapiat; sed illum ipsum languorem sanare debet, quo voluntas à volendo revocatur, languentique voluntati ipsum volendi nutum restituere. Hoc est autem proprium medicinalis gratiæ Salvatoris beneficium, cujus natura est, non tantum dare *posse si volumus*, quod olim in Adamo & Angelis primævæ conditionis ac sufficientis adiutorii fuit, sed simul cum potestate *velle quod possumus*, ut præclarissimè Augustinus docet. Nam gratiæ medicinalis Christi proprium est efficere, ut aliam quamcumque gratiam sive habitualem sive sufficientem, utiliter habeamus; quo modo nisi habeatur, semper noxia est, quia ad hoc conducit ut damnabilius delinquamus: *Tunc autem utile est velle cum possumus, & tunc utile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?* Quibus verbis divinâ luce fulgentibus Augustinus elegantissimè & solidissimè necessitatem gratiæ medicinalis & inutilitatem sufficientis asseruit. Quod si lapsis hominibus est inutilis, profectò hoc ipso & perniciosa est. Et verò quid homini misero perniciosius, quam illâ gratiâ abundare qua nemo unquam, fatentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationē assecutus est? Hoc ipso quippè unusquisque damnabilior est, quo magis sufficienti gratia abundavit. Nemo enim unquam sufficienti gratiâ usus est, aut utitur, aut utetur in æternum: qui mitius profectò puniretur, si tali auxilio caruisset, quo Deus neminem vel damnandorum, vel salvandorum usurum esse præscivit. Qua in re non jam effusa Dei bonitas, ad quam deprædicādum istud adiuD torium non satis discretè excogitatum est, sed summa potiùs severitas ejus apparet.

Lib. de Corr. & grat. c. 11.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

CAPVT TERTIVM.

Quàm monstrosa sit gratia sufficiens prout à recentioribus explicatur, & quare excogitata. Gratiæ congruæ Auctores non nisi sufficientem habent, sublatoque peccato originali, naturam liberi arbitrij integram & illæsam inducunt.

IAM verò quid monstrosius proferri potest, quam quoddam distinctum à cæteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est? Defendit quidem aliquando sanctus Augustinus illud adjutorium, partim in Angelis & hominibus primis ante peccatum, partim in lapsorum quoque hominum posteritate, quando eam tali gratiâ adjutam, saltem credere posse cum Semi-pelagianis errando opinatus est: sed nunquam eò absurditatis venit, ut illud vel semper effectu suo carere propter quem datur, vel id auxilium quod reipsa influeret cum voluntate, ab eo quod non influeret, ita separandum esse decerneret, ut illud efficax, hoc sufficiens vocaretur. Nimis enim perspicuum est, illam non esse adjutorii talis, sed voluntatis differentiam, quæ eodem adjutorio sufficientem potestatem tribuente, vel non utebatur, vel utebatur, prout voluntati tribueretur. Itaque illud à recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est, aut fiet unquam, si est verum distinctumque à gratia efficace membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens, ideoque lapsis hominibus, citra Dei invidiam damnandis excogitatum. Quod cum altissima perspicacia sua videret Augustinus, simul atque ab illo suo errore resipiscere cœpit, silentio istud in omnibus operibus suis præteriit, sciens læsum hominis peccatoris arbitrium, non solùm eo uti pervicaciter nolle, sed ægritudine concupiscentiali deprimente, non posse: cui propterea solum Salvatoris medicinale adjutorium utile est, & evadendis peccati laqueis necessarium. Quâ consideratione illa aurea quæ diximus verba, hâc ipsâ de re differens protulit: *Tunc utile est velle cum possumus, & tunc utile est posse cum volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?* *Lib. de grat. & lib. arb.*

Sed sine dubio magna quædam & occulta necessitas Scholasticos illos Doctores ad istud gratiæ genus compulit. Cùm enim intelligere non possent, aliquem esse posse culpæ reum, cujus evitadæ careret sufficiēti potestate, coacti sunt aliquod sufficiens adjutorium omnibus hominibus, quibus præceptum imponitur, attribuere. Et hactenus quidem tolerabiliter, si tale statuissent, cum quo, sicut dicunt, omnium voluntatem operari posse si velint, ita quenquam pro illa eadem voluntatis flexibili libertate, unquam operatum esse statuissent. Quæ enim ratio est quæso? Nam si revera (& non solum dicis causa) talis istius gratiæ natura est, ut verè sufficientem tribuat potestatem utendi, quæ, quæso, ratio est, ut nulla voluntas eam unquam arripuerit? Sed hoc erat mysterium quod latebat. Videbant, si quenquam eo usum esse constituerent, jam tota machina efficacis gratiæ, hoc est, congruæ, corruebat: nam hoc ipso ista gratia transibat in efficacem, utpote qua, sicut non utebatur voluntas quando noluit, ita etiam quando voluit pro libero suo utebatur arbitrio. Quod cum eis perspicuè Scripturis sacris & Augustino repugnare videretur, quæ perpetuò clamant Deum facere ut velimus, facere ut faciamus, Deum operari velle atque perficere & hujusmodi, hoc est, Deum per gratiam suam post lapsum hominis largiri non solum posse, si velit, sed etiam velle quod potest, quod sanctis Angelis & hominibus primis non tribuebat gratia Dei, hinc coacti sunt gratiam illam sufficientem, quantumcumque plenam volendi potestatem liberrimæ & indifferenti voluntati dare diceretur, effectu suo semper & ubique non sine insigni absurditate, frustrari. Quod solerter animadvertentes quidâ gratiæ congruæ defensores, ut sese ex illo laqueo eriperent; in alium sese periculosiorem induerunt. Aperte enim dicere ausi sunt (quod revera rationum nexus postulabat) efficacem & sufficientem gratiam ab eventu nuncupari. In potestate quippe liberæ voluntatis esse, gratiam quamcumque reddere pro libero nutu suo efficacem vel inefficacem in actu secundo. In quo quidem valdè consequenter longèque aptius juxta principia recentiorum, quæ de gratia congrua condiderunt, ratiocinantur. Sed non animadvertunt isto modo universum gratiarum adjutorium, quod à voluntatis cooperatione & & sufficiens & efficax vocant, non solum reipsa sicut & ceteri, sed ipso quoque loquendi modo ad adjutorium *sine quo non*, ad adjutorium *potentiale*, ad adjutorium *primi hominis & Angelorum* revocare, ut non solum verissimis & solidissimis Augustini principiis, sed & ipsis ejus verbis quæ latissimè in præcedentibus attulimus ac deduximus, evertantur. Habent enim illud ipsissimum adjutorium, quod, sicut & bonis & malis Angelis & hominibus primis dedit, dat etiam lapsis sufficientem agendi potestatem, ita ut adjutorium istud deserere, eo uti & non uti, cum eo perseverare vel non perseverare,

severare, in libero relinquatur arbitrio. Quæ A sunt ipsissima verba quibus Augustinus voluntatis integræ ac sanæ descripsit adjutorium, & ab ægrotæ voluntatis adjutorio separavit.

Et isti quidem evidentius convincuntur, non aliam nisi sufficientem Adami gratiam, reparationi inutilem, pro Christi medicinali adjutorio defendere, quemadmodùm supra latiùs declaratum est. Sed non propterea alii congruæ gratiæ defensores, quamvis multum luctentur, ab illo laqueo se expediunt. Omnes enim explicandi modi quos laboriosè industriéque concinnarunt, ut ostendant Christi gratiam sufficienti gratiæ primi hominis & Angelorum antecellere, congruamque medicinam læsæ afferre voluntati, eò tandem per multos labyrinthos redeunt unde egressi fuerant. Cum enim gratiæ sufficientis natura, quæ primo homini illæso & B Angelis collata fuit, in eo proprie sita fuerit, ut ejus usus ac neglectus in libero relinqueretur arbitrio, cujus indifferentia per istam gratiam, ad nullam partem astringeretur (ut latiùs paulò ante declaravimus, & fusissimè Augustinus ex professo docet) ostendendum eis erat, hanc essentialem gratiæ primævæ atque sufficientis notam non reperiri in ea gratia efficace, quam deprædicant. Quod si hoc ostendere est impossibile, imò jacturam istius notæ tanquam libertatis interitum capitaliter fugiunt; frustra aliud gratiæ genus, quàm primi hominis & Angelorum, se afferre gloriantur. Quicquid enim dixerint de tractus illius suavitate, potestate, efficaciâ: quicquid de congruitate cum voluntatis arbitrio: quicquid de decretis Dei, quibus ipse actum volendi & faciendi liberæ voluntati sanxerit esse largiendum; differentiam aliquam fortassis inferet in ipsum Deum gratiæ C largitorem, qui aliter se ad hunc quàm ad istum habeat, in modum verò operandi gratiæ sufficientis nullam. Nihil enim omninò reperire poterunt in modo operandi gratiæ Angelorum, quem descripsit Augustinus, quod non tali adjutorio efficaci exactissimè congruat. Nam quantumcumque dicant, gratiam istam facere ut voluntas operetur, cum ad cardinem venitur, eo res redit, ut gratia molliat, suadeat, trahat, alliciat congruentissimè, sed sic tamen, ut ultimum decretum operationis debeat à voluntate proficisci; quæ stantibus omnibus stat adhuc velut in bivio indifferens, eâdemque libertate quâ gratiam propter congruitatem ejus amplectitur, etiam non amplecti potest. Quod quemadmodùm fiat, è contrario ex gratia sufficienti recentiorum facilius intelligitur. Sic enim eam respuit voluntas, ut eâdem illâ D suâ indifferentiâ possit eam apprehendere & sequi. Adest enim utrobique congruitas & incongruitas comparatione voluntatis. Ibi blanditur voluntati gratiæ seu spiritualis boni congruitas, ac deterret boni carnalis positi incongruitas: hic è contrario allicit boni terreni congruitas, ac deterret boni spiritualis seu gratiæ incongruitas. Sed sicut non obstante illâ gratiæ sufficientis incongruitate, terrenique boni propositi congruitate, voluntas est, quæ suo negligendi decreto gratiam inefficacem facit, utpotè quæ stantibus ijsdem omnibus poterat non utendo reddere inefficacem. Planius hoc eluceset, si consideraverimus etiam peccata voluntatis ex tentationum congruitate proficisci, tentationesque, sicut recentiorum gratias congruas, in motibus indeliberatis vehementissimis esse sitas. Nec tamen idcircò quisquam eorum voluntatis libertati tribuendum esse negat, quod tentationis motus fiat efficax vel inefficax.

Nam quod Deum aiunt intendere ac prædefinire voluntatis consensum, coque fine gratiam congruam seligere, modum operandi gratiæ nihil omninò mutat. Semper enim cardo voluntatis est, quæ hoc efficit, ut ad actualem influxum gratia rapiatur. Idcircò enim addunt vel expresè vel virtute præscientiam Dei conditionatam, quâ videt quomodo se erga gratiam unamquamque voluntas uniuscujusque habitura sit; aliam daturus si fortè datam gratiam suâ tereti ac indifferenti libertate respueret. Quâ explicatione & scientiæ conditionatæ exploratione, dum gratiæ potestatem explicare satagunt, quasi illa faciat velle voluntatem, apertiùs totum nutui voluntatis asscribunt, utpotè cujus æquilibrium tantâ exploravit curiositate, ut sciant, quònam ipsa indifferentem suum flexum conversura sit. Quod tunc constabit manifestissimè, si Deo nihil, neque præsciente, neque decernente, prorsus easdem hominibus gratias dari statuam in iisdem omninò rerum omnium circumstantiis. Tunc enim perspicuum erit, non esse gratiam quę det velle & facere voluntati, sed voluntatem quæ facit reipsâ facere gratiam, quamvis sine gratia facere ac velle non possit. Tunc enim gratia blandienti interiùs tentationi omninò similis est, cujus usus & non usus in libero relinquatur voluntatis arbitrio, ut utramvis vel consensum addendo reddat efficacem, vel suspendendo inefficacem. Hic autem est ipsissimus character ac nota gratię primi hominis atque illęsæ voluntatis, quę duo sibi mutuo semper nexa sunt. Non enim aliud ista gratia confert lapsæ voluntati, nisi *posse si velit*, sic ut juxta descriptionem accuratam Augustini, velle & nolle, facere & non facere, perseverare & non perseverare relinquatur in libero voluntatis arbitrio. Unde Franciscus Suarez talis congruæ gratię præcipuus defensor, cùm de congruitate cogitationis honestę per quam opera moraliter bona veluti per gratiam congruam naturalé operamur, disputaret, quam congruitati gratię omninò æquiparari tradit apertissimè profitetur:

Eij

Lib. 3. de grat. c. 12. num 18. *Ex solâ fide errare voluntatis posse contingere ut uni sit congrua hic & nunc cogitatio quæ alterum non moveat, & consequenter non est illi congrua.* Addit

Ibid. n. 17. etiam, *sive Dei præscientia non posse intelligi inæqualitatem in tali beneficio, quo scilicet dat cogitationē congruam vel incongruam.* Ex quo

Ibid. n. 20. etiam sequi dicit, *Cogitationem congruam ut talis sit solùm esse necessariam necessitate consequente seu concomitante*, hoc est, *ex suppositione ipsius operis*, necessitate verò *antecedente*, seu causæ, *solam cogitationem sufficientem esse necessariam.* Quia ut

Num. 21. se declarat, *Cogitatio congrua non est necessaria ut actus esse possit, sed ut sit, illumq; infallibiliter infert. Nam eo ipso quo voluntas non sequitur cogitationem non est congrua neque efficax: igitur si cogitatio est congrua infert statim effectum bonæ voluntatis. Hanc ergò necessitatem dicimus esse consequentem non antecedentem: quia cogitatio non constituitur in esse congruæ, nisi quia voluntas ex sua libera determinatione illi consungitur. Est ergò congruitas consequens* B *actum voluntatis non antecedens illum.* Addit uberius infra:

Num. 22. *Denique si talis cogitatio ut congrua, esset necessaria necessitate antecedente, tolleret libertatem voluntatis, quia præveniret consensum eius. Est ergò hæc necessitas consequens sive consideretur in re ipsa seu in executione, sive in præscientia Dei. Nam Deus præscit cogitationem esse congruam, quia habitura est effectum cooperante liberâ voluntate, non quia secundum se spectata illa cogitatio necessariò inferat talem voluntatem.* Et non multis interpositis:

Num. 23. *Qui habet cogitationem honestam sufficientem potens est facere, ut illa sit congrua, aliàs congruitas non esset conditio consequens sed antecedens: sed non aliter potest facere cogitationem illam congruam, nisi consentiendo illi.* Denique absolutissimè in superioribus de cogitationibus congruis ad actus moraliter honestos necessariis ita con-

Ibid. cap. 12. num. 12. cludit: *Ergò eadem omninò cogitatio seu æqualis potest esse alicui congrua vel incongrua pro sola libertate* C *voluntatis volentis hoc vel illud cum solo generali concursu Dei (loquimur enim nunc intra ordinem naturæ) nam si voluntas consentit, cogitatio est congrua, si dissentit denominatur incongrua.* Similia in opusculo de auxiliis tradit, ubi congruitatem vocationis & gratiæ in ordine supernaturali explicare conatur: *Nihil in re includit ex parte hominis, quod non includat vel includere possit vocatio sufficiens, si homo illa uti velit.* Et mox: *In potestate hominis, de quo Deus præscivit non consensurum vocationi, est facere ut Deus præsciverit ipsum consensurum vocationi*; & consequenter efficere ut illa vocatio sit congrua. Quocumque igitur talis gratiæ auctores sese vertant, ventilent, spargant, quocumque modo se explicent, nihil habent nisi gratiam primi hominis & Angelorum, quæ inflictam voluntatis ægritudinem nec sanare, nec juvare, nec attingere potest. Quomodo enim ægrotantem sanabit voluntatem, cùm hoc ipsum quod in ea sanandum erat, illæsum esse, integerrimumque supponat? Nam etiam indifferentem arbitrii volubilitatem ac potestatem ad volendum adjuvante gratia, nolendumque bonum (propter quam dixit Augustinus, *quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & malè*, & propter quam dixit, quod prioris integritatis gratia daret ei *posse si vellet*, hæc posterior dare debeat ipsum *velle quod potest*) in suo vigore permansisse manifestum est, utpote quem eodem modo voluntas post lapsum suum contractamque terrenarum cupiditatum ægritudinem gratiâ adjuvante exserat. Itaque utrobique naturæ integritas asseritur, utrobique peccatum originale tollitur, utrobique etiam gratia fit potentialis & sufficiens exspectans ad influxum suum actualem consensum voluntatis, quamvis non sine gratia exserendum; atque ita utrobique habetur adjutorium *non quo fit velle, sed sine quo velle non potest*. Cujusmodi adjutorium cum adjutorio incarnationis & crucis Christi, & adjutorio medicinali ægrotæ voluntatis nihil commune habet, sed ad adjutoria Pelagii, & Massilienſium, & Augustini ante Episcopatum referendum est. Et hæc de de gratia quam recentiores efficacem vocant, pertransennam dicta sint, superest ut illam quam propriè sufficientem dicunt, absolvamus.

Lib. 3. de concurs. c. 14. n. 14.

Lib. de natura & gratia c. 69.

CAPVT QVARTVM.

Ex natura gratiæ Christi ostenditur, nullis dari sufficientem gratiam juxa sensum recentiorum, qui conantur directè contrarium ejus persuadere, quod Augustinus de lege & gratia sufficiente.

HANC igitur sufficientem gratiam A Augustini principiis & Scripturarum repugnare, ex alio quoque capite quod apud ipsum crebro inculcatur, demonstrari potest. Docet enim

Lib. de prædest. Sanct. cap. 8. non semel, veram Christi gratiam *à nullo duro corde respui*, sed *ideò tribui, ut cordis duritia primitus auferatur.* Cui principio consequenter

Lib. de grat. Christi c. 14. constanterque tradit, quando Deus *docet non per legis litteram, sed per sancti Spiritus gratiam, ita docere ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat.* Hinc ulterius docet, nullam Christi gratiam effectu operis ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia frustrari; frangit enim ante omnia ipsam illam voluntatis pervicaciā, per quam effectus ejus impediretur, atque ita quandocumque largitur gratiam suam, simul dat incrementum Deus; ipsa quippe gratiæ infusio est

est incrementi donatio, prout hæc omnia fusius in superioribus declaravimus. Horum autem nihil competere posse gratiæ sufficienti per se manifestum est.

Hæc igitur vera & genuina ratio, cur Augustinus in omnibus operibus suis, pluribus quam sexcentis locis, semper Christi gratiam opponat legi atque doctrinæ, quarum ista solam prævaricationem afferat; quia lex per legem à nemine impleta est, aut impleri potest, illa liberationem; quia quod impossibile erat legi, per gratiam impletur: *Hoc opus est gratiæ* (credere scilicet quod lex jubet) *tollentis peccatum & vivificantis mortuum peccatorem, non opus legis ostendentis peccatum nec à peccato vivificantis &c. Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ salutaris Scripturarum sanctarum etsi fuerint inimici, fiunt amici: non opus eiusdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt, sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et iterum: *Non ergò gratiam dicamus esse doctrinam sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Et in epistola octogesima tertia: *Ad abundantiam igitur delictorum lex nos docet, quid velle debeamus, nisi adiuvet gratia, ut quod volumus valeamus, & quod voluerimus impleamus.* Et libro de Spiritu & littera sæpissimè: *Voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, sanata voluntas impleat legem.* Et inferius docet iterum atque iterum, quod præcepta & *lex sine adiuvante Spiritu procul dubio est littera occidens: cùm verò adest vivificans Spiritus* (per gratiam) *hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et iterum: *Lex data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex impleretur.* Cujusmodi doctrina per omnes Augustini lucubrationes infinitis locis dispersa est, quorum copiâ faciliùs obtunderetur quàm instrueretur auditor. Nimirum hoc instantissimè ubique per istam propositionem indicatum cupit, ubicumque præceptum insonat sine gratia, ibi nihil aliud nisi præcepti prævaricationem sequi, ubicumque Deus per Spiritus sancti gratiam misereretur, ibi præcepti impletionem. Hoc enim supplet gratiæ efficacia, quod deest doctrinæ & legis efficaciæ. Nam idcircò gratiam suam Salvator attulit, ut nos à legis prævaricatione liberaret.

Hinc ergò tanquam ex vera genuinaque causa proficiscitur, quod Augustinus de gratia & lege contrario prorsus modo differat, atque Scholastici recentiores. Hi enim nihil majori sollicitudine satagunt, quam ut ijs qui per præceptum aut legem Dei aliquid sub pœna perditionis facere compelluntur, gratiam sufficientem tribuant, qua lex ab eis absque reatu prævaricationis possit impleri, ne alioquin in Deum potiùs quàm in prævaricantes culpa revertatur: quo timore adducti libera- D litatem gratiæ sufficientis ad infideles omnes, maximè quibus fertur lex, imò ad obduratos excæcatosque diffundunt. Augustinus directè è contrario, quasi de industria laborasset ut istas opiniones interimeret, legem & præ- A cepta idcircò superbis hominibus data esse & plerumque dari docet, ut agnoscant se ad legem implendam non sufficere, sed multitudine prævaricationum confusi ac territi, ipsâque confusione ac timore humiliati discant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere, ut gratiâ adjuti possint implere, quod antea acceptâ duntaxat lege non poterant. Doctrina ista in Augustino celeberrima, certissimaque est & velut basis veteris ac novæ legis, quam qui labefactare tentaverit, universam œconomiam veteris novique Testamenti confundere molitur. Probavimus eam in libro præcedente plurimis Augustini testimoniis, utpote quo nihil in Augustino celebratius est. Quare ne actum agamus, eo remittimus Lectorem, doctrinamque ibi traditam, tanquam in Scripturis apertè comprehensam, ex quibus eam profundissimus Doctor hausit, hîc supponimus; pauca tamen Augustini loca sequenti capite delibare contenti. Quæ si vera est (sicut verissimam & Apostolicam tot à nobis ibi prolata ex Apostolo & Augustino testimonia convincunt) sequitur profectò sententiam illam quæ legem sufficienti gratiâ semper succinctam introducit, non solum esse falsam, sed Augustino Scripturisque contrariam. Nam illi constantissimè docent, legem idcircò datam ut agnita per multitudinem peccatorum non solum infirmitate, sed impossibilitate suâ, ad implendum id quod præcipiebat Deus, adjutorium gratiæ quæreretur. Nam idcircò *lex iram*, hoc est, supplicium *operatur; ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur*, ut inquit Augustinus, & ante Augustinum Apostolus: *Conclusit Scriptura* (legis) *omnia sub peccato, ut* PROMISSIO *ex fide Christi daretur credentibus*, id est, ex gratia per fidem orantem impetrata. Hæc enim abundantia peccatorum & conclusio sub peccatis, hæc iræ comminatio peccatorem de infirmitate convictum atque confusum, *adiutorium gratiæ Dei compulit poscere.* Tantum ergò abest ut gratia sufficiens implendi legem, adesset accipientibus legem, ut è contrario juxta doctrinam Apostolicam ab Augustino propalatam, directè repugnaret præcipuo scopo legis, Deique occultissimam & sapientissimam & misericordissimam intentionem subveniendi humanæ imbecillitati, sanandæque superbiæ funditus interimeret. Fatuum est enim à Deo poscere, quod jam concessum habes in tua potestate, juxta illud Augustini ex fundo veritatis haustum: *Quid stultius quam orare ut facias, quod in potestate habes?* Quid enim is poscat implendi præcepti vires, qui jam sufficientes accepit? Quomodo prævaricando agnoverit infirmitatem suam, qui sufficiens adesse sibi sentit adjutorium? Si enim non implet quod præcipitur, quid de viribus suis satagat aut conqueratur, quas jam in adjutorio dato sufficientes habet? Velit enim implere, & lex implebitur, ubi nihil eum nisi voluntas non potestas deficit. Si autem hæc ab Augustini & Apostoli doctrina, & à regula Ecclesiasticæ veritatis remotissima sunt,

Vide fusè dicta lib. 1 de gratia Christi Salvatoris c. 11. & 13. & 14.

Lib. 2. operis imperfect. contra Iul. fol. 369.

Galat. 3.

Augustin. ibid. f. 437.

Lib. de nat. & grat. c. 8.

Ibid. c. 15. sunt, juxta quas *præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes, adiutorium divinum precemur*; profectò falsum est ijs quibus datur præceptum, aut lex hoc ipso A gratiam adesse sufficientem, qua lex impleatur, cùm ideò potiùs lex detur, ut gratia ad implendum sufficiens requiratur.

CAPVT QVINTVM.

Iudæis lex data est, & Christianis plurimis præcepta dantur sine ulla gratia sufficiente aut adjuvante. Probatur hoc multis modis, & ostenditur illam gratiam repugnasse scopo legis.

QVOD si quis adhuc fortè in ista sancti Augustini vel mea ratiocinatione vacillaverit, nec facile generali istâ ratione induci possit, ut multis legem jubentem sine gratiæ adjutorio datam esse, & etiamnum dari credat, claris Augustini testimonijs persuadendus est. Hoc enim imprimis probat, quod crebertimè docet, legem, præcepta, doctrinam sine gratia, non tantum nihil juvare, sed prævaricationis reum facere: Litteram, si sine Spiritu adjuvante fuerit, non tantum nihil prodesse, sed etiam occidere. Sic enim *Epist. 107.* loquitur in Epistola ad Vitalem: *Quàm doctrinam, qui audiunt & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et iterum ibidem: *Lex Dei atque doctrina, quamvis sancta & iusta & bona, tamen occidit, si non vivificat Spiritus.* Et *Lib. de Spir. & litt. c. 4.* in libro de Spiritu & littera: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala* B *concupiscentiam bonam, profectò illa lex quamvis bona auget prohibendo desiderium malum &c. Et hoc est, quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam prævaricatio.* Et infe- *Ibid. c. 5.* rius paucis interpositis: *Legis littera quæ docet non esse peccandum, si Spiritus vivificans desit, occidit: Scire enim facit peccatum potiùs quam cavere, & ideò magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ etiam prævaricatio legis accedit.* Et iterum post multa; quibus rem istam ex pro- *Cap. 15.* fesso probaverat: *Apparet igitur littera vetustatem, si desit novitas Spiritus, reos facere potiùs cognitione peccati, quàm liberare à peccato &c. Non quia lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adiuvante Spiri-* *Lib. de grat. Christi c. 8.* tu. Et in libro de gratia Christi: *Cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio &c. Ac per hoc usque adeo aliud est lex, aliud gratia, ut lex non solum nihil* C *prosit, verùm etiam plurimum obsit nisi adiuvet gratia. Et hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adiuvandos. Iubet enim magis quàm iuvat, docet morbum esse non sanat, imò ab eo potiùs quod non sanatur, augetur, ut attentius & sollicitius gratiæ medicina quæratur.* Et in libro de gratia & libero arbitrio, cùm commemorasset legem *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 4.* dicere, *noli vinci à malo*, mox adjungit: *Quod tamen ut fiat, adiuvat gratia*; *quæ* NISI ADIVVERIT *nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & majores vires accipit lege prohibente,* NISI ADIVVET SPIRITVS GRATIÆ. Et adhuc inferius: Per legem cognitio peccati. Cognitio non consumptio. *Quando autem cognoscit homo peccatum,* SI NON ADIVVAT GRATIA *ut cognitum caveatur, sine dubio lex mala operatur.* Et in operibus ad versus Iulianum: *A concupiscentia quoscumque illexerit victi pertrahuntur maiore impetu, cùm lege prohibentur si gratiâ non iuvantur.* Cujusmodi testimonia tam densè in Augustini scriptis occurrunt, ut ijs congregandis moles in librum creseceret. Quid verò ista omnia sibi volùt, si juxta recentiorum placita, Lex sine sufficienti gratia dari aut esse non potest? An Augustinus de metaphysica speculatione ac præcisione, hoc est, de speculativa hypotheticæ propositionis veritate disputat, quæ nunquam accidere potest, an verò de casu, quem Paulus Apostolus, cujus doctrinam exponendo tradit, in Iudæis & quotidianâ conversatione locum habuisse cernebat? Rem enim istam tanquam experientiâ quotidianâ comprobatam & notam, ad memoriam duntaxat Augustinus revocat. Quod satis significavit quando dixit: *Agnoscamus gratiam, quæ* *Epist.* facit prodesse doctrinam: quæ gratia si desit videmus etiam obesse doctrinam. Quod exemplo discipulorum quorundam, qui in ejus doctrina sunt scandalizati, probat. Vnde etiam cùm docuisset, quod *scientia legis* SINE GRATIA SPIRITVS *operatur in homine omnem concupiscentiam*, hoc ipsum continuò exemplo Apostoli nondum sub gratia constituti, probat: *Peccatum enim*, inquit Apostolus, *non cognovi nisi per legem, occasione autem acceptâ peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Nempè quando sine gratia Spiritus, legem acceperã. Et verò illa mali desiderij inflammatio, ille prævaricationis accessus, illa peccati virtus, illa iræ operatio, ille major cupiditatis impetus, & hujusmodi quæ sanctus Doctor deficiente gratiæ adjutorio sequi tam sollicitè docet, ostendunt profectò, non ex hypothesi quæ nunquam accidit, Augustinum loqui, sed ea commemorare mala, quæ reipsa in hominibus quotidie accidunt, & quæ reipsa olim in Iudæis atque alijs contigerunt.

Hoc ipsum itaque secundò probat, quòd sexcentis locis perspicuè tradit, reipsa homines gratiæ adjutorio, quod ad implendam legem necessarium est, caruisse, ideòque sæviente concupiscentiâ non nisi sub prævaricatione jacuisse reos. Hoc est enim, illam hypotheticam propositionem; quâ sæpè dixit, si littera est sine Spiritu, si lex est sine

gratia

gratia prævaricatorem facit, exemplorum demonstratione oculis subjicere. Hinc explicans illud Apostoli: *In quo infirmabatur per carnem &c.* qui de præterita Iudæorum infirmitate & legis prævaricatione loquebatur: *Lex enim subibat*, inquit, *& non implebat, quia* cato. UBI NON ERAT GRATIA, *invidissimè resistebat.* Et iterum ibidem: *Quomodo ergò lex nisi opitularetur iubens per litteram*, ET NON DANS GRATIAM, *infirmabatur per carnem?* Quod ideo dicit, quia non solum lex non dabat gratiam, sed quia cum lege data illis transgressoribus per carnem infirmatis gratia non dabatur. Causam enim cur non daretur, adjungit: *Quia nondum mens convicta prævaricationibus quæsierat Salvatorem*, à quo videlicet adjutorium gratiæ contra carnis infirmitates præberetur. Et in Psalmum centesimum sextum explicans illud: *Humiliatum est in laboribus cor meum*, ita loquitur: *Et nunc pugna contra concupiscentiam Deo desistente ab adiutorio, laborare potes vincere non potes.* Et ad illud: *Infirmati sunt, nec fuit* QUI ADIUVARET; sic ait: *quid ergò restat, nisi quare factum est? Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset iustitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio* (id est gratia) *ex fide daretur credentibus. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod male faciebas, & accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem superbiæ.* Et experientiam deficientis adjutorij subdens: *Invenerunt se non posse sine eius adiutorio, qui de suis solis viribus præsumebant.* Et in fragmento cujusdam sermonis ad populum: *Qui cæcitatem suam medico confiteri noluerunt, remanserat illis lex sine gratia. O miseri, quid fecit lex sine gratia, nisi magis reos? Quare? Quia legis auditores & non factores, & per hoc prævaricatores.* Et in libris contra Faustum satiatissimè docet, non modo cogitatione & fictione quâdâ, sed reipsâ legem in Iudæis qui eam acceperant, à gratia fuisse separatam, eamque cùm posteà littera legis accederet, impleri cœpisse. Quâ de re in libro decimo quinto: *Eadem*, inquit, *Lex, quæ per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, cum accessit littera Spiritus* (id est gratia) *ut inciperet impleri iustitia legis, quæ non impleta reos etiam prævaricatione faciebat.* Et non multò inferius: *Proindè quod est oculis sanitas ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Et sicut oculi sani non solis delectationi moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus reverberati in densiores tenebras pellebantur: sic anima per charitatem Spiritus salva facta non iustitiæ legis mortua dicitur, sed illi reatui & prævaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat.* Et in libro decimo nono ejusdem operis: *Antequam spiritalem gratiam humiliati reciperemus, nihil nisi mortificabat nos littera, iubens quod non possemus implere, unde idem dicit, Littera occidit, Spiritus autem vivificat &c. Quæ lex enim superbos etiam prævaricationis reatu devinxit, augendo peccatum cùm iubet, quod implere non possunt: ipsius legis impletur iustitia per gratiam Spiritus &c.* Et in tractatibus in Ioannem: *Illi libri prodebant languidos non sanabant.* *Tract. 17. in Ioan.* *Lex enim peccatores convincebat, non solvebat. Ideo littera* SINE GRATIA *reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat &c. Quare ergò data est lex? Sequitur: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quid evidentius?* Et in sermone tertio de verbis Apostoli: *Vis videre quid valeat* SINE SPIRITU ADIUVANTE *littera iubens? Virtus peccati lex: quia subintravit, inquit, lex ut abundaret delictum?* QUIA UBI GRATIA NON ERAT, *auxit prohibitio desiderium, & cùm quasi de propriâ præsumitur virtute, factum est grande vitium.* *Serm. 3. de verb. Apost. c. 10* Et in alio sermone de verbis Apostoli: *Quid prodest legem accipere minantem, &* NON ADIUVANTEM, *ut sub illa essemus rei* ANTE GRATIAM DEI? *Frustra lex minatur, ubi iniquitas* (id est concupiscentia) *dominatur.* *Serm 12. cap. 1.* Quæ doctrina tam est familiaris Augustino, ut vix liber sit, vix epistola contra Pelagianos exarata, ubi non eam consignaverit, ut beneficij magnitudinem ex gratiæ raritate commendaret. Nec verò eam Augustinus velut peculiarem opinionem suam tradit, sed tanquam certam & exploratam, & ex Scripturis quibus eam probare solet, haustam Catholicamque doctrinam. Ex quo factum est, ut cùm Manichæi scirent illum Ecclesiæ sensum esse, quod lex propter defectum gratiæ subintraverit, ut abundarét delicta, atque ita virtus esset peccati, novam hæresim condiderunt, qua legem asseruerunt esse malam, & à malo Deo traditam; quemadmodum etiam alio in loco commemoravimus. Ut quid enim propter abundantiam peccati ex lege proficiscentem ab Ecclesia deflecterent, si Ecclesia docuisset id, quod novi Scholastici docent, gratiam cavendi superandique peccati sufficientem legi affuisse? *Vide Aug. Serm. 49. de tump. c. 1. & Serm. 11. de verb. Apost. c. 9.*

Denique istum gratiæ sufficientis defectum in victè probat, ista statuum humani generis, atq; adeo singulorum hominum divisio, quæ tam familiaris ac trita est apud Augustinum. Docet enim diversis lucubrationum suarum locis, tres esse in hac vita status hominum: in quorũ primo est profunda legis agendarumq; rerum ignorantia; in secundo scientia legis & transgressio, eo quod nullo gratiæ auxilio infirmitas adjuvetur; in tertio gratiæ adjutoriũ. Quam ob causam status primus dicitur ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia: ut hoc ipso intelligamus, homines totum statum primum & secundum sine gratiæ spiritalis adjutorio transigere, nec aliud nisi vel peccata ignoratæ legis, vel agnitæ prævaricationes perpetrare. De quibus statibus quamvis alibi multa diximus, hìc tamen illâ divisione suppositâ, quantum intelligendæ præsenti veritati satis fuerit, aliquid de adjutorio secundi status eorum qui sub lege positi sunt ante gratiam, attingendum est. Nam de superbis hominibus qui sub lege sunt loquitur, quando in libro de gratia & libero arbitrio dicit: *Vide fusè dicta lib. 3. de statu naturæ lapsæ toto cap. 6. & sup lib. 1. de gratia Christi Salvatoris c. 14.*

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 22. *Sub lege enim erant non sub gratia; & ideò eis dominabatur peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratia. Propter quod alibi dicit: Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Non quia lex mala est, sed quia sub illa sunt, quos reos facit iubendo, non adiuvando. Gratia quippe adiuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor.* Et in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: *Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse, quæ facimus, & fatendo mala esse utiq; nolumus facere: sed quia* NONDUM EST GRATIA *superamur.* Et quæst. 1. l. ad Simplic. *Et quia peccatum* (hoc est concupiscentia) *sine gratia Dei vinci non poterat, ipsâ reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur.* Et inferius: *Vnde appareat concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam. Consequens autem erat ut quoniam* NONDUM ACCEPTA GRATIA *concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam &c.* Et post pauca: *Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admiscetur quod vetatur, fallit peccatum falsâ dulcedine.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum divinus adiuvat Spiritus, secundum legem volens vivere, vincitur, & sciens peccat.* Vbi quod dicit: *si nondum adiuvat Spiritus &c.* non ideo dicit quasi ordinariè sub lege Spiritus adjuvet, sed quia per extraordinariam Dei benevolentiam contingere potest, sicut reipsa in perpaucis Iudæis, Prophetis videlicet, & similibus contigit, ut in illo, & in quolibet alio statu statim Spiritus gratiæ opituletur, prout ibidem profitetur: *Quidam secundùm illam servitutem sub lege esse non noverunt, sed cum mandato incipiunt habere adiutorem Deum.* Quo quorundam privilegio indicat, alijs sub lege positis hoc beneficum adjuvantis gratiæ non obtingere. Itaq; conformiter de illo defectu adjuvantis gratiæ, quæ est in isto secundo statu sub lege: *Vbi ergo non est* GRATIA *liberatoris auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum.* Et inferius: *Accedente autem gratiâ, idipsum quod lex onerosè iusserat, iam sine onere & libentissimè implemus.* Et iterum paulò post: *Sub istu pastoribus, quæ per legem erant, tanquam sub viro dominante, agebat anima, antequam veniret gratia: quæ etiamsi nolit peccare vincitur à peccato.* Et in libris contra Iulianum idipsum agens: *His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege vivebat,* & NONDUM ADIVTVS GRATIA *concupiscentijs carnalibus vincebatur.* Et in libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Lex enim quamvis iusta & sancta & bona prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adiuvit ad iustitiam legis implendam.* Et in Psalmos: *Terra mota est* (data lege) *& ipse est terræ motus, cùm conturbantur homines, quia legem implere non possunt.* Et causam afferens paulò inferius: *Lex infirmata sic accipi potest, eo quod non impleretur, non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos facit iuvando pœnam, nec adiuvando per gratiam.* Et in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos: *Sub lege pugnamus &c. sed quia nondum est* GRATIA *superamur.* Et iterum: *Lex data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem à peccato, sed ad ostendendum peccatum* ANTE GRATIAM. Et inferius aliquibus interpositis: *Nunc homo describitur sub lege positus* ANTE GRATIAM. *Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis iustè vivere conatur sine adiutorio gratiæ Dei.* Nempè quia nondum agnoscit illud sibi esse necessarium. Ecce quoties quàm densè, quàm instanter docet Augustinus eos qui sub lege positi sunt, nullum adjutorium benè vivendi præter legem accepisse, non adjuvari gratia, non adjuvari Spiritu Dei; usque adeò ut illum statum (sicut & illum qui est ante legem) in summa rerum agendarum ignorantia, peculiariter vocet statum ante gratiam. Ex quo (quod multipliciter docet) accidit ut quando cum concupiscentijs suis surgentibus pugnare volunt, facilius quam ante superētur, quia illę factę sunt prohibitione violentiores, nec ipsi gratiæ auxilio adjuvante robustiores. Itaq; talibus lex subintravit ut abundaret delictum, lex eis prævaricationis gratiâ posita est, lex fit eis virtus peccati, lex omnem in eis concupiscentiam & iram operatur.

In expositione quarundam propos. epist. ad Romanos num. 13.

Lib. 1. q. 1. ad Simplic.

Ibid.

Lib. 1. q. 1. ad Simplic.

In Enchiridio cap. 118.

Lib 83. qq. quæst. 66.

Lib. 6. contra Iul. c. 23.

Lib. 2. contra adversf. legis & Prophet. cap. 7.

In Psal. 67.

Ibidem

Quæ quemadmodum generaliter loquendo in Iudæis plerisq; in illo statu ante advēctum Salvatoris perpaucis exceptis locum habuerunt, ita etiam nunc post ejus adventum in nonnullis Christianis locum habent. Nam & illis, cùm vel peccata, maximèque superbia, eorum hoc mereretur, vel etiam cùm ad ipsam gratiam agnoscendam & invocandam instruendi sunt, subintrat præceptū ut abundet delictum, & fit eis virtus peccati lex, dum gratia ad legem implendam adjuvans subtrahitur ac differtur. Quâ de re nonnihil etiam in superioribus diximus, multaq; ex August. dici possunt. Ex his igitur sufficiēter demonstrari puto, esse quendam sub lege statum sub quo generaliter (paucis exceptis) Iudaica natio ante Salvatoris adventum fuit, in quo non solum non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur, multo minus gratia sufficiens ad salutem, sed è contrario (ut jam ante secundùm Augustinum diximus, & propter momentum rei non parum abstrusæ à multorum cognitione sæpius commendari expedit) talis gratia lationi legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat. Nam juxta constantissimam Aug. doctrinam, ab Apostolo præformatam, legis-latio illum habebat scopum, vt insonante præcepto, ac terribiliter pœnas, nisi hoc facerent comminante, gratię necessitatem, ipsa gratiæ adjuvantis subtractione docerentur. Nam ante gratiæ adjutorium, omnis homo carnalium rerum amore, maximèq; superbiâ suâ plenus est, qua putet accepta rerum agendarum cognitione se, si voluerit, implere posse quod jubet Deus. Ignorat libidinum internarum imperium, quibus obstrictus est, multoque magis

In expositione quarundam propos. epist. ad Romanos num. 13.

Vide lib. 1. de gest. Christi Salvat. cap. 14.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eas alieno adjutorio esse moderandas. Hanc superbiam nullo convenientiori modo dedoceri potest, quam ut subtracto gratiæ juvantis ac sufficientis adjutorio, Deus eum vires arbitrij sui experiri sinat. Sic enim ex experta suarum infirmitatum magnitudine & peccatorum multitudine intelliget, non tantum jubentem, sed adjuvantem esse necessarium, hoc est, ad agnoscendum & implorandum infirmitatum suarum medicum & largitorem gratiæ, quæ superandis libidinibus sufficiat, per ipsam gratiæ inopiam perducetur. Quod innumeris ab Aug. locis expressum est, ut superius latissimè deductum est, & hic breviter tantum refricabimus: *Data est lex*, inquit, *ad ostendendum quantis, quamque arctis vinculis peccatorum constrictè tenerentur, qui de suis viribus ad implendam iustitiam præsumebant.* Et in alio istius libri loco: *Præcepta legis ideò non sunt impleta, quoniam quibus data est lex antegratiam, B debiti erant carnalibus bonis &c.* Et in sermonibus de verbis Apostoli: *Deinde ne lex videretur aut sufficere posse homini habenti liberum arbitrium, etiamsi nullum ultra divinum auxilium porrigeretur, aut certe iustitia data fuisse crederetur, dicta est causa, quare sit lex data, quia & ipsa in adjutorium data est, sed non sicut gratia. Data est enim, sicut iam exposuimus, & tenere debetis, & vobis vehementius & diligentius nos commendare debemus: data est ut inveniret se homo, ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente, medicus, id est, gratia adjuvans quæreretur.* Et in alio libro de quo Prosper illam ejus sententiam prompsit: *Qui legem dedit, ipse dedit & gratiam. Sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ & IMPOSSIBILITATIS morbum & inobedientiæ aufert reatum.* Et in epistola ad Anastasium: *Lex itaque docendo & iubendo quod sine gratia impleri non potest, hominem demonstrat sibi infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit, quod iussa non potest. Lex igitur adducit ad fidem* (gratiæ fontem) *fides impetrat Spiritum largitorem &c.* Et inferiùs: *Bona est lex illi quicunque legitimè utitur: utitur autem legitimè qui intelligens quare sit data per eius commonitionem confugit ad gratiam liberantem.* Et in libro secundo contra Adversarium legis & Prophetarum: *Lex quamvis iusta & sancta & bona prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia* NON ADIUVIT *ad iustitiam legis implendam.* Et quare non adjuvit eos Dei gratia? An crudelis est Deus? *Oportebat enim, ut in Testamento veteri lex imponeretur superbis & de suæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam sed iuberet; ac sic morte prævaricationis impliciti ad* GRATIAM *confugerent non iubentem tantummodo, sed* IUVANTEM *quæ novo Testamento* D *revelata est.* Et in quæstionibus super Exodum: *Timor incussus est eis, qui* GRATIAM *nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam, quæ* A *est in fide Iesu Christi.* Vbi mox addit, littera occidit, id est, *lex conscripta tantummodo iubens sine adiutorio gratiæ.* Et in libris ad Bonifacium: *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo perducit, ut sic conferatur homini, quod conferre ipsa non potuit.* Lib. 4. ad Bonif. c. 5. Dies deficeret si omnia istiusmodi testimonia proferre vellem. Sed existis, unà cum eis quæ loco jam citato diximus, sufficientissimè intelligitur scopum legis præcipuum fuisse, non ut per gratiam impletioni sufficientem, quæ simul data fuerit, impleretur, sed è contrario, ut per defectum gratiæ sufficientis & secutas inde prævaricationes ducerentur, non solum ad impetrandam, sed etiam ad agnoscendam gratiam qua legem implere sufficerent. Tanta est enim carnalium hominum superbia & cœcitas, ut nisi multorum lapsuum experientia frangi & erudiri non possit: *Voluerunt*, inquit Augustinus, *sanari & cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent nisi datam legem implere non possent.* Serm. 22. de pœnit. Et quia durissimum est istud medicinæ genus miranti carnalium cœcitati, cur non statim per gratiam sufficientem legis faciendæ difficultatem Deus auferat, sed homines infirmos tantâ quasi crudelitate persequatur, occurrit idem Augustinus: *Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem huius boni* (id est gratiæ afferentis facilitatem) *non agnosceremus. Si enim primitus cum vellet posset, & non sentiret adversus se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret, quod se posse sentiret, & non confiteretur Domino miserationes eius.* In Ps. 106.

Ecce quo modo, qua causa, quo scopo Dei, per insufficientiam legis implendæ ad gratiam qua sufficiat, homo sub lege constitutus perducatur. Cui profectò scopo Dei, sicut & ceteris quæ Augustinus passim tetigit, nihil repugnat magis quam si lex simul atque data est, sufficienti gratiæ adjutorio munieretur. Nam si illum scopum legis respiciamus, ut homo prævaricationibus inveniret infirmitatem suam ad implendam legem, atque ita fastus ejus detumesceret, quid illi repugnat magis, quam ut sufficienti potestate quæ per adjutorium suppetatur se munitum esse experiatur? Nonne potiùs congruit, imò necessarium est ad illum finem, ut omni gratia nudatus, viribus propriæ voluntatis relinquatur? Hoc enim nisi fiat, vires gratiæ suas esse, sine dubio arbitrabitur, & illi errori altius implicabitur, quem ei Deus per prævaricationes ereptum esse cupit. Quod si alterum scopum legis intuearis, ut videlicet tantâ impletionis difficultate, tantâque prævaricationum copiâ, sufficientis potestatis ac gratiæ largitorem agnoscere & implorare doceretur, quid absurdius quam ante prævaricationes sufficientem implendi gratiam attribuere? Nam præterquam quod etiam sic sufficientes illas quas experitur vires, non medici donum, sed suæ sanitatis robur esse existimabit, Deus ipse gratiam illam statim cum lege largiendo,

giendo, sibi ipsi repugnabit, nam si quis verbis alicui diceret, quia non sufficis implere quod jubeo, ora pro gratia qua sufficias, stultus esse profectò crederetur, si jam ei potestatem, qua sufficeret, donavisset. Legem verò tam difficilem dando, non verbis, sed factis idem omninò dicit Deus: cui facto suo contradicit, si gratiam implendæ legis sufficientem, ad quam implorandam erudit prævaricatorẽ legis, jam ipsâ legis-latione donaverit.

Quod si generatim loquendo, toti Iudaico populo præter paucos sufficiens implendæ legi gratia subtracta fuit, ut per multiplicationem infirmitatum suarum ad medicum, hoc est, ad gratiam ejus agnoscendam & invocandam erudirentur, nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis, de sua potestate adhuc præsumentibus, idem durissimæ institutionis genus adhiberi Augustino nobis præcurrente dicamus. Nam & illis gratiam implendi sufficientem non infrequenter subtrahit Deus, ut eis ipsa gratiæ subtractione ac dilatione humilitas ac gratiæ necessitas commendetur. Nam inde est illud in Psalmum centesimum sextum ubi Christiano jam veritatem scienti dicit: *Et nunc pugna contra concupiscentiam Deo desistente ab adiutorio, laborare potes, vincere non potes, & cùm fueris pressus consuetudine tuâ pravâ, humiliabitur cor tuum in laboribus, ut jam corde humiliato discas clamare, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Inde est illud contra Pelagianos etiam de justissimis: *Ideò quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non sua facultatis esse quod scit, vel quod delectatur, & sic ab elationis vanitate sanetur.* Et iterum de ijsdem justis: *Idcircò etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitijs tardius sanat, ut in his eos minùs, quam implenda ex omni parte iustitia sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est, ut quantum pertinet ad integerrimam regulam virtutis eius non iustificetur in conspectu eius omnis vivens.* Quis verò dixerit eum qui ignorat bonum, vel qui non delectatur bono sufficientem habere gratiam ut impleat bonum? Nam ex tali ignorantia boni proficiscuntur illa peccata ignorantiæ, quibus juxta Augustinum, vita justorum plena est, ut Augustinus dicat: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit?* Hoc est enim solius divinæ potestatis quæ hoc dat & negat cùm voluerit, Augustino consequenter adijcitẽ: *Cùm ergò nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ aut operis mentis comparatur.* Et ista est vera radix subtractionis gratiæ sufficientis. Tunc enim subtrahitur cùm Deus non præbet homini ut animus legis impletione delectetur, sed finit eum carnalibus delectationibus secundùm terrenarum rerum cupiditates rapi: *Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij &c. ille tribuit, ille largitur.*

Nec aliquis opponat isti veritati, orari saltem posse ut ista delectatio, qua sufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur. Nam etiam ad orandum quam maximè delectatio necessaria est, quæ non magis quam ceteræ, nostræ potestatis non est, sed à Deo per gratiam donari debet: *Nonne*, inquit, *aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & plenè nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia si vel hoc dolemus, iam oramus. Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere & quærere & pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus iubet.* Ita discimus non solum Iudæis sed & Christianis, non solum carnalibus, sed & spiritualibus gratiam talem sufficientem ad id faciendum quod jubetur frequenter subtrahi, atque ita subtrahi, ut nec pro tali gratia adipiscenda, deprecandi similis sufficiens gratia habeatur. Cujus doctrinæ vera ratio, juxta profundissimi Doctoris fundamenta, non est alia, nisi quia gratia sufficiens ad præcepta facienda cavendaque peccata, vera & magna & gratuita gratia est, quam spirat Spiritus ubi vult. Et hæc sufficiens gratia, juxta doctrinam ejus solidissimam, non est alia, nec, ut videtur, sine errore alia dici potest, quam illa quæ voluntatem facit facere; & in ea operatur reipsa velle & operari. Itaque quamcumque gratiam potentialem hominis, sive justo, sive injusto, sive Iudæo, sive Pagano adesse statuamus, nisi ipsam donaverit voluntatem & actionem, hoc est ipsum velle & operari, non est sufficiens gratia voluntatis & actionis. Amissum est enim illud pristinæ integerrimæque voluntatis æquilibrium, per quod ei, *non sine gratia*, sufficiente aderat posse si vellet, ita ut velle & nolle in ejus libero *(non sine gratia)* relinqueretur arbitrio. Hoc æquilibrium, quia contrario appetitus libidinosi seu concupiscentialis genere, voluntatem ad mortem usque corporis intimè penetrante ac possidente perditum est, non nisi medicinali illo adjutorio *quo fiat* ut velit, sanari potest. Non enim sufficit jam voluntati gratia, qua profit ei lex ac doctrina si velit, sed agnoscenda est illa gratia quæ reipsa *faciat prodesse doctrinam: qua gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.* Hæc gratia verò sufficiens, quamvis per Salvatoris adventum jam revelata sit, multis tamen deest etiam in nova lege Christianis; sed sub veteri Testamento quo tegebatur, pœnè toti Iudaicæ nationi, paucis exceptis defuit.

In Psalm. 106.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 17.

Ibid. c. 19.

Lib 1. q. 2. ad Simplic.

Ibid.

Ibid.

Epist. 101

CAPVT SEXTVM.

Quis fuerit ſtatus veteris Teſtamenti & hominum ſub eoviventium fusè declaratur,

NAM quod recentiores Doctores gratiam Chriſti etiam in veteris Teſtamenti tempora & hæredes tantâ diffuſione diſtribuunt, ut non ſolum per illud ſufficiens & ſemper præſens adjutorium legem implere, ſed & ſalutem per Salvatoris ſibi prædicati fidem adipiſci poſſent, à veterum Theologia qui gratiæ intelligentiam nobis tradiderunt plurimum diſſonat. Et quia iſtæ & ſimiles hallucinationes ex ignoratione veteris ac novi Teſtamenti, & ſcopi quem in utroque dando Deus habuit, in pleriſque naſcuntur, non abs re fuerit ordinem ac naturam utriuſque Teſtamenti, juxta profundam Auguſtini mentem doctrinamque, declarare: quibus intellectis per ſe ipſum innoteſcet, quid de gratia ſub illo Teſtamento data ſentiendum ſit, nec eò prolabemur abſurditatis, ut præ- B cellentiam novi Teſtamẽti à Ieremia & Ezechiele ſignificatam, in eo tantum ſitam arbitremur (quemadmodum nonnulli recentiorum arbitrati ſunt) quod in eo abundantior gratia effuſa ſit, quam in veteri fuit.

Hoc igitur qui à radicibus intelligere velit, cõſiderare debet, eſſe vitam quandam hominis carnalibus ſenſibus implicitam, gaudijs carnalibus deditam, quæ carnalem fugitat offenſionem, voluptatemque ſectatur. Hujus vitæ fœlicitas temporalis eſt, à qua vita incipere neceſſitatis eſt, quamvis in ea perſiſtere voluntatis. In hac quippè ex utero matris infans funditur, hujus offenſiones quantum poteſt fugit, hujus voluptates appetit, nihil amplius valet. Sed poſtquam in eo ratio experrecta vigilaverit, poterit, adjutâ tamen divinitus voluntate, eligere alteram vitam cujus in mente gaudium eſt, cujus interna & æterna fœlicitas. Nam ineſt homini anima rationalis; ſed intereſt, rationis uſu quònam po- C tiùs convertat voluntatẽ, utrum ad bona exterioris & inferioris, an ad bona interioris ſuperioriſq; naturæ: hoc eſt, utrum, ut corpore ac tempore, an verò ut divinitate ac æternitate perfruatur. In quadam quippè medietate poſita eſt, infra ſe habens corporalẽ creaturam, ſupra ſe autem animi ſui & corporis creatorem. Sicut ergò bona ſunt omnia quæ creavit Deus, ab ipſa rationali creatura uſque ad infimũ corpus; ita benè in his agit anima rationalis, ſi ordinem ſervet, & diſtinguendo, eligendo, pendendo, ſubdat minora majoribus, corporalia ſpiritualibus, inferiora ſuperioribus, tẽporalia ſempiternis, ne ſuperiorum neglectu & appetitu inferiorũ, quoniam hinc fit ipſa deterior, & ſe & corpus ſuum in pejus mutet: ſed potiùs & ſe & corpus ſuum in melius ordinata charitate convertat. Cùm A igitur divina providẽtia, *quæ pertingit à fine uſq; ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter*, neque carnalem illam vitam ſive parvulorum ſive majorum, ſolis carnalibus deſiderijs deditam negligat, ſed illam quoq; mirâ ſapientiâ & benignitate moderetur, ut & in illa quidam civilis honeſtatis vel ſplendor luceat vel juſtitiæ forma per pœnarũ corporaliũ comminationes, præmiorũ carnalium promiſſa ſervetur, voluit in integro quodam populo patefacere ad curam ſuam etiam illã vitam atq; ejus bona malaq; pertinere. Itaque oſtendere volens Deus terrenam temporalemque felicitatem donũ ſuum eſſe, nec aliundè niſi ab ipſo; non à dæmonibus, falſis Dijs ſperari oportere, prioribus præſentis ſeculi temporibus, diſpenſandum judicavit Teſtamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc eſt, carnalem, carnalibus voluptatibus inhærentem, à quo iſta vita neceſſe eſt incipiat; poſterioribus novum reſervavit, quo bona ſpiritualia largiretur. Nimirum ut anima etiam infima iſta bona, quibus deſiderandis ejus infirmitas implicata eſt, non niſi ab uno Deo omniũ Creatore deſiderare, & ſi capacitas ejus ferat, ad intelligibilia deſiderãda ſurgere doceretur. De quo S. Aug. tum alijs locis, tum præclarè l. 22. contra Fauſtum: *Eam rerum diſpenſationem ac diſtributionem temporum ordo poſcebat, ut priùs appareret etiam ipſa bona terrena, quibus & humana regna & ex hoſtibus victoria deputantur, propter quæ maximè civitas impiorum diffuſa per mundum ſupplicare idolis & dæmonibus ſolet, non niſi ad unius veri Dei poteſtatem atq; arbitrium pertinere. Vndè & vetus Teſtamentum ſecretum regni cælorum tempore oportuno aperiendum, promiſſionibus terrenis operuit, & quodammodo umbroſius opacavit.* Et paulò poſt addit, iſtis, veteri Teſtamẽto Deũ docuiſſe *bona temporalia à ſe petẽda*; novo verò, *propter ſe contemnenda*. Et l. 10. de Civit. *Sicut unius hominis ita humani generis quod ad Dei populum pertinet, inſtitutio, per quoſdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit acceſſibus, ut à temporalibus ad æterna capienda, & à viſibilibus ad inviſibilia ſurgeretur, ita ſane ut etiam illo tempore quo viſibilia promittebantur divinitùs præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipſis terrenis vitæ tranſitoriæ beneficijs, cuiquam niſi vero animæ Creatori ac Domino ſubderetur.* Vt videlicet ab illius cultu in iſtorum deſiderio, ad Idola colẽda non recederet, ad quem contemptu eorũ, & ab eis averſione, pertingitur. Et in Pſ. 34. cùm docuiſſet quoſdam homines æterna tribuere Deo, dæmonibus temporalia, quorum amoribus implicati ad eorum cultum defluunt: *Contra iſtam*, inquit, *opinionem divina providentia vigilavit, ut oſtenderet Deus ad ſe pertinere iſta omnia, & in ſua eſſe poteſtate, non ſolum*

Sap 8.

Lib. 22 contra Fauſt. cap 76.

Ibid. c. 794

Lib. 10. de Civit. c. 14.

Conc. 1. in Pſalm. 34.

æterna, quæ in futurum promisit, verum etiam temporalia, quæ in terra dat, quibus voluerit & quando voluerit oportunè, sciens cui det, cui non det, tanquam medicus medicamenta, sciens melius morbum ægroti quàm ipse ægrotus. Vt ergò Deus hoc ostenderet, distribuit tempora veteris ac novi Testamenti. In veteri Testamento promissiones sunt rerum terrenarum, in novo autem regni cælorum. Propter hanc igitur causam & hanc utriusque Testamenti differentiam, nihil omninò spiritale in veteri Testamento promittitur, sed sola carnalia, quæ veteri homini ac vitæ congruunt, divitiæ, opulentia, victoriæ, pax temporalis, regnum, gloria, & hujusmodi, eâque de causâ *Lib. de gestis Pelag. c. 5.* *vetus Testamentum* appellatur: *In illo Testamento quod vetus dicitur, & datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissimè nisi terrena felicitas. Vndè illa terra, quò est populus introductus, & per eremum ductus, Terra Promissionis vocatur, in qua pax & regnum & ab inimicis victoriarum reportatio, & abundantia filiorum ac fructuum terrenorum, & si qua hujusmodi, hæc sunt promissa veteris Testamenti.*

Hoc autem Testamentum in quo sola terrena promitterentur, congruis hominibus dedit, hoc est, carnalibus, sola terrena diligentibus, qui spiritualium rerum incapaces, nondum possent ad ea magnipendenda ac diligenda traduci, idque non ea de causa, ut per hujusmodi Testamenti promissiones & observationem, eorum salus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res illas quas carnali vitioso que amore diligebant, à dæmonibus quærerent: *Lib. contra Adimantum cap. 22.* *Notum esse iam debet*, inquit Augustinus, *carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia præmia fuisse promissa.* Et ibidem inferius post interposita nonnulla: *Dicimus ita esse munera Dei, ut tamen sint infima & in comparatione salutaris confessionis, non solum amittenda, sed ultro etiam proycienda; carnalibus tamen hæc amantibus, & nondum capientibus promissa cælestia, ne ab Idolis ac dæmonibus ista peterent, utiliter à Domino Deo esse pollicita.* Et in tractatibus in Ioannem: *Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur.* *Tract. 3. in Ioannem.* *Quare tenebantur? Ne penitus interirent, & ad Idola laberentur. Nam fecerunt hoc fratres mei sicut legitur.* Nempè cum obliti tam prodigiosæ liberationis, vitulum in deserto coluerunt. Quod cùm commemorasset Augustinus, adjungit: *Quibus ergò modis teneretur populus talis, nisi promissis carnalibus?* Et libro de vera Religione apertissimè dicit, Iudæos *Lib. de vera Relig. c. 5.* *sola temporalia & visibilia bona de Deo exspectasse.* Et in Psalm. septuagesimum secundum, *Hoc solum* *In Psal. 72.* *pro magno tunc eos habuisse, quia liberati erant temporaliter à quibus tunc opprimebatur &c. Hinc solum eos laudasse Deum.* Nempè ut jam audivimus, ac sæpiùs inculcat Augustinus, quia à tam crassis & carnalibus animis *spiritalia non capiebantur.*

In fragm. serm. de Agar & Ismahel. Cùm igitur talibus Testamenti sui promissis inniterentur, cultus internus quo Deum talium bonorum largitorem colebant, isti dilectis ini velut cardini cunctorum motuum congruus respondebat. Nimirum & dilectio Dei carnalis erat. Talis est enim amor quo quempiam diligis, qualis causa propter quam diligis. Si enim diligis propter Deum, purus amor est, vera dilectio Dei, sincera charitas; si propter carnalia, non gratuitus, sed mercenarius est, ideoque impurus, carnalis, vitiosus: quem verius amorem creaturæ dixeris quam Creatoris. Nam ut de illis ipsis Augustinus dicit: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant: quia eo modo timore servili non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergò Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur.* Tota itaque spes, tota charitas eorum erga Deum, totusque cultus erat carnalis, ideoque vitiosus. Nam & avari strenuè Deum diligunt velut satellitem suæ cupiditatis, orant Deum, laudant, colunt, gratias agunt, quod horrea frumento, vino torcularia redundaverint. *In Psal. 77.*

Nec pro hac vita tantum, sed & pro futura hoc ipsum sperabant à Deo, quod in ista diligebant, & quo nihil altius vel amare poterant vel cogitare. Audi eundem Augustinum: *Fortasse tu dicis: Ideò eum colam quia dabit mihi villam, non tamen temporalem.* *In Psal. 83.* *Nihilominus adhuc corruptam mentem geris. Amore enim casto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro seculo, quæ hic necesse est relinquas. Mutare vis voluptatem carnalem non amputare &c. noli ergò talia sperare tibi danda à Deo, qualia hic iubet contemnere. Hæc enim sperabant Iudæi, ideò turbabantur in illa quæstione. Nam & ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hic amant viventes.* Et in Psalmum sexagesimum quintum: *Hanc* *In Psal. 65.* *spem promissam sibi Iudæi tenebant, & de bonis & quasi iustis operibus multum gloriabantur, quod acceperant legem, secundum quam vivendo, & hic haberent bona carnalia, & in resurrectione mortuorum talia sperabant, de quibus hic gaudebant.* Nam ut paulò inferius: luculento argumento probat: *Procul dubio Iudæi non fatigarentur, non deficerent* *Ibid.* *in ista quæstione*, quam cum Sadducæis agitabant in Evangelio, *si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia in hac vita.*

Nec verò ista omnia, quæ de carnalibus istis animis filiorum veteris Testamenti diximus, de improbis intelligenda sunt, sed potiùs de illis qui probiores esse viderentur. Nam quemadmodum sub novo Testamento duplicis ordinis Christiani sunt, alij infirmi sive errore sive dilectione, alij fortes, utrique tamen Christiani sunt, novæque legis filij; ita & in Testamento veteri quidam erant infirmi, qui non solum diligebant temporalia, sed vel non servabant etiam carnaliter justitiam datæ legis, vel propter illa bona consequenda, etiam in idolorum cultum subindè labebantur: quidam verò fortiores atq; probiores, qui propter eadem illa promissa bona adipiscenda constanter inhærebant uni Deo, & legem sibi datam carnaliter, hoc est, ex illa carnalium bonorum dilectione servabant. De quibus duobus generibus Augustinus explicans allegoricè mulieres atque parvulos: *Quod mihi videtur*, inquit, *ad hoc pertinere,* *Lib. 83. 9. quæst. 61.*

nere, ut intelligamus & in populo veteris Testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam iustitiam (carnalem ex dilectione carnali) quæ secundum legem est, in qua iustitia Paulus Apostolus sine querela se conversatum esse dicit. Fuisse item alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis & erroris, mulierum & puerorum nomimbus figurata sunt. Audistis quales essent veteris legis improbi. Audi nunc quales fuerunt probi: *Synagoga ergò, id est, qui Deum ibi colebant, sed tamen* PROPTER TERRENAS RES, *propter ista præsentia. Sunt enim impij, qui præsentium rerum bona a dæmonibus quærunt.* Et paulò post: *Cùm ergò illi pij secundum carnem attenderent, id est, illa Synagoga, quæ erat in bonis &c. putavit hoc pro magno dare Deum, nec habere melius quod dare posset diligentibus se & servientibus sibi.* Ecce qualis pietas fuerit veræ Synagogæ, hoc est, verorum filiorum veteris Testamenti. Nempè talis, qualem necesse erat ex temporalium rerum dilectione carnali proficiscì. Impossibile est enim, ut ex hujusmodi dilectione alius Dei cultus pietasque nascatur. Nam si quis altiùs aliquid illo tempore de Deo sapiebat, puriusque Creatorem, quàm temporalium consequendorum amore diligebat, legemque servabat, eatenus non jam Synagogæ, sed Ecclesiæ filius, non veteris Testamenti, sed novi hæres fuit. Nam propriè *qui propter illa terrena suscipit legem Dei ipse est hæres veteris Testamenti: ea quippe secundum vetus Testamentum promittuntur atque tribuuntur quæ secundum veterem hominem concupiscuntur.* Vnde non veretur idem dicere, quod *vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere ne gratis colatur Deus, sed quia aliquid dat in terra.* Hoc est, videtur quasi avocare à sincero amore Dei, qui placens Deo, solus perducit ad Deum: *Ille enim iustificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non scilicet cupiditate aliquid ab ipso appetendi præter ipsum aut timore amittendi.* Quod ex veteri Testamento nullo modo obtineri potest.

Ex quo fiebat, ut Synagoga considerata ut Synagoga, non esset aliud quam terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio solis terrenis & carnalibus incubantium, & propter illa sola colentium unum Deum. Quamobrem Augustinus dicit: *Vetus Testamentum tenebris & umbræ mortis datum esse;* Nempè hominibus ex magna cœcitate cordis nihil omninò nisi carnalia diligentibus, sectantibus, exspectantibus, cogitantibus, ideoque quantumcumque legem sibi datam observare viderentur, & in legis justitia sine querela ambularent, à vera cordis justitia & regno cælorum assequendo valdè remotis. Animum enim creaturæ rationalis solis rebus terrenis, Deoque propter sola terrena inhærere, valdè vitiosum est, puritatique cælestis regni adipiscendi necessariæ ex diametro contrarium: *Si illi*, inquit Augustinus, *inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum novum Testamentum nondum fuerat revelatum, quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus iam promissa cælestia in novo Testamento revelata sunt?* Et in epistolam ad Galatas exsertiùs de populo veteris Testamenti: *Quibus terrenis promissis irretiti, & quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritalem cælestis patrimonij.* Vt propterea nemo mirari debeat, si Testamentum vetus ad animæ salutem, regnumque cælorum assequendum, Synagogæ filijs Testamenti illius hæredibus non multum profuisse statuamus. *In epist. ad Galat.*

Sed ille rector cælitum ac terrenorum qui propter dilectorum suorum salutem universa dirigit, ad scopum suum contorquens profunda torrentis, fluxumque seculorum ordinans turbulentum, populum tam carnalem, etiam nescientem, in magnarum rerum usus assumpsit. Cùm enim Filium suum Vnigenitum ad generis humani reparationem assumendæ carni colligendoque novi Testamenti populo seu Ecclesiæ destinasset, eaque res esset omnium divinorum ac mirabilium operum maxima, ingentem quasi ministrorum præcurrentium apparatum, futurumque ejus adventum vaticinantium præmittendum esse censuit; ut ex ingenti illa Prophetarum serie secuturi Regis magnitudo nosceretur, & ex illa tam celebri præmonitione, tantæ magnitudinis horror evanesceret: *Per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit. Quanto major Iudex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.* Et alibi: *Hoc ergò totum prophetandum fuit, prænuntiandum fuit, venturum commendandum fuit: ut non subitò veniens horreretur, sed creditum exspectaretur.* Itaque non contentus Filium suum incarnandum & immolandum, singulorum quorundam hominum vel sacrificio, vel voce, vel angelicâ prædictione prophetasse, universum illum Iudaicum populum, tanquam Regnum quoddam excitavit, quod instar magni Prophetæ per aliquot annorum centurias viventis atque vaticinantis, omnibus suis sacrificijs, & sacramentis, & cæremonijs, & pœnis, & præmijs, & prosperitatibus, & adversitatibus, omnibus denique membris suis, tàm Regibus quàm Sacerdotibus, atque ipso populo Christum illum Domini totum, hoc est, Caput & Corpus, Sponsum & Sponsam, Christum & Ecclesiam præfigurando venturum, totamque disciplinam ejus in effigie exprimendo, quasi ingenti celebertimàque voce loqueretur. Vndè Augustinus tradit, Christi nomen & Ecclesiam ita prænuntiatam, sicut nunc exhibetur, non per quemlibet de cavernosis latebris procedentem, *sed quâdam gente, & quodam Regno ad hoc propagato & instituto, ut ibi de illo cuncta figuris prænotarentur, quæ nunc expressa rebus agnoscerentur.* Et alibi adversus eundem Adversarium: *Hoc primum dico illorum hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam: totumq; illud Regnum Gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cuiusdam fuisse Prophetam.* Quod accuratiùs declarat in libris de Civitate Dei: *Populus Hebræo-* *Tract. 31. in Ioann.* *In præfat. in Psalm. 109.* *Lib. 13. contra Faust. cap. 6.* *Lib. 22. c. 24.* *Lib. 2. de Civit. c. 32.*

Lib 7. de Civit. c. 32.

Hebræorum in unam quandam Rempublicam, quæ hoc sacramentum ageret, congregatus est, ubi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex Adventu Christi usque nunc & deinceps agitur prænuntiaretur esse venturum &c. Omnes enim non, solum prophetiæ quæ in verbis sunt: nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatemq; conformant, atque illis litteris continentur, verum etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum sive templum, altaria, sacrificia, cæremoniæ, dies festi, & quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quæ Deo debetur, & græcè propriè Latria dicitur, ea significaverunt, & prænuntiaverunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. Quapropter alibi dicit, Deum ab ista gente cultum fuisse *prophetico sane ritu, hoc est significativo futurorum quandoquidem ipsum* REGNVM MAGNVS QVIDAM PROPHETA *fuit, ubi* Rex & *Sacerdos ungebantur*; hoc est, illâ unctione Christi fiebant, ut uterque Christum Dominum suum figuraret.

Cùm igitur Testamentum vetus propriè in illis præceptis vitæ, quatenus in tabulis scribebantur, & in illis externis ritibus divini cultûs rerumque terrenarum promissis, earum observatione promissis constitutum sit, quæ omnia rerum futurarum essent præfigurativa documenta, profectò nihil aliud fuisse Testamentum illud perspicuum est, nisi magnam quandam quasi Comœdiâ, quæ non tam propter seipsam, quam propter id cui præfigurando serviebat, hoc est, propter Testamentum novum, ejusque Principem & hæredem Ecclesiam, ab illa Gente tanquam ad hoc idonea ageretur. Quandoquidem enim carnalibus implicata studijs & amoribus terrenæque felicitati venandæ dedita cælestium atque spiritualium incapax esset cogitationum, quid congruentius, quam ut illa quæ inutilis esset saluti suæ, saltem alienæ figurandæ procurandæque serviret. Hinc est enim quod eam servilem ac servam frequenter Augustinus vocet, totamque Testamenti istius observantiam veteris hominis servitutem. Non enim tantummodo more servorum, propter temporalem vilemque mercedem serviebant Deo, legisque sibi traditæ justitiam sectabantur, sed hoc ipsum quicquid & essent & agerent & paterentur, novo populo æternitatis hæredi serviebat, in cujus Ecclesiam, & Salvatorem, & salutem, & salutis instrumenta, gratiam videlicet & sacrificium, & sacramenta repræsentanda & prophetanda referebantur. Vmbra sanè *quædam Civitatis huius, Ecclesiæ peregrinantis*, inquit Augustinus, & *imago prophetica ei significandæ potius quam præsentandæ servivit in terris, quo eam tempore demonstrari oportebat.* Quod explicans magis inferiùs: *Pars enim quædam terrenæ Civitatis*, quæ in omnibus impijs per totum mundum sparsa est, *imago cælestis Civitatis effecta est*, videlicet Respublica Iudæorum, *non se significando, sed alteram, & ideò serviens. Neque enim propter seipsam, sed propter aliam figurandam est instituta.* Quamobrem id quod dictum est de duobus populis: *Maior serviet minori, nemo ferè nostrorum*, ait, *aliter intellexit, quam maiorem populum Iudæorum minori populo Christiano serviturum.*

Lib. 15. de Civit. c. 2.

Lib. 16. de Civit. c. 35.

Ex quibus utcumque perspici potest, cujusmodi esset status filiorum veteris Testamenti. Nimirum quemadmodum nulla nisi veteris hominis bona diligebant, ita nulla nisi ipsius mala metuebant. Ex isto amore atque timore decalogum carnaliter boni custodiebant, vel potiùs sibi custodire videbantur, mali etiam aperte violabant. Ex isto amore atque timore templa, sacrificia, sacramenta frequentabant, totumque durissimum illud cæremoniarum præfigurantium jugum serviliter sustinebant. Ex isto amore atque timore tota eorum justitia nascebatur, quam Apostolus, quamvis in lege conversatus sine querela, arbitratus est ut stercora. Cardinem enim voluntatis rapiebat, non fides, quæ per veram Dei dilectionem operatur, sed, ut non semel Augustinus docet, *Terrena cupiditas*, cujus fomentum ac præmium lex illa ex professo promittebat, *metusq; carnalis*, hoc est, *terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi.* De cujusmodi præceptorum Dei observatione subjungit Augustinus: *Sic autem præcepta qui facit: procul dubio non facit: ac per hoc in animo* NON FACIT. *Mavult enim omninò non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* TALES ERANT FILII TERRENÆ HIERVSALEM. Et rursum inferius: *Hi ad vetus pertinent Testamentum, quod in servitutem generat: quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non Evangelica Fides, Spes, & Charitas liberos.*

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Ibid.

Hanc igitur filiorum veteris Testamenti conditionē quisquis attentè consideraverit, videbit utique non multum eos gentilibus præstitisse: amor enim hujus mundi, qui Augustino teste, *non est à Deo*, amor fruendi crea turis in utrisque dominabatur. Ex quo & inter gentes, maximèque Romanos, nonnulli carnalem illam justitiam cum Civibus & hostibus coluerunt. Sed in eo erat eorum qui boni inter illos erant, præ Gentibus, Romanisque præcellentia, quod isti boni à Deo vero, non ab Idolis ac dæmonibus, ut Gentes impijque Iudæi, concupitam promissamq; felicitatem exspectarent. Quo fit ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem à Deo vero, sicut & gentium recederet, non tamen eousque ut in dæmonia aut Idola laberentur. Agnovit hanc Synagogæ veteris à Gentibus discrepantiam, & expressit Aug. *Hic*, inquit *populus ideo melior erat gentibus, quod quamvis præsentia bona & temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium & spiritalium & corporalium.* Et alio in loco: *Ille ergò recessit a Deo, sed non longè: quia quasi pecus factus sum, & ego semper tecum. Illi verò longè recesserunt: quia non solum terrena desideraverūt, sed ea à dæmonibus & à diabolo petierūt.*

Lib. 16. de Civit. c. 35.

In Psal. 72.

Ibid. sub fin. Vide etiam versus finem Psalm. 34.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem vel ullum præceptum ejus.

EX qua sanè conditione, & interiori statu Synagogæ naturáque veteris Testamenti facilè liquet, quid de gratia sufficienti Testamenti illius hæredibus data, ad custodiendum decalogum ac legem Dei, salutemque spiritalem animæ consequendam, arbitrandum sit. Idem videlicet quod de illâ eâdem gratiâ in gentiles effusâ, statui debet. Nam quamvis Testamentum illud, hoc ipso quo bona temporalia, velut minima à Deo exspectanda proponebat tacitè quoque docere videretur, æterna bona abeodem illo Deo petenda; hoc ipsum tamen quod insinuabat docendo, non præstabat largiendo, nec ullam omninò ad hoc præstandum gratiam dabat, sed animos in eadem terreni amoris glacie fixos obduratosque relinquebat. Vt sanè ex veteri Testamento non major eis servandæ spiritaliter legis facilitas accederet, quam antequam illud suscepissent. Nam hujusmodi facilitatem & sufficientiam dare, novo Testamento proprium est. Istud enim ex propria sua ratione qua à veteri Testamento discernitur, tollit amorem veterem, quo juxta vetus Testamentum terrena diliguntur, & inspirat novum, sine cujus inspiratione vel totam legem, vel ullum ejus præceptum servare impossibile est. Nam nisi quis ipsam legis aut præcepti justitiam dilexerit, quæ dilectio, ut alibi probavimus, non est alia nisi illa vera, pura, legitima, laudataque charitas Dei, quam solus per novi Testamenti gratiam inspirat Deus, nulla habetur legis observatio, nec ulla haberi potest, nisi fortè terrena & animalis, ex amore vel timore rerum temporalium, in qua nonnulli gentiles, haud secus ac veteris Testamenti hæredes, tanquam justitia sua gloriati sunt. a Plurimis locis hoc sanctus Augustinus tradit, apud quem nihil illâ sententiâ celebratiùs, qua identidem dicit, expressit: b *Plenitudo legis est dilectio.* Hoc autem non intelligit Augustinus de alia charitate seu dilectione Dei, quàm qua ipsius præcepti justitia & rectitudo diligitur. Deus est enim rectitudo & justitia; sine qua docet non posse servare legem Dei, non solum totam, sed nec unum præceptum ejus, non solum supernaturaliter, meritoriè & hujusmodi (quæ à Doctoribus recentioribus, doctrinam ejus non satis penetrantibus excogitata sunt) sed ita non posse servari ut peccatū fugiatur. Quamdiu enim animus non erigitur ad ipsam æquitatem præcepti diligendam, nullo modo ipsum præceptum facit aut diligit, sed aliud quod intuetur. Tamdiu enim concupiscentia, hoc est, cupiditas assequendi, aut timor amittendi alicujus commodi temporalis animo dominatur. Cùm enim cupiditas ac timor rerum temporalium sola justitiæ dilectione obruatur & extirpetur, necesse est ea tamdiu animo dominari, quamdiu justitia non diligitur. Ex illis autem quisquis præceptum facit, necessario illud invitus facit, ideòque potiùs ex transgressa lege reus est, quam ex observata laudandus, quamvis exterius eam observasse videatur. De quibus alibi fusius diximus, & adhuc dicturi sumus. Hic unum aut alterum locum delibasse satis est: *Ab hoc reatu graviore liberat gratiâ Spiritus sancti per Christum, quæ diffusâ charitate in cordibus nostris donat justitiæ dilectionem, quâ immoderatio concupiscentiæ superetur.* Et in libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum: *Bona est ergò lex quæ hoc dicit* (non concupisces) *sed ubi non adest vivificans Spiritus, hæc ipsa lex quam bonam dicit, occidit: quia peccati virtus est, cùm per illam operatur omnem concupiscentiam inflammando* (desiderium per) *prohibitionem*, QVOD NON EXSTINGVITVR PER IVBENTEM LITTERAM TIMORE POENÆ, SED PER IVVANTEM SPIRITVM DILECTIONE IVSTITIÆ. Hoc est, illud desiderium concupiscentiæ quo peccare delectat, non aufertur homini jussione legis, quæ solam pœnam timeri facit, multò minùs alia concupiscentia alterius rei temporalis, sed solo contrario desiderio non peccandi seu benefaciendi, quod est ipsa justitiæ dilectio. Sic enim explicat hanc impossibilitatem observandæ legis sine dilectione justitiæ ipsius legis, multis alijs locis: *Potuit*, inquit, *esse intus in affectionibus pravis prævaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere vel timore hominum, vel ipsius Dei; sed pœnæ formidine, non* DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. Et quid est hoc, dilectione ac delectatione justitiæ? Audi: *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret, si hoc posset impunè permitti. Nam sic profectò in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Hoc est, qui non voluntate non peccandi, seu voluntate benefaciendi, seu dilectione justitiæ, sed timore non peccat. Odium enim peccandi, & voluntas benefaciendi, seu dilectio justitiæ ex eodem fonte nascuntur, augentur ac minuuntur. *Tantum* enim *quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterat lege terrente per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.* Et in Psalmum trigesimum secundum, eandem tradit impossibilitatem implendæ legis sine dilectione justitiæ: *Implebis amore*, nempè justitiæ, *quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit male, mallet facere si liceret. Itaque etsi facultas*

a *Vide lib. 3. de grat. Christi Salvat. à cap. 12. usque in finem. Lib de fide & operibus c. 23 Lib 2 contra Adversar. legis & Prophet. cap. 7.*

Epist. 144.

In Psal. 32.

non datur, voluntas tenetur. Non facio, inquit. Quare? Quia timeo. Nondum amas justitiam, adhuc servus es &c. Quando incipit amare justitiam nisi quando mallet furta non esse, etsi gehenna non essent, in quas fures mitterentur: Hoc est, amare justitiam. Et ipsa justitia qualis est? Quis illam pingit? SAPIENTIA DEI, quam pulchritudinem habet? Per illam pulchra sunt omnia &c. Hoc est, illa justitia quæ in præcepto faciendo diligi debet, est ipsa sapientia & æquitas & rectitudo DEI. Et in quæstionibus super Deuteronomium: *Homo potest facere opus legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ. Quæ charitas*, inquit ibidem, *gratia est novi Testamenti.* Et in commentario epistolæ ad Galatas, cùm docuisset Iudæos opera bona ex timore fecisse, quo timebant præsenti vitæ suæ, utpote quam diligebant: *Ideo*, inquit, *quædam opera legis implebant, quæ in sacramentis sunt*, id est, cæremonialia, *illa verò quæ ad bonos mores pertinent*, IMPLERE OMNINÒ *non poterant. Non enim implet ea nisi Charitas.* Et quænam illa Charitas? Quidnam respicit, quidnam diligit? *Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur* (id est amore vel timore amittendæ vitæ suæ) *non implet præceptum justitiæ: sed si ideò* NON OCCIDAT, QUIA INJUSTUM EST, hoc est, quia repugnat justitiæ quam diligit: *etiamsi id facere posset impunè, non solum apud homines, sed etiam apud Deum.*

Quæst. 16. super Deuter.

In Epist. ad Galatas.

Ex quibus allatis Augustini testimoniis, aliisque non paucis quæ passim obvia sunt, perspicuè elucet, non modo non totam legem, sed nec unum impleri præceptum posse, sine dilectione seu charitate justitiæ, idque non implectione tantum supernaturali vel meritoriâ, sed ita ut oportet, hoc est, ita ut non divitias, honorem, regnum, vitamque suam temporalem & hujusmodi, quæ Pagani non minùs quam Iudæi diligunt, sed ipsum præceptum, hoc est, ipsam præcepti rectitudinem & æquitatem spectet animus: quam nisi spectet, hoc ipso necesse est eum à temporalium rerum quarumcumque desiderio superari. Nam tale *desiderium*, ut optimè statim Augustinus dixit, *non extinguitur per jubentem litteram timore pœnæ*, sed per Spiritum DILECTIONE JUSTITIÆ. Et ut alibi dicit: *Carnalis cupiditas, quâ peccatis augetur, cupiditate aliâ non sanatur.* Qui enim aliter præceptum implet, quam illâ sublimi & spiritali dilectione justitiæ, qua adhuc animus careat, non exuit carnalem cupiditatem, sed mutat, imò ipsam justitiam, quam nondum diligit, pro re quam diligit, assecutione paratus est prætermittere. Quod præclarè in ejusdem Epistolæ commentario sanctus Augustinus docet, quando dicit, *quod sub lege ante gratiam*, qui status Iudaicæ Synagogæ veteriisque Testamenti proprius fuit, *prohibetur quidem* homo, *& conatur à peccato abstinere se*, nempè ex illo amore cujuscumque rei temporalis, *sed vincitur: quia nondum justitiam propter Deum & propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult* (præceptum servando) *ad conquirendum terrena servire.* Et quid sequi solet ex tali amoris perversitate? *Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum spirituale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit justitiam. Quam propterea tenere conabatur ut haberet illud, quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit.* Oritur igitur non ex aliqua positiva lege Dei, non ex aliqua extranea boni operis conditione, qua debeat esse supernaturale secundum substantiam, aut modum; aut meritorium, aut aliquid hujusmodi: sed ex ipsa natura rei, eo quod nullum præceptum impleri possit, ullius rei alterius amore quam dilectione justitiæ, quæ præceptum sanxit & ex qua latum fuit. Quicquid enim aliud animus, præceptum quasi servando, appetierit, justitia carnalis erit & animalis, qualis avarorum cum aliena restituunt, ne sua rapiantur. Animus quippe manet terræ affixus, & ex eo quod vellet, potiùs reus, quàm ex eo quod voluit, commendabilis. De quo præclarè idem Augustinus: *Quicumque inter Iudæos, faciebant quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant* (sub quo amore, ex quo nascitur ille timor comprehenditur) *non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod hominibus apparebat in opere, potiusque in illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impunè.* Hæc autem justitia in præcepto diligendo, non est alia nisi illa incommutabilis & æterna regula æquitatis; nec illa est alia nisi veritas & sapientia Dei, atque ipse Deus, quemadmodum alibi fusè ex professo demonstravimus. Vt proinde nihil mirum sit quod ex Apostolo toties Augustinus clamat: *Legem non implet nisi charitas. Plenitudo legis est dilectio.*

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

In commentario epist. ad Galatas.

Lib. de Spir. & lit. c. 1.

Quæ cùm ita sese habeant, jam consequenter liquet, quam incongruè dicatur, tam carnalibus animis gratiam affuisse sufficientem, præcepta morum ex ista sublimi & spiritali Iustitiæ dilectione servandi, quibus ideò hoc ipsum vetus Testamentum, terrenaque ipsius præmia promissa ac data sunt, quod (ut supra vidimus) spiritualium rerum incapaces essent. *Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur*, inquit Augustinus: *Carnalia promittebantur, quia spiritalia non capiebantur. Carnalia amabant, & nondum capiebant promissa cælestia*, inquit Augustinus: *Terrenis solis inhiant, quæ meliora cogitare non possunt*, inquit de illis iisdem Augustinus. Quomodo igitur sufficientem gratiam habeant implendi legem, & quod multo mirabilius adipiscendæ salutis, qui meliora temporalibus capere, imò cogitare non poterant? Ex quo fit ut toties confidenter Augustinus dicat, quemadmodum supra declaravimus, quod sub lege *non erat gratia*; quod *non fuit qui adjuvaret*; quod *remanserat sine lex sine gratia*; quod *littera sine Spiritu reos faciebat*; *quod ubi gratia non erat auxu prohibitio desiderium*; quod *sub lege erant rei ante gratiam Dei*; quod *nondum accepta gratia, concupiscentiæ resistere non poterant*, & hujusmodi non pauca. Ex quo fit etiam ut consentaneè talis gratiæ subtractioni & Spiritus adjuvantis abstentiæ dicat: *Sic illi* Synagogæ filij, *cohibendi fuerant à peccatis, ut* [illegible]

Trall. 12. in Ioan. Tract. 22.

Lib. unic. Adman. cap. 18.

Lib. 4. in Crel. c. 32.

Quæst. 71. in Exodum.

itaque timendo ne pœnas sensibiles paterentur, QUIA NONDUM POTERANT AMARE IUSTITIAM. Et quod huic impotentiæ conjunctum est: *Quem Spiritum servitutis accipiunt, qui præcepta data legis implere non possunt, dum serviunt desideriis carnalibus.* Vsque adeò ut & ipsum Apostolum Paulum, quamdiu sub lege constitutus erat, sanctus Augustinus dicat fuisse *præcepti capacem, sed non efficacem, & ideò prævaricatorem legis.* Non quod Augustinus dicere velit, homines improbos in hac vita mutari non posse, sed talem fuisse istorum hominum sub lege viventium internum animi statum, tantamque gratiæ sufficienter adjuvantis egestatem, ut spiritalem illam justitiam quam cogitare non poterant, amare non possent, neque consequenter præcepta legis adimplere, quæ impleri sine justitiæ dilectione non possunt.

CAPVT OCTAVVM.

Status veteris Testamenti figurativus & propheticus non afferebat Iudæis gratiam sufficientem, sed potiùs impedientem. Quanta fuerit in Iudæis servitus & ignorantia gratiæ, & Auctoris ejus.

NEc verò aliquis arbitretur ex isto tam multiplici figurarum apparatu quibus Christum & gratiam ejus quasi prophetantibus Testamentum vetus abundabat, plus aliquid sufficientis adjutorij Iudæis accessisse. Qui hoc existimat, nondum ad liquidum istius naturam legis ac statum gentis intelligit. Nam quamvis auctor gratiæ, & ipsa gratia tot figuris undique oculos aureosque ferientibus objiceretur, carnalibus tamen sensibus eorum ænigmata videbantur, atque erant abstrusissima. Fallitur enim qui putat, eis & Christum & gratiam ejus ita apertè fuisse prædicatam, quemadmodum sub nova lege prædicatur, ut eorum agnitio esset popularis: *Obtusi sunt,* Apostolo teste, sensus eorum: *Et usque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Erant enim admodum pauci qui spiritalia in carnalibus præfigurata intelligerent, pauciores qui intellecta sperarent ac diligerent pauciſſimi quibus dilectio illa spiritalis per sufficiens gratiæ adjutorium corrigeret carnales mores, æternaque vitæ percipiendæ spiritali præceptorum observatione præpararet.

Nam ut de intelligentium paucitate pauca dicam. Non erat tunc tempus illa mysteria revelandi, in quibus cognoscendis ac diligendis est sita salus. Hoc enim novo Testamento & ejus Auctori servabatur. Vnde illud tam celebre sancti Doctoris pronuntiatum: *In veteri Testamento est occultatio novi, In novo manifestatio veteris.* Si enim in novo Testamento, quamvis æternę saluti prædicandę & largiendæ dedicatum sit, videmus tamen tam multis agnitionem veritatis, sine qua homines salvi fieri nequeunt, tot seculis subtractum esse, imò Spiritum sanctum vetuisse Paulo, *loqui verbum Dei in Asia & in Bithynia,* quid mirabitur illo tempore, quod cœlandis mysterijs datum fuit, ænigmata veteris legis carnalibus hominibus non fuisse revelata, imò prohibitos prophetas ne illa propalarent? Vndè sanctus Augustinus audet ac non semel dicit *Tempore servitutis* (id est, veteris legis) *carnalibus animis nondum oportet signa revelari, quorum iugo edomandi sunt.* Et in libro contra Adimantum Manichæi discipulum: *Cùm adhuc non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimarum sacramenta figurarum, non invitabantur significata intelligere, sed iussa cogebantur implere. Nondum enim Deo inhærebant per Spiritum, sed per carnem legi serviebant.* Et in Psalmum septuagesimum primum: *Quia non demonstrabatur* (in veteri lege) *quæ fuerat eligenda, & præponenda felicitas, flos fœni pro magna habebatur. Nec solum minime contemnebatur, sed etiam maximè appetebatur.* Nempè omnia tempus habent. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus significandi quæ posteà erant manifestanda. Tempus manifestandi quæ antea fuerant significata: *Illud enim erat tempus significandi, hoc manifestandi,* inquit Augustinus. Ex ista temporis diversitate nascebatur, quod illa signa futurorum perpauci intelligerent, spirituales videlicet quidam illique maximè quos Deus Spiritu prophetiæ illustraverat. Reliqua verò carnalium turba, nullum fructum ex eorum spiritali significatione caperet. *In occulto,* ait Augustinus, *illis omnibus rebus novum Testamentum figuratè prænuntiabatur & capiebatur intelligentiâ paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat.* Et inferius in eadem epistola: *Timentes Deum homines veteris Testamenti propter litteram terrentem & occidentem, nondum habentes Spiritum vivificantem, current cum sacrificijs ad templum. Et quamvis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes quid per eas figuraretur, cruentas victimas immolabant.* Et in libro de catechizandis rudibus: *Quæ,* signa rerum spiritualium, *tunc à paucis Sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & observabantur ad congruentiam temporis: à multitudine verò carnalium tantummodò observabantur, non intelligebantur.* Et in libris de Civitate Dei: *Hæc lex distributione temporum data est, quæ prius haberet promissa terrena, quibus tamen significaren-*

tur

Lib. 3. de doct. Christi cap. 9.

Lib. contra Adimantum. cap. 22.

In Psal. 72. in fine.

Lib. 6. contra Faust. cap. 9.

Epist. 120. cap. 2.

Ibid. c. 18.

Lib. de catechizandis rudibus cap. 20.

Lib. 10. de Civit. c. 15.

tur æterna quæ visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Quam doctrinam ipse sæpissimè, velut capitalem alijs in locis repetit. Vndè generalem hanc alibi tradit esse notam filiorum veteris Testamenti, non intelligere figuras quas observare jubebantur; (novi verò observatas intelligere) quod vix alijs unquam tribuit, nisi forte pauciſſimis, præterquam Patriarchis & Prophetis: *itaque & in illo primo populo sancti Patriarchæ & Prophetæ qui intelligebant, quod agebant, vel quod per eos agebatur, in novo testamento habebant istam spem salutis æternæ. Ad illud enim pertinebant, quod intelligebant ac diligebant; quia etsi nondum revelabatur, tam tamen figurabatur. Ad vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius quam promissa temporalia cogitata concupiscebant, in quibus æterna figurata & prophetata* NON INTELLIGEBANT.

Videlib. 18. contra Faust. c. 4. Annot. in Iobc. 30. Lib. 2 contra adversf. legis & Prophet. c. 7. In Ps. 39. &c. Lib. 15. contra Faust. cap. 2.

Hæc itaque ignorantia filiorum veteris Testamenti causa fuit, ut non solum figuras rerum futurarum non intelligerent, sed etiam ita carnaliter acciperent ut sonabant auribus verba, & sacramentorum divinorum species oculis apparebat, ita videlicet ut ea sublimiorum rerum figuras esse nescirent: *Carnaliter*, inquit Augustinus, *accipiendo legem & eius promissa terrena rerum cælestium figuras esse nescientes, ad illa murmura corruerunt, ut dicere auderent, vanus est, qui servit Deo. Et quid amplius quia custodivimus mandata eius?* Nempè quia videbāt umbraticā illam felicitatē terrenam, quæ umbraticæ suæ justitię promittebatur, etiam apertam impietatem profitētibus tribui nesciētes eam esse tantum figuram veræ felicitatis, sicut eorum justitia erat figura justitiæ. Hinc ergò illa murmura carnalium: *Vanus est qui servit Deo.* Hinc illud, *Ergò nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem.* Hinc illud alterius sub nomine Synagogæ: *Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Hinc illa querimonia: *Ergò sine causa iustificavi cor meum.* Quasi diceret, ait Augustinus: *Vbi est merces bonæ vitæ meæ? Vbi est præmium servitutis meæ?* Cum impij etiam promissa meæ justitiæ mercede potiantur. Quorum sanè murmurum non alia causa fuit, quam quod istum cæremonialem veteris Testamenti apparatum, præceptorum atque præmiorum figuras esse nescirent.

Lib. 20. de Civit. c. 28. Malach. 3. Malach. 3. Ibid. Psalm. 72.

Ex qua quidem crassa hallucinatione alius error periculosior nascebatur, quo significantes figuras pro rebus ipsis per se utilibus venerabantur, uno meliores gentibus, quæ similibus cæremonijs religioſi cultūs inhærebant, quod per ista signa uni Deo subderentur, cui ea placere credebant. Vtrumque Augustinus expressit in libro de doctrina Christiana: *Quanquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referantur id tamen insitum habebant, quod tali servitute uni omnium quem non videbant placebant Deo.* Et paulò superius: *Quæ tamen servitus in Iudæo populo longè à ceterarum gentium more distabat: quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus.* Vbi quod servitutem nominat eo sensu accipit, quo dicimus Iudæos serviliter coluisse Deum, Christianos liberaliter, serviliſque cultus tanquam vitiosus opponitur liberali; sic enim servitutem illam sub signis non intellecti s se accipere declarat, quando præmittit: *Ea demum est miserabilis anima servitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.* Et quando subjungit: *Sub signo servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem nesciens quid significet.* Et quando in epistolam ad Galatas dicit: *In observationibus autem si non intelligantur, servitus sola est, qualis erat in populo Iudæorum, & est usque adhuc.* Hujusmodi enim carnalis servitus illi carnali populo utilis erat hactenus, ut saltem formidine pœnæ, quam transgressoribus talium observationum sanxerat Lex, ipsoque timore reverentiæ, quem signa non exposita incutiunt parvulis, in cultu unius Dei retinerentur: *Nihil enim*, ut sanctissimus Doctor ait, *tam perterret animam, quam sacramentum non intellectum.* Cujusmodi sub signis servitus illi populo adhuc utilis erat, *ut sub timore custodiretur.*

Ibid. cap. 5. Ibid. cap. 9. In Epist. ad Galatas. Ibidem.

Quæ quidem servitus eorum sub signis non intellectis, non solum abstruſorum comparatione mysteriorum novi Testamenti locum habuit quorum fides non est ad salutem necessaria, sed in primis quoque respectu fontis gratiæ Christi Iesu, præter quem *non aliud nomen est, sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Et respectu ipsius gratiæ, sine cujus agnitione nemo adultus salvari potest. Nam ipsum Christum non alium vel figuris velatum, vel revelatum Synagoga credebat & exspectabat, quam purum hominem de semine David; non qui *redimeret populum suum à peccatis eorum*, ut fides Electorum credit, sed qui restitueret regnum ad exteros devolutum Israheli, atque eum à visibilibus hostibus tueretur. Testatur hoc Augustinus in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, cùm tradit quosdam non intelligere Christi divinitatem ab universæ creaturæ communione discretam, *Velut ipsi*, inquit, *Iudæi, qui Christum, filium Dauid tantummodo opinabantur, ignorantes excellentiam, qua Dominus est ipsius David, secundum id quod est filius Dei.* Et libro secundo contra adversarium legis & Prophetarum, de Iudæis dicit, quod cum *Dominum ipsius David non secundum carnem, sed secundum divinitatem intelligere non valerent.* Quod sanè ex ipso Evangelio satis manifestum est, ubi doctissimi Synagogæ propter ignorationem divinitatis Christi in illa quæstione succubuerunt, qua quærebatur, quomodo posset esse simul Dominus David ac filius ejus? Nam *quamvis*, inquit Augustinus, *venturum Christum speraverit, secundum hominem tamen eum exspectabant, non secundum quod virtus est sapientia Dei.* Quid mirum autem quod Christi divinitatem in Prophetis prædicatam non intelligerent aut credererent

In expos. inchoata epist. ad Romanos. Lib. 2. contra adversar. legis & Proph. cap. 2. Matth. 22. In Ioan. Ps. 8.

rent illi, quibus velamen erat positum super A cor eorum, cùm post figuras veteres revelatas adhuc eam, ut Aug. notat, hæretici non intelligant? Propter hanc igitur divinitatis ejus ignorantiam, liberationem quoq; populi non nisi carnalem ab oppressione gentium exspectabant. Sic enim hoc Aug. in illo libro quem de tradenda rudibus Christiana Religione scripsit, verbis expressis tradit: *Postea quam templum transactis septuaginta annis restitutum est, tantas pressuras & calamitates à Regibus gentium Iudæi perpessi sunt, ut intelligerent nondum venisse liberatorē* QUEM NON SPIRITALITER LIBERATURUM INTELLIGEBANT, SED PRO LIBERATIONE CARNALI DESIDERABANT. A cujusmodi opinione ac desiderio tanquam reliquijs Testamenti veteris necdum plenè Apostoli erant liberati, quando ab ipso cujus jam divinitas eis & immortalitas innotuerat, tamen B interrogabant: *Domine si in tempore restitues Regnum Israël?* Illi verò Iudæi liberabantur, de quibus post ascensionem Domini credentibus dicit Aug. *Non erant iam illi temporalia beneficia, terrenaq; Regnum desiderantes à Deo, nec promissum Regem Christum carnaliter exspectantes*, quemadmodum videlicet aliqui Synagogæ veteris Filij, à quibus jam fidei novitate differebant.

Quapropter qui tam carnali fide & crassâ spe in Christum credebant, venturumq; sperabant, quid mirum si & spiritalem ejus gratiam tanquam ad benè vivendum necessariam prorsus ignoraverint? Imò verò quid illis opus gratia, qui non nisi carnalia servatæ legis præmia sperantes, nullam legis observationem, nisi quæ ex hujusmodi bonorū desiderio flueret poterant suspicari? Vt enim carnaliter custodiatur lex, amor ac timor temporalium rerum sufficit; ad quos concipiendos affectus, C nullum spiritalis gratiæ auxilium necessarium est. Quæ sanè causa est, ut veteri Testamento & Filijs ejus, sexcentis locis Aug. formidinem pœnæ tribuat, ex qua carnalis illa, de qua gloriabantur, justitia nascebatur. Fidebant enim viribus arbitrij, quas ex ista rerum promissarum cupiditate adesse sentiebant. Nam quanto cupiditas illa consequendorum temporalium, quæ in lege promittebantur, & amittendorum timor, est vehementior, tanto animus quoque robustior ad difficultates in custodienda carnaliter lege superandas. Sed sicut ista cupiditas filiorum veteris Testamenti non erat charitas illa spiritalis, ex qua, ut verè servetur lex, servari debet; ita Iudaica ista legis observatio carnalisq; justitia, non erat illa justitia, quæ spiritalis gratiæ postulat adjutorium. Vnde quoq; effectum est, ut quemadmodum ab ipso Christo, quatenus auctor gratiæ spiritalis erat, ita quoq; ab ipsa gratia non solum invocanda, sed etiam agnoscenda longo intervallo omnes D hæredes veteris Testamenti distarent. Nam inde est, quod Aug. toties dicit: a *Gratiam in veteri Testamento fuisse occultatam*: b *Gratiam velatam latitasse*: c *Gratiam sicut in vellere latuisse*: d *Gratiam novi Testamenti in lege velatam fuisse*, & hujusmodi; quibus indicat gratiam in corporalium promissionū & cęremoniarum fece, tanquam in propheticis ænigmatibus tam obscurè tectam fuisse, ut à pauciſſimis ijsq; spiritualibus peteretur aut nosceretur. Vnde filios veteris Testamēti ab hæredibus novi proprio charactere discernens, omniaque pœnè quasi uno communi calculo consignans, quæ de illis hactenus disseruimus: *Ad Testamentum vetus, quod est à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illa pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam & iustam & bonam* PUTANT SIBI AD VITAM LITTERAM SUFFICERE POSSE; ET IDEÒ, QUA FIANT FACTORES LEGIS, DIVINAM MISERICORDIAM (id est gratiam) NON QUÆRUNT: *sed ignorantes Dei iustitiam*, videlicet illam spiritalem, quæ ex gratia ac dilectione proficiscitur, *& suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Et quinam erant isti filij veteris Testamenti, an soli sceleribus manifestis contaminati? Audi eos consequenter duplicis generis, quos supra declaravimus. Ex *hoc genere fuit illa multitudo, quæ adversus Deum in eremo murmuravit, & idolum fecit; & illa quæ iam in ipsa terra promissionis fornicata est post Deos alienos. Sed hæc quoq; in ipso vetere Testamento valde reprobata est multitudo.* Ecce habes infirmos & improbos veteris legis. Accipe jam reliquos genuinos ejus filios, spe meliores, virtute provectiores: *Illi etiam quicumque ibi erant, sola quæ bi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significent ignorantes,* EORUM ADIPISCENDORUM AMORE, ET AMITTENDORUM TIMORE DEI *præcepta servabant: imò non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusq; carnalis. Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate iustus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* TALES ERANT FILII TERRENÆ IERUSALEM, DE QUA DICIT APOSTOLUS: SERVIT ENIM CUM FILIIS SUIS PERTINENS AD TESTAMENTUM VETUS.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Ibidem.

Cogitent nunc illi qui gratias ad peccata vitanda & ad benè vivendum, & ad salutem adipiscendam sufficientes tantâ liberalitate diffundunt, quam spiritalem gratiam, quâ solâ concupiscentiarum carnalium impetus frangitur & superatur, ista carnalium turba, sola terrena desiderantium, & in præsenti futuraq; vita exspectantium, sola illa capientium, sola illa scientium habere potuerit ad servandam legem, cùm nec ipsam gratiam sibi necessariam, imò nec ipsum gratiæ adjutorium, nec ejus auctorem Christum, nec redemptionem aut liberationem ejus à peccatis scirent, per cujus tamen solam fidem, juxta sanctum Augustinum, accipi debet. Doctrina est enim apud August. constantissima, veram gratiam Christi à fide incipere, & per dilectionē operari non quamlibet carnaliū rerum, quę sive in hac, sive in futura vita desiderantur, sed ipsius justiciæ & rerum invisibilium, quibus immortaliter

a Vide epist. 120. c. 3. & 5.
b Libro de spir. & lit. cap. 25.
c Epist. 95. & in Ps. 34.

taliter perfruatur. A quibus omnibus omnes omninò filij veteris Testamenti tam procul, quemadmodum demonstratum est, aberrant, ut Augustinus dicat, eos *timore visibilis pœnæ fuisse custodutos*, ne in idola haberentur, *quia nondum poterant ex invisibilium fide vivere*; utpotè quæ neque habebant in fide, neque in spe, neq; in dilectione, neque in agnitione; usque adeò quidem terreni atq; animales, ut quamvis resurrectionem crederent eadem omninò bona in futura vita sperarent, quibus in præsenti fruebantur. Vndè factum est ut gratiæ auctorem interfecerint, cùm eos à signis gratiæ, quibus tanquam rebus inhærebant, ad res significatas transferre niteretur: *Ideò qui talibus signis*, ait S. Doctor, *pertinaciter inhæserunt contemnentem ista Dominum, cum iam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt, atq; indè calumnias, quod sabbato curaret, moliti sunt Principes eorum.* Sabbatū autem non minima erat figura, qua gratia per sanctificationis auctorem danda regebatur. Nam utidem observat, *Ad latibulum eius gratiæ pertinet quod in decalogo hoc solum præceptum figurate occultatum est, quod ad sabbatum pertinet.* Videlicet quemadmodum subnectendo exponit, *ut hoc ipso significaretur tempus tunc fuisse occultandæ gratiæ, quæ novo Testamento fuerat per Christi passionem tanquam scissione veli revelanda.* Propter hunc igitur signi neglectum, & gratiæ per illud significatæ revelationem, principes veteris Testamenti Auctorem gratiæ occiderunt: *Populus* verò *signis illis tanquam rebus astrictus non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea sicut à Iudæis observabantur nollet attendere.* Itaque utrique & populus & Principes liberi arbitrij viribus confisi, ad faciendam carnalem justitiam suam, datorem auxiliatricis gratiæ, tanquam non modo minime necessarium, sed etiam tanquam importunum medicum repulerunt. Qua de re præclarè Aug. tum alibi, tum libro de gratia & libero arbitrio: *Quotquot ergò adiuncto solo adiutorio legis sine adiutorio gratiæ confidentes in virtute sua, suo Spiritu aguntur, non sunt filij Dei. Tales sunt de quibus idem dicit Apostolus quod ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere iustitiæ Dei non sunt subiecti.* De Iudæis hoc dixit, qui de se præsumentes gratiam repellebant, et in Christum propterea non credebant. Tales erant omnes omninò veteris Testamenti filij, gratiæ prorsus ignari; imò contemptores, quia propriarum virium, quibus carnalem justitiam operari poterant, præsumptores. Nam hoc ipso quo incipiebant agnoscere gratiam Dei sibi esse necessariam, & in Christum velut auctorem gratiæ, infirmæque naturæ adjutorem ad veram justitiam faciendam credere, ad novum Testamentum pertinebant, quamvis adhuc in veteri viverent. Velamen enim veterum figurarum, tollebatur ab oculis eorum, *Quoniam in Christo evacuatur*; & amor vetus tollebatur de cordibus eorum, quibus fiebat ut neglectis figuris ac temporalibus præmijs, ipsa veritate jam credita & intellecta, & æternitatis amore liberi fierent. Quæ omnia quisquis diligenter & intelligenter attenderit, nihil mirabitur cur toties tantaq; instantia doceat Aug. gratiæ adjutoriū & Spiritum adjuvantam hominibus sub lege defuisse, Litteram sine Spiritu ibi fuisse, & similia, sed potiùs mirabitur posteros suos, hominibus tam carnalibus, nihil nisi carnalia desiderantibus, atq; capientibus sine gratiæ fide, sine mediatoris Dei ac hominum agnitione viventibus, gratiâ tam observandi præcepta, quam salutē spiritalem assequendi, tanta liberalitate tribuisse. Nam ubi fides, & cognitio gratiæ, & mediatoris, & verę justitiæ spiritalis, & finis propter quem exerceri debet, nulla est; profectò gratia custodiendi præcepti, nulla est aut esse potest, prout mox adhuc uberius ex Aug. ostēsuri sumus.

In epist. ad Galatas.

Lib. 2. de doct. Christ. cap. 9.

Lib. de Spir. & litt. c. 25.

Lib. de doct. Christ. c. 6.

CAPVT NONVM.

Status veteris Testamenti, ut talis, non erat justitiæ & salutis, sed potius peccati & mortis. Pauciſſimi justi sub illo Testamento & gratia sufficiente muniti. Gratia illa sub natura & lege cōtinetur.

SED jam diu submurmurantes mihi audire videor, quod omnes veteris Testamenti filios, non solum gratiâ servandi præcepta legis, sed etiam ipsius gratiæ & Salvatoris mundi fide destituerim, & in eo statu collocaverim, ut in universo illo populo nulla superesset spes salutis, sed omnes tempore Testamenti veteris, tanquam æternę damnationis rei ad interitum properarent.

Respondeo filios hæredesque veteris Testamenti à Dispensatoribus ac Gestoribus veteris Testamenti distinguendos esse. Nam *qui propter terrena*, ut inquit Augustinus, *suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris Testamenti*, & filius ejus. Cujusmodi hominem quis participem illius spiritalis æternæque salutis esse dixerit, nisi terrenis desiderijs excœcatus? Talis est enim non Evangelica fide & charitate liber, sed carnalium rerum cupiditate servus. Nec sine causa scriptum est: *Eijce ancillam & filium eius. Non, enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Hoc est, juxta Apostolicam doctrinā, Eijce filios veteris Testamenti tanquam servos carnalium desideriorum ab hæreditate cælesti, non enim erunt divini hæredes patrimonij, cum filijs liberæ & cælestis Ierusalē, quæ est mater nostra. Vt meritò propterea supra dixerit Augustinus de Iudæis & quotquot eis erant similes, quod *terrena tantummodo exspectantes à Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritualem cælestis patrimonij.* Quam ob causam instantissimè passim docet eos qui sola lege, tanquam Testamenti illius adjutorio, contenti, bonis terrenis sibi promissis inhiantes, benè sibi vivere videbantur, intus in voluntate fuisse gra-

Lib. de gestis Pelag. c. 5.

Lib. de gratia, & lib. arbitr. cap. 11.

Aug. Gal.

Aug. ad Gal.

gravium peccatorum reos. Ex quo numero nec ipsum S. Paulum excludit, quando in lege sine querela conversabatur. Cùm enim describeret ex Apostolo quales fuissent homines ante gratiam Dei, mortui videlicet delictis & peccatis facientes voluntatē carnis & affectionum &c. simul adijcit; *Talis Saulus fuit, quando secundum iustitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit*, quod ibidē plurimis confirmat.

Gestor verò aut Dispensator veteris Testamenti est, qui tempore veteris Testamenti vivens, figurativa ejus præcepta promissáque non spernit, sed in eis tanquam in signis quibusdam propherantibus intelligit, diligit atque exspectat novum. Hoc est, qui quamvis promissam sibi terrenam felicitatem videat, non tamen propter illam susc.ipit custoditq; legem Dei, sed propter cælestem, quam in illa figuratam credit: *Si enim propter illam* terrenam *colatur Deus, servilis est cultus, pertinens ad filios B antille. Si autem propter ipsum Deum, ut in aterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus pertinens ad filios libera, quæ est mater nostra eterna in celis.* Tales itaq; quotquot erant in illis temporibus in illo populo gestores, erant & dispensatores Testamenti veteris, sed hæredes novi; nec ullo modo filij veteris Testamenti nuncupandi sunt. Non enim erant temporalium promissionum cupiditate sub signis nonintellectis servi, sed signorum vaticinantium intelligentia cælesti fide & spe & charitate liberi: *Qui* enim *operatur, aut veneratur utile signum deputatis institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet illa signa revelari, quorumuigo edomandi sunt.* Sic filios veteris Testamenti à dispensatoribus ac à gestoribus ejus, non semel distinguit Augustinus. Quapropter quicquid hactenus de Iudæis sub veteri lege constitutis diximus, de veris & genuinis hæredibus atque filijs illius Testamenti diximus, quod in monte Sina datum fuit. Nihil enim in illo Testamento, & cum illo Testamento, nisi litteram jubentem ac minantem, figuras obscurè significantes, quas non intelligerent, carnales; promissiones acceperunt, dilexerunt & exspectarunt. Et quia natura Testamenti illius ac status populi, & conditio temporis illius talis fuit, hinc pænè omnes in ista carnalitatis obscuritate crassitieque versabantur. Vt non immerito dixerit Augustinus, Ierusalem vocatam fuisse *sanctam merito significantis imaginis, non expressæ, sicut futura est, veritatis.*

Nec dissimulat id quod ex eis quæ hactenus diximus, perspicuè sequitur Testamentū illud vetus parvæ fuisse veteribus utilitatis, D magisque Christianis, quibus illa multiplicia signa revelata sunt, quam Iudæis profuisse. Nam de Propheticis signis loquens: *Quando scribebantur haec non ita proderant eis inter quos scribebantur. Scribebant enim ad prophetandum novum Testamentum inter homines qui vivebant ex veteri Testamento.* Hinc sacramenta visibilia in armis David significata, vocat *arma prementia non adiuvantia*, ipsosque libros Moysis, quibus totum illud Testamentum continebatur, *Lapides inutiles*, qui *vacabant, nihil proderant*, ipsamque legem *inutilem*. Nempè quia per solam gratiam prodesse poterant, sine qua lex illa potius iram in hominibus veteribus quam observationem operabatur. Itaque libro sexto contra Faustum non veretur dicere, vetus Testamentum fuisse *magu propter nos, quibus manifestatur, quam propter illos, in quibus figurabatur.*

Hic ergò status veteris Testamenti, & generatim loquendo, populi Iudaicorum, quem ex Augustino delineavimus, vera ratio est, cur etiam longè secus ipse quam recentiores, de justis illius temporibus Philosophetur. Non enim, ut plerisque Christianorum persuasum esse video, Iustitia & sanctitas, quæ ex fide Christi mediatoris, præceptorumque Dei observatione nascitur, vulgaris erat, nec in aliquo populo, quemadmodum nunc, fidei salvantis gratiam profitente, sed in paucis illa videlicet signa gratiæ intelligentibus reperiretur, prout idem diversis locis docet: *Hæc iustitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia & gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nascereiur.* Et libro de catechizandis rudibus: *Erant ibi pauc. futuram requiem cogitantes, & cælestem patriam inquirentes, quibus propterando revelabatur, futura humilitas Dei Regis, & Domini nostri Iesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia & tumore sanarentur.* Et nonnullis interjectis in eodem libro: *Quæ sacramenta visibilia veteris legis, tunc a paucis sancta & intelligebantur ad fructum salutis, & observabantur ad congruentiam temporis, a multitudine vero carnaliter tantummodo observabantur non intelligebantur.* Et in libris de Civitate Dei: *Vsus est enim* (gentis Hebrææ) *etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos, & admonendos, qui postea futura erant in omnibus gentibus* Christianos, atq; sanctitatem illam ferè restringere solet ad Patriarchas & Prophetas, quibus ex populo perparvos aliquos subinde adjungit, ideoque paucissimos eos plerumque vocato. Nam in epist. ad Galat. *Semen*, inquit, *cui promissum est, populum significat*: hoc est totam illam magnam multitudinem Christianorum; *non illos paucissimos qui revelationibus ea futura cernentes, quamvis per eandem fidem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant.* Et paulò post iterum vocat eos paucissimos qui ex Domini fide per prophetiam ante ambos adventuros salutem gratiæ perceperant. Et in libro de catechizandis rudibus: *Vtam spiritalis gratia, quæ paucis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat, manifestaretur omnibus gentibus: ne quisquam Dominum nisi gratis coleret, non visibilia præmia servitutis suæ, & præsentis vitæ felicitatem, sed solam vitam æternam, in qua ipse Deo frueretur, ab illo desideras.* Et inferius: *In quo* Testamento vetere, *carnalis populus agens hominem veterem, exceptis paucis intelligentibus Patriarchis, & Prophetis, & nonnullis laten-*

In Psal. 143.

Lib. 6. contra Faust. cap. ult.

In epist. ad Galatas.

Lib de catechizandis rudibus c. 19.

Ibid. c. 20.

Lib. 17. de Civit. c. 2.

In Epist. ad Galatas.

Ibidem.

Lib de catechizandis rudibus c. 22.

latentibus sanctis, carnaliter vivens, carnalia præmia A *desiderabat à Domino Deo.* Et in libro contra Adimantum Manichæi discipulum: *Hi verò qui tunc in illo populo sancti & spirituales homines erant paucissimi, sicut Moyses, sicut Prophetæ quo animo facerent illam inimicorum interfectionem multum latet indoctos &c.* Et rursum non ita multò post: *In veteri Scriptura tacetur animus vindicantium quia paucissimi spiritales divinis revelationibus, quid facerent, noverant, ut populus cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur.* Et in Psalmum septuagesimum secundum: *Novum Testamentum quod in Christo est, prioribus illis temporibus occultum erat, solis Prophetis cognitum, & paucissimis pijs, non ex manifestatione præsentium, sed ex revelatione futurorum.* Et in tractatibus in Ioannem docet in veteri Testamento *à paucissimis hominibus* diabolum ejectum esse foras, quod nunc fit, in multis magnisque populis. Cujus quidem raritatis causa erat, partim illa carnalitas illius B populi, per quam ab omni intelligentia & captu spiritualium rerum erat remotissimus, partim ut hac infrequentia Deus liquidissimè ostenderet gratiæ magnitudinem, quam illis paucissimis electis suis conferebat, partim denique, quia non erat tunc tempus gratiæ manifestandæ, sed prophetandæ, neque prædicandi Christi Salvatoris mundi, sed præfigurandi. Vndè nec ipsi Prophetæ, quibus Christus & gratia ejus revelata innotuerat, eum populo incapaci spiritualium prædicabant, sed paucissimis tantum, de quibus, ut Augustinus proximè insinuavit, divinâ revelatione monebantur: *Illæ promissa & dona terrena sunt*, inquit, *intelligentibus & tunc spiritalibus quamvis nondum in manifestatione prædicantibus, & quæ illis temporalibus rebus significaretur æternitas, & in quibus Dei donis esset vera felicitas.* Et in superioribus Aug. dicentem audivimus, quod ideò *flos fœni*, hoc est, carnalia pro magnis habebantur, C *quia non demonstrabatur quæ fuerat eligenda & proponenda felicitas.* Imò verò quod *non invitabantur significata intelligere sed iussa cogebantur implere*, eo quod NON OPORTERET ANTE ADVENTUM DOMINI NUDARE POPULO LEGITIMARUM SACRAMENTA FIGURARUM. Nam quamvis Deus omnes homines gratia sua convertere possit, quidam tamen etiam in novi Testamenti tempore tam carnales sunt, ut non oporteat eis de spiritualibus mysteriis apertè disserere, sed ea potiùs, quantum fieri potest, occultare. Propter quam causâ & Christus non semel in parabolis loquebatur, & Apostolos vetuit *Sanctum dare canibus, & margaritas projicere ante porcos.* Vt proindè profundissimè dixerit Aug. generaliter de populo veteris Testamenti, quod *Tempore servitutis carnalibus animis nondum oportebat illa signa revelari.* Quorum subtractâ revelatione, sicut omnibus infi- D delibus subtrahitur, impossibile erat vel credere in mundi Salvatorem, sicut credendum est, vel legem non carnaliter sed spiritualiter observare sicut observanda est, vel æternam vitam spiritaliter appetere; sicut appetenda est.

Lib. con. Adimant. c. 17.

Ibid.

In Psalm. 72. initio

Tract. 52. in Ioan.

Lib. 4. de Civit. c. 33.

In fin. Psal. 77.

Lib. contra Adim. c. 22.

Lib. 3. de doct. Christ. cap. 9.

Hæ sunt igitur considerationes, quibus Augustinus fuisse motus videtur, ut tam asseveranter & constanter doceat, gratiam Dei & adjuvantem Spiritum, ut supra vidimus, sub veteri Testamento defuisse. Nam pauciſſimorum illorum in tanta carnalium turba, quæ propriè ad vetus Testamentum sola pertinebat, nulla fuit habenda ratio. Hæ sunt itidem illæ propter quas in universis operibus suis nemini nisi sanctis illis pauciſſimis, quos commemorat, gratiam tribuit, qua concupiscentiam inflammatam legis prohibitione superaret, & prævaricationem ejus evaderet: gratiam inquam, non illam sufficientem, quam Neoterici prædicant (quam post lapsum hominis vel dari vel ad operandum prodesse posse, si daretur, nunquam agnovit Augustinus) sed illam verè sufficientem & Christianâ gratiam, qua Deus facit ut faciamus, & in justificationibus ejus ambulemus.

Quapropter hujusmodi gratiam sufficientē Neotericorum tanquam lapsis fractisque viribus prorsus inutilem, semper sub natura, vel sub lege comprehendit. Ac de natura quidem quomodo sub ea comprehendatur ab Aug. supra diximus. Sub lege verò, quia quicquid Apostolus & Augustinus legi tribuit, quando est sine vera illa gratia Christi, hoc competit legi cum illa gratia sufficienti Scholasticorum, quando est sine gratia Christi quæ vera Christi gratia est. *Vide supra cap. 2.*

Nam illa loca Pauli, *Virtus peccati lex, littera occidit*, & similia quæ S. Aug. ita exponere solet, & secundùm Catholicā fidē exponi debent, quod videlicet *Lex sine gratia non mors peccati potuerit esse sed virtus.* Et quod *Littera sine Spiritu occidit*, quemadmodùm supra plurimis ejus testimoniis comprobavimus: eodē planè modo cum ista gratia sufficiente planissimâ veritatem retinent. Nam & littera cum ista gratia sufficienti *occidit*, & est *virtus peccati*, & facit *abundare peccatum*, & prævaricationem, & *iram operatur*, & *per legem* est *cognitio*, non evictio *peccati*, & *operatur omnem concupiscentiam*, & *concludit omnia sub peccato*, & est *ministratio mortis*, & *ministratio damnationis*, aliaq; similia quæ Apostolus legi asscribit. Et rursus omnia quæ S. Aug. legi tribuit sine gratia, Lex etiam cum tali gratia facit: auget scilicet peccandi desiderium, pejores doctrinæ efficit inimicos, nihil ex ea benè fit, tantummodo legis auditorem facit, ostendit peccata non sanat; non prodest sed obest, frustra sonat auribus, & hujusmodi plurima; deniq; ad hoc tantum est, ut prævaricationis reum faciat, eoque magis, quod illa pleraque quæ Apostolus & Augustinus de lege dicunt, juxta Scholasticorum ipsorū suffragium, prorsus falsa sunt, nisi gratia illa sufficiens legi adesse statuatur. Putant enim impossibile esse, ut lex faciat abundare peccatum & iram operetur & occidat &c. nisi adsit simul gratia sufficiens, sine qua, inquiunt, homo non esset peccati reus; quia nemo reus in eo quod vitare non potest, ita ut eam ad hoc quodammodo excogitasse videātur, ut lex possit illos effectus operari.

1. Cor. 15. 2. Cor. 3. Augustin. Ludovicus Ciron. &c.

rari. Quid ergò mirum quod cùm Apostolus & Augustinus aliam omninò gratiam postulent, quam opponant legi, & cujus virtute fiat ut lex non operetur iram, non occidat, non sit ministratio mortis & hujusmodi; illam sufficientem tanquam inutilem præterierint, abjecerint, non agnoverint? Vel si ignoraverint, sub lege, cujus omnes effectus habet, comprehenderint? Nam indè est illud: *Quinovit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo dicit secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm Spiritum, sed secundùm litteram.* Et illud ibidem non minus efficax & perspicuum: *Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoq; perficiat.* Quibus profectò sententiis nihil evidentius dici potest, ut omnem illam recentiorum sufficientem gratiam se indicet sub lege & littera, non sub Spiritus gratia comprehendere.

Et ista de Iudæis & eorum gratia sufficienti. Nunc quia eandem sufficientiam adjutorii quidam etiam ad excœcatos & obduratos, adeoque cunctos infideles extendunt, quid de talibus tradiderit, paucis perstringendum est.

CAPVT X.

Excœcati & obdurati carent gratia sufficienti, qua videant & moveantur ad bonum.

QVA quidem de re non est nobis magnopere laborandum, nisi plus studii quosdam suscipere constaret, ad obscurandum ea quæ in August. scriptis manifesta sunt, quàm ad ea quæ obscuriora sunt illustranda, ne aliquod præconceptis opinionibus tantus Doctor afferat præjudicium. Nam tot modis ille tantâque claritate docet, excœcatos obduratosque sufficienti adjutorio divinæ gratiæ nudatos esse, qua possint, vel videre, vel credere, vel rectè vivere, vel peccata vitare, ut satius esset illis fateri, se sensa ejus vel non intelligere, vel nolle sequi quam privatæ sententiæ studio manifesta perturbare. Nam in primis, quamvis nihil aliud Augustinus de obduratis & excœcatis traderet, quàm Deum illorum nolle misereri, nolle gratiam infundere, eos deserere, non adjuvare, deesse illis divinæ gratiæ adjutorium, & hujusmodi, nonne satis esset ut intelligeremus eos gratiâ sufficiente destitui? Sic ergò de illis Augustinus non semel loquitur. Nam in quæstione secundâ libri primi ad Simplicianum, sic definit obdurationem: *Vt obduratio Dei sit nolle misereri.* Et inferius: *Vt ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.* Quod in epistolam ad Romanos dicit: a *Obdurans deserendo ut malè operentur.* Et in tractatibus in Ioannem: b *Sic excœcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adiuvando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Et rursum: *Cum quæstiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excœcetur ille Deo adiuvante illuminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis usurpemus.* Et ibidem iterum: *Absit ut sit iniquitas apud Deum, sive quando adiuvat, misericordiæ facit, sive quando non adiuvat, iustè facit.* Vndè alibi excœcatum vocat, *Desertum omni lumine veritatis.* Et de utrisque obduratis & excœcatis simul: *Hinc excœcantur & indurantur, quia negando divinum adiutorium non adiuvantur.* Et alibi in Psal. exponens, quid sit frigus Dei ex quo sequitur desertio Dei: *Ecce, inquit, deseruit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Si nihil igitur, ut dixi, aliud haberemus, quàm hæc & hujusmodi quibus Augustinus ad explicandam obdurationem & excœcationem utitur, non satis esset ut talibus gratiam sufficientem subtractam esse sciremus? Quid enim absurdius quam dicere, quod Deus eos deserat, non adjuvet, omni lumine destituit, non vocat, quod eis non aperit sensum, non misereatur, non infundit gratiam, quibus sufficientem tribuit? An eo-usque fortè delirabimus, ut sufficientem gratiam, nec adjutorium, nec gratiam, nec misericordiam, Dei esse dicamus? Hinc sanè prudentes viri compelli se sinunt, dum negare malunt quicquid sibi in Augustino adversatur, quàm vera quæ senserit confiteri.

Sed non in istis generalibus locutionibus, quamvis perspicuis, Augustinus stetit. Docet enim consequenter plurimis locis, ita deseri excœcatos atque obduratos, ut bonum quod eis volendum aut faciendum est, facere ac velle, imò cernere non possint. Quod non aliud profectò est, quam eos ab adjutorio sufficienti prorsus deseri; utpotè cujus proprius effectus est, posse facere, posse velle, posse cernere. Voluntas enim eorum divino lumine & calore destituta, tam glaciali frigore constringitur ad volendum malum, ut bonum præ duritia nolendi, velle non possint; quia voluntatem, Deo gratiam non infundente, mutare non possunt. Asserit hoc exponitque diversis locis Augustinus. Nam in illo ipso proximè citato cùm dixisset: *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam*, vim dilectionis illius statim explicâdo subtexit: *Soluatur homo si potest gratia, non potest stultitiæ. Quarè non potest? In faciem eius quis subsistet?* Sive ut nos legimus, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Hoc est, ut iterum explicando subjicit; *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit?* Et in lib. de perfectione justitiæ: *Quasi non debeat Deo agere gratias, qua præcepta voluit*, QUI DESERTUS OMNI LUMINE VERITATIS HÆC VELLE NON POTEST. Et in quæst in Matth. *Cogimur fateri alios quibusdam peccatis ita eos excœcari meruisse, quâ tamen excœcatione* NON POTUERUNT CREDERE. Et mox iterum: *Credere non poterant quia excœcati*

Lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 9.

cati erant. Et l. 2. de serm. Dom. in monte. *Non intuentes, non enim possunt, cum superstitione & contentione cæcati sunt &c.* Et sanè qui fieri potest ut cæcus videat? Si enim adhuc vidēdi sufficientē habet gratiam & consequenter potestatem cujus conferendę causâ gratia talis adesse fingitur, profectò non jam cæcus est. Quod Augustinus sæpè insinuat, nonnunquam etiam apertissimè profitetur. *Illud miror non attendere homines cæcos, vel potiùs, non miror non videre cæcos.* Et in libris de Civitate Dei: *Quid ergò mirum si hæc manifesta non vident, quorum oculi sunt obscurati ne videant? Quid mirum si cælestia non suspiciunt, qui ut in terrena sint proni, deorsum eorum semper incurvi est?* Vbi quod hic nominat *oculos obscuratos*, in Psalmum istum scribens ad quem alludit, *cor cæcum* vocat. Quam videndi impotentiam ut efficacius exprimeret, oculos eorum extinctos esse nec videre posse, non semel asserit. Nam in Psalmum quinquagesimum septimum de excæcatione tractans eorum qui ab Apostolo sigillantur: *Vt de ista*, inquit, *sola loquamur pœna, obscuratio cordis; excæcatio mentis parva est pœna? Si quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit, & ei peperciſſe putatur Deus?* Et in fine istius commentarij: *Lætabitur justus cum viderit vindictam. Si autem non habeat oculos unde videat vindictam*, id est si excæcatus est, *contristabitur nec corrigetur ex illa.* Et paulò post causam hujusmodi duritiei reddens: *Sed tam est mentis cæcitas, tam oculus mentis extinctus est. Si cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceres. Cæcus interius, panem Christum non videt, & beatus est? Hoc non dicit nisi pariter cæcus.* Quæ cæcitatis istius cum corporali comparatio, imò ipsum solum cæcitatis nomen plus aliquid profectò dicit quam aversam à videndo volūtatem, scilicet videndi impotentiam, quæ etiam accedente videndi voluntate tolli nequeat. Vndè cùm Pelagius omninò similem semper videndi, imò & benè vivendi possibilitatem homini peccatori adesse vellet, quæ nullius pœnæ inflictione tolli posset, respondet ei Augustinus, amitti non solum videndi possibilitatem, sed etiam illam non posse vi voluntatis auferri: *Posset*, inquit, *& medicum quærere* (si videlicet natura de cetero mansisset salva, sicut præmiserat) *qui cæci oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem*: QVONIAM COECVS PVTO QVOD VELIT VIDERE SED NON POTEST. *Si autem vult & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.*

Lib. 11. contra Faust. cap. 7.

Lib. 17. de Civit. c. 19.

Comment. in Psalm. 68.

In Psal. 57.

Ibid. infra.

Lib. de nat. & grat. c. 51.

Enimverò quî possit adesse homini sufficiens gratia tollendi suâ voluntate cæcitatem, equidem nescio. Nam quamvis nemo, nisi meritis gravium peccatorum, quæ suâ voluntate commisit, excæcetur, postquam tamen illa perpetrata sunt, non est amplius humanæ, sed divinæ voluntatis ut cæcitate careat aut plectatur. Est enim pœna quæ ex divino pendet judicio, de cujus ratione est, ut sit involuntaria. Quæ omnia significavit breviter Augustinus, quando contra Iulianum scripsit: *Eademq; cæcitas si peccati pœna non esset, non diceretur: Excæcavit eum malitia illorum. Quod si de Dei iudicio non veniret, non legeremus, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorū semper incurva.* QVIS PORRÒ VOLENS COECVS EST CORDE, CÙM VELIT NEMO COECVS ESSE VEL CORPORE Vndè alibi pœnam excæcationis haud secus atque obdurationis, à divina voluntate suspendit: *Ille igitur qui secundum Apostolicam sententiam, cujus vult miseretur, & quem vult obdurat; procul dubio quem vult illuminat, & quem vult excæcat.* Quemadmodum igitur cæcitatis infictio à divinâ pendet voluntate, ita cæcitatis permânsio. Est enim talis pœna quæ non solum videndi possibilitatē tollit, & hoc ipso gratiam videndi sufficientem excludit, sed etiam solâ divinâ voluntate rarissimam gratiam infundente removetur, juxta illud Augustini: *Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur, & pœna peccati qua cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Hæc autem rarissima gratia qua cæcitas dispelli, & peccata ex cæci cordis errore necessariò nascitura vitari possint, judicio Dei nunc multis deest, quia pœna est, prout hoc Augustinus absolutâ auctoritate definit; non de excæcatis & obduratis tantum, de quibus ipse nunquam vel dubitavit, sed generaliter de multis alijs peccatoribus, quibus Deus illud negandum esse occultâ æquitate constituit: *Si hoc adiutorium vel Angelo vel homini cùm primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset. Adiutorium quippè defuisset sine quo manere non possent. Nunc autē quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est. Quibus autem datur secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.* Qui locus præcipuè, cuidâ recentiori tam lucuēltus visus est, ut quamvis sufficientē omnium gratiam ex professo defendat, Aug. tamen contrarium docuisse, Prosperumque & Fulgentium ei adhæsisse, nec se ad ejus loca respondere posse apertè fateatur. Quid enim ad præcedētia loca de videndi impossibilitate quæ cœcis à Deo inflicta est, & ab ipso solo tolli potest, & ad illum in primis postremū responderi cum aliqua probabilitate possit, ignoro. Comparat enim primum hominem cum sua damnata posteritate: quorum illum apertissimè dicit, deficiente adjutorio quo posset manere, si vellet, sine culpa casurum: Ejus verò posteritatem non posse obtendere suam innocentiam, si sibi illud deest, quia pœna peccati est quòd subtrahitur, gratia quòd donatur. Et ista ratio & radix est, cur sexcentis locis contra Pelagianos doceat, quod alij juvantur alij non juvātur, divini esse judicij. Quo nihil aliud docet quam quod loco citato docuit, justè videlicet quibusdam gratiam subtrahi, sine qua impossibile est, justum manere, & injustum rectè vivere & peccata vitare, quamvis velit.

Lib. 1. contra Iul. opus imperf. c. 91.

Lib. 2. contra Aduers. legis & Proph. c. 8.

Lib. 5. contra Iul. c. 3.

Lib. de corr. & grat. c. 11.

V. eſquet. in 1. part. diſp. 97. c. 2. §. 6.

Ex

Ex ijs quæ jam diximus consentaneum esse facile videt quisquis Augustini principijs innutritus est; excœcatis & obduratis deesse sufficientem gratiam, non solum eam qua cordis oculis videant veritatem; eamque mollitâ voluntate sectentur, sed etiam eam qua peccata cavere possint, quæ ex istis principijs proficisci solent. Quod non minus perspicuè & constanter quam præcedentia sanctissimus Doctor adversus Pelagium tradit, qui pœnas istas, peccatorum causas esse posse nesciebat: *Nec cogitat*, inquit *prævaricatorem legis, quàm dignè lux deserat veritatis, qua destitutus utique sit cœcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat ut ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Rectè *admoneatur*, dicit, nam quamvis hujusmodi admoneatur non lege solum, sed & doctrinâ & prædicatione & correptione, non propterea reipsa invocat Salvatorem. Legem enim talibus, doctrinam & prædicationem & correptionem proferre, officia sunt benignitatis humanæ, quæ frustra cœcis & surdis adhibentur, nisi altius misereatur Deus: *Quibus enim Deus irascitur, quid misericordia conferet humana?* Nam ut sapiens dicit: *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Hinc igitur adhuc in eodem libro explicans Augustinus excœcatorum insufficientiam ad vitanda peccata: *Deserti*, inquit, *luce iustitiæ, & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemoravi, opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant, surge qui dormis &c.* Et adhuc inferius illud explicans: *Ad peccatum valet mors animæ, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratiâ reviviscat.* Hinc ergò ex ista cordis cœcitate & voluntatis obduratione nascitur præcipuè quædam peccandi necessitas, quam Augustinus multis in locis ex professo docet, quæ non est aliud quam quædam impotentia seu insufficientia cavendi peccata, tentationesque superandi, nec aliundè nascitur, quam ex eo quod sufficienti illo adjutorio deseruntur. De qua peccandi necessitate, quia multa superius diximus, eadem iterare supervacaneum duco: cùm hæc sufficiant ad illam sanè mirabilem Scholasticorum opinionem Augustini auctoritate refellendam, qua sufficiens illis adjutorium divinæ gratiæ, tantâ profusione, nullâ divinæ severitatis consideratione præbuerunt.

Eccles. 7.

Lib. de nat. & grat. c. 23.

Ibidem.

Vide dicta lib. 3 de jure naturæ lapsæ penè tot. & maximè cap 18 item lib. 2. c. 2. 3. 4.

CAPVT XI.

Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tàm proxima quàm remota, & omnibus principiis ejus.

Nvnc de infidelibus aliquid adjungendum est. Putant enim nonnulli Scholastici etiam illis omnibus, vel semper, vel certis temporibus auxilium sufficiens dari, quo salvari possint. Sed quia salus à fide incipit, auxilium sufficiens ad salutem erit ut minimum sufficiens ad credendum. Nullum est autem sufficiens ad credendum, nisi adsit credendorum propositio, & supernaturalis aliqua voluntatis excitatio. Porrò quia non nisi gratis ac temerè dici potest, talem omnibus infidelibus dari; imò quia satis certum est etiam per experientiam, quibusdam tale quid neque vigilando, neque somniando in mentem venisse unquam, & certissimum, non semper intus excitari & illuminari mentem eorum, hinc facile admittunt non semper illud auxilium sufficiens ad salutem esse præsto in actu, esse tamen in eorum vel proximâ vel remotâ potestate. Nempè quia saltem possunt non ponere impedimentum divinæ vocationi, quod si facerent non peccando, sine dubio vocarêtur ulterius, peccando autem reddunt se incapaces gratiæ sublimioris. Tale auxilium enim ad non peccandum ferè omnes unanimiter adesse etiam infidelibus volunt; utpotè sine quo peccatum eis non posset ad culpam imputari. A quibus auctoribus si quæras, cujusmodi istud auxilium sit, alij dicunt esse cogitationem aliquam etiam ab objectis naturalibus suscitatam, alii aliud, ut diminutionem virium adversarii, amotionem occasionis qua tentamur, terrorem, blandicias objecti alterius, alii generaliter aliquod adjutorium gratiæ *naturalis* in substantia. Itaque moles disputationis eo redit, utrum infideles hujusmodi auxilium sufficiens ad non peccandum, & consequenter ad salutem æternam adipiscendam habeant.

Vide Vasq. sup. & in 1. disp. 89. c. 4. 5. & 6. Ita Bellarm. supra Suarez supra & Vasquez.

Et quidem eos omni tali gratia carere, nullam in Augustini principiis dubitationem continet. Quicquid enim diximus, ut Judæos gratia sufficienti servandi præcepta legis caruisse probaremus, multò validius in Infidelibus locum habet, prout res per se ipsa clamat. Quid per se absurdius quam quod illi gratiam sufficientem ad præcepta custodienda habere statuantur, qui & ignorant pleraque præcepta, & eorum legis-latorem Deum; illi verò careant, quibus & sui, & præceptorum suorum agnitionem dedit? Nam præter eandem illam ingentem tentationum superandarum impotentiam ex libidinibus profectam, quæ in omnibus infidelibus pariter ac Judæis reperitur, accedit præterea profunda rerum agendarum cavendarumque ignorantia, qua de tenebris in tenebras cadunt, hoc est, ex uno peccato in aliud præcipitantur. Hæc autem peccata, vera peccata sunt, quamvis ignorantiam illam dissipare non possint, prout latè in præcedentibus

Vide latè supra hoc libro c. 4. & 5.

Vide Vasq. in 1. partem disp. 97. & Suarez, t. 4. de peccat. disp. 3. n. 19. & 20.

Vide & Bellarm. lib. de grat. & lib. arb. cap. 7.

tibus demonstravimus. Quid ergò talis fecerit, ut gratiam assequatur, qui etiam tùm peccat, quando non est conscius se peccasse.

Sed ex alio quoque capite doctrina ista manifesta est. Nam quemadmodum est quidam status sub lege, qui Iudæorum proprius fuit, ita & alius quidam est ante legem, qui ex propria sua ratione competit Infidelibus. Quamvis nihil vetet etiam infideles esse sub Lege, sive naturali, postquam eam sibi sublucentem agnoverint; sive scripta, si eis lata quoquo modo fuerit. Vterque verò status expers gratiæ est, & ab Augustino vocari solet, *ante gratiam*, ut per hoc ipsum significet utrumque statum carere gratia non solum faciendi bonum, sed gratia de qua potissimum satagit Augustinus, non faciendi id quod prohibetur malum, seu non consentiendi carnalibus concupiscentiis quibus à Dei præceptis adimplendis potentissimè revocamur. Itaque sæpissimè docet, in illo statu nullam esse vel pugnam cum concupiscentiis, quibus libet id quod non licet, sed eas hominem etiam approbare & libenter sequi. Ignorat enim ante acceptam legem eos esse malas aut rescindas: *Prima est actio*, inquit, *ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cùm peccatum ignoramus & sequimur carnales concupiscentias &c.* Et iterum: *In prima actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus huius seculi.* Et in epistolam ad Galatas: *Ante legem non pugnamus, quia non solum concupiscimus, & peccamus, sed etiam approbamus peccata.* Sed quia latissimè ex Augustini scriptis alibi istud idem comprobavimus, supervacaneum est hîc repetere. Videantur ea quæ loco in margine citato diximus. Ostendimus enim duos illos status, sub quorum altero necessariò infideles vivunt, non solum omni gratia Christi destitutos esse ad cavendas superandasque peccatorum tentationes, sed etiam in statibus illis deesse arbitrio libertatem, ad bonum, hoc est, arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum, sed tantummodo ad malum, utpotè quod sub libidinibus, rerum terrenarum & carnalium servum captivumque teneatur, à quibus nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi, liberari nullo pacto potest.

Tertiò probavimus fusè in præcedentibus, nullum omninò bonum moraliter opus, hoc est, nullum opus quod non sit peccatum ab Infidelibus posse fieri, sed quicquid faciant, quoquo modo se vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perversi amoris cupiditate contaminatum esse, *& ex vulnere in vulnus surgere*, utpotè qui quamdiu infideles manent, ipsis principiis faciendi moraliter boni careant. Hæc autem principia duo sunt: Primum est dilectio Dei seu justitiæ, quæ in omni opere etiam moraliter bono dominari debet, atq; ita dominari ut nisi adsit, non nisi peccatum futurum sit opus, quod ex alia quacumq; dilectione nascetur. Qua de re vide quæ latè eodem illo libro, itemque alio de statu puræ naturæ diximus. Nam illa dilectio Dei seu justitiæ nullis omninò viribus naturæ, sed per solam & magnam gratiam Christi Salvatoris haberi potest. Hinc enim proficiscitur illa solemnissima sancti Præsulis doctrina, quam ex Apostolo derivavit, de qua etjam superius diximus, quod *Dilectio sit plenitudo legis*, hoc est, per solam dilectionem justitiæ lex quæcumque sive tota sive pars ejus, sive quodcumque præceptum impleri potest, ut animus non sit peccati vel interius vel etjam exterius perpetrati reus. Porrò ista Dei & justitiæ dilectione infideles omninò destituti sunt, quia Deum verum ignorantes, sua quæ intus vel extra fabricant idola pro Deo suo venerantur. Ex quo consequenter fit, ut nullum opus bonum, nulla vera tentationis ullius superatio, quæ non nisi istius cœlestis divinæque dilectionis fructus est, in illis esse possit. Quid quid enim faciunt, non ex amore Creatoris, sed creaturæ cupiditate fluit: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et ex illa creaturæ cupiditate nasci non potest fructus bonus. Quia, ut Augustinus: *Sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam benè utitur creaturis. Non enim*, ut alibi tradit, *fructus est bonus qui de charitatis radice non surgit.* De quibus omnibus principiis alibi fusè disseruimus. Cùm ergò non habeant infideles gratiam sufficientem diligendi Deum, quos & ipsa agnitio & fides Dei deficit, profectò non habent gratiam sufficientem benè operandi.

Secundum principium boni operis, quo infideles carent, est fides veri Dei, & Christi ejus, sine qua fide impossibile est vel servare legem, vel cavere peccata, vel præceptum facere, vel tentationem superare. Illâ fide eos carere manifestum est, quia indè propriè infideles nominantur. Hanc autem fidem ad benè operandum esse necessariam, non solum supernaturaliter vel meritoriè, prout hoc à posteris excogitatum est, sed ad operandum ut oportet, hoc est, ita benè ut sit verè opus bonum seu non malum, constanter Augustinus tradit. Quid enim amplius requiratur ad opus bonum, in Aug. scriptis non reperient. Nam opus verè bonum, hoc est, quod non est malum neq; culpabile, non potest non placere & gratum Deo esse, non potest non esse meritorium, non potest non esse supernaturale. Porrò hujus doctrinæ de fidei necessitate ad opus bonũ, ratio est, quia ut sit opus bonũ, quemadmodùm diximus, opus est ut fons omnis boni Deus vero & sincero amore diligatur, quæ dilectio sine verè & supernaturalis gratiæ inspiratione haberi nullo pacto potest, Augustino dicente: *Hoc totum rectè fit, quando fit propter ipsum, quando gratis amatur ipse: qui amor nobis esse non potest nisi ex ipso.* Talem autem dilectionem seu charitatem Dei, fides Dei adeoque Christi Salvatoris, necesse est antecedat, quemadmodùm hoc ipsi Scholastici confitentur, apud quos confessum est, charitatem sicut & spem, tanquam virtutes naturam superantes, postulare antecedentem veluti solem suum, fidem, cujus radiis diri-

Lib. 83. qq. quæst. 66.

In epist. ad Galatas.

Vide dicta fusè lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 6.

Vide c. 3. 4. 5. &c. usque ad 13.

Vide lib. 4. de statu naturæ lapsæ à cap. 1. usque ad 18.

Vide lib. citato à c. 16. usque ad 24.

Vide libros 2. statu puræ naturæ à c. 5. usque ad cap. 11.

In Enchirid. cap. 117.

Lib. 4. contra Iul. cap. 3.

Vide 2. de statu naturæ lapsæ c. 12. usque ad 16. & 3. ma. nime c. 16. usque ad 24.

Vide 1. de stat. puræ na. turæ à cap. 5. usque ad 11.

Lib. 5. contra Iul. n. 3.

dirigantur. Quod illis Augustinus jam olim præcinuerat: *Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Et in Psalmum sexagesimum septimum: *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est, ut antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa. Quoniam nullus operatur per dilectionem, nisi prius credat in Deum.* Ex quo nascitur, ut opera quæ non ex fide Dei per dilectionem Dei operante proficiscuntur, non sint bona sed mala, perniciosa, peccata. Vndè illud brevissimum effatum ejus: *Malè vivitur si de Deo non bene creditur.* Et in eundem Psalmum trigesimum primum: *Debemus multa opera præponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam dicatur benè operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, vitia sunt.* Et adversus Iulianum: *Disce eum, qui non facit opera bona, intentione fidei bona, hoc est, eius, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Hanc porrò dilectionem Dei, quam fides Dei præcedere debere tradit, non est alia quam illa dilectio rectitudinis, & æquitatis, & justitiæ, quæ in ipso & per ipsum præceptum, quod implendum præstituitur, lucet; non enim solum opus bonum, sed nec ipsa superatio tentationis aut vitij, *fit veraciter atque sinceriter nisi veræ delectatione justitiæ. Hoc autem est in fide Christi.* Quæ omnia latè suis locis ex professo tradita sunt, ubi accuratius videnda sunt. Cùm igitur non habeant infideles gratiam sufficientem, neque diligendi Deum, neque credendi in Christum, prout Scholastici confitentur, profectò multò minùs habent sufficientem gratiam benè operandi, sive servandi legem naturalem, sive peccata vitandi. Nam sine fide Christi, & sine fructu ejus, dilectione Dei atque justitiæ, nemo quicquam boni operari, vel à peccando abstinere potest: sed quantumcumque lacertos moveat, non nisi de peccato in peccatum labitur, hoc est, ut Augustinus loquitur, *aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Et ut Prosper acutissimè: *In vulnera vulnere surgit.*

Ex his jam sublucere incipit, quam diversa & Augustino ex diametro adversa via Scholastici Doctores ingressi sint, ad gratiam sufficientem vitandi peccata infidelibus asserendam, ut salutem consequi possent. Nam Scholastici cùm viderent Infideles immediata gratia dilectionis Dei & fidei quoque manifestè destitui, ne tamen illos sine interna potestate salutis obtinendæ derelinquerent, mediatè fidem atque dilectionem in eorum potestate collocarunt, quia videlicet habent gratiam qua possint non ponere impedimentum illustrationibus Dei, quibus adducantur ad fidem, legis naturalis præcepta servando. Augustinus è diverso, cùm videret ac veluti totius doctrinæ suæ basim firmissimè teneret, neminem infidelem posse legem naturalem, sive totam, sive ullum præceptum ejus ita custodire, ut illud servando, vel illâ eâdem quæ præcepto adversatur, vel aliâ reprobâ cupiditate non peccet, ad fidem atque dilectionem Dei tanquam ad primam gratiam infidelium recurrit, qua possint & naturalis legis præcepta servare, & ea servando salutem consequi sempiternam. Nam ante fidem, Augustinus nullam omninò gratiam, sive efficacem, sive sufficientem ad quicquam benè operandum in infidelibus novit.

Hoc enim in primis probat, quòd frequentissimè doceat, fidem esse, quæ impetrat gratiam & adjutorium, quo humana infirmitas id quod præcipitur sibi lege, possit operari. *Ergo*, inquit, *Spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ iubemur. Ideò ipse Apostolus assidue legi præponit fidem, quia quod lex iubet facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.* Et libro de Spiritu & littera: *Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur; quia gratia sanat voluntatem, ut justitia liberè diligatur.* Quid autem rectè operetur, qui non diligit ipsum præcepti justitiam quod imponitur? *Quis enim dubitet dicere, voluntatem, nullo modo iustitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem.* Hanc autem justitiæ dilectionem, sine qua nemo rectè operari potest, gratia tribuit, sed gratia quæ non nisi per fidem impetratur. Et in epistola ad Paulinum: *Si quis autem dixerit, quod gratiam benè operandi fides meretur, negare non possumus, imo verò generalissimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem; quæ sola verò benè operatur.* Quia videlicet ista charitas est ista dilectio toties commendata justitiæ, sine qua voluntas non nisi pessima esse potest. Et ista *fides*, ut alibi, est illa *Fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnam, sed* AMANDO IUSTITIAM. Hinc est illa sententia sancti Augustini celeberrima, qua dicere solet, *Fides impetrat quod lex imperat*, hoc est, impetrat gratiam qua possit id quod lege imperatur, ab arbitrio per peccatum infirmato fieri. *Quod operum lex minando imperat, hoc fides lex credendo impetrat*; quo significatur, ut inferius explicat: *Lege operum dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes.* Et in libro de natura & gratia: *Hæc est fides ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, & fides impetret.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Fides namque impetrat quod lex imperat.* Hoc autem nunquam intelligit aliter sanctus Augustinus, nisi quia fides hominis agnoscentis infirmitatem animi sui, ad diligendam legis justitiam, à qua diligenda per contrarias rerum terrenarum cupiditates revocatur, invocat adjutorium gratiæ qua illa sibi dilectio inspiretur, sine qua quamcumque legem implere seu facere impossibile est. Sic enim seipsum in plurimis operũ suorum locis explicat. Nam in eodem illo loco Enchiridij, cùm dixisset, fides impetrat, quod lex imperat statim rationem subjicit: *Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto,*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 14.

Lib. de Spir. & litter. 32.

Lib. 2. de pecc. merit. cap. 18.

Epist. 106.

Lib. de Spir. & litt. c. 32.

Ibid. c. 33.

Ibid.

Lib. de nat. & grat.

Enchirid. cap. 117.

Ibid.

sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, iubere lex potest, non iuvare, & prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Et in libro contra adversarium legis & Prophetarum: *Fides impetrat charitatem qua lex possit impleri.* Et quam charitatem? Audi: *Non magis timore pœnæ quàm dilectione iustitiæ.* Et in libro de fide & operibus: *Hanc enim dividunt, qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum charitatis, ubi est plenitudo legis, sine qua in littera reos faciebat etiam prævaricationis.* Et cujus denique Spiritus charitatis credendo impetrant? *Beatus ille*, inquit, *prævaricationis, quem sola lex; id est littera sine Spiritu iubendo faciebat, credendo solvitur, & violentia fidei Spiritus sanctus impetratur: per quem diffusa charitate in cordibus nostris,* LEX NON TIMORE POENÆ, *sed iustitiæ amore completur.* Et libro quarto ad Bonifacium cùm præmisisset, quod ut homo faciat opera legis, *Non lex quæ* B *hoc imperat, sed fides sit necessaria, quæ hoc impetrat*, ita semetipsum exponit, ut fide doceat impetrandam esse dilectionem, *qua delectet legis esse factorem*, hoc est, qua quis ipsa legis justitia delectetur. Sic enim homo *de gratia Dei ex fide quærit adiutorium.* Nam illa *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus propriè gratia est*, sicut ibidem sanctus Augustinus docet. Et libro de gratia & libero arbitrio cùm similiter tradidisset fidem esse, quæ *orando impetrat, quod lex imperat.* Hoc ita exponit, ut nihil aliud per illam fidem impetrari significet, quam *tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata.* Et hanc ipsam voluntatis magnitudinem nihil aliud quam charitatis ardorem, seu, ut loquitur, *Divino amore ardentissimam voluntatem*; qua videlicet legis seu mandatorũ justitia ardentissimè diligatur. Nam ideo cùm præclarissima de dilectione gratiæq; ad eam obtinendam necessitate docuisset, vim & rationem ejus explicans lectoribus, GRATIA, inquit, NOS FACIT LEGIS DILECTORES; *lex* C *verò ipsa sine gratia non nisi prævaricatores facit.*

Secundò hoc ipsum probat, quod semper Aug. doceat à fide incipere omnem hominis mutationem ad bonum, ita videlicet ut omnis justitia boni operis, omnis bonitas sive moralis, sive alia quæcumque, à fide sumat exordium, quandoquidem aliud homo esse non possit ante gratiam fidei, nisi malus peccator & prævaricator acceptæ legis, & opera ejus peccata. Quod quamvis ex illis ipsis nunc citatis locis ex Enchiridio, ex libro de fide & operibus, ac de gratia & libero arbitrio jam jam claruit, & aliis sexcentis locis supra de lege, itemque in alio libro de operibus infidelium differentes, declaravimus, non abs re tamen fuerit, hic propriis quibusdam testimoniis patefacere: *Ideò sæpè dicit,* D inquit Augustinus, *non ex operibus sed ex fide nobis iustitiam deputari, cùm potius fides per dilectionem* (illam justitiæ quam sæpè diximus) *operetur, ne quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum perveniri, cùm ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt, quoniam ut dictum est, quod ex ipsa non est peccatum est.* Quod fusissimè suo loco ex Augustini & verbis & principiis immobilibus demonstravimus. Itaque de fide, quæ sola bonorum operum exordium est, ibidem attexit. *Et hoc accepimus unde inciperit quicquid in nostris actibus habemus boni.* Et libro secundo ad Bonifacium: *Sic itaque Dei gratia cognetur, ut ab initio bonæ mutationis, usque ad finem consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur.* Et ut sciremus undè istud initium bonæ mutationis & consequenter Dei gratia inchoetur: *Nec*, inquit ibidem, *omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita gratia.* Et quod levius initium alicujus boni quam quando aliquis eligit facere aliquid boni? Hoc enim omninò præcedere debet, antequam illud operetur. De quo tamen sic Augustinus loquitur: *Quisquis ita elegit bonum sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, inst. cap. 19. quandoquidem*, ut in eodem loco, *initium corrigendi cor fides est.* Et in Psalmum trigesimum secundum ad illa verba, *Omnia opera eius in fide*, sic loquitur, *Ne quisquam se meritis operum pervenisse ad fidem putet, cùm ipsa à fide sint omnia opera quæ diligit Deus.* Nec mirum sanè à fide incipere quicquid est boni operis & mutationis. *Quia ad fidem*, inquit, *pertinet credere quod Deus in nobis operetur & velle.* Et quemadmodum indicat in Enchiridio ad Laurentium, tunc Deus incipit hominem adjuvare ad opera bona, cùm crediderit eum esse ad hoc adjutorem suum. Sic enim ait: *Sic autem respexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat, adiuvare credatur, & agi homo cœperit Spiritu Dei, concupiscit adversus carnem fortiore robore charitatis.* Quamdiu enim homo non credit se à Deo esse adjuvandum ad opera bona, relinquit eum superbiæ suæ cui fidit, ut laptibus divini adjutorij necessitatem doceatur. Undè sanctus Innocentius, *Negantes adiutorium, non alios, sed sibi hoc penitùs abstulerunt.* Sed quid pluribus opus? Vbique Augustinus illam fidei anteccessionem & anteccessionis necessitatem inculcat: tanquam qua sola boni operis gratia impetrari & obtineri potest. De quo luculentissimè in quæstione secunda libri primi ex eis quos ad Simplicianum scripsit: *Multis locis hoc sæpè testatur* (Apostolus) *fidei gratiam præponens operibus, non ut opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam.* Et ne quis existimaret illam gratiam etiam ante fidem obtineri posse qua benè operando non ponat impedimentum fidei, sic occurrit quasi hoc prævidens Augustinus: *Incipit autem homo percipere gratiam, ex qua incipit credere, vel internâ vel externa admonitione motus ad fidem.* Quæ omnia ex illa vena fluunt, ex qua latissimè alibi derivavimus, ante fidem in hominibus infidelibus, nullum omninò esse posse opus, non solum supernaturaliter, sed

vel

Lib. 1. contra adversar. legis & Prophet. cap. 17.

Lib. de fide & operibus cap. 21.

Ibidem.

Lib. 4. ad Bonif. c. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. & 17.

Cap. 17.

Cap. 18.

Videndus liber 1. de gratia Christi Salv. cap. 11. & 12. Item sup. hoc libro cap. 5. Item l. 3. de statu naturæ lapsæ c. 22. & 23.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Vide lib. 4. de statu naturæ lapsæ.

Lib. de gestis Pelag. c. 14.

Lib. 2. ad Bonifacium cap. 10.

Lib. de prof. gratiæ

In Psal. 32.

Lib. 2. contra duas epist. Pelag.

In epist. ad Conc. Carthag.

Vide libros de prædest. & dedonis pers. cap. 17.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Ibidem.

Videl. 4. de statu naturæ

vel moraliter bonum, sed omnia esse veri nominis peccata: ut ex hoc intelligamus, quandocumque Augustinus fidem postulat, ut aliquis benè vel justè operetur, non hoc intelligendum esse de supernaturali quâdam & gentilibus ignotâ operum bonitate vel justitiâ, sed quemadmodum verba sonant, & ab hominibus nullâ præconceptâ opinione turbatis intelligitur, quod nihil boni operis, verè boni, seu non mali, sine fidei gratia fieri nequeat. Non enim istam impossibilitatem pertit, ex nescio qua supernaturali elevatione, quæ naturæ rationali conditæ accesserit, sed ex ipsa operum difficultate, quæ ex concupiscentia per cognitionem legis inflammata, & ad terrena diligenda deprimente proficiscitur.

Tertiò hoc probat quod ante fidem in homine infideli, ne quidem esse possit ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, sed hæc per ipsam gratiâ fidei inspirari debeat. Quomodo verò esse possit opus bonum nisi quis velit aut cupiat sincerè bonum? Si enim bonum non sincerè propter bonum appetat, jam non bonum sed aliud appetit. Qua de re sic Augustinus: *Cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset. Si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est.* Ne verò nescio quid supernaturale, vel meritorium, vel aliud quippiam eorum quæ à Scholasticis ad Augustini doctrinam fugiendam reperta sunt, in ista boni cupiditate fingeremus, luculentissimè exponit eam, aliud omninò nihil esse, nisi voluntatem illam, qua quis sincerè bonum opus propter ipsam operis bonitatem & rectitudinem & justitiam in eo resplendentem diligit: eandemque boni operis cupiditatem humanis viribus obtineri sine divinæ gratiæ inspiratione non posse. Audi verba præclarissima, tantoque veriora & certiora, quod omnibus principiis ejus jam sæpè tactis, quibus de Dei gratia disputando nititur, prorsus consentanea sunt: *Ipse* (Deus) *cui fideliter veraciterq; cantatur, Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa de qua loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit. Quando autem timore pœnæ non amere justitiæ sit bonum, nondum benè sit bonum, nec sit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. Ergò benedictio dulcedinis est gratia Dei; qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis: in qua si nos non præcipit Deus, non solum non perficitur, sed nec ipsa choatur ex nobis.* Hæc ergò sincera boni operis & rectitudinis seu justitiæ in præcepto refulgentis dilectio seu cupiditas boni, sine qua opus bonum nec esse nec cogitari potest, maximè que creaturæ rationali connaturalis est, vocatur ab eo illa vera ac divina charitas, quæ tantoperè in Scripturis omnibus commendatur: *Quid est enim*, inquit ibidem, *boni cupiditas nisi charitas, de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens, Charitas ex Deo est.* Et illam à fide incipere, extra controversiam inter Scholasticos positum est, & ibidem Augustinus docet: *Nec omninò incipit homo ex malo in bonum per imitium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei,* & ex dictis in præcedenti paragrapho plenius constat. Quapropter si infideles illâ ipsâ cupiditate sincera boni carent, sine qua esse non potest ullum opus bonum, hoc est non malum, sed hæc per propriè dictam gratiam Dei, fide credentis præcedente impetratam dari debet, frustra Scholastici gratiam nescio quam sufficientem infidelibus tribuunt ante fidem, qua benè operantes ad fidem ipsam provehantur, cùm ipsa fides sit prima gratia quâ donantur. *Ibid. c. 10.*

Quartò hoc probat, quod Augustinus, quemadmodum (ut vidimus) sæpissimè docuit, Legem Iudæis datam esse sine gratia, ut per prævaricationes stimulante magis magisque concupiscentia perpetratas, ad infirmitatem suam gratiæque qua præcepta facere possent necessitatem agnoscendam ducerentur, ita sæpiùs explicat se non aliam gratiam hoc docendo, intelligere, quam fidem seu gratiam fidei utpote per quam illa gratia benè operandi seu præcepta decalogi implendi speratur, petitur, impetratur: juxta illud ejus axioma decantatum quod jam jam vidimus, *fides impetrat*, videlicet orando, *quod lex imperat*; nempe justi ac boni operis, hoc est, ut ipse loqui amat, *iustitiæ dilectionem*, sine qua nemo boni aliquid operari vel præceptum implere potest. Nam hoc sibi vult quotiescumque dicit legem datam esse, ut gratia, ut medicina, ut adjutorium, ex ipsa implendi scilicet difficultate qua reretur. Loca quibus hoc docet sunt innumera. Pauca accipe: *Ad hoc ergò dixit lex, Non concupisces: ut nos in morbo iacere invenientes, medicinam gratiæ quæreremus.* Et in epistola ad Hilarium: *Iubet ideò, ut facere iussa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati adiutorium gratiæ poscere noverimus.* Et libro de natura & gratia: *Itaque præcepta facere commonemur quod conantes & nostris viribus non valentes, adiutorium divinum precemur.* Et ibidem: *Vt ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Quod in eodem libro aliter dicit: *iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis &c.* Nam *medicinâ* gratiæ *poterit, quod vitio non potest.* Et adversus Iulianum in opere suo imperfecto: *Conuenit autem Scripturæ plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat.* Et statim iterum: *Propterea ergò per Prophetam dictum est; si nolueritis, & non audieritis me, gladius vos comedet, & cetera huiusmodi, vt cùm invenissent in se victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent à quo deberent poscere auxilium.* Quæri autem non potest gratia, aut medicina, aut adjurorium orando, nisi Deus per gratiam adjuvare credatur: *Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt.* Lex ergò manuducendo

Lib. 1. de Nupt. c. 29.
Epist. 89.
Lib. de nat. & grat. c. 15.
Ibid. c. 22.
Ibid. c. 42.
Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. fol. 134.
Ad Rom.

manuducendo ad gratiam, primo omnium A
ducit ad fidem. Hoc enim sibi vult, quotiescunque clariùs loquendo dicit legem datam, ut per fidem homo confugeret ad gratiam
Lib. de Spir. & litt. c. 9. qua ejus infirmitas juvaretur: *Per legem*, inquit, *ostendit homini infirmitatem suam, ut ad eius misericordiam per fidem confugiens sanetur.* Et
Ibid. cap. 10 ibidem inferiùs: *Legitimè utitur lege iam iustus, cum eam terrendis imponit minstis, ut cum & in ipsis cœperit molita concupiscentia morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum Spiritus suavitate iustitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Vbi justificans gratia sicut plurimis aliis locis vocatur ab Augustino, gratia actualis adjuvans, qua justitia legis impletur. Vnde mox addit, legem *fidei* esse *quæ credidit, nullo modo suæ infirmitati ad implenda ea, quæ lex factorum iubet, nisi divina gratia subveniri.*
Lib. de Spir. & litt. c. 30. Et adhuc inferius in eodem libro: *Per legē cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum.* Et lib. 1. ad Bonif. dicit Pelagianos coactos esse concedere *ad cognitionem peccati, & ad*
Lib. 1. ad Bonif. c. 8. *ipsius legis prævaricationem valere legem, ut cognito auctoque peccato per fidem gratia requiratur.* Et in
Lib. 4. ad Bonif. c. 5. libro quarto ad eundem Bonifacium. *Ideò sic expressum est legis imperium, ut infirmitas hominis in seipsa deficiens ad facienda quæ lex imperat de gratia Dei potius ex fide, quæreret adiutorium cuius misericordiâ etiam fides donatur.* Quod ipsum plurimis aliis locis tradit.

Hoc denique sibi vult, quoties ordinem rerum ipsarum secutus apertissimè dicit, legem suâ difficultate ad fidem compulisse. Nam ad gratiam quærendam nemo compelli potest, nisi primo ad fidem gratiæ ac largitoris ejus adigatur. Itaque cùm Augustinus ex Apostolo Iacobo citasset illa verba: postulet in fide (sapientiam) sic subjungit: *Hæc est fides ad quam*
Lib. de nat. & grat. c. 6. *præcepta compellunt, ut lex imperet & fides im-* C
petret. Et in libro proximè citato ad Bonifacium: *Non ergò legem evacuamus per fidem, sed*
Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. *legem statuimus quæ terrendo dulcat: ad fidem. Ideò quippe lex iram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordia gratiam largiatur per Iesum Christum &c.* Et in epist.
Epist. 144. ad Anast. ad Anastasium accuratiùs: *Lex itaque docendo & iubendo, quod sine gratia impleri non potest, hominī demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit quod infirma non potest.* Sed quo ordine ista fiant, accipe breviter & perspicuè: *Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem iustitiæ, implet charitas legem.* Et in libro octoginta trium quæstionum quasi ex professo explicandum suscepisset, quod lex non aliter compellit ad gratiam nisi quia compellit ad fidem Salvatoris & adjutoris, gratiæ & fidei nominibus utitur promiscuè eo quod gratia qua infirmitas D
ad facienda præcepta roboratur, non nisi fidei
Lib 83. qq. quæst. 66. præcedenti invocantique tribuatur. *Verissimè dictum est; legem ergò evacuamus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.* Qua ratione, obsecro? *Hoc enim efficit fides quod lex iubet. Statuitur ergò*

lex per fidem. Quæ fides si non sit, inbet tantum lex, & non implentes iussa, reos tenet, ut eos gementes & non valentes implere quæ iussa sunt, ad gratiam liberatoris al quando convertat. Quam scilicet sibi jam per experientiam imbecillitatis propriæ videntes esse necessariam, fide liberatorem & adjutorem invocando, concilient. Et uberius adhuc paulò post: *Aucta concupiscentia,* *Lib. 83. qq. quæst. 66.*
quam lex prohibet, ubi non erat fides & ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen adiectum est. Et ut intelligeremus apertissimè non aliud significari per hoc quod dixit, *Vbi non erat fides*, quam ubi nondum erat illa gratia adjutrix operationis bonæ, quæ per solam fidem præcedentem datur, statim adjicit: *Sub istis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima,* *Ibidem.*
ANTEQUAM VENIRET GRATIA PER FIDEM. Et inferius: *Sub lege actio est, cum iam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine eius victi peccamus, quoniam* NOS NONDUM ADIUVAT FIDES, scilicet invocans gratiam liberatoris & adjutoris. Nam ideò subjicit: *Tertia actio est quando* IAM PLENISSIME CREDIMUS LIBERATORI NOSTRO. *Ibidem.* Et planissimè in fine quæstionis istius, quasi recapitulando omnia definit: *Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis iaceat, ut* PER FIDEM IMPLORATO LIBERATORIS AUXILIO, *& solvi & erigi, & firmissimè constitui mereatur.* Et quæstione decima quinta super Deuteronomium: *Deus fecit per gratiam suam* *Quæst. 15. super Deut.*
opus legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei pertinens ad Testamentum novum cooperator est adiuvantis Dei. Et inferius: *Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: hoc est in eis qui ex fide gratiam suscipiunt.* Et libro de fide & operibus explicans illam sententiam Apostolicam: *Lex subintravit ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia*, jam dictum ordinem fidei & gratiæ qua peccata superantur, accuratissimè tradit: *Quod*, inquit, *ideo verum est, quia legem accipientes, homines qui de suis viribus superbissimè præsumebant,* NEC DIVINUM ADIUTORIUM *vincendarum malarum concupiscentiarum* RECTA FIDE *impetrantes pluribus gravioribusq; delictis, etiam lege prævaricata onerati sunt. Ac sic magno reatu compellente* CONFUGERUNT AD FIDEM *qua misericordiam indulgentia mererentur, & auxilium à Domino qui fecit cælum & terram, ut diffusa per Spiritum sanctum charitate in cordibus nostris, cum dilectione agerent quæ contra sæculi huius concupiscentias iuberentur.* Vbi charitatem atque dilectionem non intelligit aliam, quàm illam in ejus omnibus lucubrationibus celeberrimam *Iustitiæ dilectionem*, quam paulò post definit: *Ibid. c. 25.*
Gratia Spiritus sancti diffusâ charitate donat IUSTITIÆ DILECTIONEM *qua immoderatio concupiscentia superetur.* Et alibi: *Vt sic* *In epist. ad Galatas.*
dicam ipsam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione iustitiæ iustè vivit, non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Videlicet & ipso Deo qui est justitia. Nam ut alibi *quæst. 15. super Deuteronom.*
dicit:

dicit: *Cùm verè sit opus legis, charitate fit non timore, quæ charitas est gratia novi Testamenti.* Et quæ charitas: *Quia homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ.*

Quod si tum alios libros Augustini tum Commentarium Epistolæ ad Galatas excutere necesse esset testimoniorum ejus vix ullus esset finis. Nam undiq; cõcinentibus sibi documẽtis constat, certissimam doctrinam ejus esse, quod lex difficultate suâ non aliter ad adjutorium gratiæ & ad concupiscentias oppugnandas vincendasque compelleret, quam quia primitus compellebat ad FIDEM, per quam illud adjutorium necessarium esse crederetur & peteretur. Nam hoc ipso quo se sentiebant esse sub lege reos, infirmitate concupiscentiarum suarum non nisi præcepti prævaricationem operante, manuducebantur ut crederent esse sibi adjutorium Dei præcipientis comminantisque necessarium, & ut ex illa fide peterent gratiam diligendi justitiam legis, quam implere jubebantur. Nam ut ex Aug. diximus: *Ad fidem pertinet credere quod Deus in nobis operetur & velle*, utpote qui per concupiscentiæ nostræ infirmitatem legem facere, justitiam præceptorum diligendo, non possumus. Hinc alibi *fidem* illam, qua gratia benè operandi impetratur, defuisse *Quæ credidit, nullo posse suæ infirmitati ad implenda quæ lex factorum iubebat, nisi Dei gratia subveniri.*

Ex ista igitur constantia & consonantia doctrinæ proficiscitur primo, quod illam gratiam faciendi quod lex jubet, subinde vocat *gratiam fidei*: ut in epist. ad Gal. *Vt per ipsam gratiam fidei spiritalia opera legis eos implere posse cognoscerent.* Et inferius: *Vt iustificarentur*, videlicet per operationem justitiæ, *venerunt ad gratiam fidei.* Et in initio, *Iustam scilicet legem iustis hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum non auferenda*, videlicet per legis impletionem. Nam ut adjicit: *Non enim aufert peccata nisi* GRATIA FIDEI *quæ per dilectionem operatur.* Similiter vocat eam subinde, a *Gratiam quæ est in fide Christi.* Subindè, *Gratiam per fidem*, ut quando dicit quod b *Iosuë fuit typus Christi, id est, gratia per fidem.* Cumulus locutionis testimonia etiam supra vidimus.

Hinc proficiscitur secundò, quod quia non quælibet fides intelligitur ex qua illa boni operis gratia impetratur, sed fides Christi mediatoris, qui propter nos infirmus factus est, ut nos ejus gratiâ firmaremur, sæpè gratiam illam vocat *Christianam* qua Christiani sumus, ut in epist. ad Sixtum: *Cùm fama iactaret inimicia Christiana gratiæ te favere*; quam phrasim & alibi repetit. Sæpius verò nominat *Gratiam qua Christiani sumus*, hoc est, per quam & propter quam impetrandam in Christum infirmitatis adjutorem credimus; ut in Epist. PP. Carthag. ad Innocen. Papam, ubi tractatur de illa gratia bonæ operationis, quæ ad concupiscentias tentationesq; vincẽdas pertinet *Nullam*, inquiunt, *relinquunt locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus.* Et exponentes illam gratiam indicant esse eam, qua contra concupiscentias dimicamus, ut aliquid boni possimus operari, *quæ*, inquiunt, *& ipsum nostræ libertatis arbitrium vere sit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Et mox illam *gratiam Christianam* vocant, *qua cõdelectamur legi Dei secundum interiorem hominem*, hoc est, ipsi justitiæ legis, quam diligendã esse ubiq; Aug. inculcare solet. Vtriusq; verò appellationis ratio est, quæ ibidem inculcatur, quia fides Christiana impetrat gratiam illam: *Quod*, inquit, *auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Vnde hoc auxilium etiam appellat, *Gratiam Christianorum, & gratiam Dei per Iesum Christum.* Et alibi August. *Gratiam fidei Christianæ.* Nam illa gratia non datur humano generi nisi per Christum Iesum, & idcircò quoque non nisi per fidem ejus.

Quæ cùm ita sint, quid aliud potuit de infidelibus docere, nisi quod omni gratia qua vel legem observare, vel benè operari vel prævaricationẽ legis evadere queant, prorsus careant? Nam quid aliud indicat id quod in quæstionibus super Deuteronomium docet, quod *ideò nullum opus hominis ibi commemoratur*, quando Deus Moysi secundas tabulas dedit, *quia infideles non contemperãtur adiutorio gratiæ*, per quam videlicet justitiam lege Dei præscriptã possint operari? Vnde, ut addit, *lex illis ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum.* Ideò autem non contemperantur adjutorio gratiæ, quia fide carent, de qua ibidem dixerat, quod *Deus facit per gratiam suam opus legis in homine*, quatenus videlicet, *et charitatem iustitiæ* inspirat, ut præmiserat, *& homo per fidem suam suscipiens gratiam cooperator est adiuvantis Dei.* Quid aliud indicat id quod de Paganis; hoc est, de infidelibus docet, *Pagani non habent gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quid aliud indicat id quod de prima gratiæ operatricis perceptione docet, hominem *benè operari non posse nisi perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo vel interna vel externâ admonitione motus ad fidem.* Denique quid aliud indicat id quod apertissimè docet, adversus Pelagianos volentes legem, naturam & similia esse gratiam illam qua possimus cavere peccata, & prævaricationẽ legis evadere? *Non hæc*, inquit, *est gratia quam commendat Apostolus, per fidem Iesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impijs & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia verò Iesu Christi, EORUM TANTUMMODO est quorum est ipsa fides.* Quam gratiam Christi ad cavenda peccata cùm Pelagiani exhorrescerent, in illud abruptum præcipitati sunt ut dicerent, *Gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata præterita amittantur, non ut futura vitentur vel repugnantia superentur.*

Hæc igitur vera ratio est cur indifferenter usurpentur apud Augustinum, esse sine gratia, esse sine fide, esse sine fide gratiæ, esse sine gratia quæ est in fide, & similia. Et rursum pro ijsdem sumantur, facere aliquid per fidem, & facere

amore per gratiam, & per gratiam fidei, quemadmodum superius multis testimonijs declaratum est, aliisque plurimis ostendi potest. Vt in libris ad Bonifacium, quod dixerat *non conuertit ad gratiam iuuantem*, in eodem capite inferius dicit, *sine fide gratiæ Christi vivere*. Vt in libro de natura & gratia, quod dixerat, *non potuisse Christianorum audire*, ut crederet & justus fieret, statim adijcit, *sine gratia Christi iustificari non posse*. Et in eodem libro inferius, quod dicit *confugere ad gratiam*, mox ex Apostolo dicit, *concludi in fide*, ubi & remittantur quæ malè fiunt, & *eadem gratia iuuante non fiant*. Vt quod adhuc inferius cùm bis teruè docuisset, etiam antiquos non potuisse *iustificari nisi gratia Dei per Iesum Christum*, statim inde rationem petit, quia *ea fides iustos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius.* Quorum omnium non est alia ratio, quam quia nulla omninò in scriptis & mente Augustini est gratia, vel benè operandi vel legem naturalem servandi, & peccata tanquam impedimenta gratiæ vitandi, nisi illa gratia Dei quæ per fidem Christi petitur & impetratur. Ex quo fit ut illam sine fide habere sit impossibile, quia cùm *desiderare auxilium gratiæ sit initium gratiæ*, ut Aug. ait, quamdiu carent homines fide, ne quidem desiderare, medum implorare possunt auxilium gratiæ, quia neq; gratiæ adjutricis necessitatem sciunt quam docet fides, neque datorem ejus pro ea invocare possunt: Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt. Nam ut Aug. *Ad hoc credunt qui rectè credunt, ut invocent eum in quem crediderunt & valeant facere, quod in præcepto legitimo acceperunt.*

Hæc quoque vera ratio est, cur apud Aug. indifferenter usurpentur, *sine fide*, & *sine gratia*, & *sine charitate* homines præceptum implere non posse. Quia sicut non nisi fides est, quæ accipit illam operandi gratiam, ita illius gratiæ effectus non est nisi charitas, per quam præceptum sine reatu prævaricationis impletur: Quod quamvis Scholasticis, recentioribus maximè, valdè mirum videatur, in August. tamen principijs est certissimum: juxta quę prorsus impossibile est, ullum præceptum Dei facere, nisi ipsa præcepti justitia diligatur, quemadmodum tum supra diximus, tum alibi fusissimè demõstravimus. Nam apud ipsum fixa, firma, & immobilis doctrinę regula est: Quod *violentiâ fidei Spiritus S. impetratur per quem diffusa usque ad 12. charitas cordibus nostris, Lex non timore pœna sed iustitiæ amore completur.* Iuxta quam immobilem regulã olim ante effusam Christi gratiam, *Ideò non implebatur lex* QUIA IPSIUS IUSTITIÆ NONDUM ERAT CHARITAS: *quæ dilectione teneret inferiora mentis, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur.* Nam ista spiritalis dilectio suspendit animum ex illa incommutabili norma justitiæ, quæ in ipsa præcepti æquitate fulget, atque ita *commutans ac stabili gaudentem bono* robustum efficit, ne deorsum ad concupiscendas temporalium rerum voluptates, quæ pugnant legi dilabatur.

Ex his omnibus jam abundè manifestum esse puto, indubitatam Aug. indolem ac doctrinam esse quam diximus, quod infideles non solum non habeant sufficientem gratiam servandi præcepta naturalia ante susceptã fidem, quod mirabili profectò exorbitatione Scholastici docuerunt, sed nullam omninò, qua vel benè vivere possint, vel naturalem legem servare, vel peccata vitare. In ejus quippè principijs, fides prima est gratia, ad quam præcepta per ipsam sui implendi difficultatem & minas & prævaricationes ducunt atque compellunt: utpotè sine qua, illa gratia operatrix, qua concupiscentijs terrenarum rerum, justitiæ repugnantibus resistimus ne peccemus, obtineri nequeat, ut peccatum quod vetatur ipsa justitiæ dilectione viteturr.

Ex ijsdem deinde, non minùs manifestum est id quod supra de Iudæis diximus, eos quando sub lege constituti erant, gratia faciendæ legis caruisse, de hac eadem gratia, quæ ex fide datur, inspiratq; justitiæ dilectionem intelligendum esse. Nam de Iudæis potissimum dicit, quod ad fidem terrendo ducerentur, & quod legis prævaricatione, dum aberat gratia, medicum implorandũ esse docerentur. Nam doctrinam illam quamvis generalissimã, ex Scripturis tamen quæ de solis Iudæis loquebantur Aug. expressit. Legerat enim apud Apostolum, *Conclusit Scriptura legis omnia sub peccato ut promissio* id est gratia promissa faciendi legẽ, *ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* De quo proinde loco sic ait: *Nec ipsa* (lex) *est gratia, & nihil ex ea rectè fit sine gratia, quia non est data quæ posset vivificare sed prævaricationis causa posita, ut convictos concluderet, sub peccato, & promissio*, id est gratia promissa, dilectionis justitiæ inspiratrix, qua sola lex fieri potest, *ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Legerat & illud apud eundem Apostolum, *Lex pædagogus noster fuit in Christo*, quo nihil aliud significatũ Aug. accepit, nisi quod lex instar pædagogi comminando atq; terrẽdo ducat ad Christi fidem, ut per auxilium gratiæ præcepta faciendo, peccataq; vitando, terror legis auferatur. De quo vide quæ latius alio in loco diximus.

Hinc igitur fit, quod quam certum est infideles, hoc est, eos qui carent fide, qua gratiæ necessitas ad præcepta facienda agnoscitur & imploratur, tam certum quoq; sit, eos carere etiam gratia qua possint sine peccato præcepta servare; tam certum quoq; sit, Iudæos sub lege constitutos gratia non solum efficace, sed & sufficiente caruisse. Nam & ipsi in illo statu fide Salvatoris Christi, imò & fide Dei adjutoris ad benè faciendũ, destituti erant; quandoquidem carnales isti homines, & sibi fiderent ad præcepta facienda, & nullius auxilium nisi suæ voluntatis opus esse crederent, & per libidinum internarum impetum qui legis prohibitione factus erat concitatior, & per ipsius prævaricationes legis ad agnoscendã fidem, & ex fide

Epist. 89.

Hoc ipso capite lib. 1. de statu puræ naturæ c. 5. usque ad 12.

Lib. de fide & oper. c. 21

Lib. 83. qq. quæst. 66.

In epist. ad Galatas.

ex fide gratiam, & ex gratia dilectionem justitiæ ducebantur.

Quæ sanè in infidelibus longè certius & efficacius locum habent, utpotè qui neque præceptum *Non concupisces*, acceperunt aut norunt, neq; præceptorum naturalium difficultatem intelligunt, neque Deum verum quoquo modo credunt, neque liberatorem vel carnaliter venturum esse aut venisse sciunt, neque gratiam legis adjutricem vel per somnium cogitarunt. Quo fit ut gratiæ dilectionis & agnoscendæ & capiendæ prorsus incapaces, neq; per terrores atq; prævaricationes legum naturalium ad fidem Christi, & ad invocandum ejus adjutorium spiritale, & ad justitiæ præceptorum dilectionem capiendã duci possint. Itaque de infidelibus Augustinus: *Quando illos videmus & tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectã vel ad bona opera, vel ad spem futuri seculi, vel ad concupiscentiam liberationis à captivitate mortalitatis scripturas norimus, quas eis dicamus. Sed quia nullum fructum in eis inventimus, avertimus ab eis faciem & dicimus, adhuc isti non sapiunt, non capiunt, quia quicquid illis dixeris sinistrum & adversum habent.* Et multò inferius de ijsdem non credentibus Christum, quando audiunt Christum & ejus opera commendari: *Irridentur, inquit, isti quasi stulti &c. Quid ergo facies? Bona Christi non cupis, alius te implevit qui adversarius est Christo.* Et in alio loco tradit eos idolis esse similes, quia *aures habent & non audiunt; oculos non habent & non vident. Nares habent & non odorantur. Non sentiunt illum odorem, Christi bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco. Quid prodest quia nares habent & non odorantur tam suavem odorem Christi?* & in alium Psalmum docet, quod in Infidelibus nomine tenebrarum significatis, *Occulta tua gratia non operatur, qua homines trahuntur ut credant.* Quodque mortui *nihil bonum valent credere atque sentire.* Vt profectò supra modum paradoxa mihi doctrina videatur, quæ talibus hominibus etiam sufficientem gratiam, & quidem ad facienda Dei præcepta naturalia, quæ naturæ corruptæ omnium difficillima sunt adesse constituit. Iam verò ex istis omnibus quæ protulimus, & istud perspicuè Lectori intelligenti patet, non Augustini tantum opinionem sed Apostolicam istam doctrinam esse, ac tanquam ab Apostolo Christianis propinatam eam ab Aug. tradi. Singula quippè vel pœnè singula probationum capita, quæ à nobis ex Aug. producta sunt, in Apostolo suas radices habent & ex verbis ejus pullulant. Et sanè si vel sola epistola ad Rom. & ad Galat. conscripta ponderetur, imò leviter percurratur, videbit Lector non aliud sibi aspirari quam fidem Christi prorsus esse necessariam ut possint ab hominibus, non solum infidelibus, sed & Iudæis naturalia benè vivendi præcepta servari. Vnde cùm in Epist. ad Rom fusè declarasset & Iudæos & gentes omnes declinasse, omnes sub peccato esse; omnes indigere gloria Dei, tandem subjungit: *Ubi è? ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorũ? Non, sed per legem fidei.* Nempè quia ut Aug. exponit, *quod operum lex minando imperat, fidei lex credendo impetrat.* Et conformiter in sequentibus: *Lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Lex autem Spiritus vitæ eadem est quæ lex fidei, quia à Spiritu vitæ inspirata, ut per virtutẽ S. Spiritus internas concupiscentias vincat. Hinc etiam ad Galatas idem Apostolus clamat: *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Quid est autem aliud promissio, nisi gratia in novo Testamento promissa, qua lex impleatur, cupiditas superetur, in pace regnetur? In hisce & hujusmodi Apostolicis documentis quibus utraque epistola referta est, fundavit Augustinus doctrinam istam suam, & velut Ecclesiæ Christianæ basin posteris tradidit, quam ideò & Prosper & Fulgentius ad amussim secuti sunt, & Concil. Arausic. Can. sanxit, quando definivit quod *Deus nobis fidem & amorem sui prius inspiret, ut cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus.*

Inf. lib. 3 — B — C — Rom. 3. — Lib. de Spir. & lit. c. 13. — Rom. 7. — Galat. 3. — Conc. Arausic. can. ult.

CAPVT XII.

Infideles non habent gratiam sufficientem ordinis naturalis. Gratia sufficiens infidelium à Semi-pelagianis excogitata.

QVAPROTTER quid ad perspicuam doctrinam Augustini responderi possit, equidem non satis video. Nisi fortè illud quod apud ipsos perquam familiare est: Infideles & Iudæos istos sub lege constitutos gratiã quidem Christi quæ ex fide est, ac dilectione caruisse, qua naturalis legis præcepta servarent; sed aliam eis adesse gratiam ordinis naturalis. Miror equidem viros eruditos, tam curiosam responsionem probare potuisse. Nam in primis quando de gratia sufficienti ad operandum disputatio est, de illa quæritur quæ per Christum hominibus allata est ad custodiendam naturalem legem, quæ in decalogo Iudæis data est. Talis autem nulla est in Aug. scriptis, nisi quæ per fidem datur, quæ per dilectionem operatur. Non enim putandum est, gratiam Christi apud August. & Scripturas sacras vocari, quamcumque gratiam, quæ quoquo modo ex meritis Christi hominibus datur, sed illam quam ad carnis concupiscentias reprimendas atque superandas, cum legis agnitione vehementius exardescunt, Christus Iesus mediator Dei atque hominum per crucem attulit: illa verò non est neque natura neque liberum arbitrium, neque lex neq; doctrina, neq; terror, neq; blandimentum alterius terreni boni, neq; protectio, neq; quicquam omninò ordinis naturalis, sed sola illa gratia dilectionis justitiæ inspiratrix quæ sola facit facere quod lex jubet, non solum tota, sed vel unica: nulla enim lex prorsus fieri potest, nisi legis justitia diffundatur, quod non fit nisi magna & supernaturali gratia Dei. Et

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 13.

rursum non esse communem cum impijs & infidelibus, sed *eorum tantummodo quorum est fides.*

Denique quæcumque illa gratia naturalis ordinis fuerit, quæ infidelibus ad servandam quamcumque naturalem legem detur, nullo modo sufficiens est, ut illam sine peccati labe intercurrente custodiant. Nam sive occasio tentationis auferatur, sive minuantur vires adversarij, sive timor pœnarum irruat, sive aliud obiectum blandiatur, sive inijciatur naturalis ordinis cogitatio, *nihil eorum dicitur*, ut cum Aug. contra Pelagianos loquar, *Quod per subministrationem Spiritus S. pertinet ad concupiscentias, tentationesq; vincendas.* Nam hæc omnia libenter à Pelagianis concessa sunt: quæ non solum non sufficere putavit Aug. ut peccata caverentur, sed ne quidem in operatricis gratiæ classem admittere voluit. Nam nihil istorum idoneum est, ut peccatū ab infidelibus quamcumque legem servare conantibus evitetur. Quamdiu enim fide atq; justitiæ præceptæ dilectione carent, servandiq; præcepti occurrit circumstantia, impossibile est concupiscentiæ tentationem tolli. Nam ipse timor pœnæ, ipsæ objecti blandientis illecebræ, ipsa animi qualiscumque in quamcumque partem per quamcumque cogitationem naturalem inclinatio, est tentatio. Non enim intelligere videntur Scholastici, quid sit concupiscentiæ terrenæ sive carnalis motus, & consequenter quid sit tentatio, cui Spiritu repugnandum est. Nam quæcumque terreni boni appetitio undecumque nata, concupiscentiæ nobis inolitæ tentatio est, ut alibi latè declaravimus, à qua non potest animus expediri, nisi per illam solam justitiæ charitatem quam meruimus. Illa enim sola Spiritum avellit ab omni terreno, hoc est, creato bono, & facit illum gaudere ipsâ legis justitiâ & veritate tanquam communi & stabili & incommutabili bono, quod est Deus ipse benedictus in secula. Talis autem justitiæ charitas seu dilectio non potest haberi naturaliter, quasi esset aliqua charitas naturalis, sed per solam eamq; magnam Spiritus S. gratiam atq; infusionem, ut alibi dictum, dari potest, sive illa perfecta sit, ut nihil omninò præferat æquitati, sive imperfecta, ut homo justitiæ pulchritudine saltem tenuiter delectetur, atq; ex illa delectatione operetur. Hoc si Scholastici juxta profundissimam, solidissimam, castissimamq; S. Præsulis doctrinam intelligerent, non afferrent pro gratia infidelium, blandicias objectorum, timores pœnarum, ex amore creaturæ pullulantes & hujusmodi, quibus tentatio non effugitur, sed vel eadem vel alia occultius animo implicatur. Quam ob causam sexcentis locis Aug. docet, quando animus timore pœnæ, non amore justitiæ præceptum facit, nō facere in animo id quod facit opere, ideoq; peccati interius esse reum, quantumvis sibi innocens esse videatur. Qua de re tanquā certissima ex professo alibi diximus & adhuc dicturi sumus. Cùm ergò impossibile sit extra justitiæ ac Dei dilectionem aliter præceptum facere, nisi vel timore pœnæ, vel amore creaturæ, ex quo timor quoq; pœnarum nascitur, & neuter animum à peccato, vel contra præceptum illud quod observare videtur, vel contra aliud perpetrato aut perpetrando liberare possit, perspicuum est nullam gratiam ordinis naturalis esse sufficientem ad custodienda præcepta naturalia. Vndè quoque ista Scholasticorum doctrina tantâ liberalitate gratiam largientium, in Augustino, Prospero, Fulgentio, ceterisq; veræ gratiæ defensoribus prorsus inaudita est: ut non immerito dici possit, eam à Massilienſibus ceterisq; Semi-pelagianis ortum habuisse, & in Catholicorū scholas esse translatam. Cùm enim Aug. nihil frequentius inculcasset, quam gratiam Dei secundùm sapientissimam ejus voluntatem *dari quibus vult*, quoniam misericors est, & *non dari quibus non vult*, ut notas faciat divitias in vasa misericordiæ: itemq; Deum unum *adiuvare*, alterum *non adiuvare*; ac denique inter duodecim sententias capitales, de quibus Catholica non dubitaret fides, illas tres in primis collocaret: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari* Et, *Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari*; Et, *scimus eis quibus non datur iusto iudicio Dei non dari*; Massilienses doctrinam illam veluti fatalium decretorum auctricē respuentes, quibus Deus unum ab altero discerneret, voluntatem generalem salutis omnium in Deo fabricarunt, & ex illa gratias sufficientes ad assequendam salutem, maximèque ad legem naturalem custodiendam in omne genus hominū diffuderunt. Quod ex Prospero ad Aug. scribēte & ex Fausto productis testimonijs clarissimis probavimus: multoq; plura ad eandem veritatem tanquam indubitatam asserēdam proferri possent. Vnde Faustus Catholicam doctrinam eversurus, ita auspicatur: *Nunc veniendū est ad illos, qui dum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt.* Quibus verbis istam celeberrimam Aug. & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, quam jam diximus, taxari damnariq; manifestum est. Vndè continuò subjungit *Gratia beneficia in totum genus humanum extendi.* Denique *gratiam omnibus offerri atq; ingeri ad salutē.* fusèque probat, quemadmodum etiam nunc recentiores quidam magnoperè contendunt, per istam restrictam gratiæ largitionem, qua unum adjuvat, alterum non adjuvat, uni eam dat, alteri non dat, fatalem necessitatem invehi, desperationem adduci, orationem tolli, quæ jam similiter tam invidiosè jactantur. Vndè valdè verisimile est, dum quidam Scholastici, in illa profunda Aug. de Dei gratia quæstione minus versati, Faustum velut Catholicum auctorem legunt (quod à multis factitatum esse novimus) sententiam istam cum alijs valdè multis perniciosisque imbibisse, atque ad posteros transmisisse. Quanto satius fuisset, si doctrinam Augustī. non satis penetrarent, saltem Prosperum auctorē probatissimum cum Semipelagianis luctantem attendere, qui cùm sententiam illam quam amplectuntur, latè retulisset, refellit exsertissimè, & ea STULTA vocat, quæ credi cupiebant. Sed jam ad argumenta quædam dissolvenda transeamus.

Epist. 95.

Vide dicta fusè lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 10 & aliquot sequentibus.

Vide lib. 1. de statu naturæ pura c. 10.

Vide l. 2. de statu naturæ lapsæ & infra lib. 5. de grat. Christ. Salvat. Vbi latè de timore pœnæ.

Vide lib. de dono pers. c. 12. & epist. 107. & lib. 3 de pec. c. 5. &c.

Epist. 107.

Lib. 1 hist. pel. n. 11.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 3.

Ibid. c. 3.

Ibid. c. 4.

Lib. de incarn. c. 10. & 12.

Cap. 13.

CAPVT

CAPVT XIII.

Proponuntur duo argumenta pro asserenda gratia sufficiente. Disseritur fusè de possibilitate & impossibilitate præceptorum Dei. Esse quandam voluntatis infirmitatem, qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec Spiritus orationis, quo vires impetrentur.

PRIMUM omnium tanquam inexpugnabile munimentum afferunt, quod Deus jubeat homines credere, pœnitere, legem naturalem decalogi, cæterasque sub æternæ perditionis pœna servare: Deus autem non jubet impossibilia, ergò dat omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda quæ jubet. Deindè peccant homines etiam infideles, quando fidei & pœnitentiæ præcepta, legesque naturales violant, ergò sufficiens auxilium habent ad vitanda illa peccata: nemo enim peccat in eo quod vitare non potest. In his difficultatibus ex ratione petitis pœnè fundantur omnia cetera quæ de consilio, hortatione, suasione ad faciendum præceptum afferuntur, ut omnibus gratiam sufficientem adesse persuadeant. Et ipsæ istæ tres difficultates ex eodem fonte fluunt, ex impotentia scilicet præcepta faciendi. Si enim infidelis & obduratus aut excœcatus non potest præceptum facere, ergò Deus præcipit impossibile, ergò infidelis peccatum vitare non potest, ergò non est peccatum, ergò non est liber ad bonum.

Respondetur de istis omnibus objectionibus alibi multa diximus. De duabus quidem primis in libro quarto de statu naturæ lapsæ. De tertia verò in libro tertio. Quæ si rectè intelligantur, nihil difficultatis in earum solutione remanebit. Nihil tamen vetat ad pleniorem intelligentiam, quædam indè deliband repetere, & quædam ex Aug. addere, quo clarius ostendatur, non eum istorum argumentorum velut insuperabiles moles veritũ declinasse, sed sæpenumero solvendo disiecisse.

Respondetur igitur primam illam sententiam qua dicitur Deum non jubere id quod homini est impossibile, nunquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod proprijs viribus suis implere non potest. sed solum quod ita impossibile est, ut neque proprijs neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere. Vnde sæpenumero ex professo docet, Deum jubere quædam quæ non potest homo facere, ipsumque auxilium suum subtrahere non ut desperet homo, sed ut faciendi vires & auxilium quibus se carere sentit, sibi imploranda esse doceatur. Quod ex ijs quæ fusè diximus de lege Iudæis data, quam implere non poterant, ut ipsa legis prævaricatione ad auxilium gratiæ invocandum ducerentur, manifestissimè constat. In quibus tamen, si quid obscuritatis alicui fortasse supereset, ex alijs perspicuis locis illustrari potest. Nam hoc idem sibi vult Augustinus, quando contra Pelagianos præceptorũ possibilitatem cõtentiosissimè inculcantes dicit: *Itaque præcepto facere commonemur quod conantes & nostris viribus non valentes adiutorium divinum precemur.* Et inferius post aliquot capita: *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et multis in eodem libro interjectis: *Eo quippe ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et in libro de Spiritu & littera: *Ideo enim lex iubet, ut admoneat quid faciat fides, ut cui iubetur, si* NONDUM POTEST, *sciat quid petat. Si autem continuo* POTEST, *& obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit.* Et in libro de perfectione justitiæ, summis viribus Cœlestius contendit, præcepta esse debere possibilia. *Nam cur*, inquit *præciperetur, quod fieri omninò non posset?* Respondet ei Augustinus similitudine: *Consultissimè hominem præcipi, ut rectis passibus ambulet; ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat.* Quam similitudinem paulò ante lucidius declaraverat: *Cum videmus claudum, qui sanari potest, rectè utique dicimus debet homo iste esse sine claudicatione. & si debet, potest. Nec tamen cum vult continuo potest, sed cum fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuverit voluntatem.* Et libro de gratia & libero arbitrio, eandem objectionem Augustino Pelagiani movent: *Magnum aliquid Pelagiani se sentire putant, quando dicunt, Non iubet Deus quod scit non* POSSE *ab homine fieri.* Quomodo igitur retundit istud eorũ acutissimum telum? *Quis hoc, an, nescit? Sed ideo iubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Quam Augustini doctrinam Aug. verbis paulò ante citatis Tridentina Synodus tanquam Catholicam sanxit: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quod* POSSIS, *& petere quod non* POSSIS.

Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundum statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia. Hoc enim non solum ista loca exserte profitẽtur, dum dicũt Deum aliqua *iubere quæ non possumus*, sed etiã ipsa oratio, qua petimus ut possimus, perspicuâ attestatione confirmat. Si enim jam possumus ad quid petimus ut possimus.

Secundum, non adesse semper gratiam qua possumus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus. Si enim jam adest gratia, qua præcepta implere sufficientes simus & possimus, stultum est orando satagere, ut possimus.

A *Lib. de nat & grat. c. 15*

Ibid. c. 43.

Ibid. c. 69.

B *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.*

C *Conc. Trid. Sess. 6. c. 11.*

ex Aug. lib. de natura & gratia c. 43.

Lib. de nat. & grat. Lib. de sancta Virginit. cap. 41.

Nam quid stultius, ut Aug. ait, quam orare ut possis id quod jam habes in tua potestate? *Mendaciter enim petuntur*, inquit, *si ea quæ præcepta sunt, non adiuvante eius gratia facere possimus.*

Tertium hanc impotentiam reperiri non solum in excœcatis & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam vel Augustinus vel Ecclesia, sed solum Scholastici nonnulli ex humanis rationibus, dubitarunt, sed etiam fideles & justi, qui & fidem Christi & charitatem justitiæ susceperunt. Nam de fidelibus in omnibus istis locis Augustinus loquitur, utpote qui soli ad petendum auxilium idonei sunt. Infideles enim *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Nam ut sanctus Doctor ait: *Ad hoc credunt qui rectè credunt, ut invocent in quem crediderunt & VALEANT FACERE, quod in præceptis legitimis acceperunt.* Tridentinum verò de justificatis expressè loquebatur, ut id ostenderet, quod præmiserat, Dei præcepta homini IUSTIFICATO ad observandum non esse impossibilia, eo quod jubendo Deus moneat petere quod non possis; & si exaudiat, adjuvet ut possis.

Rom. 10. Epist. 89.

Quartum hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Perspicuum est enim eos qui Deum pro impetranda gratia deprecantur, ut valeant facere quod jubetur, jam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem. Nam de volentibus Augustinus loquebatur, quando dicebat, *Nec tamen cùm vult continuo potest, sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatus & medicina adiuverit voluntatem.* Et in eodem libro paulò inferius, indicans hoc ex præcedentium peccatorum sive actualium sive originalis pœna proficisci, *Sub quibus*, inquit pœnis *positi vel* NON POSSUMUS, *quod volumus, intelligere, vel quod intellexerimus*, VOLUMUS, NEC VALEMUS IMPLERE. De volentibus quoque loquebatur, quando dicebat: *Surge & ambula. Forte conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes. Unde dolent pedes? An iubente avaritia per aspera incurrerunt?* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Est & hic unde illi placeamus eius misericordiam in his deprecando à peccatis nos, quantum possumus abstinendo: in quantum autem non possumus, confitendo atque plangendo.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Volumus ô Domine, volumus & non possumus: aut fortè nec volumus, premente sarcina gravamur, & nolumus.* De volentibus loquebatur quando dicebat Iuliano similem perpetuam sufficientiam homini adesse prædicanti: *Quando secundùm eam* (qualitatem malam animo firmiter inhærentem) *dicitur animus malus, vel potius homo malus, nonne metuis ne voluntas bona, aut non ibi esse possit, aut* VALERE NIHIL POSSIT? De volente Apostolo loquebatur, quando dicebat eum fuisse *iam præcepti capacem, sed non efficacem & ideò prævaricatorem legis.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Sufficit tibi gratia mea, non sufficit tibi voluntas tua.* Et cur quæso non sufficit? Audi: *Vola ut velis, sed non sufficit ut velis. Adiuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* De volentibus loquebatur quando dicebat. *Sunt necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest.* Et quando dicebat quod nunc post peccatum, *non habet homo in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo &* NON VALENDO ESSE, *qualem debere esse se videt:* quia ut infra subijcit, *Illa est enim pœna iustissima, ut qui sciens rectè non facit amittat, scire quod rectum sit: & qui rectè facere cùm posset noluit amittat* POSSE *cùm velit.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Qui cogenti cupiditati* BONA VOLUNTATE *resistere* NON POTEST, *& ideò facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* De volentibus loquebatur quando dicebat: *Invenit ergò se ligatum difficultatibus cupiditatum, &* NON POSSE *viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tanquam* MURO IMPOSSIBILITATIS *erecto, portisq; clausis quà evadat ut rectè vivat, non invenit.* Et inferius: *Conatur &* NON POTEST, *ligatum se sentit, exclamat ad Dominum.* Et iterum: *Si enim primitus* CÙM VELLET POSSET *& non sentiret adversùs se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur, suis viribus tribueret quod se* POSSE *sentiret.* Cui sanctus Prosper discipulus ejus in eundem Psalmum succinit, esse enim dicit *vincula quædam* IMPOSSIBILITATIS, & illa *cupiditatum* contrariarũ impedimenta, quæ à Deo *rumpenda* sint, *ut ad rectè agendum accipiat facultatem.* Itaque humilitatem doceri hominem *per* EXPERIENTIAM IMPOSSIBILITATIS *suæ*, ut videlicet, *sic inveniant se sine adiutorio* DEI NIHIL POSSE. De volentibus loquebatur, quando dicebat Augustinus Bon facio, *Serva saltem pudicitiam coniugalem & roga Deum, ut quod non* POTES MODO POSSIS aliquando. Quam doctrinam fundatissimam, si accersitis undique testimonijs confirmare vellemus, integrum pœnè volumen ex ejus verbis excresceret.

Supra lib. de perf. Iust. cap. 3. Ibid. c. 4. Tract. 34. in Ioannem. Tract. de pœnit. c. 1. Serm. 97. de diversis c. 4. Lib. 6. contra Iul. cap. 18. Lib. 1. ad Bonif. c. 8. Serm. 3. de verb. Apost. cap. 8.

Hinc ergò fit ut non semel de sancto Petro etiam volente dicat, cùm Christum negaret, invalidas infirmasque fuisse vires ejus, imò non potuisse mortem ferre pro Christo, quamvis hoc & vellet, & se posse judicaret: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et ille, etiam in hoc superbi,* POSSUMUS. *Quomodo Petrus, Cum te usque ad mortem. Fortis vir, donec fœmina diceret. Et iste cum illis erat. Sic &* ISTI POSSUMUS. POTESTIS? POSSUMUS. *Et ille Calicem quidem meum bibetis; & si modo* NON POTESTIS, *tamen bibetis. Quomodo ait Petro,* NON POTES *me sequi modo: sequeris autem postea.* Et in tractatibus in Ioannem: *Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit Petra. Noli extolli præsumendo,* NON POTES *modo. Noli deijci desperando: sequeris postea.* Sed *quid adhuc ille dicit?* Quare te non possum sequi modo? Animam meam pro te ponam: *Quid in animo eius esset cupiditatis videbat, quid virium non videbat &c. quantum sibi assumpserat Petrus*

Cap. 10. Lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Ibid. Lib. 3. de lib. arb. cap. 18. Lib. 1. retract. c. 15. In Psal. 108 Prosp. in Ps. 108. Epist. 70. In Psal. 103. Conc. 3. Tract. 50. in Ioannem.

Petrus tentando quid vellet, ignorando quid posset. Et tractatu nonagesimo sexto: *Mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli, quibus dicebat,* NON POTESTIS *me sequi modo. Vnde primus eorum Petrus, qui hoc iam se posse præsumpserat aliud expertus est, quam putabat.* Et in sermonibus de diversis: a *Nondum poterat*, mori pro Domino, *quia infirmus erat.* Et in alio sermone: b *Secutus est Dominum passurum, sed tunc* NON POTUIT *sequi passurus. Secutus est pedibus, nondum idoneus sequi moribus. Promisit se moriturum pro illo &* NON POTUIT *nec cum illo. Plus enim ausus erat, quam eius capacitas sustinebat, plus promiserat quam* POTERAT. Quibus omnibus locis & aliis multis passim docet, Petrum cùm se pro Christo moriturum polliceretur, propter defectum virium voluntatis præstare non potuisse quod promiserat: voluntas enim ejus, hoc est vis, volendi divinitus ei data adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, ne mortis oblatæ terrore frangeretur. Itaque causam alibi prodens præsumptuosæ pollicitationis Petri, quod non distingueret inter velle & posse voluntatis, inter parvam magnamque voluntatem & charitatem, *Quamvis parva & imperfecta* (charitas) *non deerat Petro, quando dicebat Domino, animam meam pro te ponam. Putabat enim se* POSSE, *quod se velle sentiebat.*

Hinc ergò fit iterum, ut subinde doceat Augustinus, quarundam cupiditatum tentationes, aliquorum hominum vires superare, ita ut eas superare non possint. Nam hoc est illud quod iam ante ex libro tertio de libero arbitrio produximus, quod nunc *videat* homo, *quod rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Et quod amiserit posse cùm velit*; quod *errat invitus, & resistente atque torquente dolere carnalis vinculi*, id est concupiscentiæ, NON POSSIT *à libidinosis operibus temperare*; quod sint *necessitate* impellentis concupiscentiæ *facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, &* NON POTEST. Quod & Persium Poëtam Ethnicum agnovisse, in libro de Magistro tradit, quando hanc unam anteponebat pœnam, *qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare* NON POSSUNT, *coguntur agnoscere.*

Ex quo fit ut illum Apostoli locum quo dicit, *Fidelem esse Deum, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut* POSSITIS *sustinere*, nullo modo tam indiscretè intelligat, ut hoc in omnibus omninò fidelibus observetur. Noverat enim hoc non exiguum esse divinæ gratiæ beneficium, quod propterea quia gratia est, non promiscuè cuilibet etiam credentium tribuat, sed tantum orantibus ac de divino adjutorio, sicut oportet, confidentibus, adeoque ferè electis: *Tantum pro conditione mortalitatis huius adversari sinitur*, diabolus, *quantum eis expedire novit, de quo sacræ litteræ personant per os Apostolicum*: *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet &c. Sed circa eos ista servantur de quibus Apostolus dicit, Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Et in libro de catechizandis rudibus: *Humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.* Et in fine libri: *Opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possint sustinere.* Et in libro de sancta Virginitate, *De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis, insolescite: de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre tentemini.* Et in tractatu de urbis excidio: *Planè oremus & gemiscamus ad Dominum ut serveturergà nos quod Apostolus dicit, Fidelis Deus qui non vos sinet tentari supra id quod potestis.* Quibus omnibus locis apertè significat, hoc beneficium non promiscuè quibuslibet tribui, sed humilibus orantibus, satagentibus: frustra enim oratur si omnibus præsto est. Nam revera sicut non omnibus tribuitur, ut non inducantur in tentationem, ita non omnibus datur, ut non tententur supra id quod possunt. Idem enim utriusque sensus est orationis, juxta id quod docet Augustinus; illam partem dominicæ precationis exponens: *Aliud est tentari, sine quo nullus probatus est iustus, aliud in tentationem induci, id est, à tentatore induci. Hoc est ergò quod oramus, ut non permittat nos Deus tentari supra id quod* POSSUMUS, *sed faciat cum tentatione proventum, ut* POSSIMUS *sustinere.*

Hæc igitur quoque ratio est, cur multos Deus tentari sinat & cadere. Nempe, ut virium suæ voluntatis capiant experientiam, & qui illas valdè magnas esse decepti putant discant vel statu, vel lapsu, vel imminenti periculo suo, quid facere possint, quid ferre non possint. Sic enim Petrus experientia doctus, deposuit pernicioſam præsumptionem, quam de suæ voluntatis viribus seu potestate conceperat. *Nam illa probatio* (Abrahæ) ut inquit Augustinus, *ideò facta est, ut nos nosceremus quod Deus iam noverat &c. Et fortasis ipse Abraham nondum noverat, quas vires haberet fides. Vnusquisque enim se tentatione, tanquam interrogatus agnoscit: sicut Petrus, quas vires haberet fides eius, utique nesciebat quando dixit Domino, Tecum paratus sum usque ad mortem. Dominus autem qui noverat eum, prædixit ubi deficeret, pronuncians illi infirmitatem eius tanquam tacta vena cordis. Proindè Petrus qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* Et in Psalmum quadragesimum tertium: *Ipse Abraham se non cognovit, quia in ipsa tentatione ipse sibi innotuit. Plerumque enim homo putat se posse, quod non potest, aut putat se non posse, quod potest. Accedat ad illum interrogatio ex divina dispensatione, & per interrogationem notus sit sibi, dicitur Deus cognovisse quod illum fecit nosse. Numquid Petrus noverat se, quando dixit medico, Tecum sum usque ad mortem, Medicus noverat venas inspecta quid intus ageretur in agroto, agrotus non noverat. Venit accessio tentationis & probavit medicus sententiam suam, perdidit ager præsumptionem suam.* Et in Psalmum quinquagesimum quintum: *Omnis tentatio probatio est, & omnis probationis effectus habet fructum suum: quia homo plerumque etiam sibi ipsi ignotus est. Quid ferat, quidve non ferat ignorat, & aliquando præsumit se ferre quod* NON POTEST, *& aliquando desperat*

perat se posse ferre, quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & invenitur homo à seipso, quia latebat & seipsum, sed artificem non latebat. Proinde Petrus præsumpsit nescio quid, quod in illo nondum erat &c. vires suas Petrus ignorabat &c. Et eleganter admodum in libro de sancta Virginitate docet, virginem ita præferre virginitatem conjugali bono, *ut tamen nesciat utrum illa vel illa conjugata iam pati pro Christo possit, adhuc vero ipsa non* POSSIT, *& in hoc ei parcatur, quia infirmitas eius tentatione non interrogatur.* Nonnunquam enim accidit, ut conjugatæ possint mortem ferre pro Christo, virgines autem *nondum valeant talia, vel pro iustitia, vel pro ipsa pudicitia sustinere.* Vnde subjungit saluberrime: *Latent ista in facultatibus & viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Vt ergò quisque non insultet ex eo quod videt se posse, humiliter cogitet quod ignorat aliquid præsumptus se fortasse non* POSSE: *aliquos autem qui illud, quo sibi gloriosè notus est, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipse non* POTEST, POSSE. Ecce quoties, quàm sollicitè, quàm solidè, quàm instanter sanctissimus Antistes populum, & eruditissimus Doctor Doctores docet, etiam eos qui credunt Deo, & jam justificati sunt, etiam volentes conantesque multa Christianæ disciplinæ præcepta implere non posse, & idcircò cœlum precibus tundere ut possint.

Lib. de S. virginit. c. 47.

Quo fit ut juxta castissima principia doctissimi Præsulis, Christianæ gratiæ regulis inhærendo, nimis enormiter, & supra quam dici potest à tramite veritatis exorbitent, qui humanæ Philosophiæ nimium creduli, dicere & scribere non verentur. Quamdiu ratio non perturbatur, liberam potentemque manere voluntatem ad quamlibet tentationem superandam, cum illa sola cogitatione, quam secum tentatio affert necessario. Quo sanè nihil pœnè à Pelagianis libertatem potestatemque humanæ voluntatis extollentibus audacius & superbius dictum fuit. Nam quod à Iuliano jactatum & ab Augustino acriter confutatum fuit, hominem *sufficere ingenitis sibi motibus dare leges*, non alium sensum habuit, quàm quod homo vi liberæ manentis voluntatis posset quemcunque tentationis impetum vincere. Consensum quippe voluntati liberæ extorqueri non posse, nec eam quoquam captivam duci, fixum inter Pelagianos principium tenebatur. Hinc illa eorum in libro secundo de peccatorum meritis & remissione, celebrata cantilena, qua sibi concinnè acutèque dicere videbantur. *Quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus hominis quod esset humanæ impossibile voluntati.* Quali diceret, cum peccatū ex libera voluntate nascatur, profectò si solum nolumus, non peccamus, & proinde possumus quamcunq; tentationem repugnantem nolendo superare. Eodem enim prorsus modo Scholastici isti arguunt; sed neutri vident, non esse satis velle vel nolle, ut magna quædam præcepta impleantur, tentationesque superentur, sed propter libidinem internarum & consuetudinum arctissimarum pertinacem resistentiam opus esse, ut ardenter & fortiter velit: quod non est semper in hominis potestate. Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex sola libertate hominis proficiscitur, aut haberi potest, sed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto circa quod versatur capit; atque ideò cœlitus inspirari debet: *Quis enim animo*, inquit Augustinus, *amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit. Cùm ergò nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria aut operum merito comparatur.*

Vasq. in 1. p. Disp. 97. n. 24. & alij

Vide lib. 1. cont. Iul. op. imperf.

Lib. 2. de pec. merit. c. 3.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Hoc est igitur, quod Augustinus ad illam quam dixi à Pelagianis jactatam vocem, *quod si nolumus non peccamus*, breviter veraciterque respondet; *quod ad nonnulla superanda, quæ vel malè cupiuntur vel malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Has autem vires ad faciendum quod præcipitur, homo etiam fidelis & justus, non semper habet integras, sed ex ipsa tentatione divisas. Concupiscentiis enim carnalibus praviſque consuetudinibus vulneratus, earumque moribus distractus, bonum quod vult, non fortiter atque integrè vult, sed ut Augustini voce loquar, semi-sauciam hac atque illac versat, jactatque voluntatem, parte allurgente cum alia parte cadente luctantem. Quam luctam sanare & integras volendi vires sibi reddere libertas voluntatis, vel natura ipsa sauciata non potest, sed hoc ad solam pertinet medicinam gratiæ Dei. Hanc igitur doctrinæ istius veritatem, tanquam indubitatam intuebatur Augustinus in verbis quæ produximus, quod *ad quædam superanda magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Nam istæ magnæ totæque vires voluntatis, sunt effectus magnæ & non passim usitatæ gratiæ. *Vt enim sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ille tribuit, ille largitur.* Hanc intuebatur & in illis verbis in Epist. ad Rom. *Gratia efficit ut non tantum velimus velle facere, sed etiam possimus.* Et in illis quibus inferius dicit, *Non sufficere velle nostrum, nisi adiuvet Deus.* Et aliis verbis, *quod cùm voluerimus non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus vires currentibus præbeat.* Hanc & in illis intuebatur in sermone quodam ad populum: *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis, adiuvandus es ut plene velis, & impleas quod velis.* Hanc & in illis intuebatur, in libro de perfectione justitiæ: *Non igitur potest homo esse sine peccato, etiamsi velit, nisi adiuvet gratia Dei per* IESUM *Christum Dominum nostrum.* Et multis interjectis in eodem opere: *Non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia divina præcepta, nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta qualia commendantur, levia scilicet atq; suavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis quo videlicet ea facere possit ac sufficiat.* Hanc intue-

Videl. 2. de pec. merit. c. 3.

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

In Expos. quarund. Propos. ex Ep. ad Rom. n. 10.

Num. 62.

Serm. 3. de verbis Apost. c. 10.

Lib. de perfect. iust. c. 7.

Ibid. c. 20.

intuebatur & in illis, in libro de Spiritu & littera: *Fieret enim perfecta iustitia*, id est, opus justitiæ, *si tanta voluntas adhiberetur quanta sufficit tantæ rei*, hoc est, plena & integra. *Esset autem tanta*, non si homo suâ libertate conetur, & extendat se, sed quòd *si & nihil eorum quæ pertinent, ad iustitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quicquid aliud voluptas sive dolor impedit, delectatio illa superaret. Quod ut non sit, non ad impossibilitatem, sed ad iudicium Dei pertinet.* Hoc est, non judicat illud opus justitiæ esse prorsus impossibile, sed opus esse gratia Dei, quæ ex judicio Dei profundo distribuitur, per quam magnitudo tantæ voluntatis quanta sufficit, & operis justi possibilitas datur. Hoc enim perspicuè docet in sequentibus statim verbis: *Quis enim nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat; nec esse consequens, ut quod appetendum cognitumque fuerit, appetatur, nisi tantum* DELECTET, *quantum diligendum est.* Quasi diceret id quod nos diximus, quod scilicet ille ardor tantæ voluntatis ex magna justitiæ delectatione nascatur, quam tribuit nobis, non voluntas libera, sed gratia Dei. Hanc intuebatur & in Confessionum suarum libris, quibus unius voluntatis divisionem & impotentiam mirificè exponit: *Ego cum deliberabam ut iam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram. Ego eram qui volebam, ego qui nolebam, ego ego eram. Nec plenè volebam, nec plenè nolebam. Ideo mecum contendebam & dissipabar à meipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.* Sed cur voluntatem sibi renitentem non illa decantatâ libertate superabat? Nonne volebat? Nonne satagebat? Nonne conabatur quando dicebat: *Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam ut sequeretur* CONANTEM *post te ire.* Et tamen tanto conatui *renitebatur, recusabat & non se excusabat.* Cur ergò non voluntas illa prior voluntate mutata atque superata est, sicut Scholastici illi & olim Pelagiani fieri posse decernunt? Dicat causam ille qui expertus est conatum luctamq; satagentis animæ, & videbis eum hanc ipsam quam hic tradointuitum esse veritatem: *Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa iucundatas,* NONDUM ERAT IDONEA *ad superandam priorem vetustate roboratam.* Hoc est, nondum poterat eam quocumque liberæ voluntatis conatu superare, eo quod videlicet ipse conatus defectu virium languidus esset, cui cœlestem delectationem atq; ardorem nondum inspirasset Deus, ideoque similis conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Hanc intuebatur & in libro de gratia & libero arbitrio, quando istam voluntatis infirmitatem qua fit ut quicquid suis viribus conetur homo, non tamen possit adversantes bonæ voluntati suæ cupiditates superare, donec gratia Dei majorem uim ardoremque volendi aspiraverit, tam diserte explicat, ac si istas quorundam imaginationes de libertate & fortitudine voluntatis, quamdiu ratio viget, ex professo expugnandas suscepisset. *Per hanc gratiam fit*, inquit, *ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit,* AUGEATUR, *&* TAM MAGNA *fiat, ut* POSSIT *implere divina mandata quæ voluerit,* CUM VALDE PERFECTEQUE *voluerit.* Et adhuc uberius statim pòst, adversus eos qui ista quasi indomita libertate voluntatis, volendo tantummodo se quelibet repugnantia superare posse putant; *Ad hoc enim valet quod scriptum est, si volueris conservabis mandata*, non ut quidlibet se posse volendo arbitretur, sed *ut homo qui voluerit, & non* POTUERIT, *nondum se* PLENE *velle cognoscat.* Et ne aliqua Philosophiæ Aristotelicæ opinione seductus plenam istam voluntatem conando tantum assequi se posse crederet, *Et oret*, inquit, *ut habeat tantam voluntatem quanta* SUFFICIT *ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur ut faciat quod iubetur.* Et iterum inculcans illam voluntatis etiam justæ & bonæ adversus cupiditates insufficientiam: *Tunc enim utile est velle* CÙM POSSUMUS *& tunc utile est* POSSE *cum volumus. Nam quid prodest si quod non* POSSUMUS, *volumus, aut si quod possumus nolumus.* Et ne quis in hujus doctrinæ intelligentia caligaret, & isto jam dicto Recentiorum argumento terreretur, adhuc idem planius exequitur: *Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua quando quidem si* VOLUERIT *conservabit mandata?* Et ad singularia quæque mandata contra superbiam luxuriamque delabendo, ad singula subjungit, *velit ergò & faciat mandata, quoniam si* VOLUERIT *conservabit mandata.* Sed ut ostenderet illum volendi conatum non semper esse plenum atque integrum, neque eum conando, sed tantum cœlitus inspirando posse plenum atque integrum fieri, præclarissimè solidissimeque subtexit: *Certum est enim nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur*, hoc est datur, *voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum* VELIMUS *quantum* SUFFICIT, *ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit ut velimus bonum &c. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo* VIRES EFFICACISSIMAS *voluntati.* Per quas videlicet POSSIMUS & *sufficiamus* renitentes nobis contrariæ voluntatis carnalis impetus vincere. Hanc denique veritatem intuebatur in eodem libro quando planissimè brevissimeque rem totam in summam contrahendo atque elucidando addit: *Qui ergò vult facere Dei mandatum, &* non POTEST, *tam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc* PARVAM & INVALIDAM: *poterit autem, cùm* MAGNAM *habuerit, &* ROBUSTAM. Et istum fontem ex quo Petri lapsus fluxit quasi digito ostendens, *Ipsam charitatem*, hoc est, magnam voluntatem bonam qua posset, *Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit &c. Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino,*

Animam

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Ibid. cap. 16

Ibid.

Ibid.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.

Ibid. c. 17.

Animam meam pro te ponam. PUTABAT ENIM SE POSSE QUOD SE VELLE SENTIEBAT. Non dissimili nempè errore, quam quo Philosophi, laborabat, qui quicquid volendo dumtaxat, seu solâ volitione effici sciunt hoc ipso quo se velle sentiunt, etiam se posse arbitrantur, ne videlicet liberæ voluntati fiat injuria. Quasi verò non esset inter velle & posse etiam in ipsa voluntate seu in volitione differentia. Quam sanè libro de gratia & libero arbitrio etiam sanctus Bernardus expressit: *Nec aliundè, inquit, nostrum defectus venit, de quo Apostolus, ut non quæcumque vultis illa faciatis. Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio non etiam posse quod volumus; non dico velle bonum aut velle malum, sed tantum velle.* Et multò inferiùs: *Neque enim ad liberum arbitrium (quantum in se est) pertinet aut aliquando pertinuit, posse vel sapere, sed tantum velle; nec potentem facit creaturam nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergò si potens aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velis bonum; sed si velle omninò creatura desierit* &c. *Bernard. lib. de grat. & lib. arb.*

Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in sancti August. doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus secundum præsentes quas habeat vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia: hoc enim sancti Petri exemplo aliisq; multis quotidiè manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere: nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis vel meritorius, vel aliquid simile (quæ Augustino nunquam in mentem venerunt) sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt, propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem; cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque, ita homo non plenè velit, non integrè velit, non totâ voluntate velit. Talem autem voluntatem non esse idoneam ut superet alteram vetustate roboratam, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit ut volendo faciat: poterit autem cum habuerit magnam & robustam. Hanc verò sibi tribuere, non esse potestatis humanæ, sed solius gratiæ Dei, quam propterea assiduè ex fide invocamus. *Ut si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut meo* POSSIMUS *vincere, ne abstrahamur illecti.* Nam postquam semel homo in peccatum præcipitatus est, vitium quoddam volendi suâ voluntate contraxit, *ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis* seu volendi *facilitate sanatur.* Ad hanc igitur sanitatem voluntatis assequendam, ut quemadmodum subinde necessarium est, fortiter, plenè atque integrè velle possimus, repugnantesque libidinis seu contrariæ voluntatis motus vincere, gratiam invocamus, hoc ipso clarissima voce profitentes, deesse nobis sufficientem ad illa præcepta facienda potestatem. *Lib. 2 de pec. merit. c. 4.* *Ibid.*

Quintum itaque ex eodem principio consectaneum est, plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem quæ precibus implorari solet. Quod ex tribus quoque capitibus indubitatum est. Primò quidem, quia multi fideles non convertuntur ad invocandam gratiam è qua sola vires illæ voluntatis nasci possunt, atque exspectari debent. Plurimi quippe præsumptione pleni se satis fortes esse putant ad præcepta facienda, si tantum velint; qua superbia occulta implicati non invocant adjutorem Deum. Hinc Augustinus: *Habes & adiutorem qui te exspectat pugnantem, sublevat laborantem, sed si invenit sperantem, odit enim superbientem.* Quod multis Augustini testimoniis non esset difficile confirmare, nisi res esset per se perspicua. Hoc itaque proprium sancti Petri malum fuit, quamvis & fidelis esset & bonus, quando non solum jam VOLEBAT pro Christo mori, sed etiam de sua fortitudine multa promittebat, pro qua impetranda orare debuisset. Itaque gratia destitutus implere non POTUIT, quod se velle sentiebat. *Quid enim, inquit, homo sine gratia Dei posset, timore mortis Apostolis evidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium non addito etiam Dei adiutorio promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm negaret Christum?* Vt ita videlicet *totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.* Hujusmodi nominum infinitus in Ecclesia, proh dolor, est numerus. Tales autem per frequentes lapsus ad infirmæ voluntatis suæ agnitionem perducuntur; si tamen eis misereatur Deus, ut vel sic confusi ipsaque confusione humiliati in timore ac tremore discant operari salutem suam, & ab ipso solo faciendi vires exspectare. Deus enim *hoc ipsum eis facit pr fuerem bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Quemadmodum latiùs sanctus Augustinus exequitur. Simili malo & ipse Propheta licet mitius, laborabat quando dicebat, *in abundantia mea non movebor in æternum,* Et ut Augustinus, *sibi tribuebat quod à Domino habebat.* Itaque Deus avertit faciem suam ab eo, & factus est conturbatus. Nempè *ostendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis quod superbus amiserat.* De qua defectione Dei, & impotentia aliisque eo spectantibus, cùm lex intonat foris & intus deficit gratia, & nos in superioribus multa diximus: Secundò quia non omnes etiam qui petunt à Deo vires illas magnas præcepta faciendi & cupiditatem superandi, impetrant id quod petunt, prout nimis experientia & ex ipsa oratione Dominica manifestum est. Nam quamvis Apostolus Iacobus dicat, quod Deus *dat omnibus affluenter*, ut sapientiam ita & potentiam ardoremque voluntatis, illis tamen dat *qui postulant in fide nihil hæsitantes.* Vnde Augustinus explicans, quibus omnibus *In appendice Serm. 3.* *Serm. 124. de temp.* *Videlicet lib. de corr. grat. c. 9. & lib. de nat. & grat. cap. 23. 24. & 25.* *Lib. de nat. & grat. c. 24* *Iacobi 1.*

det Deus affluenter sapientiam, *Vtique his omnibus*, inquit, *qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.* Non enim quidlibet quælibet impetrat oratio, sed fervens, fide immobilis, perseverans. Qua de re tanquam in Christianæ disciplinæ regulis fundatissima multa dici possunt. Ex quo etiam nascitur, ut etiam illis quibus Deus istam voluntatis fortitudinem tribuere constituit, diu tamen sæpe differat gratiam suam, partim ut eis adjuvantis gratiæ necessitas magis ipsa subtractione commendetur, juxta illud sancti Doctoris: *Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod eius est*: partim ut probet hominem quantis polleat viribus voluntatis, non ut ipse, sed ut homo instruatur & innotescat sibi: *Bene ergò*, inquit, *aliquando Deus differt adiutorium suum, ut probet hominem, ut exerceat hominem, ut ipse sibi homo innotescat. Nam Deum nihil latet.* Itaque subinde subtrahit auxilium suum ut eis propriæ infirmitatis agnitio profundius imprimatur, sinens eis interea indentidem longoque tempore cadere & surgere. Nam de talibus dicit, *Voluerunt sanari quia cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent, nisi datam legem implere* NON POSSENT. Nimirum ut alibi perspicaciter notat, *Si primitus homo cum vellet, posset, & non sentiret adversus se obtinentes cupiditates, nec vinculis suis grata anima colligaretur, suis viribus tribueret, quod se* POSSE *sentiret, & non confiteretur Domino miserationes eius.* Vtriusque verò radicis assignatæ causa est, quia & *orare Deum gratia spiritalis est*, ut Ambrosius ait; & ut Augustinus, *& hoc ipsum est donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum.* Ex quo efficitur ut & istam gratiam orandi seu postulandi vires voluntatis Deus cui voluerit & quantum voluerit largiatur. Spiritus enim qui ubi vult spirat, sicuti *Spiritum gratiæ* ita, *& precum effundit* ubi vult. Qua de causa nec orare delectat aut lubet, nisi Deus ut lubeat inspiraverit, & quando jam lubet non tanto semper ardore lubet, quanto necessarius est, ut *sic petamus ac tantum petamus, quomodo & quantum res tanta petenda est.* Non enim exigua quorundam hallucinatio est, qua putant semper adesse homini gratiam ut petat, ac tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret id quod petit. Vndè, ut & alibi diximus & sæpius dici necessarium est, non sine causa dixit Augustinus: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pœnè nulla, imò omninò interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus, iam oramus. Quid ergò aliud ostenditur nobis nisi quia & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, iubet?* Cùm ergò plurimi vel non petant gratiam illam qua possint ac sufficiant præcepta facere, vel non ita petunt ut ad impetrandum necessarium est, nec omnibus gratiam vel ferventer petendi vel omninò petendi Deus largiatur, apertissimum est fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam, & consequenter illam perpetuam, quam quidam prædicant faciendi præcepti potestatem. Itaque sanctus Thomas Augustini vestigia secutus; audet ac resolutè dicit: *Si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, ut saltem originalis peccati, vt Augustinus dicit libro de Correptione & gratia.* Cùm enim ibi dixisset Augustinus, Angelos & Adamum recenter conditum non fuisse peccaturos cadendo, si gratia ad standum defuisset, de homine jam lapso adijcit: *Nunc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est, quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Et sanctus Thomas libro tertio contra Gentes de peccatis illorum quibus per culpam gratia subtrahitur, dicit: *Nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem committit quam sua culpa incurrit.* Ex quibus conficitur non aliter verum esse, quod Deus non jubeat impossibilia, nisi quia quæcumque jubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adjutâ fieri possunt, juxta illud responsum Augustini, quando eadem quæstione petebatur. *His atque huiusmodi alijs innumerabilibus testimonijs dubitare non possum, nec Deum aliquid* IMPOSSIBILE *homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuvandum, quo fiat quod iubet,* IMPOSSIBILE *aliquid esse.* Ex quibus duobus principiis concludit responsionem quam dedimus; AC PER HOC POTEST HOMO, SI VELIT, ESSE SINE PECCATO ADIUTUS A DEO.

S. Thom. 2. 2. q. 2. 4. 5. ad 1.

Aug. lib. de cor. & grat. c. 11.

S. Thom lib 3. cont. gent. c. 160.

Lib. 2 de pec. merit. c. 6.

CAPVT

CAPVT XIV.

Idem nodus, quomodo talibus præceptum sit possibile etiam à Scholasticis solvendus est. Augustinus & Apostolus eo constricti, nunquam aliter solverunt, nisi quia gratia est quæ negatur peccatori & justitia qua punitur.

SED hic fortassis pro peccatoribus respondebis, hoc ipsum adjutorium, quo præceptum eis fit possibile, deesse multis ipsamq; gratiam orationis denegari, qua faciendi præcepti vires, quibus carent, postulentur à Deo. Ergo manet eis præceptum impossibile, & consequenter non peccant in eo non faciendo, quod facere, & in eo faciẽdo, quod vitare non possunt. Vtrumvis enim eis redditur impossibile.

Respondeo nodus iste ab ipsis quoq; Scholasticis solvendus, aut alius manifestus error arripiendus est. Quæro enim, quid de illis dicturi sunt, qui, cùm eorum voluntas ita infirma sit, ut non possint tentationes superare, propter quas superandas eis Dei gratia imploranda est, negligunt tamen, aut nolunt, aut etiam contemnunt invocare adjutorem Deum, vel tam languidè invocant, ut eorum exaudiri non mereatur orario? Si dicas habent semper præsto sufficientem gratiam qua possint; sexcentis Augustini locis totiq; moli doctrinæ ipsius, adeoque & ipsi Ecclesiæ, quæ docet ac monet eos *petere quod* NON POSSUNT, repugnabis. Si enim jam gratiam qua possint habent, stultum est petere quasi non haberent, ut etiam sæpè ex Augustino diximus. Si dicas non habent, quomodo igitur peccant, id faciendo quod vitare non possunt? Cogeris igitur confiteri, omnia talium hominum peccata, qui pro viribus impetrandis, orare non volunt aut non valent, aut ipsam etiam contemnunt gratiam, non nisi in causa esse peccata, eo quod vires, sine quibus ea vitare non poterant, impetrare neglexerint. Nam hoc est perpetuum recentiorum argumentum, quod in obduratis aut aliis propter peccata desit gratia sufficiens sine qua ea vitare non possunt, peccata ipsorum non fore propriè peccata, sed in causa tantum, in qua vires cavendi perdiderunt. Quis igitur dixerit peccata fidelium & infirmorum, qualis Petrus fuit, pro viribus non orantium gratiamq; contemnentium, non nisi in causa peccata esse, cum istum errorem universa Augustini doctrina & ipse Ecclesiæ Christianæ sensus exhorreat? Ex quo ostenditur fieri subinde posse, ut aliquis gratia careat, sine qua præceptum implere non possit, negligentiâ aut superbia præsumptuosæ voluntatis pœnam istam promerente, & tamen peccatum non solum in causa, hoc est, in neglectu contemptuque gratiæ, sed etiam peccatum propriè dictum & veri nominis perpetret.

Trid. sess. 6. sup. citata.

Itaque juxta doctissimi Præsulis sincerissimam planissimamq; doctrinam incedendo, qui sæpenumero istâ objectione pulsatus fuit, longè satius duco tritis vestigijs Augustinianæ & Apostolicæ solutionis inhærere, quam novas investigando semitas evadendi præcipitium incurrere. Dico itaque id quod Augustinus de similibus adjutorio sufficiẽnti destitutis crebro dixit, non esse iniquitatem apud Deum, qui gratiam negat; culpam enim peccantium ita meruisse, ut æquissimà istâ severitate puniatur. Cui solutio ista displicet, alium quærat exitum, sed caveat præcipitium. Nam in illo ipso loco ubi constituit, præcepta Dei esse possibilia per voluntatem hominis adjutam gratia Dei etiam hoc adjungit: *Cur autem illum adiuvet,* ILLUM NON ADIUVET, *illum tantum, illum autem* NON TANTUM; *istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, &* AEQUITATIS *tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* Nempe ad istud principium respiciebat, quod immobile semper tenuit, posteaque pronunciavit in libro de correptione & gratia, ubi de sufficienti adjutorio, sine quo manere non possunt homines, loquebatur, *Nunc autem*, post lapsum hominis, *quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est.* Simul videlicet, & nonnullis deesse, & causam quare desit, & hoc ipsum sufficere ad excusandum Deum, & hominem in peccatis arguendum, brevissimo sermone definiens. Quam definitionem suam tanquam sanam & planam, in omnibus suis operibus perpetuò secutus est. Nam in Epistola ad Sixtum, cùm eos argueret qui vel sciendo vel ignorando peccarent, sive audivissent legem sive non audivissent, non ita excusat, quia gratiam sufficientem habent sciendi atque faciendi, sed quia cùm esset homo conditus rectus, propriâ libertate & iniquitate mutatus est, peccatúq; suum cum pœnis ignorantiæ & infirmitatis in posteros propagavit. *Et quamvis,* inquit, *seipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eiq; obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi eius quo male usus est, libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros manasse peccatum.* Et libro de correptione & gratia, cùm se excusatos esse causarentur, quia gratiam non accepissent à Deo: *Qui hæc dicunt,* inquit, *extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo &c. nec attendunt*

Lib. 1. ad Simpl. qu. 2.

Epist. 105.

Lib. de corr. & grat. c. 6.

arendum, si nondum regenerati sunt, primam esse causam cur obburgati quod sint inobedientes Deo, sibi debeat displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab omni creatura, & non est iniquitas apud Deum? ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. Et in libro de Perfectione justitiæ cùm propter peccandi necessitatem se excusatos à peccatis esse crederent, non gratiam sufficientem præsto esse respondet, sed *ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, ut ad illam nec essentiam veniret, quam sola hominis voluntate superare non possit.* Et in quæstionibus super Matthæum, excæcatos ideo culpandos profitetur, quamvis jam excæcati videre non possint, quia impotentiam illam excæcationis sua culpa meruerunt. Nam quasi recentiorem aliquem idipsum quod nunc objicitur, objecturum vidisset: *Quod si ita est*, inquit, quod videlicet credere non poterant, *quis non exsurgat in defensionem Iudæorum, & eos* EXTRA CVLPAM *fuisse proclamet, quod non crediderint? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum.* Sed adeò jam solutionem, non per gratiæ sufficientis apparatum, qui à posteris excogitatus est, sed per culpam hominum ac justitiam Dei: *Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qui tamen excæcatione non potuerunt credere.* Et in libris contra Faustum, de eadem excæcatione creditque impotentia: *Quod si diceret, quid ergo peccaverunt Iudæi, si Deus illos excæcavit, ne agnoscerent Christum?* rudi non gratiam sufficientem ad Christum agnoscendum, vitandumque peccatum, sed culpam hominis & judicium punientis Dei: *Quantum possumus imbuendo, rudi homini respondemus, ex vitiis occultis peccatis Deo cognitis, venire vitam pœnam hujus cæcitatis.* Itaque latius idem probat, *non excusatos fuisse Iudæos, quia non cognoverunt Christum, quia videlicet occultis eorum meritis fuit, quod non cognoscerent.* Ex qua Sancti Augustini doctrina toties iterata perspicuum est, ut ipse probet peccatores Dei mandata prætereuntes, esse culpæ reos, sive illa facere possint, sive excæcatione vel obduratione non possint, nihil omnino gratiam sufficientem esse curæ, nec unquam vel verbulo illam tangere, sed hoc unicum dumtaxat veluti peremptorium proferre, quia homo in istam impotentiam sua voluntate lapsus est, quam justo judicio Dei & gratiæ destitutione & excæcatione & obduratione persequitur Deus.

Quod ut apertissimè constare possit, illam ipsam objectionem, quæ nobis facta est, quod homines à peccato excusati erunt, si vel obdurat one vel excæcatione, vel alia quâqua ratione careant viribus, quibus Dei præcepta custodiant, ex Apostolo & Augustino in medium proferamus, videamusque quid homines culpabiles demõstrando respondeant,

A Ecce Apostolus in Epistola sua ad Romanos docet, quod Deus, *Cuius vult misereatur, & quem vult indurat.* Cui doctrinæ cùm statim validissimè opponi posse cerneret, excusatos esse homines qui non obtemperant mandatis Dei; quia obdurati à Deo & excæcati, mandatis ejus obtemperare non possunt, mox ipse sibi objicit: *Dices ita ergo mihi quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit.* Hoc est, quid conqueritur Deus de hominibus, quod peccando male vivant, cùm voluntati ejus obduranti quem voluerit nemo resistere possit? Ad quam quæstionem facillimè respondent recentiores, rectè meritoq; de peccantibus conqueri Deum, quia quamvis obdurati & excæcati sint, sufficientem tamen habent gratiam, qua peccata devitent. Quis istam tam obviam, tam planam, tam peremptoriam responsionem defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantibus objecta quæstione, non id potius tam breve, tam apertum, tamq; ut ipsi putant, certum absolutumq; respondit. Cùm enim rem terribilem docuisset, quod Deus, cujus vult misereatur, & quem vult induret, & hoc ipsum exemplo indurati Pharaonis illustrasset, in quo Deus ostenderat virtutem suam, ut annuntiaretur nomen suum in universa terra, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris, *Dices ergo mihi*, inquit, *quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Hic profectò locus erat, ut diceret quod ipsi sentiunt divinæq; querimoniæ justitiam liquidissimè patefaceret, quod quamvis obdurati sint, sufficientem tamen eis gratiam largiatur. Sed multum abest ut hoc Apostolus diceret. Tantum enim respondet, id quod Augustinum jam sæpè respondisse diximus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Nam hoc dicendo, nihil aliud profectò dixit, quam idcirco rectè de peccatoribus conqueri Deum, quia de hominibus ex eadem massa meritò justèque damnata fabricatis, facere potest quod voluerit, sive illis gratiam bene vivendi tribuat misereñdo, sive subtrahat obdurando. Quo namque modo Apost. vel alius quisquam sanæ mentis tali objectioni respondere posset, quod gratiam sufficientem habeant obdurati ad cavenda peccata, de quibus conqueritur Deus, cum hac tali responsione, doctrinam à se traditam, adversus quam objectio formabatur, apertissimè jugulare, & argumentum adversarij invictum esse fateretur? Nam illa verba, *Cuius vult misereatur, & quem vult indurat*, propter quæ difficultas movebatur, non aliũ sensum habent, quam, cui vult gratiam misereñdo tribuit & cui vult gratiam non misereñdo non tribuit. *Non enim*, inquit, *obdurat Deus impartiendo malitiã, sed non impartiendo misericordiam.* Vel ut alibi dicit, *Obdurare dicitur peccantem quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent.* Quo modo igitur Apost. objectioni hominũ de ista Dei obduratione conquerentiũ respon-

Rom. 9.

Epist. 105.

lib. 1. c. 2. ad Simpl.

respondere posset, quod adhuc gratiam Dei habeant, cùm eos obduratos esse docendo, nihil aliud docuisset, quam gratiam qua bene viverent eis justo judicio esse subtractam? Itaq; Augustinus istum Apostoli locum, *Quid adhuc conqueritur*, quo se excusant peccatores, tracta-

Epist. 105. turus, ita loquitur in Epistola ad Sixtum: *Sed excusabunt se*, inquit, *homines qui nolunt rectè & fideliter vivere dicentes; Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam unde bene viveremus non accepimus?* Et hunc ipsum esse sensum ipsissimum istius objectionis, quam Apostolus sibi fecerat statim adjicit: *Postremo quonam se ipsi excusabunt modo? Nempe illo, quem breviter tanquam ex eorum voce sibi objecit Apostolus, ut dicam;* QVID ADHVC CONQVERITVR? *Nam voluntati ejus quis resistit?* *Hoc est enim dicere: Quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus male vivendo, cùm illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit,* MISERICORDIAM, id est, gratiam, ut ante dixerat, NON PRÆSTANDO. Et eundem

In Enchir. cap. 99. sensum verborum istorum reddit, in Enchiridio ad Laurentium.

Quapropter quandocunq; Augustinus istius querimoniæ qua de male viventibus conqueritur Deus, æquitatem nititur allerere, & excusationem iltam delinquentium retundere, quod frequenter facit, nunquam illi in mentem venit, ut isto tam expedito & facili, & peremptorio Scholæ recentioris remedio, hoc est, gratiâ sufficiente cunctas querelas eorum suffocaret, sed semper ad duas gratiæ negatæ causas recurrit, videlicet ad illam ipsam gratiam Dei, quæ quia gratis omnino datur, sine iniquitate subtrahitur; & ad culpam eorum sive originalem, sive propriam, qua justissimam adversum se Dei deferentis obdurantisque severitatem, hoc est, subtractionem gratuitæ gratiæ, qua bene viverent, provo-

Epist. 105. carunt. Nam in eadem Epistola, cùm eorum ista verba protulisset: *Quid adhuc conqueritur Deus?* Ita subjicit: *Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo invenire possumus quid dicamus; O homo tu quis es qui respondeas Deo? Quærimus namque meritum obdurationis & invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*, hoc est, gratiam, misericordiæ effectum. *Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est,* NE GRATIA EVACVETVR, *Si non gratis donatur. sed meritis redditur.* Et rursum inferius in eadem Epistola,

Ibid. cùm peccatores conqueri dixisset, quod gratiam unde bene viverent, non accepissent, eandem iterat responsionem quam prius dederat: *Non possunt veraciter dicere nihil mali se facere, quia malè vivunt*, nempe quamvis obdurati sint. *Si enim nihil mali faciunt, bene vivunt: si autem male vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod insuper addiderunt. Sed si vasa sunt iræ sibi hoc imputent, quia ex ea massa facti sunt, quam propter unius peccatum meritò Deus justèque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ ipsum glorificent, qui eis* MISERICORDIAM NON DEBITAM, *hoc est, gratuitam gratiam præstitit.* Et paulo inferiùs tertio repetitæ excusationi, tertio eandem responsionem reponit: *Si ergo illos non pudet hac excusatione non nobis, sed Apostolo contradicere, cur nos pigeat eis quod dixit Apostolus, hoc idem atque identidem dicere: O homo tu quis es qui respondeas Deo? &c. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa, utique meritò rectèque damnatâ, facere aliud vas in honorem indebitum propter* MISERICORDIÆ GRATIAM, *aliud in contumeliam propter* IRÆ SVPPLICIVM? Et nonnullis interjectis eidem excusationi peccantium quarto iteratæ, quarto idem divinæ gratiæ justitiæque scutum objicit: *Ac per hoc universi qui se in nequitijs & iniquitatibus excusatos volunt, ideo justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur non nisi* GRATIA *liberantur. Nam si excusatio illa justa esset, non inde gratia, sed justitia liberaret. Cùm vero non liberet nisi* GRATIA, *nihil justum invenit in eo quem liberat non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem. Nam si hæc justa est quisquis ea utitur merito non gratia liberatur. Novimus enim liberari per gratiam Christi quosdam etiam eorum qui dicunt, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Quæ si justa est excusatio, non iam gratuita gratia, sed propter hanc excusationis justitiam liberantur. Si autem* GRATIA EST, QVA LIBERANTVR, PROFECTO HÆC EXCVSATIO IVSTA NON EST. Et in Enchiridio ad Laurentium ejusdem excusationis injustitiam adhuc luculentius ex ijsdem causis interimit: *Hoc autem quasi modo audit ut dicat, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Tanquam propterea malus non videatur esse culpandus, quia Deus cujus vult miseretur, hoc est, gratiam tribuit, & quem vult obdurat: adjicit ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum, O homo tu quis es qui respondeas Deo? &c. Si enim non capit hac, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit magis non inveniet, quid respondeat. Videt enim si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in Apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam* nimirũ quia ut addit statim, *indebitâ misericordiâ*, hoc est, gratuitâ gratiâ liberantur.

Ibid. In Enchirid. cap. 99.

Ex quibus profectò vides quam procul à sancti istius Doctoris cogitationibus recedat recentior quidam Scriptor, quando fidenter communem sanctorum doctrinam vocat qui Pelagio interroganti, quomodo summi liberi ad opera supernaturalia præstanda, si ad illa est gratia Dei necessaria & nobis non datur, vel quomodo nobis imputetur horum operum omissio; respondent, quia in potestate nostra est habere hanc gratiam, quam Deus nemini denegat. Nihil enim capitalius Augustino adversatur, nihil directius ab ipso destruitur, quam quod Deus nemini post lapsum gratiâ deneget, vel in hominis lapsi, de quo sermo est, potestate sit habere hanc gratiam, quam à Dei solius

pot state

potestate & voluntate tanquam veram gratiam pendere justoque propterea judicio denegari multis instantissimè docet.

Hanc igitur salutationem Apostoli & S. Augusti. adversus omnium querimonias murmurantium qui de defectu gratiæ vel vel de ignorantia, vel de benè vivendi impotentia conqueruntur, tam crebro repetitam, qua meliorem ab hominibus dari posse negat, quisquis diligenter, intelligenterq; ponderaverit, videbit profectò esse absurdissimam, si vera est, illa recentiorũ doctrina, quam de gratia sufficiente tradunt. Tradunt enim non solum omnibus eam dari, sed ita esse necessariam, ut nisi detur, peccatores excusati sint, imo peccata delinquentium non possint peccata deputari. Nemo enim peccat, inquiunt, in eo quod vitare non potest. Quid ergo si hæc ita sint, insulsius & ineptius quam hominibus peccata sua contra Dei querelas excusantibus, quòd ab ipso excæcati atque obdurati, & à gratia destetti sunt, per quæ supplicia, fatente docente eque hoc Aug. tam impotentes ad benè vivendum facti sunt, ut ne quidem videre possint, quod eligendum est bonum, *voluntatemq; habeant durissimam, & adversus Deum omnino inflexibilem*: talibus, inquam, excusationibus nihil aliud Dei conquerentis patrocinio proferre, quam GRATIAM esse quæ subtrahitur, justamq; peccatorum pœnam quæ infligitur? Nam esto gratia sit, sine qua præceptum implere non possunt, an ideo tenentur ad impossibile? Esto justa pœna sit, an ideo id peccatum erit quod vitari nequit? Imo verò quid ex parte peccantium insanius quam excusationem adversus Deum de peccatis hominum conquerentem ex subtracta sibi gratia prætexere, siut recentiores volunt, gratiam ad peccata vitanda sufficientem habent? Nonne ex utroque capite responsum oportebat; stultè de supplicijs istis murmuratis adversus Deum, relinquit enim sufficientem vobis gratiam qua ejus præcepta faciatis & peccata caveatis, ideoque justè de vobis malè viventibus conqueritur Deus? Solutione igitur istam quando Scholastici verissimam esse planissimamque putant, quid aliud tacitè indicant, quam Apostolum & Augustinum adversus querelas peccantium exclamando, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* &c. in responsione defeciisse, sicut & olim primi gratiæ sufficientis architecti dicere ausi sunt? *Hoc enim loco*, inquit Augustinus, *quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam.* Deficit enim profectò & Apostolus & Augustinus, si Deo de peccatis hominum conquerente, & homine identidem respondante, Deum abstulisse sibi gratiam, sine qua peccata vitare non potuit, clamat solummodo, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Voluntati enim eius quis resistit?* Respondet enim: non ego quidem resisto voluntati ejus, quin me supplicijs desertionis, excæcationis, & obdurationis persequatur; sed non idcirco de me rectè & justè tanquam peccante queritur, qui gratia ipsius destitutus, præceptum implere & peccatum vitare non potui, ideoque nec peccare. Quapropter si gratia sufficiens ità necessaria est, ut quemadmodum Scholastici tradunt, sine illa ne quidem peccent qui peccare dicuntur, planissimè defecerunt in respondendo & Apostolus & Augustinus, sive gratia illa adsit peccantibus sive desit. Si enim adest, impudentia querelarum exprobranda erat murmurantibus, & non quasi vera diceret admittenda: sin autem desit, causa Dei deferenda est. Frustra enim clamatur, *O homo tu quis es?* Sum enim homo, inquiet, qui video insulsam de me jactari querimoniam, quasi peccarem, qui ablatâ mihi gratia, vitandique peccati potestate, peccare non possim. Quod si igitur excusatio ista malè viventium de subtracta sibi gratia est impia & injuriosa Deo, profectò non est gratia sufficiens ad malè vivendum necessaria; eaque etiam penitus sublata Dei querimonia de peccantibus est justissima; responsioque Apostoli & August. rectissima, verissima, plenissima.

Ita Enchirid. ad Laurent. cap. 99.

Epist. 107.

lib. 11. de genes. ad lit. cap. 23.

CAPVT XV.

Multis modis præcepta dicuntur possibilia etiam sine gratia sufficiente. Quænam impossibilitas excuset peccantem, & quæ non: ex quibus solvuntur duo argumenta cap. 13. proposita.

VT igitur sufficientia solutionis istius, quam Apostolus & Augustinus toties dedit, & possibilitas præceptorum Dei, unde pendet & libertas arbitrij, & ratio peccati plenius intelligatur, memoriâ repetenda sunt ea quæ in alio libro fusè diximus. Quibus ut hic etiam nonnulla addamus, observandum est in primis, in rebus ad vitam bonam seu pietatem spectantibus, multipliciter hominem dici POSSE aliquid. Primo remotissimè, per solam liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum. Hæc potestas in natura nuda liberi arbitrij constituta est, quamdiu nondum ad malè faciendum per supplicium æternæ damnationis obduruit. Sic ergo soli dæmones ac damnati dicuntur non amplius posse credere, diligere, benefacere, juxta illud Augustini: *Quod* (arbitrium) *neque ipse diabolus habet liberum ad benè faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum. Unde nemo sanæ fidei credit aut dicit hos Apostatas Angelos ad pristinam pietatem correctâ aliquando voluntate converti.* Et libro undecimo de genesi ad litteram: *Factumq; est in illo pondere meritorum ut nec iustitiæ* POSSIT *lumine delectari.* Et è contrario omnes homines dicuntur posse credere,

credere, posse diligere Deum &c. Hæc enim ætas non est aliud nisi fidei, dilectionis, bonæque vitæ flexibilis capacitas, per quam possunt credere seu suscipere fidem, charitatem, & vitam bonam. Hoc POSSE tangit Augustinus ubi dicit: *Vt enim sit naturæ fidem* POSSE *habere, numquid & habere? Non enim omnium est fides, cùm fidem* POSSE *habere sit omnium.* Et iterum: *Proinde* POSSE *habere fidem sicut* POSSE *habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ est Fidelium. Illa itaq; natura in qua nobis data est* POSSIBILITAS *habendi fidem, non discernit ab homine hominem.* Vbi posse habere fidem & charitatem, nihil omninò aliud est, quam posse credere ac diligere Deum, qua phrasi etiam dixit in libro de gratia Christi: *Sed planè illa possibilitas* (liberi arbitrij ad utramque partem) *utriusque radicis est capax; qua non solum potest homo habere charitatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala.* Hoc sensu sæpè docet Augustinus a *Fidem*, hoc est credere, b *rectè facere*, c *rectè vivere*, d *peccatum cavere*, e *voluntatem in melius mutare*, & hujusmodi *esse in hominis potestate*, quod est hominem posse ista facere, quia videlicet libero voluntatis arbitrio istos & similes pietatis actus facere potest. Quod ne quis necessitati divinæ gratiæ repugnare crederet, plerumque præcautionis loco adijcere solet, quod ista potestas sine gratia Dei efficere nihil potest. Aliquando etiam adijcit, homines ista *posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino*, hoc est, illud velle per gratiã ei dandum. Ita ut istæ locutiones eo redeant, quod *voluntas sit, qua & peccatur, & rectè vivitur, quod*, inquit, *his verbis egimus.* Nempe quia voluntas seu voluntatis arbitrium est remota quædam possibilitas, per quam homo potest, ut peccare, ita & rectè vivere, quamvis sinè gratia in istum actum exire non possit.

Lib. de prædest. Sanctor. cap. 5.

Lib. de grat. Christi. c. 20

a *Lib. de spiritu & litt. cap. 31.*
b *Lib. 1. Retract. c. 26.*
c *Lib. 2. de lib. arb. c. 1.*
d *Lib. 3. c. 18*
e *Lib. 2. Retract. c. 22.*

Lib. 1. Retract. c. 10.

Secundò, paulò propinquius dicimur posse benè vivere, omnibusq; tentationibus resistere & peccata cavere, per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, internisq; viribus voluntatis, de quibus ante multa diximus, careamus. Nam quamvis fides ista omnia per se nullo modo possit, quia tamen est semen orationis, per quam charitatem & gratiam adjuvantem & voluntatis vires impetrare solemus, hinc per ipsam fidem ista posse dicimur. Vnde Augustinus: *Per quam fidem scit diabolus eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer invidet in æternitate regnare.* Vnde & alibi: *Si credis, ipsa tibi potestas data est ut sis inter filios Dei &c. Ergo fides tua id est potestas quæ tibi data est, ut sis inter filios Dei &c.* Sed quia fides non operatur observationem mandatorum nisi per dilectionem, hinc

Epist. 107.

In Ps. 120.

Tertiò, dicimur multò plenius propinquiusq; posse per charitatem, per quam homo justificatur. Nam charitas seu dilectio non est aliud Aug. quam voluntas, hoc est volitio bona; quæ quamdiu deest nobis, impossibile est benè vivere, cùm autem adest, posse dicimur. Hinc in Epist. ad Rom. dicit accipi Spiritum S. *Per quem infusâ charitate bona* POSSIT OPERARI. Et infra, *Quo bona* POSSIT *per dilectionem operari.* Et iterum: *Illius est dare credentibus & volentibus* FACULTATEM *bene operandi per Spiritum S. per quem charitas Dei diffunditur.* Et in omnibus operibus Aug. nihil familiarius, quam per charitatem dari POTESTATEM benè operandi, concupiscentijs resistendi, tentationesq; superandi: quia ut dicere solet, *incipit homo amore tam* POSSE *quod timore non poterat.* Vbi libratâ circumspectione dicit, *incipit amore iam* POSSE; quia voluntas illa bona, quæ per charitatem datur, initio infirma est, & multa Dei magna præcepta implere non potest, nisi paulatim usque adeo munere ardentioris charitatis augeatur, ut possit. Vnde sunt illa quæ supra ex Aug. adduximus: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non* POTEST, *iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt* MAGNA VTIQUE VOLUNTATE, *hoc est magna charitate fecerunt.* Et Epist. 143. *Sed utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere Spiritus sapientiæ qui* SUFFICERET *ad implendam magnitudinem continentiæ.* Et in lib. Retract. *Verum est enim omninò omnes homines hoc posse si velint. sed præparatur voluntas à Domino & tantum augetur munere charitatis ut* POSSINT. Veritas ista in Aug. scriptis exploratissima est, quam probant innumera pœnè testimonia, quorum non pauca paulò ante produximus. Voluntas enim bona initio infirma est, paulatimq; gratia Dei abundantius effusa instar arboris crescit, donec eo usq; virium adolescat, ut cuncta invitantia, cuncta minantia, cuncta cruciantia superentur. Et ista quidem quę de posse diximus, quod per fidem & charitatem datur, de donis istis habitualibus potissimum intelligenda sunt. Nam per illa dicuntur justi orare, diligere, benè vivere, tentationesq; superare posse, etiam quando nihil istorum agunt, imo dormiunt. Sunt enim virtutes habitualiter in animo permanentes, quæ hoc ipso robustum animum efficiunt (unde & virtutes dictę sunt) ad opera quædam peragenda, quamvis si adhuc imperfectæ sint, ad opera sublimioris ordinis non sufficiant, quemadmodum jam jam de charitate diximus. Est enim in Aug. principijs paradoxum, id quod ex nonnullis quandoque audisse memini; quod charitas quamvis minima sufficiat ad quamcumque tentationem superandam, vel quæcumque præcepta sine transgressione servanda. Quid enim est charitas, nisi, ut Aug. loquitur, bona volũtas? Quid autẽ absurdius quam voluntatem quamlibet bonã ad omnes cupiditates devincendas satis robustam esse? Hoc enim non solum omnibus istis Aug. testimonijs refragatur, quæ supra allegavimus, ubi sexcenties docuit, multos etiam volentes benè vivere, mandata tamen quædam implere non posse: sed etiam omnes justorũ orationes extinguit, quibus vires sibi adversus tentationes dari, charitatemq; augeri petunt. Vt quid enim petunt, si jam sibi in prima justificatione datas

In Expos. quarundam prop. ex Epistola ad Rom. num. 60.
Ibid. 61.

Serm. 20. de divers. c. 8.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 17.

Epist. 143.

Lib. 1. Retract. c. 10.

Vide 67.

vires

vires accepêre? Falluntur in eo, quod quia charitate qualibet super omnia Deũ diligi sciunt, ideoq; hoc ipso etiam putant omnia eâdẽ charitate posse superari. Quasi verò non super omnia Deus ab infirmis ante tentationẽ diligatur, qui ingruente ingenti tentatione vires eorum superante vincuntur, quam tamen fortiori charitate, hoc est, voluntate prædītus non magno labore superat, imò magnâ facilitate cõtemnit. Nam hinc est quod hujusmodi peccatorum occasiones tentationesque fugere jubentur, quibus perferendis vel ipsi, vel illi qui curam conscientiæ illorum gerunt, vident vires ipsorum non esse pares. Tentationis enim superandæ duplex modus est, fugiendo, & obviando. Ille infirmis, hic perfectis convenit; non alia sane causa, nisi quia dispares sunt vires incipientis, adultæq; voluntatis seu charitatis. Quanquam & ipsi qui jam in fastigio virtutum collocati sint, quasdam violentissimas tentationes suspectas habere debent, nisi illas crebra victoriarum experientia explorāverint. Tantum interest, quanto robore quisque prædītus sit habitualis charitatis, hoc est, bonæ voluntatis.

Quarìò itaque, completissimè dicimur posse, quando sancti Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè possit sed etiam velit. Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solum posse, si velis, sed & velle quod potes. Hoc posse nunquam habetur, nisi quando reipsa quoque agitur, & est proprius effectus non fidei aut charitatis seu bonæ voluntatis habitualis, sed illius gratiæ actualis quam Christus attulit hominibus infirmis per crucem suam. Nam quantacumque fide, & charitate, seu habituali voluntate prædītus aliquis fuerit, etiam robustissimâ; nisi tentatione quamvis levi oboriente tali Spiritus inspiratione muniatur, sine dubitatione succumbet. Nam inde proficiscitur quod etiam illi qui ad fortissimæ charitatis apicem enixi sunt, per quam præcepta quæq; maxima gravissimaque implere habitualiter possunt, actuali ista gratia sese paulisper abscondente, seu ut Psalmus loquitur, Deo faciem avertente, conturbentur, ut sese in singulis actibus aliunde, quam suâ robustâ voluntate sanctificari sciant, & ad illum assiduè respiciant, qui in voluntate sua præstat decori eorum virtutem. Inde illa quotidiana iustissimorũ peccata, inde lapsus etiam subinde graviores, si eis subinde ex robustæ suæ voluntatis sensu, qua sibi omnia videntur posse, motus aliquis fortasse vanitatis obrepserit.

Hæc igitur actualis gratia completũ POSSE tribuit, hoc ipso quo velle tribuit, sine qua voluntas seu charitas habitualis, quantumcumque magna, post lapsum primi hominis in actum exire non potest. Nisi enim mirabili & inusitatâ gratiâ fomes extinguatur (qui non est aliud quam generale quoddam pondus, ad tracta diligenda) semper animum languentem deorsum premit; semper visibilibus objectis undequaq; intus & foris sese offerentibus proritatur, nisi Spiritus sancti munere motus ejus vel præveniantur, orituri vel comprimantur exorti. De tali posse tanquam vero effectu gratiæ Christi actualis, quod cùm velle indisjunctè sociatum est, sæpè August. mentionem facit. Vt quando in libro de correptione & gratia dicit: *Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam actualem Christi non solum* POSSE *quod volumus, sed etiam velle quod possumus.* Et aliquanto inferius: *Tantum quippe Spiritus S. accenditur voluntas eorum ut ideo* POSSINT, *quia sic volunt, ideoq; sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Et inferius: *Si Deus in eis non operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.* Et alibi ostendens gratiam Christi esse illam quę dat homini utiliter posse, quia simul dat velle; *Tunc enim*, inquit, *utile est velle cùm possumus, & tunc utile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus.* Itaque in libro de gratia Christi expresè docet, gratiã Christi esse illam qua non solum possibilitas adjuvatur, ut videlicet possimus agere, sed etiam *ipsa voluntas & actio, id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando benè vult & benè agit.* Et sine *illa gratia omnino nihil boni quod ad pietatẽ spectet fieri posse.* Itemq; quod per Christi gratiam homo *non solum potest venire sed venit*, ita videlicet ut ibi *tam sit, & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.* Et in libro de gratia & libero arbitrio, dicit: *Nec tamen sufficit*, hoc est potest, *liberum arbitrium voluntatis humanæ, nisi a Domino ipsa victoria concedatur oranti*, hoc est, non potest vincere nisi Deus det ipsum vincere seu victoriam. Et paucis adjectis infra, docere volens ipsum venire ad Christum seu credendo converti ad Christum, dari à Deo probat ex illo loco, quo Christus Iudæis dicit, *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei*, ipsum videlicet venire *à Patre meo.* Quod sanè genus proximæ completæque potestatis ex duobus principijs Augustini, quæ tanquam totius doctrinæ suæ basim jecit, necessario sequitur. Docet enim primò gratiam Christi non illam esse, *sine qua non volumus aut agimus*, cujusmodi est omne solius possibilitatis adjutorium, quale primi hominis fuit, sed *qua volumus atque agimus*, ut latissimè supra demonstravimus. Docet secundò sine gratia Christi nihil omnino boni ab homine cogitando, volendo, agendo, POSSE fieri. Ex quibus sibi succurrentibus necessario sequitur, gratiam Christi simul afferre quod & ipse in terminis dixit, POSSE *quod volumus*, & *velle quod possumus*; ideoque nos POSSE, *quia sic volumus*, ut jam paulò ante ex ipso recitatum.

Cùm igitur tot sint modi quibus præceptum dicimur posse facere, totidem etiam erunt, quibus non posse dicamur. Quod & exemplis nonnullis in præcedenti discursu declaratum est. Nec difficile esset ex Augustino singula pluribus astruere, nisi res esset per se perspicua.

Lib. de corr. & gra. cap. 11.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 15.

Lib. de grat. Christi c. 27.

Ibid. c. 26.

Ibid. c. 14.

Lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 4.

Ioann. c. 5.

Ad argumentum igitur initio capitis decimi-tertij propositum veniendo, respondemus, præcepta Dei esse homini possibilia, seu posse ab homine fieri, & consequenter hominem ea posse facere. Etenim si jam justificatus est, habet charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & consequenter totam legem implere potest. *Plenitudo enim legis dilectio*, inquit Apostolus. Si autem fidelis quidem, sed nondum justificatus est, habet aliquid bonæ voluntatis, quatenus credit, nam ubi est *initium fidei*, *est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis*: per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium invocare, & consequenter rectè pieque vivere, quod si etiam fide Christi caret habet liberum voluntatis arbitrium, per quod uti carni titillanti, ita & Spiritui illuminanti consentire; uti peccare ita & rectè vivere potest. Quocumque vero possibilitatis modo ex illis tribus quos jam diximus, homo possit præcepta Dei facere, etsi alio modo proximè non possit, satis est, ut si non fecerit, sit inexcusabilis. Quod enim imaginantur quidam excusari hominem à transgressione præceptorum Dei, quando non habet istum postremum possibilitatis modum, hoc est, quando non habet auxilium istud, quod omnium propinquissimè ad volendum sufficiens est, ex eo falsum esse convincitur, quod alioquin tale auxilium non aliquando, sed semper esse deberet in hominis potestate: & consequenter quod infidelis deberet semper, quando se jam vidit ad credendum obligatum esse, intus in mente illuminari, & in voluntate attrahi, hoc enim nisi fiat, certum est illo proximo potestatis modo non posse credere, nec posse converti, multoque minus posse naturalia Dei præcepta facere. Talem autem gratiam semper intus eis præsentem esse, quemadmodum dubio procul falsum est, ita & falsum est, eos semper ad Deum verum posse converti, posse præcepta implere naturalia, & consequenter excusatos esse.

Epist. 107.

Sed quomodo, inquies, non sunt excusati sive fideles sive infideles, qui illo postremo sufficienti adjutorio carent, quandoquidem sine illo præceptum absolutè implere non possint. Nam reliqui tres possibilitatis modi imperfecti sunt, quibus præsentibus, si postremus qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc & absolutè fieri posse præceptum dici potest, quam si sine alis volare diceretur. Quomodo igitur non excusat tanta implendi præcepti impotentia? Respondent aliqui, verè peccare eos qui adjutorio sufficientis gratiæ carent, quia eorum impotentia non est antecedens, sed concomitans, hoc est, non est causa cur homo non impleat præceptum efficiendo involuntarium, sed per accidens conjuncta est, non attingens actum voluntatis. Non enim ideo peccant, quia non possunt abstinere à peccato, quamvis revera non possint; sed idcirco peccant, quia non volunt, neque vellent abstinere, etiamsi possent. Quod ex eo perspicuum esse dicunt, quia nesciunt se non posse. Quam ob causam dicit Hugo de sancto Victore: *Quando homo non potest, si vult, propter voluntatem impossibilitas non imputatur: si autem non vult, propter impossibilitatem voluntas non excusatur.* Simile accidere volunt in ignorantia antecedente & concomitante, quarum illa purgat peccatum cujus causa est, ista non purgat, non causat aut attingit actum voluntatis adjunctum, sed per accidens ei copulatur. Si hoc alicui sufficiat, nihil superest præterea satagendum. Plenius tamen fortassis alio modo quæstioni satis fieri potest.

Hugo de S. Vict. l. 2. de sacr. par. 14. cap. 6.

Itaque respondetur, duplicem esse præcepti faciendi impotentiam. Una est ex defectu alicujus, quod non potest quàtumlibet magna voluntate, hoc est, quantumlibet fortiter volendo, suppleri. Talis est impotentia illius qui caret breviario ad horas, quas ignorat, recitandas, & illius qui caret rebus temporalibus ad largiendam eleemosynam, & scientia ad eum docendum qui defectu institutionis perit, & hujusmodi infinita. De tali impotentia verissimum est, quod Deus non jubet impossibilia. Nam hoc ipso quo talis oritur impossibilitas, vel præceptum exstinguitur, vel certè ad illud implendum is, cui præcipitur, non amplius obligatus est. In hujusmodi etiam impossibilibus, voluntas pro facto reputatur. Non est enim culpa voluntatis quod non fiat, sed pura inopia potestatis. Altera impotentia est, quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, quæ si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillimè impleretur. Tantummodo enim fortiter volendo impletur, unde si fortiter vult, hoc ipso jam impletum est, & non impletum esse non potest. *Ex quo conficitur*, inquit Augustinus, *ut quisquis rectè honesteq; vult vivere, si id se velle videt, præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle, sit habere quod voluit.* Talis enim voluntas sicut necessariò secum affert plenum velle, ita & posse quod voluit: *Ibi enim facultas ea, quæ voluntas, & ipsum velle, tam facere est.* Nam quemadmodum paulò ante dixerat, *non solum ire, verum & pervenire illuc*, multoque magis posse ire, *nihil erat aliud quam velle ire*, sed VELLE FORTITER ET INTEGRE, *non semisauciam hac atque illac versare & iactare voluntatem, parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem.* Hæc impotentia non faciendi nullo modo excusat eum, qui non implet, quod præcipitur. Posset enim implere si veller. Quod si noluerit atque ideo non potuerit, quis non eum dixerit, pro ipsa tam perversa obduratáque voluntate culpandum? Duplicem istam impotentiam insinuavit Augustinus quando dicit: *Cogitatur & fit aut ideo non fit, non quia nolumus, sed quia non possumus, Quicquid vis & non potes,*

Lib. 1. de lib. arb. c. 13.

Lib. 8. Confess. cap. 8.

Lib. 8. Confess. cap. 8.

In Psal. 57.

potes, factum Deus computat. Rectissimè omnino non dixit, quicquid non potes, factum Deus computat; multa sunt enim quæ propterea non possumus quia nolumus, eo quod contrarium fortissimè obstinatissimèque volumus: sed circumspectissimè dixit: *Quicquid vis & non potes, factum Deus computat.*

Ex hac igitur duplicis impotentiæ distinctione facile apparet, quid ad objectionem istam quam diu volvimus, respondendum sit. Nimirum impotentiam divina mandata faciendi quæ in peccatoribus reperitur, esse talem, ut non desinant ea implere posse, si voluerint. Velint enim plenèque velint, mox ut voluerint, implebuntur. Si autem nolint, ideoque non possint, quis nisi nolentibus vitio vertat duritiam iniquæ voluntatis secutumque defectum potestatis? Nam revera defectus talis potestatis non est aliud quam duritia malæ voluntatis, à qua suscepta recedere non posse, non est aliud quam tenaciter nölle. Tradidit hanc doctrinam pœnè ijsdem verbis Augustinus in Tractatibus in Ioannem. Nam illum Evangelij edisserens locum, ubi ex Isaia narratur *quod non poterant credere*, quia dixerat *excæcavit* oculos eorum &c. cùm præmisisset esse laborandum, quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, posset ostendere, de quibus dicebatur non poterant credere, sic difficultatem istam explanat: *Quare autem non poterant credere, si à me quæratur, cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.* Et objectionem sibi proponens adversarij: *Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum* videlicet excœcationem eorum. *Etiam hoc, inquit, eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excœcat, sic obdurat Deus deserendo & non adiuvando.* Nam isti supplicio proprium est, ut qui illo plectitur malum immobiliter velit, ideoque amplecti non possit bonum. Quamobrem inferius ostendens illam non solum voluntatem malam, sed etiam impotentiam ex magnitudine malæ voluntatis proficisci, adjecit: *Non itaque mirum est, quia non poterant credere quorum voluntas* SIC SUPERBA *erat, ut ignorantes Dei iustitiam &c.* Et post pauca rursum: *Sic autem dictum est, Non poterant, ubi intelligendum est, quod nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. De omnipotente dictum est, non potest. Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Disertius profectò expressiusque non posset nobis patefacere, quàm ex voluntatis perversæ magnitudine atque stabilitate nasci mutationis impotentiam, quæ tantum abest, ut excuset culpam ejus, ut potius cumulatiorem esse demonstret. Quibus vestigijs insistendo, sanctus Bernardus eandem radicem istius dissolvendæ difficultatis detegit, planissimeq; declarat: *Et sicut cælestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propriâ videlicet voluntate non aliquâ extrinsecâ necessitate* (quæ videlicet quemadmodum diximus non potest volendo superari) *sic profectò diabolus æquè liberè in malum & corruit & perstitit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* Et mulàs interpositis tandem adjicit: *Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus* (malum scilicet agendo mala voluntate) *non infirma facit necessitas* (hoc est non impotentia) *sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas; quodque is* NON VALET *in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio* (quam videlicet volendo superare non potuit) *sed sua ipsius in malo obstinata voluntas & voluntaria obstinatio.*

Ex qua sancti Augustini & Bernardi doctrina planum est, talem implendorum præceptorum impotentiam ex duritia volendi profectam, sicut non abstergit culpam voluntatis humanæ, sed auget potius, ita quoque nullo modo tollere libertatem. Quo secundum Augustini principia nihil verius dici potest. Nam apud ipsum nihil est aliud voluntatem esse liberam, quam actum suum habere in sua potestate, & habere in potestate nihil aliud, quam eum facere si voluerit. Quis autem dubitet peccatorem obstinatissime malum velle si voluerit, quod eò facilius in hominibus ac dæmonibus intelligitur, quod eorum obstinatissima voluntas, & ut Augustinus dicit *ad bonum omnino inflexibilis* non sit aliud quàm quædam continuatæ primæ electionis qua mali facti sunt. Sicut ergo non tollit à Deo libertatem, voluntaria illa firmitas, qua non potest à suscepta semel volitione retrocedere, ita nec immobilitas illa peccantium hominum aut Angelorum, qua non possunt recipere voluntatem bonam, nullo modo eorum libertatē infringit. Quia de re qui plura desiderat, consulat ea quæ de simili difficultate alibi diximus. *Videl 4. de statu naturæ lapsæ c. 24.*

Ex his etiam illud intelligitur quàm perperam Scholastici gratiam sufficientem postulent, ad hoc ut homines peccare dici queant. Peccabunt enim sine gratia sufficiente, non minus quam si illius adjutorio munirentur. Nam & actus liber est, & facient si voluerint: Quod si noluerint, non hoc efficit impotentia quæ destruat libertatem, sed quæ supponat & augeat potius. De quibus loco citato, totisque pœne libris de libertate arbitrij disputabitur. Ex præcedenti, secundi argumenti capite decimo tertio propositi solutio liquet. Constat enim eodem planè modo etiam peccata à non habentibus gratiam sufficientem posse vitari, non quidem illâ proximâ potestate, quæ dat simul velle quod possumus, & posse quod volumus, nec illâ quæ potestatē voluntatis velut in æquilibrio ad utramque ponit, qualem libertatem solam Scholastici sibi conceperunt, solamq; post lapsum & hominum & Angelorum, sive in bonis sive in malis nusquam invenient; sed *Vide infra lib. 6. & 7. de grat. Christi Saluat.*

sed illa remotiore potestate qua possunt ea vitare si voluerint. Si enim noluerint defectus est voluntatis non potestatis, quam voluntas supplere non possit. Sed de ista difficultate quomodo peccata vitari possint, vide latius dicta in alio loco. Hinc igitur etiam fit, ut quemadmodũ ea vitare possunt, ita quoque non committant necessario, eâ videlicet necessitate, quæ repugnet libertati, culpamque abstergat exorbitantis voluntatis. Est enim necessitas quæ ex duritia & obstinatione volendi nascitur, quæ non auget neque minuit culpam pertinaciter volentium sed accumulat, quia firmius adhærescit malo. Ex quo principio confidentissimè dixit Augustinus: *Multum erras qui necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.* Et alio in loco adversus eundem adversarium Iulianum, ne putaret culpam voluntatis ex ista necessitate esse sublatam: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi.* Quade re fuse in alio libro dictum est. Quomodo vero ista peccata quæ tali modo ex ista voluntatis duritia & voluntaria, ut ita dicam impotentia, etiam libera sint, non solum in sensu sancti Augustini, de quo jam nonnihil diximus, sed etiam in sensu Scholasticorum, latius in eodem libro explicatum vide.

Vide lib. 4. de statu natu rælapsæ c. 22 & 23.

Epist. 1. cont. Iul. op. imperf. f. 155.

Ibid. f. 159.

Lib. 4. de statu naturæ lapsa c. 19. 20. & 21.

Ibid. c. 24.

Sed adhuc oppones Augustinum dicere in libro de correptione & gratia: *Si autem hoc adiutorium Angelo vel homini quamprimum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Ergo impotentia volendi, etiam illa quæ voluntate superaretur abstergit culpam volentis, & hominem reddit excusabilem, nempe quia tollit ab illa volitione libertatem.

Lib. de cor. & grat. c. 11

Respondetur verissimum esse quod in Augustini casu impotentia voluntatis reddat hominem excusabilem & culpam auferat. Cujus rei ratio non est illa, quasi illo deficienti adjutorio, non libera voluntate unumquemque actũ circa singula objecta mala voluisset. Tam enim liberè, non solum illâ libertate ab Augustino agnitâ atque traditâ, sed etiam illâ libertate Scholasticorum, hoc est, contradictionis seu exercitij hunc & illum actum elicuisset, quam nunc eliciunt dæmones & beati. Sed ideo defectus adjutorij culpam deleviset, quia talis actus profectus fuisset ex institutione Dei, atque ita necessario fuisset bonus. Nam illâ consideratione adijcit Augustinus: *Quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet*: quasi diceret, quia ei naturale erat, sine adjutorio manere non posse si vellet, hinc impossibile erat, ut hoc ei vitio verti posset, sed necessariò sine culpa cecidisset. Quod si verò talis defectus adjutorij homini aut Angelo non ex naturæ institutione, sed ex aliqua culpa contingeret, profectò tunc Augustinus actum inde secuturum non solum liberum, sed & culpabilem esse posse fateretur. Nam hoc est illud ipsum quod ibidem statim adijcit: *Nunc autem quibus deest tale adiutorium*, videlicet sine quo manere non possunt, *pœna peccati est.* Quasi diceret, nunc quia istud adjutorium non ex naturæ institutione, sed vitiatione sublatum est, actus qui ex libera voluntate sequitur, non desinit esse vitiosus, eumque perpetrans culpæ reus.

Ex quo sane jam vera panditur intelligentia tot testimoniorum, quæ supra vidimus, in quibus eis qui de Deo obdurante quem voluerit, & gratiam subtrahente querebantur, cum Apostolo respondebat, *O homo tu quis es* &c. ostendens eos ex peccatis præcedentibus illam ablationem gratiæ, excœcationem obdurationemque meruisse. Vis enim responsionis istius non isto nititur cardine, quasi postquam homines peccaverunt, ablato sufficienti adjutorio, vel peccata non sint libera, vel quæ non sunt libera, possint esse peccata, hoc enim impossibile est: nec unquam Augustino in mentem venit, quod non essent libera illa peccata quæ ab obduratis, excœcatis, divinâ gratiâ sufficiente destitutis committuntur; sed per peccatum à recta naturæ institutione discessum est, juxta quam impossibile erat, ut actus ad quem vitandum deerat adjutorium, peccatum diceretur, cùm esset potius actus bonus tanquam naturæ optimè constitutæ consentaneus, propter hanc ipsam omnino causam dicente Augustino: *Nam si non est ista pœna hominis sed natura* (quod vult & non potest rectè facere) *nulla ista peccata sunt. Si enim non recedit ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit cùm hæc facit.* Hinc itaque ne quis miraretur, quomodo posset esse actus malus, quem obduratus & excœcatus & gratiâ sufficiente destitutus perpetrat, semper eo recurrit, quod ille defectus gratiæ sit pœna peccati. Nam si non esset ista peccantis pœna voluntatis, sed Dei hominem cœcum ac durum & adjutorio destitutũ creantis institutio, vel pro suo arbitrio deserentis, non possent actus excœcatorum, obduratorum, & adjutorio sufficienti carentium, peccata nuncupari, sed ut dictum est actus boni; non defectu libertatis, sed malitiæ, qua necesse est careat actus, qui ex Dei naturam humanam ita instituentis vel reformantis voluntate atque ordinatione, committuntur. Nam ut jam tetigi, nunquam in omnibus scriptis suis illo scrupulo laborat Augustinus, quod hujusmodi actus non esset liber & liberæ voluntatis. Semper agnoscit esse liberum, libertate quæ ad peccatum sufficit, quamvis identidem & constanter neget esse liberum illâ libertate indifferentiæ ad faciendum bonum & malum, quam Scholastici postulant, & Augustinus in solo primi hominis & Angelorum primo peccato locum habuisse profitetur. Sed de istis omnibus alibi ex professo dictum est.

Vide supra c. 48.

Lib. 3. de lib. arb. c. 18.

CAPVT

CAPVT XVI.

Locus Augustini exponitur, ubi dicere videtur, quod Pharaoni *non imputabatur quod obduratus obtemperare non poterat.*

PRÆDICTIS omnibus objicitur A Augustini locus ex libro expositionis quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, ubi sic loquitur de peccatis Pharaonis qui & obduratus fuit & gratia sufficiente caruit. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur præcedenti infidelitate.* Ergo ex Augustini mente, peccata obduratorum, qui secundum ipsum gratia sufficienti carent, non sunt peccata quæ ad culpam imputentur: Quod non alio ex capite contingere potest, nisi quia potestate ea vitandi carent, & consequenter non sunt liberi: sed quia valdè absurdum est obduratos & excœcatos in actibus malis quos committunt carere libertate & culpâ quæ illis imputari possit, absurdum etiam erit eos gratia sufficienti destitutos esse, nec Augustinus in B ista sententia sequendus erit. Ita ferè recentiores quidam, qui ex isto potissimum loco se invictè concludere putant, Augustinum in ea sententia fuisse, quæ obduratis gratiam sufficientem negat; quamvis eam ipsi se improbare profiteantur. Alij alijs modis Augustinum non parum ab ejus mente recedentibus explicant, ne quid absurdum docere videatur.

Respondetur merito ignoscendum est ijs, qui in illius loci intelligentia falluntur: in qua profectò falli pœne necessarium est, nisi quis Doctoris istius lucubrationes multum versaverit, & principia ejus non mediocriter penetraverit. Dico igitur sensum verborum istorum longè alium esse quam verba præ se ferre videantur. Nam in primis quamvis inde rectè colligatur, quod sufficienti gratia omnino careant, qui *obdurato corde omnino obtemperare non possunt*, quod nunquam dubitavit Augustinus, malè tamen infertur, illum C obdurati cordis actum, quem ei non imputari dicit, non fuisse peccatum. Nam excœcatorum atque obduratorum actiones malas, qui præceptum vel cœcitate vel impotentiâ implere non possunt, esse vera peccata, pœnis etiam adeoque damnatione persequenda semper & post scriptum illum librum, & in ipso eodem libro satis apertè docuit. Nam quid significat aliud quod ibidem dicit, *obduratum deserendo relinqui ut malè operetur*? Nam in Augustini doctrina inauditum est, ut aliquis malè operetur & non peccet, quia ex ejus doctrina, *omne factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Quid item significat aliud, quod ibidem docet quod *infidelitas* & *impietas*, propter quam obdurantur, *inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur*; itemque, quod sit *primum meritum* pœnæ. Si enim impietas inchoat meritum non credendo, obduratio profectò perficit malè operando. Et si ex infidelitate *primum* supplicij meritum proficiscitur, profectò ex obduratione secundum, Post istum verò librum, obduratos & excœcatos verè proprièque peccare sæpius ex professo tradidit. Nam libro de natura & gratia, cùm dixisset quod luce veritatis desertus ac cœcus, *plus necesse est cadat*, quod non est aliud, quam id quod de Pharaone dixerat, quod *obtemperare non poterat*, statim addit: *Et tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cœcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ in plura & gravia peccata collapsi sunt.* Et ex Apostolo ad Romanos primo, multipliciter probat esse peccata licet pœnalia, esse *opera tenebrarum*, esse majoris merita desertionis & vindictæ Dei. Et tractatu quinquagesimo tertio in Ioannem, cùm docuisset ex Evangelio, Iudæos non credendo peccavisse, & tamen excœcatos credere non potuisse, monet postea, *Ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum.* Toto disputandi conatu hoc agit, & tanquam certissimam doctrinam asserit adversus Iulianum: *Ista*, inquit, *cæcitas fuit Iudæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati, ut occiderent Christum.* Et inferius docet hujusmodi tam propriè esse peccata, ut *inde etiam rei fiant, unde damnati.* Quod paulò post ipse sic explicat, *Vtique damnati*, Deo videlicet excœcante & obdurante, *ut tanta operarentur mala, & tamen ista damnatio etiam reatus est, quo gravius implicantur.* Et multò post evidentissimè dicit, per hujusmodi pœnas *fieri eadem peccata & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum.* Vt profectò dubitari nullo modo possit, quin Augustinus illa vera peccata esse senserit, ad quæ homines deserti gratia Dei, ex justa obdurationis & excœcationis pœna damnantur.

Quapropter qui locum Augustini objectum rectè & genuinè intelligere cupit, quorundam principiorum ejus recordari debet. Primum est, quo constantissimè docet, primum hominem fuisse institutum cum summa quadam arbitrij libertate & indifferentia ad bonum & malum: usque adeo ut nihil ejus bonæ voluntati intrinsecus vel extrinsecus repugnante, solo nutu voluntatis, auxilio gratiæ sufficientis adjutus, sine quo nihil poterat, in bono posset permanere si vellet. Ipsum quippe velle, ubi intus nihil concupiscentialiter resistebat, erat posse quod vellet: cujus contrarium experimur, post-

quam

quam in peccatum lapsi sumus, & veri ignorantiâ & boni infirmitate puniti. Poterat quoque ad malum eâdem facilitate declinare.

Ex isto quodammodo liberæ voluntatis æquilibrio nascebatur, ut actiones ejus sive in bonum sive in malum ex liberrimo nutu & flexu ejus proficiscerentur, utpote quas neque gratia, neque concupiscentia, quæ necdum erat exorta, libero voluntatis arbitrio donaret, sed ipsum arbitrium sibi. Nam ista gratia non donabat actus voluntati; erat enim adjutorium consentaneum tantæ libertati, *non quo fieret* ut vellet, sed *sine quo velle non* poterat. Et hinc est quod tale arbitrium subinde antonomasticè liberum, & actio ejus libera vocari solet. Hinc etiam proficiscebatur, ut actiones ejus sive bonæ sive malæ, proprissimè merita dicerentur, & quod eis reddebatur, merces meriti; utpotè quæ purè ex libera voluntate sponte surgerent, neque involverent quicquam gratuitæ donationis in seipsis seu secundum se, sed in potentia tantum: hoc est, quatenus & liberum arbitrium, & adjutorium potentiale gratiæ, sine qua non, gratis datum fuerat. Nihil etiam involvebant pœnæ vel præmij. Contrarium nunc omnino usu venit. Nam & velle & agere nunc per alterius ordinis gratiam donatur voluntati, omniaq; peccata nunc sunt supplicia præcedentium, quia non ex illa plena libertate, sed ex animi quadam pœnali cœcitate & infirmitate nascuntur, cum quibus in hunc mundum projecti sumus. De quibus omnibus latè libro primo de statu primi hominis & Angelorum disseruimus.

Hinc ulterius fiebat ut peccatum istud primum Adami sanctus Augustinus etiam singulari modo peccatum appellare consueverit, tanquam quod purum putumque peccatum esset, ex sola libertate voluntatis, nulla ignorantia vel concupiscentiâ impellente perpetratum. Nam omnia hujusmodi ignorantiæ & concupiscentiæ peccata, ita peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia peccatorum. Iuxta quem peccati intellectum definitur à sancto Augustino peccatum, libro de duabus animabus, *motus voluntatis unde liberum est abstinere*. Quam definitionem sæpè protestatur nulli peccato, nisi solius primi hominis convenire: prorsus enim illi liberum erat qui nulla internâ cupiditate vel timore peccare cogebatur, de quo latè alibi dissertum est.

Lib. de duabus animab. cap. 11.

Vide l. 3. de statu naturæ lapsæ toto c. 9. & lib. 2. cap. 21.

Denique observandum est, quod Augustinus, cùm istum librum ex quo objectio deprompta est, scriberet, adhuc illo errore tenebatur, quo putabat ita istam primævæ felicitatis libertatem perijsse, ut tamen quædam reliquiæ remansissent, ex quibus arbitrium in utramque partem liberum esset, ut crederet vel non crederet, quamvis gratia libertatem & potestatem ad operandum asserre deberet, quemadmodum hoc postea Massilienses arripuerunt. Quod ita esse, testis est ipse Augustinus in libro de prædestinatione Sanctorum. Ex istorum principiorum observatione præ-

Vide lib. de prædest. Sanctor. c. 3. & 4.

sentis objecti loci, & multorum quæ in isto libro dicuntur, genuina pendet intelligentia. Nam ex isto intuitu dicit non procul ab initio: *Liberum arbitrium perfectè fuit in primo homine: in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed ut tantum peccare nolimus*, inefficaci videlicet voluntate, sub qua & credere comprehendit. *Gratia verò efficit ut non tantum velimus, sed possimus, non nostris viribus liberi arbitrij, sed Liberatoris auxilio.* Vbi satis apertè vides asseri *reliquias* quasdam istius primæ & magnæ libertatis, per quas ut minimum peccare nolumus. Quibus postea sæpius asscribit etiam *credere*. Nam ex isto intuitu dicit aliquanto post: *Liberum autem arbitrium habet ut credat liberatori, & accipiat gratiam, ut iam illo qui eam donat, liberante & adiuvante non peccet.* Ex isto intuitu dicit infra: *Non Deus elegit opera sed fidem.* Quia scilicet videbat nos libero arbitrio credituros, non autem operaturos, quia libertate nostrâ credere, non verò operari possumus. Et inferius: *Quod credimus nostrum est*, id est, credere liberi arbitrij fructus est, *quod autem bonum operamur, illius est.* Et rursus: *Quod si vocatus vocantem secutus fuerit, quod est iam in libero arbitrio meretur & Spiritum sanctum*, id est, gratiam, *per quem bona possit operari.* Et paucis adjectis: *Nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi.*

Lib. Expos. quarundam propos. Ep. ad Romanos num. 18.

Lib. Expos. quarundam propos. Ep. ad Romanos num. 44.

Num. 60.

Ex hac igitur eadem consideratione libertatis quam habemus ad volendum atque credendum, non autem ad benè operandum, pendet & istud, quod ex illis Apostoli verbis, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, putabant aliqui, tolli etiam ad volendum libertatis arbitrium. Dicitur enim *non volentis &c.* Respondet ergo quod per illa verba, *Non tollitur liberum voluntatis arbitrium*, ad volendum, *sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adiuvet Deus. Quanquam enim ibi sit etiam voluntas* seu volitio *nostra, sola* tamen *nihil posset*, videlicet ad operandum id quod voluit. Vult enim significare, quod voluntas quidem nostra præcedit, utpote qua volumus atque credimus, credendoque meritum vitæ bonæ inchoamus; non tamen hoc sufficere, nisi Spiritus sancti dono voluntas illa robustior fiat, ut bonum possit operari. Quod illustrat etiam ex contrario Pharaonis exemplo. Nam ille cor obduratum habuit, ita ut non obtemperaret, imo obtemperare non posset præceptis Dei. Sed hoc similiter non proveniebat ex libero ejus arbitrio, sed ex supplicio præcedentis voluntatis incredulæ, quæ sic impotentiâ obtemperandi remunerata fuit, sicut voluntas credendi potestate operandi. Verba ipsius ista sunt: *Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, iam de supplicio veniebat*, videlicet, non de libero voluntatis arbitrio: quia libero suo arbitrio non credendo, tale supplicium promeruerat, ut obduratus obtemperare non posset. Nam hoc est quod per modum probationis adjicit: *Non autem quisquam potest dicere obdurationem illam cordis* IMMERITO *accidisse Pharaoni, sed*

Num. 61.

Ibid.

Ibid.

sed iudicio Dei retribuenti incredulitati eius debitam pœnam, scilicet ut obtemperare non posset, ac nihil aliud nisi malum posset operari; sicut illi qui libero arbitrio credidit, retribuitur ut per gratiam tanquam donum Dei operetur bonum. Nam istam comparationem adijcit quando dicit: *Sicut enim in ijs quos elegit Deus, non opera, sed fides liberi arbitrij inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur; sic & in ijs quos damnat, infidelitas & impietas* liberi arbitrij qua nolunt credere, *inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur.*

Ex quibus patet Augustinum ex illo jam dicto errore suo revocare totam seriem bonorum operum ad fidem tanquam ad meritum liberi arbitrij nostri. Nam uti dixerat: *Liberum arbitrium habet* homo *ut credat liberatori suo.* Et è contrario totam seriem malorum operum, quæ ex obdurationè sequuntur, ad infidelitatem illam primam, qua nolunt credere; tanquam ad meritum liberi arbitrij. Reliqua vero opera sive bona sive mala, non tam vult esse nostra, quam divini *muneris*, & *supplicij*, quo, bona opera, & mala ex promerito divinæ gratiæ beneficio, & obdurationis judicio consequuntur.

Hinc jam elucet verborum illorum intellectus quæ nobis opposita, & jam citatis interta sunt: *Non ergo hoc ill.* Pharaoni *imputatur, quod tunc non obtemperavit quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur prioris infidelitate.* Non vult enim significare quod non fuerit ei imputata tanquam peccatum illa inobedientia, quam in eo gravissimè Scriptura reprehendit; sed quod non fuerit ei imputatum tanquam *liberum*, seu tanquam *meritum liberi arbitrij*, illo libertatis genere, quod liberæ voluntatis motum, nullo supplicio cogente vel gratia dante provocatum sonat. Nam quando gratia vel supplicium facit facere voluntatem, actus qui sequitur non est liber Augustino, illo libertatis genere, nec fit *per liberum arbitrium*, tanquam per id quod impellit & flectit ad velle voluntatem, sed *per gratiam* vel *per supplicium*. Sic enim seipsum statim explicat, quando dicit, quod post fidei meritum, quod est liberi arbitrij, *per munus Dei bene operantur*; & post meritum infidelitatis, quod similiter est liberi arbitrij, *per ipsam pœnam etiam male operantur.* Et rursum, quando dicit, quod *illa misericordia* qua Deus facit bonum operari, *præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati; ut & bona* PER DONVM DEI OPERETVR, *& mala* PER SVPPLICIVM: Neutrum videlicet per liberum arbitrium quod post illud donum Dei & supplicium non est amplius liberum, eo qui jam explicatus est libertatis modo: quamvis liberum ei fuerit, ut sola libertate sua crederet & non crederet, neque gratia donante credendi voluntatem, neque supplicio non credendi. Nam hoc sibi vult illa adversativa, quam statim adijcit: *Cùm tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium sive ad credendum Deo, ut consequatur, nos misericordia, sive ad impietatem*, id est, incredulitatem, *ut consequatur nos supplicium.* Hoc sibi vult & illud quod ante discursus illius inchoationem præmiserat, & refutando falsum esse demonstraverat, quod quidam putarent, *Paulum abstulisse liberum voluntatis arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis*, id est, credulitatis; *vel malo impietatis*, id est, incredulitatis, *offendimus*: hoc est, eum abstulisse libertatem credendi & non credendi. Negat enim hoc exserte, utpote quos ad credendum & non credendum liberum voluntatis arbitrium habere profitetur, non tamen liberum ad bene operandum, quod munus gratiæ omnibus largiri debet, neque semper liberum ad malè operandum quod in quibusdam ad malè operandum ex obdurationis supplicio captivatum est. Hæc meo judicio est vera germanaque loci illius explicatio, principijs Augustini omnibus conformissima; quę quamvis falsa sint & ab ipso retractata, eo quod arbitrium, post peccati originalis infirmitatem, non magis liberum sit ad credendum quam ad operandum, sed utrumque per spiritum fidei & charitatis dari debeat; neque minus prima infidelitas, quàm obduratio ex peccati originalis supplicio consequatur, genuinam tamen Augustiniam sensus expositionem continent. Quâ si quis meliorem invenerit, gratulor, & si eam scire merucro, ex animo gratias agam; dummodo tamen non ex ea confici velit, non imputari obduratis peccata sua, quæ Deo non obtemperando committunt. Hoc enim scio perpetuæ constantique sancti Antistitis doctrinæ repugnare.

Ibid.

CAPVT XVII.

Non frustra dantur præcepta, consilia, exhortationes, correptiones ijs qui gratia sufficiente destituti sunt. Absurdum quod homini post lapsum Deus illam gratiam debeat, & quare.

SED addunt aliud frustra fore præcepta, frustra consilia, frustra exhortationes atque correptiones nisi gratia sufficiens omnibus detur. Nam hujusmodi præcepta, consilia & exhortationes non peccandi & bene vivendi & convertendi sese ad Deum vivum ad omnes pertinent, quibus tamen bene uti nemo sine gratia sufficienti potest. Quis igitur istorum stimulorum usus fuerit, quorum usus non potest sequi?

Respon-

Respondetur præceptum consilium & hujusmodi nihil aliud probant, quam non esse solum Deum aut gratiam quæ operetur. Si enim solus Deus aut gratia operaretur, id quod præcipitur frustra diceret, convertimini, bene vivite, operamini, &c. Significatur igitur esse in homine liberum voluntatis arbitrium, sine quo non possunt ea, ad quæ præcepto, consilio, hortatione, suasione, correptione stimulantur, impleri; qua de re & nos alio in loco quædam diximus quæ videri possunt. Ratio quippe præcepti aut consilij &c. nullo modo inferunt aut supponit id quod proponitur, sola libertate non adjuta posse fieri, vel etiam auxilium quo debet fieri esse in hominis potestate. Itaque nunquam aliud ex præcepto colligit Augustinus, quam id quod præcipitur non fieri sine libero voluntatis arbitrio; seu quod idem est, possibile esse, ut id quod præcipitur, actu liberi arbitrij impleatur. Nam in Epistola ad Valentinum: *Nisi libero arbitrio intelligeremus dictum fuisse nobis, non nobis præciperetur dicente Scriptura: Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, ut intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requiri, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio.* Et in Epistola secunda ad eundem Valentinum scripsit: *Si non esset liberum arbitrium, non diceretur: Rectos cursus fac pedibus tuis.* Et in ipso libro de gratia & libero arbitrio, cum plurima præcepta protulisset: *Innumerabilia*, inquit, *talia quid ostendunt nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ.* Et ibidem superiùs: *Ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens*, hoc est, quo si ea faceret, *ad promissa præmia perveniret.* Et libro primo de nuptijs & concupiscentia: *Unde intelligamus cum hæc præcipiuntur ut fiant, NIHIL ALIUD OSTENDI QUAM INESSE NOBIS OPORTERE ad hæc accipienda & habenda etiam propriam voluntatem.* Quo significat Augustinus nihil aliud præcepto indicari hominì, quam eam cui præcipitur, velle debere, seu adhibere debere, nutum suæ voluntatis, sine qua præceptum fieri nullo pacto potest. Eadem autem & consilij, & admonitionis, & hortationis, & suasionis, & correptionis est ratio. An autem ista per alterius adjutorium debeant, & an illud factio sit, & in hominis potestate, vel non sit, præceptum neque asserit neque negat.

Quapropter quando sanctus Augustinus à Pelagianis eodem præceptorum telo petebatur, ut ea possibilia esse fateretur: fatetur quidem esse possibilia per gratiam Dei, nunquam tamen admittit quod recentiores volunt, illam gratiam semper præsentem esse, sed solum esse possibilia, quia Deus adjuvando hoc facere potest, vel esse possibilia si adsit gratia adjuvantis Dei. Qua de re supra testimonia quædam dedimus, & ex alijs locis non est difficile producere. *Respondemus*, inquit, *vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur, gratia Dei &c.* Quod nihil aliud significat quam præceptum vitandi peccatum posse per liberum arbitrium fieri, si gratiâ adiuvetur. Et de præcepto charitatis implendo loquens, *& tamen vitari*, inquit, *potest* peccatum quod committitur carendo caritate quæ requiritur, *Non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuvatur.* Hoc est, si humilis adjuvatur. Et in Enchiridio ad Laurentium: *Si autem respexerit Deus ut ad implenda quæ mandat adiuvare creatura.* Cujusmodi conditionalibus sæpè utitur ad significandum præcepta ab homine impleri posse, *si Deus per gratiam iuvet.* Et è contrario vicissim sæpè docet, præcepta non nisi transgressionem operari, *si non adiuvet* Deus, qua de re latius supra diximus. Itaque subinde vim præcepti & gratiæ distinctè explicat, & nihil aliud præcepto tribuit quam ut rem per liberum arbitrium fieri oportere demonstret: *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse non servantur; ut intelligamus, quod & nos ea faciamus, & Deum facturum ut illa faciamus.*

Quapropter quamvis homini desit gratia sufficiens, qua præcepta possit implere, non propterea dicendum est, frustra esse præcepta, consilia monitiones; habent enim usum suum non contemnendum, qui propriè signis competit, nempe significandi hominì, quid abeo fieri debeat per propriam voluntatem, ut si forte possit facere quod jubetur; si non possit infirmitatem propria culpa contractam doleat, oretque pro viribus impetrandis.

Itaque prima utilitas quam Augustinus præceptis tribuit, illa est ut sciat homo, quid sibi faciendum sit, neque peccatis suis præterat ignorantiam, dicendo se nescivisse quid à se peteret Deus: *Dominum*, inquit, *offendit non solum à quo malo declinemus & quod bonum faciamus, quod solum potest lege litteræ, verum etiam adiuvat nos ut declinemus a malo & faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ.* Et ne quis eam semper adjuvare arbitretur, salubriter addit: *Quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat.* Et in eodem libro paulo post: *O homo in præceptume cognosce quid debeas habere in correptione, cognosce tuo te vitio non habere.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Nec prædestinationi prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis, & proficiendum ut quod oportet audiant, & quibus datum est ut obediant.* Et interiùs: *Ad divina præcepta injuncta hortati sunt, ut qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent.* Hic est ergo fructus Præcepti, ut homo sciat, quid sibi agendum sit, & quo se debeat voluntas alioquin cæca convertere: fructus Consilij ut sciat, quid ex pluribus præstet eligere: fructus admonitionis, ut quod sciebat recordetur esse faciendum; fructus hortationis, ut sciat, quanti interfit, quam magnum, quam utile, quàm honestum sit facere, quod novit esse faciendum: fructus correptionis, vt quemadmodum dicit Augustinus, *sciat se suo vitio non habere*, hoc est, ut sciat vitium suum esse quod non fecerit.

Secunda utilitas est, ut si homo simul cum præcepto faciendi gratiam acceperit, faciat quod præcipitur, Deoque gratias agat: sin autem

Vide lib. 4. de statu nat. lapsa c. 24.

Epist. 7. ad Valent.

Epist. 2. ad Valent.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.

Lib. de nupt. cap. 3.

Lib. de perf. iust. c. 2.

cap. 6.

In Enchirid. c. 118.

Vide supra.

Lib. de præd. Sanct. cap. 11.

Lib. de Cor. & grat. c. 1.

Lib. de Cor. & grat. c. 5.

Lib. de dono perseu. cap. 14.

Ibid. c. 19.

autem non acceperit, præcepto admonitus sentiat infirmitatem suam, ut illo sensu suæ infirmitatis, velut adjutorio quodam adjutus, ad implorandum adjutorium gratiæ stimuletur. Qua de re superius diximus, cùm de lege tractaremus. Hic unus aut alter sufficiet Augustini locus. Nam inde est illud Augustini: *Ipsa lex in hoc adiutorium data est illis, qui ea legitimè utuntur: ut per illam sciant, vel quid iustitiæ tam acceperint, unde gratiæ agant, vel quid adhuc eis desit quod instanter petant.* Quod inverso modo inferius dicit: *Iubet ideo ut facere iussa conati, & nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere noverimus; & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuvat non simus ingrati. Quia*, ut statim adjicit: *Etsi possit*, acceptâ videlicet jam gratiâ, *antequam petat, quid ei prodest, nisi illi agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est, quod nondum potest?* Et in libro de Correptione & gratia: *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt, sicut agendum est; id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suavitatem quam dedit Dominus* (id est, gratiam) *ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent, accipiant.* Et libro primo contra Iulianum operis imperfecti prestius: *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem*, præcipiendo videlicet, consulendo monendo, hortando corripiendo, *ut quod non habet, & NON POTEST, ADMONITVS SENTIAT, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens postat.* Quid autem hoc sibi velit, quod præcepto admonitus se non posse sentiret, statim explicando subjungit: *Propterea ergo per Prophetam dictum est: SI NOLVERITIS, & non audieritis me, gladius vos comedet; & cetera huiusmodi, ut cum invenissent in se-ipsis victrices cupiditates ad propellendum in malum, scirent a quo deberent poscere auxilium.* Præceptum est enim instar tacitæ cujusdam interrogationis, qua liberum hominis arbitrium quodammodo exploratur, quantis ad faciendum præceptum viribus polleat, quasi homini à Deo diceretur, Tu viribus tuæ voluntatis seu potius vanitatis inflatus, te satis fortem firmumq; putas, ut impleas quod præcipio, dummodo agnoveris voluntatem meam: ecce quod jubeo age, experire vires arbitrij tui. Hoc enim idcirco facit Deus, ut detumescente fastu, gratiæ suffi. entis à se largiendæ capax fiat: *Demonstranda enim fuerat*, inquit Augustinus, *homini sanitas languoris sui, cui contra iniquitatem suam, nec præceptum sanctum & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas quam minuta, quandoquidem lex subintravit ut abundaret delictum, ut eo modo convictus atque confusus, videret non tantum Doctorem sibi necessarium, sed etiam adiutorem Deum.* Et præceptori suo succinens sanctus Prosper: *Nec ob aliud unquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium.* Quam diversa sit ista doctrina, & quam ex diametro repugnans eorum imaginationibus, qui divinæ severitatis & œconomiæ ad perficiendos homines prorsus imperiti, nil nisi gratias sufficientes ubique præsentes imaginantur, ipsa verborum facies per se clamat, & latè suprà demonstravimus & in eodem loco subijcit, cùm statim inter illos ipsos, quibus ista & hujusmodi à Dei ministris generatim dicebantur, dicit: *Plures fuisse quos obduratione & desertione iudicaverat dignos occulto iudicio, iusto tamen.* Et plurimis alijs locis diserte tradit non solùm inculcando, quod *lex ipsa SINE GRATIA NON NISI PRÆVARICATORES faciat*; & quod non solum, *Nemo possit declinare a malo & facere bonum sine spiritu gratiæ*, sed etiam quòd, *si illa desit, ad hoc lex adsit, ut reos faciat & occidat*; imò verò quod *si gratia desit, videamus etiam obesse doctrinam.* Quis ita procax & pervicax esse possit, ut eum qui talia in omnibus libris suis docet, asserat sensisse illam ipsam gratiâ (sine qua legē dicit inflammasse concupiscentiam, prævaricationes, majoresque doctrinæ inimicos effecisse, quatenus per ipsas prævaricationes ad gratiam non solùm habendā, sed vel agnoscendā duceretur) omnibus donatam esse, omnibus affuisse?

Tertia utilitas est, ut non solum sciant tam boni quàm mali quid sibi faciendum sit, sed etiam qui non faciunt, sint inexcusabiles: *Ideò data sunt præcepta, ut homo excusationem de ignorantia non haberet.* Nam idcircò & Christus Dominus de Iudæis dicit: *Si non venissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, illo videlicet, *quo cum audissent eum, non crediderunt in eum*; & ex illi incredulitate crucifixerunt eum. Et Apostolus ad Romanos dicit eos *inexcusabiles* esse quibus manifestata per creaturam veritas innotuerat. *Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione, qua solet dicere humana superbia: si sciissem, fecissem, ideo non feci quia nescivi. Aut si scirem, facerem ideo non facio, quia nescio?* Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Itaq; per præcepti cognitionem fiunt inexcusabiles peccatores, non tam judicio Dei quàm suo. Dei enim judicio etiam illi inexcusabiles sunt, qui legē non auditā ignorando peccarunt. Nam ut idem docet: *Dei iustum iudicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicunque enim sine lege peccaverunt sine lege peribunt.* Cujus divinæ severitatis ratio est, quia & *ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati*, quo tota hominis posteritas inquinata justissimaque cœcitatis pœna punita est. Quapropter præcepti scientia excusationem humanis oculis tollit, ut & ipsi peccantes se inexcusabiles esse videant, dum etiam cognitam legem prævaricantur, quam si scirent, se impleturos esse jactabant: *Ideo autem*, inquit, *divina eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes sed scientes peccant ut secundum iudicium superbiæ suæ, quo maltum confidunt de viribus propriæ voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia iam non habent excusationem, dum non est iustitia*, hoc, est opus justitiæ,

cui præsumebant sufficere voluntatem. Merito quippe se omni excusatione carere sentiunt, qui vident non scientiam, sed solam sibi deesse faciendi voluntatem. Quod si voluntas præ duritia carnalium appetituum, ex quibus omnis inobedientiæ pervicacia proficiscitur, flecti nolit, quis excuset? Quis non vehementer arguendum arbitretur? Tanto quippe culpabilior est, quanto duriore fastu ita noluerit, ut nec potuerit. Quapropter si durissima peccantium voluntas præcepto non corrigatur, non tamen idcirco præceptum inutile censeri debet. Si enim defectu voluntatis non cedit homini in beneficium, nascitur

Quarta utilitas: quia justo Dei judicio vertitur in supplicium. Non enim voluntas superba mediocriter torquetur, quod scientia rerum agendarum instructa, probitatis larvam, quam sibi habere videbatur, sibi detractam proprioque se judicio ream damnatamque videt. Vnde quidam olim *omnibus pœnis*, inquit Augustinus, *quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia quæ vitare non possunt, cogumtur agnoscere.* Itaque de correptione quæ quoddam exhortationis genus est, & similis operationis & efficaciæ ut præceptum alibi dicit: *Patiantur ergo homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem: quia & peccatis iusta pœna debetur,* ET AD IPSAM PERTINET IVSTA CORREPTIO, *quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est, ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet: sit correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet,* SIT CORREPTIO PŒNALE TORMENTVM.

Lib. de Magistro c. 9.

Lib. de Cor. & gr. c. 14

Propter hujusmodi igitur considerationes & causas lex vocata est olim testimonium, ut suprà diximus, non solùm gratiæ implorandæ, sed etiam duritiæ detestandæ quæ nullâ justitiâ excusari potest. Quæ sanè testificatio non est inutilis humano generi aut ipsi Deo, quamvis opere non sequente quòd præcipitur, quodammodò frustra lex præcepisse videatur.

Lib. 1. de gnat. Christi Salvat. c. 12.

Greg. lib. 11 Moral. c. 5.

Vnde sanctus Gregorius: *Plerumque fit ut cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratiâ non repletur, incassum exterius à prædicatore moneatur: quia multum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur.* Et paulò post explicans tamen quomodo non omninò incassum etiam tum loquatur Deus: *Hinc est enim*, inquit, *quod Cain & divina voce admoneri potuit & mutari non potuit; quia exigente culpa malitiæ idem intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Porrò in istis verbis Augustini quæ paulò superius ex capite decimo quarto libri de correptione & gratia citavimus, insinuatur nobis

Quinta præcepti, consilij, exhortationis & correptionis utilitas. Nam quandoquidem ista omnia dirigendæ vel corrigendæ voluntatis adjutoria communia sint reprobis & prædestinatis & eorum discretio nobis prorsus ignota sit, etiamsi nullum omninò eorum quos recensuimus in obduratis hominibus assequerentur fructum, non tamen idcirco frustra adhibita esse censerentur. Prodessent enim ijs quibus Dei gratia ut prosint, facit, quod quia nobis incertum est, omnibus ista adjutoria adhiberi debent: *Nescientes enim*, ut Aug. ait, *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu ut omnes velimus salvos fieri.* Et consequenter admovere omnibus remedia salutis assequendæ generalia. Vnde ibidem: *Sub isto ergò incerto ex charitate adhibenda est* correptio, præceptio, exhortatio, *cuius exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur.* Quod si nec orantem exaudit Deus, inde in electis nascetur

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 16.

Sexta utilitas eaque multiplex, primo quia ex præceptis, consilijs & ceteris quæ plantando & rigando extrinsecus adhibentur, planissimè discent nihil illa proficere correctioni, nisi Deus per gratiam dederit intrinsecus incrementum, juxta illud Augustini: *Spiritus sanctus operatur intrinsecus ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis sive illos, quos istu similimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest hominis omnis prædicatio veritatis.* Vnde illud quod alijs non paucis locis tradit: *Nisi divinæ gratiæ subveniat adjutorium, quid ei prodest copiosum & ornatum cuiuslibet exhortantis eloquium.*

Lib. de Corr. & gr. c. 15.

Lib. 2 ad Bonif. c. 5. init.

Secundo & illud discent quàm cœca, quàm dura, quàm inflexibilis sit voluntas quam Dei gratia deserverit. Ex quo tertiò colligent, quantâ animi submissione divinæ misericordiæ gratias agere debeant, quod eos intus ab illorum societate discreverit, quos frustra foris ijsdem præceptis & consilijs instrui, ijsdem exhortationibus & minis pulsari vident. Sic enim Deus ex vasis iræ *notas facit divitias suas in vasa misericordiæ.* Itaque istud Psalmi tractans, *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*; hoc est, inquit exponendo Augustinus, *quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi demonstravit, circa quos non habuit. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur.* Cùm verò nec illos quòs excœcatos & obduratos & à divina gratia desertos Scriptura testatur, non desinat jubendo, minando, increpando percellere, accusare, redarguere. Hinc quartò dicunt, defectum gratiæ Dei nihil omninò ad innocentiam, sed ad cumulandum potius reatum valere. De quo præclarè sanctus Aug tanquam de re inter antiquos gratiæ patronos indubitatâ: *Quod verò dicit: Et non dedit Dom. Deus vobis: nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet,* NE QVIS-QVAM SE EX HOC EXCVSABILEM PVTET. *Simul enim ostendit sine adjutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non posse oculis cordis & auribus cordis, & tamen si* ADIVTO-

In Psal. 58.

Quæst. 80 sup. Deuteron.

RIVM

RIVM DEI DESIT, NON IDEO ESSE EXCVSABILE HOMINIS VITIVM, *quoniam iudicio Dei quamvis occulta, tamen iusta sunt.* Cujus occultæ radicem justitiæ, ut aliquo modo Scholasticis tantopere de re certissima litigantibus patefaceret, alio in loco non gratiâ sufficientem protulit, qua etjam cœci oculis, & lapidei corde, hoc est, *durissimam* habentes *voluntatem, & adversus Deum omnino inflexibilem*, intelligere & obedire possint. Hæc enim nihil occultæ justitiæ Dei continet, sed potius apertissimam hominis consentire renuentis, injustitiam probat; & non solum supra citatis verbis ejus ex Deuteronomio, sed etiam toti doctrinæ Augustinianæ moli refragatur: sed illam affert occultæ justitiæ rationem, quam suprà dedimus, quia scit Deus, *se fecisse hominem rectum ab initio creaturæ*: scit Deus, eum *à rectitudine, sua malâ voluntate decidisse, pravumque effectum esse*: scit Deus, *solâ hominis voluntate factum esse ut ad istam necessitatem veniret, quam sola voluntate superare non potest*: scit Deus esse *justissimam peccati pœnam*, quamvis carnalium oculis mira videatur, *ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet.* Et quid tandem istud est? *Id est autem ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit.* Ecce excæcatio: *Et qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit.* Ecce obduratio & utrumque divinæ gratiæ derelictio qua deserti peccatores, non possunt non esse cœci corde, durissimi & inflexibiles voluntate. Hæc igitur primi hominis absque vitio conditi & ejusdem culpa propria depravati consideratio, præclarissima illa verba peperit, quibus rationalis creatura stans, à labente discernitur, eademque Dei justitia in danda negandaque sufficienti gratiâ aperitur: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sunt, defuisset quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio* POSSET MANERE SI VELLET, *non utique sua culpa cecidisset, Adjutorium quippe defuisset*, SINE QVO MANERE NON POSSET. *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, iam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

Quapropter cùm sanctus Augustinus (quem Prosper Fulgentius, & quotquot antiquitus germani gratuitæ gratiæ defensores fuerunt, magno consensu secuti sunt) nunquam dubitaverit, quin peccatores justissimè à divino adjutorio deserantur, desertique intelligere & obedire non possint, nec ideo excusabile sit hominis vitium, quod non intelligendo, vel non obediendo committit, magnopere mirari soleo, quid sibi Scholastici velint, quod tam intrepide assumunt, Deum debere homini conferre gratiam sufficientem, eamque auferre non posse, eo quod alioquin homo alteri, hoc est, Deo tribuere posset inobedientiam suam, qui adjutorium ei necessarium denegasset. Nec enim satis videntur modum advertere quo Deus peccatoribus gratiam sufficientem negat. Non enim hoc ita fit, quasi Deus debitum aliquid auferret, sed quia negat indebitum, nec illud quidem quod ante peccatum conferebat, & naturæ rationali ad diligendum Deum eoque fruendum conditæ, quodammodo connaturale erat, sed aliud alterius generis, quo natura perdita reparetur. Nam illud primum integri hominis adjutorium, jam post inflictum peccati vulnus insufficiens factum est, non propter auxiliantis gratiæ mutationem aut substractionem, sed propter naturæ læsionem, quæ non potest amplius illa gratia etjam præsente adjuvanteque bonum facere quod ante fecit, nec bonum velle quod voluit. Malum enim volendo, boni volendi languorem sibi contraxit, qui concupiscentia seu creatarum rerum dilectio nunc *lib. de perf. inst. cap 6.* *nec est aliud*, ut Augustinus ait, quam *desiderium peccati*. Est itaque languor ille quoddam genus voluntatis, quæ libentissimè pertinacissimèque malum, hoc est, res creatas diligit, nec bonum quod est Deus diligi sinit, nec aliter potest nisi bonum diligendo exui atque superari. Ex quo efficitur ut tale gratiæ adjutorium jam necessarium sit, quo renisus voluntatis oppositæ superetur, & ipsum bene velle tribuatur, quod per priorem illam gratiam nequaquam restitui potest. Dicatur itaque tolerabiliter quod Deus homini, ut primum sine vitio creatus fuit sufficiens deberet adjutorium, aut alioquin sine culpa cecidisset. Sed postquam seipsum impotentem fecit, non gratiæ diminutione, sed naturæ violatione nec amplius Deo, etiam idem auxilium largiente, idem jam læsa voluntate potest, quod illæsa potuit. Quis ferat ut Deus homini sufficientem volendi boni faciendique gratiam debere dicatur? Hoc enim nihil est aliud dicere, quam quod Deus debeat homini peccatori, non solum eandem illam gratiam suppeditare quam ante peccatum contulit, sed etjam naturæ lapsæ vires quibus concupiscentiam malæ voluntatis comitem superet, restituere, vulnus inflictum tollere, bonam voluntatem reddere, atque ut velit & faciat, operari; aut certè nisi tanta indebita beneficia peccatori largiatur Deus, quocunque sese mala damnataque verterit, per omne libidinum genus sine culpa rapiendam? Non enim, ut dixi, ullo modo sufficit prior gratia, quam ante peccatum Deus homini conferebat, & etjamnum omnibus conferre paratus est si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret; sed alia redemptionis gratia lapsis viribus propria impartienda est, quæ nisi ipsum bonum velle recudat & facere, propter innærentem mali semel suscepti voluntatem, peccator amissum bonum velle non potest. Quòd si Scholastici falsissimum, absurdissimum, & impiissimum, & Christianæ fidei contrarium esse concedant, quid aliud consequetur quam peccatorem sibi magnum privilegium peccando meruisse, ut qui ante peccatum culpabiliter diligebat & faciebat malum, post peccatum Deo idem auxilium conferente, sine culpa per scelera, facinoraque volutetur, eoque minus peccet quo malum ardentius ac tenacius

diligat? Nisi fortè per aliud præcipitium evadere velint, ut dicant, Deum commisso jam peccato, leges suas æternas de diligendo & faciendo bono, cavendoque malo abrogare debuisse, ne fortè eadem prævaricatoribus, quæ innocentibus præcipiendo, jam impossibilia jubere, tyrannicâ crudelitate censeretur. Quod si tales imaginationes suâ se satis absurditate refellendo interimant, agnoscant atque fateantur, posse Deum idipsum homini post peccatum æternâ suâ lege jubere, quod ante peccatum jusserat; quamvis ei jam propria culpa factum sit impossibile; nec teneri ipsi conferre magnum illud redemptionis adjutorium, quod hominem nolentem velle facit & facere, quamvis propter contractam voluntatis ægritudinem, nullum aliud jam sufficiens sit; nec peccatorem jam sine culpa peccaturum, quamvis sine illo magno adjutorio peccatum jam vitare propriâ & culpabili volendi infirmitate non possit.

Quapropter non est illusoria quoque Dei vocatio, & admonitio, & increpatio, & correptio, quam peccatoribus vel per seipsum, vel per Prophetas suos, vel per visibilem cœli terræque machinam, divinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatisque testimonijs plenam adhibet. Tribuit enim quidquid creaturæ rationali à se conditæ ad audiendam sequendamque vocem suam necessarium fuit. Quod si ipsa merito propriæ iniquitatis obduruit, & ita pervicaciter in rebelli voluntate persistat, ut reverti nolit, nisi alio potentiori auxilio ipsum velle tribuatur, quis nisi imperitus atque impius dicat, Deum vocando, monendo, corripiendo illudere peccatoribus? Culpa enim ipsorum est, qui in suscepta semel voluntate malâ, durissimè permanent; quòd admonitiones suo effectu carent.

CAPVT XVIII.

Solvuntur quædam Scripturæ loca, quæ pro asserenda gratia sufficienti proferuntur, ut, *Quid debui vltra facere vineæ meæ &c.* Et, *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.*

EX his etiam non est difficile quædam Scripturæ loca exponere, quibus nonnulli istam perpetuam gratiæ sufficientis assistentiam probari putant. In quibus istud primum est, quod Deus apud Isaiam dicit: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei?* Vbi in primis miror quo judicio locus iste ad hoc propositum adducatur. An fortè. Vt gratiam novi Testamenti, sine qua nullus Deo credere, à peccato resurgere, divinisque mandatis de Deo diligendo, beneque vivendo obtemperare potest, peccatoribus etiam debitam esse probent? Si enim non est debita sed gratuita, & absque injustitia negari potest, ut quid urgentur verba, quibus Deus per Prophetam clamat: *Quid debui ultra facere vineæ meæ?* Si enim hoc rectè urgetur, manifestum est Incarnationis gratiam per quam à lapsu suo resurgere possint, peccatoribus esse debitam; nec potuisse Deum humanum genus sub propria iniquitate derelinquere, vel derelictum de duritia iniquæ voluntatis increpare, quam sibi male volendo pepererat. Nam secundum Doctorum istorum intelligentiam. Deo timendum erit, ne respondeant; Quid nos objurgas, qui pro nobis noluisti mori, ut nobis gratia bonæ voluntatis, quam abjecimus, redderetur? Quod si stultum est cogitare vel dicere, agnoscant non sapienter pro gratia peccatoribus asserenda illa verba proferri, *Quid debui facere vineæ meæ?* Attendantque verissimè profundissimèque dixisse Augustinum; *Primam esse causam cur obturgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua malâ voluntate decidens, pravus effectus est.* Non enim defectus vel subtractio gratiæ, quam homini recto Deus tribuebat, non difficultas interna præceptorum, non operum supernaturalitas, extra ordinem requisita, sed sola pravitas illa voluntatis vera causa est, cur homo præcipienti Deo obtemperare non possit. Hæc enim efficit ut quamdiu non redditur homini voluntas bona, quam petulanter abjecit, quæque sine maxima & gratuita gratia reddi nequit, illa eadem pristina gratia etiam præsente, præcepta sint ei difficilia naturamque corruptam superent, ita ut ea velle & implere non possit. Duritia quippe, hoc est constantia seu pervicacia susceptæ pravitatis, malæque voluntatis facit, ut præ dulcedine mortifera qua perfunditur, eam in bonum retorquere non velit, aut non ita velit ut possit. Quod tantum abest ut excuset peccatoris voluntatem, ut majori potius objurgatione & increpatione & pœna dignam esse convincat.

Isaiæ 5.

Lib. de Corrept. & grat. cap. 6.

Adferunt & illum locum sancti Ioannis: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et rursum: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum.* Ex his inquiunt & similibus locis colligitur, homines accusari non potuisse de peccato, si à Deo non habuissent auxilia quæ ad operandum sufficerent.

Ioan. 15.

Prosper lib. 3. de vocat. gent. c. 6.

Sed

Sed respondetur loca ista obtorto collo ad sufficientiam gratiæ significandam trahi. Sensus plenissimus est, quem diversis occasionibus Augustinus indicavit, excusabiles fuisse futuros Iudæos à peccato, non quolibet, sed isto magno quo Christo præsenti & loquenti & miracula facienti non crediderunt, eumque ex tali incredulitate peremerunt. Excusasset enim eos ignorantia, quemadmodum & in hodiernum usque diem ab incredulitatis peccato excusat eos, qui nihil de Christi doctrina & miraculis perceperunt. De hoc loco, id est, de hac peccati excusatione differentem audiamus: *Non utique*, inquit, *peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magno multisque peccatis: sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo, cum audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere, Non audivimus, ideo non credidimus. Humana quippe superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat, secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit Scriptura divina, quoscunque scientes peccare convincit.* Et in libris ad Bonifacium eodem allegato Ioannis loco, quo peccatum non habituri esse dicuntur: *Non enim*, inquit, *peccatum antea non habebant: sed ipsam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt.* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *De quo peccato dicit, nisi de illo magno quod præsciebat eorum futurum quando ista dicebat, id est, quo eum fuerunt occisuri.* Ex illa infidelitate, qua præsenti non crediderunt: Et paulo post: *Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: si scissem fecissem, ideo non feci quia nescivi. Aut si scirem facerem ideo non facio quia nescio.* Et in Tractatu centesimo nono in Ioannem, illi locum expressio explicat: *Quid est ergo: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent? Numquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissime dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem quia non crediderunt in Christum qui propterea venit, ut credatur in eum. Hoc peccatum si non venisset, non utique haberent.* Et simili modo statim adjecit & illas gentes ad quas non venit, sive per seipsum sive in Discipulis Christus, hoc est, quibus nullo modo prædicatus est Christus, *excusationem habere de peccato; non de omni*, inquit, *peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt; ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Sed non in eo sunt numero, si ad quos in Discipulis venit, & quibus per discipulos est locutus. Ex qua sanè doctrina manavit illa Scholasticorum regula, qua dicunt. Infidelitatem purè negativam non esse peccatum.

Hæc sanè perspicuè demonstrant locum istum Ioannis, qui objicitur, nihil omnino ad propositum facere. Quod si forte velint à simili arguere, quod, si ignorantia excusat, & impotentiam excusare debere. Respondetur, impotentiam quæ ex culpabili defectu gratiæ proficiscitur, etiam esse culpabilem, sicut & ignorantiam quæ ex culpabili defectu cognitionis. Nam hinc oritur quod juxta constantissimam Augustini & Ecclesiæ doctrinam, etiam illa vera peccata sunt, quæ ex ignorantia legis naturalis, sive jam illa facta sit homini vincibilis, sive invincibilis, proficiscuntur, prout alibi fusissimè ex ipsdem Augustini & Ecclesiæ principijs declaravimus. Quod si ignorantia vel impotentia non sit culpabilis, quod ex eis nascitur desinet esse peccatum. Talis est enim illa ignorantia, qua quis non credit Christo, de quo nihil audivit. Talis & impotentia si homini primo sufficiens adjutorium defuisset, sine quo permanere non posset. Nam utraque tam ignorantia quam impotentia talis, à libera Dei pependisset voluntate, utpote cujus neque consilium scire per seipsam creatura rationalis potest, nisi reveletur, neque adjutorium sine quo nihil potest, sibi dare nisi ejus bonitate tribuatur. Nunc autem quod homo naturalis legis ignarus, & cœcus, & carnis; hoc est, carnalium rerum cupiditati subditus nascitur, ex quibus fit ut neque quid agendum sit videat, neque quod agendum videt velit aut possit implere, pœna peccati est; nec ita pœna quasi adjutorium, quod ei antea largiebatur Deus, subtrahendo tolleretur, sed quia potentius crucis & mortis Christi adjutorium, quod ei nunc post vulnera necessarium est, justissimâ æquitate non datur. Nam illud pristinum primævæ integritatis auxilium, quo veritatem agendorum cernere, & agenda implere sufficiebat, quantumlibet nunc fractis viribus abundaret & superflueret, nullo pacto ad faciendam justitiam sufficeret aut congrueret; sed potentissima illa sanguinis Christi & redemptionis medicina, quæ vulnerato quantoque sola sufficit, necessaria est, quemadmodum latius alibi discrimus. Ut sanè nihil mihi absurdius, & à Christiana regula alienius dici posse videatur, quam quod Deus hominibus etiam peccatoribus sufficiens adjutorium dare teneatur, aut nisi dederit, peccando jam esse excusabilem peccatorem, aut Deum leges suas quas ei integro dedit debere temperare aut abrogare.

CAPVT XIX

Quomodo Deus neminem deserit nisi deseratur.

OBIICI & illud solet, qúod Deus *non deserat si non deseratur*. Ergo nemini denegat auxilium sufficiens si non ante desertus fuerit. Respondetur sententiam illam haberi in Concilio Tridentino & ex divo Augustino desumptam esse. Tam verò Tridentinum quàm Augustinus perspicuè indicant se sic illam intelligere, quod Deus neminem deserit ab eo discedendo, ipsâ scilicet subtractione justitiæ, nisi homo prius Deum per inobedientiam deserat. Quod ex diversis Augustini locis, ubi illam sententiam vel fundamentum ejus tangit, evidenter liquet. Nam Augustinus in illo ipso loco ponit hanc differentiam inter animæ nostræ medicum Deum, & inter medicum corporum; quod medicus corporum *cùm sanaverit hominem*, ABSCEDIT AB EO, AC DEO DIMITTIT: cùm verò *Deus*, inquit, *spiritaliter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium*, NON DESERIT SI NON DESERATVR, *ut piè semper justèque vivatur*; Hoc est, non discedit ab eo quem justificat, sicut medicus corporum, sed manet in eo, quia ipsemet est vita ejus, sine qua impossibile est animam esse justam aut vivam. Hunc esse genuinum Augustini sensum, tum per se-ipsum liquet, tum ipse perspicuè in alijs declarat locis, ubi easdem corporalis & spiritalis medici corporaliter & spiritaliter vivificantis comparationes adhibet. Nam libro octavo de Genesi ad litteram fusè similiter tradit, non sic hominem à Deo justum & sapientem fieri, *ut cùm ab eo* FACTVS FVERIT IVSTVS ABSCEDAT, *sicut à corporis medico* SANATVR ET ABIIT. *Non ita*, inquit, *Deus operatur hominem iustum, id est iustificando eum, ut si* ABSCESSERIT *maneat in absente quod fecit: sed potius sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo à Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.* Et in Psalmum septuagesimum radicem diversitatis istius detegit, nempe quia medicus corporum non est ipsa vita & sanitas corporum, Deus est autem ipsa vita animæ. Vnde ut corpus vivat, non est necesse, ut medicus ejus præsto maneat, aut ut corpus eo discedente moriatur, quemadmodum necesse est ut anima moriatur discedente Deo. Et ideo nunquam deserit, nisi hominis aversione deseratur: *Qui suscitat mortuum*, inquit, *secundum corpus reddit eum luci huic videndæ, & huic aëri ducendo: non autem suscitator eius ipse illi lux & aër est. Incipit videre quemadmodum videbat antea. Anima non sic exsuscitatur. Anima enim exsuscitatur à Deo, quanquam & corpus exsuscitetur à Deo. Sed Deus quando exsuscitat corpus mundo reddit. Si recedat aër mundi istius, moritur corpus: si recedat Deus moritur anima. Cum ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat & dimittit ut vivat sibi, sicut Lazarus quando resuscitatus est &c. Resuscitatus est est Domino præsente, sed vixit & Domino absente &c. Discesserit de ipsa civitate Dominus, vel de illo loco, numquid Lazarus non vixit? Non sic anima suscitatur. Suscitat illam Deus; moritur si discesserit Deus. Dicam enim audacter fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt: una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus, sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est enim gratia eius, ut resuscitet, & sit nobiscum.* Vides hic easdem comparationes, quod videlicet medicus vel suscitator corporum deserit suscitatum, suscitator animæ non deserit, quia cùm sit ipsa vita & lux ejus, mox iterum moreretur. Secundum hunc igitur deserendi modum, Deus neminem deserit, nisi prius deseratur. Itaque tractans illum locum Geneseos: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris*, &c. quæ ibi mors intelligatur exponens: *Si eam*, inquit, *solam intelligamus, qua fit cum anima deseritur suâ vitâ, quod illi Deus est* (NON ENIM DESERTA EST VT DESERERET, SED VT DESERERETVR DESERVIT) *tanquam diceret quâ die me deseruerit per inobedientiam deseram vos per iustitiam &c.* Vbi declarat per exemplum Adami quomodo Deus non deserat nisi ante deseratur. Nempe quia non discedit ab anima Deus tanquam vita ejus, nisi ipsa peccando discesserit. Sic enim statim Adamo peccante & pudenda tegente, *sensa est*, inquit, *mors una, in qua deseruit animam Deus.* Et alibi cùm explicuisset ita Deũ esse vitam animæ quâ ipsa vivit, sicut anima corporis vita est, & si corpus læthaliter percutiatur, anima deserat corpus suum, adijcit: *Non times Deum dicentem tibi:* PECCAS ET DIMITTOTE? Peccatum est enim velut læthalis ictus, quo vita animæ Deus pellitur. Sicut ergo perspicuum est, Augustinum ita suam sententiam intelligere, ita etiam Concilium Tridentinum. Agebat enim de justificatis, quos tradit propterea non desinere esse justos, quia subinde venialiter peccant, sed è contrario, hoc ipso magis esse obligatos ad ambulandum in via justitiæ, quo liberati à peccato sobriè, justè, & piè viventes proficere possint per IESVM Christum, *per quem accessum*, inquit, *habuerunt in gratiã istam*, videlicet liberationis à peccato & justificationis: & statim adijcit: *Deus namque suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Per hoc probans id quod præcesserat, *eos propterea non desinere esse iustos*, quod quotidie peccata

Trid. Sess. 6. cap. 11. Aug. lib. de nat. & grat. c. 26.

Loco citato.

Lib. 8. de gen. ad lit. cap. 12.

In Psal. 70. Conc. 2.

Cap. 2.

Lib. 13. de Civit. c. 13.

Ibid.

Lib. 18. de verb. Apost. cap. 6.

Sess. 6. c. 11.

peccata committant venialia, quia Deus non abscedit ab anima per gratiam suam justificata, nisi anima eum ante mortaliter peccando deseruerit.

Hunc ergo verum sensum esse Concilij, maximèque sancti Augustini, ex quo phrasis ista & verba derivata sunt, facilè judicabit quisquis consideraverit, eum hoc loquendi modo significare voluisse differentiam, quæ est inter Deum bonum animæ nostræ, & inter alia creata bona, quæ ab hominibus diligi solent. Nam ista creata bona hujusmodi sunt, ut quantumlibet ea vehementi amaveris voluntate, & retinere volueris, invitissimos sæpè deserant; Deus vero tale bonum est, ut invitum nullo modo deserturus sit; non enim deserit hominem nisi ipse ab homine prius propria voluntate deseratur: *Hoc est, bonum*, inquit, *quod non potes invitus amittere. Potes enim aurum perdere* B *& nolens; potes domum; potes honores, potes ipsam earum salutem bonũ vero quo vere bonus es nec invitus accipis nec invitus amittis.* Et in libris confessionum suarum cum late describeret dolorem suum quo cruciabatur, quando morte amicum rapiente, ab eo destitutus fuerat, Deum alloquens: *Te*, inquit, NEMO AMITTIT *nisi qui* DIMITTIT. Hoc est tu non deseris quemquam, nisi te voluntate sua deseruerit. Et evidentius adhuc paulo pòst: *Verbum ipsum* (Deus) *clamat ut redeas* ad se, *& ibi est locus quietis imperturbabilis* VBI NON DESERITVR AMOR, *si ipse non deserat.* Hoc est ubi amor amantis non deseritur ab objecto quod amat, nisi ipse amor mutetur, ut propria voluntate Deum amatum deserat. Ecce hanc ipsam sententiam bis tervè clare repetitam eo sensu à sancto Augustino, quem tetigimus. Nempe discrimen inter Deum & bona creata statuit; quod hæc deserant amantem discedantque quamvis nolit, C ille neminem amantem deserat, nisi ultro velit, imo nisi ultro discedat unde statim nullis verbis interjectis adjicit: *Ecce illa* (creata) *discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus conflet infima universitas*, quia modulus eorum est, quemadmodum ibidem docet, ut oriantur & occidant, & quanto magis crescunt ut sint, eo magis festinant, ut non sint. Sic ergo ut infima constet universitas, quæ omnia complecti debet, necessarium est ut nos tila deserant, quantumlibet ea nobiscum permanere desideremus. Deus autem non sit, quia nusquam discedit: ex quo etjam fit ut neminem deserat, nisi ab ipso ante mala voluntate deseratur. Iste verus & genuinus est sensus istius locutionis quam Augustinus vel expressis verbis vel tacitis non semel & ex ipso discipuli ejus & Synodus Tridentina usurpavit.

Nam si desertionem Dei, quæ fit actualis gratiæ subtractione, spectare voluerimus, nimis enormiter ab Augustini mente discedunt, D qui ei istud paradoxum, & quidem postquam per Adami lapsum, in statum damnationis & iræ Dei, præcipitati sumus, imponere volunt. Tota quippe mole doctrinæ hoc agit, Deum adjuvare, & non adjuvare hominem, hoc vel illo modo, plus aut minus deserere aut non deserere, prout ei visum fuerit, quia spiritus ubi vult spirat. Qua de re multa in superioribus dicta sunt. Nihil enim celebrius in Augustino quam quosdam à divino adjutorio deseri etjam justos ex occultis judicijs Dei. Nam ad quid quæso fideles omnes tanta instantia orant Deum, ne inferantur in tentationem, hoc est, ne deserantur adjutorio ejus, si nemini justo accidit, ut Dei adjutorio deseratur? Stultum est enim orare ne eveniat quod nunquam evenit; sicut stultum esset orare ne Christus nos in hostia consecrata deserat, quam nunquam deserit. Hinc Augustinus explicans vim istius orationis: *Vt non consentiamus* (concupiscentiæ) *deprecamur adiutorium dicentes: Et ne nos inferas &c. ut si forte tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possimus vincere ne abstrahamur illecti.* Et sermone nono de diversis: *In illa tentatione qua quisque decipitur, & seducitur, neminem tentat Deus, sed plane iudicio suo alto & occulto quosdam deserit. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversus se luctatorem, sed continuo illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus, ne nos inferas in tentationem,* De qua desertione superius. *Lib. 2. de pec. merit. c. 4.* *Serm. 9. de diverſ c. 9.*

Sed hoc est quod hac de re, non ut oportet, cogitantes fallit homines, & admirari quodammodo facit severitatem Dei. Non enim animadvertunt, gratiam Christi medicinalem quæ post humanæ naturæ lapsum ad bene vivendum sufficit, non esse talem qualem primi hominis fuit; quæ videlicet afferret quandam bene vivendi potestatem, qua tamen per solum nutum voluntatis liberum, nulla concupiscentiali repugnantia præpeditum, uteretur aut non uteretur ut vellet; sed esse talem, quæ quando datur, ipsum velle & operari tribuit, non amplius quasi nutum voluntatis expectando sed ipsum invictè largiendo. Non est enim amplius adjutorium, *sine quo non* possumus velle vel operari, sed *quo* volumus & *quo* operamur; hoc est, ut Augustini phrasi utar, non solum ut sine isto dono volentes & operantes esse non possint, verum etjam ut per hoc donum non nisi volentes & operantes sint. Hanc Augustini doctrinam si recte apprehenderent, statim cernerent, nihil absurdi esse, si talis gratia sufficiens non detur justis, sed potius perquam absurdum esse si omnibus detur, multoque absurdius (ut quidam ex ipsis putant) quod omnibus etjam debeatur. Hoc enim nihil est aliud, quam omnibus quibus Deus justitiam dedit, perseverantiam simul esse conferendam. Non cogitant etjam, ad hoc ut infidelis peccet, aut fidelis ex justitia cadat, nullo modo Dei gratiam in statu naturæ lapsæ esse necessariam, multoque minùs debitam, ut impediatur casus ejus. Quæ quia alio loco latiùs dicta sunt, non est repetitioni cum tædio lectoris immorandum.

CAPVT XX.

Exponitur locus Apostoli: *Deus omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

Ad Timoth. 2

SED omissis alijs authoritatibus Scripturarum tanquam quæ non magni momenti sint, præcipue locus Apostoli ex Epistola prima ad Timotheum urgeri
1. Timoth. 2. solet, ubi dicitur quod Deus *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nam istum locum de omnibus omnino intelligi volunt, ex duplici probatione. Prima, quia ut ait Apostolus, *unus est Deus*, videlicet, omnium; quo nomine cura & providentia paterna in omnes significatur. Secunda, quia *unus mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; quo videtur indicari sufficiens auxilium omnibus esse præparatum. Quomodo enim, inquiunt est omnium redemptor, si non impetravit omnibus auxilium quo possint liberari?

Quod si ab auctoribus istis quæratur, quomodo ergo non omnes salvi fiunt, si Deus velit omnes salvos fieri, cum ejus omnipotentissimæ voluntati nihil resistere possit? Respondent, Deum omnes velle salvos fieri, [a] *si & ipsi homines velint*, hoc est, *si divinæ gratiæ cooperari velint.* Dicunt enim divinam istam voluntatem [b] *includere conditionem in obiecto* quia salvare vult hominem, *si homo velit.* Quod [c] idem & alij dicere solent, Deum omnes nomines velle salvos fieri, *quantum in ipso est.* Cùm enim gratiæ efficaciam in actu secundo à libero arbitrio, seu à voluntatis consensione pendere sentiant, nihil mirum est, si homo consentire nolit, hominem non fieri salvum, quamvis Deus eum, quantum in ipso est, salvum fieri velit.

a *Vta Bellar. lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 5.*
b *Suarez lib. 4 de prædest. cap. 2. n. 11*
c *Ibid. n. 5. &c. 1. n. 4. Item Lessius lib. de prædest. & reprob Sect. 6. n. 66. & alij communiter.*

Sed contra istam istius Apostolici loci explicationem multa dici possunt quibus protetur eam non esse genuinam, imo contrariam divinæ gratiæ sinceritati. Nam primo, quod non exiguum isti interpretationi præjudicium facit, sic explicuerunt eum hostes gratiæ Pelagiani & Semi-Pelagiani. Fons enim erroris istius Pelagius, in commentario Epistolæ istius ad Timotheum explicat, Deum velle omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, *si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint.* Et Ambrosiaster, seu commentator in Epistolas Pauli, qui nomine Ambrosij circumfertur, & hæresi Pelagiana undique refertus est: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint.* Et Iulianus eundem sensum non obscure tangit, quando adversus Augustinum dicit: *Ab eo pulsantibus aperiri qui omnes homines vult salvos fieri & in agnitionem veritatis venire.* Indicat enim idcirco voluntatem illam Dei effectu suo destitui, quia deest conditio quæ ab hominis libera voluntate suspenditur, ut videlicet & ipse velit, petendo, quærendo, pulsando quod in ipsius positum est potestate. Sic enim exponit ejus verba sanctus Augustinus; *ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere cum Deus velit dare, nolunt quærere cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare cum Deus velit aperire.* Eodem modo exposuerunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium & Faustus Regiensis, ut alibi demonstravimus, & ipse sanctus Augustinus, quando in Semi-Pelagianorum errore fuit. Nam ex isto errore loquitur, quando jam correctus ex objicientis ac disputantis persona dicit: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis auferat liberum arbitrium &c.* Quod non aliud est quam si diceret vult omnes salvos fieri, si tamen ipsi suo arbitrio velint. De quo loco ex errantium sententia prolato superius plura diximus. Hoc est igitur primum expositionis istius non leve præjudicium quod omnibus de gratia errantibus placeat. Hoc ipso namque quo divinæ operationis efficaciam ab ab humana voluntate suspendunt, id est, hoc ipso quo gratiam Christi volunt non esse *quo fit*, opus, sed *sine quo non fit*; in illam expositionem coguntur incidere, ut Deus *quantum in ipso est* omnium salutem velit & operetur, salutis tamen effectus homine dissentiente non sequatur. Quam propterea phrasim etiam Vitalis Carthaginensis cum Semi-Pelagiano errore teneretur, caute usurpavit, & diligenter expressit: *Operatur quippe ille*, QVANTVM IN IPSO EST *ut velimus, cum nobis nota fiunt eius elogia: sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio eius nihil in nobis proficit; efficimus.*

In illum locum.

Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.

Vide lib. 2. hæres. Pelag. c. 2. & 3.

Lib. de spirit. & litt. c. 33.

Vide supra lib. præced. cap. 30

Apud Augustin. Epist. 107.

Secundum ejus præjudicium est, quod omnes antiqui & genuini defensores gratiæ illam expositionem tanquam dissonantem à veritate reprobarunt. Inter quos primus est Sanctus Augustinus, qui nunquam illam nisi quando Semi-Pelagiano errore fallebatur, admittere voluit. Hinc eam ex professo impugnat in libro quarto contra Iulianum, in Enchiridio ad Laurentium, & in præfata Epistola ad Vitalem, ubi dicit eos qui hoc tam generaliter de omnibus exponunt, *Non intelligere omnino quea locutione sit dictum, quod Deus omnes vult salvos fieri.* Secundus est Prosper divinæ gratiæ patronus integerrimus: *Et ubi est illud quod nobis quasi contrarium* A NON INTELLIGENTI- BVS *semper opponitur quod Deus omnes homines velit salvos fieri? &c.* Ecce audis, non intelligentes, qui locum in ista quæ per liberum arbitrium cõtrahitur, generalitate premunt. Tertius est sanctus Fulgentius Prospero & Augustino consentiens: *Illud vero Apostolicum ubi & gratia dicitur:*

Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.

Epist. 107.

Prosper in Epist. ad Rufin.

Fulgent. in lib. de fide, ad Petr. cap. 19

dicitur: *Qui vult omnes homines &c. non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimãt.* Omnes tres uno consensu profitentur, eos non intelligere Scripturam, qui illam salvandi voluntatem indifferenter ad universos, sine exceptione protendunt. Vt sanè mirum sit, recentiores tam pervicaciter tres istos præcipuos gratiæ defensores abijcere tantumque non condemnare & eorum sententiæ opinionem errantium anteferre. Quod enim existimant Augustinum tandem expositionem eorum in libro de Spiritu & littera amplexum esse, jam supra diversis locis eos fallì, & objectionem Pelagianam pro solutione arripuisse, demonstravimus. Prosper quoque nunquam eorum opinionem, ne quidem in libris de vocatione gentium docuit, ut fusius alibi quoque declaratum est.

Tertium istius expositionis præjudicium est, quod ejus falsitas gravibus argumentis refelli potest, & passim ab Augustino refellatur. Primò quidem, quia illa ipsa conditio quam adijciunt, *si homines velint aut consentiant*, non minus pendet à voluntate Dei quam ipsa salus. Non enim potest ab humana voluntate præstari, nisi divina voluntate præstetur, hoc est, nisi à Deo detur, ut velint, ut gratiam acceptent, ut consentiant. Vnde illud Augustini: *Qui tam mirantur voluntatis arbitrio nisi eo volente ac subveniente a quo præparatur*, hoc est, datur *voluntas, velle non possunt.* Vnde alibi similem expugnans conditionem, quam Pelagiani divinæ gratiæ operationibus adijciebant: *Quare, inquiunt, non omnes docet? Si dixerimus quia nolunt discere, quos non docet, respondebitur nobis, & ubi est quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid erat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? &c. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus operetur in illis & velle?* Cùm igitur ista conditio, propter cujus defectum non omnes salvi fiunt, Deo miserente dari debeat, frustra dicitur, Deum omnes omnino velle salvos fieri, si ipsi velint, si ipsi consentiant, si ipsi divinæ gratiæ cooperentur.

Deinde ista expositio refellitur, ex causa parvulorum qui sine baptismo, & consequenter sine salute & veritatis agnitione moriuntur. Constat enim eos per ætatem velle aut consentire non posse, quibus tamen non providet de baptismo, sine quo salvi fieri nequeunt. Quod argumentum sæpius adversus istam loci Apostolici explicationem Augustinus urget: *Sed hunc sensum vestrum*, ait aduersus Pelagianos, *infantes illi ipsa sua taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; imò etiam cum baptizantur reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen, & inveniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei ubi sit eis æternitatis salus, & agnitio veritatis, longe plurib⁹ infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest, volui & noluisti: quia si voluisset, quis eorum qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati eius omnipotentissimæ restitisset.* Et paulo pòst: *Si Deus omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt: cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi est certa agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, ut non pertineant quod dictum est, omnes homines? Aut aliquis potest dicere; Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle seu nolle ista noverunt?* Et in Enchiridio ad Laurentium id ipsum argumentum premit: *Quando quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est, velle seu nolle.* Ex quo constat Augustini judicio prorsus falsam esse in parvulis istam recentiorum expositionem, qua dicunt, Deum omnes homines velle salvos fieri, si homines velint; cum isti parvuli qui non salvantur, homines sint, nec Deo volenti salvos facere propriæ voluntatis arbitrio reluctentur, utpote qua prorsus carent. Caret ergo Deus illa salvandi cunctos parvulos voluntate.

In Enchirid. cap 97.

Hæc igitur considerans Augustinus, non solum negat habere Deum istam omnium parvulorum salvandorum voluntatem, sed etiam sæpius exsertis verbis docet, hominibus volentibus quosdam parvulos salvos facere, nolle Deum ut salvi fiant, quos justo judicio à regni sui felicitate secluſit: *Et quod multo est mirabilius*, inquit, *aliquando adoptat in filium quem formavit in utero immundissimæ fœminæ; & ab quando* NON VVLT *esse suum filium, quem formavit in utero filiæ suæ. Ille quippe ad baptismum nescio quæ promissione pervenit; ipse repentina morte non pervenit. Atque ita Deus in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio, &* NON VVLT *esse in regno suo quem formavit in templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de majoribus dicere, Deus vult & parvulus non vult &c.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Quid dicam quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri* POSSIT *exspirat? Veramque festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulis detur,* DEO TAMEN NOLENTE *non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid est quod aliquando parvulis infidelium filijs* POTVIT *ne irent in perditionem, & filijs fidelium* NON POTVIT *baptismate subveniri?* Et in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Quomodo dicitur*, inquit, *omnes homines eam (gratiam) fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur eam sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cùm multis non detur parvulis & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus ministris quoque, volentibus ac paratis,* DEO NOLENTE *non detur, cùm repente antequam detur exspirat, pro quo ut acciperet curre-batur.* Et iterum ibidem consequenter adjungit: *Vnde manifestum est, eos qui huic resistunt, tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homines velit Deus salvos*

Lib. 6. cont. Iul. c. 14.

Lib. de dono pers. c. 14.

Epist. 107. ad Vitalem.

Ibid.

salvos fieri, cum tam multi, salvi non fiant, non quia ipsi, sed QVIA DEVS NON VVLT. *Quod sine caligine manifestatur in parvulis.* Et iterum in eodem loco monet, cum tam multos Deus NOLIT *salvos fieri*, sic exponendum esse verba Apostolica, *ut huic apertissimæ veritati, in qua videmus, tam multos* VOLENTIBVS *hominibus, sed* DEO NOLENTE *salvos non fieri, contraria esse non possint.* Quibusdam vero in locis loco, nolendi dare, utitur verbo *negandi*, non minus ad expressionem istius veritatis efficaci: *Cur aliquando piorum filijs* NEGATVR, *hoc bonum, & filijs tribuitur impiorum?* Et iterum: *Quæ igitur causa huic parvulo baptismum procuravit, illi* NEGAVIT? Videt, arbitror, lector, quanta contentione sanctissimus Doctor Catholicis persuadere conetur, falsam expositionem esse, qua dicitur, Deum omnes omnino homines velle salvos fieri, quanta certitudine & asseverantia hoc ex parvulis probet, quoties & quam instanter inculcet, Deum *non velle, Deum nolle* quosdam esse filios suos, talibusque baptismum hominibus volentibus, DEO NOLENTE non dari: Deum *non velle, Deum nolle* tales salvos fieri: cursum rerum sic ejus providentia & voluntate gubernari, ut eis ministerio baptizantis *succurri non possit*, ut filijs etiam fidelium, festinantibus hominibus, sed DEO NOLENTE NON POSSIT baptismate subveniri: Vnde tam de parvulis quam adultis alibi dicit: *Qui hominibus dat gratiam* QVIBVS VVLT *quoniam misericors est: & non dat* QVIBVS NON VVLT &c. Et rursum in eodem libro: *Parvulis quibus* VVLT *etiam non volentibus & currentibus, subvenit*: Et *maioribus, etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros*, QVIBVS NON VVLT *subvenire non subvenit.* Et in libro quarto contra Iulianum: *Utrique profundum sit, cur & in maioribus, & in minoribus Deus velit alteri & nolit alteri subvenire.* Et alijs in locis pari modo de solis maioribus. *Quibus hoc Dominus dare voluerit, eius misericordiæ est non meritis illorum; quibus autem* NOLVERIT *veritatis est.* Vbi de prima hominum conversione loquitur sine qua nemo adultus salvus fieri potest. Et de Tyrijs & Sidonijs, quos Deus præsciebat si apud eos factæ fuissent virtutes, in cinere & cilicio acturos fuisse pœnitentiam: *Nec utique Deus omnipotens* NOLVIT *salvos fieri, cum possent salvi esse si vellent.* Nam ut alibi generalissimè & securissimè dicit: *Deo* VOLENTI *salvum facere, nullum omnino resistit arbitrium.* Cujus doctrinæ evidentia exclamare cogit modestissimum Præsulem, *quod manifestum sit*, eos qui tam perspicuæ resistunt veritati, NON INTELLIGERE OMNINO (quod ipsidem pœnè verbis Prosper & Fulgentius imitati sunt) qua locutione sit dictum, quod Deus omnes homines velit salvos fieri.

Lib. 2. ad Bonif. c. 6. Ibid.

Lib. de dono pers. c. 12.

cap 11.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Lib. 2 de pecat. merit. cap. 18.

In Enchirid. c. 95.

Lib. de corr. & grat. c. 14.

Denique refellitur ista expositio, quia scopo Apostoli manifestè repugnat: Hortatur enim ut orationes pro hominibus omnibus fundantur Deo, utpote qui vult omnes homines salvos fieri. Quod si ergo sensus est, Deum omnes velle salvos fieri quantum in se est, aut, si etiam ipsi velint, profecto jam non sequitur esse pro omnium salute, rogandum Deum, utpote qui quod suarum est partium jam præstiterit, dato omnibus sufficienti adjutorio, sed admonendi tantum erunt homines, ut auxilio sibi dato uti velint. Vt quid enim dari petas, quod semper præsto, imo jam datum est, & positum in hominis potestate? Hac igitur prætermissa verborum sacrorum expositione, tanquam quæ neque veris defensoribus gratiæ unquam placuit, sed graviter improbata est, neque verbis Apostolicis congruat, sed ab errantibus introducta & pertinaciter defensa fuit; respondemus plures & veras & antiquioribus probatas expositiones dari posse, quibus Deus intelligatur, velle omnes homines salvos fieri, nec tamen istiusmodi sufficiens adjutorium, quod recentioribus placuit, contulisse credatur.

Prima igitur expositio est, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, accommodata scilicet distributione, omnes, qui videlicet salvantur; seu quod idem est, quia nemo sit salvus nisi quem Deus voluerit salvum fieri, ideoque rogandus est Deus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit, omnipotens enim inniti velle non potest. Nam de orando Deo agebatur; quem orandum esse pro omnibus, nemine excluso, ex eo recte probat, quia ipse est ille qui vult, & volendo facit omnes salvos fieri, qui salvantur. Simili locutione dicitur Ioannis primo, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non quod omnes illuminentur à Deo, sed quia nemo nisi per ipsum illuminatur. Et primæ ad Corinthios decimo quinto: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Id est, sicut omnes qui moriuntur, per Adam moriuntur, ita omnes qui vivificabuntur, non nisi per Christum vivificabuntur. Hanc primam loci nobis propositi expositionem tradit sanctus Augustinus diversis locis, ut libro quarto contra Iulianum: *Sic ergo debet intelligi quod dictum est: omnes homines vult salvos fieri &c. quemadmodum intelligitur quod dictum est: per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Quod Apostolicum testimonium si eo modo intelligendum putas, ut dicas, omnes, positum esse pro multis qui justificantur in Christo, multi quippe aly non vivificantur in Christo; respondebitur tibi, sic etiam illic, ubi dictum est, omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, omnes positos esse pro multis quos ad istam gratiam vult venire. Quod multo convenientius propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit nisi quem venire ipse voluerit, &c. Omnes ergo qui salvi sunt & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salvi sunt, eo volente veniunt. Quia etsi nondum, sicut parvuli, utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Et qui iam utuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subveniente, a quo præparatur voluntas, velle non possunt.* Et in Epistola centesima septima ad Vitalem: *Sicut illud quod dictum est, omnes in Christo vivificabuntur, cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum est quia omnes quicumque*

Iun. 1.

1. Cor. 15.

Lib. 4. cont. Iul. c. 8.

Epist. 107.

vitam

vitam aternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo, ita quod dictum est omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt. Et in Enchiridio ad Laurentium uberius ea de re reddita expositionis istius ratione disserit: *Ita intelligere debemus quod scriptum est, qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam dicretur nullum hominem, fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat nisi velit, & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem: non quia nullus ejus, hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.* Eundem sensum probat & in fine vitæ in libro de prædestinatione Sanctorum, ex alterius loci explicatione, quam & familiari illustrat similitudine: *Sicut ergo integre loquimur, cum de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus: omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi litteras discit: ita recte dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Illi autem eo docente veniunt, qui sunt electi ante constitutionem mundi, de quibus post pauca verba subtexit: *Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos omnes vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Quo loquendi modo exponit illud Propheticum à Christo Domino usurpatum: *Erunt omnes docibiles Deo*, hoc est, docti à Deo. Et alibi illud Apostolicum: *Per unius iustitiam in omnes homines, in iustificationem vitæ*, non quia per Christum omnes iustificantur, sed quia nemo nisi per Christum. Qua phrasi rectè dicj tradit, *Per unam januam in aliquam domum intrare omnes, non quia omnes intrant, sed quia nemo intrat nisi per illam.* Sequitur hunc sensum & probat etjam sanctus Prosper in Epistola ad Ruffinum, & fuse atque ex professo sanctus Fulgentius, itemque sanctus Anselmus ac sanctus Thomas in illum locum. Nec est difficilè illi subjectas Apostoli probationes adaptare, *Vnus est enim Deus &c.* significat enim, ut rectè observat ac docet sanctus Anselmus in istius loci commentario, vere Deum omnes velle salvos fieri, quia *unus est Deus* creator omnium, cujus participatione fieri debent, salvi omnes qui salvabuntur: *Vnus & mediator Dei & hominum*, qui omnes salvandos uni Deo reconciliet, ut fiant salvi.

Secunda expositio est, quam etjam præformasse videtur sanctus Augustinus, in verbis Apostolicis, intelligendam esse distributionem non pro singulis generum, hoc est, pro omnibus omnino singularibus hominibus, sed pro generibus singulorum, hoc est, pro omni genere hominum; pro Iudæis & gentibus, servis, & liberis, principibus & privatis, doctis & indoctis, adultis & parvulis, viris ac mulieribus &c. quia ex omni hominum genere aliqui prædestinati sunt, ac salvi fiunt. Omnium enim, ut subjungit Apostolus, unus Deus creator est, omnium & mediator Christus Iesus, ut merito nullum genus hominum desperare debeat. Iuxta quem sensum Augustinus in sermonibus de diversis: *Habet hortus ille Dominicus non solum rosas martyrum, sed & lilia virginum; & coniugatorum hederas, violasque viduarum. Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet: pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est; Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et in libro de Correptione & gratia luculentius: *Hic unum dicam: ita dictum est: Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes præsestimati; quia omne genus hominum in eis est, sicuti dictum est Pharisæis, decimatis omne olus; ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant. Neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbe, decimabant. Secundum istum locutionis modum dictum est: sicut & ego omnibus per omnia placeo &c.* Latius explicat ac deducit hunc sensum, in Enchiridio ad Laurentium, ubi cum præmisisset, illum alterum sensum quem jam dedimus sic subjungit: *Aut certe sic dictum est: Qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit, apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset: sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, reges privatos, nobiles, ignobiles; sublimes, humiles; doctos, indoctos; integri corporis, debiles; ingeniosos, tardicordes; mares, fœminas; infantes, pueros, adolescentes, iuvenes, senes, in linguis omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest, quodcunque voluerit?* Et ne quis istam expositionem veluti licenter excogitatam redargueret, eam contextui sacro congruentem esse, apteque conærere demonstrat: *Præceperat enim Apostolus ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat: Pro Regibus & ijs qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia secularj à fide Christiana humilitate abhorrere: Proinde dicens: hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, id est, ut etiam pro talibus oretur: statim ut desperationem tolleret, addidit: Qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utique iam videmus impletum. Isto locutionis modo, & Dominus est usus in Euangelio, ubi ait Pharisæis? Decimatis mentham & rutam & omne olus. Neque enim pharisæi & quæcunque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, omne olerum genus: ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus.* Quem sentit tangit & probat etjam Fulgentius in eodem loco quem citavimus. Quod sicui fortè neuter præsentis loci commentarius satisfaciat.

Tertia expositio erit illa, quam Augustinus etjam

Serm. 37. de diversis c. 3.

Lib. de Corrept. & grat. cap. 13.

In Enchirid. cap 103.

Ibid.

etiam pluribus locis tradit, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, quia facit ut sancti homines salutem omnium velint & optent, & orando desiderent, non tantum voluntate signi, præcipiendo ut omnium salutem velint, sed etiam eis hanc ipsam voluntatem, hoc desiderium, hanc sollicitudinem inspirando. Cùm enim voluntas Dei de salute hominum sit nobis occultissima, merito istud velle dici potest, quod in amicis & per amicos vult, dum in eis operatur ut velint. Nam ex isto præcepto & inspiratione sanctus Ambrosius de seipso dicit: *Nolumus offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes.* Et sanctus Paulus de seipso dicit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* De quo volendi modo quo Deus dicitur velle, quod in sanctis facit ut velint, præclare disputat Augustinus in libris de Civitate Dei: *Secundum hanc voluntatem quam Deus operatur in hominibus, etiam velle dicitur, quod ipse non vult, sed suos id volentes facit, sicut dicitur cognovisse, quod ut cognosceretur facit, à quibus ignorabatur.* Et aliquanto inferiùs: *Secundum hanc ergo voluntatem, qua Deum velle dicimus, quod alios efficit velle, à quibus nescientibus futura, multa vult nec facit. Multa enim volunt fieri sancti eius ab illo in pirata voluntate, nec fiunt, sicut orant pro quibusdam piè sanctèque, & quod orant non facit, cum ipse in eis hanc orandi voluntatem sancto spiritu suo fecerit. Ac per hoc quando secundum Deum volunt, & orant sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere, vult Deus, & non facit, ut ipsum dicamus velle, qui, ut velint ipsi, facit.* Iuxta istum igitur loquendi & volendi modum docet Augustinus, explicari posse phrasin Apostolicam qua dicit, Deum velle omnes homines salvos fieri: *Quia ergo nos qui salvi futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, salvos fieri, velle Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in corde nostro per Spiritum sanctum qui datus est nobis; potest etiam sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle. Sicut misit spiritum filij sui clamantem, Abba pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu alio loco dicit: Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem spiritum recte dixit Scriptura, à quo efficitur, ut clamemus: recte etiam & volentem Deum, à quo efficitur ut velimus.* Secundum hanc explicationem etjam valde concinnum erit Apostoli argumentum, quo pro omnibus hominibus orandum esse probat, quia videlicet id bonum est & acceptum Deo, utpote qui vult omnes homines salvos fieri, id est, vult ut omnium salutem desideremus, non jubendo tantum, sed & operando. Nam ex præcepto & inspiratione talis desiderij recte sequitur, pro omnibus orandum esse ut salvi fiant. Propter cujus explicationis congruentiam, doctissimus inter recentiores Epistolarum interpres, eam ceteris præfert. Lector ex tribus eligat, quam voluerit. Nam singulas earum textui Apostolico non mediocriter congruere, satis ex Augustino declaravimus. Vt nulla sanè necessitas sit, ad illam Pelagianis omnibus probatam expositionem fugere, quasi omne alioquin effugium intercluſum esset.

Nam quod pro ista recentiorum interpretatione, multi veteres proferuntur, non multum ei conciliat auctoritatis. Quid enim juvat, quod istum *sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, aliique græci* secuti esse dicantur, cùm Chrysostomus quem sequi solent, ante subortas de divina gratia difficultates, commentarios suos exaraverit, nec ulli imperfectius de gratia quam græci locuti sint, nec ulla difficultas de gratia magis lubrica sit, quam ista, in cujus intelligentia & ipse Augustinus usque ad Episcopatum hallucinatus est? Quod vero addit *Hieronymum, Ambrosium & alios Latinos* ibidem commentantes Apostoli locum, partim falsum est, partim capitaliter recentioribus nocet. Nam ille Hieronymus, qui expositiones breves in Epistolas omnes commentatus est, est ipsissimus errorum omnium fons de gratia Pelagius, quemadmodum fusè suo loco comprobavimus. Ambrosius vero iste non est Ambrosius, sed multorum similiter errorum Pelagij reus, ut à doctis jam animadversum est. Quod sanè recentiores ab illis allegandis & à tali sententia ipsorum tenenda merito deterrere deberet. Alios vero Latinos antiquiores, qui ita locum commentantur, ut Pelagio & recentioribus visum est, necdum ullos vidi. Nam inter antiquos sanctus Remigius duas priores Augustini expositiones ad amussim secutus est. Ita & Beda, sanctus Anselmus, sanctus Thomas in commentarijs istius loci. Qui adjungitur [a] *sanctus Athanasius Libro tertio de assumptione hominis*, nihil hujusmodi toto libro tractat [b] *Prosperum libro secundo de vocatione gentium capite decimo nono & vigesimo quinto*, non intelligit. Veram ejus mentem alibi declaravimus. Quod autem ad extremum additur: *Maximè verò Damascenus libro secundo de fide orthodoxa capite vigesimo nono.* Divus Thomas *prima parte quæstione decima nona articulo sexto, & tertio contra gentes capite centesimo quinquagesimo nono*, non satis mentem eorum assecutus est. Nam sanctus Damascenus nihil aliud eo loco docet, quam quod libenter amplectimur: duplicem in Deo esse voluntatem, *antecedentem*, quam & *primariam* dicit, & *consequentem*: quas ita exponit, ut *primaria quidem Deus bonitate præstans, omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velit, (neque enim supplicij ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus nos fecit, & effinxit:) ut justus autem*, hoc est, voluntate consequente, *ijs quoque qui peccant, pœnam inferri nihilominus velit.* Quibus verbis antecedentem seu primariam voluntatem vult esse *bonitatis*, quam Deus videlicet ex seipso in creaturis condendis concipit, consequentem vero seu secundariam *justitiæ* quam propter superinductas ab hominibus circumstantias habere compellitur. Sic enim alibi semetipsum explicat. Hæc vero doctrina recta & sana est quam & sanctus Thomas probat & sequitur & compa-

ratione

Ib. 8. in etsi amante Hist. Za hæi 1. Cor. 9.

Lib. 22. de Civit. c. 1.

Ibid.

Ibid.

Lib. de corr. & grat. c. 15.

Guiliel. Estius in illum locum

Franc Suar. lib. 4. de prædest. c. 1. n. 5.

Suarez. ibid.

Villalobos de Hæres. Pel. sua historiam multum Pel. juvantem.

[a] *Leontius lib. 2. de sectis, c. 1. & 2.*

Ibid.

Damas. lib. 2. de orthod. fide c. 29.

Prosp. in Ep. cont. Massil.

ratione Iudicis explicat, qui ex se homines servari cupit, quatenus homines sunt, quatenus autem peccatores absolute damnari. Significat ergo Damascenus voluntatem quam Deus ex se concepit quando humanum genus instituit, quæque omnia peccata hominis antecessit, fuisse bonitatis, ut homo gratiæ salutis felicitatisque particeps fieret. Nam idcirco addidit: *Neque enim supplicij ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit.* Voluntatem autem consequentem esse justitiæ, qua peccatores diversis supplicijs plecti vult ac jubet. Sed talis antecedens voluntas, quamdiu res sine accessorijs circumstantijs consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem, aliaque media necessaria procurandæ saluti facit, utpote ex qua gratia primorum hominum sufficiens fluxit. Sed postquam peccata jam ab hominibus indicta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante consistere potest. Quod ex eo manifestissimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas sive hominum sive Angelorum Deus habet. Quia non obstante sicut potest consequente voluntate justitiæ, Angelos omni gratia sufficiente & salute spoliare, excæcare, obdurare, damnare; ita non obstante eadem antecedente voluntate, quibusdam hominibus originali labe damnatis, consequente voluntate justitiæ, gratiam sufficientem, fidem, justitiam, salutem, felicitatemque negare potest, eosque nolle salvos fieri. Sic enim & Iudex præcisione intellectus, & inde subnascente quadam velleitate, quæ nihil operatur, vult hominem esse salvum, quem tamen propter homicidium, omnibus assequendæ salutis remedijs ipsaque vita privat, quam voluntatem antecedentem propterea Ecclesia Lugdunensis in eruditissimis illis libris quos tempore Concilij Valentini de quibusdam articulis prædestinationis & gratia exaravit, vocat *voluntatem bonitatis creatoris*, quia neminem Deus creavit ut perderet, quamvis *iudicij æquitate* velit, ut pereat. Nihil omnino igitur doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quæ optimè cum negandæ salutis & gratiæ sufficientis voluntate consistit. Nisi forte & Angelis & hominibus damnatis, antecedente voluntate salutis, gratiam sufficientem aliaque redemptionis instrumenta suppeditari & erogari putent.

Quantum vero ad illum locum, quem objici quoque video, *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, difficultate caret. Præcessit enim, *Non tardat Dominus promissum suum*, de adducendo judicij die, eum differendo diutius quam oporteat. *Sed patienter agit propter vos*, hoc est, propter electos. Nam Apostoli & Ecclesiastici Scriptores compellare solent auditores suos, quasi omnes electi essent, quod facilè multis exemplis posset explicari. Nam & inde est, quod in ipso exordio Epistolæ suæ primæ sanctus Petrus dicit; *Petrus Apostolus electis advenis dispersionis*, ad quos eosdem se testatur & *secundam Epistolam scribere*, hoc ipso tertio capite ex quo deprompta est objectio. Itaque patienter Deus agit, adventum suum differendo *propter vos*, hoc est, propter electos, ne quisquam eorum pereat, qui per pœnitentiam ad Deum convertendus, & in societatem justorum colligendus est. Quomodo & Paulus dicit, *omnia se sustinere propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Nam si Deus præstitutum judicij tempus anticiparet, perirent aliqui electorum, quos perire non vult; sicut è contrario, *propter electos breviabuntur dies* tribulationis extremæ, ne magnitudine oppressi pereant. Itaque simili sensu hic dictum est, *Nolens aliquem perire*, scilicet electorum, sicut apud Matthæum dicit Christus: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis* hoc est, electis. Sensus alios istius loci, non esset difficile ex præcedentibus excudere, sed unus iste & clarus est, & genuinus, & sufficiens.

2. Pet. 3.

1. Pet. 1.

2. Timoth. 2.

Matth. 18.

CAPVT XXI.

Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus.

SED aliud argumentum pro gratia sufficienti omnium proferri solet, quia Christus est redemptor omnium, juxta illud primæ ad Timotheum secundo capite: *Qui dedit semet ipsum redemptionem pro omnibus.* Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur esse posse, nisi gratiam saltem sufficientem omnibus præparaverit. *Quomodo enim est omnium redemptor*, ut ait quidam, *si non impetravit omnibus auxilium quo possint liberari?*

Respondetur & hoc argumentum, sicut omnia præcedentia, jam olim ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massilien-

sibus inculcatum fuit, ut mirum sit recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere. Quin potius nihil mirum, si ad eundem scopum collimantes, eòdem eadem via pervenire contendunt. Cùm enim Massilienses divinæ benevolentiæ propositum erga quosdam subvertere, ac penitus ex hominum animis tollere conarentur, tanquam Gentilium fatum, libertatis excidium, necessitatis azylum, desperationis ignaviæque barathrũ, præcepti, exhortationis, correptionis, orationis interitum, demique tanquam quo duæ partes, duæ massæ, duæ naturæ insania plusquã manichæa inducerentur, quemadmodum fusè

Vide lib 7. de Hæres Pelag. à cap. 5. usque ad 18.

demonstravimus, tanquam firmissimam basin errori suo collocarunt ista Scripturæ loca, quibus Deus dicitur omnes velle salvos fieri, atque esse redemptor omnium. Nam inde fabricarunt, primo adversus illud peculiare & rigidum propositum Dei, quandam generalem & indifferentem erga universos voluntatem: deinde ex illa generali voluntate salutis omnium, vocationem quoque generalem, sufficientemque omnibus gratiam derivarunt; quam qui vellet, arriperet aut abijceret, atque operationem ejus, consentiendo aut dissentiendo, fructuosam aut cassam redderet, pro suæ liberæ arbitrio voluntatis. Ita generali istâ voluntate Dei & gratiâ sufficienti velut basi jacta, totam divini propositi & prædestinationis efficaciam, totam hominum discretionem ad humanum arbitrium revocabant, ut subversâ istius propositi duritie atque incertitudine, in placidissima propriæ voluntatis libertate, pro libitu suo oblata gratia

Ibidem fere toto libro.

utentis aut non utentis conquiescerent. Hic scopus Massilienſium ipsissimus fuit, ut accuratè suo loco ex ipsis fontibus comprobavimus, & ipsissimus quoque multorum recentiorum. Vt nihil mirum eis videri debeat, si idem ijsdem morbis præparemus antidotum, hoc est, si ijsdem argumentis quibus Massilienses usi sunt, easdem Augustini & Prosperi solutiones opponamus.

Respondeo igitur, quando Christus ab

1. Timoth. 2.

Apostolo dicitur *redemptionem semet ipsum dedisse pro omnibus*, in cruce videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quod se dederit redemptionem, seu ἀντίλυτρον, id est, pretium pro omnibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio: idque juxta regulam à sancto Prospero diversis in locis tradi-

Prosp. respō. ad object. secundam Vincent.

tam, ut ad objectionem primam Vincentianam: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertransierunt redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Et interjectis nonnullis: *Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit: sed si non bibitur non medetur.* Quibus consentanea loquitur in responsionibus ad Capitula Gallorum: *Cùm itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Et in sententia nona responsionis præcedentis recapitula-

Respon. ad 9. Gallor.

toria: *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad* SACRAMENTI VIRTVTEM, *hoc est, sufficientiam ac potentiam, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri* IESV *Christi pretium totius mundi sit: a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Cui conformiter dicere Scholastici solent, Christum omnes redemisse sufficienter, non efficienter. Solutio ista facilis est, ex qua nullo modo sequitur, sufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum.

Sent. 9.

Sed quia in istis verbis apertè profitetur Prosper, *redemptionis proprietatem haud dubie penes illos esse* qui sanctificantur in sanguine Christi; & quia ipsa phrasis qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem, ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest: & quia alioquin etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus est sufficiens: ac denique quia Prospero antiquior ac doctior Augustinus, nunquam in scriptis suis fatetur, Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem, vel crucifixum esse, vel mortuum; sed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes sunt, hinc genuinùs, verissimque respondemus, Christum dici *se dedisse redemptionem pro omnibus*, hoc est, pro universa sua Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, &c. prout superiori capite ex Augustino declaravimus; itemque pro omnibus, hoc est, pro hominibus omnium nationum, linguarum & gentium, Iudæis videlicet ac gentilibus, ex quibus congregatur universus populus Dei, secundum illud Apocalypseos: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Simili universalitate dicit sanctus Ioannes in Epistola sua prima: *Et ipse est propitiatio*, seu hostia propitiatoria Dei Patris *pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, hoc est, non pro nostris tantum, quibus istam Epistolam scribo, sed pro universo populo fidelium seu Ecclesia toto mundo dispersa; vel, quod in idem redit, non pro nostris tantum Iudæorum, sed etiam Gentilium, ex quibus una constituitur toto mundo fidelium Ecclesia. Sic enim tradit diversis locis Augustinus, ut Tractatu octogesimo septimo in Ioannem, cùm illa verba exponeret: *Si de mundo esset is, mundus quod suum erat diligeret*, ita loquitur: *Vniversa utique hoc dicit Ecclesia, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat; sicut est illud: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Itemque illud: *Non venit filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et in Epistola sua Ioannes ait: *Ipse pro-*

Apoc. 5.

1. Ioan. 2.

Aug. Tract. 87. in Ioan.

Ipse propitiator est peccatorum nostrorum: non tantum nostrorum, Sed etiam totius mundi. Totus ergo mundus Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. Et illum ipsum locum sancti Ioannis exponens, quo IESVS dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi: *Quid est hoc,* Tract. 1. in 1. Ioan. inquit, *Fratres? Certè invenimus eam* (Ecclesiam *in campis saltuum* (id est sylvæ) *invenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, sed &* TOTIVS MVNDI. *Ecce habes Ecclesiam per totum mundum: nolis sequi falsos iustificatores & veros præcipitatores. In illo monte esto, qui impevit orbem terrarum: quia Christus propitiatio est peccatorũ nostrorũ, non tantum nostrorũ, sed &* TOTIVS MVNDI *quem sui sanguine comparavit.* Et Tractatu quinto in eandem sancti Ioannis Epistolam, assignat diversas acceptiones mundi, ut significet in malo, *dilectores mundi*; in bono vero, vel *cælum & terram*, vel *plenitudinem terræ*, quo significat Augustinus Ecclesiam non unius regionis, ut Africæ juxta Donatistas, sed omnium gentium: *Mundus*, inquit, *est plenitudo* Tract. 5. in 1. Ioan. *terræ, sicut dixit ipse Ioannes non solum autem nostrorum propitiatio peccatorum est, sed & totius mundi. Mundi dicit omnium* FIDELIVM PER ORBEM SPARSORVM. Ex quibus clarum est non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia, redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, nisi fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redemptionem. Contrarium vero non semel significavit. Nam quodam loco in Tractatibus in Ioannem: *Qui ita consitetur Christum Deum, ut hominem neget, nec pro illo mortuus est Christus.* Et alibi discrimen ponens inter Iudam & ceteros Apostolos, quod pro his Dominus esset moriturus, non pro illo: Tract. 55. in Ioannem. *Tota illa eius passio*, inquit, *nostra purgatio est, passurus igitur exitia, præmisit obsequia: non solum eũ pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui fuerat eum traditurus ad mortem.* Et alio in loco docet pro illis tantùm esse passum Dominum, quos passione suâ oves fecit: *Omnes fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus:* Tract. 47. in Ioannem. *quia ut ipse pro omnibus pateretur, ovis est factus.* Et Tractatu quadragesimo septimo: *Fecit ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium.*

Quam doctrinam sanctus Augustinus ex sacris litteris videtur didicisse, quæ frequentissimè inculcant, Christum pro fidelibus suis, ovibus suis, populo suo salvando mortem subisse: *Animam*, inquit, *meam pono pro ovibus meis.* Et alibi: *Redemptionem misit Dominus pro populo suo.* Et Angelus ad sanctum Ioseph: *Vocabis nomen eius* IESVM: *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. Vnde & ipse Dominus indicans, pro quibus omnibus sese redemptionem obtulerit, ait: *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. Et hos ipsos esse totum mundum seu omnes, pro quibus se redemptionem dederit, satis indicat dum subjungit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, pro eo videlicet redimendo. Et quis iste mundus pro quo Filium suum unigenitum dedit? *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ibid. Ephes. 5.

Quæ sanè cùm considerasset ab octingentis circiter annis Remigius Archiepiscopus cum sua Ecclesia Lugdunensi, in illis eruditis libris quos de tenenda Scripturæ veritate scripsit, ex professo docet, Christum fidelium Ecclesiam passione suâ redemisse, nullo verò modo pro illis infidelibus, qui per quatuor annorum millia ante adventum Salvatoris in carnem, in infidelitate suâ mortui atque damnati sunt, vel alijs similiter post ejus adventum in sua infidelitate perseverantibus passum esse: *Catholica*, inquit, *fides tenet, & Scriptura sanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam Baptismi ex aqua & Spiritu sancto regeneratis & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & Salvator noster sit passus. De infidelibus verò eadem constantia definit: Cesset hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit. Cum pro solis illis defunctis passionem susceperit, qui eum dum in corpore viveret, fideliter venturum & mundum suâ passione redempturum crediderunt. Hoc itaque est Catholicum, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.* Et utramque partem iterum inferius tangens ac disputationem prolixiorem concludendo complectens: *Ex his igitur omnibus*, inquit, *diligenter ac fideliter consideratis, certissime & clarissime ostenditur, pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt aut sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi, pro corpore Christi immolari corpus Christi: De his verò qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac regulâ fidei, quod quicumque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi, & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum sit, factum esse quod pro omnibus fidelibus factum constat. De ceteris verò qui in ipsa infidelitate atque impietate suâ perseverantes sunt perituri, si de Scripturæ sanctæ auctoritate quod etiam de talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimonijs nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definierunt, dignum omnino est ut credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt. Pudeat eos definire quod nesciunt: timeant statuere quod nullum sanctorum Patrum Concilium, nullum Apostolica Sedis* Ecclesiast. tract. in libro de tenenda Scripturarum veritate in Auctario Bibliothecæ Patrum tom. 2. Ibid.

licæ Sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inveniant statuisse.

Ecclesia Lugd. lib. de tribus Epist.

Quam doctrinam non minori asseverantia in alio libro de tribus Epistolis exarato tradit. Distinguit enim tres ordines eorum, pro quibus se Christus redemptionem dedit. Primum eorum qui prædestinati etiam fide baptismoque sanctificati sunt. Secundum eorum, qui similiter sanctificati in susceptа Dei gratia non perseverando pereunt. Tertium eorum qui adhuc in posterum cum duplici isto discrimine, sive perseverando sive non perseverando, crediturі sunt, divinâque gratiâ donandi. Quartum infidelium in infidelitate mortuorum aut morientium aut moriturorum, pro quibus *verissimè*, inquit, *credimus*, & *verissimè novimus, quod nunquam Dominus passus, nunquam mortuus est, nec ad eos salvandos ullatenus venit, nec pro eis pretiosum sanguinem fudit.* Non quod ullo pacto negatum velit pretium istud infinitum, non esse sufficiens ad redemptionem omnium omninò infidelium, imò etiam dæmonum omniumque damnatorum, sed quod esse passum, crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicat, quàm nude pretium sufficiens obtulisse, quod ijs applicari nolit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus pater eos reipsa de servitute liberaret, non sub ista conditione, *si ipsi velint*, qui nisi Deo donante velle non possunt, sed *ut velint* & credant potenter in eorum voluntatibus operando.

Concilium Valentinum cap. 4.

Quapropter Concilium Valentinum, eodem planè tempore quo eruditissimi isti libri scripti sunt, in Gallia celebratum, cum istius doctrinæ soliditatem perspexisset, eam tanquam Catholicæ fidei sanctionem definivit. Nam capite quarto: *Item*, inquit, *de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illu impijs, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum desinant, contrà illud propheticum. Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dixit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et capite quinto uberius declarat, fideles omnes baptismo sanctificatos in sanguine Christi redemptionem assequi, sive acceptà redemptione perseverent sive ab ea excidentes sanguinem Testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt. In quibus capitibus ad amussim totam illam doctrinam quam hic tradimus ex Augustino, & ex Ecclesiæ Lugdunensis libris confirmavit, ac tanquam Catholicam approbando definivit: Scriptoresque qui contraria etiam in Concilio quorundam fratrum susceptа, libris exaratis sparserant, tanquam *inutilia, noxia erronea* propinantes improbat, & *à pio auditu fidelium penitus explodit.* Quis autem Scriptorum istorum Coriphæus fuerit (nempe Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis) & quantopere in proscribendis quibusdam articulis tanquam hæreseos Prædestinatianæ dogmatibus aberraverit, cùm eos Catholica fides tanquam vel vera, vel à Patribus tradita veneretur, latius in fine dogmatum Semi-Pelagianorum diximus. *Vide lib. 3. de hæres. Pelag. c. ult.*

Ex quibus omnibus jam satis arbitror patere, argumentum istud quo Christus pro omnibus passus & mortuus, vel redemptionem se pro omnibus dedisse dicitur, nihil omninò pro auxilio sufficienti omnibus nemine excepto, suppeditando facere. Nec enim juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cùm hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum: Omnibus verò illis pro quibus sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solùm possint, sed etiam reipsa velint & faciant, id quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit. Nam per illa occultissimè justa & justissimè occulta consilia sua, quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos absolutè prædestinatos, electos & salvandos dicimus; alijs charitatem sine perseverantia, alijs fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus, tanquam veris ovibus suis, vero populo suo tanquam absolutè salvando, semet-ipsum dedit, ac tradidit; pro istorum peccatis omnibus omninò delendis, & æternâ oblivione sepeliendis propitiatio est; pro istis in æternum vivificandis mortuus est; pro istis ab omni malo liberandis rogavit patrem suum, non pro ceteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & in tantum rogavit patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt. Cùm enim non possit esse inanis oblatio mortis, & propitiationis, & orationis Christi, qui de seipso dicit. *Ego sciebam quia semper me audis.* Et Apostolus Paulus, quod *exauditus est pro sua reverentia*, fieri quoque non potest, ut pro quo sanguinem fuderit Christus & mortuus fuerit, & rogaverit patrem suum, eam ob causam ut sanguis suus propitiatio peccatorum ejus fieret, non assequatur istius mortis, & propitiationis, & deprecationis effectum: Effectum verò in istis jam dictis non assequuntur alium, nisi temporalis fidei, aut charitatis, sive perseverantiæ; eatenus igitur, & non aliter, pro illis Christus mortuus est, & sanguinem fudit, & propitiatio peccatorum est, & *Joan. 11. Heb. 5.*

est, & rogavit patrem suum, ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis, & sanguinis, & orationis consequantur. Quæ respiciens sanctissimus & profundissimus Doctor, cum adversus Iulianum tractaret istum Apostoli locum, *quo Christus pro omnibus mortuus esse* dicitur; *Illi ergo vivunt*, inquit, *pro quibus, ut vivant, mortuus est, qui vivebat. Quod apertius ita dicitur: Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Vel sic multo apertiùs: Illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est qui nunquam fuerat in peccato.* Per quæ significat fieri nullo modo posse, ut Christus pro aliquo mortuus sit ut vivat, quin ille vitam assequatur. Nam pro aliquo mortuum esse vel fudisse sanguinem suum, insinuant voluntatem Christi quam habet, ut ei mors sua patri oblata & sanguis prosit. *Omnipotens autem velle inaniter non potest quodcunque voluerit.* Proderit igitur illi necessariò Christi sanguis & mors, pro quo sanguinem illum fuderit & mortuus fuerit: Et cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit; eatenus autem prodest quatenus prodesse voluit, qui aliquid inaniter velle non potuit; ut credat quidem vel ut justificetur, vel ut perseveret atque salvetur, si pro illo ut credat, vel ut justificetur, vel ut perseveret atque salvetur mortuus fuerit.

Cùm igitur utilitas illa mortis & passionis & redemptionis valde exigua sit, qua quispiam temporaliter tantum ab infidelitate per fidem, aut ab iniquitate per justitiam defectu perseverantiæ redimitur; & hujusmodi instabilis & imperfecta sanctificatio, potius aliis quos elegit Deus ante constitutionem mundi, quam illis ipsis qui accipiunt eam temporaliter prosit; hinc fit, ut proprietas quoque redemptionis & propitiationis istis electis & reipsa salvandis maximè competat, & pro illis etiam plerumque Christus absolutè mortuus fuisse, & sanguinem fudisse, aliavè redemptionis beneficia fecisse dicatur. Quod usque adeò in ipsius doctrina verum est, ut passim omnes locutiones sacrarum litterarum quæ quandam universitatem effectuum passionis, aut mortis, aut redemptionis aut divinæ gratiæ insinuant, ad solos prædestinatos revocet ac restringat. Nempe quia ipsorum liberationem ex massa perditionis & salutem absolutè voluit, reliquorum eatenus dumtaxat, quatenus aliquo temporali sanctificationis gustu nonnihil ex ista salute & liberatione participant. Hinc illud in Epistola quadragesima octava: *Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum.* Hoc est, locus ille verus est propter prædestinatos, qui totus mundus dicuntur, quia per totum mundum seminati sunt & crescunt inter zizania usque ad messem, quemadmodum in eodem loco fusiùs docet. Et in libris de Civitate Dei, id quod Apostolus dicit: *Conclusit omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*, ad solos prædestinatos limitat: *Quid est omnium? Et eorum scilicet, quos ex gentibus & eorum quos ex Iudæis prædestinavit, vocavit, justificavit, non omnium hominum.* Et in alio libro: *Unde Apostolus de ipsis in illud regnum prædestinatis loquens: Qui proprio, inquit, filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Et in Tractatibus in Ioannem de eodem loco: *Quibus nobis? Præscitis, prædestinatis, justificatis* &c. Ecce illum ipsum locum, quo pro omnibus Christus traditus asseritur, de prædestinatis omnibus intelligendum, ex Apostoli mente confirmat. Et in libris contra Faustum satis manifestè locum illum Apostoli, quo *unus pro omnibus mortuus* dicitur, de solis quoque beatâ resurrectione salvandis videtur intelligere: *Itaque eorum*, inquit, *pro quibus Christus mortuus est, & resurrexit, & qui iam non sibi sed illi vivunt, neminem secundum carnem Apostolus noverat.* Et illud Psalmi: *Erigit omnes elisos*, Exponens; *Omnes*, ait, *ad se pertinentes*; per quos, electos intelligit. Et in illud Christi Domini: *Omnia trahan post me*, seu *ad me*, ut in vulgato Textu legitur: *Si omnia, ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere. Ex quibus omnibus ait nihil esse perituru, cùm suprà de suis ovibus loqueretur.* Ex exponens pro quibus Deus miserit Filium suum: *Ergò & hic misit Deus Filium suum, propter præscitos & prædestinatos, vocandos, justificandos, glorificandos.* Et aperiens quæ sint oves domûs Israël quæ perierint, & ad quas quærendas Christus venit, & pro quibus crucifixus oravit: *Christus* IESVS *ad gentem Iudaicam venire debuit videndus, occidendus & lucrandus eos inde quos ante præscivit*, qua phrasi Apostolica prædestinatos intelligit, quos non semel in scriptis suis præscitos vocat: & hoc ipsum ex sequentibus patet: *Non enim damnata illa plebs est, sed ventilata. Ibierat palea multitudo, ibi granorum occulta dignitas. Ibi quodincenderetur, ibi unde horreum repleretur.* Et paulò inferius oves istas ad quas venit Christus describens coloribus suis accuratius. *Et erat, illis*, inquit, *sicut scriptum est, anima una & cor unum in Deum. Ecce oves de quibus dixit: Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Illis enim exhibuit præsentiam suam: pro illis in se sævientibus crucifixus orabat dicens: Pater ignosce illis* &c.

Et ne quis fortè suspicaretur, ita phrases hujusmodi affirmativas de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alii justi qui de beato illo numero non sunt, non excludantur, non uno in loco invertit istjusmodi locutiones, ita ut eas negativè efferendo dicat Christum pro ceteris qui non fuerint prædestinati, non esse mortuum, non orasse, non semetipsum dedisse redemptionem. Hoc enim in Epistola ad Evodium sine ulla ambiguitate pronuntiat: *Non perit unus ex illis pro quibus mortuus est Christus* Quod si nullus ex illis perit, pro quo Christus mortuus est, profectò quisquis perit, sive aliquando justus fuerit, sive non justus,

non est pro illo mortuus Christus. Et in ser-
Inter Parisienses, Ser. 2. mone de natali sancti Vincentij: *Etsi laniatur caro, etsi laceratur: quando perit qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo?* Quasi diceret, nullo pacto. Quisquis ergò perit, non ille, ex Augustini mente, Christi sanguine redemptus est. Et utramque simul phrasin in eadem oratione conjungens, ita Christum pro prædestinatis ovibus orasse docet, ut pro ceteris non oraverit; secundum doctrinam quam ei Christus
Ioan. 17. ipse præformavit quando dixit: *Non pro mundo rogo*, hoc est pro mundo reprobato atque damnato, *sed pro his quos dedisti mihi*, quos omnes esse prædestinatos constanter Augustinus
Tract. 107 in Ioan. docet. Sic ergò loquitur: *Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundùm concupiscentiam mundi & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo*, hoc est de sorte Electorum. *Non ita que pro mundo sed pro his quos ei Pater dedit, rogare se dicit*: Et in alio tractatu in Ioannem, enucleans illum locum quo Christus Patrem rogando dicit: *Vt mundus credat quia tu me misisti*, &
Tract. 100. in Ioan. cum præcedente comparans: *Ecce qui dixerat: Non pro mundo rogo, pro mundo rogat, ut credat. Quoniam est mundus de quo scriptum est: Ne cum hoc mundo damnemur.* PRO ISTO MVNDO NON ROGAT, *neque enim quò sit prædestinatus ignorat. Et est mundus de quo scriptum: non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Vnde & Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Pro isto mundo rogat dicens: Vt credat mundus, quia tu me misisti*: Ecce quàm disertis verbis iterum iterumque tradit, non perire eum qui sanguine Christi redemptus est, non perire pro quo Christus mortuus est, non rogare pro mundo Christum, qui ad damnationem prædestinatus est. Nec causam supprimit, cur pro tali mundo non roget Christus: *Neque enim*, inquit, *quò sit prædestinatus ignorat.* Hoc est, quia novit eum ad perditionem æternam pro meritis prædestinatum. Vanum est autem & stultum, pro eo irritando vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum & prædestinatum esse jam nosti; vanum etiam pro talibus salvandis seria voluntate pati ac mori, vanum pro talibus à perditione decretà liberandis offerre patri vota, preces, mortem, ac sanguinem suum. mortis enim & sanguinis oblatio est quoddam efficacissimum rogandi genus.

Ex quo principio, in sancti Præsulis istius doctrina fluit, ut non solum à judice aut mediatore omnia præsciente, sed etiam à nobis ipsis, qui sinceram omnibus proximis nostris debemus salutis procurandæ charitatem, non magis Deum pro reprobatis, quàm pro diabolo deprecandum esse pronuntiet, si nobis ita istius secreti mysterium panderetur, ut *quò prædestinatus esset* quisque nosceremus. Nunc verò quia istud profundissimè ab oculis nostris abstrusum est, deque omnium salute incerti sumus, pro omnibus quoque Deum non solùm temporaria per justitiam, sed etiam æternâ per gloriam salute deprecamur. Sed Augustinum securissimè tanquam de re sibi certissimè pronuntiantem audiamus: *Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, & filij efficiantur Ecclesiæ.* Et in libro de Correptione & gratia, cùm rationem dare conaretur quodam loco, cur apud omnes monendo, operando, corripiendo instandum esset, ut omnes salvi fierent, cùm nonnulli non sint per prædestinationem Dei à perditionis massa discreti, quibus inutilis est omnis labor, non semel illam tangit rationem, quia de prædestinatorum numero incerti sumus. *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus* ET OB HOC *omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est, à nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Ecce OB HOC omnes salvos fieri velle debemus, quia prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, apertissimè significans, nos non debere omnes salvos fieri velle, si prædestinatos à non prædestinatis discernere valeremus. Vnde in eodem loco, hanc ipsam nostræ discretionis ignorantiam iterum velut causam istius laboris erga salutem omnium generalis inculcans: *Nescientes enim qui pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et iterum iterumque: *Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit*, prædestinatione scilicet, *pertinet nullum excipium facere, nullumque discernere: sed velle omnes salvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem.*

Quæ sane cum in Augustini doctrina, perspicua certaque sint, nullo modo principijs ejus consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorũ non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, patrem orasse sentiatur. Scivit enim quò quisque jam ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum neque ullius pretij oblatione mutandum esse, nec seipsum velle mutare. Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ, effectibus rogavit, & pro ijsdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum. Cujusmodi oratio & oblatio, quia valde diminuta est, parumque reprobis, multum vero prædestinatis prodest, ut

Lib. 21. de Civit. c. 24.

Lib. de Cor. & grat. 15

Ibid.

Ibid.

infrà

infrà declarandum est, hinc fluxit, ut passim in scriptis suis Augustinus oblationem sanguinis & mortis & orationum Christi, ferè ad solos electos restringere soleat. Quemadmodum jam abunde declaravimus. Hinc etjam fluxit id de quo supra jam fusius disseruimus, quod nunquam locum illum Apostolicum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ad omnes omnino homines extendi passus fuerit, sed semper ita (quamvis per diversas interpretationes) intelligendum esse contenderit, ut in solis prædestinatis effectum suum voluntas illa sortiretur. Quod quidem tanta docuit securitate atque vehementia, ut qui locum de omnibus omnino hominibus exponerent generaliter, dicat *non intelligere omnino qua locutione* hoc ab Apostolo dictum fuerit. Sicut ergo non voluit voluntatem Dei ad salutem omnium omnino hominum extendi, sed illorum dumtaxat, qui ex omni gente & lingua, ex omni hominum genere prædestinati sunt, ita nec voluit effectus istius voluntatis, hoc est, mortem sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed vel ad solos illos qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali eorum salute offeruntur; vel certe aliquatenus quoque ad illos qui ratione temporalis fidei aut charitatis, effectus aliquos redemptionis & propitiationis assequuntur. Nam illa extensio tam vaga modernorum scriptorum non alio ex capite, quam ex ista generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis, gratiæ omnibus conferendę præparatione fluxit; quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semi-Pelagianis introductam repudiavit: eo quod non alia ex causa excogitata esset; quàm ut Deo erga quoslibet indifferenter se gerente, & arbitrio, velut in innocentiæ statu, per sufficientissimam gratiam ad æquilibrium redacto, tota discretio hominum, ultimo ex hominibus, hoc est, ut olim Prosper dixit, *ex fonte volendi* peteretur. *Carm. de ingrat.*

FINIS.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS. DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER QVARTVS.

Qui est de gratia Christi quantum ad essentiam & divisiones ejus.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit medicinale Christi adjutorium secundùm substantiam. Esse cœlestem *suavitatem* seu *delectationem* juxta mentem sancti Augustini, ostenditur primo ex Scripturis, quibus ipse utitur, & alijs diversis ejus testimonijs.

DE gratia Dei medicinali quantũ ad operandi modum, tam de illa cui vulgò nomen *Efficacis*, quam cui *sufficientis* nomen tribui solet, satis diximus. Nunc aliquid adjungendum est de substantia seu natura efficacis. Non enim exigua inter Doctores recentiores controversia est, quid illa gratia sit, qua Deus cor hominis convertit, & in eo bonum operatur. Alij namque putant esse sanctam cogitationem, cujus perditam esse facultatem sancti tradunt; alij esse quosdam indeliberatos motus amoris, timoris, spei, vel similis cujuspiam affectionis, qua voluntas ad amandum, timendum, sperandum excitatur: alij esse physicam prædeterminationem potentiæ voluntatis ad operandum; quam ita declarant alij, ut sit prænotio quædam actualis per modum qualitatis transeuntis cum operatione voluntatis; alij ut sit realiter ipsa operatio causæ secundæ ut procedit ex influxu Dei promovente; alij denique ut sit aliquid habens esse incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis, quod à solo Deo in secunda causa producitur, & proprio vocabulo dici posse putant, motionem virtuosam, qua primus agens efficit ut voluntas operetur. Quid de singulis istis, & si quæ fortassis aliæ sunt, opinionibus, arbitrandum sit juxta divi Augustini sententiam, A non est opus longo discursu sigillatim patefacere. Res enim per seipsa loquitur, cum veritas ex ejus scriptis innumeris testimonijs suffragantibus apparuerit. *Nam cognitio veritatis, ut idem ait, omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius maudita erant, & dijudicare & subvertere idonea est.* Epist. ad Dioscor.

Vestigijs igitur sanctissimi & securissimi Doctoris inhærere qui statuerit, non multum in ista difficultate quæ tantopere recentiorum industriam exercuit, laborabit. Videbit enim perspicue ex omnibus operibus ejus ac locis inter se concinentibus, gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem schola vocat, non aliud esse, quam cælestem quandam atque ineffabilem suavitatem; seu spiritalem delectationem, qua voluntas prævenitur & flectitur, ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle & facere constituerit. B Testimoniorum quibus hoc Augustinus tradit, immensa pœnè seges est. Ne tamen inconfusa sui mole, lectoris fatigent intentionem, in certas classes ea partiemur: ex quibus vel omnibus vel singulis, liquidò constabit, nullum esse genus actionis aut voluntatis bonæ, nullum effectum efficacis gratiæ, qui non isti cælesti delectationi tanquam veræ gratiæ Christi veræque causæ tribuatur.

In primis igitur hoc probat, quod quando Augustinus illam veram Christi gratiam qua Deus in nobis & velle operatur & facere, ex Scripturis astruit, plurimis locis illam Scripturam

pturam velut evidentissimam allegat, *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructũ suum.* Hoc enim facit in libro secundo de peccatorum meritis & remissione. Nam quærens unde contingat, quod homines aliquando nolunt id quod justum est facere, inter cetera sic respondet: *Ideo quisquis nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultati sed divinis muneris esse vel quod scit vel quod delectatur. Ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quam vere non de terra illa, sed spiritualiter dictum est; Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et inferiùs: *Nos autem quantum concessum est sapimus & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis aliquos operis justi aliquando non tribuere, vel certam scientiam vel victricem* DELECTATIONEM, *ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quo illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, qua det fructum suum terra eorum.* Hanc autem esse verissimam illam & sincerissimam & efficacem gratiam, quæ in omnibus Ecclesiæ precibus postulatur, ibidem perspicuis verbis adjicit: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur quam ut aperiat quod latebat, &* SVAVE FACIAT QVOD NON DELECTABAT: *quia & hoc ab illo esse deprecandum eius gratiâ didicimus dum antea lateret, eius gratiâ dileximus,* DVM ANTEA NON DELECTARET. Nam illa delectatione deficiente, statim anima ab operibus bonis refrigescendo, torpescit, sicut ibidem tradit: *Idcirco etiam sanctos & fideles suos, in aliquibus vitijs tardius sanat, ut in his eos minus quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit* DELECTET BONVM, *sive cum latet, sive etiam cum manifestum est ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius non insufficetur in conspectu eius omnis vivens.* Et in sermone undecimo de verbis Apostoli eandem gratiam nomine suavitatis in Scriptura significatam docet. *In eo quod accepimus; illi gloriam demus, ipsum honoremus, semina sua ipse compluat. Quid haberet terra nostra nisi ipse seminasset? Sed dat & pluviam, non deserit quod seminavit. Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et in sermone decimo quinto: *Ergo fratres mei habet delicias suas iniquitas, & justitia non habet? Delectat malum & non delectat bonum? Delectat omnino: sed Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Ille nisi prior det suavitatem, terra non habebit nisi sterilitatem.* Et in sermone 4. de verbis Domini: *Suavia sunt, dulcia sunt, delectabilia sunt (secularia) sed audi meliora: Narraverunt mihi iniusti delectationes suas, sed non ut lex tua Domine. Felix anima, quæ huiusmodi delectationibus oblectatur, ubi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Quem autem delectat lex Dei, & sic delectat ut omnes delectationes lasciva vincat, non sibi arroget istam delectationem; Dominus dabit suavitatem.* Quid dicam? Domine da mihi illam suavitatem vel illam? *Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me iustitias tuas: In tua suavitate doce me, & doces me.* TVNC DISCO VT FACIAM, *si in suavitate tua doceas me.* Ceterum quamdiu blanditur, iniquitas, & dulcis est iniquitas, amara est veritas. *In tua veritate doce me:* ut suavis sit veritas: DVLCEDINE TVA CONTEMNATVR INIQVITAS. Quas Scripturas: *In suavitate tua doce me.* Et, *narraverunt mihi iniqui delectationes suas, sed non ut lex tua*, etiam alijs in locis ad eandem veritatem inculcandam adhibet, ut ostendat, Deum cum ita docet, ut homo faciat, hoc ipsum ineffabili quadam dulcedine trahente operari. Et in Psalmum octogesimum quartum, unde locus ille sumptus est: *Quid est quod dixit: Justitia de cœlo prospexit? Etenim Dominus dabit, inquit, suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum: nos ergo respiciamus nos; & si nihil in nobis invenerimus nisi peccata, oderimus peccata, & desideremus justitiam &c. Et confitens illi peccata tua mereberis ab illo* DELECTATIONEM, *& suavitatem justitiæ faciendæ, dabit tibi, ut incipiat te delectari iniustitia, quem primo delectabat iniquitas: ut qui primo gaudebas in ebrietate gaudeas in sobrietate: & qui primo gaudebas de furtis, ut tolleres homini, quod non habebas, quæras donare non habenti, quod habebas. Et quem delectabat rapere, delectet donare, quem delectabat spectare, delectet orare: quem delectabant cantica nugatoria & adulterina, delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam, qui primo currebat ad theatrum. Vnde nata est ista suavitas, nisi quia Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum?* Et mox: *Suscepistis semen (prædicationis meæ) cogitate de verbo quod audistis, tanquam glebas frangentes, ne semen rapiant volatilia, ut possit ibi germinare quod seminatum est. Et nisi Deus pluerit, quid prodest quod seminatur? Hoc est, Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Et ostendens pluviam istam germinare & crescere facientem verbum Dei, esse suavitatem illam cælitus depluentem: *Ille enim, inquit, visitationibus suis, in otio, in negotio, in domo, in lecto, in convivio, in collocutione, de ambulatione visitet corda vestra, ubi nos non sumus. Veniat imber Dei & fructificet quod ibi seminatum est. Et ubi non sumus nos, & securi quiescimus, aut aliud agimus.* DEVS *det incrementum seminibus quæ sparsimus, ut attendentes postea bonos mores vestros etiam de fructu gaudeamus; quoniam* DOMINVS DABIT SVAVITATEM, *& terra nostra dabit fructum suum.* Simili modo tractat, & usurpat ad eandem veritatem asserendam alijs locis; quibus congerendis frustra immorer, cum ista sententiam ejus declarent apertissimè.

Sic & illum locum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* (quo gratia prævenies hominis voluntatem, & retorquens eam à malo ad bonum; indicatur) nonnunquam ad eandem suavitatem astruendam accersit, tanquam gratiam qua voluntas ad bonum concupiscendum volendumque transfertur. Vt in libro secundo ad Bonifacium: *Misericordia eius prævenit me; & ipse est cui fideliter veraciterque cantatur: quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur quam ipsa de qua loquimur cupiditas boni?* TVNC ENIM BONVM CONCVPISCI INCIPIT CVM DVLCESCERE

Lib. de pr. sanct. c. 17. *Ibid. c. 13.* *Ibid.* *Ibid.* *Serm. 11. de verb. Apost. c. 4.* *Serm. 4. de verb. Apost. c. 4.* *Enarr. in Psal. 84. in fine.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Ibid.*

CERE INCIPIT. Et paulo pòst: ERGO BENEDICTIO DVLCEDINIS EST GRATIA DEI, QVA FIT IN NOBIS, VT NOS DELECTET, ET CVPIAMVS *hoc est amemus quod præcipit vobis*: *in qua* SI NOS NON PRÆVENIT DEVS, *non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Nescio quid disertius & clarius posslari possit ab Augustino, ut sciamus quid ipse senserit esse gratiam illam, qua fit ut bonum velle & facere incipiamus. Apertissimis enim verbis clamat esse *suavitatem* quam Deus de cælo pluit, esse *delectationem*, esse *benedictionem dulcedinis*, qua fit in nobis ut nos non solum delectet, sed etjam cupiamus bonum. Et hanc ita tradit esse gratiam Dei, ut sine illius præventione, bonum neque perficere neq; inchoare possimus.

Quod sanè & alijs diversis locis non minus luculenta testificatione confignat. Nam istam gratiam delectationis ab Apostolo significatam esse docet, quando ad Romanos dicit: *Rom 7.* *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem:* *Lib. 1. de nupt. c. 4 p. 30.* *Ista*, inquit, *condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem, cum in ea proficit perseveranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens, ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur invisi.*

Et in libro de gratia Christi, in Scriptura ista, *suavis es Domine, & in tua suavitate doce me iustitiam tuam*, sicut ipse legit, eandem efficacem *Lib de grat.* volendi & operandi gratiam nomine *suavitatis* *Christic. 13.* expressam esse testatur. *Iustitia*, id est opus justitiæ *ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo, suavis es Domine,* ET IN TVA SVAVITATE DOCE ME *iustitiam tuam: ad est ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate* DELECTER *esse cum lege. Præceptum quippe liber facit, qui* LIBENS *facit.* ET HOC MODO QVISQVIS DISCIT, per suavitatem videlicet, *omnino agit quid quid agendum didicerit.* De quo docendi modo per suavitatem gratiæ, in eodem loco præclarissimè dicit. *Hæc gratia*, scilicet vera Christi cum *Ibid.* Pelagio controversa, de qua jam citato loco totoque libro disputat, *si doctrina dicenda est, certè sic dicatur ut altius & interius eam Deus cum* INEFFABILI SVAVITATE *credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt simul docens & quid agant scire, & quid sciunt agere.* *Serm. 27. de verb. Domi. c. 2.* Iuxta quem docendi modum de Maria Magdalena Christi doctrinam audiente dicit: MIRA ENIM SVAVITATE *tenebatur, quæ profecto maior est mentis quam ventris.* Quod vero in illo docendi modo etjam charitatis mentionem facit, rectissimè facit. Nam illa suavitas est quæ facit pleno deliberatoque consensu & impetu diligere Deum. Sed uberius & evidentius eandem gratiam in illa Scriptura nomine suavitatis esse significatam Enarratione in Psalmos tradit: *Sic debemus intelligere* SVAVITATEM *quam χρηστότητα Græci vocant, ut in bonis spiritualibus deputetur. Propter hoc enim eam & bonitatem nostri appellare maluerunt. Nihil hic ergo aliud dictum existimo,* SVAVITATEM *fecisti cum servo tuo, nisi, fecisti ut me* DELECTARET *bonum. Quando enim delectat bonum magnum Dei donum est. Quando autem bonum opus, quod lex imperat, fit timore pœnæ, non* DELECTATIONE IVSTITIÆ, *cum Deus metuitur, non amatur, serviliter fit non liberaliter.* Et de loco quem tractabamus consequenter adijcit: *Suavitatem & eruditionem & scientiam doce me, inquit, augeri sibi ista poscit & perfici. Nam utique qui iam dixerat: suavitatem fecisti cum servo tuo: quomodo dicit, suavitatem doce me, nisi ut ei* GRATIA MAGIS MAGISQVE ABVNDET, *vel innotescat,* DVLCEDINE *bonitatis? Habebant enim fidem qui dixerunt: Domine adauge nobis fidem.* Et inferius in ejusdem Psalmi tractatione versans locum illum, quo Propheta discere cupit justificationes Dei: *Eo modo hic, inquit, intelligendus est dixisse, ut discam iustificationes tuas, ea notitia qua fiunt. Hoc autem quia non sit nisi per dilectionem, ubi qui facit habet* DELECTATIONEM *propter quod dictum est:* IN TVA SVAVITATE *doce me iustificationes tuas sequens versus ostendit &c.*

In Psal. 118 *Ibid.* *In eundem Psalm. 118.*

Hanc gratiam nomine suavitatis & illo Scripturæ loco designatam esse contendit, quando Psaltes Emphaticis illis verbis: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, sibi ipsi admirando gratulatur, & sibi respondet, *super mel ori meo.* Nam inquit Augustinus, *hæc est* ILLA SVAVITAS *quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut bonum* VERE BENE, *id est, non male carnalis formidine, sed boni spiritalis* DELECTATIONE *faciamus.* *In eundem Psalm.*

Hanc gratiam itidem *suavitatis* nuncupatione commendatam esse scribit quando Psaltes in alio Psalmo dicit: *Parasti in tua suavitate egenti Deus*; pro quo nos legimus eodem sensu *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus: In tua* SVAVITATE *non in illius facultate. Egens est enim quoniam infirmatus est, ut perficiatur, agnovit se indigentem ut repleatur. Hæc est illa* SVAVITAS *de qua alibi dicitur: Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum: ut bonum opus fiat non timore sed amore: non formidine pœnæ sed* DELECTATIONE *iustitiæ.* *In Psal. 67*

Ex quibus æquus quisque lector videt nihil Augustino certius esse quam in Scripturis sacris gratiam illam efficacem, per quam solam operamur quidquid boni operamur, de qua tam acris inter Scholasticos conflictus vertitur, nomine dulcedinis, suavitatis, delectationis nempe spiritalis atque cælestis esse significatam. Cui doctrinæ tanquam à Spiritu sancto multipliciter traditæ, sexcentis in locis, præter ea quæ recensuimus ipse subscribit. Vt in libro de spiritu & littera, in quo ex professo de vere & efficacis gratiæ adjutorio cum Pelagio luctatur, & ab omnibus Pelagianis adjutorijs distinguit ac separat: *Nos autem dicimus,* *Lib. de fide, & lit. c. 33* inquit, *humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam iustitiam, ut præter quod creatus est homo*

bono cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, id est adjutorium Spiritus sancti, *quo fiat in animo eius* DELECTATIO, *dilectioque iustitiæ summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc cum adhuc per fidem, ambulatur, non per speciem: ut hac sibi velut arrhâ datâ gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, ut ex illo ei bene sit à quo habet ut sit.* Vbi perspicacissimè delectationi dilectionem, ardorem inflammationemque subnectit. Sunt enim effectus, qui immediatè ex illa cælesti suavitate germinant ut infrà latius. Et necessitatem talis adjutorij ad omnes actiones explicans: *Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via:* Scientia enim seu cognitio objecti ad bene agendum omnino necessaria est: *Et cum id quod agendum est, cœperit non latere nisi etiam* DELECTET *& ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.* Et in eodem libro inferiùs: *Confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum Spiritus sancti* SVAVITATE *iustitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Vbi gratia justificans Augustino est adjutorium quo ad justitiam legis implendam, hoc est, ad juste agendum vivendumque perducimur. Quæ vocis acceptio in isto libro & alijs Augustini lucubrationibus receptissima est: Vnde & in eodem capite decimo quinto. *Hic autem Spiritus Domini cuius dono iustificamur, quo fit in nobis ut non* PECCARE DELECTET, *ubi libertas est: sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus, à cuius, operibus abstinendum &c.* Et inferiùs adhuc manifestiùs: *Per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod iubet atque inspirata gratiæ* SVAVITATE *per Spiritum Sanctum, faciat* PLVS DELECTARE *quod præcipit, quam delectat quod impedit.* De quo loco & similibus paulo latius infrà disputandum est. Et in libro de Correptione & gratia. Verissimam illam voluntatis & actionis gratiam tangens: *Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione &* DELECTATIONE *iustitiæ.* SVAVITATEM *quam dedit Dominus ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Et homilia vigesima nona: *Quomodo te à te liberat Deus? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adversus concupiscentias tuas.* Et quomodo, quo adjutorij genere efficit istud Deus? Subjungit Augustinus: *Inspirando virtutem, dando menti* CÆLESTEM DELECTATIONEM, *qua omnis terrena delectatio superetur.*

tib. de spir. & lit. c. 3.

fol. 10.

Ibid. c. 25.

Ibid. c. 29.

Lib. de Cor. & gra. c. 2.

Serm. 29.

CAPVT SECVNDVM.

Idem ostenditur.

Secundò inductione, seu enumeratione cujusvis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam prærequirit Augustinus.

QVÆ quidem quanquam sufficere possent, ut mens Augustini de natura medicinalis adjutorij liquido capiatur, quia tamen ad inopinatam veritatem animus inveteratarum sententiarum præjudicijs gravidus non facile cedit, operosius eadem ex Augustini monumentis demonstranda sunt; ut evulso omni scrupulo nemo de mente sancti Præsulis incertus hærere possit, nisi qui quicquid semel opinionum præoccupaverit, tueri quoquo modo malit, quam susceptam à suis magistris mutare sententiam.

Itaque suavitatem seu delectationem cælitus infusam esse ex Augustini sententia veram illam gratiam, de qua tanta inter Scholasticos controversia est, secundo demonstrari quasi inductione potest. Nullum est enim boni operis genus, quod ipse non ad istam divinæ suavitatis inspirationem tanquam ad adjutorium revocet, quo Deus id in homine operatur. Et quidem diversas actiones singulares per delectationem tanquam per veram gratiam in hominis voluntate à Deo effici, ex præcedenti etiam capite utcumque liquet. Quid enim in actionibus bonis prius est, quam ut bonum quod prædicatur nobis, incipiamus concupiscere? Et tamen de boni cupiditate dixit: *Tunc bonum concupiscis incipit, cum dulcescere incipit.* In qua dulcedinis gratia, *si nos non prævenit* Deus, non solum non perficitur bonũ, *sed nec inchoatur ex nobis.* Quod si sine tali suavitatis gratia nec inchoari bonum potest, profecto neque cogitari potest, quod etiam exsertis verbis apud sanctum Fulgentium Petrus Diaconus profitetur, quando dicit non per naturalem libertatem nos posse jam cogitare divina, sed tantum attracti ad veram libertatem non violenta necessitate, sed *infusione suavitatis* per Spiritum sanctum.

Lib. 3. ad Bonif. c. 9.

Pet. Diacon. apud S. Fulgent. c. 6.

Postquam autem bonum jam cogitatum, vel eatenus saltem concupitum est, restat ut pia voluntate credatur. Sed nec istud nos posse sine cælesti delectatione Augustinus tradidit, quando dixit, quod quando veritas cœperit non latere, *nisi etiam delectet non suscipitur;* ergo neque creditur. Nam suscipere veritatem nihil est aliud profecto nisi credere veritati. Vnde alibi luculentius exponens gratiam, qua trahimur, ut ad Christum credendo veniamus, tam diserte de ejus natura disputat, ut omnes

Lib. de spir. & lit. c. 3.

ut omnes orbis illum scrupulorum uncos ex omnium animis eximere, omnesque ambiguitatis nebulas ab omnium oculis tergere voluisse videatur. Nam propositis illis Christi verbis: *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum*, quibus Dominus gratiæ divinæ necessitatem ad fidem asserebat: *Magna*, inquit Augustinus, *gratia commendatio. Nemo venit nisi trahatur.* Quæ tamen quia libertati humanæ voluntatis, tractus violentia nocere videbatur, difficultatem istam objicit: *Si trahitur ait aliquis invitus venit: si invitus venit, nec credit: si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo. Quomodo ergo voluntate credo si trahor?* Respondet solvendo quæstionem & tractus istius seu divini adjutorij naturam exponendo Augustinus: *Ego dico, Parum est voluntate, etiam* VOLVPTATE *traheris. Quid est trahi voluptate? delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quæ dam* VOLVPTAS CORDIS *cui panis dulcis est ille cælestis. Porrò si Poeta dicere licuit.*

Trahit sua quemque VOLVPTAS.

Non necessitas sed VOLVPTAS; *non obligatio sed* DELECTATIO; *quanto fortius nos dicere debemus trahi debemus ad Christum, qui* DELECTATVR *veritate,* DELECTATVR *beatitudine,* DELECTATVR *justitia,* DELECTATVR *sempiterna vita* (quando illi prædicantur) *quod totum Christus est? An vero habent corpora sensus* VOLVPTATES *suas, & animus deseritur a* VOLVPTATIBVS *suis? Si animus non habet* VOLVPTATES *suas unde dicitur: Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente* VOLVPTATIS *tuæ potabis eos.* Et inferius rem profundissimam, familiarium exemplorum facilitate declarans: *Ramum viridem ostendis ovi; & trahis illum. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quo currit trahitur, amando trahitur, sine lasione corporis trahitur cordis vinculo trahitur.* Sed quo incentivo amor ille quo curritur trahitur, provocatur? Audi cetera: *Si ergo ista quæ infirmi delectant & voluptates terrenæ velantur amantibus, trahunt, quonium verum est:*

Trahit sua quemque voluptas:

Non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem? Quod quamvis verissimum sit, nunquam tamen animus desiderabit veritatem, nisi cum cælestis delectationis infusione doceatur. Itaque subjungit paucis adjectis Augustinus: *Omnis qui audivit a Patre & didicit venit ad me. Videte quomodo trahit Pater: docendo* DELECTAT, *non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit: Erunt omnes docibles Dei, trahere Dei est.* Vnde de tali veritatis docendæ trahendique modo superius dicentem audivimus: *Hæc gratia si docenda dicenda est, certe sic dicatur, ut altius & interius* (quam per aures) *eam Deus* CVM INEFFABILI SVAVITATE *credatur infundere.* Nam ista suavitas delectationis ita necessaria est, ut non solum de credendo, sed etiam de audiendo verbo prædicationis Augustinus asserat; *Quis teneatur ut audiat, si* NON DELECTATVR?

Iam vero quid post fidem est prius obvium, ac magis necessarium, quam oratio? Oratio quippe primus est fructus fidei, quo spiritus adjutorium invocatur, ut concupiscentiarum bonæ voluntati rebellantium exercitus debellari possit, & justitiæ seu bonæ vitæ mandata compleri. Sed nec ipsa oratio, sine illo DELECTATIONIS cælestis adjutorio fundi potest: *Intra cor tuum & gaudebis ibi. Cum ibi capitur* GAVDERE *ipsa mundities cordis tui* DELECTABIT *te & faciet orare.* Et in Psalmum centesimum sextum istius delectationis necessitatem experimens: *Quisquis*, inquit *probabiliter tam conversatur inter omnes sine ulla querela malorum morum, excipitur tertia tentatione tædij cujusdam in mora bonæ vitæ, ita ut aliquando eum nec legere nec orare* DELECTET. *Tertia tentatio priori contraria. Illius enim periclitabatur fame, postea fastidio. Vnde & hoc nisi de quodam languore animæ? &c.* non est & ista levis tentatio. Sed an forte ista tentatio fastidij ac tædij aliter quam ista suavitatis infusione superari potest? Audi Augustinum: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod* NON DELECTABAT: *quia & hoc ab illo esse deprecandum, cujus gratia dubitamus, dum ignoramus latere: cujus gratia dileximus, dum antea non* DELECTABAT, *ut qui gloriatur non in se sed in Domino glorietur.*

Post fidem atque orationem sequitur amor seu dilectio boni, atque ipsius Dei, sed nec illa in hominis corde nascetur, nisi eam delectationis gratia suscitaverit. Nam ideo capite præcedenti dixit, ad bene vivendum necesse esse *ut accipiat* homo *Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus* DELECTATIO *dilectioque summi illius atque incommutabilis boni:* ut videlicet ex DELECTATIONE dilectionem sequi, ipsa verborum connexione patefaceret. Et similiter statim: *Nisi etiam* DELECTET *bonum & amentur, non agitur, non suscipitur &c.* Et in libris contra Faustum amorem nasci ex delectatione significat: *bonum quod amaverat eius specie delectata.*

Ex eodem delectationis ac dilectionis ordine fit ut magnum illud donum Dei, libertatem scilicet illam animi à dominatione cupiditatis, qua Deo non serviliter sed liberaliter servit, ipsi divinæ suavitati, tanquam adjutorio gratiæ voluntatem liberantis tribuat. *Sancti Angeli id sibi agendum imperant, quod ille quem contemplantur, jubet; cujus æterno imperio liberaliter quia suaviter serviunt.* Et in tractatibus in Ioannem cum illa citasset Apostoli verba: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Statim attexit, *Ecce unde liberi unde concelecta mur legi Dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod iustum est, non Deus te delectat. Quamdiu adhuc servus facis, non te delectat.* Delectet *te & liberet.* Et adhuc uberius in eodem loco: *Ergo iam ille ex parte superiore liberum se esse sentiebat: Vnde dicebat: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Delectat me lex, delectet me quod iubet lex, delectat me ipsa iustitia.*

Hoc

Trahit. 26. in Ioan.

Virgil. Eclega 2.

Ibid.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Lib. 4. de doct Christi c. 26.

In Psal. 33.

In Psal. 106.

Lib. de pœnit. c. 13.

Lib. 1. de gr. & lib. arb. c. 20.

Lib. 9. cont. Faust. c. 24.

Lib. 22. cont. Faust. c. 27.

Tract. 41. in Ioan.

Hoc est usitatissimâ sancti Augustini phrasi, delectat me ipse Deus, cujus delectatione sum liber ac diligo eum. Vnde de ista condelectatione dicit in libro de nuptijs & concupiscentia: *Ista condelectatio legi Dei de magna nobis venit gratia Dei. Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.* Et in Psalmum sexagesimum: *Hæc est illa suavitas de qua alibi dicitur: Dominus dabit suavitatem & terra nostra dabit fructum suum, ut bonum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ. ipsa est enim vera & sana libertas.* De qua suavitatis ac delectationis libertate, alibi pluribus differemus.

Isti dilectioni ac liberationi animi à lege peccati conjunctum est aliud beneficium, ut videlicet cupiditatum nostrarum tentationibus nullum consensum præbeamus: quod ut fiat, sola delectatio ejusque tanquam genuinum divinæ gratiæ adjutorium facit. *Lex non* B *illa in vetustate literæ, sed lex Spiritus vitæ in Christo* IESV *liberavit te à lege peccati & mortis*, hoc est, à tentationibus concupiscentiæ. Et quæ illa lex Spiritûs vitæ, & quo pacto liberat? Audi: *Vt enim* CONDELECTERIS *legi Dei secundum interiorem hominem, unde haberes nisi spiritu vitæ in Christo* IESV *liber. veneris à lege peccati & mortis. Ideo, mens humana ne tibi tribuas, ne multum superbias, imo ne omnino superbias ô mens humana, quod non consentis desideriis carnis, quod lex peccat. non te de arce deponit.* Et in Sermone præcedente multo manifestius. Ibi enim respondet ille qui tentatur titillationibus suis: *Nolo, inquis, non facio puta quia* DELECTAT, *non facio; habeo* CVI CONDELECTOR. *Condelector enim legi Dei, quid tu de carne tumultuaris.* Et in libro texto de Musica: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Et Petrus: Si gustastis quoniam suavis est Dominus. Non enim amor temporalium expugnaretur, nisi aliqua suavitate æternarum.* Et in C libro primo ad Bonifacium cum Apostolum exponendo dixisset: *Consentio legi quia nolo quod non vult*, ut videlicet concupiscentiæ tum illuanti consensum denegemus adjicit: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est* NVNC *autem, nisi jam nunc sub gratia quæ liberavit* DELECTATIONEM *voluntatis à consensione cupiditatis?* Vbi rectius fortasse legeretur, quæ liberavit DELECTATIONE *voluntatis* à consensione iniquitatis. Nam & sensus ineptus est, ut gratia dicatur liberare delectationem, totiesque doctrinæ Augustini dissentaneus; & ipsa consequentium connexio aliud postulat. Nam in eodem capite paulo inferius explicans quomodo à consensione cupiditatum animus liberetur, hoc ipsum diversis verbis delectationi tribuit & delectationi gratiæ Dei: *Cum ipsa* DELECTATIO *boni qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ* (hoc est enim CONDELECTARI) *non nisi gratia deputanda sit.* Et in illa verba Psalmi sexagesimi quarti: *Exitus mane & vespere delectabis* hoc est ut ipse tradit, Exitus è tentationibus tam prosperitatis quam adversitatis *delectabiles facis*, nempe per delectationem rerum cælestium: *Magnificè sic posuit; Delectabis exitus mane & vespere. Si enim non te delectet ipse exitus, non laboravis exire inde; mittis caput in lucrum promissum, si non te* DELECTET *promissio Salvatoris. Et rursum cedu tentanti & terrenti, si non te* DELECTET *ille qui prior passus est, ut tibi exitum faceret.* Nam istud est quod in superius allegatis dixit; Deum liberare seu exitum facere, *inspirando virtutem, dando menti tuæ* CÆLESTEM DELECTATIONEM, *qua omnis terrena delectatio superetur.* Et in illa verba Psalmi centesimi trigesimi septimi. *Qui manducatis panem doloris;* rerum tristium tolerantiam divinæ suavitati tribuit: *Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis. Nisi autem haberet aliquam* SVAVITATEM *prius ipse; nemo illum manducaret. Cum quanta suavitate plorat, in gemitu ignorat? Dulciores sunt lacrymæ orantium quam gaudia theatrorum.*

Hom. 6. de verb. Apost. 33.

Ibid. de verb. Apost. 16.

Ibid. de Musica. 18

Ibid. de verb. Apost. 10.

Ibid. alibi. cap. 10.

In Psal. 64.

Hom. 29. cap. ult.

In Psal. 127

Sed quia non est Christiano satis non consentire tentationibus, hoc est, declinare à malo, sed opus est etiam facere bonum, nullâ omnino gratia istud præstat voluntati, nisi istud cælestis suavitatis auxilium. Per hoc enim solum efficitur, ut homo non timore pœnæ, sed amore justitiæ bonum operetur: quod quamdiu non fit, nunquam, juxta constantissimas Augustini regulas, est opus bonum; & quando fit, impossibile est non esse bonum. Hoc igitur suavitatis adjutorium, esse gratiam illam, qua bonum operamur, sexcentis testimonijs Augustinus expressit. Nam inde est quod toties jam audivimus inculcata illa Scripturæ verba: *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quis enim verior est terræ nostræ per se sterilis, quàm bonorum operum fructus? Inde est quod toties jam cum Propheta superius cœ- C precantem audivimus: *Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justificationes tuas.* Hic enim, ut idem ait, docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt; *simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.* Nam & alibi dicit: *Tunc disco ut faciam si in tua* SVAVITATE *doceas me.* Inde est quod plurimis locis, quorum nonnulla jam citavimus passim docet Deus *delectatione justitiæ* opus esse faciendum, & hanc ipsam delectationem nobis tribuendam esse à Deo: *Suavitatem*, inquit, *justitiæ faciendæ dabit tibi, ut incipiat te delectare justitia, quem primo delectabat iniquitas.* Et in Psalmum centesimum vigesimum-nonum: *Est sermo Dei* (id est, lex Dei) *adversarius tuus quamdiu cum illo non concordas. Concordas autem cum coperit te* DELECTARE, *facere quod dicit sermo Dei.* Et in alium Psalmum: *Clama ad illum infelix ego quis me liberabit de corpore mortis hujus? Veniet enim gratia Dei, & quænam gratia? Vt* D *delectet te justitia, sicut delectabat iniquitas. Et homo qui ex vinculis resolutus es exclamabis ad Deum. Dirupisti vincula mea &c.* nempe per illam solam & unicam gratiam Dei DELECTATIONEM justitiæ, quam toties prædicat. De qua delectatione seu suavitate justitiæ

Lib. de grat. Christi c. 13.

Serm. 2. de verbis Apost. cap. 8.

Enarr. in psal. 8. fine.

In Psal

In Psal. 5

aut legis aut operis boni, aut recte facti, quæ apud Augustinum in idem redeunt, qui plura volet videat ea quæ in capite superiori, & in alijs nonnullis diximus.

Vide lib. 1. de pura nat. a. 5. usque ad 10.

Sed quid opus pluribus? Illud DELECTATIONIS cælestis adjutorium tam est in hac mortali vita necessarium, ut nisi istud operibus nostris Deus aspergeret, deficeremus in via, qua ad Patriam tendimus: *Si nulla* IVCVNDITAS, *deficimus, si plena securitas male exultamus, Ergo &* IVCVNDITATEM *aspergat, & timorem incutiat, ut de* DVLCEDINE IVCVNDITATIS *perducat nos ad sedem securitatis.* Tanta est etiam efficaciæ, ut cujus mens eo inebriata, Deo miserante fuerit, præstet hoc ipso terrenorum omnium quibus immergimur ac tentamur

In Psal. 85.

A oblivionem, & per omnes temporales prosperitates atque adversitates rapit eum ad ipsam domum Dei: *Gustemus saltem*, inquit sanctus Doctor. *quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus Spiritum, in quo sentiamus eius* DVLCEDINEM, *& desideremus ipsum vitæ fontem, ubi sobriâ ebrietate mundemur & irrigemur. sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, & dat fructum*, bonorum operum, *in tempore suo. Inebriabuntur enim ab ubertate domus tuæ &c. Talis ebrietas non evertit mentem, sed tamen rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum.* Qua de re plura dici possent nisi ex istis quæ adduximus istius adjutorij natura & potestas & necessitas ad omne bonorum operum genus satis perciperetur.

Lib. de agone christian. cap. 9.

CAPVT TERTIVM.

Idem probatur.

Tertiò ex contrario, hoc est, ex peccatis quæ ex simili delectatione terrenâ, tanquam ex causa proficisci tradit.

TERTIO delectationem istam cælestem esse verum ex Augustini sensu medicinalis gratiæ adjutorium, quod Deus ad justitiam operandam voluntati tribuit, ex eo demonstrari potest, quia similiter docet, delectationem terrenam esse causam cur ab Adami posteris justitia deseratur ac deserendo peccetur. Cùm enim peccatum & recte factum omnino contraria sint, hoc ipso quo docet ita peccata perpetrari, ut voluntas terrenâ quâdam delectatione præcedente præparetur & impellatur, lectoribus intelligendum relinquit, id quod toties de cælesti delectatione atque suavitate ad justitiam operandam conferente tradit, ex generalicui quadam & arcana ratione ad voluntatem tam sublimibus operibus præparandam, multo magis esse necessarium, ut eo tanquam adjutorio sancti Spiritus adjuta & elevata, & concupiscentiarum suarum visco expedita, in operationes cælo dignas prorumpere & evolare possit.

Hanc igitur delectationem peccatorum antecedere & ex illa proficisci quod ab hominibus peccetur, non uno loco sanctus Augustinus profitetur. Quid enim apertius dici potest, quam id quod contra Manichæos de ordine quo peccavit Adam tradit, nempe per mulierem veluti nos per tentationem qua tentamur: *Sed tamen*, inquit, *per mulierem* diabolus perversitatis persuasor *decipit: non enim etiam ratio nostra deducit ad consensionem peccati potest, nisi cum* DELECTATIO *mota fuerit in illa parte animi, quo debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illa tribus serpente,*

Lib. 2. de gen. contra Manich. cap. 14.

B *muliere, & viro.* Quod uberius declarat. Quid vero absolutius quam id quod adversus eosdem Manichæos cum Fausto eorum Coryphæo disputans, docet: *Quapropter hominis actio serviens Idei servienti Deo refrenat omnes mortales* DELECTATIONES *& eas coërcet ad naturalem modum meliora inferioribus ordinata dilectione præponens.* SI ENIM NIHIL DELECTARET ILLICITVM, NEMO PECCARET. *Peccat ergo qui* DELECTATIONEM *illicitè relaxat potius quam refrenat.* Ad quam doctrinam tam generaliter pronuntiatam passim in omnibus operibus suis respicit; ut quando dicit contra Secundinum qui putabat malam esse creaturam cujus dilectione peccatur: *Quæro quid alliciat animam consensionem, an irruat illa cassatum & propterea consentire dicatur, quia eius aliquâ* DELECTATIONE *moveatur ad fruendum.* Et quando contra Donatistas ex persona peccantium generaliter promit: *Quid aliud sermoni veritatis tu stitiæque respondent omnes flagitiosi & facinorosi homines, luxuriosi &c. Quid aliud respondent cum eos veritas arguit, nisi hoc volo, hoc me* DELECTAT? Vbi posterius prioris ratio est delectatio voluntatis, quia ut ante dixit, si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Et quando in quæstionibus octoginta tribus dicit, quod sub lege vincimur, sub gratia vero *tam non vincimur* DELECTATIONE *consuetudinis seu* cupiditatis *malæ.* Nam ante gratiam ideo non implebatur lex, *quia ipsius*, inquit, *justitiæ nondum erat charitas quæ dilectione teneret interiora mentis ne ad peccatum* DELECTATIONE *rerum temporalium traheretur.* Et quando contra Pelagianos ad Bonifacium scribit: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud non peccent, maxime omnes qui cum* DELECTATIONE *peccant,*

Lib. contra Secundin. cap. 16.

Lib. 2. de Bapt. c. 10.

Lib. 83. qq. q. 66.

Lib. 1. ad Bonif. cap. 2.

peccant, & amore peccati hoc eis placet quod eis libet. Quod iterum iterumque inculcat paulo post: *In malo*, hoc est, ad mala agendum, *liberum habet arbitrium cui delectationem malitiæ, vel occultus vel manifestus deceptor inserit, vel sibi ipse persuasit &c. Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia* DELECTATVR *malis, ideo libera in bonis non est*, hoc est, ad bene agendum, *quia liberata non est*, per similem videlicet justitiæ delectationem. Vbi quod primo loco dicit, *maxime* propter ignorantiæ peccata adjectum est, in quibus homo non videtur delectari rebus quas ignoranter appetendo, peccat, quamvis & illa ipsa peccata, occultiori alia delectatione committantur. Et quando in Psalmis ad populum dicit: *Nocet tibi* (malus) *saltem vel exemplo, quia vivit tecum, & ad quod agit invitat. Nonne cum eum vides forte in illis sordibus prosperari ducem talium delectatione factorum? Et si non consentis, saltem invenisti quod expugnes.* Et quando in alium Psalmum expressius loquens ait: *Quando* (in futura vita) *nihil erit quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil cui consentiamus, sed nihil quod suggeratur ex carne. Etenim modo fratres mei, quamvis illicitæ delectationes animum tangunt, quamvis eis non consentiamus, ut membra nostra iniquitatis; tamen vel* DELECTARI *talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas.* Et quando in Tractatibus in Ioannem scribit: DELECTAVIT *quod malum est, consensisti, peccasti. Consensio illa occidit te &c.*

A Et ut pluribus congerendis supersedeam quibus Augustini scripta passim referta sunt, unicaque sententia absolutissima rem absolvam, quando in Sermone sexto de verbis Apostoli regulam figit: QVICQVID EST PECCATORVM IN DICTIS, IN FACTIS, IN COGITATIONIBVS NON EXORIVNTVR NISI EX MALA CVPIDITATE, NON EXORIVNTVR NISI EX ILLICITA DELECTATIONE. Ex istis testimonijs tam dense sparsis in Augustino, manifestissimum esse puto, nullum peccatum fieri ab hominibus, quin voluntas, quamvis per seipsam ad peccandum prompta sit, quâdam delectatione prius titillante & proritante provocetur, ut ita quodam quasi diaboli adjutorio, ut ita loquar, impulsa ad ruinam pertrahatur: nec illud ipsum ex alio capite juxta doctrinam sancti Doctoris fluit, quam quod apud ipsum principium est certissimum, B nulla post Adami ruinam peccata nisi pœnalia, hoc est, vel ignorantiâ fallente, vel concupiscentia cui consentimus vincente perpetrari. Quod nos alio in loco uberius declaravimus. Quid ergo mirum & non potius maximè naturis rerum consentaneum, si vicissim infirmitas voluntatis, per peccatum temeratæ ad opera naturæ vires superantia, similis delectationis cælestis adiutorio ad consentiendum, volendum, faciendumque sublevetur? Quod liquidius ex istarum duarum delectationum colluctatione, quam sæpe tangit Augustinus percipi poterit.

Serm. 6. de verb. Apost. cap. 2.

Vide lib. 2. de statu pur. naturæ c. 24. & 25.

CAPVT QVARTVM.

Idem demonstratur.

Quartò ex lucta duarum delectationum terrenæ ac cælestis, quarum Postrema nisi vicerit, peccatur.

QVARTO itaque demonstrari potest, suavitatem illam cælestem esse verum illud Christi adjutorium quo juvamur ad non peccandum, rectèque faciendum, quia creberrime docet Augustinus, quamdiu in hac vita mortali vivimus, esse in homine luctam quandam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cælestis; quarum utralibet vicerit animum secum consentientem ac pronum trahit. Tunc vero hominem à peccato liberari & opus bonum effici, cùm cælestis illa suavitas de cælo venerit atque adversariam suam superaverit. Hoc enim perspicuè docet in libro de continentia, cùm ordinem tradit, quo homo ex profundo peccati emergit, ut gratiam accipiat & justitiam operetur. *Si autem lex factum prævaricatorem, tanquam ad hoc gravius vulneratum ut desideret medicum, tanquam pædagogus perducit* AD GRATIAM *contra* SVAVITATEM NOXIAM A *qua vincebat concupiscentia, Dominus dat* SVAVITATEM BENEFICAM, *qua* DELECTETVR AMPLIVS *continentia, & terra nostra det fructum suum quo pascatur miles, qui dæmonibus Deo iuvante peccatum.* Quod & inferius indicat quando adjicit: *Bonum fit cùm id quod male libet* VINCENTE BONA DELECTATIONE *non fit.* Et in Psalmum trigesimum-quintum. *Antequam hoc fiat* (immortalitas) *est* DELECTATIO *iniquitatis in corpore, sed maior est* DELECTATIO VOLVPTATIS *verbi, sapientiæ, præcepti Dei. Vince peccatum &* VOLPTATEM *eius.* Et in Psalmum septuagesimum-quintum: *Indicitur tibi quædam nova vita, & tu vetus es. Novitatis* GAVDIO *suspenderis vetustatis onere prægravaru.* Quod statim exponit; quia *non desunt suggestiones &* DELECTATIONES *malæ: sed ex eo, quod mente iungeris Deo,* hoc est, ex eo quod novitatis gaudio suspenderis, *vincis quod in te non vult sequi te.*

Serm. 6. de verb. Apost. cap. 9. Et in Sermonibus de verbis Apost. DELECTAT VXOR aliena & non annuis, mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profer adversus eam sententiam mundans conscientiam. Nolo, inquis, non facio. Puta quia DELECTAT non facio; habeo cui CONDELECTER. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Quid tu de carne tua tumultuaris? Quid DELECTATIONES stultas, temporales, fluxas, vanas, noxias tumultuosè suggeris, & eas quasi garrula mihi narras. Narraverunt mihi iniqui DELECTATIONES. Inde est & ista concupiscentia. Narrat mihi DELECTATIONES, sed non sicut lex tua Domine. CONDELECTOR enim legi Dei, non de me, sed de gratia Dei. Et Ibid. cap. 10 aliquanto inferius: Mens repugnat & condelectatur legi Dei. Iam ergo si mens non consentu peccato titillanti, suggerenti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habeas alias interius DELECTATIONES SVAS, DELECTATIONIBVS carnis ex nulla parte conferendas &c. Et elegantissime in Sermone decimo septimo de verbis Apostoli: Præ omnibus voluptatibus, hoc est delectationibus etiam licitis amanda est iustitia. Si enim habes sensus interiores, omnes illi interiores sensus DELECTANTVR DELECTATIONE iustitiæ &c. Et inferius: Interroget & respondeat, quid dicturus sum, utrum sic DELECTETVR iustitia, ut eam ceteris ad hos sensus corporis pertinentibus DELECTATIONIBVS anteponat. Ecce DELECTAT te aurum tuum, oculos tuos DELECTAT. Metallum est pulchrum, fulgentissimum, DELECTAT &c. Decertant in te duæ DELECTATIONES, modo interroga te, quid præponas, quid te plus DELECTET, aurum an veritas, aurum an verum testimonium? Et post nonnulla interjecta adijcit: Longum est Ibid. cap. 5. per singulos corporis sensus excurrere, sed quod de oculis dixi, hoc de ceteris intelligite & præponite DELECTATIONI carnis DELECTATIONEM mentis. Carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates; mentem vestram DELECTET invisibilis, pulchra, sancta, canora, dulcis iustitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimur, NONDVM DELECTAT. Peccare non debes non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Vbi statim post delectationem, amoris mentionem facit, quia cælestis amor, cælestis delectationis tanquam veræ gratiæ est fructus: sicut ipsemet in eodem Sermone paulo superius dixerat: Constituamus ante oculos exemplum certaminis. Interrogo te utrum ames iustitiam: respondebis amo. QVOD NON RESPONDERES VERACITER, NISI TE ALIQVATENVS DELECTARET. NON ENIM AMATVR, NISI QVOD DELECTAT. Delectare in Domino Scriptura dicit. Dominus autem iustitia est. Serm. 17. de verb. Apost. cap. 3.

CAPVT QVINTVM.

Eadem lucta & victoria cælestis delectationis uberius declaratur, ex libris quos ex professo contra hostes gratiæ Christi scripsit.

QVIS vero ista & similia dumtaxat populariter dicta putet, secus vero atque accuratius cum contra Pelagianos hostes gratiæ disputaret, locutum esse, sensisse atque docuisse, non aure fuerit, eandem ejus sententiam, ex posterioribus ejus operibus depromere, in quibus ex professo vim gratiæ & adjutorij medicinalis explicuit. Itaque liber de Spiritu & littera inter primas lucubrationes adversus hæresin Pelagianam exaratus fuit: ubi tamen de cœlesti illa delectatione, qua omnis oppositus dolor ac delectatio superanda est, ut opus bonum possit sequi, loquitur in hunc modum: Sub Lib. de spir. & lit. c. 28. quo timore pœna Laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam Dei: ut det quod iubet atque inspirata gratia SVAVITATE per Spiritum sanctum faciat PLVS DELECTARE quod præcepit, quam DELECTAT quod impedit, hoc est, quodcumque bonum temporale, cuius delectatione peccamus. Et multis interpositis in eodem opere, cum hoc ipsum ageretur, unde fiat, ut aliquis non perfectè justitiam in operibus suis operetur, accuratissimè causam tradit. Ecce Ibid. c. 35. quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta iustitia & tamen impossibilis non est. Fieret enim si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tanta res; esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad nos lateret, & ea sic DELECTARENT animum, ut quidquid aliud VOLVPTAS aut dolor impedit, DELECTATIO illa superaret. Quod ut non sit non ad impossibilitatem, sed ad iudicium Dei pertinet. Ecce adjudicium Dei pertinet, quod non adsit illa gratia qua omnis voluptas ac dolor temporalis impediens superetur; & illa gratia non est alia nisi magna DELECTATIO cœlestis cui cedant cuncta repugnantia. Nam ut inculcatius adhuc subijcit: Quis enim nesciat, Lib. de spir. & lit. c. 35. non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi TANTVM DELECTET quantum diligendum est? Hoc autem sanitatis est animæ. Enchiridium vero ad Lauren-

Laurentium post damnatam hæresin Pelagiaram jam sub finem vitæ iscriptum est, in quo non minus luculente istud adjutorium cœlestis delectationis qua delectatio terrena superatur, asseruit, & quicquid de illa vel ipse vel nos ex ipso hactenus diximus, expresso calculo comprobavit: *Hoc nunc dicam quod quidem & in alijs opusculorum meorum locis* SÆPE IAM DIXI. *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit, sed profecto* VINCIMVR *nisi divinitus adiuvemur.* En manifestissimè assertam divini adjutorij necessitatem, non cujuslibet, sed illius quo nisi divinitus adjuvemur, profecto pugnando vincimur. Quod igitur istud adjutorium, quo juvandi sumus? Audi reliqua: *Vt non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente suavitate* DELECTATIO *iustitiæ* VINCAT *in* NOBIS *earum rerum* DELECTATIONES *quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes videnteſque peccamus.* Cujus peccati exemplum etiam statim subijcit, in quo justitiæ delectatio à terrena delectatione superatur: *Et* PVDOR, inquit, *timor esi dispicendi, dum* PLVS DELECTAT *hominum æstimatio quam iustitia, qua se quisque humiliat pœnitendo.* Nihil profecto clarius, nihil absolutius, nihil plenius desiderari potest. Ex professo quippe de adjutorio gratiæ disputat, atque illo adjutorio, quo tentationes superantur, & sine quo superamur, & exsertissimis verbis dicit, præter scientiam (de qua non est hic disputatio) esse DELECTATIONEM *iustitiæ* qua delectationes aliarum rerum devincendæ sunt. Et hanc ipsam doctrinam se sæpius in alijs opusculorum suorum locis tradidisse confirmat. Præcipuus autem locus quem istis verbis respicit, habetur in libris ad Marcellinum de peccatorum meritis & remissione, qui contra Pelagianos etiam exarati sunt. Nam ibi doctrinam eandem prorsus ijsdem pene verbis, non minus accuratâ perspicuitate consignat: *Cum voluntate,* inquit, *humana, gratiâ adiuvante divinâ, sine peccato in hac vita posit homo esse, cur non sic, possem facillime & verissime respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum.* Ecce radicem quæsitam, cur nolint homines, ut ea cognita contrarium requiramus cardinem ex quo volentes fiant. Audi igitur profundam ejus de voluntatis humanæ motibus & motrice gratia Theologiam: *Verumtamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod iustum, sive quia latet an iustum sit, sive quia* NON DELECTAT. TANTO ENIM QVIDQVE VEHEMENTIVS VOLVMVS, QVANTO CERTIVS QVAM BONVM SIT NOVIMVS, EOQVE DELECTAMVR ARDENTIVS. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impedium voluntatem, ne moveamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, &* SVAVE FIAT, QVOD NON DELECTABAT, GRATIÆ DEI EST QVÆ HOMINVM ADIVVAT VOLVNTATES: *qua ut non adiuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Ac deinde subijcit illa præclara verba jam superius à nobis commemorata, quibus quam sit gratuita ista DELECTATIONIS gratia commendatur: *Ideo quisque nostrum bonum opus susscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc* DELECTATVR, *nunc non* DELECTATVR, *ut noverit non sua facultatis, sed divini muneris esse, quod scit, vel quod* DELECTATVR, *ac sic ab elationis vanitate sanetur & sciat quam vere non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit. Dominus dabit* SVAVITATEM *& terra nostra dabit fructum suum.*

CAPVT SEXTVM.

Nomen VICTRICIS DELECTATIONIS inde tractum, atque impositum Gratiæ medicinali Christi.

EX his jam perspicuè intelligitur, tantopere esse necessariam istam DELECTATIONIS divinę gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suavitate detinuerit. Quod quidem in hoc eodem capite multis modis Augustinus insinuat, imo clarissimis verbis exprimit. Quid est enim aliud quod dicit: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus,* EOQVE DELECTAMVR *ardentius.* Quid illud? *Vt* DELECTATIO *iustitiæ vincat earum rerum* DELECTATIONES &c. Quid illud? *Vt quidquid voluptas aut dolor impedit,* DELECTATIO *ista superaret.* Quid illud item: *Faciat* PLVS DELECTARE *quod præcepit, quam delectat quod impedit.* Quid illa denique quibus postulat, ut PLVS DELECTET *veritas quam aurum,* sic animus DELECTETVR *iustitia ut eam ceteris delectationibus anteponat: ut maior sit delectatio sapientiæ:* ut

quod malè libet VINCENTE *bona delectatione non fiat*; ut contra *suavitatem noxiam suavitate beneficâ delectetur* AMPLIVS *continentia*? Cujusmodi testimonia jam jam producta consulat qui voluerit. Sed unus est locus hac de re clarissimus & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissimè capiamus. Id quippe quod nos filo verborum ipsius perspicuorum ducti, tanquam ab eo existimatum & traditum, ratiocinando colligimus, manifestissima & resolutissima auctoritate definit. Epistolam igitur ad Galatas commentando, explicans cùm ex Apostolo fructus Spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas recensuisset, adversus cujusmodi non est lex, & illis varia peccatorum genera sanæ doctrinæ adversantia subjecisset: *Regnant ergo*, inquit Augustinus, *spiritales isti fructus in homine in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona si* TANTVM DELECTANT, *ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat.* QVOD ENIM AMPLIVS NOS DELECTAT SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE EST: *ut verbi gratia, occurrit forma pecuniæ, & movet ad* DELECTATIONEM *fornicationis: sed si* PLVS DELECTAT *pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per* GRATIAM *quæ est* IN FIDE *Christi, secundum hanc vivimus & secundum hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato, ad obediendum desideriis eius, sed regnante justitia per charitatem* CVM MAGNA DELECTATIONE *faciamus quæcunque in ea Deo placere cognoscimus.* Et ut hanc totius vitæ humanæ regulam generalem esse sciremus, subjungit statim. *Quod autem de castitate & fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volui.* Nempe ubi unque animus inter peccatum & justitiam constitutus, in diversum trahitur. Quod enim amplius delectaverit, secundum id operetur necesse est. Vnde & alibi dicit quod *quosdam sanctos Deus à vitijs tardius sanat*, dum videlicet *eos* MINVS, *quam implendæ ex omni parte justitiæ* SVFFICIT, DELECTAT BONVM.

In Epist. ad Galat.

Lib. 2. de pec. merit. c. 19.

Cùm igitur ad opus justitiæ qualecunque faciendum, necessarium sit, ut ex MAIORE justitiæ DELECTATIONE nascatur, hinc fit, ut istam Christi gratiam August. epitheto ad hoc ipsum exprimendum propriissimo atque efficaci ornare soleat. Nam plerumque vocat eam DELECTATIONEM VICTRICEM, vel illo ipso, vel alio æquipollenti vocabulo. Nam libro secundo de peccatorum meritis docet, Deum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi *aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel* VICTRICEM DELECTATIONEM, *ut cognoscant non à se-ipsis, sed ab illo sibi esse lumen & suavitatem, quâ det fructum suum terra eorum.*

Lib. 2. de pec. merit. c. 19.

Hoc est, ut cognoscant gratiam bene operan- A
sibi à Deo proficisci. Et libro primo ad Bonifacium docet, concupiscentiam vocari peccatum, *quod peccandi* DELECTATIONE *moveatur, etsi ei*, VINCENTE DELECTATIONE *iustitiæ, non consentiatur.* Et in libris de Civitate Dei tradit, operis illiciti desiderium augeri, *quando iustitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas eius* DELECTATIONE VINCATVR. Et in Sermonibus de verbis Domini sollicitè monet, ut *quem* DELECTAT *lex Dei, & SIC DELECTAT ut omnes delectationes luxuriæ* VINCAT, *non sibi arroget illam* DELECTATIONEM, quia videlicet ista est magna illa gratia quam Christus infirmis attulit, & de qua Psaltes dixit ut ibidem scribit. *Dominus dabit* SVAVITATEM *&c.* Et in libris operis imperfecti contra Iulianum docet, Deum donare per Spiritum charitatem *cuius* DELECTATIONE VINCATVR DELECTATIO *peccati.* Et in libro secun- B
do ejusdem operis iterum inculcat superabundasse gratiam Dei, quatenus præter peccati deletionem, *insuper donat, ut* DELECTATIO *peccati, iustitiæ* DELECTATIONE VINCATVR. Et ibidem inferius tradit, quod concupiscentia probatur non regnare in hominis animo, dum ea quæ *concupiscuntur mala, iustitiæ* DELECTATIONE VINCENTE *non fiunt.* Et in Enchiridio ad Laurentium quod si respexerit Deus ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, *concupiscetur adversus eam fortiore robore charitatis, ut ex ipso vivat, ingenique vivat in quantum non cedit malæ concupiscentiæ* VINCENTE DELECTATIONE *iustitia.* Cujusmodi loca sancti Præsulis vim delectationis cœlestis, hoc est, vim gratiæ superiumani animi motus ad bene operandum, superandasque peccatorum delectationes atque tentationes, manifestissimè clamant.

Lib. 1. ad Bonif. c. 13.

Lib. 13. de Civit. c. 5.

Lib. 3. de verbo Apost. c. 8.

Lib. 1. oper. imperfecti col. f. 162.

Lib. 2. f. 432.

Ibid. f. 450.

In Enchir. cap. 106.

Nam inde quoque proficiscitur, quod C
quando animus istâ cœli SVAVITATE destituitur, non possit aliud quam rerum terrenarum delectationes appetere & sequi. Quæ propterea & causam quoque tunc VICTRICEM, aut *vincentes* ab eo nuncupari solent: ut cùm dicit, quod quando animus à tipsi tur concupita, quamvis pernicioſa vel inania, *quoniam id errore non sentit, vel* DELECTATIONE *morbi* VINCITVR, *vana etiam lætitia ventilatur.* Et in eodem libro, quod pudor sit displiceudi metus, *dum* PLVS DELECTAT *hominum æstimatio quam iustitia.* Et in libris contra Iulianum, quod *vitium, quo prohibita* PLVS DELECTANT, & *sit virtus peccatis lex, non sanat nisi vivificans spiritus, non littera occidens*, quia videlicet spiritus dat suavitatem & infundit delectationem, ut terra nostra det fructum suum.

In Enchirid. cap. 14.

Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 436.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Delectationis necessitas oritur ex *infirmitate* voluntatis, qua fit ut nihil boni amplecti possit, nisi delectet.

QVÆ cum juxta sancti Augustini sensum perspicua & certa sint, merito quæri potest, propter quid delectatio victrix esse debeat, ut tentatio superari possit, vel opus justitiæ ab humana voluntate fieri? Liberum enim voluntatis arbitrium videtur sua naturali indifferentia posse se vertere quo voluerit, viresque suas exercere quantas voluerit, quamvis vel nulla vel non tanta delectatione, quanta opposita est mulceatur.

Ad quæstionem istam respondetur, jam olim, visum fuisse Philosophis gentilibus, & quotquot inter Christianos eorum principia nimis profundè imbiberunt, non posse voluntatis libertatem ad unam partem trahi, quamdiu rationis usus integer manet. Ex quorum placitis Iulianus dixit: *Hominem sufficere ingenio sibi motibus dare leges*: hominem *non posse adduci voluntate captiva*, quibus tanquam hæreticis dogmatibus Christiana libertate reclamabat Augustinus, utpote quibus divinæ gratiæ necessitas, qua tentationibus & ingentis motibus resistimus, ne ipsis voluntas nostra consentiat, funditus evertatur. Ex ijsdem placitis nunc libertas illa voluntatis humanæ à nonnullis tam superbè prædicatur, ut putent eam vigente ratione, nulla posse tentatione superari. Sed juxta sancti Doctoris cæstissima principia, de quibus alibi latius diximus, per ista dogmata in fundamenta Christianæ religionis impingitur. Nam istud μορμολυκεῖον inter eos tam decantatum, quod alioquin libertas arbitrij destruatur, juxta propria eorum principia, quibus docent ad libertatem arbitrij contrarietatis indifferentiam non esse necessariam velut inane ludibrium ab intuentium consideratione disparet.

Dico itaque juxta sancti Augustini mentem constantissimam & sæpè declaratam, idcirco in ista cum tentationibus dimicatione, magnam adeoque majorem ac *victricem delectationem cælestem* esse necessariam, ut delectatio terrena superetur, quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non potest, seu, ut schola loquitur, tam intensè ac fortiter velle non potest, quantum necesse est ut tentatio seu delectatio opposita superetur. Nimis enim absurdum est, existimare quod voluntas sua sola volendi libertate possit quodlibet internum voluptatis doloriſve impedimentum superare. Hoc enim ipsis fidei fundamentis adversatur, quæ docet, hominem per peccatum in infirmitatem voluntatis collapsum esse; ex qua factum est, ut plus quam dici possit, ad superandos animi motus imbecillis sit, & ad hoc imprimis gratia Salvatoris ei necessaria. Quid autem ineptius, & à veritate alienius, quam homini fractis viribus imbecilli tantas vires dare, quantas vix sanus habuit? Quid enim sano excellentioris roboris tribui potest, quam ut quidquid ei foris & intrinsecus in ipsa voluntate repugnaverit, sola sua libertate devincat? Hoc & ipsi repugnat, experientiæ quotidianæ qua testatissimum esse sentimus & scimus, hominem optimo proposito contra libidines suæ carnis armatum, dum titillationibus destituitur, mox libidine sæviente gementem & flentem præbere manus, & ingenuè confiteri se nisi gratia subveniat, tam sævis tentationibus non posse resistere. Hoc & solemnissimæ, & per universas Augustini lucubrationes sparsæ & densissimè asserræ doctrinæ repugnat directissimè, qua sexcenties tradit, hominem ante gratiam sub lege constitutum, non solum non posse concupiscentiarum carnalium vincendis motibus esse parem, sed etjam legis accessu, quo juvari posse videtur, gravius fieri peccatorem. Hoc & ipsi scopo Dei, quo genus humanum sub lege, cum concupiscentijs per peccatum accersitis pugnare permisit, ut per peccatorum multitudinem, illa humana & Philosophica superbia frangeretur, qua de liberi arbitrij viribus contra tentationes exerendis fidunt, ut agnita propriæ voluntatis infirmitate, consequenter necessitatem gratiæ medicinalis agnoscerent. Nam *quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, ut justificatio legis impleretur, in nobis.* Rom. 8. Hoc & Ecclesiæ totius precibus refragatur, quæ nihil ardentius orat, quam ut voluntas roboretur, cujus unusquisque imbecillitatem, resistendo carnalibus motibus, experitur. Vnde Augustinus: *Per hanc* (gratiam) *etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit augeatur: & tam magna fiat ut* POSSIT *implere divina mandata, quæ voluerit,* CVM VALDE PERFECTEQVE *voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est: si volueris, conservabis mandata: ut homo qui voluerit, &* NON POTVERIT, *nondum se plene velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur.* Ecce oratur ab Ecclesia non ut faciat quod jam possit & in sua jam sit potestate, hoc enim orare juxta sapientissimum Doctorem stultorum est; non ut voluntas fiat supernaturalis, non ut facilius faciat, quod per se possit, sed ut voluntas augeatur, ut voluntas tam magna fiat ut possit, ut plene velit, ut tantum velit quantum sufficit, ad implenda mandata. SIC ENIM ADIVVATVR, ut faciat quod IVBETVR. Et quid orat aliud, quando adjuvari orat ut faciat quod jubetur, nisi ut

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Aug. lib. de nat. & gra. sæpè citatus.

non DELECTABAT? Illa enim est gratia qua quis adjuvatur ut faciat quod jubetur, juxta illud Augustini quod supra diximus: *Cum ab illo illius adiutorium deprecamur, ad faciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, ut* SVAVE FACIAT, QVOD NON DELECTABAT? Itaque sanctissimus Doctor singularia quæque, non supernaturalia, sed moralia mandata percurrens, à quibus faciendis per oppositas terrenarum concupiscentiarum delectationes revocamur, quasi ex professo, superbissimam illam Philosophorum opinionem refutandam suscepisset, qua putant se suæ voluntatis libertate, posse tentationibus ad transgressionem impellentibus resistere, atque ingenitis motibus dare leges, quamdiu rationis usus perduraverit, elegantissimè ipsos solidissimèq; redarguit: *Cum ergo verum sit quod dixit: si voluerit conservabis mandata, quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo: Pone Domine custodiam ori meo? Quare non ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua: quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Quam multa Dei mandata sunt contra superbiam? Iam novit eas* SI VOLVERIT, *conservabit mandata. Quare ergo paulo post dicit: Domine Pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorum ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex: Non concupisces, velit ergo & faciat quod iubetur: quoniam si voluerit conservabit mandata. Quare sequitur & dicit: Concupiscentiam averte à me? Contra luxuriam Deus quàm multa mandavit? Faciat ea, quia si voluerit conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum, ventris appetitus, & concubitus ne apprehendat me?*

Lib. 2. de pec. merit. c. 19.

Lib. de grat. & lib arbit. cap. 16.

Iam vide quid ad istam difficultatem dissolvendam respondeat Augustinus, in qua postulat aliquis adjutorium Dei, quasi SINE ILLO NON POSSIT facere quod jubetur, & tamen hoc ipsum si voluerit, facit; si hæc ei præsenti diceremus, rectissimè nobis responderet & diceret: *Ex ipsa oratione mea qua hoc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim:* SI VOLVERIS CONSERVABIS MANDATA. *Certum est enim nos mandata servare si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est,* VT TANTVM VELIMVS, QVANTVM SVFFICIT, *ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Certum est nos facere cum facimus sed ille facit ut faciamus prabendo vires efficacissimas voluntati qui dixit, faciam ut in iustificationibus meis ambuletis & faciatis.* Quibus præclarissimis verbis divina veritate lucentibus nos docere vult Augustinus, quando Scripturæ de quocumque præcepto dicunt: *Si volueris, conservabis mandatum*, nullo modo sensum esse ut Pelagiani, & hisce quoque temporibus multi putant, quod jam hoc ipso quo mandatur, & homo habet liberum voluntatis arbitrium, possit istud mandatum facere, tantummodo si voluerit; *Nam quid fortius quam orare ut facias quod in potestate habeas?* Sed sensus est quod mandatum istud non nisi libero arbitrio voluntatis implendum sit, quamvis reipsa nunc neque faciendi potestatem habeas, neque voluntatem, adeoque per teipsum quantumlibet conatus fueris, habere non possis. Nam idcirco vocibus & gemitibus pulsamus Deum, ut si non possumus, tribuat potestatem, hoc est, plenam fortemque voluntatem; aut si nec volumus, tribuat voluntatem. Sic enim tribuit & velle, & posse, & facere quando miseretur. Nam & velle mandatum, & posse, & facere, non est aliud quam fortiter plenèque velle. Nimis autem exorbitant à tramite veritatis, qui talia, quia voluntate, seu volendo tantum peragenda sunt, à seipsis fortiter tantum conando, se habere posse delirant, & adhuc intolerabilius, qui etiam Ethnicos & Paganos, quamdiu rationis vigor durat, hoc posse sui arbitrij libertate contendunt. Nam ad hoc ipsum præstandum imbecillibus gratia Salvatoris in mundum venit: *Ideo tamen imbecillia quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus, ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.* Et quid est illud quod non possumus, nisi Deus adjuverit? Quid est quod ab illo petere debemus? Quid est quod fides orando impetrare? Nempe hoc ipsum quod lex imperat; quod non est aliud, quam velle, & fortiter velle. Hoc ipsum ergo non possumus, nisi orando impetretur, juxta illud Augustini toties iteratum: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum. Certum est nos facere*, & consequenter posse *cum facimus; sed ille facit ut faciamus* & consequenter *ut possimus, præbendo vires efficacissimas voluntati:* Nempe *ut qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata. Sic enim adjuvatur ut faciat quod iubetur.*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.

Hæc igitur volendi imbecillitas quæ ex terrenarum rerum delectationibus deorsum voluntatem ad creata atque carnalia diligenda deprimentibus nascitur, vera causa est, cur delectatio contraria justitiæ seu operis boni quod præcipitur, necessaria sit, qua sublevatus animus vel fortiter velle possit, quod jam tenuiter vult, vel etiam velle quod non vult. Cujus delectationis suavitate, nisi Deus voluntatem deliniverit, nunquam poterit, ipsius præcepti justitiam vel implere vel velle: sed si quos actus circa præceptum exercere videatur, non nisi in terrenarum concupiscentiarum ac delectationum, vel proprij fastus fructum terminabuntur. Cælestis enim illa suavitas mollit viam, ut voluntas ex carnalium rerum vitio emergere possit, & seipsam in justitiam diligendam figere. Cùm enim non possit motus nisi ab immobili fieri, suavitas illa immobilem quodammodo, reddit animum, ut possit in motum liberum spiritalis voluntatis ac dilectionem erumpere. Ex quo consequenter fit ut si illa desit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omnino boni amplecti possit: quemadmodum etiam è contrario, nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam ante delectaverit. Quæ quidem omnia non solum ex principijs quæ supra de delectatione sanctus Augustinus tradidit, manifestè conse-

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.

Lib. de nat. & grat. c. 18

consectanea sunt, sed etjam apertissimis verbis aliis in locis ex professo docet. Nam in libro secundo de peccatorum meritis, disputans unde fiat, quod homines nolint benefacere, causam unam dicit esse *ignorantiam* boni, cui contraria est *cognitio* boni, sed ista quamvis sit etjam gratia Dei, non tamen illa propriè dicta per quam fit ut voluntas velit & operetur id quod per legem instructa jam bonum & faciendum esse cognoscit. Alteram & propinquiorem causam assignat, *infirmitatem* voluntatis. *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quisque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Ex quo statim concludit: *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Duobus ex causis peccamus aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantia malum est, hoc infirmitatis.* Et in utroque loco veram infirmitatis medicinam docet, esse *delectationem iustitiæ*, quæ facit nos eo ardentius velle, quo ardentius delectamur. In quæstione vero secunda libri primi ad Simplicianum, cum accuratè investigaret, unde contingat quod unus præ alio credit, cum omnibus liberum arbitrium datum sit, rem totam in divinam voluntatem & ex ea profluentis cardinem *delectationis* refert: *Præcipitur ut credamus*, inquit Augustinus, *ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus. Sed quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur?* Sed quia responderi posset illa testificatione posita, jam liberæ voluntatis esse credere, si voluerit pergit profundius radicem quærere: *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam quo eius voluntas moveatur ad fidem?* QVIS AVTEM ANIMO AMPLECTITVR ALIQVID QVOD EVM NON DELECTAT? *Aut quo habet in potestate, ut vel occurrat quod eum* DELECTARE POSSIT, VEL DELECTET CVM OCCVRRERIT? *Cùm ergo nos ea* DELECTANT *quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industria, aut operum meritis comparatur.* Ecce clarissimè & exertissimè traditum, neminem posse amplecti aliquid quod eum non delectet; hanc delectationem non esse in hominis potestate; hanc inspirari gratia Dei, non nutu nostro aut operum meritis comparari. Vt liquidissimè intelligeremus, ideirco delectationem tanquam gratiam Dei tantoperè ab Augustino commendari, quia est animo instar olei aut pinguedinis cujusdam, sine qua cardo voluntatis torqueri aut moveri nullo pacto ad bonum potest. Vnde istam fortassis attendens Propheta similitudinem in Psalmo dixit: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*: Nam & effectus statim jungitur: *Et labijs exultationis laudabit os meum.* Ne vero sanctus Augustinus temere tam absolutam de re tanta sententiam, quæ universos humanæ voluntatis motus tangit, pronuntiasse videretur iterum interjectis paucis eundem scrupulum movet fortassis videlicet ex aliqua voluntatis distantia contingere, quod unus præ alio fidem apprehendat sibi prædicatam: *Restat ergo ut voluntates eligantur*, sed istud tanquam sibi perspectissima retundens veritate, quæstionem adhuc absolutiori auctoritate definiens: SED VOLVNTAS IPSA, NISI ALIQVID OCCVRRAT QVOD DELECTET ATQVE INVITET ANIMVM, MOVERI NVLLO FACTO POTEST. *Hoc autem ut occurrat*, NON EST IN HOMINIS POTESTATE.

Et ista quidem scripsit Augustinus, cum primo fidem esse donum Dei, Deo revelante percepit: cum tamen delectationis necessitatem ad omnes humanæ voluntatis effectus, nunquam non asseruisse, atque ex professo tanquam rem certissimam docuisse videatur. Nam unde alioquin verum est id quod in sermone quarto de verbis Apostoli dicit: *Tunc disco ut faciam si* IN TVA SVAVITATE *doceas me*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Vnde alioquin verum est quod in sermone quinto dicit: *Nolo, non facio. Puta* QVIA DELECTAT, *non facio. Habeo cui condelector*; nisi quia nemo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est quod in sermone decimo quinto dicit: ILLE NISI PRIOR DET SVAVITATEM *terra nostra non habebit nisi sterilitatem*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in sermone decimo-septimo dicit: *Interrogo utrum ames iustitiam: respondebis amo. Quod non responderes veracster, nisi te aliquatenus delectaret.* Et resolutissime causam subjicit: NON ENIM AMATVR NISI QVOD DELECTAT, nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in Psalmum sexagesimum quartum dicit: *Cedis tentanti & terrenti, si non te* DELECTET *vita, qui prior passus est ut tibi exitum faceret.* Et in Psalmum octogesimum quartum: *Nisi Deus pluerit suavitatem delectationis quid prodest quod seminatur? Hoc est Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum?* Et in Psalmum octogesimum quintum: *Si nulla iucunditas, deficimus; ergo iucunditatem aspergat & de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis.* Et in Psalmum centesimum vigesimum septimum: *Nisi haberet aliquam suavitatem panis ille* (doloris) *nemo illum manducaret*; unde hæc, inquam, vera sunt, nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in libro sexto de musica dicit: *Non enim amor temporalium expugnaretur nisi aliqua suavitate æternarum*: Et in libro quarto de doctrina Christiana: *Quis tenetur ut audiat si non delectetur?* Et libro secundo ad Bonifacium: *Tunc bonum concupisci incipit, cum dulcescere incipit.* Et in libro de gratia Christi: *Hoc modo quisquis discit* per suavitatem *omnino agit, quicquid agendum didicerit.* Et in libro de Spiritu & littera: *Cum id quod agendum est cœperit non latere, nisi eriam delectet & ametur, non*

Ita testatur lib. de prædest. SS. cap. 4.

Serm 4. de verb. Apost. cap. 8.

Serm. 5. c. 9.

Serm. 15. c. 7

Serm. 174. 3.

In Psal. 64.

In Psal. 84.

In Psal. 83.

In Psal. 127

Lib. 6. de musica cap. 11.

Lib. 4. de doct. Christ. cap. 26.

Lib. 2. ad Bonif. cap. 9.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Lib. de spir. & lit. c. 3.

non agitur, non suscipitur; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Et unde alioquin verum est, quod in libro secundo de peccatorum meritis dicit: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat*; Nisi quia nemo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Denique ut paucis multa comprehendendo finiam, unde alioquin verum est, quod paulo ante toties repetivit, in conflictu tentationum necessarium esse, si victores esse volumus, ut *quicquid delectatio, aut dolor impedit, delectatio ista cælestis superet*; ut Deus *faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit*; *ut plus delectet veritas quam aurum*; ut *maior sit delectatio sapientiæ*: ut quod malè libet, *vincente bona delectatione non fiat*; ut contra suavitatem noxiam *suavitate beneficâ delectetur amplius continentia*; denique quid dicit *nos profectò vinci nisi accedente suavitate delectatio iustitiæ vincat in nobis aliarum veram delectationes*; nisi quia nemo animo amplectitur aliquid quod eum non delectat, & nisi delectet, ut ait, voluntas moveri nullo pacto potest? Ex eadem enim radice nascitur ut in conflictu delectationum, non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum, sequendumque moveri possit, nisi quod vehementius delectaverit. Hac enim se niti lege consequentia, non semel ipsemet distertis verbis explicat, ut quando dicit: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius*. Et quando dicit: *Non est consequens ut quod appetendum cognitumque fuerit appetatur nisi* TANTVM DELECTET, QVANTVM DILIGENDVM EST: Postremo quando ut nobis omnem scrupulum ambiguitatis eximeret, delectationem omnis operationis secuturæ mensuram statuit, succinctissimè clarissimè, absolutissimèque pronuntians: QVOD AMPLIVS NOS DELECTAT, SECVNDVM ID OPEREMVR NECESSE EST. Nimirum quia id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus ac diligamus necesse est, tanto enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius; quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est. Vnde quemadmodum hic dicit necesse esse, ut secundum id operemur quod amplius nos delectat; ita paucis interjectis in eodem loco adjicit, necesse, esse ut id operemur atq; sectemur, quod amplius dilexerimus, quia videlicet naturali ordine, ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur: *Manifestum est certe secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso consistant duo, præceptum iustitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur sed aut timore invii trahemur, in alterutram partem; aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quassati.*

Quæ cum ita sint, principijs prædictis Augustini consentaneum & consectaneum esse quisque facile observare potest, quod delectatio, ut quis bonum velit, non ex natura boni aut supernaturalis operis, sed potius ex conditione volendi necessaria est. Voluntas enim sine delectatione velle aut moveri, ut Augustinus loquitur, nullo pacto potest, quod lanè respectu cujuslibet operationis locum habet. Vnde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur. Nam hoc est quod ipse toties dicit: *Ratio nostra deduci ad consentionem peccati non potest, nisi cum delectatio nota fuerit*. Et: *Si nihil delectavet illicitum, nemo peccaret*. Et, *quicquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione*. Et, animus *delectatione morbida vincitur*. Et, pudore pœnitendi peccari, *dum plus delectat hominum æstimatio, quam iustitia pœnendi*. Et similia. Quod & ex ipso certamine delectationum oppositarum, in quo vehementior superat, ut suprà vidimus, manifestum est.

Lib. 2 de pr. merit. c. 17.

Ibid.

Lib. de spir. & lit. c. 35.

Expos. in Ep. ad Gal.

Expos. in Ep. ad Gal.

Lib. 2 de Gra. nat. Mans. 24.

Lib. 11 cont. Faust. 28.

In Enchirid. cap. 24.

Ibid.

CAPVT OCTAVVM.

Quinto ostenditur, delectationem esse veram gratiam Christi, ex adjutorio perseverantiæ in hac vita, & impeccabilitatis in cœlo. Epilogus probationum præcedentium.

QVINTO denique, suavitatem cælestis delectationis esse veram Christi gratiam, qua medetur imbecillitati nostræ, inde quoque perspicuè ostenditur, quod quemadmodum velle & fortiter velle ac vincere, ita etjam constanter ac perseveranter velle, imo impeccabiliter velle ex eadem delectatione proficiscitur. Quod eadem, perspicutate atque doctrinæ securitate diversis locis Augustinus tradit. Nam illam humanæ perseverantiæ radicem innuit, quando de liberrima, fortissima, invictissima, perseverantissima Petri voluntate, quam dederat ei gratia, disputando concludit: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem: & ut perseveret* DELECTABILEM *perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem*. Illam Angelicam immobilitatis & consequenter impeccabilitatis radicem apertissimè designat in operibus contra Faustum. Cum enim tanquam

Lib. de Cor. & grat. 8.

tanquam perspicuum & certum statuisset istud principium quod supra diximus: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret*, quo tota quæstio ista absolvitur; tamen indagandæ veritatis methodo, sic pergit Augustinus. *Verum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil possit illicitum delectare, magna quæstio est.* Ex quo genere removet & Angelos & homines qui ceciderunt, & bruta quæ delectationes coercere, & proinde etiam peccare non possunt. De Angelis vero sanctis subtexit in hunc modum: *Angelica sublimis natura non peccat, quia ita particeps est legis æternæ, ut solus eam* DELECTET DEVS, *cujus voluntati sine ullo impedimento tentationis, hoc est, delectationis obtemperat.* Quod paulo ante ad sanctæ delectationis perpetuitatem respiciens dixerat: *Cujus æterno imperio liberaliter, quia* SVAVITER *serviunt.* Hanc & impeccabilitatis humanæ radicem tangit quando dicit: *Tunc non peccabimus non solum factis, sed nec concupiscentijs, cum illam faciem videbimus, quæ vincit omnes concupiscentias.* Et causam reddens, cur non peccabimus: *Tam enim* DVLCIS *est, fratres mei, tam pulchra, ut illâ visâ* NIHIL ALIVD POSSIT DELECTARE? Quod alibi dicit: *Non aliquid aliud* DELECTABIT *nos, quia nihil est melius Deo, qui fecit omnia quæ delectant.* Et in libro decimo quarto de Trinitate: *Erit* (mens hominis) *in abscondito vultus ejus, tanta ubertate ejus impleta ut eam nunquam peccare* DELECTET. Et in eodem libro statuit, temperantiæ, quæ in hac vita *coërcendis* DILECTATIONIBVS *pravis occupatur*, officium in cæso futurum *sine ullo defectu noxio* DILECTARI, hoc est, ita divino amore ac delectatione plenum esse, ut nunquam noxie deficere seu peccare delectet. Ex quibus relinquit intelligendum, non posse etiam ad aliud moveri peccando voluntatem, quia ut constanter supra tradidit, nemo animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat; & voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo pacto potest. Quapropter quia nihil aliud ibi delectare voluntatem poterit, nihil aliud etiam amari poterit voluntate; & è contrario quia ibi sempiterna erit de Deo delectatio, sempiternus erit etiam amor atque laudatio. Quod egregie declaravit in Psalmos: *Si refrigescit amor noster, refrigescit actio nostra.* Et mox declarat quod in beatitudine cælesti *hæc erit actio nostra laus Dei, Amas & laudas; desinis laudare si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui te* NVLLO OFFENDAT FASTIDIO, hoc est, circa quem nullus oriatur defectus delectationis atque dulcedinis. Sic enim subjiciendo explicat hoc factum: *Si ergo illa & ineffabilis & sempiterna dulcedo erit &c.* Sed omnium apertissimè ac disertissimè radicem istâ indicat impeccabilitatis humanæ, quando de libero arbitrio ex professo tractans dicit: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia* PECCATA EOS DELECTARE NON POTERVNT. MAGIS QVIPPE ERIT LIBERVM A DELECTATIONE PECCANDI VSQVE AD DELECTATIONEM NON PECCANDI INDECLINABILEM LIBERATVM. Nempe quia nulla ibi erit peccandi delectatio, & delectatio non peccandi seu benè agendi erit indeclinabilis, ideo peccare non poterunt. Hanc denique radicem tangit immobilitatis ad peccandum, qua diaboli detinentur, quando humanam naturam à peccato reparabilem, cum illa peccatrice creatura, damnataque comparans: *Habet ordinem suum etiam ista peccatrix* (creatura, hoc est, humana natura) *amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ, beatitudinis facultate, quæ profecto superat eam, quam peccandi* PERPETVA VOLVPTAS *tenet.* Per hoc insinuans, ex perpetuitate voluptatis, perpetuam peccandi voluntatem in dæmonibus nasci. Quanquam quædam exemplaria loco (voluptas tenet) legant, *voluntas tenet* & ita locus nihil probat. Sed si verum est id quod Augustinus generaliter de voluntate docuit, quod nisi delectet aliquid atque invitet, animum, eam moveri nullo pacto posse, rationis profecto immobilis consequentia invictè conficit, dæmones duplici capite, ex defectu scilicet cælestis delectationis non peccandi, & assidua peccandi delectatione, etiam perpetua peccandi, seu in peccato quo ceciderunt, persistendi voluntate detineri.

Sed ut ad Angelos bonos revertamur, eorum impeccabilitatem, non ex illa nuda clara visione Dei, ut passim putant, proficisci, veritas apud Augustinum receptissima est & constantissimè tradita. *Docet enim frequenter idcirco hominem in futura vita peccare non posse, quia conspectæ veritati & sapientiæ Dei immobili amore conjungitur, ex cujus vinculi firmitate fiat, ut omnia inferiora bona præ illius charitate contemnat, & ab ejus contemplatione averti non possit aut velit.* Nam hoc est quod de Angelis viatoribus dicit: *Erat quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate starent, donec ipsam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est,* VT MAGNA PER SPIRITVM DATA ABVNDANTIA CHARITATIS DEI, CADERE VLTERIVS OMNINO, NON POSSENT, *& hoc de se certissimè nossent.* Hoc etiam significat id quod contra Iulianum tradit de mente rationali: *Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat* (mens rationalis) *cum per hoc tumescit typho & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud & incommutabile bonum,* IN CVIVS COMPARATIONE SE SPERNAT SIBIQVE ILLIVS CHARITATE VILESCAT: *Tantoque spiritu ejus impleatur, ut id sibi non ratione sola* (hoc est, visione seu cognitione veritatis) *sed* ÆTERNO QVOQVE AMORE *præponat, multum est disputando velle monstrare.* Et paulo inferius: *Quando tanta satiabitur visione* ET TANTA INFLAMMABITVR CHARITATE SVPERIORIS BONI, *ut ad seipsum sibi placendo deficere ab illius* DILECTIONE *non possit.* Quod si ad seipsum diligendum deficere mens rationalis præ summi boni, dilectione non poterit, profecto multo minus ad alia inferiora. Nam ut ibidem, quia

quia nihil est in creaturis rationali mente præstantius, inde fit consequens, ut etiam mens bona magis sibi placeat, quam quælibet alia creatura. Hoc est, quod etiam ad Bonifacium de salutis humanæ profectu dicit: *Salus hominum tanta esse poterit, ut peccare omnino non possit.* Salutem vero hominis fieri per charitatem, imo esse charitatem, est in Augustino manifestum, apud quem axioma usitatum est; *Charitas, sanitas.* Vnde alibi: *Tunc erit plena justitia, quam non peccando perfici docet, quando plena sanitas, tunc plena sanitas, quando plena charitas*; usque adeo ut ibidem dicat: *Donec fiat perfecta justitia, tam quam sanitas plena.* Hoc est, quod significat etiam in libris de Genesi ad litteram: *Sancti Angeli illam incommutabilem substantiam creatoris ita conspiciunt, ut visione atque* AMORE *eam præponant omnibus.* Et luculentius in libris de Civitate Dei ubi tradit corporalium rerum scientiam sanctis Angelis esse vilem ut non inflentur, *Non quod earum ignari sint, sed quod illis, Dei quâ sanctificantur charitas chara est, præ cujus non tantum incorporali, verum etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine,* CVIVS SANCTO AMORE INARDESCANT, *omnia quæ infra sunt, quod illud est non sunt,* SEQVE IPSOS INTER ILLA CONTEMNVNT, *ut ex toto quod boni sunt, eo bono, ex quo toti boni sunt perfruantur:* Hoc est denique, ut alia ejus testimonia prætermittam, quod in libro decimo quarto de Civitate Dei significat apertissime: *Ubi boni adepti amor immutabilis est, profecto si dici potest mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua non necesse erit nolle peccare: & non sollicitudine infirmatus, ne forte peccemus, sed* TRANQVILLITATE CHARITATIS *cavere peccatum.* Ex quibus & similibus locis, quæ ex Augustino accersi possent, perquam evidens est, impeccabilitatem hominum atque Angelorum non tam ex visione tanti boni, quam ex consummata ejus dilectione proficisci.

Cujus quidem veritatis duplex esse radix videtur, prima quia charitatis delectatio, absorbet omnes omnino terrenæ atque carnalis, hoc est, cujuslibet oppositæ dilectionis motus, qua voluntas ad aliud diligendum & per hoc peccandum pellici ac perduci posset. Nam hæc absorptio omnium libidinum infimarum, cæterarum charitatis effectus est, juxta illud Augustini: *Verum ecce jam talem constituamus animam humanam, in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa* SVPEREMINENTI PERFECTIONE CHARITATIS DEI, *omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit &c.* Et illud loco texto contra Iulianum: *Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente; concupiscentia minuitur charitate magis magisque fervente.* Illi autem concupiscentiæ motus, sunt tanquam delectationes quæ ad creaturas diligendas alliciunt, quibus à Dei amore ad peccata retorquemur. Vnde in Psalmos Augustinus Christi fideles de illarum delectationum ablatione consolans: *Audi,* inquit, *promissionem quia non semper erunt in carne desideria illicita. Etenim resurget & mutabitur, & cum mutata fuerit caro ista mortalis in spiritale corpus, jam nullis concupiscentiis secularibus, jam nullis terrenis* DELECTATIONIBVS *titillabit animam, nec avertet à contemplatione Dei.* Quæ contemplatio Dei apud Augustinum, non est nuda cognitio Dei tanquam supremæ veritatis, sed cum ardentissimo amore juncta, qui mentem figit in videndum Deum. Itaque in libris octoginta trium quæstionum, absorptionem hanc omnium terrenarum delectationum, quibus ad peccata potentissimè concitamur, tribuit cælestis delectationis abundantiæ, quæ charitati propria est: *Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta* DELECTATIONE *spiritualium,* DELECTATIO *carnalis obruetur.*

Itaque secunda radix est, quia charitatis illa supereffluens abundantia figit non solum voluntatem, sed & intellectum ipsum, immobiliter in Deum, ut eum sine cessatione contempletur. Nam quemadmodum ab initio spiritalis inchoationis in hac vita, voluntas est, quæ bonitatem inchoat, utpote quæ facit intellectum credere imbutum lumine spirituali quod requiritur, quamvis fide jam radicata fortius diligat: ita etiam in fine spiritalis consummationis, voluntas est, quæ bonitatem felicitatemque consummat, applicans & figens intellectum lumine gloriæ perfusum in objectum suum, ne velit unquam ab ejus contemplatione divertere. Ex quo intuitu claro veritatis nascitur, ut etiam ferventius diligat. Præclare tradit hoc idem Augustinus, in quibusdam scriptorum suorum locis. Nam in soliloquijs de illis disputans, quæ tam ante Dei visionem, quam adepta visione necessaria sunt; *Ergo,* inquit, *cum animæ Deum videre, hoc est De. m intelligere contigerit, videamus ut eum ad hucusque tria illa sint necessaria. Fides quare sit necessaria, quamdiu videat? Spes nihilo minus, quia tam tenet. Charitati vero non solum nihil detrahitur, sed additur etiam plurimum. Nam & illam singularem, veramque pulchritudinem cum videris plus amabis:* ET NISI INGENTI AMORE OCVLVM INFIXERIT, NEC AB ASPICIENDO VSQVAM DECLINAVERIT, MANERE IN ILLA BEATIFICA VISIONE NON POTERIT. Et non multo inferius: *Sed cum post hanc vitam tota (anima) se in Deum collegerit, charitas restat,* QVA IBI TENEAT R. Et elegantissimè describens ordinem inchoandæ & inveniendæ sanctitatis, & in illa perpetuo permanendi: *Nam si superbia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quæratur ut dignum est, subire here sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest &c. Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur.* Et in libro tertio de libero arbitrio, cum docuisset animum quamvis aliquid sit quod possit placere post Deum, esse tamen meliorem, cum oblivisci tur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum pœnitus in illius comparatione contemnit, ita ut ab illo nullius inferioris rei dilectione deprimatur, subijcit modum,

Lib. 3. ad Bonif. c. 3.

Lib. de perf. just. c. 3.

Lib. 12. de Gen. ad lit. c. 36.

Lib. 9. de Civit. c. 22.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Lib. de spir. & lit. c. ult.

Lib. 6. cont. Iul. c. 16.

In Psal. 75.

Lib. 83 qq. q. 70.

Lib. 1. de lib. arb. c. 1.

Ibid.

Lib. de mori. Eccles. c. 17.

modum quo istud in nobis fieri solet, nempe *quod post labores miseriasque ineffabiles* TANTA CHARITATE LIBERATORI NOSTRO INHÆREAMVS, ET TANTA IN EVM CHARITATE RAPIAMVR, VT NVLLA NOS VISA EX INFERIORIBVS A CONSPECTV SVPERIORE DETORQVEANT. Ex quibus Augustini contestationibus, perspicuum est, non ex visione Dei proficisci, quod creatura rationalis tam constanter Deum diligit, ut ab eo dilectere & peccare non possit. Charitas enim velut pondus intensissimum ex magnitudine beneficæ suavitatis mentis oculum rapit, in intuitum tanti boni, & in illud fixum immobiliter tenet, ut reciprocante in invicem refusione, semper concipiendo diligat, ac diligendo concipiat. Qui diligentis impetus, si adulterinæ cujusdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata rerum refrigescendo tenebresceret & peccaret. Unde præclare S. Augustinus in Confessionibus suis: *Est idonea* (mens rationalis beata) *faciem tuam semper videre, nec uspiam desciscitur ab ea, quo sit, ut nulla mutatione varietur: inest ei tamen ipsa mutabilitas, unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens semper meridies luceret & ferveret ex te.*

Quod si esset ad rem præsentem magnopere necessarium, non difficulter sane etiam aliis argumentis, & in primis ex illa ipsa celebri sententia, quam ex Augustino perperam intellecto, schola sumpsit, beatitudinem collocans in visione Dei, & ex illa causas impeccabilitatis eruens, probari posset. Nam nihil quidem in scriptis Augustini celebratius est, quam creaturam rationalem Dei clara cognitione, visione, contemplatione, & siquid aliud æquipolleat, beatam fieri: sed nunquam hoc intellexit Augustinus de illa arida visione vel contemplatione, quæ dilectioni condistinguitur & quodammodo ei prævia concipitur, velut objecti propositio, ut voluntas in illud ferri possit. Talis enim visio vel contemplatio, si voluntas etiam justa ipsidem terrenis delectationibus tangeretur, cum quibus in hac vita dimicat, non solum eam non redderet impeccabilem, sed etiam peccare sineret. Non enim nuda visio quantumcumque clara veritatis (Deus enim veritas est) sed ejus delectatio ac dilectio frænat infirmas delectationes, mentemque ab earum consensione suspendit. Hæc autem delectatio & dilectio non contemplatione quantumcunque manifesta, sed alia longe majori sancti Spiritus misericordia infunditur, per quam diffundit charitatem in cordibus nostris. De illa igitur clara visione & contemplatione doctrinam suam sanctus Præsul intelligit, quæ partim ex ipso luminosissimo Dei amore jam fruente nascitur, quod divinissimum charitatis lumen sexcenties prædicat; partim amorem quodammodo sequi intelligitur, dum ipsemet, ut supra vidimus mentis aciem illuminatam figit in Deum, quo ejus contemplatione irretorte perfruatur. Ex illa enim regula sancti Augustini doctrina metienda est, quam ipse tum alibi, tum evidentissime in libro octoginta trium quæstionum tradit: *Fieri potest ut habeat quisque aliquid, quod habere, hoc sit quod nosse, neque amet tamen*, verbi gratia numeros arithmeticos. *Quanquam bonum quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. Quis enim potest nosse, quantum sit bonum quo non fruitur? Non autem fruitur si non amat: nec habet igitur quod amandum est, qui non amat: etiamsi amare possit, qui non habet. Nemo igitur vitam beatam novit, & miser est: quoniam si amanda est sicuti est, hoc est eam nosse, quod habere. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? & revera est enim de quo solo recte solitur, quod amanti auferri non potest: idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est: & propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est mente. Quicquid autem mente habetur, noscendo habetur, nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur.* Et mox vult etiam ceteros appetitus *menti rationique consentire debere, ut in tali pace & tranquillitate vacet mente contemplari quod æternum est. Ergo*, inquit *etiam ceteris suis partibus amare animus debet, hoc tam magnum quod mente cognoscendum est.* Hæc est igitur contemplatio & cognitio perfecta, qua beata vita perficitur, cognitio Dei, quæ ex perfecto amore ceteros omnes animi appetitus ac delectationes vel absorbente, vel in sui rationisque conformitatem rapiente, & ea perfruente proficiscitur: ad cujusmodi cognitionem etiam Dei in eodem loco Scripturam illam accersit: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum &c.* Doctrina ista pluribus aliis Augustini principiis firmari posset ac testimoniis cumulari: Sed quia non est hujus loci, & locus ille unicus instar omnium sufficit, secure ex ijs quæ toto illo capite deducta sunt, asserere posse videor, solum amorem esse, quo in futura vita tam fortiter atque immobiliter inhæretur Deo, ut & omnium terrenarum rerum appetitus ac delectationes absorbeat, & ab ipsa beatissima contemplatione non possit ad inferiora diligenda detorqueri: in quo vera ejus impeccabilitas sita est. Unde vero tantus, inquies, charitatis ardor & immobilitas, quæ utrumque præstet, ut & absorbeat omnes terrenæ delectationis motus, & intellectum tam potenter in suum objectum velit ingere? Et unde putas, nisi ex illo torrente voluptatis totas vires voluntatis ad se rapiente, quo cælestis civitas potatur? Nam ille tam altique rapideque fluit, ut nihil aliud eam delectare possit, & consequenter nihil aliud amari. Quem fontem digito demonstrat Augustinus cum dixit: *Angelica sublimis natura non peccat*, hoc est, non diligit inferiora, *quia ita particeps legis æternæ ut* SOLVS EAM DELECTET DEVS, *cujus voluntati sine ullo experimento tentationis*, hoc est, delectationis, *obtemperet.* Et omnium apertissimè quando de libero arbitrio beatorum dicit in libris de Civitate Dei,

Lib. 22. de Civit. c. 30.

quod ideo peccare non poterit, quia A DELECTATIONE PECCANDI VSQVE AD DELECTATIONEM NON PECCANDI INDECLINABILEM LIBERABITVR.

Cùm igitur hæc ità sint, quæ de ista cælesti delectatione secundum Augustini mentem disseruimus, ut videlicet etiam quando agnoscitur quid faciendum sit, ipsa sit, quæ in omnibus Ecclesiæ precibus postulatur, quatenus dignetur Deus suave facere, quod non delectat; ipsa sit illa suavitas in qua terra nostra, hoc est, mens nostra det fructum suum; ipsa magnum Dei donum sit, in quo renovatur homo noster interior; in ipsa nos doceat, ut non solum sciamus, sed etiam faciamus, ita videlicet ut hoc modo quisquis didicerit, omnino agat, quicquid agendum didicerit; per ipsam alijs extrinsecus plantantibus & rigantibus B det incrementum Deus; quam nisi ipse plueret, nihil prosit quicquid prædicando seminatur; tunc bonum concupisci incipiat, quando dulcescere incipit; ipsa ad omnia voluntatum & actionum genera tantopere necessaria sit, ut nisi delectet, nihil etiam quando agendum esse scitur, agatur aut suscipiatur, imo nisi delectet voluntas nihil amplecti, imo nec moveri ullo pacto possit; In conflictu tentationum per ipsam nos liberet Deus, dando cælestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superetur; ipsa faciat nos ardenter & fortiter velle, tantoque vehementius, quanto delectamur ardentius; ipsa nos faciat perseveranter & immobiliter & impeccabiliter velle, quia secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectaverit; cùm hæc, inquam, ita sint, aliaque plura quæ ex Augustino demonstravimus, profecto rectissimè & invictissimè secundum eundem Augustinum concludere posse videor, ipsam esse verissimum C illud adjutorium, quod Christus attulit, & quo ipse in nobis operatur velle atque perficere. Hanc enim conclusionem ipse non solum nobis aliqua ratiocinationis adhibito subsidio colligendam reliquit, sed ipsissimis penè verbis A præformavit, quando contra Pelagianos de adjutorio gratiæ omnibus nervis & subtilitate disputans definivit: *Vt suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuvat voluntates.* Et quando argumentando concit: *Ergo benedictio Dei est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis: in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et quando omnia adjutoria Pelagiana accurate distinguens & velut adulterina repudians, Catholicum adjutorium sustinendo pronuntiat: *Nos autem dicimus humanam voluntatem* SIC DIVINITVS ADIVVARI *ad faciendam iustitiam*, id est, ad bene volendum & operandum, *ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præciptur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo eius* DELECTATIO *dilectioque summi illius atque incommutabilis boni &c. Nam cùm id quod agendum est cœperit non latere,* NISI ETIAM DELECTET ET AMETVR, NON AGITVR, NON SVSCIPITVR, NON BENE VIVITVR. Quam sanctissimi Præsulis & profundissimi Doctoris doctrinam, etiam Canone expressit Concilium Arausicanum, ne quemadmodum in ceteris quæ tradidit capitibus ad amussim sancti Augustini sensa, imo verba sectatum est, ita nec isto articulo ad latum unguem ab ejus præformatione recederet. Nam cùm primum *hæretico fallit spiritu dixisset,* Conc. Arauf. *si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod ad* Can. 7. *salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmaret absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti*; statim exponit modum, quo ista illuminatio & inspiratio, nos prædicationi consentire & credere facit: *Qui dat*, inquit, *omnibus* SVAVITATEM IN CONSENTIENDO ET CREDENDO VERITATI. Quibus verbis Augustini doctrina de delectatione ad volendum & consentiendum requisita, succincte, dilucideque comprehenditur.

CAPVT NONVM.

Necessitas delectationis cælestis ad bene volendum & operandum, non ex natura voluntatis, sed ex ejus pœna proficiscitur.

QVÆRI hic verò potest, unde oriatur tanta necessitas delectationis cælestis ad opus bonum, ut citra ipsam nec moveri ad bonum voluntas possit, nisi quid delectaverit, nec inter duo quæ delectant aliud eligere, nisi quod delectando superaverit: utrum ex eo quod viso objecto necessario tangatur voluntas aliqua delectatione; an ex natura voluntatis quæ non possit libere bonum objectum prosequi, nisi prius delectaverit; an aliunde?

Sed prima necessitatis illius radix nullo pacto vera esse potest. Est enim perspicuum multa A proponi bona objecta voluntati, quibus non delectatur, sed offenditur, eaque ex offensione fugit: plausibilior videtur altera necessitatis illius causa, natura voluntatis, præsertim cùm etiam in actionibus malis eadem necessitas reperiatur. Cui videtur experientia suffragari, qua quisque sentit se nihil omnino prosequi posse, nisi non solum præcesserit objecti apprehensio & propositio, & judicium de convenientia speculativum ex parte intellectûs, sed etiam complacentia quædam delectabilis, seu suavitas ex parte voluntatis.

Sed quamvis ista experientia omnino vera sit, non

sit, non tamen illâ ratione nititur, videlicet naturâ voluntatis. Repugnant enim ei duo principia ab Augustino constantissimè tradita, quorum alterum est Catholicæ fidei, alterum tantæ certitudinis, ut etiam tanquam fidei doctrinam asserere videatur. Primum principium est respectu actionis malæ, quod Catholica fides doceat, pœnas peccati, ignorantiam & concupiscentiam, ex qua delectatio rerum terrenarum nascitur, ex originali peccato prodijsse. Cui veritati nitens Augustinus, consequenter adversus Pelagianos tradit, peccatum primi hominis sine delectatione præcedente perpetratum esse; delectatio quippe prima secuta est perversam voluntatem, non voluntas delectationem. Omnis quippe repugnantia bonæ voluntatis, supplicium est malæ; quod Deus creaturæ rationali non infligit immeritæ. Hæc diversis locis ex Augustino tanquam certissima probavimus. Ex quibus sane sequitur non potuisse primum peccatum ex præcedente delectatione, sive superbiæ sive gulæ proficisci, & proinde non nasci necessitatem delectationis ex natura voluntatis.

Alterum principium est respectu actionis bonæ. Docet enim Augustinus, gratiam primi hominis non fuisse talem ut faceret velle atque operari. Non ergo potuit esse talis victrix delectatio; non enim dominabatur voluntati, sed ei potius dominanti subjacebat, ut cum ipsa voluntas ageret aut non ageret, prout ipsi videretur. Nam delectatio illa cælestis victrix, est medicina ægrotæ ac prostratæ, non adjutorium sanæ stantisque voluntatis. Ergo ex natura voluntatis non potest talis gratiæ seu delectationis necessitas peti.

Vera itaque ratio cur cælestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ seu medicinalis adjutorij petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosâ præeunte ac titillante provocetur, cui consentiendo peccat; prout hoc plurimis Augustini testimonijs, tanquam rem ex ipso certam, & experientia suffragante suo loco demonstravimus. Est enim istud libidinum imperium, non naturalis hominis constitutio, qui antea plenâ libertate & pace secum sua fruebatur, sed pœna damnati. Itaque ista libidinosa delectatio vocatur subinde *difficultas* ab Augustino; quia ipsa repugnantia sua, qua renititur spiritui, reddit operationem justitiæ difficillimam: *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia deinceps erat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse libidinosis operibus temperare non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Ita etiam appellat eam libro de Natura & gratia, & libro de Dono perseverantiæ sæpius. Subinde vocatur, & valde quidem sæpe, *infirmitas*, quia hoc ipso quo formaliter ineſt, ipsa distractione virium voluntatis, quatenus eam trahit & moveri facit in terrenum bonum, facit eam infirmam, quia non potest totis suis viribus converti in Deum, nisi ipsa auferatur: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet, sive quia non delectat* & unde concludit; *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc* INFIRMITATIS. Et in utroque loco opponit Infirmitati *Delectationem* boni seu *iustitiæ*, eamque adversus istud malum tanquam unicam ægrotæ voluntatis medicinam de cœlo missam esse, qua tanquam directè contraria morbo quo affligitur, extorqueatur consensus ejus delectationi repugnanti, & retorqueatur sursum, ut sic blandienti delectantique spiritui affixus & quasi suspensus ex Deo, non amplius in veterem libidinis servitutem detrahatur. Et in eo consistit captivi arbitrij seu voluntatis vera liberatio, & effectus liberationis, vera libertas ejus; qua fit, ut quæ ante propter dominantem sibi libidinem terrenamque delectationem, à qua consensus ejus captivus tenebatur, non poterat nisi malum agere, ad quod solum libertas ejus expedita ferebatur; nunc liberata per oppositam cœli suavitatem, etiam diligere & agere possit bonum. Et quia quamdiu in hac vita vivimus, terrenis delectationibus undique titillantibus ad creaturarum dilectionem à dilectione creatoris avocamur (quod propriè omnium tentationum sive blandientium, sive sævientium est munus) hinc ille conflictus delectationum, de quo diximus ex Augustino, qui sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eò totum animæ pondus vergat. *Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Vigente enim delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat, nisi quemadmodum Augustinus loquitur, *tantum delectent ut ipsa teneant animum in tentationibus, nec in peccati consensionem ruant.* Et hæc similiter causa est, cur jam absorpta omni carnali delectatione, ac dominante solâ suavitate spiritus, ardentissime voluntas Deum in cœlo diligat, atque ita immobiliter diligat, ut peccare non possit: quia tit idem Augustinus loquitur, *Solus eum delectat Deus*; imo *nihil aliud delectare potest*. Nam quemadmodum hic ante gratiam istius cælestis delectationis, non poterat quicquam agere boni, dominante ei solâ delectatione creaturæ; ita post eam absorptam exstinctamque penitus, nihil potest agere mali, dominante ei solâ delectatione Creatoris. Inter quæ duo extrema quamdiu in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ & Creatoris delectatione nunc rectè, nunc perperam facit, prout cœli aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit.

Lib. 2. de peccat. merit. c. 17.

In Enchirid cap. 81.

In Epist. ad Galat.

Ibid.

Lib. 22. cont. Faust. c. 28. Serm. 49. de Temp.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Vide & cap. 19. & 20.

Lib. de nat. & gra. c. 68. Lib. de dono persev. c. 11. & 12.

CAPVT DECIMVM.

Inferuntur Corollaria, quibus multa principia sancti Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi & similibus declarantur.

EX his quæ hactenus de Dilectionis gratia disseruimus, multa principia divi Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi, quæ in superioribus libris tacta sunt, & ijs valde nova forsan videbuntur, qui Philosophiæ Aristotelicæ innutriti sunt, neque radices doctrinæ ipsius perspectas habent, clarescere possunt.

In primis enim hinc patet, cur statui innocentiæ & primo homini tanquam proprium assignaverit, ita liberum esse ut bene velle possit & malè, cùm id Scholasticorum judicio omnibus hominibus, nisi beati fuerint, ex vi liberæ voluntatis competere videatur. Nam Augustinus altius rerum radices penetrans, suppliciaque ac præmia liberæ voluntatis ab ejus naturali conditione distinguens, animadvertit ita Deum Dominumque rerum omnium ordinasse Angelorum atque hominum vitam, *ut prius experiretur quid posset eorum liberum arbitrium*, deinde quid *posset suæ gratiæ* liberatricis *beneficium*, *iustitiæque* remuneratricis *iudicium*. Itaque ut isti experientiæ daretur idoneus locus, dedit eis non solum liberam voluntatem, quæ neque ad bonum, neque ad malum urgenti quodam pondere raperetur, sed etiam sufficientissimam facultatem. Sic enim adjuvabantur gratia Dei, sine qua permanere non poterant, ut cum illa bene operarentur si vellent, eam tamen quoq; si vellent desererent. Quo fiebat, ut cum tali adjutorio, & potentia liberi arbitrij monstraretur, & simul tamen bene velle possent & male, in utramvis partem nutu liberæ voluntatis impulsi. Deerat enim dominatus ille delectationis quæ consensum libertatis in alterutram partem flecteret. Itaque in illo æquilibrio primævæ conditionis liberum arbitrium se suæ libertatis indifferentia utramlibet parte posse, experientia comprobavit. Nam sancti Angeli suâ illâ libertate, non sine gratia tamen, in veritate steterunt, reprobi verò & primi homines eâdem illâ libertate ex veritate ceciderunt.

Hinc secundò patet, quâ ratione verum sit, quod in homine lapso ante gratiam (cui, & multo potentiori ratione dæmones addi possunt) non sit amplius illa primæva flexibilitas, qua bene velle possit & malè, hoc est, cur non possit alteram libertatis partem promere, quæ bene agendo exercetur. Boni agendi quippe libertatem ante gratiam esse perditam, & peccandi inductam esse servitutem, Augustinus, ut ante declaratum fuit, ex professo sexcenties docet. Hujus rei radix est, quia ex divinæ justitiæ judicio persequente peccatorum, *secutum est* in libero arbitrio *ex debita iusta pœna tale vitium, ut iam molestum sit obedire iustitiæ. Quod vitium nisi adiuvante gratiâ superetur, ad iustitiam nemo convertitur; nisi operante gratiâ sanetur, iustitiæ pace nemo perfruatur.* Hoc autem vitium est medullis voluntatis inhærens quædam libido fruendæ creaturæ, quasi vestigium quoddam primæ dilectionis, qua Creatorem deserendo & creaturam amplectendo peccavit. Hæc libido ad singulas occasiones, per omnia peccatorum genera concitata motibus delectationum suarum, voluntatem premit, nec eam sinit ad redamandum bonum surgere quod amisit. Hinc ergo fit, quod liberum arbitrium ante gratiam, ex Augustini doctrina non sit amplius liberum ad agendum bonum, sed tantummodo ad malum. Nam illa primæva integræ libertatis gratia, non est ullo modo accommodata ad liberandam à tam immani delectationum pondere voluntatem, quæ solummodò prona est ad sequendum nutum, atque impulsum ejus. Non potest autem eâ se facilitate sursum erigere, qua deorsum cecidit. Ita quippe delectabiliter captiva detinetur, ut neque libeat, neque velit, neque possit, neque sciat surgere. Nam hæc omnia per aliud gratiæ genus ægrotæ & mortuæ dari debent.

Lib. 2. de pec. merit. c. 19.

Hinc tertiò patet, cur Angelis ac sanctis in cælo tribuat Augustin. tale liberum arbitrium, quod jam alteram primæ libertatis partem exferere, hoc est, malè agere seu *peccare non possit*. Nam sicuti delectatio creaturę stabiliter inhęrens, possidens, & huc illuc ad malum rapiens arbitrium peccatoris, malę cadentisque voluntaris supplicium fuit, ita delectatio inceſſabilis creatoris, perpetuo sursum ad bonum rapiens justum, bonæ & perseverantis voluntatis est præmium, ex quo fit ut *à delectatione peccandi usq; ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum fit*. Et quidem cum istam partem velint nolint cogantur Scholastici admittere, & consequenter confiteri partis unius, quam bicornis illa innocentis creaturæ libertas continebat, amissionem non officere libero arbitrio; mirum sanè est, cur liberum arbitrium labefactari putent, si altera quoque ipsius pars, alterâ salvâ, perimatur. Nam eadem quantum ad actionis liberæ naturam, prout ipsi intelligunt actionem liberam, utriusque ratio est.

Lib. de Corr. & gra. c. 12 & lib. 22. de Civit. c. 30.

Ibid.

Hinc patet quarto, jam postquam gratia post lapsum nos adjuvare cœperit, esse quidem in homine liberum arbitrium ad utrumlibet faciendum, bonum ac malum; sed non ita sicut ante lapsum in innocentiæ statu atque Angelis

Angelis fuit. Illorum enim sic liberum erat, A ut suo se nutu, nihil impediente vel urgente libertatem, flecteret ad utrumlibet, solum, si malè, non sine Dei adjutorio, si faceret bene. Nunc autem ipsum adjutorium beneficæ suavitatis facit, ut bonum velit; quo si desertum fuerit, ipsum adjutorium, ut ita loquar, noxiæ suavitatis facit, ut malum velit. Illam quippe suavitatem quæ superaverit, voluntas consentiendo sequitur, ut Augustinum jam sæpius inculcantem vidimus. Nec ullum hic periculum destructæ libertatis. Si enim libertas arbitrij manet, ubi non potest arbitrium aliud nisi bonum agere, quod Schola nullo pacto diffiteri potest, quanto minus periculum erit, ubi arbitrium agere potest & bonum & malum? Sed de hac concordia gratiæ & libertatis infra pluribus.

Quinò hinc facile & illud intelligitur, B quod tam constanter Augustinus docet, cur nulla sit ei gratia bonæ voluntatis & operationis ante fidem, sed in ipso initio fidei sit etiam initium bonæ voluntatis. Nempe quia gratia qua fit bonum, non est alia nisi delectatio de incommutabili bono, quod est Deus benedictus in sæcula. Hic autem non nisi per fidem cognosci incipit, sicuti cognoscendus est. Et hinc etiam nascitur, cur infideles apud ipsum nihil omnino boni possint velle aut operari.

Sextò hinc etiam claret, cur Augustinus omnem omnino gratiam purè sufficientem, sive ante fidem sive etiam post fidem auferat. Ratio enim perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur: *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Quanquam ex alio capite ipsa ratio gratiæ sufficientis integræ naturæ ac libero arbitrio seipsum viribus suis discernenti propria est, & propterea incepta naturæ læsæ vel reparandæ, vel adjuvandæ. *In Epist. ad Galat.*

CAPVT XI.

Delectatio ista cælestis, secundum Augustini mentem, est actus vitalis & indeliberatus animæ: & quidem amoris ac desiderij, præcedentis consensum, ac delectationem illam quæ & quies animi & gaudium dicitur.

CONSEQVENS nunc est, ut ulterius A despiciamus, quidnam sit ista delectatio cælestis, quam veram gratiam Dei esse jam satis demonstravimus. Constat enim delectationem creaturæ rationalis, quando propriè sumitur, esse particularem actum, qui etiam gaudium dicitur, per quem animus in bono præsente, cum quadam satisfactione & fruitione conquiescit. De isto delectationis actu non loqui Augustinum, perspicuum est. Est enim terminus desiderij, tanquam cujusdam motus, quo voluntas ad delectationem istam tanquam ad quietem suam tendit. Delectatio verò seu suavitas, de qua multa sanctus Doctor tradidit, etiam ad desiderandum & amandum Deum libero voluntatis motu necessaria est; cum & illi sint actus boni, qui sine suavitatis gratia non possint à voluntate proficisci. Cuiuslibet quoque præcepti observatio, ac tentationis ex- B pugnatio delectationem postulat, ad quam tamen hujusmodi delectationem, quæ sit fruitio seu gaudium, certum est, non semper antecedere. Quapropter omissâ istâ delectatione, alij actus explorandi sunt. Nam eam esse quendam vitalem actum voluntatis, non videtur posse dubitari. Quid est enim delectari hominem justitiâ, vel mendacio, nisi actu aliquo in justitiam vel mendacium tanquam sibi convenientia & jucunda moveri? Motus autem hujusmodi voluntatis, non fit nisi actu quodam vitali.

Hoc igitur præsupposito, quod puto nemo facile diffitebitur, dico breviter: Delectatio ista quam ad omnia opera bona sanctus Augustinus exercenda postulat, non est aliud quam actus quidam indeliberatus cœlitus immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum vel suaviter tantum placet (qui actus subinde *simplex voluntas* dicitur, aut etiam *complacentia*, aut *amor voluntatis*, respondens passioni amoris sensitivi) vel etiam in bonum appetendum commovetur. Istæ autem primus actus est principium motus tendentis in bonum, quia est prima boni complacentia, per quam affectus bono tanquam sibi convenienti & connaturali primum coaptatur. Nam quemadmodum in rebus naturalibus, primo datur forma, deinde motus formam consequens (ut corpori naturali datur gravitas aut levitas, quæ est velut naturalis amor convenientis loci, & prima quasi ad locum coaptatio, ex qua deinde motus ad eundem naturalem locum fluit;) ita

voluntati & generaliter appetitui datur primo quædam coaptatio appetitus ad bonum appetibile, quæ est quædam complacentia appetibilis, atque *amor* nuncupatur, ex qua sequitur motus in appetibile, qui vocatur *desiderium*, ac deinde quies, nempe *gaudium* seu delectatio, tertius ille actus animæ de quo suprà.

Dicimus igitur, delectationem istam seu suauitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ qui actualis complacentia est, partim etiam & crebro secundum qui desiderium indeliberatum dicitur, quibus anima ita suaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero consentiat ac bonum diligat, tanto vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur. Nam istis actibus inesse delectationem etiam Philosophi profitentur. Inde est enim quod sanctus Thomas dicit, *Amor præcipua causa delectationis est.* Et in eadem quæstione alio loco: *Amor & concupiscentia* (hoc est, desiderium) *delectationem causant: omne enim amatum sit delectabile amanti, eo quod amor est quædam unio, vel connaturalitas amantis ad amatum. Similiter etiam omne concupitum est delectabile concupiscenti, cum concupiscentia sit præcipue appetitus delectationis.* Et in alio articulo docet: *In ipso augmento desiderij fieri augmentum delectationis*: Et, *inquisitiones esse quandoque delectabiliores, secundum quod ex maiori desiderio procedunt.* Nempe quia cùm omnis amor ad delectationem tanquam ad quietem ac centrum suum per desiderium tendat, ut sæpenumero Augustinus tradit, fieri non potest, quin ipse motus quoque aliquid ex illa suavitate participet, juxta illud sancti Thomæ: *Id quod movetur, etsi nondum habeat perfecte id ad quod movetur, incipit tamen iam aliquid habere eius ad quod movetur, & secundum hoc ipse motus habet aliquid delectationis.* Nam simulatque motus incipit, participat de quiete, quatenus etiam primum momentum motus habet partialem terminum suum. Quod tamen in amore ac desiderio spiritualium rerum, hoc est, in dilectione incommutabilis illius *sapientiæ, & veritatis, & sanctitatis, & iustitiæ, & charitatis, & siquid aliud tale dicitur* (*quomodo* juxta sancti Augustini mentem *amandus est Deus*, quia hoc est Deus) multo maximè locum habet. Nam qui diligit res creatas, non hoc ipso quo eas diligit etiam adipiscitur, nec tanquam in adeptis conquiescit, neque quasi fruens animo delectatur. Quisquis verò istam æternam veritatem, & istam, inquam, incommutabilem justitiæ & castitatis & sapientiæ formam quæ Deus est, diligit, hoc ipso eum adipiscitur, habet ac possidet: & per hoc etiam cum delectatione fruitur, & cum fruitione delectatur. *Si uxorem alienam amaveris*, inquit Augustinus, *non continuo habebis, si castitatem amaveris, mox habebis.* Et Tractatu decimo in Epistolam Ioannis: *Quid iubet tibi Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæsitus es aurum, & forte non inventurus. Quisquis me quærit cum illo sum. Me ama dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquem; ipse amor præsentem me tibi facit.* Cujusmodi apud Augustinum frequentia sunt. Nam Deus non arca aut manibus, ut aurum, non oculis, ut lux, non auribus, ut sonus; sed solâ dilectione, ut veritas, ut justitia, ut castitas, ut sapientia possidetur. Ex quo fit vt amans Deum, ipso quoque dilectionis actu, tanquam objectum suum possidente fruatur ac delectetur Deo. Vt justissima proinde ratione ipse amoris ac desiderij actus, delectabilis ac delectatio ab Augustino nuncupetur. Vnde idem cùm dixisset: *Ipse amor præsentem me tibi facit*, statim adijcit, *Quid dulcius dilectione istâ Dei fratres?* Et in Tractatu septimo: *Tenete eam charitatem, amplectamini eam;* DVLCIVS EA NIHIL EST. Et in Sermonibus de verbis Domini tractans illa verba amantis Ecclesiæ: *Vbi pascis ubi cubas*, sic loquitur: *Videte quemadmodum, quo affectu hic erigatur amor spiritualis. Melius isto multo affectu delectantur, qui aliquid ex huius amoris dulcedine gustaverunt.* Nempe quia ex præsentia Dei dilecti, quem amor ipse facit præsentem, necesse est suavitas quædam delectationis & fruitionis fluat. Nam ut idem: *Deus nullius bonum cupiens, cum ipso fruatur omnis voluntas bona.* Et in libro de Fide & Symbolo: *Ideo Spiritus sanctus Dei donum dicitur, quia eo quod quisque novit, non fruitur, nisi & id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil aliud est quam ei dilectione cohærere.* Cujus veritatis tanquam certæ & perspicuæ, quæque multis Augustini testimonijs facile confirmari posset, consideratione factum est, ut in libro de Spiritu & Anima, itemque in libro de Substantia dilectionis, qui nomine sancti Augustini circumferuntur; & si non sunt, multa tamen ex ejus libris capita doctrinæ sumpta continent, Amor non aliud esse definiatur, quàm DELECTATIO *cordis alicuius ad aliquid propter aliquid per desiderium currens, & per gaudium requiescens.* Vt sane meritò sanctus Augustinus actus illos indeliberatos amoris ac desiderij quibus anima suaviter in Deum deliberato actu diligendum suscitatur, invitatur, trahitur, rapitur, nomine dulcedinis, suavitatis, ac delectationis designaverit.

Hos autem actus revera delectationis nomine ab eo expressos esse multis indicijs atque argumentis claret. Et primo quidem, quia hæc delectatio qua ad consentiendum faciendumque aliquid sollicitamur, reperitur juxta sanctum Augustinum, non tantum ad opera bona, sed etjam ad mala, quamvis ibi non sit donum inspirantis Dei. Atqui delectatio ex qua peccata profluunt, non est illa proprie dicta delectatio, quæ est tertius actus animæ, & tanquam quies desiderij etjam gaudium appellari solet; sed est, vel ipse primus concupiscentiæ motus, quo bono terreno quasi coaptatur animus, vel desiderium indeliberatum, quo urgetur ad malum. Nam distinguit illam à suggestione præcedente & à consensione consequente. De quo luculentissimè libro primo de sermone Domini in monte differit: *Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, & consensione. Suggestio sive per memoriam sit, sive*

1. 2. q. 32. art. 6.
Ibid. a. 3. ad 3.
Ibid. a. 8.
1. 2. q. 32. a. 2. ad 1.
Lib. de Catechiz. rudib. cap. ult.
Serm. 2. in append.
Tract. 10 in Epist. Ioan.
Ibid.
Tract. 7. in Epist. Ioan.
Serm. 50. de verb. Domini cap. 6.
Lib. 22. cont. Faust. c. 9. Lib. de Fide & Symb. c. 9
Lib. de Spir. & anim. c. 45. Lib. de substant. dilect. c. 1. & seqq. tom. 3. & 4. Aug.
Lib. 1. de Serm. Dom. in mont. c. 12

sit, sive per corporis sensus, cum aliquid videmus, aut audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita reprimenda est. Velut cum ieiunamus & visis cibis palati appetitus assurgit, non sit nisi delectatione: sed huic tamen non consentimus, si eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Quod ipsissimum docet etiam in libro secundo de Genesi contra Manichæos, ubi delectationē exponit esse motū, quo *cupiditas* ex suggestione *movetur* ad peccandum; qui non est alius nisi primus amor quo concupiscitur peccatum, vel certè desiderium ejus. Et iterum in eodem sermone Domini in monte consequenter: *Tria ergo hæc ut dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei, quæ in Genesi scripta est, ut quasi a serpente fiat suggestio & suasio: in appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio; in ratione vero tanquam in viro consensio.* Et iterum: *Verumtamen delectatio ante consensionem vel nulla est, vel tam tenuis ut prope nulla sit, cui consentire magnum peccatum est, cum illicita est. Cum autem quisque consenserit, committit peccatum in corde suo. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari & exstingui cupiditas. Sed postea cum suggestio repetitur* MAIOR ACCENDITVR DELECTATIO, *quæ tamen adhuc multo minor est, quam illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur.* Et apertius adhuc inferiùs: *Quisquis carnalem* DELECTATIONEM *adversus rectam voluntatem rebellare sentit per consuetudinem peccatorum, cujus molimina violentia trahitur in captivitatem, recolat quantum potest, qualem pacem peccando amiserit.* Et in Psalmum quadragesimum-octavum non minùs perspicuè: *Quando* (diabolus) *incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat* DELECTATIO *& sequatur consensio.* Et in Psalmum octogesimum-quartum: *Date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, & posit mihi dicere quia tam pax est. Nihil quidem tentationis sorte patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur, vel suggeritur illi quod desipit: vel* DELECTAT *unde contineat. Sed ecce iam nihil delectat illicitum &c.* Et evidentissimè in sermonibus de verbis Domini, de gradibus quibus ad consuetudinem peccandi pervenitur, tractans: *Prima est*, inquit, *illatio* DELECTATIONIS *in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus suis prorsus ita obyciunt, ut nec* DELECTENTVR *simul qui* DELECTANTVR, *& non consentiunt. Nondum perfecta mors est, sed quodammodo inchoata.* DELECTATIONI *accedit consensus.* Quibus similia non esset difficile proferre plura, nisi ista sola evidenter patefacerent delectationem quæ consensum in peccata præcedit, & suggestionem sequitur, non aliud esse nisi desiderium illicitum indeliberatum quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat; vel certe primum ipsum concupiscentiæ motum tanquam amorem quendam indeliberatum, per quem homini etiam invito peccare libet, quamvis consensio non sequatur.

Secundo, quia sanctus Augustinus diversis in locis ubi de delectatione voluntatem ad consensum proritante differit, apertissimè declarat eam idem esse, quod desiderium quoddam quo propellimur, ut velimus, consentiamus & operemur. Ostendit hoc in Psalmum sexagesimum-quartum: *Modo cum morte quanta contendimus? Inde sunt enim* DELECTATIONES *carnales, quæ nobis etiam illicitè multa suggerunt, quibus non consentimus, sed tamen non consentiendo contendimus.* Et manifestius in Psalmum centesimum-secundum & sæpius: *Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris, necesse est, sint quædam* DESIDERIA *carnalia quæ te titillent & quæ tibi suggerant delectationes illicitas. Sed de languore tuo venient. Adhuc quibusdam perturbationibus etiam ipsa anima quatitur post remissionem peccatorum; adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam* SVGGESTIONIBVS DELECTATVR, *quibusdam* NON DELECTATVR, *& in eis quibus* DELECTATVR, *aliquando quibusdam consentit, capitur.* Ecce aperte vides desideria titillantia, quæ statim vocantur aliquoties delectationes, quibus consentimus, vel non consentimus. Et in Psalmum centesimum trigesimum-nonum, explicans quid mali pariant exempla scelerum: *Nonne duceris*, inquit, *talium delectatione factorum? Et si non consentis, saltem invenisti quid expugnes.* Et adhuc luculentius in Psalmum quadragesimum-tertium: *Suggeritur aliquod lucrum,* DELECTAT: *habet fraudem, sed magnum est lucrum,* DELECTAT, *non consentis, pugnam vide: adhuc suadetur, adhuc instatur, adhuc deliberatur. Ergo qui pugnat periclitatur &c. Sed etiam ille qui vicit, numquid omnino egit in se, ut prorsus eum pecunia non attentet, aut nihil in eo* EXCITET DELECTATIONEM, *quamvis superabilis, quamvis contemptibilis, quamvis non solum cui non consentiat, sed cum qua nec pugnare dignetur? Inest tamen aliqua* DELECTATIONIS *titillatio.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum sextum: *Etenim modo fratres mei, quanta illicita delectationes animum tangunt, quamvis eis non consentiamus; tamen vel delectari talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum-octavum: *Contendunt nobiscum quotidie tentationes, contendunt nobiscum quotidie* DELECTATIONES, *etsi non consentiamus tamen molestiam patimur &c. Si autem non consentiendo vincimus molestias tamen patimur resistendo* DELECTATIONIBVS. Et tractatu quadragesimo-nono in Ioannem: *Aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malū est; consensisti, peccasti: Consensio illa occidit te &c. Si autem non solum malæ* DELECTATIONI *consensisti, sed etiam &c.* Et in Sermone nono de diversis quæ est de Oratione Dominica: *Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam: diabolum non vides, sed quid te* DELECTET *vides. Vince intus quod tu sentis.* Talia sexcenta ex Augustino proferri possent, nisi fastidium lectoris pertimescerem, quibus significat delectationi tentanti vel titillanti consentiri, vel non consentiri: quam certissimum est nihil aliud esse, quam cupiditatis motum, qui primus objecti amor est, vel si tentatio increverit, vehemens desiderium per quod rebus delectabilibus

In Psal. 64.
In Psal. 102
In Psal. 43.
In Psal. 146
In Psal. 148
Tract. 49. in Ioannem.
Serm. 9 de verbis c. 9.

bilibus appetendis inardescimus, & ad consensum tractus ejus suavitate provocamur. Nam eas tentationes quas toties delectationes vocavit, non aliud esse quam illicita desideria, innumeris locis tradit, sed quia satis res ista in confesso est, nos paucis cõtenti erimus, ne quid diversum hic Augustinus à communi existimatione sentire videatur. Istud ergo significat

Lib. 5 cont. Julian. c. 8. in libris contra Iulianum: *Numquid autem consequens est, ut si habet aliquis cordis desideria mala, iam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala? Ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis, possideatur ab eis; quod sit cum divino iudicio traditur eis. Alioquin frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si iam quisque reus est, quod tumultuantes & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina.* Et in libro secundo adversus eundem adversarium:

Lib. 2. c. 9. *Quomodo peccatum* (id est, concupiscentia peccati) *mortuum est, cum multa operetur in nobis? Quæ multa? Nisi desideria stulta & noxia, quæ consentientes mergunt in interitum & perditionem: quæ utique perpeti eisque non consentire, certamen est, conflictus est, pugna est.* Et sermone sexto de verbis Apostoli, cum dixisset omnia peccata non exoriri nisi ex *illicita delectatione.*

Serm. 6. de verb. Apost. 1. *Hinc* ergo, inquit, *illicitæ delectationi si resistamus, si non consentiamus, si membra velut arma non ministremus, non regnat peccatum.* Et statim post adjecit exponens, quid sit illicitæ delectationi non consentire, *illicita* videlicet *concupiscentiæ manus non dare.* Et in eodem loco vocat hoc, *non consentire desideriis carnis.* Et iterum in eodem sermone sexto de verbis Apostoli: *Quid*

Ibid. c. 9. *est secundum carnem ambulare? Carnalibus* CONCVPISCENTIIS id est desiderijs *consentire. Quid est secundum spiritum ambulare? Adiuvari spiritu in mente, &* CONCVPISCENTIIS *carnis non obedire, &c.* Restat *cum carne conflictus; mesi, in illas* DELECTATIO *illicitæ concupiscentiæ: pugna, resiste, noli consentire, & impletur hic: post concupiscentias tuas non eas.* Et in sermone decimotertio:

Serm. 13. c. 9. *Quam multa proficientes iam non delectant, quæ antea delectabant. Quando ergo delectabat, & non ei consentiebatur, mortificabatur, quia iam non delectat, mortificatum est. Calca iacentem, conflige cum resistente. Mortua est enim una delectatio, sed vivit altera. Et illam, dum non consentis, mortificas; cum cæperit omnino non delectare, mortificasti &c. Cum ergo dixisset Apostolus: Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis vivetis, id est, illas concupiscentias carnis quibus non consentire magna laus est &c.* Et sermone duodecimo in eundem Apostolum:

Serm. 12. de verb. Apost. c. 4. *Eo fateor tibi quicquid me rebellat adversus mentem meam & litigat mecum* DELECTATIONE *contraria interficere volo.* Quam delectationem contrariam sæpius ibidem declarat ex eo fieri, quod *caro concupiscit*, vocatque *desideria quibus non sit obediendum. Ecce*, inquit, *concupiscit caro mea adversus spiritum meum concupiscit adulterium, sed non consentio.*

In his locis & infinitis quæ produci facilè est, liquet evidenter ex ipsissimis Augustini verbis, delectationes quibus toties dixit consentiri vel non consentiri, esse concupiscentias ac desideria, quibus ad peccandum incitamur, & consensum negamus aut damus. In quo Apostolicam doctrinam exprimit, qua dicitur: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius*: pro quo plerumque legit Augustinus, *desiderijs eius*; & istæ concupiscentiæ istaque desideria sunt illæ ipsæ delectationes, quibus tam instanter non obediendum, hoc est, non consentiendum esse commendat. Ex quo intelligendum superest, quando similiter delectationem cælestem prædicat, quæ nos velle & consentire & operari facit, non aliam significari, quàm istiusmodi amoris desideria, quibus delectabiliter ad consensum trahimur. Rom. 6.

Tertiò denique, hoc ipsum elucet ex pugna carnis & Spiritus, quam juxta Scripturarum doctrinam, sanctus Augustinus in homine vigere testatur. Nam sæpè docet, pugnam istam exerceri, quatenus delectationes duæ carnis & spiritus inter se decertant, utram utra superatura & animi consensum post se tractura sit, quemadmodum supra toto capite & in multis testimonijs Augustini vidimus. Hanc tamen pugnam non aliter committi, quam per amores seu concupiscentias seu desideria, quibus invicem sibi caro & spiritus adversantur; & Augustinus non semel indicat, & ipse Apostolus verbis perspicuis tradit, quando ad Galatas dicit: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Ecce apertè carnis desideria quibus resistere debet spiritus ne perficiat. Et ut ostenderet non aliter istis resisti desiderijs carnis, quam per alia spiritus desideria, quæ sibi mutuo concupiscendo adversentur, statim ratione subjecta explicat: Galat. 5.

Ibid. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis.* Quid est enim, *spiritus autem adversus carnem*, nisi spiritus concupiscit adversus carnem? Et quid est, *hæc enim sibi invicem adversantur*, nisi hæc contrarijs concupiscentijs seu desiderijs luctantur inter se, ut animi consensum post se abripiant. Delectationes ergo carnis & spiritus quas Augustinus inter se pugnantes prædicat; ut animum in consensionem trahant, non sunt aliud nisi istæ concupiscentiæ ac desideria carnis & spiritus. Nam ex isto potissimum Apostoli loco sanctus Augustinus, istam duarum delectationum carnis & spiritus resistentiam, quam toties commemorat, pugnamque didicit. Qua de re operæ pretium est ipsummet Augustinum in uno aut altero saltem loco clarissimo audire differentem, ne quid illi imponere videar. Itaque libro decimo de Genesi ad litteram propositis Apostoli verbis:

Galat. 6. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*, sic illam pugnam delectationum describit, ut non nisi desideriorum esse declaret: *Ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola. Ex utroque enim fit, ex anima scilicet, quod sine illa* DELECTATIO *nulla sentitur: ex carne autem quod*

Lib. 10. de Gen. ad lit. c. 12.

quod sine illa carnalis DELECTATIO *non sentitur.* *Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio* DELECTATIONEM, *quam de carne & cum carne spiritus habet adversus* DELECTATIONEM *quam solus habet.* Ecce clarissimè concupiscentias carnis & spiritus adversantes invicem sibi vocatas DELECTATIONES carnis & spiritus. Iam vide, utrum non exponat eas esse desideria carnis & spiritus. Adjungit enim mutuis verbis interpositis: *Solus quippe habet nisi fallor, illud* DESIDERIVM, *non cum carnis* VOLVPTATE, *vel carnalium rerum* CVPIDITATE *commixtum, quo* DESIDERAT *& deficit anima in atria Domini. Solus habet etiam* ILLVD (*supple* DESIDERIVM) *de quo ei dicitur:* CONCVPISTI *sapientiam, serva mandata, & Dominus præbebit illum tibi. Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic* DESIDERIO *serviant, quo solus attenditur, velut cum assumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur: cum denique panis frangitur audienti, & cetera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia, obedientiam caro exhibet non* CONCVPISCENTIAM *movet. His atque hujusmodi* DESIDERIIS, *quibus sola anima* CONCVPISCIT, *cum adversatur aliquid quod eadem animam secundum carnem* DELECTAT, *tunc dicitur caro* CONCVPISCERE *adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* En tibi planissimè expositum, quid sit illa delectatio carnis & spiritus quam ipse solus habet, nempe desideria carnis & spiritus, quæ sibi invicem adversantur. Ethæc esse indeliberata statim adjecit quando dicit: *Non esse in potestate, ne concupiscat caro, quamdiu inest peccatum in membris, id est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, veniens de vindicta peccati*, quam continuo iterum PECCATI DELECTATIONEM vocat.

Nec minus luculente pugnam istam carnis & spiritus quæ DELECTATIONIBVS contrariis colliduntur, non nisi per contraria desideria concupiscentiasque divelli, in sermonibus de verbis Domini tradit: *Videte quale bellum proposuit* Apostolus, *qualem pugnam, qualem vixam animus intra teipsum. Caro concupiscit adversus spiritum. Si non* CONCVPISCIT *& spiritus adversus carnem fac adulterium. Si autem spiritus concupiscit adversus carnem, luctam video, victum non video. Pugna est, concupiscit caro adversus spiritum.* DELECTAT *adulterium. Faceo quia* DELECTAT. *Sed spiritus concupiscit adversus carnem.* DELECTAT *& castitas. Ergo vincat spiritus carnem: aut certe non vincatur à carne.* Vbi clarissimè vides adulterium delectare, quia concupiscitur; & è contrario castitatem delectare, quia concupiscitur, dum cum adulterij delectatione certatur. Et in sequenti capite paucis interjectis: *Sed* DELECTAT *& adulterium: contradicatur, repugnetur, repugnatur. Non enim non habes unde pugnes. Deus tuus in te est, spiritus bonus datus est tibi. Et tamen permittitur ipsa caro concupiscere* DELECTATIONIBVS *gemmis.* Ecce caro non solùm delectatur, sed etiam CONCVPISCIT DELECTATIONIBVS genuinis, ut intelligeremus concupiscere ac delectari indifferenter sumi, quia ipsa concupiscentia rerum jucundarum delectabilis est. Talibus autem delectationibus statim resisti docet per spiritum, quatenus & *spiritus concupiscit adversus carnem.* Nam & ista concupiscentia spiritus contra carnem non est aliud, quam spiritus delectatio, qua condelectatur legi secundum interiorem hominem. Quod in plurimis locis significat Augustinus, ut libro de continentia: *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectetur amplius continentia.* *Lib. de continent. c. 3.*

Et in eodem libro: *Bonum fit cum id quod male libet*, hoc est, concupiscitur, *vincente bona delectatione non fit.* *Ibid. c. 8.*

Et sermone sexto de verbis Apostoli, ubi eandem pugnam carnis concupiscentis adulterium, & spiritus castitatem concupiscentis adducit, & per delectationes utrimque fieri docet: *Delectat uxor aliena, & non amnius, mentem avertis, in secretarium mentis intras. Vides foris strepentem concupiscentiam, profer adversus eam sententiam. Nolo, iniquis, non facio. Pista, quia* DELECTAT, *non facio. Habeo eas condelectior; Condelector enim legi Dei.* *Serm. 6. de ver. Apo. c. 9.*

Et quæ sequuntur fusius. Et inferius capite decimo explicans, quomodo spiritus concupiscat adversus carnem mentemque suspendat, ne in consensum desiderij carnalis ruat: *Mens*, ait, *repugnat & condelectatur legi Dei. Iam vero si mens non consentit peccato titillanti, suggerenti blandienti, si mens non consentit, quoniam habet alias intersus delectationes suas, delectationibus carnis ex nulla parte conferendas &c.* *Ibid. c. 10.*

Qua de re plura testimonia qui voluerit, consulat ea quæ supra de lucta carnis & spiritus diximus. Videbit enim illa conferendo cum ijs quæ præsenti capite protulimus, nihil verius esse, quam pugnam carnis & spiritus promiscue apud Augustinum describi per contrarias delectationes, & per contrarias concupiscentias ac desideria. Ex quo consequenter constabit, id quod huc usque demonstravimus, delectationem illam cælestem, qua carnis desideria spiritui rebelliantia coërcentur, non esse aliud nisi amorem vel desiderium à Spiritu sancto inspiratum, quo mens hominis, improvise & indeliberate, ac delectabiliter tangitur & suaviter afficitur legi Dei seu justitiæ, atque ita contra impetus blandientium concupiscentiarum roborata ijs consentire renuit, sed delectabiliter concupiscit ac diligit, & operatur bonum. Propter quem delectabilem dulcemque tractum, idem amoris ac desiderij motus, *delectatio* & *suavitas*, ac *dulcedo* ab Augustino nuncupatur. *Sup. c. 4. & 5.*

Alia quæ ad vim agendi istius delectationis pertinent, tum multa diximus libro secundo de gratia Christi Salvatoris, cum de gratia Christi, quantum ad operandi modum disputaremus, eamque à gratia primi hominis distingueremus; tum vero aliquid, utrum prædeterminet voluntatem, etiam inferius dicturi sumus, cum ad conciliationem gratiæ cum libero arbitrio ventum fuerit. Nunc gratiæ istius divisiones percurramus. *Vide lib. 8. de grat. Christi Salvat.*

CAPVT

CAPVT XII.

De gratiæ Divisionibus.

Tres divisiones gratiæ afferuntur. Quid sit gratia præveniens.

POSTQVAM de gratiæ natura satis superque disseruimus, superest ut de ejus divisionibus pauca dicamus. Nam & in illis intelligendis non mediocriter à vera sancti Augustini mente plerique Scholastici discesserunt.

De illa igitur capitali divisione, qua gratia à recentioribus dividitur in *sufficientem* & *efficacem* nihil est quod uberius hic dicamus, cum abunde in superioribus explicata sit. Dividitur igitur ulterius gratia in *prævenientem* & *subsequentem*; itemque in *operantem* & *cooperantem*: denique in *excitantem* & *adiuvantem*. Omnes istas divisiones Augustinus ex Scripturis hausstas tradidit, vel certe vestigia quædam earum expressit. Sed, ut dixi, plerique recentiores magis attenti, quid istis nominibus, filum philosophiæ suæ sequendo, significari oportunè posslit, quam quid eis Augustinus ac discipuli ejus Prosper & Fulgentius significarint, mentem eorum nullo modo assecuti sunt.

Itaque in explicanda vocabulorum istorum significatione non conveniunt. Aliud enim divus Thomas cum suis sectatoribus, aliud Vega, aliud Gregorius Arimmensis, aliud alij volunt. De quibus non est necesse per singula discurrere. Plerique tamen eo redeunt ut velint gratiam esse quosdam indeliberatos intellectus & voluntatis motus, quibus potentia voluntatis quasi dormiens excitarur ut in actum surgat, & ita prævenitur. Motus istos dicunt non esse liberos, quos Deus in ipsa voluntate non libere, sed physice tamen concurrente operatur. Talibus motibus voluntas mollitur & allicitur & roboratur, ut ijs consentiendo libere velit, consentiat, atque operetur supernaturaliter bonum. Vocantur igitur isti motus gratia *operans*; inquiunt, quia Deus eam in nobis sine nobis libere cooperantibus operatur, vel certe, quia per eam Deus solus operatur in nobis ut velimus; sine nobis videlicet libere cooperantibus. Eadem vocatur *excitans* quia excitat voluntatem ad volendum vel agendum: itemque *præveniens*, quia prævenit nostrum liberum consensum. Cùm vero cooperatio & adjutorium gratiæ, juxta notissimam Etymologiam, dicat simultaneam quandam conjunctionem gratiæ & voluntatis in eandem actionem ad quam cooperantur; ita ut non una antecedat vel impellat, sed simul operentur, hinc gratia *cooperans* est illa quę voluntatem accēdendo ei jam libere consentienti cooperatur. Eodem sensu eadem *adiuvans* dicitur, quia adjuvat infirmitatem voluntatis respectu supernaturalis operis: eadem & *concomitans* dicitur respectu consensus, quia consensum liberum comitatur, nos ad illum præstandum adjuvando: *subsequens* vero respectu prioris gratiæ quatenus prevenientem sequitur. Nec vero solum gratia operans & excitans & præveniens, juxta illos auctores, eadem omnino diversâ solum consideratione gratia est (sicut etjam cooperans, concomitans, adjuvans, & subsequens;) sed etjam operans & cooperans, excitans & adjuvans, præveniens & subsequens eędem sunt inter se. Nam idem vitalis intellectus & voluntatis motus, qui voluntatem excitat, consensumque prævenit, simul in consensum liberum voluntatis influendo cooperatur voluntati, eamque ad consentiendum & volendum & agendum adjuvat. Ita fere de gratijs istis multi recentiores, quamvis in nonnullis parvi momenti quidam ab alijs discrepent.

Sed ista gratiarum istarum explicatio, sive in re ipsa vera sit, sive non, ab Augustini mente ac discipulorum ejus longe discrepat. Quod ut planissimè intelligatur, initium ab illa celebri divisione sumemus, qua gratia dividitur in *prævenientem* & *subsequentem*.

Præveniens igitur, & subsequens nomina respectiva sunt; quorum terminus est, non gratia, quasi una gratia aliam præveniret aut subsequi diceretur, sed actus voluntatis. Præveniens enim dicitur, quia prævenit omnem omnino etjam primum bonum voluntatis humanæ motum; subsequens, quia bonum voluntatis humanæ motum sequitur. Motum intelligo liberum voluntatis consensum quo aliquid prę reij homo à Deo sive de congruo, sive de condigno promeretur: Primum autem, quem nullus omnino præcesserit, sed quo incipit homo mutari ex malo in bonum. Est enim sumpta illa divisio, non ab illa metaphysica speculatione, qua gratia intelligitur excitare potentiam voluntatis ad quoscumque consensus liberos per totam vitam hominis, & voluntati consentienti volentique adjuvando cooperari, sed ab illa celeberrima controversia, ad fidem Catholicam pertinente, maximeque qua Pelagiani & Semi-Pelagiani Ecclesiam ac defensores ejus fatigarunt, utrum voluntas per se incipiat operari bonum, ita ut gratia subsequatur motum bonum voluntatis, quo ipsa sibi gratiam promeretur ac parit; an vero è contrario gratia præcedat omnem bonum motum voluntatis, fidei, spei, orationis, dilectionis

Videndus Franc. Suar. lib. 3. de concurs. c. 5. Vasquez 1. 2. disp. 185. c. 9.

ctionis, ita ut hæc omnia Dei gratia in voluntate operetur. Nam istis aut similibus verbis Augustinus cardinem controversiæ subinde exprimit, sive quæstionem proponendo, ut quando dicit Vitali qui Semi-Pelagiano errore tenebatur: *Recognosce me, ut puto, in ijs quæ nos scire dixi, non omnia quæ ad fidem Catholicam pertinent commemorare voluisse, sed ea tantum quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem, utrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem; hoc est, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis datur quia volumus, an per ipsam etiam hoc Deus efficiat ut velimus.* Sive quæstionem veritatis eruendæ causa ventilando, ut quando dicit: *Quomodo voluntatis humanæ meritum sequitur gratia, etiam datur & parvulis, qui hoc nondum possunt velle seu nolle? Quomodo gratiam vel in maioribus dicimur præcedere merita voluntatis, si gratia, ut vera sit gratia, non secundum merita nostra datur?* Et rursum inferiùs: *Quomodo Deus exB spectat voluntates hominum, ut præveniant eum, quibus det gratiam, cum gratiæ ei non immerito agamus de ijs, quibus non ei credentibus & eius doctrinam voluntate impia persequentibus* MISERICORDIAM PRÆRIGAVIT, *eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit?* Sive quæstionem constituta veritate absolvendo, ut quando concludit: *Nempe manifestum est, ex illis duodecim sententijs quas pertinere ad Catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus, sed etiam singulis id confici, ut confiteamur gratia Dei* PRÆVENIRI *hominum voluntates & per hanc eas potius præparari, quam propter earum merita dari.* Et rursum paulo pòst luculentissimè: *Hæc & alia testimonia divina ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, &* PRÆVENIRE *in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per* ANTECEDENTEM *gratiam præparetur, non ut gratiæ merito voluntatis* ANTECEDENTE *donetur.* Et in fine tandem C Epistolæ: *Si sentis atque consentis, debere nos etiam Deo agere gratias, ac solere pro talibus, quod ad fidem eius doctrinamque conversi volentes ex nolentibus fiant, oportet sine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia* PRÆVENIRI, *& ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere qui rogatur ut faciat.*

Ex quibus profecto manifestissimè constat, quando de præveniente gratia & subsequente disputatur, non hic quæri, utrum gratia potentiam voluntatis in operibus quibusque bonis quasi excitando præcedat, cum qua deinde in actum influat; sed illud, utrum gratia præcedat omnes actus bonos voluntatis, etiam primum illum quo incipit ex nolente velle bonum, an è contrario bonus aliquis motus voluntatis præcedat gratiam, ita ut eum gratia veluti merces meriti illius subsequatur. Non enim vocatur gratia *præveniens* respectu bonorum operum quæ justificati per totam vitam D operantur, quamvis ad ea voluntatem excitet, sed tantum respectu illius mutationis ex mala in bonum, per quam incipit justificari, hoc est, ex nolente volens, ex aversa conversa, ex injusta justa fieri: respectu verò operum jam à credente ac diligente profluentium gratia vocatur *subsequens*, quia sequitur meritum jam conversæ & justificatæ voluntatis. Hanc esse verissimam & genuinam intelligentiam gratiæ prævenientis & subsequentis, prout de illis Augustinus ac discipuli ejus & Ecclesia, ipsæque adeo Scripturæ sacræ, unde eas deprompserunt, locuti sunt, ex multis indicijs atque locis apertissimum est. Nec enim aliud sibi vult cum in Epistola ad Vitalem scribit: *Quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia* PRÆVENIT *hominis voluntatem bonam*, id est, volitionem ejus bonam, *nec eam cuiusquam invenit in corde sed facit.* Nec aliud cum libro secundo ad Bonifacium probat primam boni cupiditatem, hoc est, etiam initium charitatis seu bonæ voluntatis esse nobis ex Deo præveniente voluntatem: *Avertat enim Deus hanc amentiam ut in donis eius nos priores saciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius* PRÆVENIET ME. *Et ipse est, cui fideliter veraciterque cantatur: Quoniam* PRÆVENISTI *eum in benedictione dulcedinis. Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa de qua loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit &c. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis; in qua si nos non* PRÆVENIT *Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere nec perficere; quia ut* INCIPIAMVS DICTVM EST, MISERICORDIA EIVS PRÆVENIET ME; *ut perficiamus dictum est,* MISERICORDIA EIVS SVBSEQVETVR ME. Et nec aliud libro primo contra Iulianum operis imperfecti: *Gratia quippe hominem prævenit, ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona. Quod & Ioannes Apostolus apertissime ostendit, ubi ait: Nos diligamus, quoniam* PRIOR *dilexit nos. Non ergo diligimur, quia dileximus, sed quia dilecti sumus diligimus.* Hoc est, non nos prævenimus nostra dilectione gratiam Dei, sed gratia Dei prævenit dilectionem nostram. Et in eodem libro iterum: *Si non* PRÆVENIT gratia voluntatem seu volitionem *ut operetur eam, sed prius existenti voluntati*, id est volitioni, *gratia cooperatur, quomodo verum est Deus in nobis operatur & velle? Quomodo præparatur voluntas à Domino?* Nec aliud in Enchiridio ad Laurentium: *Præcedit enim bona voluntas*, id est volitio *hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquijs, & misericordia eius* PRÆVENIET *me, & misericordia eius subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris, utique nolentibus piè vivere, nisi Deus in illis operetur ut velint? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod voluntas, à quo factum est ut velimus. Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos, sicut prævenit & nos*, antequam videlicet ullo bono voluntatis motu nos prævenissemus Deum; *oramus autem pro nobis ut misericordia eius subse-*

Epist. ad Vitalem

Lib. 2 ad Bonif. c. 9.

Lib. 1. cont. Iul. operis Imp. f. 135.

ibid. f. 146.

Enchir. c. 3.

sulse quatur nos. Quid autem sit istud, *ne frustra vel t*, de quo aliqui multum contendunt, infra clare demonstrabimus. Nec aliud voluit
Psal. 18. quando dixit in Psalmos : *Dic Domino Deo tuo, Deus meus misericordia eius præveniet me. Prævenit enim te, utique prævenit, quia nihil in te boni invenit.* Hoc est, nullum omnino bonum voluntatis motum, quo animus esset jam conversus ad Deum : *Prevenisti supplicium eius superbiendo, ille prævenit supplicium tuum peccata delendo.* Quod eodem sensu paulo aliter expressit in Psalmum
Psal. 17. decimum-septimum : *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam bonæ voluntatis : qui prior præbuit misericordiam antequam haberem bonam voluntatem.* Nam sive Deus gratia, seu misericordia sua bonam voluntatem prævenire, sive prior misericordiam præbere dicatur, antequam habeamus bonam voluntatem, idem omnino dicitur, eaque gratia exprimitur, quæ omnem bonum voluntatis motum, omniaque merita nostra prævenit, ut per eam oppositA
B
seu mala merita nostra peccataque deleantur. Vnde in præfatione in Psalmum trigesimum-primum vocatur Psalmus iste, *Psalmus gratiæ*
In præfat. in Psal. 31. *Dei & iustificationis nostræ, nullis præcedentibus meritis nostris sed præveniente nos misericordia Domini Dei nostri.* Et concione secunda in Psalmum
Conc. 2. in Psal. 32. trigesimum secundum : *Opus est ut velis accipere prædicationem Euangelij : plena sunt horrea. Hæc ipsa plenitudo & abundantia non te venientem expectaverunt, sed ad dormientem ipsa venerunt.* Hoc est, misericordia & gratia Dei te aversum in peccatisque dormientem prævenerunt. Nec aliud sibi vult in Psalmum quinquagesimum-octavum ; ubi etiam exserre adjicit, prævenientem gratiam Pelagianis capitaliter esse
Conc. 1 in Psal. 58. contrariam : *Quid in me inveniſti nisi sola peccata ? Tuum nihil aliud nisi natura quam creasti, cetera mala mea quæ deleuisti. Non ego prior ad te exsurrexi, sed tu ad me excitandum venisti. Nam misericordia eius prævenit me. Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius prævenit me. Quid hic respondebit infelix Pelagius ?* Et ex professo explicans Scripturæ locum ex quo gratiam prævenientem Ecclesia & Augustinus hausit :
Conc. 2. in Psal. 58. *Deus meus misericordia eius prævenit me : hoc est ante omnia merita mea bona* (quod nihil est aliud quam ante omnem motum voluntatis bonum, cum adhuc essem aversus à Deo) *prævenit me misericordia ipsius, etsi nihil in me boni invenerit, ipse me facit bonum, & ipse iustificat conversum, & ipse admovet ut convertatur aversus.* Et in fine istius concionis multo luculentius : *Opus est ut*
Conc. 2. in Psal. 58. *tu curari velis, opus est ut manus eius non refugias. Sed etsi nolis curari vulnus tuum admovet ut curetis : & aversum revocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus impetat quod dictum est : Misericordia eius prævenit me.* Cogitate quod dictum est PRÆVENIET ME. SI ALIQVID TVVM PRIMVM ATTVLISTI, ET D EX TVO ALIQVO BONO PRIMO DEI MISERICORDIAM MERVISTI; NON TE PRÆVENIT. *Quando autem vel intelligis, qua prævenitus es, nisi intelligas, quod ait Apostolus : Quid enim habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Hoc est, misericordia eius prævenit me.* Nihil sane manifestius dici potest, quo intelligamus, non alio sensu Scripturas & Augustinum vocasse gratiam prævenientem, nisi quia prævenit omnes voluntatis actus bonos, hoc est, omnia merita bona, eo quod nullus in Augustini doctrina sit actus bonus, quin aliquid mercedis à Deo mereatur. Et illa ratio est, cur sæpius explicat illam rationem præveniendi, per hoc quod gratia antecedit omnes actus bonos, vel per oppositum, quia nihil boni nostri gratiam præcedit, vel, ut Scriptura loquitur, quia nemo *prior dedit* Deo *ut retribuatur ei* : ut quando dicit in sermonibus de verbis Apostoli : *Quis prior dedit, cum* Serm. 17. ex tom. gratis accepit ? *Quis prior dedit illi & retribueretur ei ? Si Dominus retribuere vellet, nihil nisi* verbis Apost. c. 11. *pœnam debitam retulisset. Nihil dederunt ut eis retribueretur : pro nihilo salvos faceret illos. Quis prior dedit illi quasi suorum gratia meritorum ? Quis prior dedit illi ? Quis prævenit gratiam qua gratis datur ? Si aliquid meriterum antevenit gratiam, iam non gratis datur sed ex debito redditur. Si autem gratis non datur, gratia quare vocatur ? Quis ergo prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et in libris adversus Iulianum : *Quia imago Dei est, meretur* Lib. 4. c. 3. *hanc gratiam, non tamen ut eius bona voluntas possit* PRÆCEDERE *præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur ei, ac sic gratia iam non sit gratia, dum non datur gratuita sed redditur debita.* Quod cum tanquam gratiæ veræ ex diametro adversum refellisset, veram rationem gratiæ prævenientis adjungit : *Non ergo quia est illis voluntas bona, sed ut convertatur in bonam voluntas mala, quoniam præparatur*, id est, donatur & efficitur, *voluntas à Domino. & Deus est, ut ait Apostolus qui operatur in vobis & velle.* Quæ etiam vera causa est, cur ratio gratiæ evidentissimè appareat, non tam in gratia consequente, quæ consequitur bonos voluntatis motus, quam in præveniente, quæ omne meritum omnemque actum bonum præveniendo præcedit.

Secundo hæc ratio prævenientis gratiæ ex oppositio Pelagianorum sensu perspicue patet. Illi cum Augustini & Catholicorum disputationibus & Conciliorum auctoritate quibus damnati fuerant, tandem aliquam gratiam admittere cogerentur, consequente ada iisa qua ad facilius operandum assequendamque perfectionem, juvarentur, prævenientem tamen, per meritum antecedens funditus sustulerunt. Quam sententiam postea Semi-Pelagiani, velut hæreseos suæ fundamentum amplexi studiosissime defenderunt. Hunc Pelagianorum sensum, gratiæ prævenienti ex diametro adversum, non semel Augustinus expressit, ut in libris contra Iulianum : *Nam &* Lib. 4. c. ult. *secundum sanctitatis fine adiutorio Dei vultis in bonam* Iul. c. 3. *voluntate* PRÆCEDERE, *quod merito Deus debeat adiuvare non gratis.* Et in Epistola ad Paulinum Pelagianos aliquid quoquo modo prævium gratiæ quæritantes increpans : *Cur, in-* Epist. 106. *quit, meritis prævenitur gratia perhibetur, qua gratia non esset, si secundum merita imputaretur ?* Nam de ista prævenient gratia post damnatos Pela-

Pelagianos ei fuisse controversiam, in præcedentibus abunde manifestat: *Cum ergo fides impetrat iustificationem non gratiam Dei aliquid meriti* PRÆCEDIT *humani; sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, hoc est, sequente, non ducente, pedissequa non præviâ voluntate. Vnde ille qui dixit: Fortitudinem meam ad te custodiam, causamque reddit dicens, quoniam Deus susceptor meus es: tanquam requirens, quibus id meritis fuerit consecutus, nihilque in se inveniens* ANTE GRATIAM DEI; *Deus meus, inquit, misericordia eius* PRÆVENIET ME. Et quid istud? *Quantumcunque, inquit, cogitavero antecedentia merita mea misericordiæ eius præveniet me.* Et inferius in eadem Epistola: *Sive sit gratia qua iustificantur impij, de qua nobis dubitare fas non est, sive ut quidam volunt* (Pelagiani) *semper* PRÆCEDAT *liberum arbitrium, cuius meritum sequatur pœna vel præmium.* Et eundem Pelagianum sensum excludens cùm contra Vitalem scriberet: *A Domino gressus hominis diriguntur & viam eius volet: non dixit, & viam eius discet aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid huiusmodi, quod posses dicere, à Domino quidem dari, sed homini iam volenti, ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam eius discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate* PRÆCEDAT, *& hoc Dei donum suâ homo voluntate mereatur; sed ideo dixit a* DOMINO *gressus hominis diriguntur & viam eius volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam qua incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit præmius ut vehimus.* Et in libris ad Bonifacium: *Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni*, id est, primam bonam voluntatem, *ut huius cœpti meritum etiam perficiendi* GRATIA CONSEQVATVR. Et inferius adhuc: *Hoc ita dicunt velut homo a seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum studium, virtutis quo merito* PRÆCEDENTE *dignus sit adiuvari Dei gratia subsequente.* Et iterum paulo post eorum haresin jugulans: *Hominis autem propositum bonum adiuvat quidem* SVBSEQVENS GRATIA, *sed nec ipsum esset nisi* PRÆCEDERET GRATIA. Et lib. 4. ad eundem Bonifacium: *Sic enim volunt intelligi quod dictum est: Si volueritis & audieritis me, tanquam in ipsa* PRÆCEDENTE VOLVNTATE *sit* CONSEQVENTIS *meritum gratiæ, ac sic gratia iam non sit gratia, quæ non est gratuita cùm redditur debita. Si autem sic intelligerent quod dictum est, Si volueritis, ut etiam ipsam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est, Præparatur voluntas a Domino, tanquam Catholici uterentur hoc testimonio.* Vnde mox eis veræ gratiæ puritatem tradendo subtexit: *Sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod* CONSEQVENS *adiuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non* PRÆCEDERET *gratia. Quomodo enim est hominis bonum propositum sine miserante* PRIVS DOMINO? *Cum ipsa sit bona voluntas quæ præparatur a Domino?* Itaque paucis interjectis cum Pelagiani faterentur bonum propositum jam ab homine inchoatum, Dei Gratiâ adjuvari, quibus verbis consequentem gratiam satis aperte fatebantur, non esse hoc satis ad veræ gratiæ confessionem, qua etiam ipsum bonum propositum *prævenit* gratia non dubitamus, ostendit: *Veruntamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia eius* PRÆVENIT EVM. *Quod isti nolunt, quia non esse Catholici, sed Pelagiani volunt. Multum enim delectat impietatem superbam, ut etiam id quod cogitur confiteri a Domino datum non sibi donatum videatur esse, sed redditum: ut scilicet filij perditionis non promissionis ipsi credantur se bonos fecisse*, videlicet primam ex se proferendo bonam voluntatem atq; propositum, *& Deus iam bonis a seipsis effectis, pro isto eorum opere debitum præmium reddidisse.* Quod mox divinæ gratiæ prævenienti capitaliter inimicum esse declarat: *Quid remansit pelli mortuinæ unde possit inflari, & deligneter, quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid erubuisset, quando quicquid dixerit se fecisse, ut eo* PRÆCEDENTE *hominis merito ab homine exerto Deus* SVBSEQVENTER *faciat, quo dignus est homo, respondetur reclamanti, contradicitur. Ego facio sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus.* Nihil se evertit Pelagianos dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari. Itaque istius erroris falsitatem meritaque quælibet ex homine pullulantia prævenientis gratiæ sinceritate & profunditate destruens: *Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus; sed ille facit ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia* PRÆVENIENS *nos.* Et quia error iste Pelagianus, quo prævenientem gratiam, retenta consequente, destruebant, Semi-Pelagianorum postea peculiaris & proprius fuit, ut qui libentissime gratiam ad opera bona fatebantur, dummodo consequeretur ipsa fidem ac voluntatem suam bonam quam à seipsis inchoari sentiebant, hinc eum eodem modo Augustinus luculentissime scilicet prævenientis gratiæ puritate subvertit. Quod quia operæ pretium ex ipso fonte intelligere, totus locus quo admodum clarè & præclarè veritas ista traditur, ex libro de Dono perseverantiæ asscribendus est: *A Pelagianorum porro hæresis perversitate tantum isti remoti sunt, Massilienses, propter quos hæc agimus, ut licet nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per gratiam Dei fiant obedientes*, videlicet per fidem obediendo prædicationi, *atque permaneant, tam tamen fateantur quod eorum* PRÆVENIAT *voluntatem*, nempe ad bene operandum, *quibus datur hæc gratia. Ideo utique ne non gratis dari credatur gratia, sicut verius loquitur, sed potius secundum* PRÆCEDENTIS *merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur.* PRÆVENIT *ergo & fides gratia: alioquin si eam fidet, ab homine* scilicet, *exoriâ* PRÆVENIT, *procul dubio prævenit & voluntas*, id est, volitio, *quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia* PRÆVENIT *fidem, quoniam prævenit voluntatem profectio* PRÆVENIT *omnem obedientiam*, PRÆVENIT *etiam charitatem, qua una Deo veraciter & suaviter obeditur, & hæc omnia gratis in eo cui datur, & cuius hæc omnia* PRÆVENIT, *operatur.*

Ibid. — Ibid. — Ibid. c. 10. — Ibid. c. 6. — Ibid. — Lib. 4 ad Bonif. c. 6. — Lib. 4 ad Bonif. c. 6. — Ibid. — Lib. de dono perseu. c. 16.

Quæ quidem tam prolixè accersita & in unum locum digerenda censui, ut cuilibet in Augustini scriptis minus versato ad oculum clarescceret, certissimum esse quod diximus. Nempe veram gratiam prævenientem non esse quamlibet gratiam, qua potentia voluntatis ad opera sua bona prævenitur, sed illam qua Deus prævenit omnia merita nostra bona, sive omnem etiam primum voluntatis motum bonum, utpote quæ ex nolente volentem facit, qua voluntas hominis præparatur ac datur, qua Deus in homine operatur & velle, qua hominis voluntas primo eruitur ex potestate tenebrarum, & convertitur in Deum vivum, qua denique incipit credere veritati. Epist. 107. ad Vitalem. Nam ut Augustinus docet, *ubi est initium fidei, est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis*: quod Pelagiani maximeque Semi-Pelagiani nolebant esse beneficium prævenientis gratiæ, sed humanæ voluntatis officium. Adversus istum enim errorem militat gratia prævenies, sicut adversus illum, qui opera bona fidem sequentia soli humanæ voluntatis arbitrio tribuunt, gratia quam consequentem Scripturæ & Patres dicunt.

Ex quo etiam facile intelligitur, quomodo A subinde Augustinus gratiæ prævenienti tribuit, quod nos justificat, seu justos & bonos faciat. Nam apud Augustinum sexcentis locis justificari & bonum fieri, non ita accipitur, ut jam vulgò solet, ut sit idem quod perfecta peccatorum omnium remissione mundari; sed ut idem sit quod quoquo modo à voluntatis malitia & perversitate mutari; quod etiam fit per quemcunque etiam primum motum quantumcunque exiguum bonæ seu piæ voluntatis. Nimirum quia vera illa & perfecta justitia, à bona voluntate & fide ei conjuncta sumit initium, juxta illud ejusdem Augustini: *Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, sed gratuitum donum esse fateamur, si veram gratiam, id est, sine meritis cogitamus*: ut merito justificari, hoc est, justus & bonus fieri saltem inchoatè dici debeat, quisquis per prævenientem gratiam, ab injusta & mala voluntate convertitur. Gratia vero justificans istâ consideratione non est gratia habitualis aut remissio peccatorum, sed gratia potius actualis effectivè justificans non formaliter, quomodo innumeris locis ab Augustino accipitur, prout & recentiores aliqui advertunt.

Epist. 107.

Lib. de spir. & lit. cap. Vasq. Disp. 18. c. 1. & Disp. 196. c. 3. & 1. 2. Disp. 211. & cit. n. 14. & 15. Et Lessius de gratia efficaci, n. 10.

CAPVT XIII.

Quid sit gratia consequens, seu subsequens.

QVÆ quidem quisquis rectè intellexerit nihil jam laborabit ut intelligat quid in Scripturis & Patribus gratia *Consequens* nominetur. Est enim illa gratia quæ consequitur illa inchoata studia bonæ voluntatis, eaque tanquam adhuc infirma fovet, juvat, roborat, donec ita perfecta robustaque voluntas efficiatur, ut nullis blandientium rerum amoribus cedat, nullo comminantium pœnarum terrore frangatur. A qua sanè perfectione bonæ voluntis ij qui à peccatis incipiunt resipiscere, conflictumque cum diversarum cupiditatum suarum exercitu meditantur, plerumq; longe distant. Recolendum est enim id quod latissime superius tradidimus, & in scriptis Augustini, Prosperi, Fulgentij, exploratissimum est: esse quandam bonæ voluntatis infirmitatem, quam homo nullo conatu suo, nisi per gratiam cœlitus infusam roboretur, superare aut exuere potest. Oritur enim ex rebellantis pertinacissimèque sævientis concupiscentiæ motibus, quam non est in solius hominis potestate frangere, mansuetamq; reddere, multo minus funditus exuere. Adversus istam infirmitatem homo per totam vitam, post conversionem suam ad Deum quam gratia PRÆVENIENS operata est, gratiâ CONSEQVENTE juvatur ac roboratur; cujus beneficio paulatim bona voluntas crescit orando, bene operando, mandata complendo, donec ita robusta fiat, ut etiam reluctantes concupiscentiæ impetus vincat ac domet. Nam ista est pro- A priè illa gratia qua Deus voluntatem jam bonam adjuvando perficit, quam præveniendo inchoavit. Qua de causa cum ista gratia libertatem arbitrij satis apertè servare videretur, utpote quæ voluntati jam volenti conantique donabatur, libenter eam Pelagiani postquam à Zozymo Pontifice Africanisq; Patribus damnati essent, amplexi sunt. Prævenientem vero quæ nolentem reluctantemq; hominem velle faciebat; pertinaciter contemnebant. Ex quo fonte fluunt illa verba Iuliani: *Gratiam quoque confitemur adiuvare uniuscuiusque bonum propositum*, videlicet jam ante gratiam inchoatum; *non tamen reluctanti studium virtutis immittere*. Per quæ volebant, ut exponit Augustinus *in homine ab ipso homine incipere cupiditatem* seu volitionem *boni*, *ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia* CONSEQVATVR. Adversus quam nimis perversam opinionem ita commendandam gratiam consequentem censuit Augustinus, ut nequaquam gratiæ prævenientis dignitas læderetur. Itaque de hac consequente gratia dixit in præcedenti capite: *Ut incipiamus dictum est Misericordia eius prævenit me, ut perficiamus dictum est, misericordia eius subsequetur me*. De hac gratia consequente dixit: *Hoc autem bonum propositum adiuvat quidem* SVBSEQVENS *gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia*. De hac gratia consequente dixit: *Ipsum bonum propositum* CONSEQVENS *adiuvat gratia*. De hac gratia cùm exponeret illa Scripturæ verba: *Misericordia eius prævenit me: & misericordia eius subsequetur me*, unde ista divisio gratiæ

Lib. 3. de grat. Christi Salvat. c. 13.

B

Lib. 1. ad Bonif. cap. 1. & lib. 4. c. 6.

Lib. 2. cit.

Lib. 4. c. 4.

gratiæ deprompta est : *Nolentem prævenit ut velit : volentem subsequitur ne frustra velit.* Hoc est, ne tantummodo in generali & imperfecta voluntate seu velleitate bene vivendi hærendo, propter infirmitatem bonæ voluntatis, & reluctantes concupiscentiæ suæ motus perficere non possit quod facere cupit, juxta illud Apostoli : *Caro concupiscit adversus spiritum, ut non quæcunque vultis illa faciatis.* Spiritus igitur consequente gratia adjuvat infirmitatem nostram etiam volentium, ne frustra velimus. De hac iterum gratia consequente ibidem dixit : *Oramus pro inimicis nostris, ut misericordia Dei præveniat eos sicut prævenit & nos : oramus autem pro nobis ut misericordia eius subsequatur nos.* Hæc est enim essentialis inter utramque gratiam propriè sumptam differentia, ut pro præ-

In Enchirid. ad Laurent. cap. 32.

In Enchirid. ad Laurent. cap. 32.

veniente gratia sibimet ipsi danda nullus oret aut orare possit : consequens autem ab ipso homine pro seipso orante impetretur. Cujus differentiæ causa utramque gratiam ponderanti manifesta est. Nemo enim Deum rogare potest pro impetranda ejus gratia ante fidem ac bonam seu piam qualemcunque voluntatem : *Initium enim corrigendi cor, fides est.* Pia ergo voluntas ac fides prius per prævenientem gratiam dari debet, ut ijs acceptis possit orare. Nam *& desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est : &, Fides non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur.* Quicquid ergo gratiæ homo precando postulat, non potest esse alia nisi consequens bonam voluntatem, quam jam ante per prævenientem Dei gratiam accepit.

Lib. de corr. & grat. cap. 7.

Lib. de Corr. & grat. cap. 6.

Lib. de gratia & lib. arbit. cap. 14.

CAPVT XIV.

Declaratur uberius natura gratiæ prævenientis & consequentis ex Prospero, Fulgentio, & ex Concilijs Arausicano ac Tridentino.

ET ista quidem ad intelligendum gratiæ prævenientis & consequentis discrimen, abundè sufficere possent, veruntamen ne quis istum solitus Augustini sensum esse arbitretur, non abs re fuerit ostendere, quod eadem discipulorum ejus, adeoque Ecclesiæ Catholicæ & Conciliorum ejus semper fuerit mens ; à qua viderint Scholastici, utrum sit expediens ac tutum, in Philosophica talium vocabulorum interpretatione hærendo discedere. Itaque imprimis sanctus Prosper non aliam gratiæ prævenientis consequentisque naturam intellexit, nisi illam quam superius explicuimus; ut illa præveniens dicatur, quæ prævenit bonam voluntatem, seu bonum voluntatis motum ; nec enim invenit in cujusquam corde, sed facit ut gratia verè sit gratia hoc est, gratuita. Consequens vero quæ jam sequitur bonam voluntatem, quam homo ex gratia præveniente concepit. Vnde sic exprimit Massiliensium presbyterorum sententiam, qui servatâ gratia consequente prævenientem auferebant : *Qui illis resistunt, hoc sentire apertissime probantur, quod fides* (unde incipit voluntas bona) *non sit donum Dei, & quod gratia non præveniat liberum arbitrium*, dando ei videlicet etiam ipsam fidem, ubi est initium bonæ voluntatis, *sed se juvatur, & quod gratia Dei secundum merita nostra detur.* Itaque statim prolixè probat, ita illorum arbitrium gratia præveniri, ut operetur in eo etiam ipsam fidem, hoc est, ipsum etiam initium bonæ voluntatis. Et libro contra Collatorem, improbat errorem ejus, quo putabat gratiam non in omnibus prævenire voluntatem : *Quasi ita utrumq; recipiendum sit*, juxta Cassianum, *ut in alijs hominibus, voluntas gratiam in alijs* GRATIA PRÆVENIAT *voluntatem, & non ita ut in omnibus voluntas gratiam* SVBSEQVATVR. Hoc est, admittebat respectu quorundam gratiam *prævenire* voluntatem, quos ex malis scilicet bonos, ex nolentibus volentes faciebat, respectu aliorum vero gratiam tantum *consequi* voluntatem, utpote qui per seipsos crederent.

In Respons. ad 1. Ex. cap. Gallos.

Lib. contra Collat. c. 39.

Sed gratias illas multo luculentius explicuit sanctus Fulgentius, diversis operum suorum locis, ex quibus prolixitatis vitandæ causa pauca delibabimus. Sic ergo de illis disserit libro primo ad Monimum : *Ipse donat gratis indigno gratiam qua iustificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis ; ut* PRÆVENIENTE *misericordia bonum velle incipiat &* SVBSEQVENTE *misericordiâ bonum quod vult facere valeat.* Et paucis interpositis uberius : *Vt hoc mereantur, ipsa præveniendo misericorditer incipit, ipsa subsequendo custodit. Ista gratia in Scripturis etiam misericordia nominatur, De qua dicit David : Deus meus misericordia eius præveniet me. Et alio loco : Misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitæ meæ. Prævenit igitur impium ut fiat iustus : subsequitur iustum ne fiat impius. Prævenit cæcum ut lumen, quod non invenit, donet : subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum ut surgat ; subsequitur elevatum ne cadat. Prævenit donans hominis bonam voluntatem : subsequitur bene volentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur.* Et iterum post multa. *Prædestinavit ad regnum quos ad se præscivit misericordia* PRÆVENIENTIS *auxilio reditu-ros, & in se misericordia* SVBSEQVENTIS *auxilio esse mansuros.* Et in libro de Incarnatione & gratia : *Cùm ergo Paulus esset blasphemus & persecutor & contumeliosus, non ideo fuit adiutus Dei gratiâ, quia credere voluit* id est, gratiâ consequente, *sed ut credere*

Lib. 1. ad Monimum f. 13.

Ibid. f. 20.

Ibid. f. 51.

Lib. de Incarn. & gratia

credere vellet, donum gratiæ PRÆVENIENTIS accepit. Et in eodem isto loco inferius explicans clarius officium utriusque gratiæ: *Quia revera & ut velimus misericordiæ* PRÆVENIENTIS *illuminamur dono; & ut curramus* per viam videlicet mandatorum bene operando, *misericordiæ* SVBSEQVENTIS *sulcimur auxilio.* Et præclarissimè lib. 1. de Veritate prædestinationis & gratiæ; quos contra Semi-Pelagianos elaboravit: *Sicut ergo bonæ voluntatis initium nemo potest habere, nisi fuerit misericordia Dei* PRÆVENIENTE *illuminatus, quia præparatur voluntas à Domino, & rursum scriptum est: Deus meus misericordia eius prævenet me: ita eandem bonam voluntatem nemo usque in finem poterit obtinere, nisi fuerit iugiter, eadem misericordiâ* SVBSEQVENTE *servatus. Dicit enim Deo beatus David: Misericordia tua* SVBSEQVETVR *me, omnibus diebus vitæ meæ. Misericordia igitur quæ gratis malum hominem* PRÆVENIT *ut mutet in melius, & ipsa quem bonum facit* SVBSEQVENDO *regat, ne mutetur in pejus. Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc inesse potest homini, si* PRÆVENIENTIS *gratia largitate detur, eiusdemque gratiæ* SVBSEQVENTIS *opitulatione foveatur: quæ malam* PRÆVENIT, *ut bonam Deo largiente voluntatem habere incipiat, quam ante quia per se habere non poterat, non habebat.* SVBSEQVITVR *autem bonum ut perseveret & proficiat in bona voluntate, quam ex se habere non potuit, sed gratis accepit.* PRÆVENIT *ergo dirigendo cor hominis prævum, quia scriptum est: Dirigat autem corda eius.* SVBSEQVITVR *autem custodiendo cor rectum &c.* Et post multa in illo libro interposita: *Non autem* PRÆVENIENDO *illuminaretur liberum arbitrium, si non esset: nec* SVBSEQVENDO *adiuvaret* (forte adjuvaretur) *si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis aut operis esse posset idoneum.* Et iterum paulo post: *Tunc salubriter discimus quid facere debeamus, quando nos misericordia* PRÆVENIENS *illuminat & sanamur, ut quod ei à* PRÆVENIENTE *discimus eadem* SVBSEQVENTE *faciamus.* PRÆVENIT *enim nos dum propitius sit Dominus omnibus iniquitatibus nostris;* SVBSEQVITVR *nos dum sanat omnes languores nostros,* variarum videlicet concupiscentiarum cum bona voluntate dimicantium. PRÆVENIT *misericordia liberum hominis arbitrium, dum is nondum bene volente solæ operatur exordium bonæ voluntatis:* SVBSEQVITVR *dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum,* voluntatem videlicet infirmam roborando efficacemque reddendo: *Misericordia igitur* PRÆVENIENS *cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat:* SVBSEQVENS *autem cooperantem sibi voluntatem iuvat.* Quod latius ibidem prosequitur declarando, quod gratiæ prævenientis officium sit mutare malam hominis voluntatem in bonam faciendo *ex infideli fidelem, ex superba humilem &c.* per mutationem dexteræ excelsi: consequentis vero *custodiæ* quod fecit. Et in libro secundo ejusdem operis docet quod sancti Patres indubitanter asseruerint, in hominis voluntate *nihil bonæ cogitationis obtinere, nisi quod beneficio gratiæ* PRÆVENIENTIS *insinuatur; nihil in melius augeri, nisi quod* SVBSEQVENTIS *iuvamine roboretur.* Et in libro de Trinitate clarè explicat paucis verbis & officium gratiæ prævenientis & subsequentis, & ipsa S. Augustini verba quibus obscurius illud expresserat: *Quapropter,* inquit, *ipsum liberum arbitrium Gratia Dei liberatur ut bonum velit & possit. Ita enim quidam ex Patribus ait, quod Gratia Dei præveniat nolentem ut velit, subsequatur volentem, ne frustra velit.* Nempe hoc sentit quod supra explicando hæc verba diximus, prævenientem gratiam facere ut homo velit, subsequentem facere id quod voluit, ne volendo & propter infirmitatem novæ voluntatis non valendo, frustra velit. Multa præterea ad prævenientis & subsequentis gratiæ explicationem ex Fulgentio proferri possunt; sed quia ista sufficiunt, prætermittimus. Ex his enim evidenter constat, proprium prævenientis gratiæ beneficium in eo situm esse, quod hominem faciat bonum velle quod noluit, quod ex nolente volentem facit, ex infideli fidelem, ex injusto justum, hoc est, quod in eo operetur primam illam voluntatis perversæ mutationem. Vnde merito prævenire dicitur non quod præveniat potentiam voluntatis (hoc enim etiam omnis consequens gratia facit) sed quia prævenit omnem omnino bonum voluntatis motum, quo cogitari posset homo jam suis viribus sese convertisse ad Deum, aut credidisse Deo, aut diligere Deum. Consequens vero dicitur omnis illa gratia, quæ sequitur illam voluntatis mutationem, ideoque proprium ejus munus est illam bonam voluntatem accendere, ut quod voluit possit; fovere & custodire ne pereat, juvare ne qua illam cõcupiscentiarum tempestas frangat; augere & roborare ne luctando superetur. De qua duplici gratia S. Gregorius: *Sancti viri sicut post primi parentis lapsum, de corruptibili stirpe se editos, & non virtute propriâ, sed* PRÆVENIENTE *superna gratiâ Dei ad meliora se vota* (id est, voluntates seu desiderata) *vel opera commutatos &c. Eique de accepto munere debitores sunt, qui &* PRÆVENIENDO *dedit eis bonum velle, quod noluerant, &* SVBSEQVENDO *dedit bonum posse quod volunt.*

Quæ cùm ex scriptis SS. Patrum, qui ex professo hæreses divinæ gratiæ inimicas debellarunt, perspicue constent, non erit jam difficile eandem mentem in Ecclesiæ decretis intelligere. Nam ejusmodi prævenientem gratiam instantissimè tradit Concilium Arausicanum Canone tertio, quarto, quinto, sexto, sed quia illam non exprimit illo ipso nomine, reluctantibus non ita perspicuè persuaderi potest. Canone vero vigesimo quinto, apertissimè contra Semi-Pelagianos dicit, qui saltem nos credere posse sine gratia præveniente sentiebant, ita attenuatum esse liberum arbitrium, *ut nullus possit aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eius & misericordia divina* PRÆVENERIT. Quod paulo post dicit, *non nos incipere & postea per Dei misericordiam adiuvari, sed nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem Dei prius insperari ut baptismum requiramus, & ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.*

Ibid. — Lib. 1. de veritate prædest. & gratiæ f. 97. — f. 95. — f. 96. — Lib. de veritate prædest. & gratiæ f. 97. — Ibid. f. 109. — Aug. in Enchir. c. 32. — Fulgent lib. de Trif. 169. — S. Greg. lib. 22. moral. c. 5. circa fin.

possimus. Quibus verbis præveniens gratia explicatur. Ista est enim qua proprie fides & pius affectus erga Deum inspiratur, sine qua fides esse nequit, tanquam justificationis exordium, ut ad justificationem ipsam perducatur. Quod similibus fere verbis non solum officium, sed etiam nomen prævenientis gratiæ exprimendo Synodus Tridentina Sessione sexta declaravit: *Declarat præterea, inquit, ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Iesum* PRAEVENIENTE *gratia sumendum esse: hoc est, ab eius vocatione qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendo in se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur.* Disertius, distinctius & accuratius non posset gratia præveniens proprie dicta & munus ejus exponi. Nam ex illa dicit sumendam esse non justificationem, sed justificationis exordium. Nempe quia illa proprie est, qua omnia omnino bona hominis merita præveniuntur, hoc est, qua homo nolens & à Deo aversus primo prævenitur, antequam quicquam omnino boni operetur, vel quicquam gratiæ mereatur. Sic enim exponit eam gratiam quam prævenientem dixerat: *Hoc, inquit, est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*, nempe, ut primitus credant, & à peccatis seu à perversa sua voluntate convertantur ad Deum, secundum id quod adjicit: *Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem & adiuvantem gratiam ad convertendum &c. disponantur.*

Conc. Trid. sess. 6. c. 5.

CAPVT XV.

Quid sit gratia operans & cooperans, juxta Augustinum & Fulgentium.

QVOD si quis ista quę de preveniente & subsequente gratia ex I atribus antiquis diximus, ut oportet ponderaverit nihil etiâ difficultatis in percipienda natura gratiæ *Operantis* & *Cooperantis*, *Excitantis* & *Adiuvantis* inveniet. Nam gratia operans non est alia quàm præveniens, sed diversa nonnihil consideratione. Pręveniens enim dicitur, quia prævenit liberam hominis voluntatem antequam quicquam boni vel operata sit, vel à Deo promeruerit. Operans vero, quia ipsa sola primam bonam voluntatem in homine operatur. Sola dico non quasi homo non simul in illam voluntatem, hoc est, in voluntatis motum atq; consentionem influat, sed quia eum operatur, nobis nihil ad eum habendum conferentibus petendo desiderando, studendo, meditando, atq; ita nihil omnino boni meriti respectu illius voluntatis afferendo. Hoc enim impossibile est, hoc ipso quo statuitur, esse prima voluntas bona, ad quam ex mala convertitur. Illam enim nec fides, nec oratio, nec sui ipsius, nec ullum omnino meritum antecedere potest; atque ita necessario Deus eam solus, seu gratia sola operans ac prævéniens dicto jam sensu operatur. Cooperans gratia vicissim non est alia quam subsequens: quæ quidem subsequens nuncupata est, quia subsequitur illam bonam voluntatem, quam sola pręveniens gratia inspiravit atq; operata est, sequitur vero tanquam quędam retributio bonæ voluntatis, aut fidei, aut orationis. Cooperans autem dicta est, quia operatur aliquid in nobis non sola, sed nobis simul cooperantibus, non per simultaneum tantum influxum; ut recentiores intelligunt (sic enim etiam cooperamur gratiæ operanti) sed prævię ad effectum illius gratiæ; volendo, credendo, desiderando, petendo, pulsando, satagendo, adeoq; etiam promerendo, ita ut ejus effectus sit universum primæ voluntatis illius bonæ incrementum usq; ad apicem perfectionis humanæ. Nam ut Augustinus ait: *Constat Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei: alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* Lib. de dono pers. c. 16.

Hanc esse veram genuinamque gratiæ operantis & cooperantis notionem, facile ex Augustino ac discipulis ejus demonstrari potest. Quod antequam præstemus, declarandum imprimis est, constantem Augustini & sectatorum ejus sententiam esse, quod gratia prævéniens atque operans sola conversionem hominis, seu primam bonam voluntatem & ipsum velle operatur, cooperans vero non sola, sed voluntate hominis concurrente, ad eum scilicet quo dixi modum. Hoc enim cùm verum esse nullo pacto possit eo sensu, ut sine simultaneo influxu voluntatis fieri intelligatur; per seipsum quodammodo consequens erit (etiamsi Patres non exprimerent) quod sola operans gratia operetur velle; quia non potuit ad illud velle assequendum quicquam studij prævię contribuere, sicut accepta jam fide bonaque voluntate, desiderando, & petendo ad incrementum virtutum operáque bona facienda, aliquid conferre potest. Sic igitur eâ de re loquitur Augustinus in libro de Gratia & libro arbitrio: *Vt ergo velimus* SINE NOBIS OPERATVR, *cum autem volumus & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur.* Sine nobis, nempe petendo, pulsando, merendo cooperantibus, quamvis simul cum gratia in actum voluntatis influamus. Hunc esse sensum declarat manifestius in eodem libro multo superius, quando de Paulo jam pott vocationem primamque voluntatem bonam bene operante ac laborante scribit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Hæc de gratia cooperante. De operante vero conversionem statim adjicit: *Vt autem de cælo vocaretur & tam magna & efficacissima* Lib. de gra & lib. arbit cap. 17. Lib. de grat & lib. arbit cap. 5.

efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, qui sic, cum voluntas Pauli simul influeret? Audi rationem: *Quia merita eius erant magna sed mala*. Nempe manifestum est quod ideo sola gratia conversionem ejus operata dicatur, quia ante conversionem nihil omnino Paulus cooperatus est boni, sive petendo, sive desiderando, sive quaqua ratione merendo, ut ei talis vocatio donaretur, sed eam sola gratuita prorsus sine meritis gratia Paulo nihil

Epist. 107. boni operanti dedit. Vnde alio in loco: *Quod (credere) ut fiat in eis oratio, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis.*

Hanc magistri sui doctrinam sanctus Fulgentius multis expressit locis, ut libro de Incarnatione & gratia: *Et hoc in parvulis salutis opus sine propria voluntatis assensu gratia Dei operante perficitur, quod bona voluntatis exordio divinitus dato in maioribus inchoatur, ut opere* SOLIVS GRATIÆ *voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & de-* B *inceps gratiæ* SECVM *operanti servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Quid ergo, an voluntas dum ex mala efficitur bona, operanti gratiæ non cooperatur? Cooperatur plane Scholasticorum sensu, cum gratia scilicet concurrendo, sed non cooperatur, aliquo prævio studio aut oratione bonam voluntatem sibi pariendo. Hoc enim eum velle, ex alio loco apertissimum est: *Vt noverimus omnes qui salvantur, non nisi ex eius gratuita* (nullis meritis aut orationibus acquisita) *bonitate salvari.* Quare obsecro? *Vt enim quisque salvetur, nulla præcedunt humanæ voluntatis bona merita, sed* SOLA *Dei voluntas humanæ salvationis est causa.* Qua phrasi etiam in eodem libro dicit: *Sicut etiam ut caro vivat solius opus est animæ; ita quoque ut homo credat,* ubi involuitur bonæ voluntatis seu conversionis initium SOLIVS *opus esse gratiæ.* Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ, de gratia præveniente quæ proprie est operans: *In nondum* C *bene volente* SOLA *operatur exordium bonæ voluntatis.* Et rursum: *Misericordia igitur præveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem* SOLA PRÆPARAT, id est, facit. Et in eodem opere aliquanto inferius, & seipsum & Augustinum, & Scripturam qua dicit Paulus jam sanctificatus, *Gratia Dei mecum*, exponit: *Vt esset igitur Paulus ex infideli fidelis* SOLA *gratia* OPERATA *est* Quomodo sola? *Qua aversum convertit, & infideli fidem cum infidelitatis suæ merito fidem accipere non mereretur, attribuit.* Ecce (SOLA) non excludit concursum voluntatis, sed meritum. Nam statim seipsum explicat: *Atque ita voluntate quidem Paulus*, id est, voluntate concurrente, *credidit, voluntarie abundantius illis omnibus laboravit, sed & credere & laborare non posset, nisi desuper donum gratiæ* IN SE, *ac* SECVM *operantis acciperet.* Vbi quod dicit (IN SE) gratiam proprie operantem respicit, quæ in homine D fidem bonamque voluntatem, nihil petitorie aut meritorie cooperante, operatur; illud vero (SECVM) gratiam cooperantem, quia cum illa simul homo confert, ut diximus, studium suum. Quam distinctionem tam accuratam Fulgentius ex Augustino didicit, qui cum similiter omne meritum humanum ad assequendam fidem totis viribus disputandi excludere satageret, simili modo dixit: *opera quippe bona* Epist. 106. *fiunt* AB HOMINE, *fides autem sit* IN HOMINE, *etsi non* A *sine qua illa à nullo fiunt homine.* Qui locus quorundam studia multum torsit, significat autem fidem à Deo solo in homine fieri, nihil videlicet voluntate hominis ad eam impetrandam petendo, merendove cooperante. Opera vero ab illo, studium desiderandi & petendi ex parte sua conferente.

His itaque de operantis gratiæ natura præmissis, facilè intelligentur ea loca quibus præfati Patres gratiam operantem & cooperantem exprimunt, & earum officia quæ supra diximus, depingunt. Quod videlicet operans est illa quæ sola sine studio, sine oratione, sine merito hominis præcedente voluntatem seu velle operetur, per quod voluntas ex mala fit bona, & ex injusta fit justa. Cooperans vero quæ homini jam volenti, conantique cooperatur, firmam illam augendo roborandoque voluntatem, ut id efficiat & perficiat quod voluerit, & conatur. De quibus Augustinus, cùm præmitteret, quod ille *qui vult facere Dei mandatum & nonpotest*, concupiscentiâ videlicet reluctante, *tam quidem habeat voluntatem bonam*, id est, ut explicat charitatem, *sed adhuc parvam & invalidam. Poterit cum magnam habuerit & robustam*, ita in libro de Gratia & libero arbitrio clarissimè loquitur: *Parva & imperfecta* (charitas seu bona voluntas Petro) *non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Putabat enim se posse quod se velle sentiebat. Et quia istam etsi parvam dare coperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem &* COOPERANDO *perficit, quod* OPERANDO *incepit? Quoniam ipse ut velimus* OPERATVR *incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum perficiet in diem Christi Iesu. Vt ergo vel nos* SINE NOBIS *operatur, cum autem volumus & sic volamus ut faciamus* NOBISCVM COOPERATVR. *Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel* COOPERANTE *cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, Dictum est, Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cum tam volumus & volendo facimus; Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia* COOPERANTVR *ad bonum. Quid est omnia nisi & ipsas terribiles sævasque passiones?* Nihil evidentius quam gratiam operantem esse, qua cum ante nollemus, efficitur ut velimus: cooperantem, quæ quando jam actu volumus, efficitur ut fortius velimus, ita ut superando quævis obstacula etiam reipsa faciamus. Illam operari, ut quoquo modo voluntatem bonam seu velle quantumcunque infirmum atque imperfectum habeamus; hanc ut illa bona voluntas augeatur & roboretur. Non tantum ut ex ineficaci fiat efficax, sicut nonnulli volunt, sed ita ut etiam efficax, efficiatur fortior, atque ita fortior ut tandem omnibus amoribus & terroribus fiat insuperabilis; cujusmodi sane non est quælibet voluntas

Fulgent. lib. de Incar. & grat. c. 30.

Ibid. c. ult.

Ibid. c. 24.

Lib. de Veritate prædest. & grat. c. 97.

Lib. de gra. & lib. arb. cap. 17.

luntas bona, etiam efficax. Multæ quippe efficaces voluntates, cum nulla tentatione pulsantur, sæviente tempestate franguntur atque superantur. Efficax enim erat voluntas Petri cum diceret, *Animam meam pro te ponam*, sed tenera & infirma; cum vero postmodum ad crucem duceretur, adulta ac robustissima. Nam quemadmodum plantæ & animalia paulatim crescendo ad justam ducuntur magnitudinem, ita & voluntates: quæ quidem per solam gratiam operantem, sine hominis labore prævio inchoantur, inchoatæ vero per cooperantem gratiam ac studium hominis in rementum capiunt, adolescunt, perfectæque fiunt. Ex quo perspicuum est, cooperantem gratiam nunquam dici respectu primæ voluntatis bonæ, quando in eam erumpit potentia voluntatis (nam illa est solius gratiæ operantis effectus;) sed solum respectu bonæ voluntatis postquam homo jam velle cœpit, ut illud velle perseveret, augeatur, bonisque operibus velut fructibus cumuletur. Unde alio loco contra Iulianum Augustinus: *Si non præveniret* (gratia voluntatem) *ut operetur eam*, seu PRIVS EXISTENTI *voluntati gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle.* Iulianus enim gratiam cooperantem voluntati bonæ jam existenti sine difficultate fatebatur.

(lib. 1. ad Bonif. c. 2. n. 4.)

Sed de ista operante & cooperante gratia propriè dicta, etiam sanctus Fulgentius disserit duobus locis quæ paulo ante jam aliam ob causam allegavimus. Nam in libro secundo

A de Veritate prædestinationis & gratiæ: *Prævenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis: subsequitur dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur præveniens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat: subsequens autem cooperantem sibi voluntatem juvat.* Vbi cùm cooperationem voluntatis humanæ solummodo tribuit gratiæ consequenti, clarè indicat eandem solam gratiam consequentem esse cooperantem voluntati. Operans enim gratia sola velle operatur sine illa cooperatione voluntatis tali quam modo diximus. Quo etiam modo in libro de Incarnatione & gratia dicit: *Vt opere solius gratiæ voluntas quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratia* SECVM OPERANTI, *hoc est, cooperanti, servitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Vbi perspicuè docet nullam esse obedientiam hominis

B cooperatricem respectu gratiæ cooperatricis, qua ex mala fit bona, sed solummodo respectu gratiæ cooperantis; utpote quæ simul cum homine cooperante modo jam superius explicato operatur. Cooperans enim cooperantem, veluti correlativum suum ita respicit, ut si gratia sit cooperans voluntati, necessario etjam voluntas gratiæ cooperetur: Et è contrario, si sola gratia velle operetur, non possit voluntas ad istud velle cooperari. Quod quo pacto verum sit, jam ante satis diximus.

(Lib. de verit. prædest. & grat. f. 97.)

(Lib. de Incar. & grat. c. 30.)

CAPVT XVI.

Quid sit gratia excitans & adjuvans.

EX iisdem etiam quæ de gratia præveniente & consequente differuimus, itemque de operante & cooperante satis perspicue elicetur, quid de gratia *Excitante* & *Adjuvante*, sentiri debeat. Nam & illas plerumque longe alio sensu recentiores accipiunt, quam à veteribus veris gratiæ divinæ intellectoribus ac defensoribus acceptæ sunt. Quemadmodum enim divisio gratiæ præventientis & subsequentis, ex illa celebri controversia maximè innotuit, qua Catholici cum Pelagianis disceptabant, utrum gratia præveniret omnem actum voluntatis bonum, an neque meritum ejus, an vero è contrario, gratia semper post meritum voluntatis, seu post ejus velle sequeretur; hoc est (ut idem ipsum alia divisione exprimam) utrum gratia sic præveniret velle voluntatis, ut operaretur illud, an è contrario gratia tali motui voluntatis præcedenti cooperaretur dumtaxat, illum

g consequendo & roborando: ita quoque divisio gratiæ in excitantem & adjuvantem, eandem illam difficultatem tangit. Pelagiani enim volebant voluntatem ex se primo emergere, & per se excitari, & ex seipsa bonum velle, cujus tamen motibus tanquam infirmis Deus subjungeret ex isto merito gratiæ adjuvantis auxilium. Catholici vice versa sentiebant, gratiam non tantum *adjuvare*, quando jam bonum voluit, sed etjam gratis excitare, ut bonum primitus velit. Quo fit ut in istâ divisione excitatio gratiæ non tam videatur esse quælibet incitatio vel provocatio ad actum, quæ cuilibet gratiæ competit, quam prima suscitatio seu excitatio, seu emicatio sopitæ, mortuæ, exstinctæque volitionis seu voluntatis bonæ, prout voluntas phrasi veterum volitionem seu motū voluntatis denotat. Qua phrasi etjam voluntas, hoc est, volitio seu propositum hominis tanquam infirmum *adjuvari* dicitur. Iuxta illud Pauli, quod de jàm credentibus & volentibus dixit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Quæ quidem omnia luculente constant vel ex unica disputatione Sancti Augustini cum Iuliano & quibusdam Episcopis Pelagianis, quando asseruerant: *Non ex Dei potentiâ vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi: sed propriâ voluntate aut bonum facere aut malum.* Vbi de prima bona voluntate sermo est, quam si à gratia fieret excitante, coactam fore calumniabantur: *In bono vero opere* jam volentis hominis, *à Dei gratia semper* ADIVVARI; *in malum vero diaboli suggestionibus mutari.* Adversus ista Pelagianorum verba sic scribit Augustinus, ut quid inter gratiam excitantem & adjuvantem sit discri-

(Lib. 1. ad Bonif. c. 18.)

Ibid. c. 19. minis, noſceremus: *Vos*, inquit, *in bono opere* A *ſic putatis adiuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda eius ad ipſum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari. Quod ſatis ipſa tua verba declarant: Cur enim non dixiſti, hominem Dei gratia in bonum opus* EXCITARI, *ſicut dixiſti, In malum diabolo ſuggeſtionibus* INCITARI? *Sed dixiſti, In bono opere à Dei gratia ſemper* ADIVVARI, *tanquam ſua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggreſſus, in ipſo iam opere divinitus* ADIVVETVR, *pro meritis videlicet voluntatis ſeu volitionis bonæ, ut reddatur debita gratia, non donetur indebita, ac ſic gratia iam non ſit gratia.* Ac mox ex exemplo divi Pauli probans homines ſive ullo merito repentina & gratuita vocatione converti, ipſamque malam voluntatem mutari in bonam, non interrogando ſed inſtando adjicit:

Ibid. *Vtram iam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc dicatur, an potius ut credat, ipſa voluntas, ſicut Pauli de nper* EXCITATVR, *etiamſi tam ſit aver-* B *ſus à fide, ut credentes etiam perſequatur?* Ecce manifeſtum eſt gratiam non tantum adjuvare hominis propoſitum poſtquam fuerit, & bonum opus aggreſſus ſit, ſed ipſam deſuper excitare ſeu dare volitionem ut aggredi poſſit, quod Pelagiani fateri recuſabant.

Nam ut iſtam excitandi ſignificationem adhuc planiorem faciamus, alijs quoque locis eodem ſenſu verbum iſtud Auguſtinus uſurpat. Nam de peccatorum ad vitam revocatione, velut excitatione à ſomno illo lætifero ad vigilandum in Deo loquens juxta illud Apoſtolicum quod allegat: *Surge qui dormis, &* Epheſ. 5. *exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, ita lo-

In Pſal. 62. quitur: *Apoſtolus excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam exhortabat, ut illuminaretur à Chriſto. Ergo ſecundum ipſas vigilias dicit iſte, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, niſi oriretur lux tua quæ te de ſomno* EXCI- C *TARET. Illuminat enim animas Chriſtus & facit eas vigilare.* Et in alio Pſalmo naturam gratiæ excitantis explicans, hoc eſt prævenientis meritum & ſuſcitantis mortuam voluntatem ut

In fine conc. in Pſal. 58. velit: *Non ego prior ad te exſurrexi voluntate, ſed tu ad me* EXCITANDVM *veniſti. Nam miſericordia eius præveniet me. Antequam aliquid boni ego faciam, miſericordia eius prævenet me. Quid hic reſpondebit infelix Pelagius?* Et in Pſalmum octogeſimum-ſeptimum iterum conjungens gratiam, quæ omnia merita prævenit, & eam quæ idcirco excitat mortuam voluntatem ut bonum

In Pſal. 87. pro. finem velit: *Quomodo crederem niſi audirem? Sed ut audita crederem ipſe me attraxit; quia in occulto à morte cordis non quilibet medicus, ſed ipſe* EXCITAVIT *&c. ac per hoc nec credere potuiſſem, niſi me Dei miſericordia* PRÆVENISSET, *& quia mortuos ſuſcitat, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, me in occultis vocando, & ſuſcitando & trahendo, à tenebris eduxiſſet & ad lumen fidei perduxiſſet.* Et in Pſalmum centeſimum-ſextum- D excitationem Dei propriè uſurpat, quando

In Pſal. 106. Deus hominem incredulum *nihil putantem aliud eſſe poſt hanc vitam, ſocordem obrutum cor habentem illecebris mundi, & mortiferis delectationibus conſopitum* prævenit, ut inquit, EXCITETVR *iſte ad quærendam gratiam Dei, ut ſiat ſollicitus, & tanquam de ſomno evigilet. Nonne manus Dei* EXCITAT *eum? Sed à quo ſit excitatus ignorat.* Et poſtea ponit reſpectu hominis jam volentis adiutorium ſeu gratiam adjuvantem. Et ſermone nonageſimo-quarto de tempore, objectionem retundens Pelagianam, quibus maximè excitans gratia diſplicebat: *Sed voluntas*, inquit, Ser. de temp. Pelagianus quiſpiam, *bona mea eſt. Fateor tua*, 94. c. 3. *ſed & ipſa a quo data? A quo* EXCITATA? Et ſanctus Fulgentius probans hominum voluntates primas non exſpectari ut ex hominis conatu emicent, ſed per gratiam prævenientem & excitantem ex nolentibus volentes fieri: *Si* Fulgent. lib. *ergo*, inquit, *ad ſalvandos homines, ſicut iſti volunt* ad Monast. *non* EXCITAT *neque mutat, ſed exſpectat hominum* c. 7. & 13. *voluntates quomodo inſantibus donat æternam ſalutem &c?* Vbi ſemper EXCITANS gratia non niſi reſpectu primæ voluntatis commendatur, quæ per eam tanquam omnes liberi arbitrij bonos motus prævenientem excitatur & creatur, ſicut ignis è ſilice excitari dicitur, ubi nullus ante fuit.

Quemadmodum igitur hæc propriè vocatur EXCITANS, quæ bonum voluntatis motum in potentia voluntatis excitat, ubi non erat niſi malus, vel quæ excitat potentiam voluntatis mortuam ſopitamque Deo, ut accepto bene volendi motu incipiat vivere & vigilare; ita ADIVVANS illa propriè ab Auguſtino & Patribus vocatur, quæ jam excitato, acceptoque bonæ voluntatis motu, hominem jam volentem conantemque adjuvat, ut vel efficiat quod voluerit, vel ut fortius velit quod velle cœpit, carnisque concupiſcentiam acceptæ voluntati pertinaciſſimè reſiſtentem ſuperet. Quam adjuvantis gratiæ proprietatem, & apud Pelagianos & Catholicos confeſſam indubitatamque fuiſſe, plurimis Auguſtini demonſtratur locis, in quibus ſemper adjutorium Dei reſpectu infirmæ voluntatis ſeu volitionis, hoc eſt, reſpectu propoſiti hominis jam conantis ſed non ſatis potentis prædicatur: *Dixiſti* Lib. 1. ad *tu Iuliane*, inquit Auguſtinus, *hominem in bono* Bonif. c. 1. *opere à Dei gratia ſemper adiuvari tanquam ſua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggreſſus, in ipſo iam opere divinitus* ADIVVETVR. Quem adjuvandi voluntatis modum non reprehendit ſed probat Auguſtinus, quamvis excitandæ voluntatis abnegationem improbet. Et in ſecundo ad Bonifacium libro, Pelagianorum Antiſtitum verba ſunt: *Gratiam adiuvare unuſ-* Lib. 2. ad *cuiuſque bonum propoſitum, non tamen reluctantis ſtu-* Bonif. c. 1 *dium virtutis immittere*, hoc eſt, non facere ex & 10. nolente volentem, per quod excitantem gratiam, admiſſa adjuvante, negant. Nam eorum ſenſum explicans paulo pòſt: *Hoc ita dicunt*, Ibid. c. 3 inquit, *velut homo a ſeipſo ſine adiutorio Dei habeat propoſitum bonum ſtudiumque virtutis*, hoc eſt, bonam voluntatem, *quo merito præcedente dignus ſit* ADIVVARI *Dei gratia ſubſequente.* Et paulo ſuperiùs alio vocabulo gratiâ adjuvantem vocat, *gratiam perficiendi*, prout opponitur gratiæ cap. 8. inchoandi, quæ non eſt niſi excitans, ſeu prævenies: *Iſti volunt in homine ab ipſo homine incipere*

cupidi-

cupiditatem boni, hoc est, voluntatem bonam, *ut hujus cœpti meritum* PERFICIENDI GRATIA *consequatur*, hoc est, gratia, qua ut perficiant bonum quod cupiunt, ADIVVANTVR. Et in libro quarto ad Bonifacium: *Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium*, hoc est incipere propositum bonum, ut suprà vidimus, *cui Deus subsequens gratia tribuat* ADIVMENTVM. Et libro quarto contra Iulianum: *Nam & studium sanctitatis sine adjutorio Dei, vultis in hominis voluntate præcedere, quod merito Deus debeat* ADIVVARE *non gratis*. Quibus locis evidenter constat Pelagianos illam gratiam propriè ADIVVANTEM propositi seu voluntatis, seu ut Scholastici loqui solent, volitionis infirmæ concessisse. Nec in ista confessione reprehendit eos Augustinus, sed potius semper calculo suo probat, quamvis improbet quod illam solam exclusa illa, quæ voluntatem *excitaret*, hoc est, quæ ex nolente volentem faceret, faterentur; quasi voluntas bona per se conatu hominis satagentis emergeret, ejusque merito Deus gratiam illam propriè ADIVVANTEM largiretur. Nam in eodem libro quarto ad Bonifacium, prolatis eorum verbis quibus dicebant, quod gratia adjuvaret uniuscujusque bonum propositum, sic subjungit censuram suam: *Hoc sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum si non in bono proposito meritum ponerent &c. sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod consequens* ADIVVAT *gratia, non esse potuisse in homine si non præcederet gratia*. Et in loco secundo ejusdem locutionis: *Hominis autem propositum bonum* ADIVVAT *quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia*. Et rursum: *Studium quoque hominis quod dicitur bonum quamvis cum esse cœperit* ADIVVETVR, *non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur &c.* Et in libro tertio: *Tempore igitur veteris Testamenti Spiritum sanctum non solum* ADIVTOREM *(quod ipsi suo dogmati sufficere existimant) verum etiam largitorem datum fuisse virtutis, quod ipsi negant.*

Hanc esse *adjuvantis* gratiæ proprietatem ut respiciat studium hominis, postquam jam esse cœpit, mutatamque in melius voluntatem, plurimis aliis testimonijs sancti Augustini ostendi potest. Nam hoc indicat illud quod breviter ad eundem Bonifacium, quasi Catholico aphorismo scripsit: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet; ad justitiam vero nisi divinitus liberatum* ADIVTVMQVE *non valet*. Liberans enim gratia denotat illud auxilium quod efficit primam voluntatis mutationem à mala in bonam; cum ex nolente fit volens, & à diabolo eam captivante liberatur; adjuvans vero illud jam volentis voluntatis adjutorium quo imbecillitas ejus luctando contra concupiscentias & vitia adjuvatur. Sic enim hanc phrasim suam in libris Retractationum explicat: *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à servitute qua facta est serva peccati, & ut vitia superet* ADIVVETVR, *recte pieque vivi à mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, nisi eum* PRÆVENIRET, *tam meritis* A *tis eius daretur*. Et clarissimè in libro de gratia & libero arbitrio: *Qua gratia voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam*, id est ex nolente fit volens, *& cum bona fuerit* ADIVVATVR. Hoc indicat etiam id quod in libro de gratia Christi scripsit: *Facit homo arborem bonam* (hoc est, voluntatem bonam) *cum Dei accipit gratiam, sed etiam ut faciat fructum bonum, eâdem gratiâ necesse est* ADIVVETVR. *Ipse quippe in bonis arboribus*, hoc est hominibus jam habentibus bonam voluntatem, COOPERATVR *fructum qui per se dat intrinsecus incrementum*. Hoc in Epistola ad Hilarium: *Iubet ideo ut facere jussa conati & nostra infirmitate sub lege fatigati, ADIVTORIVM gratiæ possimus experiri, & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui* ADIVVAT *non simus ingrati*. Et paucis adjectis infra iterum: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia ADIVATVR, sed ideo ADIVATVR, quia non tollitur*, hoc est, quia jam actu supponitur velle quamvis infirmè. Hoc enim probat id quod subjicit: *Qui enim Deo dicit: Adjutor meus esto, confitetur se velle implere quod injussit sed ab eo qui jussit* ADIVTORIVM *posse re, ut possit. Sic & ipse cum sciret neminem esse posse continentem nisi Deus det, adijt Dominum & deprecatus est, utique volens adijt, volens deprecatus est, nec petisset nisi esset voluntas, sed nisi petisset quantum posset voluntas*. Nihil clarius quam ADIVTORIVM propriè esse respectu voluntatis iam volentis conantisque, sed adolescentis adhuc & infirmæ, quæ ut possit id quod voluit, gratia debet adjuvante roborari. Quod etiam agit in sermone decimotertio de verbis Apostoli quando dicit: *Ipsum nomen* ADIVTORIS *præscribit tibi quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas.* ADIVTOR *meus esto. Nemo adjuvatur, si ab eo nihil agatur*. Hoc indicat & illud in Enchiridio ad Laurentium: *Deus voluntatem bonam* (id est volitionem seu propositum hominis bonum) *& præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. Hoc idem indicat & illud in Epistola centesima trigesima-tertia ad Pammachium, qui Donatistas ad unitatem Ecclesiæ revocaverat, quando agit gratias Deo, *quo*, inquit, *inspirante hoc* VOLVISTIS *& quo* ADIVVANTE *potuisti*. Et in Psalmum decimum-octavum: *Domine adjutor meus tendentis ad te*, nempe adepta jam bona voluntate qua quis convertitur ad Deum, *quoniam redemptor meus es tu, ut tenderem ad te. ne quisquam vel sapientia sua tribuens, quod ad te convertitur, vel viribus quod ad te pervenit, magis repellatur abs te*. Vnde in Psalmum trigesimum-secundum dicit, quod *Deus adjutor noster est, dum conamur ad eum*. Et in Psalmum septuagesimum cantat magnitudinem Dei, *cum peccassem*, inquit, *quia ignovisti cum conversus essem*, mutata videlicet jam voluntate, *quia* ADIVVISTI, *cum perseverassem quia coronasti*. Et in Psalmum octogesimum-nonum dicit ADIVVARI *voluntatis fidem*. Hoc indicat & illud in sermonibus de verbis Apostoli: *Non sufficit ut velis*, ADIVVANDVS ES *ut plene velis, & impleas quod velis*. Ex quibus profectò & hi jam modi pluribus quæ adjici possent, perspicuum est, gratiam

ADIV-

Lib. 4. ad Bonif. c. 11.
Lib. de grat. Christi c. 19.
Lib. arb. c. 20.
Lib. 4. cont. Jul. c. 3.
Lib. 1. ad Bonif. c. 8.
Lib. 2. c. 10.
Lib. 3. c. 4.
Lib. 1. Retract. c. 9.
Serm. 13. de verb. Apost. c. 9.
In Enchirid. c. 32.
Epist. 134.
In Psal. 18.
In Psal. 32.
In Psal. 70.
Serm. 3 de verb. Apost. c. 10.

ADIVVANTEM propriè locum habere respectu hominis jam volentis, studentis ac satagentis bene vivere & cum concupiscentijs dimicare. Nam nisi infirmitas voluntatis adjuvetur, nihil eorum quæ voluit perficere potest, juxta illud Augustini in Psalmos: *Bene facit Dominus aversum convertere, pugnantem* ADIVVARE, *vincentem coronare.* Et illud in fragmentis sermonum de præcepto continentiæ: *Contine teipsum, iussio est, præceptio est, audiendum est, faciendum est: sed nisi Deus* ADIVVET *remanemus. Conamur quidem facere voluntate, & nititur aliquid voluntas, non præsumat potestas, nisi* ADIVVETVR *infirmitas.*

In Psal. 149.

Fragm. 1.

Nec solius Augustini doctrina ista de gratia adjuvante propriè dicta respectu voluntatis jam volentis, currentis luctantisque fuit, sed eam sexcentis locis sanctus Fulgentius discipulus ejus expressit. Nos paucis ejus testimonijs contenti erimus. Nam in libro de Incarnatione & gratia: *Cuius gratia nobis & initium bonæ voluntatis donatur ad fidem, & ipsi voluntati* ADIVTORIVM *tribuitur, ut quod bene velit bene operetur.* Adjuvando videlicet infirmitatem ejus, ne in conatibus suis imperfectis cassa maneat & inanis. Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: *Bonam voluntatem ipse gratis præparat*, prædestinando, prout ipse loqui solet; *gratis donat; ipse* ADIVVAT, *ipse consummat.* Et mox ait homines *divina iustificatione præveniri, & ut accepta bona voluntate non deficiant,* OPITVLATIONE *Dei*, id est gratia opitulante seu adjuvante, *profectum eis vel perseverantiam tribui.* Et iterum in eodem libro paulo pòst: *Ipse enim & gratuitã voluntati humanæ bonitatem donat*, hoc est tribuit primam bonam voluntatem, *& bonam voluntatem in operibus* ADIVVAT. Et iterum: *Qui & voluntatem parentum* EXCITAT, ut scilicet velint, *& volentibus* ADIVTORIVM *donat.* Et adhuc aliquibus interjectis: *Ideo enim in nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem, ut habeat quam in nobis* ADIVVET, *non solum volentem sed etiam operantem.* Multa ex eodem Sancto pro ista veritate, quam constantissimè tradit produci possent, si ista non sufficerent. Quibus consentit ad unguem sanctus Bernardus, quando in libro de gratia & libero arbitrio dicit: *Conatus liberi arbitrij cassi sunt ad bonum si non* ADIVVENTVR, *nulli, si non excitentvr.*

Lib. de Incarnat. & grat. c. 11.

Lib. de verit. prædest. & grat. f. 33.

Ibid.

Ibid. f. 34.

Ibid. f. 62.

Ex istis, quantum arbitror, liquidissimè patet, excitantem gratiam propriè respectu bonæ voluntatis esse statuendam, quatenus eam Deus gratia præveniente largitur, adjuvantem vero postquam jam bona voluntas homini data est qua jam cœpit velle recte vivere, proficere, permanere, rebellesque cupiditates GRATIA SVBSEQVENTE superare. Nam gratiam adjuvantem seu opitulantem non esse aliam quam illam jam supra dictam SVBSEQVENTEM, hoc est, quæ bonam voluntatem sequitur, tum ex prædictis manifestum est, tum disertis verbis idem sanctus Fulgentius docet: *Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc esse potest homini si prævenientis gratiæ largiente deest eiusdemque gratiæ subsequentis opitulatione*, id est gratia adjuvante *servetur.* Et in libro secundo ejusdem operis: *Voluntas quæ in nobis dono Dei miserantis efficitur, ipsa in nobis ut bene operari valeat* ADIVVATVR. Et: *Sicut ad surgendum beneficio misericordiæ prævenientis erigitur, sic ad perseverandum misericordiæ subsequentis* IVVAMINE *custoditur.* Et post multa: *Non autem præveniendo illuminaretur* arbitrium, seu voluntas, *si non esset: nec subsequendo* ADIVVARET, *si illuminatum ad aliquid sibi bonæ cogitationis aut operis esse posset idoneum.* Et respective ad gratiam excitantem seu prævenientem, itemque adjuvantem seu consequentem referri debet, quod ibidem breviter dicit: *Sine dono atque* ADIVTORIO *Dei, nunquam potest bonum velle vel facere.* Donum est enim excitantis & prævenientis gratiæ qua *velle* donatur; adjutorium adjuvantis & subsequentis qua velle juuatur & custoditur. Et post multa iterum atque iterum eandem doctrinam inculcando inter cetera dicit, quod *gratia voluntates hominum malas præveniendo mutat in bonas, ut impias & iniquas peccata dimittat: easdemque bonas voluntates* ADIVVANDO SVBSEQVITVR. Sed ad istas divisiones ex mente veterum percipiendas, ista plus quam satis.

Lib. 2. ad Bonif. c. 8.

Fol. 55.

Fulgent. lib. 2. de præd. f. 115.

CAPVT XVII.

Sensus multorum Scholasticorum in explicandis gratiarum divisionibus à sensu Patrum quam diversus sit.

QVÆ cum ita sint, jam facilè intelligit consequenter prudens lector, quam procul illi Scholastici, quos capite primo demonstravimus, ceterique non pauci qui cum ipsis eandem de divisionibus istis doctrinam tradunt, à mente veterum Patrum aberraverint. Nempe in nullo membro trium istarum divisionum, sensum eorum attigêre, sed quas Patres illi prævenientes, isti e jam consequentes nominant; quas illi consequentes, illi prævenientes. Quas illi operantes, isti cooperantes; quas illi cooperantes, isti operantes. Quas illi excitantes, isti adjuvantes; quas illi adjuvantes, isti excitantes. Ita enim omnia confusa sunt, ut Augustinum ac discipulos ejus, unde vera intelligentia divisionum istarum petenda erat, nec legisse videantur. Quod non est difficilè breviter perspicuèque patefacere. Nam Scholastici illi prævenientes gratias & operantes & excitantes, omnes illas esse putant, quæ potentiæ voluntatis sive nolenti sive jam volenti, sive

sive aversæ sive iam conversæ, sive infirmæ A sive perfectæ ad volendum actu faciendumq; previè tribuuntur. Ex quibus tamen sola illa præveniens, operans, excitans, in antiquorum sensu est, quæ ex nolente volentem, ex aversa conversam, ex injusta justam facit. Subsequentes vice versa, cooperantes, ac subsequentes Scholastici nominant gratias illas omnes, quæ post indeliberatos motus voluntati immissos in efficiendum consensum voluntatis, sive primum, sive quoslibet alios per totam vitam cum ipsa potentia voluntatis influunt & concurrunt. Cùm tamen Patres nullas gratias subsequentes, aut cooperantes, aut adjuvantes vocent, quæ cum potentia voluntatis sese primum à tenebris ad lumen, à creatura ad creatorem, ab injustitia ad justitiam convertente, sive præveniendo, sive comitando ac simul influendo concurrunt. Omnis enim ista gratia, qualiscumque fuerit, sive eadem omni- B no cum ea quæ potentiam voluntatis prævenit eam excitando, sive diversa, non nisi præveniens, operans, excitans dicitur: Omnis alia quæ volentibus & currentibus datur, sive prævie incidat suscitando voluntatem, sive simul in consensum influendo concurrat, subsequens, cooperans, & adjuvans appellatur. Distinctio enim ista gratiarum istarum, quam Scholastici invenerunt, ut respectu ejusdem consensus voluntarij, una vocetur præveniens, operans, excitans, quæ videlicet consensum præeundo, potentiam voluntatis excitet & quasi gravidam faciendo, ad præstandum ipsum consensum præparet; alia vero seu ipsa eadem, quatenus cum eadem voluntate simul in istum consensum aut actum influit, subsequens, cooperans, adjuvans nominetur, antiquis istis Patribus incognita est. Nam sive præparet ad consensum, sive simul influat in consensum, semper ab eis dicitur ac dici debet præveniens, operans, excitans, quando primo bonam voluntatem nolentibus donat: & vice versa, semper subsequens, cooperans, adjuvans dicenda est, quando arbitrij jam volentis conatum subsequendo, & cooperando adjuvat. Etenim in istorum Patrum scriptis doctrinaque inauditum est, veram gratiam Christi, hoc est, gratiam quam præter intellectus illustrationes ad flectendam emolliendamque voluntatem Christus per crucem suam hominibus dedit, ita in potentia hærere voluntatis otiosam, ut alia sit opus gratia, qua potentia voluntatis ad consensum præstandum adjuvetur; sed illa ipsa gratia quæ potentiam voluntatis ad agendum præeundo suscitat in consensum influendo (eo modo quo gratia influere debet) cum ipsa voluntate concurrit, idque tam respectu primi motus bonæ voluntatis, quam omnium tota vita subsequentium, pariter locum habet. Nec enim alia de causa gratia Christi respectu voluntatis datur, nisi ut ad consensum eliciendum simul cum voluntate influente concurrat, quod sine prævia potentiæ excitatione seu suscitatione & quasi præparatione fieri nequit.

CAPVT XVIII.

Gratia præveniens, subsequens; operans, cooperans; excitans, adjuvans; generalius quandoque usurpantur à Patribus, sensu tamen etjam à Neotericis diverso.

HOC tamen etjam fatendum est, antiquos illos Patres, etsi, quando illas gratias prævenientem & subsequentem, operantem & cooperantem, excitantem & adjuvantem tanquam oppositas membra dividunt, sic eas accipiant ut diximus, alàs tamen quando de istarum divisionum proprietate non curant, sed solam istorum nominum sequuntur Etymologiam, in significatione longè latiori ista vocabula usurpare. Ex quo fit ut præveniens gratia subinde accipiatur pro omni actuali gratia, quæ in hac vita datur, non solum ut velimus aut credamus sed etjam ut bene divinorum mandatorum observatione vivamus. Et sic opponitur gratiæ subsequenti in altera vita: *Prævenit autem gratia*, inquit Augustinus, *ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur. Prævenit ut piè vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus.* Vbi vides quod sanari & piè vivere tribuantur gratiæ prævenienti, cum utrumque per totum decursum præsentis vitæ duret; unde ei opponitur vegetatio jam sanati hominis & perpetua vita cum Deo, hoc est, prout in secundo membro dicit, glorificatio. Hoc etjam fere modo Synodus Tridentina prævenientem gratiam generatim accipit quando dicit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet.* Nam & sperare, & diligere, & pœnitere prævenienti gratiæ asscribuntur. Quanquam, ut verum fatear, etjam propriè hoc loco accipi possit; quemadmodum & ille locus Concilij Arausicani, non minus propria quam generali significatione accipi possit: *Vt nullus postea aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Generalis enim erit significatio, si gratia etiam illa per quam operamur, præveniens appelletur; speciali-

Trid. Sess. 6 can. 3.

Conc. Arausican. 25.

specialis vero, si tantummodo significetur neminem bene operari posse, nisi antea eum gratia divina prævenerit, ex nolente volentem faciendo. Nam de gratia operum nulla cum Semi-Pelagianis erat quæstio, sed tantummodo, an illi etiam qui bene per gratiam Dei operantur, aliâ gratiâ jam antea eis bonam voluntatem tribuente debuerint præveniri; ita videlicet ut non ipsi Deum, sed ipsos Deus misericorditer prævenerit.

Eadem significationis generalitas nonnunquam in gratia operante & cooperante reperitur. Operantem enim, juxta vocabuli latitudinem, vocant aliquando omnem gratiam, quæ aliquem actum quemcumque in voluntate vel cum voluntate operatur, quemadmodum in isto notissimo Pauli Apostoli loco fu-
Ad Philip. 2. mitur: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere*, seu ut Augustinus subinde legit,
Lib. de grat. Christ. c. 25. & alibi sæp. operatur in vobis *& velle & operari*. Similiter B generalis usurpatio est, quâdo dicit quod *vitium* (superbiæ) *nisi operante gratia sanetur, nullitiæ pace nemo persanatur*. Respicit enim ad pacem in æterna vita, antequam tota superbia per gratiam operantem sanari debet. Tunc autem gratia operans non opponitur cooperanti, sed absolutè sumitur.

Nec dissimiliter cooperans gratia latissimè usurpatur, prout omni omnino gratiæ etjam prævenienti & excitanti & operanti competit, quatenus non sola consensum voluntatis, sed una cum ipsa voluntate concurrente & confluente operatur. Cujus usurpationis plura occurrunt testimonia. Vt quando dicit libro
Ibid. c. 25. apud Aug. cap. 43. de gratia Christi: *Non significans possibilitatis profectum sed cooperationis effectum.* Et in eodem libro sanctus Ambrosius: *Virtus Dei virtus*, id est gratia, *studijs cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* Ecce Dei C virtus ubique, id est, in omnibus operibus cooperatur, ita ut nec incipere possit homo sine Domino, id est, gratia cooperante. Nam sicut in omni actu voluntatis, etjam illo primo quo ex nolente fit volens, & ex infideli fidelis, voluntas cooperatur gratiæ juxta illud Augu-
Tract. 72. in Ioan. stini: *Hoc opus credendi operatur in nobis non utique sine nobis.* Et illud alibi: *Sic Deus in nobis operatur ut & nos operemur*; ita vice versa gratia qualiscumque etjam illa prima, quæ operans proprie dicitur, cooperatur voluntati.

Denique gratia excitans nonnunquam, adjuvans vero sexcentis locis, ita generaliter usurpatur, ut omni prorsus gratiæ actuali competat. Omnis enim hoc ipso quo potentiam voluntatis tangit, excitans dicitur: omnis item hoc ipso quo potentiæ voluntatis ad actum naturales vires excedentem, etjam primum quo convertitur ad Deum, suum auxilium præbet, adjuvans nuncupatur. De exci- D tante in ista diffusa significatione dicit Augu-
Epist. 106. ad Paulin. stinus: *Quid enim debet esse iucundius pigris gratia qua excitantur?* De adjuvante in Epistola ad
Epist. 105. ad Sixtum Sixtum: *Spiritus aliter adiuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans, nondum inhabitans adiuvat ut sint fideles, inhabitans adiuvat iam fideles.* Et ad Paulinum: *In ijs qui salvi fiunt adiutor Deus operatur & velle & operari.* In libro de gratia Christi improbat id quod Pelagius asserebat, quod *Deus non adiuvat ut velimus.* Et in Epistola ad Iulianam: *Proprium arbitrium nisi Dei gratia invetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione: *Etiam ut convertamur ipse adiuvat.* Et multo inferiùs: *Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adiuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* Quem locum Concilium Tridentinum videtur expressisse vel imitatum esse quando sessione sexta dicit: *Vt per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se &c. disponantur.* Vnde & in sequenti capite: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati divina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* In his omnibus locis adjuvans gratia adhibetur homini non solum postquam voluit atque credidit, quemadmodum solet quando propriè usurpatur, sed etjam ad primam ejus conversionem, ut velit & credat.

Epist. 106. Lib. de grat. Christ. c. 5. Epist. 143. ad Lud. Lib. 2. de pec. meritis c. 5. cap. 18. Conc. Trid. sess. 6. can. 5. cap. 6.

Omnes tamen istæ latiores significationes gratiæ prævenientis & subsequentis, operantis & cooperantis, excitantis & adjuvantis, quamvis ad mentem Scholasticorum supra expositam nonnihil accedere videantur, ab ipsorum tamen sensu multum differunt. Nam ipsi cooperantes & adjuvantes gratias ita respectu primæ conversionis, seu primæ bonæ voluntatis adhibent, ut eas etjam tunc distingui putent, velut opposita divisionis membra contra operantem & excitantem. Nam operantem & excitantem esse putant gratiam, quatenus potentiam voluntatis incitant atque præparant: cooperantem & adjuvantem, quatenus vel ipsæ vel aliæ reipsa in actum voluntatis influunt. Augustinus vero è contrario, easdem illas gratias operantem & excitantem, vocat cooperantem & adjuvantem respectu concurrentis voluntatis. Non enim aliud est officium gratiæ quo cooperatur voluntati eamque juvat, quam quo operatur & excitat, utpote quæ non nisi operando in voluntate & excitando cooperatur & juvat; & è contrario, non nisi cooperando operatur & excitat: *Sic enim Deus operatur ut & nos operemur*, inquit Augustinus, hoc est, ut nos cooperemur; & consequenter sic Deus operatur, ut nobis cooperetur. Idem judicium est de gratia operante & excitante. Nam etjam quando illa usurpantur generaliter pro omni gratia qua per totam vitam voluntas prævenitur, non opponuntur tunc gratiæ cooperanti & adjuvanti, sed usurpantur absolutè, & ipsæmet illæ gratiæ quas operantes & excitantes vocat Augustinus, sunt illæ quæ propriè etjam adjuvando cooperantur voluntati. Nam ut supra etjam diximus, distinctio ista duarum gratiarum respectu unius & ejusdem consensus seu actus cujuscumque voluntatis, sive primi respectu convertentis sese voluntatis, sive perfectæ, quarû una vocetur operans, excitans, præve-

præveniens, prout à Deo venit inciditque in potentiam voluntatis, altera quatenus cum voluntate concurrit, non ab antiquis auctoribus fluxit, sed eam subtilitas Philosophiæ peperit. Veteres enim auctores sive vocabula gratiarum usurpent specialiter, juxta primum sensum supra datum, sive generaliter juxta secundum, non agnoscunt nisi unam gratiam respectu consensus voluntatis, ita videlicet, ut in primo sensu gratia præveniens, operans, excitans, nunquam possit esse subsequens, cooperans, adjuvans; quia ista respiciunt diversos actus voluntatis. Veruntamen illa eadem gratia præveniens, operans, excitans, ad hoc ut reipsa voluntas eis prævenita & excitata consentiat, non habent aliam adjunctam gratiam, quæ ad eundem actum, juxta phrasim Scholasticorum, adjuvet & cooperetur. Nam illa ipsa gratia præveniens, operans, excitans istud officium præstant, quandoquidem non nisi propter istud ipsum tribuantur: ita videlicet ut sint simul præveniens, operans, excitans, juxta primum sensum Patrum, & subsequens, cooperans, adjuvans juxta sensum Scholasticorum.

Nam quod ipsi putant contingere nonnunquam ut gratia Christi revera sit præveniens, operans, excitans, & tamen eadem non sit subsequens, cooperans adjuvans defectu videl. voluntatis, quæ gratiæ prævenienti consentire detrectat, jam supra satis excussum rejectumque fuit. Gratia enim Christi, juxta dogma à sancto Augustino constanter traditum, *a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut duritia cordis primitus auferatur.* Vnde quæcunque gratia defectu voluntatis effectu caret non est illa Christi gratia, de qua disputamus, sed sub lege atque doctrina comprehenditur. Christus enim ea de causa mortuus est, ut ceteræ quæcunque gratiæ, sive in intellectu, sive in voluntate, sive in sensibus collocentur, quæ propter duritiam voluntatis rebellesque carnis concupiscentias effectu carebant suo, ad operandum emollita flexâque voluntate rapiantur. Qua de re superius satis diximus. Et inde nascitur quod nulla Christi gratia, juxta doctrinam istorum Patrum, præveniat operandoque excitet voluntatem, quin simul voluntati, phrasi in Scholis usitata, cooperetur, eamque vicissim cooperantem adjuvet.

CAPVT XIX.

Gratia præparans voluntatem quid sit, & quomodo secus ab Augustino quam à Scholasticis quibusdam intelligatur.

EX eadem vena fluit, quod illam gratiam, *qua præparatur voluntas à Domino*, quæ tantopere à sancto Augustino decantata est, non rectè recentiores intelligunt. Putant enim significari gratiam aliquam qua potentia voluntatis quodammodo proximè præparetur, ut in actum influat, ita videlicet ut voluntas à Domino præparata sit, quamvis nullus consensus ejus consequatur; quemadmodum etiam paratus ad iter esse dicitur, qui impedimento superveniente retinetur. Sed revera phrasin Scripturæ & Augustini non satis assequuntur. Voluntas enim non sumitur ab Augustino, quando de præparatione voluntatis loquitur, pro potentia, sed pro actu voluntatis, ut sit idem quod volitio. Itaq; præparari voluntatem à Domino, non est ei aliud, quam per gratiam voluntatem seu volitionem fieri seu effici à Domino: quod aliâ phrasi activè dicere solet: Deus *operatur ut velimus*, seu *Deus operatur & velle*, *Deus donat voluntatem*, & hujusmodi, quibus significatur Deus per gratiam non præparare potentiam voluntatis, vel in ea operari eo fine ut velimus, sed ut efficacissimè in alio loco exprimit, *agere & peragere ut credamus*, hoc est ut velimus. Qua de re fusè disserimus b suo loco. Hoc ergo sensu præparari seu effici hominis voluntatem seu volitionem indicat passim Augustinus, ut quando dicit in Epistola centesima-septimâ: *Ex singulis* sententijs Catholicis à se prolatis, *id conjici ut confiteamur gratiâ Dei præveniri hominum voluntates*, id est, volitiones, *& per hanc eas potius præparari, quam propter earum meritum dari.* Et inferius: *Deum gratia sua auferre ut de lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum; ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur.* Quod alijs verbis in eadem Epistola de illa præveniente & præparante gratia loquens dicit: *Dat merita ipsa cum dat, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam invenit in cuiusquam corde, sed facit. Deus convertit corda hominum: sic agit eorum sensum ut accommodent assensum.* Deus *& velle operatur & currere*, & similia. Et evidentissimè contra Iulianum: *Si non prævenit*, gratia voluntatem, *ut operetur eam, sed prius existenti voluntati gratia cooperatur, quomodo verum est, Deus in nobis operatur & velle?* Quomodo PRÆPARATVR *voluntas à Domino?* Et in libro de Gratia & libero arbitrio: *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia* PRÆPARATVR *voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui,* PRÆPARATVR *voluntas à Domino: de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis & velle.* Et inferius: *Putabat enim Petrus se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam parvam dare cœperat charitatem* (hoc est, voluntatem bonam seu velle) *nisi ille qui præparat voluntatem*, id est velle, *& cooperando perficit, quod operando inciput. Quoniam qui ut velimus operatur,*

Iuenz. lib. 3. de Conc. c. 5. n. 3. Lessius lib. de grat. efficac. n. 11.

a Lib. de prædest. SS. cap. 10.

b Vide lib. 2 de gra Christi Salvat. cap. 14.

Epist. 107. ad Vitalem.

Lib. 1. oper. imper. co. Iul. f. 140.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap 16.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap 17.

operatur, incipiens &c. Cujusmodi loca passim obvia sunt, quibus non aliter docet Deum per gratiam præparare voluntatem, nisi quia præparat seu operatur velle, sive per gratiam propriè operantem efficiendo ut velit, sive per cooperantem, ut potentius velit

Et ista sunt quæ de gratiæ divisionibus totaque natura ejus & operandi modo, juxta sancti Augustini & Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ mentem, nobis dicenda occurrerunt. Cujus quidem Ecclesiæ & universalis ejus Pastori Romani Pontificis judicio ac censuræ, quicquid hac de re vel alia quacunque hactenus scripsi, vel porro in posterum scripturus sum, toto corde ac sincerâ mente subjicio.

FINIS.

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS. DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS

LIBER QVINTVS.

Qui est de effectibus gratiæ Christi.

CAPVT PRIMVM.

Transitur ad effectus gratiæ medicinalis Christi. Gratia Christi tantummodo ad diligendum in cujusvis præcepti impletione Deum, necessaria est.

DIximvs quid sit adjutorium gratiæ Christi, quis operandi modus, quæ divisiones ejus, nunc de effectibus ejus nonnihil dicendum superest, ad quę videlicet opera bona necessarium sit, an ad omnia quarumcunque potentiarum & virtutum, an vero ad certi generis dumtaxat. Dubitatio quippe suboriri posset ex multis Augustini locis, quæ præcedenti libro de cœlesti delectatione justitiæ disputantes produximus. Nam videtur inde sequi, nullos actus delectationis esse illam veram gratiam Christi, nisi solos illos quibus trahimur ad diligendam justitiam aut Deum, hoc est, quibus dilectio seu charitas Dei & proximi nobis, Deo donante, communicatur. Nam pleraque sancti Doctoris loca de tali delectatione intelliguntur. Quod si ita est, jam reliquarum virtutum supernaturalium actus videntur ab homine fieri posse sine gratia Dei. Neque enim opus est actuali dilectionis motu, quo referantur in Deum, ad hoc ut ab homine A justo elici possint; quicquid tandem de illa quæstione sentiendum sit, utrum tunc tales actus apud deum aliquid mereantur, nec ne.

Respondetur, quisquis ex precedentibus colligit ex Augustini mente, solam suavitatem qua fiat ut diligamus Deum esse gratiam Christi medicinalem, quam humano generi ægrotanti dedit, rectè colligit. Quod quamvis recentioribus Doctoribus valde fortasse mirum videatur, qui putabunt, vel omnium aliarum virtutum opera destrui, vel ad naturæ vires revocari, ex Augustini tamen mente dubitatione caret. Cujus principia qui penetraverit, doctrinæ ipsius, tanquam verè Christianæ, puritatem venerabitur potius, quam tanquam à tramite veritatis abstrusam aversabitur. Sed antequam, quo pacto doctrina ejus accipienda sit, ostendamus, eam revera esse hanc ipsam quam asserimus, demonstrandum est; so- B lam videlicet charitatis inspirationem, qua fiat ut Deum verè, sincerè, & ut oportet diligamus, esse ex Augustini sententia propriè gratiam Salvatoris mundi, prout gratia proprie dicta Christi à scientia distinguitur. Nam

scientia

scientia, sicut & remissio peccatorum, revera quoque sunt dona & magna gratia, sed neutra est gratia illa quæ nos facit velle & facere bonum, vel qua facit Deus ut in justificationibus ejus ambulemus, de qua propriè controversia est.

Hanc igitur gratiam esse inspirationem amoris Dei, ex diversis Augustini principijs colligi & evidenter ostendi potest.

Primò quidem, quia gratia de qua sanctus Augustinus satagit, & de qua propriè cum Pelagianis controversia fuit, est illa qua fit ut homo qui ante fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam, sive quâ in homine inchoatur voluntas bona, ut per gratiam bonum velit, eademq; voluntas bona adjuvatur, augetur & accenditur, ut divina mandata possit implere. Nam in volendo bonum & fortiter volendo, tota perfectio vitæ bonæ seu Christianæ sita est. Inde est quippe quod sexcenties
Ad Philip. 2. utitur illa Scriptura Pauli: *Deus operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et illa
Prover. 7. Proverbiorum, *Præparatur voluntas a Domino*, quod tam de inchoata quam consummata voluntate bona S. Augustinus intelligit. Et illa:
Psalm. 36. *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Et hinc illud absolutum ejus pronuntiatum: *Gratia pro nobis ut justi simus* (in quo tota perfectio bonitatis comprehenditur) *quod quidem homo non potest, nisi velit, & velit, & erit continuo cum plene voluerit: sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratia Spiritus sanctus, & adjuvetur ut velit*; videlicet hoc ipsum ut plene velit. Unus igitur aut alter locus Augustini apertissimus sufficiet ut probemus, totam gratiæ adjuvantis œconomiam, ad bonam illam voluntatem dandam, augendamque versari. Primus habetur in libro secundo de peccatorum meri-
Lib. de pec. mer. & rem. c. 18. tis, ubi sic loquitur: *Quapropter nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest; sed etiam* VOLUNTATEM BONAM, *quæ tum in eis bona est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus, quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti &c.*
1. Cor. 4. Et paulo clarius & generalius & expressius: *Si ergo voluntas aut bona est aut mala; & utique malam non habemus ex Deo: restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: aliquin nescio cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsum gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror, Paratur voluntas a Domino. Et in Psalmis: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Et quod Apostolus ait: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod a Deo nos avertimus nostrum est; & hæc est voluntas mala: quod vero ad Deum nos, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possimus, & hæc est voluntas bona.* in quo loco quemadmodum & in alijs plerisque apud S. Augustinum sumitur voluntas pro volitione. Alius locus ad hoc propositum habetur in libro de Gratia & libero arbitrio, in quo totis viribus veram Christi gratiam conciliat cum libero voluntatis arbitrio. Itaque dividens exactè humanas voluntates, ut sciretur quænam indigerent gratiæ adjutorio, officium & effectum gratiæ Christi accuratissimè definit in hunc modum: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit justitiæ & tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ iam adesse cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et cùm prope ad finem usq; libri fortissimè de Christi gratia disputasset, tandem officium ejus breviter concludendo tangens & repetens: *Satis*, inquit, *me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur sed* EX MALA MVTATVR IN BONAM, ET CVM BONA FVERIT ADIVVATVR, ut videlicet ex invalida robustior fiat, accipiendo non solum velle bonum, sed etiam posse quod voluit: quod illos deficit qui inefficacibus voluntatibus volendo bonum, non possunt apud animum suum obtinere ut efficaciter bonum velint, & volendo etiam operentur. Cùm ergo perspicuum sit, veræ gratiæ officium circa voluntatem bonam vel dandam, vel adjuvandam, & augendam occupari, videamus nunc, nihil aliud per eam agi quam ut charitas Dei in eo seminetur & crescat. Nam inde sequitur evidenter, gratiæ adjuvantis unicum officium esse, ut Deum charitate diligamus. Quod quidem vel ex eo solo manifestum est, quia constantissima doctrina S. Augustini est, bonam voluntatem, seu voluntatem & cupiditatem boni, nihil aliud esse, quam veram illam & propriè dictam Dei charitatem. Nam in eodem illo libro de Gratia & libero arbitrio paucis interjectis, post illa verba quæ jam citavimus, definit hoc ipsum apertissime: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: potent autem cum magnam habuerit & robustam.* Quid vero sit illud unum: *Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate,* HOC EST, MAGNA CHARITATE *fecerunt. De qua* CHARITATE *ipse Dominus ait: Maiorem hoc* CHARITATEM *nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et paulo inferius de S. Petri invalidâ voluntate, id est, charitate subjungit: *Istam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in charitate, sicut ait Ioannes Euangelista in Epistola sua, sed perfecta* CHARITAS *foras mittit timorem: & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Putabat enim se* POSSE, *quod se* VELLE *sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat* CHARITATEM, *nisi ille qui præparat* VOLVNTATEM; *& cooperando perficit quod operando incepit?* Qua de re tangit & citat statim Scripturas quę de VELLE loquuntur. *Quoniam*, inquit, *ipse ut* VELIMVS *operatur incipiens, qui* VOLENTIBVS *cooperatur perficiens &c. Vt ergo* VELIMVS *sine nobis operatur;*

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

Ibid. § 20.

Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.

Ibid.

Ibid.

cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, hoc est, cùm fortiter & efficaciter volumus, *nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante* VT VELIMVS, *vel cooperante cum* VOLVMVS, *ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis &* VELLE. *De cooperante illo cum iam volumus & volendo facimus: scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et continuo ostendens hujusmodi tam locutiones suas quàm Scripturas quæ de voluntate qua volumus bonum loquuntur, de vera charitate loqui, subjicit: *Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit: Quis nos separabit à Charitate Christi* &c. De qua charitate Dei, cùm octodecim circiter Scripturas apertissimas allegasset, tandem digito ostendens cardinem controversiæ quæ cum Pelagianis agebatur, dum de adjutorijs ad velle & facere necessarijs vigeret disputatio: *Unde est,* inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam* SI NON EX DEO, SED EX HOMINIBVS, VICERVNT PELAGIANI: SI AVTEM EX DEO VICIMVS PELAGIANOS. *Sedeat ergo inter nos Iudex Apostolus Ioannes & dicat nobis* &c.

Lib de grat. & lib. arbit. cap. 17. Rom. 8.

Lib. de grat. & lib. arbit: cap. 18.

Et quamvis ille locus unicus omnes omnium cavillationes suâ perspicuitate suffocare possit, pluribus tamen alijs locis contra Pelagianos idipsum evidentissimè tradit. Nam libro de Gratia Christi indagatur accuratè, quænam sit vera Christi gratia, & quinam in hominibus operetur, ulque adeo ut in ejus calce dicat, quod *si consenserit* Pelagius, *ipsam quoque voluntatem & actionem; id est, ut bene velimus & bene agamus, quæ non sunt in homine nisi quando bene vult & bene agit, divinitus adjuvari, & sic adjuvari ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus;* EAMQVE ESSE GRATIAM CHRISTI, *nihil de adjutorio gratiæ Dei, inter nos controversiæ relinquetur.* In hoc ergo libro manifestissimè ac exsertissimè pronuntiat, istam bonam voluntatem quæ datur, aut ita adjuvatur ut pariat actiones tanquam fructus bonos, nihil esse omnino præter charitatem. Nam cùm sæpe contra Pelagium asseruisset, Deum in nobis per gratiam operari ut velimus & faciamus; itemque non solum adjuvare ostendendo homini, quid fieri debeat, sed etiam *dilectionem inspirando*, ut quod cognoverit faciat, evidentius explicans quid sit voluntas illa bona, qua volumus, & efficaciter volendo etiam operamur bonum; præmittit primum, quod quando Paulus Apostolus dixit, *radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium* CHARITATEM. Quibus deinde subjungit explicans illam charitatem nihil aliud esse, nisi voluntatem bonam: *Unde si duæ arbores bona & mala duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo nisi voluntatis bonæ, hoc est, arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate proceduntur, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo & per illum, & in illo qui semper est bonus.* Et inferius: *Quare adhuc usque contendit* Pelagius, *quod ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quasi vero aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo & à Patre datam, ut filij eius essemus.*

Lib. de grat. Christi c. 47

Ibid. c. 18.

Et in libro secundo ad Bonifacium cùm exorta esset inter Pelagianos & Augustinum disputatio, utrum CVPIDITAS *boni* (quæ nihil aliud est quâ voluntas bona, utpote per quam, ut ibi dicitur sit homo *consentiens bono & volens bonum*) per gratiam inspiretur ac detur à Deo, sic explicat illam boni cupiditatem: *Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incommutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas nisi* CHARITAS, *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est. Nec initium eius ex nobis & perfectio eius ex Deo, sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est,* hoc est, tota cupiditas aut voluntas bona ex Deo est, sive inchoata, sive perfecta. Doctrinam istam plurimis alijs locis docet, dum non aliter tradit nobis inspirari voluntatem bonam, hoc est, ut velimus atque faciamus (qui proprijssimus gratiæ Salvatoris effectus est) quam inspiratione charitatis, quæ est illa voluntas bona. Hinc in Epistola ad Iulianam, quæ ex professo de gratiæ adjutorio contra Pelagium scripta est, ut Demetrias virgo contra ejus insidias muniretur, cùm eum naturam atque doctrinam, tanquam adjutorium gratiæ, prædicare docuisset, quo bene vivamus: *Ad habendam vero, inquit, bonam voluntatem, ubi est hoc ipsum quod iustè vivimus, &* IPSA CHARITAS, *quæ in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit; qua una adimpletur in nobis, si quid divinæ legis & admonitionis implemus, voluit nos divinitus adjuvari.* Et inferius in eadē Epist. *Proprium quippe arbitrium nisi Dei gratiâ invetur, nec ipsa* BONA VOLVNTAS *esse in homine potest, Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate.* Et quid ista bona voluntas, quâ Deus operatur, quando operatur in nobis velle? Audi consequenter exponentem Augustinum: *Non sicut isti sentiunt tantummodo scientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus, sed etiam* INSPIRANDO CHARITATEM, *ut ea quæ discendo novimus, etiam diligendo faciamus.* Et explicans preces Salomonis, quibus petebat à Deo continentiam: *Sed utique tamas,* ait, VOLVNTATIS VIRES. Et quid istud? *Tantum delectationis ardorem volebat accipere spiritu sapientiæ, qui sufficeret ad implendam magnitudinem conscientiæ.* Vnde contra Iul. qui putabat liberum arbitrium per se ipsum velle posse bonum, tanquam de re certissima exclamat: *Homo Pelagiane, charitas vult bonum & charitas ex Deo est, non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ.* Et nonnihil inferius: *Charitas sola vult bonum.*

Lib. 2. ad Bonif. cap. 2.

Ibid. c. 5.

Epist. 145. ad Iulianam.

Epist. 145. ad Iulianam.

Ibidem.

Lib. 1. op. imperf. 133

Secundò

Secundò idem probatur ex eo, quia sanctus Augustinus adversus Pelagianos disputans, semper gratiæ illius confessionem postulat, & illam ipse asserit, qua fit ut operemur justitiam seu bonum opus, quod Deus præcipit nobis, atque adeo qua legem quam propter carnis infirmitatem implere non possumus, voluntate atque actione impleamus. Sexcentis hoc locis ipse tradit, ut in Epistola octogesima-nona: *Illud vero quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus sancti dono ad opera bona non adiuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.* Et in Epistola Patrum Concilij Carthaginensis ad Innocentium Papam, quam contra Pelagianum errorem ediderunt: *Generaliter quicumque dogmatizat & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda, sufficere posse naturam, & eo modo gratiæ Dei quæ sanctorum evidentius orationibus declaratur adversarius inventur, anathema sit.* Et Patres Concilij Milevitani dicunt Pelagianos illam impietatem docuisse, *non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam iustitiam sit nostrum adiutor.* Nec arbitror ad hoc probandum opus esse pluribus, cùm res ista sit certissima planissimaque. Iam vero gratiam seu adjutorium Dei, quod facit ut operemur bonum ac Dei mandata jam nobis cognita impleamus, non esse aliud, quam id quod Deus diffundit, charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, atque ita vi istius dilectionis donat nobis ut velimus atque faciamus, sexcentis in locis Augustinus tradit. Vt quando dicit in expositione quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos: *Quoniam Spiritus sanctus non datur nisi credentibus, non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur cùm dat Spiritum sanctum ut per charitatem bona operemur.* Et statim iterum: *Quapropter nisi quis credat in eum, & in accipiendi voluntate permaneat non accipit donum Dei, id est Spiritum sanctum per quem infusâ charitate bonum possit operari.* Et inferius: *Nemo ergo sibi audeat tribuere quod misericorditer,* hoc est, bene *operatur, quia Deus illi per Spiritum sanctum dedit* DILECTIONEM, *sine qua nemo potest esse misericors* &c. Quia videlicet ut addit, *illius est dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum per quem Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris.* Et in libro de Gratia Christi, qui totus in vera Christi gratia quam Pelagius abstulit, asserenda versatur, non semel hoc ipsum docet: *Cogitationem & electionem*, qua scilicet reipsa eligimus & volumus bonum facere, *sicut sunt discernenda discernat, quia scientia*, quam nomine cogitationis admittebat Pelagius, *inflat, Charitas ædificat. Et tunc scientia non inflat quando charitas ædificat. Et cùm sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum maius; non sic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adiutorio. Et si consenserit nos gratia Dei accipere charitatem, non sic sentiat tanquam ulla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non diligebamus?* Et paulo inferius: *Quid autem boni faceremus nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur nec recte bonum opus vocatur; quia omne quod non est ex fide peccatum est. Et, Fides per dilectionem operatur.* Et concludens disputationem de Gratiæ Christi necessitate: *Ac per hoc gratiam Dei, quæ* CHARITAS *Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sinerila quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiam fieri posse non dubitet.* Et in opere contra Iulianum: *Gratia quippe prævenit hominem ut diligat Deum, qua dilectione operetur bona.* Et in Epistola centesima-sexta ad Paulinum: *Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua* IMPETRENT CHARITATEM, QVÆ SOLA BENE OPERATVR. CHARITAS *autem usque adeo donum Dei est, ut Deus dicatur.* Et in Epistola ad viduam Iulianam ait, dici non posse quantum cupiat in Pelagianorum scriptis apertam confessionem illius gratiæ reperiri, *quam Apostolus commendat vehementer*; ut videlicet fateantur, *non solâ revelatione scientiæ nos divinitus adiuvari ut piè iustèque vivamus quæ sine charitate inflat: verum etiam inspiratione charitatis, quæ plenitudo legis est*: antequam ut paulo ante dixerat, *& sine qua omnino nulla cuiusquam bona opera existimanda sunt.* Et in Epistola centesima quadragesima-quarta ad Anastasium: *Quæ charitas Dei, quod perpetuâ cogitatione tenendum est, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum* &c. *Cùm ergo nos huius charitatis, qua lex verissimè impletur, pauperes egentesque sentimus.* Et in Psalmum sexagesimum-septimum cùm docuisset legem infirmos homines fecisse *minando pœnam, nec adiuvando per gratiam*: eo quod *caro non implet, quod per Spiritum impletur, id est, per gratiam spiritalem*, statim explicat quæ sit illa gratia spiritalis: *Hoc est ergo*, inquit Augustinus, *tu perfecisti eam, quia plenitudo legis est charitas; & charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et in libris contra Faustum exaratis: *Illam charitatem quia veniens Christus per Spiritum sanctum quem promissum misit, in manifestatione donavit, qua* SOLA CHARITATE *iustitia legis posset impleri, propterea dixit: Non veni solvere legem, sed adimplere. Hoc est novum Testamentum &c.* Quod si omnia testimonia sancti Augustini exequi vellem, quibus istam doctrinam in scriptis suis celebravit, liber integer citra hyperbolem, exsurgeret. Nihil enim in operibus ejus certius, frequentius, inculcatius, quo hoc tanquam Catholicam fidem ab Apostolo traditam docet, quando dixit: *Plenitudo legis est dilectio.*

Ep. 89. 92

Ep. 90.

In Expos. quarund. propos. ex Epist. ad Rom. n. 60. Idem.

Ibid. &

Lib. de grat. Christi. 26.

A

B

C

D

Ibid.

Lib. de grat. Christi. 26.

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 185.

Epist. 106.

Epist. 143. in fine.

Epist. 144.

In Psal. 67.

Lib. 19. cont. Faust. c. 27.

est dilectio. Ex quo securè concludere possum, gratiam seu suavitatem illam qua diffunditur charitas seu dilectio Dei in cordibus nostris, esse verum & unicum istud adjutorium, quo ad bene operandum & mandata Dei facienda divinitus adjuvamur.

Tertiò suavitatem qua fiat ut diligamus Deum, esse veram & unicam gratiam adjutorij medicinalis Christi, probatur ex eo quod Augustinus cum Pelagianis dimicando gratiæ illius confessionem ab eis quærit, qua fit ut peccata caveantur, tentationesque superentur: quemadmodum hoc ex diversis ejus locis perspicuum est. Nam in primo scripto contra Pelagianos ita loquitur: *Frustra rogantes Deum dicimus: Ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra sic positum est potestate, ut nullo illius adjutorio ad valeamus adimplere.* Et paulo inferius: *Qui autem sic audiunt, quod ait lex: Non concupisces, ut hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei &c.* Et in alia Epistola ad eundem Hilarium: *Nova quædam hæresis inimicæ gratiæ Christi contra Ecclesiam Christi conatur exsurgere, hominum scilicet, qui putant, cavendis futuris, vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.* Ex quibus patet hæresin aperrimam esse, quod concupiscentia, tentationesque possint sine auxilio gratiæ superari. Atqui hoc auxilium gratiæ non est aliud, quam quo Deus dilectionem charitatis inspirat, cujus ardore mens roborata, concupiscentiæ delectationes premat & superet. Audi Augustinum disertè istud profitentem contra Julianum: *Ambo eam* (concupiscentiam carnis) *& debere & posse dicamus vinci; tu viribus propriis, ego gratia Salvatoris, ut non albâ reprobâ cupiditate, sed Dei charitate vincatur, quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et in libro sexto contra eundem adversarium: *Verum tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris &c.* Et in libro de Spiritu & littera, quem ad Marcellinum de gratiæ necessitate scripsit, loquens, de vincendis concupiscentiæ tentationibus; *Ubi*, inquit, *sanctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex* (non concupisces) *quamvis bona, auget prohibendo desiderium mali &c.* Quo desiderij mali incremento, etiam peccati reatus infirmitati superadditur, si iste spiritus charitatis abfuerit; quemadmodum hoc expressè tradit in libris de Civitate Dei ad eundem Marcellinum exaratis: *Nam si lex jubens adsit, & spiritus juvans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit.* Et quis iste spiritus juvans ab Augustino intelligatur, sine quo reatus prævaricationis accedi, accipe ex eodem loco: *Tunc vitia vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Hanc etiam doctrinæ partem plurimis Augustini testimonijs cumulare possem, tanquam qua nihil in ejus sententia verius sit, nisi pauca ista sensum ejus planissimum facerent, & nisi fallor alibi plura protulissem, sed ex solis istis satis elucet, verissimum esse quod proposui, verum adjutorium gratiæ Christi, quo peccata, tentationesque superantur, non aliud esse nisi quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Quartò id ipsum astrui certissimis documentis ex eo potest, quod illud sit verum adjutorium Christi, quo divinitus adjuvamur, ut in declinando à malo & faciendo bono, quibus duobus universa justitia hominis comprehenditur; ipsâque rectitudine, ipsâque justitiâ, quæ in præceptis emicat, delectemur, hoc est, ut illa faciamus, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Nam nisi sic operemur nec bene operamur, nec alieni sumus à voluntate peccandi, juxta illud Augustini: *Sub lege est, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi.* Et in alio loco: *Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere.* Itaque definit alibi voluntatem, quæ *nullo modo justitiam diligit* esse *pessimam voluntatem.* Ad istius justitiæ dilectionem, qua præcepta faciamus, ut ea verè sine peccato fecisse censeamur, semper postulat adjutorium gratiæ Dei, secundum id quod ad Bonifacium dicit: *Ipsa delectatio boni, qua etiam non consentu ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, non nisi gratiæ deputanda est.* Iam vero hoc ipsum adjutorium quo justitia diligitur, sæpissimè definit Augustinus, non aliud esse, quam quo diligitur Deus, seu quo diffunditur charitas in cordibus nostris. Vnde in libro de Spiritu & littera, quem contra Pelagianos de gratiæ adjutorio scripsit: *Mandatum*, inquit, *si fit timore pœnæ non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit. Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et in eodem libro: *Charitas eius*, hoc est Dei, *conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.* Et in Epistola ad Honoratum: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater, id est, ut fides in nobis sit quæ per* DILECTIONEM *operatur, per quam obsecro dilectionem? Non tam timendo pœnam, quam* AMANDO IVSTITIAM. Quam justitiæ dilectionem ac delectationem esse effectum charitatis magis explicat in consequentibus in eodem loco: *Perfecta charitas foras mittit timorem, sed illum servilem, quo eum se quisque ab opere malo abstinet, pœna terretur, non* IVSTITIA DILECTATVR. *Hunc charitas foras mittit quam non delectat iniquitas, etiamsi proponatur impunitas. Non illum quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam* (hoc est, ipsam charitatem) *quæ in illa factum est ut eam non*

PECCARE

Epist. 89. ad Hilar. — *Ibidem.* — *Epist. 94. ad Hilar.* — *Lib. 5. cont. Iul. c. 8.* — *Lib. 6. c. 23.* — *Lib. de Spir. & lit. c. 4.* — *Lib. 21. de Civit. c. 16.* — *Ibidem.* — *Lib. de nat. & grat. c. 53.* — *Lib. 2. ad Bonif. c. 3.* — *Lib. 1. de præd. sanct. c. 11.* — *Lib. 1. ad Bonif. c. 3.* — *Lib. de Spir. & lit. c. 4.* — *Epistam.*

PECCARE DELECTET &c. *Hic timor castus est, non enim* CHARITAS *foras mittit, sed adsciscit.* Vbi perspicuè significatur similiter prorsus à charitate, velut proprium ejus effectum, proficisci, ut non timeat pœnam, & ut amet justitiâm, ut pœna non terreatur, & ut justitia delectetur, ut eam non delectet iniquitas, ut eam non peccare delectet. Et in libro de fide & operibus: *Adhoc reatu graviore liberat gratia Spiritus sancti per Christum, qua diffusa* CHARITATE *in cordibus nostris* DONAT IVSTITIÆ DILECTIONEM, *qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Qui plura volet, consulat ea quæ de ista justitiæ dilectione, tanquam vera Dei charitate, ex qua quodlibet præceptum fieri debeat, ut rectè fiat de pura natura differentes diximus. Nam istud doctrinæ caput in Augustini scriptis celeberrimum est, quo tota doctrina de præceptorum divinorum observatione & gratiæ adjutorio nititur.

Quinto denique, ne ex pluribus principijs accersendis deducendisque lectori molesti fortasse simus, hanc esse verissimam Augustini doctrinam, quod scilicet illud solum sit unicum & verum gratiæ Christi & gratiæ novi Testamenti adjutorium, contra naturam, legem, doctrinam, præcepti cognitionem, peccati remissionem distinctum, illud, inquam, quo dilectio justitiæ seu charitas diffunditur in cordibus nostris, ut ex ista Dei dilectione præcepta faciamus, inde invictissimè probatur, & certissimè convincitur, quia hoc ipsum beatus Augustinus non semel exertissimis & clarissimis verbis asserit, & ex professo tradit. Et quidem totus liber de spiritu & littera, nihil aliud à capite ad calcem usque spirat. Vno tantum aut altero contenti erimus ejus testimonio, quibus tamē cujuslibet repugāntis contradictio superetur. Sic enim loquitur in capite vigesimo-quinto tanquam recolligens quæ multis differuerat: *Cum igitur hæc apparent distantia veteris & novi Testamenti, quod lex ibi in tabulis hic in cordibus scribitur, ut quod ibi forinsecus terret hic* DELECTET *intrinsecus, ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic* DILECTOR *per vivificantem spiritum: non ideo dicendum est quod Deus* ADIVVET NOS AD OPERANDAM IVSTITIAM, ATQVE OPERETVR IN NOBIS ET VELLE ET OPERARI PRO BONA VOLVNTATE, QVIA PRÆCEPTIS IVSTITIÆ FORINSECVS INSONAT SENSIBVS NOSTRIS, SED QVIA INTRINSECVS INCREMENTVM DAT, DIFFVNDENDO CHARITATEM IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM QVI DATVS EST NOBIS. Et in sequenti capite ejusdem libri: *Vt hoc sit pertinere ad Testamentum novum,* hoc est ad gratiam Testamenti novi, *legem Dei habere non in tabulis sed in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur.* Et adhuc manifestius nonnullis interpositis: *Constat gratiam Dei promissam esse Testamento novo etiam per Prophetam:* EANDEMQVE GRATIAM IN EO DEFINITAM, *ut scribantur leges Dei in cordibus hominum perveniatque ad eam cognitionem Dei, ubi non docebit unusquisque civem suum &c.* Hoc DONVM SPIRITVS SANCTI EST, QVO DIFFVNDITVR CHARITAS IN CORDIBVS NOSTRIS: *charitas non qualibet sed charitas Dei de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et nonnihil inferius docens, quo pacto anima tentationibus quassata per adjutorium Dei ad operandam justitiam perducatur: *Per fidem,* inquit, *confugiat ad misericordiam Dei ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat* PLVS DELECTARE *quod præcepit, quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc est lex fidei* CHARITAS *ejus conscripta in cordibus atq; diffusa, perficitur sperantibus in eum, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum.* In libro vero de gratia Christi, quem ex professo de vero & proprie dicto adjutorio Christi ad volendum & operandum, contra Pelagium exaravit, hoc ipsum adjutorium quo fit ut id quod præcipitur, hoc est, justitiam legis, seu Deum ipsum charitate diligamus, veram gratiam Christi esse, quam Pelagius ac Celestius sustulerunt, apertissimè sæpissimèque profitetur. Nam in primis cum in initio libri non semel docuisset contra Pelagium, veram Christi gratiam talem esse, ut non solum *possibilitatem*, hoc est, potestatem agendi adjuvet sed etiam *voluntatem & actionem* hoc est, ut explicat, qua nos *adjuvet ut velimus & agamus*, itemque qua Deus *secundum sanam doctrinam operatur in nobis velle & perficere*, seu *velle & operari*, Pelagium redarguit, quod Deum negaret adjuvare hominem, DILECTIONEM INSPIRANDO *ut id quod faciendum esse noverit faciat.* Vnde conqueritur quod *istam gratiam qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, in Pelagij & Celestij scriptis, nusquam eos invenerit, sicut confitenda est, confiteri. Quapropter ne quisquam dubitaret, quænam sit illa tantopere necessaria & controversa gratia, primo definit eam non esse liberum arbitrium, non legem atque doctrinam, non Christi exemplum, præmiorum pollicitationem, non oculorum cordis vel insidiarum diabolicarum apertionem, non futurorum demonstrationem, non illuminationem vel sapientiæ revelationem; sed illam quam Deus *infundit cum ineffabili suavitate*, ita videlicet ut sic per istud *gratiæ beneficium non sit terribile, sed suave mandatum.* Et quia amoris est proprium ut supra diximus, conferre suavitatem seu delectationem, declarat iterum atque iterum per eam sic suavitate ineffabili perfundi hominem à Deo, *ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impetret charitatem:* ut hominis *voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret.* Et illam ipsam charitatis naturam explicat eam esse, ut homo *quod lex imperat, faciat non timore pœnæ, sed amore justitiæ, ut libera charitate* DELECTET *esse cum lege.* Hanc istam gratiam nunc vocat *inspirationem charitatis per Spiritum sanctum, qua fiat ut non peccemus;* nunc *adjutorium bene agendi per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis.* Nunc gratiam *qua agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum*

Lib. de spir. & lit. c. 29.

Lib. de grat. Christi c. 5. Cap. 6. Cap. 3. Cap. 30.

Vide cap. 7. & 10. & 39

Cap. 13. Lib. de grat. Christi c. 13. Cap. 6. Cap. 13. Cap. 39. Cap. 35. Cap. 12.

solum ut DILIGENDA *credamus, verum etiam ut*
Cap. 42. *credita* DILIGAMVS. Nunc gratiam *qua adiuvatur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit* DILECTIONE *& actione perficiat.* Itaque
Cap. 33. illam gratiam in Pelagij & Celestij *confessione requirit, qua dat Deus non solum scientiam legis, sed spiritum* CHARITATIS *quia non est consequens ut qui habet donum scientiæ quo novit quid agere debeat, habeat etiam* CHARITATIS *ut agat.* Deniq;
Cap. 26. seriò & graviter monet eum *qui velit veraciter gratiam confiteri, ut eam confiteatur gratiam,* QVA CHARITAS DEI DIFFVNDITVR IN CORDIEVS NOSTRIS: *& sic confiteatur ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiam, fieri posse non dubitet.*

Eandem gratiam qua diffunditur charitas tanquam adjutorium quo Deus velle & operari operatur in nobis sexcentis alijs inculcat locis; ut in libro 1. ad Bonifacium: *Lex iu-*
Lib. 1. ad Bonif. c. 8. *bere novit, cui succumbit infirmitas,* GRATIA IVVARE *qua infunditur* CHARITAS. Et in libro secundo versus finem, disputationem de adjuLib. 2. c. 9. torio gratiæ sic concludit: *Ergo benedictio dulcedinis est* GRATIA DEI, QVA FIT IN NOBIS VT NOS DELECTET ET CVPIAMVS, *hoc est,* AMEMVS QVOD PRÆCIPIT NOBIS; *in qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* Et in libro quarto omnes omnium contradictiones absolutissima
Lib. 4. ad Bonif. c. 5. veritatis istius definitione suffocat: *Legem diversis locutionum modis, & varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non* INSPIRATIONEM DILECTIONIS VT COGNITA SANCTO AMORE FACIAMVS, QVÆ PROPRIE GRATIA EST. Ecce disertis verbis definitum, inspirationem charitatis, ut cognita sancto amore faciamus, esse propriè gratiam.

Quæ quidem doctrina sancti Augustini scriptis, imo in Catholicæ Ecclesiæ sensu tam celebris atque certa est, ut eam Concilium Carthaginense Canone expresso sanxerit, & sub anathemate contra Pelagianos definierit: *Quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum* Conc. Carth. 2. can. 3. *propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsum nobis aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere* DILIGAMVS *atque valeamus, Anathema sit.* Ecce gratia Christi necessaria definitur, ut facere diligamus id quod faciendum cognovimus. Nam istis verbis Concilium exprimit doctrinam sancti Augustini qua toties docet, gratiam *esse inspirationem dilectionis, ut cognito sancto amore faciamus.* Nam quid est cognita sancto amore facere, nisi diligere facere quod faciendum cognovimus? Vnde sicut Augustinus ubique docet, istam inspirationem dilectionis esse charitatem, quæ diffunditur per Spiritum sanctum qui datus est nobis; ita in eodem loco, ipsissimo etiam sancti Præsulis utitur argumento, & pœnè verbis ejus, ut probet esse gratiam, ut facere diligamus quod cognovimus esse faciendum. *Cum enim,* inquit Concilium, *dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium est, ut credamus, ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi; & ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus &* DILIGERE *ut faciamus, ut ædificante* CHARITATE *scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam: ita etiam scriptum est:* CHARITAS EX DEO EST. Quo sanè argumento sanctus Augustinus non semel usus est, ut libro de gratia & libero Lib. 1. ad Bonif. c. 1. arbitrio, & libro quarto ad Bonifacium, & libro de gratia Christi videre licet: & ex eo 19. Lib. 4. ad Bonif. c. 5. nihil manifestius esse potest, quam Concilium idcirco gratiam ad facienda Dei mandata po- Lib. de gratia Christi, c. 6. stulare, quia opus est gratia ad conferendam nobis charitatem, sine qua non possumus DILIGERE ut faciamus, quod nos facere debere jam scimus.

CAPVT SECVNDVM.

Quo modo sit intelligendum, quod sola gratia qua diffunditur charitas in cordibus nostris, sit gratia qua Deus operatur in nobis velle & operari, & præceptorum omnium impletionem. Et quæ doctrinæ istius radix sit.

QVOD si ex me quæras, quo pacto sola *inspiratio charitatis* seu sola illa gratia qua, ut ipse loquitur, *infunditur charitas*, sit illa gratia quæ ad velle & operari, ad declinandum à malo & faciendum bonum, ad justè rectèque vivendum, & consequenter ad omnia bona opera facienda & mala vitanda, totamque legem implendam, contra Pelagium necessaria est, non est difficilè ex præcedentibus explicare. Nam apud Augustinum nullum est bonum, quamdiu fit formidine pœnæ, non amore justitiæ. Ipsa quippe justitia quæ in præcepto bene vivendi, sive affirmativo, sive negativo elucet, sincere diligenda est, ut esse possit opus bonum. Qua de re plura dicta sunt cum de operibus bonis infidelium, & maximè cum de pura natura tractaremus. Est enim ista doctrina tam certa & fixa & immobilis in Augustino, ut nihil in ipso contra Pelagianos inculcatius & cele-
Vide lib. 3. de statu nat. lapsæ c. 16. & lib. 1. de statu nat. puræ. 4. 5. & seq.

& celebratius inveniri possit. Hæc autem justitia quam in operibus quibuscumque bonis diligendam esse docet, non est aliquis habitus, vel actus animæ, sed est illa æterna & incommutabilis iustitia quæ supra mentes hominum fulget, quandocumq; vident aliquod præceptum esse justum, & aliquod opus quod præcepto consonat aut dissonat esse bonum aut malum. Quod etiam prolixè plurimis Augustini testimoniis luculentissimis asseruimus, ut proinde qui illam dilexerit, nihil aliud diligat nisi verum Deum. Quod ipse de præceptorum impletione disputans ex proclivo etiam populum docet: *Interrogo*, inquit, *utrum ames iustitiam. Respondebis amo &c. Dominus autem iustitia est.* Multum enim aberrant à vero concipiendi Dei modo qui eum concipiunt vel instar corporis, vel lucis, vel alterius rei cujuscumque quod ipse non est, sed ut ipsa justitia, ut ipsa veritas sempiterna, ipsa sapientia, ipsa æquitas & rectitudo concipiendus & amandus est, ex qua omnis rectitudo & æquitas & sapientia & veritas & justitia, quæ in rectis regulis seu præceptis agendæ vitæ fulget, expressa est. Vnde consequenter Augustinus: *Non enim tibi fingere debes Deum quasi idolum. Invisibilibus enim similis est Deus.* Et rudibus catechizandis prima rudimenta Christianæ Religionis instillans, Deum commendat amandum esse gratis: *Sed amandus est*, ait, *non sicut aliquid quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia & veritas, & iustitia & charitas, & si quid aliud tale dicitur, non quemadmodum sunt ipsa in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.*

Secundum hæc igitur principia, quicquid Augustinus toties dixit, de inspiratione dilectionis & charitatis quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, non de alia intelligit charitate, quam de charitate justitiæ, quæ in omnibus præceptis tanquam ex illa ipsa in æternum supra mentes nostras fulgente profluentibus micat, intelligi debet. Nam idcirco id quod sæpius inculcat ex Dei dilectione implenda esse præcepta, hoc sæpius itidem aliis verbis tradit, ex charitate justitiæ faciendum, quam nobis Spiritus sanctus inspirat: *Gratia*, inquit, *diffusa charitate in cordibus nostris donat iustitia delectationem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur.* Quod paulo ante dixerat: *Per quem* (Spiritum sanctum) *diffusa charitate in cordibus nostris, lex non timore pœnæ, sed iustitiæ amore completur.* Et alibi tradit eos qui à concupiscente contra spiritum carne vincuntur, non se tenere *connectos in charitate iustitiæ.* Et quod in eandem Epistolam scribens docet, *sola spiritali charitate legem impleri*, eo quod *plenitudo legis sit charitas*, plenissimè explicat de qua charitate intelligi debeat. Nam in eodem ipso loco ubi tradit, charitate impleri legem & prudentiam carnis charitari spiritali adversari, statim istum conflictum prudentiæ carnis, hoc est, concupiscentiæ & spiritalis charitatis exponit in hunc modum: *Ante gratiam prohibetur quidem & conatur homo a peccato abstinere, sed vincitur: quia nondum* IVSTITIAM PROPTER DEVM ET PROPTER IPSAM IVSTITIAM *diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte* IPSAM, *ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis & relinquit* IVSTITIAM. *Quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. Tertia est vita sub gratia quando nihil temporalis commodi iustitiæ præponitur, quod* NISI CHARITATE SPIRITALI *quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit, fieri non potest.* Et eundem conflictum inter concupiscentiæ & justitiæ delectationem, paulo ante in materia castitatis adducit, eo quod justitia hic generaliter intelligatur, prout Deus est universaliter justitia, ex qua omnis quorumlibet præceptorum æquitas expressa est: *Verbi gratia*, inquit, *occurrit forma speciosa fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat* PVLCHRITVDO ILLA INTIMA, ET SINCERA SPECIES *castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus & secundum hanc operamur: ut non regnante in nobis peccato* (id est concupiscentia quam Apostolus peccatum vocat) *ad obediendum desiderys eius, sed* REGNANTE IVSTITIA, *per charitatem cum magna delectatione faciamus, quicquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate & fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volo.* In quibus verbis *illa pulchritudo intima & sincera species castitatis*, non est aliud nisi quod toties justitiam, imo & in eodem loco vocat. Nam Deus ut Augustino est justitia, *sic & sapientia, sic veritas, sic castitas*, nempe non habitus creati animi, sed castitas illa prima & sempiterna, quam utcumque velut æternam legem conspicit, quisquis non adulterandum esse, velut æternam & immobilem regulam conspicit. Et quemadmodum hic commendat diligendamque præcipit, intimam illam pulchritudinem & sinceram speciem castitatis; ita in alio loco pulchritudinem ac lumen justitiæ: *Carnem vestram*, inquit, *delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, sancta, canora, dulcis iustitia, ut non ad eam timore cogamini. Si enim ad eam timore cogimini, nondum delectat. Peccare non debes non timore pœnæ sed amore iustitiæ.* Et tamen de præcepto & justitia refrenandarum delectationum carnalium agebatur, atque in eodem loco *Dominum iustitiam esse* diserte verbis definierat, totoque sermone vehementissimè inculcat, justitiam illam supra omnium sensuum voluptates doloresque diligendam, illam esse *Dominum* ac *Deum*, qui *non instar idoli*, sed ut *iustitia* cogitandus sit, illam esse *lumen*, eoquod scriptum sit: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: illam gustandam commendare quando dicitur: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*: illam se *ostendere oculis cordis*, illam *inspirare fervorem amatoribus suis.* Quæ perspicuè ostendunt de qua justitia sermo sit, quando toties tradit, cum DILECTIONE IVSTITIÆ præcepta esse facienda, & ad illam dilectionem opus esse gratia charitatis, & hoc esse facere præcepta quem-

A B C D

Serm. 17. de verb. Apost. c. 3. *Tibi ibid. c. 8.* *Tibi cap. 12.* *In Epist. ad Galat. cap. 5.* *Ibid.* *In Epist. ad Galat.* *Lib. de fide spe, c. 23* *Serm. 17. de verb. Apost. c. 3.* *Lib. 17 de verb. Apost. c. 5.* *Serm. 4. de diversis c. 6.*

quemadmodum facienda sunt: sicut hæc omnia breviter definivit adversus Pelagianos disputans: *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum* DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ, *suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Et in Psalmo nonagesimum tertium vocat suam *istam simplicem veracemque doctrinam, qua insinuatur hominibus bonis, ut* IPSAM IVSTITIAM *diligant, & ex ea placere Deo velint; & ab illa intelligant luce quadam intelligibili perfundi animam suam ut faciant iusta opera, &* ILLAM LVCEM SAPIENTIÆ *omnibus quæ in seculo diliguntur, præponant.* De qua justitiæ dilectione, quòd per veram gratiam illius decantatæ ac divinæ charitatis inspirari debeat & quòd omnia præcepta ex illius delectatione facienda fiant, & quod illa sit verus Deus benedictus in secula, fusissimè disseruimus ex Augustino, & pœnè innumeris testimonijs asseruimus, cum statum puræ naturæ ponderaremus. Quæ consulat quisquis plenius ista intelligere desideraverit.

Iam igitur satis illè quoque cuilibet attentiori patet, necesse prorsus esse, ut quanto magis diligimus Deum, tanto suavius, promptius, ardentius, ad præcepta facienda rapiamur, secundum id quod Augustinus dicit: *Tanto autem magis delectat opus bonum quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum & auctor qualiscumque bonorum omnium.* Nempe quia Deus justitia est, quæ in præcepto quolibet justitiæ diligitur tanquam exemplar summum & norma cuiuscumque actionis justæ, cujus ipsa quædam effigies est. Vnde necesse est, ut quo ardentius ista diligitur, tanto libentius opus quod illa præscribit & jubet, & quod ejus lumine perfunditur, operemur. Propter quam causam lex ipsa seu præceptum ipsum tali dilectione dicitur *in corde scribi*: juxta illud Augustini quo dicit, quod cum adest vivificans spiritus, *hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum, lex faciebat timeri.* Nempe justitiam legis. Nam idcirco proprium hoc est gratiæ Testamenti novi, prout ibidem tradit, *animo affectu iustitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur*: quod alijs verbis in eodem loco exprimit: *intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam diligere.* Quibus periphrasibus explicat prophetica Ieremiæ verba, quibus legem ex novi Testamenti gratia in visceribus dandam per veram spiritalem charitatem prophetabat. Lex enim, ut alibi latius dictum est, in visceribus eatenus & non aliter per charitatem datur, nisi quia charitate diligitur justitia legis æternæ, quæ non est alia, nisi sapientia & veritas æterna, Deus noster. Et ex tali charitatis inscriptione contingit necessario id quod idem Augustinus ait: *Per donum caritatis delectat legis esse factorem.* Nam quo maior est *charitas iustitiæ*, eo magis ipsa delectat animum. *Quod autem amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, prout de hac ipsa justitiæ dilectione & præcepti implectione Sanctus Doctor tradit. *Nam voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum,* MOVERI NVLLO PACTO POTEST.

Iam vero per seipsum liquet, quomodo per illam gratiam dilectionis qua diffunditur charitas, seu qua Deum diligimus, Deus in nobis operetur velle atque perficere, seu velle & operari. Operatur enim per eam velle, quando infusa suavitate facit ut nobis justitia placere incipiat, ita ut eam velle incipiamus. Nam hæc ipsa prima cupiditas seu voluntas boni, non est aliud nisi prima justitiæ & inchoata dilectio quantumcumque tenuis; & hæc nihil aliud, nisi inchoata charitas Dei. Qua de re cum Pelagiani, primam boni imperfecti cupiditatem non à Deo inspirari, sed à nobis esse contenderent; sic Augustinus loquitur: *Quid est boni cupiditas nisi charitas? De qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est. Nec initium eius ex nobis, & perfectio ex Deo: sed si charitas ex Deo tota nobis ex Deo est.* Et ut sciremus nihil aliud esse, istam boni imperfecti cupiditatem, seu istud initium charitatis, nisi qua incipimus diligere justitiam, seu id amare quod præcipit nobis, adjicit consequenter: *Tunc bonum concupisci incipit; quando dulcescere experti: quando autem timore pœnæ, non* AMORE IVSTITIÆ *fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere, si posset impune. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei*, qua fit in nobis *ut nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis*, ipsa videlicet præcepti justitia delectati. Et alibi dicit, *Si iustitiam diligimus, bona est voluntas, & si magis diligimus magis bona, si prorsus minus minus bona.* Eam vero quæ nullo modo iustitiam diligit, esse *pessimam voluntatem.* Cum ergo concluserimus, bonam istam voluntatem, quæ ut sæpè ex Augustino demonstravimus, non est alia *nisi charitas*, nos *habere ex Deo*, quando ad eum gratia adjuvante convertimur, statim addit: sic istas Scripturas suam habere veritatem quibus dicitur: *Paratur voluntas a Domino. A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Deus est qui operatur in vobis & velle & operari.* Nam velle operatur, dum volumus bonum, quantumvis languide justitia nobis placeat: operari vero operatur dum fortiter seu efficaciter volumus. Per eandem quippe *gratiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et in eodem loco consequenter tradit, istam bonam voluntatem non minus *parvam & invalidam*, quam *magnam & robustam*, qua justitiam diligendo Dei mandata implere volumus, non aliud esse quam *charitatem* quam ideo plurimis commendat oraculorum divinorum testimonijs.

Quod si quis radicem primam istorum doctrinæ capitum scire velit, cur videlicet sola gratia qua nobis inspiratur dilectio Dei, seu qua diffunditur charitas in cordibus nostris, sit illa gratia volendi & operandi, quæ Scripturis testibus contra Pelagianos ab Augustino & Con-

Lib de Cor. & grat. c. 2. *In Psal. 93.* *Videc. 4. usque ad 11. illius lib. 1.* *Lib 2 de pec. merit. c. 17.* *Vide lib. 1 de statu puræ nat. c. 5.* *Lib. de Spir & lit. c. 13.* *Ibid. c. 26.* *Ibid c. 21.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 5.* *In Epist. ad Galat.* *Lib. 1. q. 2. ad Simplic.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 3.* *Lib. 2. de spir. & lit. c. 15.* *Ibid. c. 17.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Concilijs asserta fuit, recordetur ille principiorum illorum quæ de originalibus pœnis & liberi arbitrij tractantes, tanquam immobilia ex Augustino collocavimus. Cum enim creatura rationalis ad aliquid necessario sua voluntate tanquam ponderè inclinetur, alterutrum necesse est sit id in quo motus voluntarius requiescat, aut Creator aut creatura, aut mundus aut Deus. Nam sub mundo quicquid creatum & à Deo distinctum est, comprehenditur. Principium per se illud manifestum est, certæque veritatis. Nec minus indubitatæ certitudinis juxta Augustinum est illud alterum, quod si in creatura diligenda requiescat, vitiosus, reprehensibilis, adeoque culpabilis amor sit, fons, fomes ac radix omnium peccatorum. Est enim illa vitiosa cupiditas quæ in omnibus peccatis dominatur, cui contraria est A sola charitas Dei. nullum quippe medium inter ista duo datur aut dari potest. Quæ quidem omnia cum fusè ex Augustini principijs diversis in locis declaraverimus, superfluum esset, & lectori ingratum, hoc repetere. Cùm igitur ad creaturæ dilectionem & fruitionem nulla sit opus gratia Dei, sed ad utramque vires voluntatis abundè sufficiant, per se perspicuum evadit, ad solam dilectionem Creatoris, qui veritas & justitia est, gratiam esse necessariam. Si enim efficaciter ejus præcipientis justitia diligatur, quicquid ipse mandaverit, aut vetuerit, libentissimè, & suavissimè, & facillimè voluntas operabitur; eaque una justitiæ dilectione implebit universam legem Dei, secundum illud Apostoli, quod sexcenties ab Augustino ad hoc ipsum probandum repetitum fuit: *Plenitudo legis dilectio.*

Vide lib. 2. de statu naturæ lapsæ a c. 12. usque ad 21. item c. 18. & maximè 19. lib. 3.

Rom. 13.

CAPVT TERTIVM.

Virtus non est aliud nisi amor Dei. Ostenditur ex diversis principijs.

EX his principijs jam alia non parvi momenti doctrina incipit diluescere, quam Augustinus constantissimè tradidit. Docet enim virtutem creaturæ rationalis non esse prorsus aliam, quam amorem Dei. Quæ quidem doctrina philosophiæ moralis Aristotelicæ sectatoribus valde exotica videbitur, sed si bene suis ponderibus, hoc est, Christianis trutinetur, castissima, dignissima, verissima, & ex intimis penetralibus Christianæ Religionis prompta. Cujus antequam rationem à priori demus, ex ipsius monumentis demonstrandum est, hoc ipsum non à me aliqua industria ratiocinationis colligi, atque autoritati tanti Doctoris imponi, sed ab ipso fixe creditum & ex professo tractum esse. Quid enim absolutius & manifestius asseri potest, quam id quod Augustinus postquam & ratione & Scripturarum auctoritate docuisset, summum hominis bonum quo referenda sunt omnia, & cui inherere beatissimum sit, B esse solum Deum, nec ei inhærere nos posse, *1. Ioan. 4. 16.* nisi dilectione, amore, charitate, tandem subjungendo dicit: QUOD SI VIRTUS AD BEATAM VITAM NOS DUCIT, NIHIL OMNINO ESSE VIRTUTEM ARBITRAVERIM, NISI SUMMUM AMOREM DEI. Quod ipsum quoque nonnihil superius valida ratiocinatione *Lib. 4. 6.* collegerat: *Si non placet vocare virtutem nisi habitum ipsum & quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud sequatur animam, ut ei virtus possit inesse: quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos sit, aut homo sapiens est aut Deus.* Et cum docuisset non esse hoc hominem sapientem, quia invitis nobis auferri potest; *Deus igitur*, inquit concludendo, *restat quem si sequimur, bene: si assequimur non tantum bene sed etiam beate vivimus.* Deum vero non aliter sequimur nisi diligendo, prout in sequentibus tradit. Quid verò plenius dici potest, quam id quod de ista eadem Dei dilectione tanquam virtute dicit: *Et ut generaliter brevierque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet,* VIRTVS EST CHARITAS, *qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in alijs major, in alijs minor, in alijs nulla est.* Ecce absolutissimè definitum, virtutem esse charitatem, qua id quod diligendum est diligitur, hoc est, Deus. Est enim fixissimum apud Augustinum, non mundum, hoc est, non creaturas, sed Deum esse diligendum, juxta illud Apostoli: *1. Ioan.* *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Itaque in eodem loco sanctus Doctor eatenus alijs virtutibus præditum esse quempiam docet, quatenus charitatis magis aut minus est particeps: *Si quod puto esse verius, inquit, sacrisque literis congruentius ita sunt animæ intentiones ut corporis membra, non quod videantur loci, sed quod sentiantur affectibus, & aliud* (corporis membrum) *illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine, & tenebroso inumbratur obstaculo; profecto ita ut quisque illustratione piæ charitatis affectus est, in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic potest dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis aliam minus habere virtutem. Nam & major est in isto charitas quam in illo, rectè possumus dicere; & aliqua in isto nulla, in illo quantum pertinet ad charitatem quæ pietas est.* Quid illis verbis doctius & apertius postulari potest, quibus in libris de Civitate Dei cum Philosophis de virtute disputando pronuntiat. *Bonum* *Lib. 10. de Civit. c. 4.* *nostrum de cujus fine inter Philosophos magna contentio est, nullam est aliud quam illi* (Deo) *inhærere: cujus unius anima intellectualis incorporea si dici potest, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in tota anima,*

Epist. 29.

Epist. 29.

anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus docere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Quid denique, ut paucis multa complectar, accuratius dici potest, quam id quod Macedonium eruditum & in hoc sæculo clarum virum instituendo dicit. *Quanquam & in hac vita* VIRTVS *non est nisi diligere, quod diligendum est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus:* HOC DEVS EST, *cui si diligendo aliquid vel præponimus vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando.*

Epist. 52. ad Macedon.

Quod si nonnulla principia consulere & excutere voluerimus, quibus incumbens, doctrinam istam sanctissimam tradit, perspicuum fiet, nihil verius ac rectius ab eo adversus Aristotelis Philosophiam tradi potuisse. Nam B Primum principium cui innititur, est illud lumine naturali notum, quod jam semel & iterum in superioribus tetigit: *Virtus non est nisi diligere quod diligendum est*, seu ut in alia Epistola dixit: *Virtus est charitas*, id est, dilectio *qua id quod diligendum est diligitur.* Virtus est enim in proposito voluntatis; unde necesse ut per eam aliquid diligatur. Hoc autem, ut vel diligendum vel non diligendum sit, necesse est. Diligere quod non est diligendum, impossibile est ut virtus esse possit, hoc enim est potius vitium & omnium vitiosorum voluntatis motuum seu peccatorum scaturigo. Ergo necesse est, ut virtus sit propositum seu dilectio, qua id quod diligendum est diligitur. Iam vero, quid est creaturæ rationali diligendum, nisi unus & solus Deus? Hoc enim juxta sancti Augustini doctrinam diligimus, quod non transitoriâ quadam electione ad aliud referimus, sed in quo animus conquiescit. Qua de re alibi multa C diximus. Manifestum est igitur, nihil creatum creaturæ rationali diligendum, hoc est, per se appetendum esse, sive illud substantia creata fuerit, sive qualitas delectabilis, sive actio ipsa quam Philosophi prædicarunt. Nam in omnibus istis diligendis, virtutem aliqui non nisi errando collocarunt. Sola igitur dilectio Dei vera virtus est, quia per illam id quod diligendum est diligitur. Ex quo factum est, ut & Epicureorum virtus sive corpora pulchra sive delectationes inde perceptas diligentium, & Stoicorum & Peripateticorum, & aliorum quorumlibet ipsas virtutum actiones per se appetentium, ab Augustino velut vitia proscribantur. Qua de re quia fusè in alio loco disseruimus, non est hic verius dicendi locus.

Epist. 52.

Epist. 29.

Vide lib. 4. de statu nat. lapsæ.

Secundũ principiũ est, quia virtus non est aut esse potest aliud nisi voluntas bona, seu quod idem est, propositum voluntatis bonum. Pro- D positum enim adhuc indifferens ut sit bonum aut malum, nullo pacto virtus est, cum virtus faciat hominem bonum & actum ejus bonum, ex illa sancti Augustini regula: *Nemo dubitaverit quin virtus animam faciat optimam.* Multo vero minus propositum hominis malum virtutem quisquam dixerit. Restat igitur, ut virtus sit propositum voluntatis bonum, quod Augustinus latinè loquentium phrasi & more, *voluntatem bonam* dicere solet. Quam ita definit aliquoties in libro primo de libero arbitrio, ut hi, *voluntas qua appetimus rectè honesteque vivere, & ad summam sapientiam pervenire*; aliquando simplicius & absolutius, *voluntas qua appetimus rectè honesteque vivere*: declaratque talem voluntatem bonam non modo virtutem esse, sed etjam quatuor virtutes comprehendere capitales, unde ceteræ fluunt, eo quod *illas virtutes habere, illud ipsum sit rectè honesteque vivere.* Iam vero, nihil omnino aliud est Augustino bona voluntas, quam Dei charitas: *Quasi vero*, inquit contra Pelagium asserentem ex nobis esse bonam voluntatem, *aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Quod alibi plurimis testimonijs ejus astruximus, tanquam doctrinam in Augustini scriptis usitatam & celebrem. Cùm ergo non sit aliud bona voluntas nisi charitas, profecto virtus hominis quæ bona voluntas est, nihil est aliud nisi charitas. Quod in eodem citato loco diserris verbis exprimit: *Aliud est charitas radix bonorum aliud cupiditas radix malorum. Tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium.* Et iterum paulo inferiùs: *Charitas qua virtus est ex Deo nobis est.*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 12.

Ibid. cap. 13.

Ibidem.

Lib. de grat. Christi, c. 22.

Lib. de grat. Christi, cap. 20.

Cap. 21.

Tertium Augustini principium est, quia quisquis recte vivere constituit, quod & inchoatæ & provectæ & perfectæ virtutis officium est, necesse est ut animum regulis quibusdam incommutabilibus, in quibus videat quid cavendum & faciendum sit, adhibeat, easque diligat & sequatur. Vt verbi gratia quisquis ab adulterijs & alijs carnis corruptelis abstinere cupit, quod proprium castitatis munus est, videt regulam quandam in æterna veritate stabilem, ex cujus rectitudine velut irreprehensibilis normæ morum, culpat adulteros, laudat eos, qui carnem ab omni hujusmodi fœditate custodiunt: atqui tales regulæ & quasi lumina virtutum immutabilia & sempiterna, non sunt aliud quam lex æterna, quæ in ipsa æterna Dei veritate splendet; quam proinde diligendo, non aliud diligit nisi ipsum Deum seu veritatem & justitiam ejus incommutabilem à qua promanat, & ex cujus refulgentia lucis fulget, quicquid velut justum & rectum approbamus sive facimus. Omnis igitur virtus in Dei ipsius tanquam veritatis & justitiæ incommutabilis dilectione versatur, & ex illa rationem virtutis trahit. Cuncta ista non est difficile ex Augustino patefacere. Nam in libro de libero arbitrio, ubi de virtute tractat, quam in recte vivendi, ut vidimus, voluntate constituerat, sic ad Evodium loquitur: *Dic mihi prius, utrum quis rectè vivere dilig t, eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem æternam, habeat, ue charissimam qua videt tributam esse bona voluntati beatam vitam, malæ miseram?* Respondet Evodius, *Amat omnino, ac vehementer:*

Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.

Lib. de morib. Eccles. cap. 6.

menter: *Nam* IPSAM SEQVENS *ita vivit. Quid cum hanc amat*, inquit Augustinus, *mutabile aliquid amat ac temporale, an stabile aliquid amat, ac sempiternum?* Respondet, *æternum sane atque incommutabile*; atque ita talis legis æternæ dilectorem nominat amatorem rerum æternarum, ideoque beatum. Nempe quia notissimum est in Augustini doctrina, æternam legem non aliud esse nisi ipsam rationem ac voluntatem Dei, qua justum est omnia esse ordinatissima. Et in secundo libro de libero arbitrio prolixè & ex professo tradit, esse quasdam æternas regulas ad sapientiam pertinentes, quas omnes homines supra se in æterna veritate communiter vident, ut *studendum esse sapientiæ; iuste esse vivendum; deteriora melioribus esse subdenda; propria suis quibusque tribuenda; æternum temporali esse melius; a corruptione ad incorruptionem convertendum animum, hoc est incorruptionem diligendam esse; vitam quæ nullis adversitatibus de certa & honesta sententia dimovetur, esse meliorem, quam eam quæ facilè incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur.* Quas tanquam *regulas & quasi lumina virtutum* sæpius vocat, & vera & *incommutabilia* & omnibus communiter ad contemplandum exposita esse *certissimum* esse definit: has regulas ad sapientiam pertinere; *ad eas animum rectè viventis* ita converti; *ut quanto magis quisque ad agendam vitam eis utatur, & secundum hæc agat vitam, tanto magis vivat faciatque sapienter.* In quibus sane regulis iam dictis omnium præcipuarum virtutum officia præscribuntur. Quo expedito pergit ostendere regulas istas *in æterna veritate contineri*: veritatem istam *omnibus incommutabilia vera cernentibus tanquam miris modis secretum & publicum lumen præsto esse*: esse *mentibus nostris excellentiorem*, esse *sempiternam sapientiam*, esse *summum bonum*, esse *Deum nostrum, quæ cum hominibus loquta est, quando dixit: Veritas liberabit vos.* Ad postremum concludit in hujus veritatis amore tanquam incommutabilis boni dilectione esse beatitudinem ac virtutes omnes: *Voluntas*, inquit, *cum inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicuti est illa de qua multum locuti sumus, & nihil dignè diximus*, VERITAS, *tenet homo beatam vitam: eaque ipsa vita beata id est animi affectio inhærentis incommutabili bono proprium & primum est hominis bonum.* IN EO SVNT ETIAM VIRTVTES OMNES, *quibus male uti nemo potest.* Et statim adijcit homines fieri prudentes, fortes, temperantes, justos, COAPTANDO ANIMVM ILLIS INCOMMVTABILIBVS REGVLIS, LVMINIBVSQVE VIRTVTVM, QVÆ INCORRVPTIBILITER VIVVNT IN IPSA VERITATE SAPIENTIAQVE COMMVNI, *quibus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ab imitandum proposuit.* Ecce apertissimè & ab ipsis fundamentis expositum id quod in omnibus operibus sexcenties clamat, in implendis quibuslibet legibus, justeque vivendo ipsam *iustitiam* esse divinâ charitate diligendam. Nam ista justitia est illa ipsa æterna veritas, quam tantopere commendavit: in qua tanquam in incommutabili luce super mentes nostras fulgente, omnes regulæ vitæ justæ ac bonæ, & quasi lumina virtutum omnium continentur, quibus amore coaptandus est animus, ut agendo vivendoque in moribus exprimantur. Vt proinde cesset omnis admiratio, quæ Scholasticos nonnullos tenet, cur ista justitia non possit naturæ viribus diligi. Est enim illa ipsa justitia, non qualitas temporaria humanorum animorum, sed sempiterna vivens substantia, Deus verus ac veritas, quæ secundum Catholicam fidem ab Augustino explicatam & inculcatam, nullo pacto nisi diffusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris charitate diligi potest.

Quæ quidem si quis intellexerit, jam non laborabit in alijs loquendi modis, quibus eandem doctrinam Augustinus, alijs in locis nonnunquam exprimit. Nam quod hic dixit virtutes obtineri, & homines bonos fieri coaptando animum incommutabilibus illis regulis in veritate viventibus, hoc alibi dicit fieri, convertendo animum ad incommutabile bonum: *Rationalis creatura ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata sit, esse non possit, sed mutabilitas eius, si convertatur ad incommutabile bonum fiat beata: unde si avertatur misera est: aversio enim vitium est,* & CONVERSIO EIVS, VIRTVS EIVS *est.* Nam istud incommutabile bonum, quò convertitur conversione quæ virtus est, non est aliud nisi æterna justitia, illa æterna veritas regulas & lumina virtutum omnium continens, quas diligendo justè vivit. Nec ista conversio aliud quicquam, nisi dilectio charitatis, quam per gratiam Dei in nobis fieri profitemur, quando dicimus illi: *Converte nos Deus salutaris noster.* *Epist. 110. cap. 13.*

Alibi vero dicit homines bonos fieri, cõvertendo animũ, non ad hoc vel istud bonũ, quod participatione sit bonũ, sed ad ipsum incõmutabile bonũ, quod est ipsa veritas, simplex bonum. Nam lib. 8. de Trin. tractans quo pacto animus fiat bonus, non illâ bonitate qua est animus in quantum omni corpore melior, sed ilia ex qua dicitur bonus animus, quam videl. bonitatem ei virtus tribuit: *Ideo*, inquit, *nondũ dicitur bonus animus* (tametsi videlicet jãm sit anima) *quoniam restat ei actio voluntatis, qua sit præstantior: quam si neglexerit, iure culpatur, reciteq; dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo qui hoc agit. Et quia ille laudabilis, profectò iste qui hoc non agit, vituperabilis est.* Quibus verbis describitur actio studiosa, quâ virtutem sibi animus parit, & neglectus ejus. Iam igitur audi quo pacto, qua animi conversione, cujus rei dilectione virtus animo inseratur: *Cum vero agit hoc studio & sit bonus animus, nisi se ad aliquid convertat, quod ipse non est, non potest hoc esse qui. Quo se autem convertit, ut fiat bonus animus* NISI AD BONVM, *cum hoc* AMAT ET APPETIT & *adipiscitur? Vnde si rursus se avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quod se avertit a bono, nisi maneat in se illud bonum, unde se avertit, non est quo se iterum, si voluerit emendare, convertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum.* Vbi tradit non aliter fieri bonum animũ, hoc est, virtute præditum, nisi ad incommutabile bonũ sese amore convertat. Hoc vero bonum incommutabile *Lib. 8. de Trin. cap. 3.* *Lib. 8. de Trin. c. 3.*

non aliud esse nisi Deum, consequenter exponit, dum jubet, ut non quæcunque particularia bona quæ participatione sunt bona, sed ipsum bonum simplex, quo animus convertendus est, attendamus: *Si ergo potueris illis detractis* (quæ participatione bona sunt) *per se ipsum perspicere* Ibid. *bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuo beatificaberis*, beatificatione videlicet viæ & imperfecta quæ ex virtute nascitur, de qua sermo est: *Pudeat autem cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare* BONVM IPSVM, *unde bona sunt*. De quo bono statim addit: *Hæc est veritas & simplex bonum. Non enim est aliud aliquid quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est. Ad hoc se igitur* ANIMVS CONVERTIT *ut bonus sit, à quo habet ut animus sit. Tunc ergo voluntas naturæ congruit, ut perficiatur in bono animus, cùm* ILLVD BONVM DILIGITVR CONVERSIONE VOLVNTATIS, *unde est & illud, quod non amittitur nec aversione voluntatis*. Vides hic perspicuè descriptum ac traditum, ac ratione probatum, non aliter fieri bonum animum, hoc est, virtute præditum (nam *nemo dubitaverit, quin virtus animam faciat optimam*) quam dilectione veritatis, simplicis boni, incommutabilis boni, & ideo summi boni: hoc enim à creatura rationali magis magisq; participatur diligendo. Nimirum quia in ista simplici & æterna & summa veritate vivunt, quemadmodum supra dixit, regulæ quædam & quasi lumina virtutum omnium quibus animum per amorem coaptando rectè honesteq; vivimus, quod proprium virtutis est, & boni efficimur dum sempiternas regulas istas amando sequimur, & moribus nostris imprimimus, & exprimimus. Nam ista cõversio ad ipsum bonum, iste amor simplicis veritatis, ista dilectio regularum ejus æternarum & quasi luminum non est aliud quam dilectio justitiæ sempiternæ, quam toties charitate à sancto Spiritu diffundenda diligi, & sine cujus dilectione nihil boni fieri posse, tradit.

Lib. de vera rib Eccles. c. 6.

Itaque ut lectores operum suorum ab omni scrupulo, qui ex istis diversis explicandi modis, in idem tamen redeuntibus nascitur, Augustinus liberaret, in alio ejusdem libri loco prolixè & ex professo explicat, quo pacto justus fiat animus dilectione justitiæ, quam in omnibus scriptis suis tantopere prædicavit. Nam justum fieri & bonum fieri, prorsus idem Augustino sunt. Vt igitur id quod in libro 1. & 2. de libero arbitrio dixerat, nos virtute præditos fieri dilectione regularum veritatis & luminum virtutum omnium, & quod jam dixit nos bonos fieri dilectione ipsius bonitatis & simplicis veritatis, nihil diversum esse sciremus ab eo quod passim tradit, opera bona & actiones justitiæ, non aliter esse bona & justa nisi fiant dilectione justitiæ; primum decet animos etiam injustos videre quid sit justus animus, nec illud videre extra se, sed in se, nec illud quod vident esse imaginem vel phantasma rei corporeæ, qualis est, cum Carthaginem aut Alexandriam cogitamus, sed aliquid quod apud se invenit animus, quod & alij vident & probant. Itaq; ad rei definitionem accedens: *An illud quod videt* VERITAS EST INTERIOR *præsens animo, qui eam valet intueri, nec omnes valent? Et qui intueri valent hoc etiam quod intuentur, non omnes sunt; hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus. Quod unde esse potuerunt* NISI INHÆRENDO EIDEM IPSI FORMÆ QVAM INTVENTVR, *ut inde formentur, &* SINT IVSTI ANIMI, *non tantum cernentes aut dicentes justum esse animum, qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam* VT IPSI IVSTE VIVANT IVSTIQVE MORATI SINT *sua cuique distribuendo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligant? Et* VNDE INHÆRETVR ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus justum & non* DILIGIMVS IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An vero nisi & ISTAM DILIGEREMVS, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista?* Vnde ergo contingit quod non sumus etiam justi, si justũ animum non nisi ex ista diligimus? Respondet Augustinus: *Sed dum justi non sumus minus eam diligimus, quam ut justi esse valeamus. Homo ergo qui creditur justus*, EX EA FORMA ET VERITATE DILIGITVR, *quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit.*: IPSA VERO FORMA ET VERITAS NON EST QVOMODO ALIVNDE DILIGATVR. NEQVE ENIM INVENIMVS ALIQVID TALE PRÆTER IPSAM, VT EAM CVM INCOGNITA EST CREDENDO DILIGAMVS EX EO QVOD IAM TALE ALIQVID NOVIMVS. QVICQVID ENIM TALE ALIQVID PERSPEXERIS IPSA EST; ET NON EST QVICQVAM TALE, QVONIAM SOLA IPSA TALIS EST QVALIS IPSA EST. Vides hic luculentissimè expositum, quid sit illud quod videmus & quod diligimus, cùm diligimus justum animum, & cùm ita diligimus, ut etiam ipsi justè vivamus; nempe formam quandam interiorem ipsam videlicet veritatem sempiternam & incommutabilem, cui nihil simile reperiri potest; quia videlicet ipsa sola est verus Deus, quem quasi coruscatione perstricti in ænigmate cernimus, cùm istam formam ac veritatem cernimus. Ista eadem forma, ista veritas est, ista justitia incommutabilis, quam sexcentis locis in operando diligendam esse commendavit. Hoc enim exserte in consequentibus istius ejusdem libri statim tradit. Nam cùm normam Apostolicæ vitæ ex Epistola secunda ad Corinthios retulisset, quam sanctus Paulus Christianæ Religionis ministris figit, ita subijcit: *Quid est quod accendamur in dilectionem Pauli Apostoli cùm ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed* INTVS APVD NOS, VEL POTIVS SVPRA NOS IN IPSA VERITATE CONSPICIMVS. *Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc* QVOD VIDEMVS, DILIGIMVS. ET NISI HANC FORMAM QVAM SEMPER STABILEM ATQVE INCOM-

Lib. 8. de Trinit. c. 6.

2. ad Corinth. cap. 6. Lib. 8. de Trinit. c. 7.

INCOMMVTABILEM CERNIMVS, *præcipuè diligeremus, quia eius vitam, cùm in carne viveret,* HVIC FORMÆ COAPTATAM, ET CONGRVENTEM FVISSE, *fide retinemus. Sed nescio quomodo amplius, & in* IPSIVS FORMÆ CHARITATEM *excitamur per fidem, qua credimus vixisse sic aliquem &c. Ita & ipsorum vitam facit à nobis diligi* FORMÆ ILLIVS DILECTIO, *secundum quam vixisse creduntur; & illorum vita credita in* EANDEM FORMAM FLAGRANTIOREM EXCITAT CHARITATEM, *ut quanto flagrantius* DILIGIMVS DEVM, *tanto certius serenisque videamus: quia* IN DEO CONSPICIMVS INCOMMVTABILEM FORMAM IVSTITIÆ SECVNDVM QVAM HOMINEM VIVERE OPORTERE IVDICAMVS. Ecce jam habes expositum lucidissimè, quid sit ipsa veritas quam conspicimus ac diligimus, cùm vel ipsi rectè vivimus, vel alios diligimus, quos ita vixisse credimus, quid sit ista forma, quam stabilem & semper incommutabilem cernimus, Nempe INCOMMVTABILIS FORMA IVSTITIÆ, quam in Deo conspicimus. Et ideo impossibile est eam diligi nisi illa flagranti charitate quam Spiritus sanctus inspirat ac diffundit in cordibus nostris: nec enim est aliud ipsa veritas & forma justitiæ quæ est in Deo nisi ipse Deus. Cùm ergo bene vivere non possit animus, nec bonus, nec justus esse, nisi talem formam justitiæ, quæ Deus est, diligat, perspicuum est, virtutem & bonitatem & justitiam hominis inhærentem non esse aliud quicquam nisi dilectionem Dei.

Quartum principium Augustini est, quia virtus non est aliud quam affectio animæ bona. Sic enim ipse virtutem aliquoties in operibus suis circumloquitur, ut libro duodecimo de Genesi ad litteram: *Propter animæ affectionem bonam quæ desiderio melioris mundata multas interficit cupiditates &c. Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quædam eius merita clarent.* Hanc verò affectionem virtutem esse declarat inferius, quando dicit: *Omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt eius vitia, quæ rectè culpantur, atque damnantur in hominibus.* Iam verò affectio amoris erga creaturam non potest esse bona, sed potius est mala, & magnum animæ vitium: necesse est igitur virtutem esse affectionem animæ erga Creatorem. Nam propter malitiam affectionis animæ erga creaturas generaliter Augustinus tradit: *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit*, non quasi inferior quæcunque pulchritudo sive substantiarum, sive qualitatum, sive actionum passionumve mala sit, sed quia illis dilectione affici malum est, sicut Augustinus ibidem docet: *Quod illam sordidat, non est malum, quia etiam corpus creatura Dei est, & specie suâ, quamvis infima decoratur; sed præ animæ dignitate contemnitur; sicut auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit.* Res enim bona amari potest, amore non bono. Affectio igitur animæ erga creaturam non est bona, & ideo virtus hominis postquam in creaturarum affectiones per peccatum primi hominis præcipitati sumus, non est aliud nisi perpetua quædam istius affectionis mundatio per affectionem erga creatorem: *Hæc quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur.* Sed de istis affectionum erga creaturas quaslibet immunditijs, plura superius, cùm de affectibus animæ tractaremus diximus. Itaque sanctus Augustinus gradus & actus percurrens quibus anima pertingit ad summam sapientiam, de actu quarto dicit: *Quartus virtus dicatur*, quem in eo constituit, ut *seipse abstrahat à sordibus, totamque emaculet ac mundissimam reddat.* Et in libro sexto Musicæ postquam exposuerat inquinationem & aggravationem animæ, quam creaturarum affectionibus contraxerat, liquidissimè docet, non aliter emundari posse, nisi per dilectionem Dei: *Videamus*, inquit, *quænam illi actio divinitus imperetur, qua purgata atque exonerata revolet ad quietem &c.* Et illam actionem afferens: *Quid me putas hinc diutius debere dicere, cùm divinæ Scripturæ tot voluminibus, & tanta auctoritate & sanctitate traditis, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus Deum &c.* Cùm igitur virtus sit actectio animæ bona; affectio vero erga creaturam non sit bona, sed unicum ejus vitium, quo sordidata polluitur, à qua pollutione per dilectionem Dei mundatur, perspicuum est, virtutem non aliud esse; aut esse posse, nisi amorem Dei.

Lib. 6. de musica, c. 14.

Ibidem.

Lib. de moribus cap. 14.

Vide lib. 2. de statu nat. lapsæ.

Lib. de quantitate animæ, cap. 35.

Cap. 33.

Lib. 6. musicæ cap. 13.

Cap. 14.

lib. 12. de Gen. cap. 35

lib. 6. c. 24.

CAPVT QVARTVM.

Virtutes Cardinales Amor Dei quadruplex.

HIs ita constitutis non operosum fuerit declarare, qua ratione virtus ista quæ est amor Dei, in quatuor virtutes cardinales, sub quibus omnium aliarum moralium exercitus militat velut in membra dividatur. Nam ista divisio à diverso operandi modo ejusdem amoris sumitur, sive ab alio & alio amoris affectu, quem vel in discernendis bonis ac malis, vel in coercendis libidinibus, vel in tolerandis difficilibus, vel in suo cuique distribuendo exserit: Ex quibus operandi modis quos idem amor parit, quatuor virtutes oriuntur, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Nam amor conspectæ veritatis ac justitiæ, quatenus discernere facit bonum quod diligit à malo quod non diligit, itemque quid bono suo dilecto congruat vel non congruat, prudentia vocatur: idem

quatenus inhærendo veritati coërcet animum à terrenis voluptatibus, dicitur temperantia: quatenus fortiter adhæret veritati, ne aliquâ adversitate inde divellatur, fortitudo: quatenus hoc faciendo se-ipsum sub Deo amato collocat, & juxta creaturas rationales, & supra mundum corporeum, justitia nuncupatur. Quisquis enim aliquid fortiter diligit, hoc ipso perspicaciter id discernit ab eo quod non diligit, & ab eo neque blandiendo neque terrendo revocatur, & hoc ipso ad illud quod diligit, aliquo ordine sese habet. Juxta doctrinam igitur S. Augustini, divisio ista quadripartita non est in virtutes tanquam diversas ab amore Dei, sed ejusdem amoris in diversos afficiendi & operandi modos. Quod cùm ex ipso evidenter ostenderimus, multo luculentius elucesceret id quod capite præcedente demonstravimus, virtutem creaturæ rationalis non aliud esse quam amorem Dei.

Itaque in libro de Moribus Ecclesiæ, ubi naturam virtutis ex proposito persequitur, postquam, ut ante diximus, nihil aliud virtutem esse definivisset *nisi summum amorem Dei*, de divisione virtutis in quatuor cardinales, quæ aliud postulare & clamare videbatur, consequenter differit in hunc modum: *Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut* TEMPERANTIA *sit amor integrum se præbens ei quod amatur:* FORTITUDO *amor facile tolerans omnia propter quod amatur; Justitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: Prudentia amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quæ definire etiam sic licet, ut Temperantiam dicamus esse amorem Dei sese integrum incorruptumque servantem; fortitudinem, amorem, omnia propter Deum facile perferentem: Justitiam amorem Deo tantum servientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini subjecta sunt: prudentiam amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum ab ijs quibus impediri potest.* Et inferius sigillatim virtutum singularum exequens officia, ex ejsque vivendi modum trahens: *Prius*, inquit, *temperantiam videamus, quæ nobis amoru illius quo innectimur Deo, integritatem quandam & incorruptionem pollicetur. Munus enim eius est in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, & a fructu bonitatis eius.* Hæc autem nos avertentia docet esse omnium sensuum voluptates, gloriam popularem, cetera vilibilia quibus quodam blanditiarum lenocinio à veritate revocamur. Et fortitudinem explicans: *De fortitudine vero, non multa dicenda sunt. Amor namque ille, de quo loquimur, quem totâ sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur.* Quod in laborum dolorumque corporeorum explicat tolerantia, quos eo facilius ferimus, quo majori impetu amoris sursum rapimur: *Nisi vero amatores auri, ut addit, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus sit impetus animæ ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant perferunt.* De Justitia & Prudentia post aliqua ex Scripturis attexta subjicit: *Hanc ergo justitia vita regulam dabit, huic amatori de quo sermo est, ut Deo, quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ, summæ pacì libentissime serviat, ceteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. Quæ norma vivendi ut doctimus utriusque Testamenti auctoritate roboratur. Nec de prudentia diutius differendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum, & vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum, de quibus iam dictum est, fieri potest.* Et omnia jam dicta in unum colligens pulcherrimèque definiens, quid sit virtus, quid singulæ species ejus, quas morales vocant: *Quid amplius*, ait, *de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere, est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima tota mente Deum diligere; à quo exisit, ut incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est* TEMPERANTIÆ: *ut nullis frangatur incommodis, quod est* FORTITUDINIS: *nulli alij serviat, quod est* JUSTITIÆ: *vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim, dolusque subrepat; quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio qua sola impetrat, ut veritatis sinceritate perfruatur; hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur.*

Hinc profectò perspicuè advertit Lector intelligentior, quam fixa & rata in Augustino ista doctrina sit, quam tanta asseverantia contra Manichæos asserit. Et ex ea quoque non obscurè patet, frustra omnino præter charitatem alias virtutes morales à Scholasticis quæri, quibus charitas ad officia temperantiæ, & fortitudinis, & similium virtutum adjuvetur. Nam, ut ex Augustino vidimus, & experientia quotidiana evidenter probat, hoc ipso quo quis aliquid fortiter diligit, fieri non potest, quin & blanditias & dolores, non solum aspernetur, & ferat, sed etiam amoris ipsius magnanimitate contemnat. Hoc in amore pecuniæ, laudis, fœminarum, honorum, ceterarumque rerum visibilium est certissimum. Tanto quippe facilius propter eorum dilectionem omnia vel blandientia vel cruciantia toleramus, quanto ea diligimus vehementius. Amor igitur Dei solus est, qui animum à voluptatibus & libidinibus dilectioni Dei repugnantibus cohibet, amor qui dolores fortiter tolerat. Quid si quis in ipsis passionibus ex earum coërcitione ordo & facilitas iterum cohibendi nascitur, nullo modo ista virtus est, sed bona dumtaxat consuetudo, quæ

I. lib. de moribus Eccles. cap. 15.

I. lib. de moribus Eccles. cap. 21.

Cap. 22.

Cap. 24.

I. lib. cap. 15.

quæ ad virtutis altitudinem attingere non potest, & præsente virtute abesse potest, & destructa virtute permanere.

Ne quis vero existimet semel tantum, & in isto duntaxat lib. de Moribus Eccl. siæ, quem sub initium suæ conversionis Augustinus exaravit, doctrinam istam de moralibus virtutibus in amore Dei comprehensis, esse traditam, non est difficile demonstrare, quod eam Augustinus & ab initio conversionis, & jam provectior etiam Episcopus, plurimis locis docuit: quorum aliqua producere operæ pretium fuerit, ut ejus constantia in ista asserenda tam magni momenti veritate constet. Nam in libris de Musica quos Catechumenus inchoavit, baptizatus absolvit, diluciде docet, quod *actio illa qua se anima, opitulante* *lib. Mus. cap. 15.* *Deo ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans adversus se militantem consuetudinem suam*, hoc est, delectationum terrenarum concupiscentiam, *sit virtus temperantiæ*; & quod *ista affectio, qua nullas adversitates mortemve formidat, sit fortitudo*; *& ipsa eius ordinatio qua nulli servit nisi uni Deo, nulli coæquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit, nisi naturæ bestiali atque corporeæ, sit justitia.* Hoc autem totum effici ex illa sola conversione amoris in Deum, per quem simul avellitur ab omnibus huius mundi voluptatibus, quibus coërcendis Temperantia incumbit. statim in prudentiæ descriptione subnectit: *Illudiam quæro*, in- *lib. Mus. cap. 16.* quit, *cum prudentiam superius eam esse constiterit inter nos qua intelligit anima ubi ei constipendum sit* (hoc est, quid ei eligendum sit ut eo pertingere conetur) *quo seje attollit per temperantiam, id est*, CONVERSIONEM AMORIS IN DEVM, *quæ* CHARITAS *dicitur, & aversionem ab hoc sæculo, quam etiam fortitudo & justitia comitantur* &c. Nimirum perspicuè in isto discursu tradit ex ista sola conversione amoris in Deum, hoc ipso effici ut avertatur animus ab hujus sæculi voluptatibus, quod est munus temperantiæ, & fortiter adversa ferat quod fortitudinis, & hoc ipso reddat unicuique quod suum est, seipsum videlicet Deo & sub Deo, juxta alias animas supra naturam bestialem atq; corpoream. Vnde *Ibid.* statim adjecit: *Hoc esse arbitror quod agitur in his virtutibus*, QVÆ IPSA CONVERSIONE (amoris in Deum) ANIMAM PVRGANT. NON ENIM AMOR TEMPORALIVM RERVM EXPVGNARETVR, NISI ALIQVA SVAVITATE ÆTERNARVM. Et lib. 1. de libero arbitrio virtutem collocat in bona voluntate, qua, quemadmodum suprà declaravimus, appetimus rectè honestèque vivere, legem æternam ac veritatem, hoc est, Deum ipsum diligendo. Itaque ex ista voluntate statim docet sequi, imo in ista voluntate contineri quatuor virtutes istas, *Lib. 1. de lib. arbitr. c. 13.* de quibus hic disputamus: *Ego*, inquit, *fateor in hoc homine qui suam bonam voluntatem magni pendit & diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulo ante me assentiente descriptæ sunt esse compertas.* Descripserat vero eas, & in ista bona voluntate contineri demonstraverat, hocce modo, *quia quisquis bonam habens voluntatem hanc unam dilectionem amplexetur*, ille prudentiam habet, quia *hoc bonum appetendum & vitanda ea, quæ huic inimica sunt, videt*; & fortitudinem, quia *non amat ea quæ in nostra potestate non sunt, ideoque non dolet amissa, & omnino contemnit*: & Temperantiam, quia *iste bonæ voluntatis amator restitit omni modo atque adversatur libidinibus, tanquam inimicis bonæ voluntati*; & Iustitiam, quia *qui diligit voluntatem bonam & obstitit eis quæ huic inimica sunt, male cuiquam velle non potest & nemini facit iniuriam, quod nullo pacto potest, nisi qui sua cuique tribuerit.* Ita Augustinus in isto libro primo, qui hoc ipsum alio modo in secundo libro repetit. *Li. 2. de lib. arbitr. c. 19.* Et in Epist. quinquagesima secunda ad Macedonium, ubi de natura virtutis, fusè & ex professo disputat: *Quanquam & in hac vita virtus non est nisi diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est; nullis inde averti molestijs, fortitudo est; nullis illecebris temperantia est; nulla superbia iustitia est. Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus.* *Epist. 52. ad Maced.* Et nonnihil inferius, cùm docuisset, nos debere diligere Deum & proximum propter Deum, in quibus duobus præceptis tota lex pendeat & Prophetæ, *Hoc*, adjecit, *qui solvta disertione eligit, prudens est; qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est; qui nullâ aliâ delectatione, temperans est; qui nullâ elatione, iustus est.* Et in libro octoginta-trium quæstionum, quæstione sexagesima-prima quatuor virtutes in Euangelio significatas esse statuit, *prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Secunda refrenatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant. Tertia firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt. Quarta quæ per ceteras diffunditur, dilectio Dei & proximi.* Plura de hac constantissima assertia veritate afferri possent, sed ex istis intelligi sufficientissimè potest, hoc ipso quo Dei charitas animum hominis occupavit, quatuor istas virtutes continuo hoc ipso esse conjunctas, eo quod necesse sit, quisquis aliquid diligit, hoc ipso id quod consonat ac dissonat prudenter discernere, & ab eo quod dilexerit, nec illecebris, terroribus, nec doloribus velle recedere, in quibus officijs prudentia, temperantia, & fortitudo constituitur. Iustitia vero tam perspicuè juxta sancti Augustini mentem in charitate comprehenditur, ut in isto postremo testimonio perspicuè dicat, *Iustitiam esse dilectionem Dei & proximi, quæ per ceteras omnes diffundatur* Quod sanè & alijs nonnullis locis docet. Nam libro de Continentia, cum justitiæ tribuisset bonis operibus lucere atque fervere, statim illud charitatis esse testatur: *Dominus nos remunerabit qui continuimus nos ab his, quæ cupiditas, & ea quæ imperavit charitas fecimus.* Et in Psal. octogesimo tertio quatuor virtutes afferens; *Iustitia dicitur*, inquit, *qua sua* *Lib. de Continent. c. 3.* *In Psal. 8*

cuique tribuimus nemini quicquam debentes, sed omnes diligentes. Quibus verbis tacite reddi ratio videtur, cur justitiam cum charitate confundat, quia videlicet cum sua cuique tribuimus, quod fit præcipuè cùm bene erga Deum & proximum & nos-ipsos operamur, hoc ipsum non rectè fit, ideoque nec fit, nisi ch aritate faciamus. Nam in omnibus operibus nostris dilectionem justi iæ deberè dominari, jam satis superque sæpius declaravimus.

Quod si de singulis istis virtutibus ad voluntatem pertinentibus, id demonstrare vellemus, quod de omnibus simul tam densis testimoniis aperuimus, quicquid videlicet per eas operamur, Dei dilectione velut caruine suo niti, non esset hoc magnopere operosum. De justitia quidem sola id jam jam ostendimus. De temperantia illud apertè in libro
Lib. de Continens. c. 3. de Contınentia præclarèque pr. fi etur: *Nam* B *& ipsa continentia*, inquit Augustinus, quæ maxima ex parte temperantiæ commixta est, *cùm frenat cohibet que libidines, simul & appetit bonum, ad cujus immortalitatem tendimus, & respuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & spectatrix, hujus vero hostis & testis est, & decus ejus appetens, & dedecus fugiens.* Pulcherrimè sanè, nam ex boni appetitione mali oppositi refrenatio proficiscitur. Ex quo fit ut quo robustius diligitur continentiæ decus, eo facilius libidines
Lib. 6. Musi. c. 14. refrenentur: *Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suavitate*, hoc est, amore æternarum. Fortitudinem vero non nisi ex sola charitate inflammata robustam esse,
In Psal. 9. non semel exserte tradit. *Persecutionibus solâ charitate resistitur*, inquit in Psalmum nonum.
Lib. 12. cont. Faust. c. 14. Et in libris adversus Faustum: *Bitumen* arcæ *ferventissimum & violentissimum glaten, significans dilectionis ardorem vi magna fortitudinis ad tenendam societatem spiritalem omnia tolerantem.* Quod C quidem in Augustini sententia tam certum atque fundatum est, ut hoc ipso quo fortitudo non ex amore Dei, sed ex amore alterius cujuscunque quod hoc mundo continetur, pullulaverit, non jam fortitudo, sed immane vitium sit, quod duritia vel obstinatio nuncupatur. Audi disertissimis verbis istius veritatis assertionem: *Non intelligunt*, ait Au-
Lib. de Patientia c. 17. gustinus, *& quemque iniquorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda duriorem, quanto in eo major est cupiditas mundi; & quemque justorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est major charitas Dei.* Et paulo post in eodem loco: *Quanto ergo major est in sanctis Charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur,* A *omnia tolerantur: & quanto malor est in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo, quod concupiscitur omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera justorum, unde est in eis charitas Dei: & inde est patientia falsa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi* &c. Nam concupiscentiam mundique dilectionem cùm non ex Patre, sed ex mundo esse dixisset, adjicit: *Hæc igitur concupiscentia, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, quanto fuerit in homine vehementior & ardentior, tanto sit quisque pro eo quod concupiscit, omnium molestiarum, dolorumque patientior.* Utriusque ratio manifesta est, quia quo amor qualiscumque vehementior est, eo necesse est fortius adhæreat bono quod diligitur, & eo difficilius nexus abrumpatur; in qua adhæsionis firmitate tota ratio fortitudinis constituta est. Itaque rem istam tanquam Catholicæ fidei veritatem, propriis Augustini verbis Concilium Arausicanum sanctificavit & sanxit: *Fortitudinem Gentilium mundanæ cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quod autem de fortitudine definit, idem prorsus de prudentia, de temperantia, de justitia tenendum est. Nam quemadmodum ideo adversa ferunt, quia mundanâ cupiditate possessi sunt, ita etiam idcirco cupiditates quasdam temperant, quia mundum diligunt, & ideo opera quædam justitiæ videntur facere, quia mundum diligunt. Cui cupiditati quia prudentia ipsorum militat, non jam prudentia, sed astutia dici debet. Ut sanè in re tam perspicua me admiratio subeat non mediocris, quid multi auctores sibi velint, qui veram fortitudinem, verasque virtutes in hominibus infidelibus collocarunt; cùm evidens atque certum sit, virtutem nullam nisi ex alicujus objecti dilectione posse proficisci, omnemque dilectionem quæ non est Dei, mundi dilectionem & cupiditatem esse, Deique charitati contrariam, sicut Apostolus tradit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo.* Quid enim diligit sive fidelis sive infidelis, quando non diligit Deum, si non est mundus, vel non aliquid quod in mundo est? Hinc ergo efficitur, ut neque justitia, neque fortitudo, neque temperantia, neque prudentia virtus ullo modo esse possit, sed verum vitium sit, si non ex Dei charitate nascatur. Necesse est enim ut ex mundi cupiditate ab Apostolo & Augustino damnatâ fluat. Sed *Vide lib. 3. de statu parvulorum.* de his alibi plura diximus.

Can. Arausic. Can. 7. ex lib. 1. oper. imperfect. ad Bonif.

1. Ioan. 2.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Etiam ceteræ virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis.

QVOD de quatuor istis virtutibus moralibus ostendimus, non aliud eas esse, nisi varios charitatis affectus, hoc idem in ceteris omnibus moralibus locum habet. Omnes enim ad illas quatuor velut quosdam cardines revocantur, & in operandi modo planè similes sunt. Quam ob causam videtur mihi Augustinus alias sub illis quatuor cõplexus esse. Religionem enim quæ præcipuè inter morales eminet, sub justitia collocare solet. Itaque virtutem Religionis, non solum generali ista consideratione, quia justitia quædam est creaturæ rationalis erga Deum, juxta illud Augustini pronuntiatum: *Iustitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit.* Lib. 19. de Civit. c. 21. *Quæ igitur iustitia est hominis, qua ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit? Hoccine est sua cuique distribuere? An qui fundum aufert eius, a quo emptus est, & tradit ei qui nihil in eo iuris habet, iniustus est; & qui seipsum* B *aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis spiritibus subdit, iustus est?* Non hac ergo tantum consideratione, quia justitia est, sed etjam speciali respectu quia Religio est, semper Augustinus eam nihil aliud nisi AMOREM DEI esse definit. Alibi hoc, nisi me fallit, diversis ex Augustini locis demonstravimus; ut hic unum aut alterum ejus testimonium sit futurum satis. Itaque in libro decimo de Civitate, de amore Dei & proximi disputans, qui duplici dominico præcepto commendatur: *Hic* Lib. 10. de Civ. c. 4. inquit, *est Dei cultus, hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.* De quo paulo antè quoque præmiserat: *Ei suavissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus.* Et in Epistola de gratia novi Testamenti ad Honoratum, ad ista verba Psalmi: *Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter*, inquit *laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantundem ergo est, ac si di-* Psal. 110. vid. A *ceret: Qui timetis Dominum, amate Deum. Dixit enim homini sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia. Porro pietas* CVLTVS DEI EST, NEC COLITVR ILLE NISI AMANDO. Et libro duodecimo de Trinitate: *Quis cultus eius* (Dei) *nisi* AMOR EIVS; *quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros.* Lib. 12. de Trinit. c. 14. Et Epistola vigesima nona ad Hieronymum: *Quid autem est pietas nisi Dei cultus? Et unde ille colitur nisi charitate.* Epist. 29. Quæ sententia apud Augustinum sæpe, nec immerito celebrata est. Quisquis enim quempiam colit ac veneratur, quem non diligit, non ipsum sed id quod diligit colit. Id quippe colit quod ab alio, quem non dilectum colere videtur, nititur obtinere. Hinc præclarè sanctus Augustinus: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum sed illa quærebant; quia eo modo, timore seculi, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus* In Psal. 77. *non colitur.* HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. *Vnde quia Deus rebus omnibus maior & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.* Et quia nõ minimus religionis actus Deique cultus est oratio, de illa, quando non ex Dei sed rerum temporalium dilectione fluit, vide quid sentiat: *Nonne quotidie tales* terrena In Psal. 52. in fine. *diligentes, rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite si possumus hoc dicere ad invante ipso Deo. Deus gratus se vult coli, gratus se vult diligi hoc est, caste amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat* DEVM *ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod ad se vult venire*, hoc est, quod diligit & habere cupit. Qua de re plura dici possent. Sed ista satis patefaciunt, nullam esse veram Religionem, aut cultum Dei, sed simulationem tantum & larvam ejus, nisi Deus sincere, & castè, hoc est, gratis & propter seipsum ex vera charitate diligatur.

CAPVT SEXTVM.

Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diversis Augustini principijs & locis.

QVOD si vero ad ipsas duas primas virtutes Theologicas, fidē ac spem, animum advertamus, videtur quidem aliqua esse difficultas, quomodo & istæ possint esse amor Dei; sed in Augustini doctrina res ista quoque certa est. Nullam enim & ipse agnoscit fidem veram atque Christianam, nullam itidem spem, nisi ex Dei charitate dimanet. Quod quidem ex Augu- A stini principijs pluribus quam decem facilè probaretur, nisi paucioribus expediri posset, aut pervicaci alicujus contestatione labor iste necessarius esse videretur. Tota quippe Augustini doctrina in hoc ipsum consonat. Paucis igitur contenti erimus, quibus tamen & quod istud revera docuerit Augustinus, & radix cur docuerit, sufficienter aperiatur.

Augustinum igitur revera docuisse, quod

voluntas illa ex qua credimus Deo, & speramus in Deum, non alia sit, quam verus amor seu charitas Dei, diversis ex capitibus demonstrari potest. Et primo quidem ex ipso fundamento totius controversiæ cum Pelagianis. Totius enim disputationis cardo cum istis inimicis gratiæ fuit, unde bonæ & sanctæ voluntates nascerentur, utrum ex libero voluntatis arbitrio, an ex gratia Dei, juxta Prosporum cui dicit fuisse disputatum, *de sanctarum origine voluntatum, & fidei charitatisque principijs*, quam disputationem paulo ante fuisse dicit, *de bonarum initijs voluntatum*. Hoc autem initium bonæ voluntatis à fide incipit, & in voluntate credendi continetur, dicente perspicuis verbis Augustino ad Vitalem, cum quo controversiam de bonæ voluntatis initijs versabat: *Tu initium fidei ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, non vis donum esse Dei*. Iam vero nullam agnoscit bonam voluntatem Augustinus nisi charitatem, sicut hoc in præcedentibus aliquoties, ex perspicuis ejus multisque testimonijs demonstravimus. Nam ideo cum Pelagio disputans, qui bonam voluntatem nobis ex nobis esse contendebat, tanquam rem certissimam proferret, adversario suo dicit: *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filij eius essemus*. Quid quod in fide continetur initium non solum bonæ, sed etiam *piæ voluntatis*, prout in verbis ex Epistola ad Vitalem productis manifestum est. Pietas vero & secundum Augustinum & secundum veritatem nulla est, nisi Deus charitate diligatur. Hoc enim in præcedenti capite disertis verbis Augustini patefecimus, ergo necesse est in fide, multoque magis in spe, quæ provectior fide est, esse initium charitatis. Vnde quemadmodum Prosper totam cum Pelagianis controversiam ad bonam voluntatem revocavit, an esset ex Deo, ita sanctus Augustinus ad charitatem: *Vnde est*, ait ipse, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani, si autem ex Deo vicimus Pelagianos*. Si per hoc vincuntur Pelagiani quod charitas sit ex Deo, ergo necesse est in voluntate esse charitatem. Nam de voluntate credendi an esset ex Deo, summa erat tunc temporis, cum librum illum scriberet cum Pelagianis disputatio.

Secundo, Deus nos jubet primitus in se credere, & sperare, quemadmodum ex præceptis quæ in Scriptura continentur perspicuum est. Propter quod Apostolus se Apostolum vocatum dicit, *ad obediendam fidei in omnibus gentibus*, hoc est, ut omnes gentes præcepto fidei obediant. Sed nemo potest præceptis Dei obedire sine charitate; quemadmodum Augustinus non semel tradit. Nam Semi-Pelagianis negantibus à Deo donari fidem, & tamen simul profitentibus, quod Deus gratia sua præveniret hominis voluntatem, inferendo concludit Augustinus: *Prævenit ergo & fidem gratia: alioquin si fides eam prævenit, procul dubio prævenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam*, videlicet etjam ad obediendum præcepto fidei, & per hoc consequenter *prævenit etiam charitatem*, QVA VNA VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Ecce manifestè concluſum ex eo quod gratia prævenit voluntatem & obedientiam, sine qua fides esse non potest, etjam prævenire charitatem, quia per charitatem Deo veraciter obeditur. Ergo necesse est obedientiam quæ in fide, multoque potius quæ in spe continetur, ex charitate proficisci. Vnde libro de correptione & gratia, cum corriperentur quidam, quod Dei præcepta non facerent, respondebant, *orandum* esse Deum, *ut det quod non dedit, id est, ipsam qua præcepta eius fiant, fidelem Dei & proximi charitatem*. Vt sic *cum bona voluntate facerent quæ præciperet*. Et Augustinus fatetur obedientiam præcepti esse *munus Dei, quæ necesse est, ut insit ei cui charitas inest, quæ sine dubio ex Deo est*. Vnde istud ex Apostolo in Augustino celebratissimum: *Plenitudo legis charitas*.

Tertio, quia docet Augustinus contra Pelagianos, cupiditatem boni etjam imperfecti per quam homo ex reluctante consentit bono, & ex nolente fit volens, esse ex gratia Dei, ne gratia quoquo modo secundum merita tribueretur. Quod ex professo libro secundo ad Bonifacium tradit. Sed ista prima cupiditas boni, quæ maxime in credendi voluntate manifestatur, est initium charitatis: *Proinde cupiditas boni*, inquit Augustinus, *non homini a Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est*. QVID EST ENIM BONI CVPIDITAS NISI CHARITAS, *de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est*. Et cum charitatis istius tam initium quam perfectionem ex Deo esse docuisset, ostendens quo pacto charitas illa initialis, qua bonum cupere incipimus, etjam ad fidem & spem in Deum & ad quodcumque præceptum concurrat adimplendum: *Benedictio dulcedinis*, inquit, *est gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet*, ET CVPIAMVS, *hoc est*, AMEMVS QVOD PRÆCIPIT NOBIS. *In qua si nos non prævenit Deus non solum non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis*. Cum ergo sine illa cupiditate boni neque credere neque sperare, neque quicquid omnino boni inchoare possimus, profecto etjam sine charitate neque credere, neque sperare, neque quicquam omnino boni inchoare possumus. Itaque eandem illam Scripturam, qua semper uti solet, ut voluntatem credendi probet esse ex Deo, ibidem adhibet ut probet illam cupiditatem seu charitatem boni esse ex Deo, *misericordia* videlicet *eius prævenit me*, quia sicut ista misericordia præveniente inchoamus bonum, dum concupiscimus bonum, ita etjam inchoando & concupiscendo bonum, credimus & speramus.

Quarto initium justificationis nostræ inchoatur à fide & spe, de quo tum alibi sæpius, tum

Lib. contra Collat. c. 6. Cap. 5.

Epist. 107.

Lib. de grat. Christ. c. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 18.

Lib. de dono perseu. c. 16.

Lib. de Corr. & grat. c. 5.

Ibid. c. 9.

Rom. 13.

Ep. 2. ad Bonif. c. 8.

Ibid. c. 9.

Ibid.

Psal. 58.

tum in libro primo ad Simplicianum: *Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari.* Sed nulla omnino nec inchoata justificatio hominis absque charitate: *Charitas enim inchoata, inchoata iustitia est, charitas provecta, provecta iustitia, charitas magna, magna iustitia est.*

Quinto, certissimum in Augustino principium est, nullum præceptum ab homine impleri nisi justitia diligatur, quemadmodum hoc iam sæpius ac diversis in locis ex multis Augustini locis ostendimus. Ergo neque præceptum credendi Deo & sperandi in Deum, sine justitiæ dilectione impleri potest. Non enim minus justitia & æquitas & rectitudo sempiterna in præcepto credendi & sperandi, quam in alio quocumque proponitur. Sed justitia diligi non potest, sine vera & propriè dicta charitate, quod etiam sæpius jam ostendimus; non igitur potest præceptum fidei & spei sine eadem illa charitate servari. Vnde sunt illa generalia sancti Augustini pronuntiata de cujuscumque legis, sive fidei, sive spei, sive temperantiæ, sive justitiæ, sive fortitudinis observatione: *Lex iubere novit cui succumbit infirmitas; gratia iuvare qua infunditur charitas.* Et, *charitas sola vult bonum.* Et, *Per donum charitatis delectat legis esse factorem.* Et, *Præceptum generale est charitas.* Et, *Præcepta dilectionis id est charitatis tanta & talia sunt; ut quicquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene,* quia videlicet *non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Et similia quæ manifestè ostendunt nihil omnino neque credi, neque sperari rectè posse, nisi charitas moveat voluntatem. Idque eo magis quia fides non docet, neque credi, neque sperari posse sine gratia Dei; *insperatio* vero *dilectionis ut cogamur sancto amore faciamus, propriè gratia est*, quæ contra Pelagianos defensa fuit, & à Conciliis definita. Qua de re latius in præcedentibus.

Denique, ut alia sancti Augustini principia prætermittam, hoc ipsum aliquando claris verbis Augustinus asserit. Nam de modo disputans quo aliquis trahitur ut ad Christum veniat, hoc est, sicut ipse exponit, *ut credat*, expresse docet hoc fieri amando. Trahitur enim animus, inquit, *voluptate. Est enim quædam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cælestis.* Et paulo post hominem ad Christum trahi explicat, quia *delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quæ omnia Christus est.* Quibus verbis vetus & nouus amor veritatis & justitiæ, hoc est dilectionis exprimitur. Nam talis dilectionis effectum explicans paulo inferius: *Nuces, inquit, puero demonstrantur, & trahitur. Et quia amaverit, trahitur,* AMANDO *trahitur.* Et hoc explicans fidei qua venitur ad Christum: *Si enim quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verè est, trahit sua quæque voluptas, non trahit revelatus Christus? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem?* Christus enim, ut præmiserat, est veritas. Et amando desiderandoque veritatem trahimur, id est, credimus. Vnde addit infra, quod Deus docet nos credere DELECTANDO, *non necessitatem imponendo.* Notum est autem quod Augustino delectatio amoris est causa: Nisi enim delectet voluntas moveri nullo pacto potest.

Quod si ratio hujusce doctrinæ quæritur, ea ex sancti Augustini principijs non obscurè fluit. Non enim agnoscit sanctissimus Doctor in universis operibus suis nisi duos amores creatoris & creaturæ, ex quorum altero necesse est ut quæcumque actio voluntatis oriatur. Ille charitas est, iste cupiditas, quarum illa de cælo est Deo plantante, ista ex humo diabolo seminante: *Nemo enim volens amittit, facit,* inquit Augustinus, *quod non in cordis sui prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ sive creatoris, id est, aut naturæ mutabilis aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate aut charitate.* Notum est autem sanctum Augustinum, cupiditatem omnem, tanquam omnium vitiorum & peccatorum radicem exterè damnare, *radix enim omnium malorum cupiditas;* quod ipse de ista generali cupiditate, quæ in universis peccatis dominatur, intelligere tolleret. Hæc ergo ab omnibus operibus bonis maximèque fidei & spei actibus, quam longissimè ex Augustini mente removenda, ut simile monstri similis videretur, qui nos fide & spe Christiana ex cupiditate creaturæ credere ac sperare fateretur. Charitate igitur, hoc est dilectione creatoris opus est, quæ voluntatem ad adhibendam fidem Deo & in eo spem figendam inclinet & flectat.

CAPVT SEPTIMVM.

Dilectio ista ex qua nascitur fides, charitas imperfecta est, & quo sensu.

SED ne quis in hac doctrina fallatur, sciendum est, non semper ita sumi ab Augustino charitatem, quemadmodum hoc tempore passim & ferè semper in scholis usurpari solet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus. Quo sanè sensu certum est, ex Augustini mente, fidem & spem non supponere charitatem ex qua nascantur, sed è contrario fidem & spem charitatem imperfectæ, sicut & peccatorum remissionem præsternere. Vnde sæpissimè docet, quod fides *impetrat charitatem.* Vt in Epistola ad

Epist. 106. num: *Hanc fidem volumus habeant qua impetrent charitatem.* Augustinus igitur charitatem accipere plerumque solet pro dilectione qua verè, sincere, & gratis ex animo propter seipsum, nullius creaturæ sed ipsius solius intuitu diligitur Deus, sive ad illam pertingat perfectionem ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori & inferiori affectu hæreat. Nam talis amor quantuncumque remissus, exilis ac tenuis, est verissimus & castissimus fructus charitatis Dei sive dilectionis amicitiæ, nulla concupiscentiæ ad se reflexæ perversitate distortus. Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Christiana, sed vel dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore; quarum neutra est fides, ex qua fideles nuncupamur. Illa quippe ex quodam imperfecto saltem dilectionis affectu erga Deum nascitur, quo fit ut intellectum humiliter submittat B auctoritati Dei & captivet in obsequium Christi. De tali imperfecto charitatis seu dilectionis actu, qui non sufficiat ut justificetur homo, quia nondum super omnia diligitur Deus, loquitur Augustinus diversis in locis, ut libro octavo de Trinitate, loquens de dilectione sempiternæ veritatis, quæ est ipsa justitia Dei, & exemplar humanæ ac forma justitiæ: *Vnde*

Lib. 8. de Trinit. c. 8. *inhæretur* ILLI FORMÆ NISI AMANDO? *Cur ergo alium diligimus, quem credimus iustum & non diligimus* IPSAM FORMAM, *ubi videmus quid sit iustus animus, ut & nos iusti esse possimus? An vero nisi & ipsam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista?* SED DVM IVSTI NON SVMVS, MINVS EAM DILIGIMVS: QVAM VT IVSTI ESSE VALEAMVS? Ecce dilectionem justitiæ seu veritatis illius exemplaris, quam sexcenties in scriptis suis prædicat, sed MINOREM *quam ut iusti esse valeamus.* Nempe quia est quædam dilectio justitiæ quasi C simplex ejus complacentia, quæ non eo usque increverit, ut adversantia isti bonæ voluntati valeat superare. Itaque in libro nono ejusdem operis de Trinitate, de ejusdem justitiæ dilectione sed perfectiori differens: *Qui verbi gratia*,

Lib. 9. de Trinit. c. 9. inquit, *perfectè novit, perfectèque amat iustitiam, tam iustus est, etiamsi nulla existat secundum eam forinsecus per membra corporis operandi necessitas.* Vbi magna cum circumspectione dicit, *qui perfectè amat.* Est enim amor justitiæ imperfectus, quo non fit statim justus homo, seu instar infantis in utero concipitur, ut tandem crescente paulatim super omnia justitiæ dilectione nascatur. Quæ perfecta & imperfecta justitiæ dilectio tunc maximè proditur, quando duæ dilectiones Dei & mundi, justitiæ & injustitiæ in eodem animo, utra utram superet colluctantur. Cujus rei exemplum suppeditat nobis luculentum Augustinus: *Si ex adverso*

In Epist. ad Gal. 5. *existant duo, præceptum iustitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur id sectabimur quod amplius diligimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur sed aut timore inviti trahemur in alterutram partem* &c. Vides hic exemplum certaminis, in quo justitia & carnalis delecta- A tio seu consuetudo simul diligitur. Si justitiæ dilectio tam remissa fuerit, ut carnalem suam consuetudinem homo superare non possit, perspicuum est, justitiæ dilectionem tam imperfectam esse, ut non super omnia diligatur. Vnde in eodem Commentario dicit, quod quidam *non se tenent comunctos in* CHARITATE IVSTITIÆ, *sed à concupiscente adversum se carne vincuntur*: Quorum infinitus inter Christianos etjam bonos est numerus. Non enim cum carnalibus delectationibus se certare simulant, sed serio nonnihil imperfectis luctandi motibus pugnant. Verum dum languida tantum & infirma voluntate justitiam diligunt, voluptati dantes manus, à sæviente cupiditate superantur. Itaque de similibus jam habentibus voluntatem bonam dicit Augustinus: *Volo* Serm. 3. de verb. Apost. c. 10. *ut velis, sed non sufficit ut velis, adiuvandus es ut plenè velis & impleas quod velis.* Vbi clare duplex bona voluntas ad implenda præcepta cernitur, una perfecta & plena, altera imperfecta & semiplena, quarum neutra culpatur quod non diligat, sed altera tantum quod imperfectè diligat. Et in sermone decimo septimo, ubi de illa vera & charitativa justitiæ dilectione tantopere laudata loquitur: *Amanda est iustitia, &* Serm. 17 de verb. Apost. c. 2. *in hac iustitia amanda gradus sunt proficientium. Primus est ut amori iustitiæ non præponantur omnia quæ delectant.* Ecce justitiæ dilectionem perfectam quæ justificat; quia super omnia delectantia justitia diligitur. Sed dum tam sollicitè hortatur, toto pœnè sermone, *ut inter omnia quæ delectant, plus nos delectet ipsa iustitia.* Ibidem. Itemque ut *iustitia sic delectet ut vincat etiam licitas delectationes: & ei delectationi, qua licitè delectamur, iustitiam præponamus*: profectò evidenter Ibidem. significat subindè justitiam non minus delectare, quam cetera quæ delectant, atque inde fieri ut alijs rebus amplius nos delectantibus justitia postponatur. Hos enim delectationis gradus indicat etjam paulo inferius, quando dicit: *Interrogo utrum ames iustitiam? Respondebis, Amo. Quod non responderes nisi te* ALIQVATENVS *delectaret.* Et in sermone tertio eorum qui in appendice collocati sunt, quosdam introducit aliquantulum *condelectari legi Dei*, hoc est ex Apostoli phrasi & Augustini perpetua explicatione, diligere justitiam legis, & tamen adhuc non posse suas concupiscentias superare, sed ab eis captivos possideri: *Quid enim est quod ex* Serm. 3. in Append. *aliquantula iam gratia Dei* CONDELECTARIS LEGI DEI *secundum interiorem hominem sed vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ: non repugnantem & nihil valentem, sed captivum te ducentem in lege peccati.* Sed omnium apertissimè tenuem illam & imperfectam Dei seu justitiæ dilectionem exprimit in libro de gratia & libero arbitrio: *Qui ergo vult facere* Lib. de spir. & lit. c. 15. *Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam*, id est, charitatem, *sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt.* Quam paulo inferius vocat *parvam & imperfectam charitatem.* Et

adhuc

adhuc inferius de illo loquens qui propter infirmitatem virium voluntatis, qua vellet mandata facere, ea cupiditatibus quassatus nondum facit: *Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet* ALIQVID DILECTIONIS *ut addi sibi quæreret, unde quod iubebatur impleret.* Nimirum tantillum ut sentiens suæ voluntatis imbecillitatem, saltem Deum rogare possit, quatenus tantam tribuat legis & justitiæ suavitatem, ut eam implendo terra det fructum suum. Ad quod voluntatis incrementum respicit in sermone quarto de verbis Apostoli: *Quem delectat* LEX DEI, ET SIC DELECTAT, *ut omnes delectationes lasciviæ vincat, non sibi arroget istam delectationem. Dominus dabit suavitatem.*

Ex his perspicuum est, esse quandam imperfectam legis & justitiæ, & veritatis, hoc est, Dei dilectionem, seu ut Augustinus loquitur, parvam & imperfectam charitatem quæ non pertingat eò, ut omnia delectantia vincente justitiæ delectatione superentur, *quaq; minus* B *iustitiam diligimus, quam ut iusti esse valeamus.* Et ista est ex qua virtutes istæ Theologicæ nascuntur fides & spes, antequam perfecta illa charitate, quæ super omnia Deum diligit, superveniente formentur. Quæ quidem doctrina, ne quidem Scholasticis Doctoribus incognita, quantum ad fidem videtur. Nam quando docent necessarium esse piam voluntatis affectionem erga Deum, qua inclinante fiat ut intellectus revelanti assentiatur, nihil profecto diversum ab Augustino dicunt, si intelligunt, quid sibi pius affectus velit. Nam & ista sententia de pia voluntate intellectui fidem imperante ex Augustino sumpta est: *Cui fidei comparandæ cor tantum admoverunt* PIVM, *non & palpantem manum.* Nulla vero prorsus Augustini judicio est pietas erga Deum, nisi dilectio Dei: *Cor quod rectè petit*, inquit, *rectèque pulsat, & quærit*, PIVM ESSE DEBET, PRIMO AMARE DEVM GRATIS: HÆC EST ENIM PIETAS. Quod alibi pluribus declarayimus, & plurimis facili negotio probari potest. Nam cum pietatis sit propriè colere Deum, nullum etiam ejus verum cultum agnoscit, nisi qui impenditur diligendo. Hoc enim colitur quod diligitur. Si ergo necesse est fidem ex pia affectione proficisci, necesse est ex Dei dilectione proficisci. Nam ex cujus alioquin dilectione pia ista affectio & fides ipsa promanabit? Aliquid enim diligat necesse est, dum vult credere, si se vel quicquam aliud quod creaturarum ambitu continetur. non ista profecto pietas, sed potius impietas erit, ex creaturarum, hoc est, hujus mundi dilectione, credere velle Deo. Nimirum, ut fides ad id quod extra Deum diligit distortæ voluntatis perversitate referatur. Itaque pia ista erga Deum affectio, nihil est aliud quam amor quidam quo homini æterna veritas revelans placet; ex quo timor quidam reverentialis pul- A sulat.

Hæc igitur imperfecta dilectio Dei, plerumque in peccatoribus perfectam charitatem antecedit. Sentiunt enim quosdam sincere dilectionis motus, ex quibus fit, ut quamvis nondum implere se posse sentiant quæcumque Deus præcipit, eo quod terrenis cupiditatibus se ligatos esse videant, quæ ipsos in perfectæ charitatis omnia superantis amplexus evolare non sinant, se bene tamen affici erga Deum sentiant, bene de ipso ex animo loquantur, desiderent rectè vivere, justitiæ & rectitudinis splendore perstricti. Cujusmodi status in eis subinde menses & annos integros durat, donec Deo vincula eorum dirumpente, tandem dilectio charitatis omnes victrices hactenus cupiditates, vincente justitiæ delectatione, superet Deumque dilectum omnibus delectationibus præferat. Et quamvis actus illi præcedentes imperfecti sint, non tamen propterea definunt esse veræ & sinceræ charitatis, non B ab illo quidem perfecto habitu, qui nondum adest animo, sed à Spiritu sancto excitante susciti. Idem enim prorsus objectum habent, quod perfecta charitas, justitiam scilicet propter justitiam, seu Deum propter Deum, nullius alterius distinctæ mercedis consideratione dilectum. Quod esse sincerissimę charitatis objectum nemo peritus rerum istarum diffiteri potest. Vnde & Franciscus Suarez *Suarez lib. 2* in libro secundo de gratia tales imperfectæ *de grat. c. 15.* charitatis actus ante justificationem hominis agnoscit & probat.

Vtrum vero verius sit, quod istiusmodi dilectionis motus ab assistente spiritu, an simul etiam ab interna aliqua dispositione permanente suscitentur, parum ad propositum nostrum refert. Augustino tamen magis congruere videtur, ut ab interna simul permanente dispositione fluant. Nam huiusmodi C animi compositio imperfecta, qua placet eis justitia, qua optant castè, temperate vel justè vivere, nec tamen obtinere à se possunt, ut hoc plena arripiant voluntate, sæpè ad multum tempus durat. Sentiunt etiam subinde se in istiusmodi affectibus paulatim Deo miserante proficere, & firmiores adversus impetus concupiscentiarum suarum, crescente justitiæ delectatione fieri: quæ videntur esse indicia alicujus dispositionis internæ, quam eis infundit Deus. Si enim fides cum suo affectu reverentiali & pio quem Scholastici probant, multis mensibus & annis esse in homine habituaD liter potest, ante justificationem, hoc est, ante perfectam illam charitatem; quid miri aut novi, si talis imperfecta dilectionis qualitas quædam permanens in peccatore statuatur? Nam revera ex Augustini mente pius ille affectus non est aliud nisi quædam dilectio seu complacentia Dei, propter quam intellectus veritati ejus pronus ac libens acquiescit.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Idem de ſpe oſtenditur.

QVOD ſi intelligimus, quomodo fides ex ſincera Dei charitate ſeu dilectione naſcatur, nulla de ſpe reliqua difficultas erit. Cùm enim ſpes quælibet ſit quidam appetitivus motus, neceſſe eſt ut ex amore proficiſcatur, utpote qui ſit illa prima coaptatio animi ad bonum, quo placere incipit. Hic igitur amor cum abeſt bonum, fertur in illud per deſiderium, quod ſi fuerit arduum, etjam in adipiſcendi ſpem erigitur, ut in eo adepto per gaudium fruendo requieſcat. Amor igitur ille Dei, quo jam veritas & juſtitia diligi cœpit, in ſpem fruendi veritate vertitur, hoc ipſo quo bonum iſtud magnum & arduum, quadam adipiſcendi poſſibilitate blanditur. Itaque Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium de *fide, ſpe & charitate* diſputans, ut ſciremus, *quid credendum ſcilicet, quid ſperandum, quid amandum ſit*, ſæpius tradit ſpem ſine amore eſſe non poſſe. Nam cum de fide diſſeruiſſet & ſpe, ad tertiam iſtam virtutem charitatis veniens: *Iam*, inquit, *de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes vero ſine amore eſſe non poteſt. Denique ut ait Apoſtolus Iacobus: Et dæmones credunt & contremiſcunt, nec tamen ſperant vel amant, ſed potius quod ſperamus & amamus credendo, venturum eſſe formidant. Propter quod Apoſtolus Paulus fidem quæ per dilectionem operatur approbat atque commendat, quæ ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt,* NEC SINE AMORE SPES, *neque utrumque ſine fide.* Vbi manifeſtum eſt, Auguſtinum de vero amore ac dilectione charitatis loqui. Quod vero ad fidem non poſtulat iſtum amorem charitatis, ratio eſt quia de fide loquitur generalius, prout & dæmonibus competit. Et in fine ejuſdem Enchiridij: *Quamvis* SPERARE SINE AMORE NON POSSIT, *fieri tamen poteſt, ut id non amet, ſine quo ad id quod ſperat non poteſt pervenire*, hoc eſt, ut non amet opera bona. Et in Epiſtolam ad Galatas dicit opera eſſe facienda *ſine* CHARITATIS *æterna* SPERANTIS HINC PRÆMIA, *& ex fide exſpectantis*. Quamobrem de utraque, tam fide quam ſpe in libro de perfectione juſtitiæ: *Charitas in cælo augebitur & implebitur contemplata quod credidit, & quod ſperabat adepta.* Eadem ergo charitas eſt, quæ contemplatur & credit & ſperat.

In Enchirid. c. 3.

In Enchirid. c. 117.

In Epiſt. ad Galat.

Lib. de perfect. juſt. c. 20.

CAPVT NONVM.

Spes Chriſtiana non oritur ex amore concupiſcentiæ, ſed genuinæ charitatis.

SED hic occurrunt Scholaſtici Doctores, quorum opinione non videtur charitas parere poſſe ſpem, eo quod hoc ipſo quo frui cupimus ac ſperamus Deo, Deus non ſecundum ſeipſum ametur, ſed ut obveniat nobis, ſic autem amamus res quas concupiſcimus. Ergo amor ex quo naſcitur ſpes, non eſt amor ille charitatis, qui Deum non niſi ſecundum ſeipſum, ſive perfectè ſive imperfectè diligit; ſed potius concupiſcentiæ: ut proinde perperam dicatur ſpem ex vera Dei charitate proficiſci.

Reſpondetur, ſæpè mihi admirationi fuiſſe, quod vulgò in ſcholis dicitur, ſpem hoc ipſo quo frui rebus amatis cupimus, eſſe amoris concupiſcentiæ fœtum, quaſi amor amicitiæ ſua ſpe & fruitione careat. Hoc enim principijs etjam Philoſophiæ ex diametro repugnat. Amor enim quilibet non eſt aliud, quam prima illa coaptatio animi ad quodcumque bonum, ſeu complacentia ipſius boni; ad quod movetur per deſiderium quando abeſt, in quo quieſcit per gaudium ſeu fruitionem, quando præſto eſt. Hoc in amore tam concupiſcentiæ quam amicitiæ eſt certiſſimum. Quid eſt enim manifeſtius, quam amorem amici hoc ipſo quo eſt amici amor, parere præſentiæ ipſius deſiderium cum abfuerit, & gaudium cum adfuerit? Quaſi vero amatores auri torqueantur auri fruendi deſiderio, & amici amicorum abſentias indifferenter ferant, vel amor amicitiæ deſiderijs rei amatæ omnibus, & conſequenter puriſſimis gaudijs deſtitutus ſit. Et Vnde igitur Apoſtolus inter fructus ſancti Spiritus, hoc eſt, charitatis, ponit *gaudium & pacem*, niſi quia & ſincera charitas objecto ſuo præſente quieſcit, delectatur & gaudet? Si quieſcit profectò etjam mota fuit, & unde mota niſi ex deſiderio? Impoſſibile eſt enim ut is qui diligit vehementer aliquid, non deſideret ſibi præſto eſſe quod diligit, & gaudeat cum præſto fuerit, nec alio amore quam illo ipſo quo diligit. Nam de amore quo mens ſeipſam diligit, qui maximè eſt amicitiæ, imo plus quam amicitiæ, quia radix omnis amicitiæ, qua quempiam à ſe diſtinctum diligit, loquens Auguſtinus: *Quid eſt amare ſe*, inquit, *niſi ſibi præſto eſſe velle ad fruendum ſe?* Nullo igitur modo amor amicitiæ & concupiſcentiæ iſta ratione diſtinguuntur, quod hic objectum

Gal. 5.

Lib. 9. de Trinit. c. 4.

ſuum

suum absens præsto esse desideret, ac speret, A & frui cupiat, ille non. Nam & ille objectum suum desiderat, & sperat ardentissimè, nec aliud quicquam desiderat, nisi ut re dilecta perfruatur. Omnis quippe amor, & maximè qui est amicitiæ, includit essentialiter quod cum dilecto uniat, & ad perfectiorem unionem, spe ac desiderio impellente, moveatur. Vnde Augustinus charitatis naturam definiendo exprimens præclarissimè: *Quid est*, ait, *dilectio vel charitas quam tantopere* lib. 8. de Trinit. c. 10 *Scriptura divina laudat & prædicat, nisi amor bonus?* AMOR *autem alicuius* AMANTIS *est, & amore* ALIQVID *amatur. Ecce tria sunt,* AMANS, ET QVOD AMATVR, ET AMOR. *Quid est ergo amor nisi* QVÆDAM VITA, id est, vitalis motus, DVO ALIQVA COPVLANS VEL COPVLARE APPETENS, AMANTEM SCILICET ET QVOD AMATVR? *Et hoc etiam in externis carnalibusque amoribus ita est.* Ecce etiam charitas est B vita seu motio vitalis copulans amantem cum amato, quando videl. eo fruitur; vel copulare & unire appetens, quando videl. eo adhuc absente frui cupit. Quid est *appetens copulare*, nisi appetēs obtinere, adipisci, possidere & proinde sperans & appetens ut obveniat sibi? Vnde alibi clarius naturam amoris seu dilectionis lib. 14. de Trin. c. 6. explicans atque ejus definitionem tradens: *Dilectio nihil est aliud quam voluntas fruendum aliquid appetens, vel tenens.* Qua de causa plurimis locis Augustinus tradit, non illo degeneri concupiscentiæ appetitu, sed genuinis charitatis desiderijs, Dei præsentiam & possessionem & fruitionem ardenter expeti, & sperari, & ex casto timore, Dei præsentia nolle destitui: In Psal. 145 *Magno*, inquit, *desiderio rapiuntur, & amore eius* Psal. 104 vers. 3. *quem non videmus, desideramus. Inhærebimus amplexibus visis, si nondum visis fide detinemur.* Et in Psalmum centesimum quartum: *Charitas &* C *invenit Deum per fidem, & eum quærit habere per speciem.* Mox autem exponit illud *quærere*, ut non sit aliud quam desiderare, optare, sperare, præsentiam Dei: *Si fide*, inquit, *inventus non adhuc esset perquirendus, non diceretur; sicut enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus &c. Est sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Dicimus enim præsenti alicui: Non te quæro, id est, non te diligo. Ac per hoc qui diligitur etiam præsens quæritur, dum charitate perpetuâ ne fiat absens optatur.* Et de Davide verlib. 10. de Civ. c. 18. ba illa, (mihi adhærere Deo bonum est) pronuntiante: *Ipse sacrificium eius factus fuerat, cuius igne intelligibili correptus ardebat & in eius imaginem incorporeumque complexum sancto desiderio ferebatur.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Cre-* Tract. 83. in Ioannem. *ditus desideretur, ut desideratus habeatur. Desiderium dilectionis, præparatio est magnopere.* Et in lib. 4. de Gen. cap. 9. libris de Genesi ad litteram: *Diffunditur charitas, ut illuc feramur appetitu desiderij, quo cum* D *pervenerimus requiescamus, id est, nihil amplius requiramus.* Itaque genuinæ charitatis verus & inseparabilis effectus est, desiderare & optare possessionem atque fruitionem, non minus quam concupiscentiæ; usque adeo ut ita Libr. de doctr. Christ. c. 10. definiat charitatem: *Charitas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* Cupiditatem vero esse *motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum.* Ideoque omni dilectioni amicitiæ intrinsecum est, inhiare ac desiderare præsentiam ejus qui diligitur, ut eo perfruatur. Nam carnalis amoris esse dicit, *nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam.* Et spiritalis charitatis, timere absentiam, fruique desiderare: *Cùm times Deum* (timore casto charitatis) *ne te deserat præsentia* Tract. 9. in Epist. Ioan. *eius, amplecteris eum, ipso frui desideras*; quod mulieris castæ virtū diligentis exemplo probat. Certissima est ista veritas & sexcentis testimonijs astrui potest. Omnis igitur amor, sive amicitiæ sive cōcupiscentiæ appetit objectum suum amatum obvenire sibi, ut eo præsente possit frui; nec esset amor nisi hoc appeteret. Nam omnis amor qualiscunq; fuerit, pro sua objecti varietate in mille figuras vertitur. Amat, odit, desiderat, fugit, sperat, desperat, audet, iratscitur, gaudet seu fruitur, ac tristatur. Itaque describens istos amoris, tam charitatis quam cujuslibet alterius motus Augustinus: *Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est* (hoc est, desiderium) *id autem habens* lib. 14. de Civit. c. 7. *eoque fruens, lætitia. Fugiens quod ei adversatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde malæ sunt istæ, si malus est amor, bonæ si bonus.* Et de tristitia charitatis loquens: *Verba* In Psal. 37. *Dei tanquam sagittæ excitant amorem non dolorem. An quia & ipse amor non potest esse sine dolore? Quicquid enim amamus, & non habemus necesse est ut doleamus. Nam ille & amat & non dolet qui habet quod amat. Qui autem amat ut dixi, & nondum habet quod amat necesse est ut in dolore gemat. Inde illud in persona Ecclesiæ sponsæ Christi in Cantico Canticorum: Quoniam vulnerata charitate ego sum. Vulneratam se dixit charitate. Amabat enim quiddam & nondum tenebat. Dolebat quia nondum habebat.* Sicut ergo necesse est ut doleamus, cùm non habemus quod amamus, ita necesse est ut desideremus habere & speremus habere, & gaudeamus habere. Nam ex desiderio habendi non impleto dolor, ex impleto gaudium seu fruitio nascitur. Perabsurdum est igitur existimare, quod amor charitatis non appetat aut desideret, aut speret objectum suum, ut eo præsente gaudeat ac fruatur: vel quod amor dum incipit appetere, desiderare, sperare dilectum suum, in alterius rationis amorem mutetur, aut ita mutet naturam suam, ut ex amore amicitiæ in amorem concupiscentiæ convertatur. Hoc, inquam, perabsurdum est, sed idem amor immutabilis, permanens, eo ipso quo amor est, desiderat, sperat, gaudet, fruitur, sicut idem pondus gravitatis movetur ad centrum, quasi loco amato frui appetens, & in eo adepto quasi fruendo requieseit. Distinctio igitur istorum amorum, non ex exipectatione vel obventione objecti petitur, sed ex ratione sub qua feruntur in objectum suum. Amor enim concupiscentiæ sive desideret,

sive speret, sive fruatur, rem ita concupitam ultimo ad ipsum amantem refert, sicut hoc in amore divitiarum & voluptatum cuivis perspicuum est. Amor verò sinceræ charitatis & amicitiæ, tam carnalis, quam spiritalis, sive desideret rem dilectam, sive speret, sive fruatur præsentia ipsius, ultimò torquet omnia ad id quod diligit, ut illi bene sit, non sibi; quantumvis inde se beatitudinem quoque suam consecuturum esse cernat. Est enim duplex omnis dilectionis finis, *qui* videlicet appetitur, & finis *cui* appetitur. Inter quos ille ordo est, ut finis qui, cedat in utilitatem finis cui, & hic illius alterius quodammodo sit ultimus finis. Nam idcirco aliquid appetimus, ut tandem alicui tanquam prius & radicalius amato cedat. Vnde Augustinus de amoribus hominum vulgaribus loquens: *Amores omnes & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum: quia si mortuus fueris, nullus erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit.* Ipse igitur homo cùm aurum diligit, est finis cui ultimo diligit, quantumvis perfectè avarus fuerit, & aurum ut finem ultimum qui diligere videatur. Ex quo etiam fit, ut *finis cui* amore amicitiæ diligatur, *finis qui* amore concupiscentiæ. Id enim cui cedit res quæ diligitur, propter se diligitur; alterum verò amato propter se dilecto concupiscitur. Illa igitur est vera distinctio inter amorem cupiditatis seu concupiscentiæ, & amorem benevolentiæ seu sinceræ charitatis, quod amor concupiscentiæ quidquid appetierit, id ultimo appetat propter se, tanquam finem *cui* ultimo totum cedat: amor benevolentiæ seu charitatis, quidquid appetierit, aut speraverit, aut adeptus fuerit, id totum quasi oblitus sui in hoc ipsum velut finem cui retorquet, quem ista benevolentiæ charitate dilexerit.

Homil. 37.

Hanc igitur distinctionem vigilantissimè attendit Augustinus quando tradidit, nos ipsos nos diligere debere & proximos propter Deum, Deum vero propter ipsum Deum. Nam cum Deus ab homine diligendus dicitur, significatur esse fruendum Deo. Nam ad fruitionem amore tenditur. Cùm vero additur *propter Deum*, significatur hoc ipsum quod & Deum & nos & proximum diligimus, non ad nos ipsos esse retorquendum, sed in ipsum Deum ut finem *cui*, hoc est, in cujus honorem & gloriam nos & amor, & fruitio nostra cedere debet. Sic enim diligens & seipsum propter Deum, & proximum tanquam se ipsum, totam *dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Cum ergo Deo adepto beati sumus, fruimur quidem Deo, sed tamen ita fruimur, ut & nos & fruitionem nostram in ipsum Deum, tanquam in finem cui omnia serviant, referamus. Diligimus enim eum atque ejus adeptione gaudemus, quod nobis bonum & optimum est, non tamen ut ultimo nobis bene sit, prout in concupiscentiæ amore semper fit, sed ut ei, tanquam supremæ veritati, regulæ rectrici omnium, Deo ac Domino nostro, cujus totum est quicquid sumus, nos & omnia nostra perfectè subijciamus, atque ipsi nos isto amore & fruitione velut holocaustum immolemus. Cujus rei clarius vestigium in amore proximi cernitur, quem tanquam nos ipsos diligere jubemur. Nam & illi sicut nobis Deum & fruitionem ejus appetimus ac speramus, sed ita tamen ut proximum Deo velut fidum mancipium Domino velimus esse subjectum, non Deum quasi retorquendo ad nos, sed nos in Deum efferendo, ut illa nostra fruitione quasi perfectissima participatione Dei Deus ipse quasi indutus totâ creaturâ suâ rationali, tanquam veste ac membris suis in illa operetur, per illam resplendeat, ex illa glorificetur & laudetur, & ita plenissimè cuncta subjecta regat, ut *sit Deus omnia in omnibus.* Itaque si dicere liceret, in ista sublimi dilectione charitatis & fruitione Dei, potius nos ipsos concupiscentiæ amore diligimus, quam Deum. Non enim Deum ad nos, ut *finem cui*, sed è diverso nos ad Deum referimus, eo ipso quo Deo ut ultimo fine tam *quo* quàm *cui*, ut rectore & regulâ supremâ, ut summâ veritate frui volumus, cui jure dominatus in omnes & omnium servitus competit: & illi nos ipsos suâ fruitione perfectos, perficiendosque subijcimus, ut ille regnet in omnibus, ut Ecclesia sua tanquam sponsa sua sponsus ornetur, & ipsa ejus glorificatione celebretur. Totus igitur ab ijs amoris ordo pervertitur qui putant Christianos hoc ipso quo desiderant contemplari Deum, & re-ipsa quoque contemplando fruuntur Deo, in concupiscentiæ amorem cadere, quasi per hoc Deus ad nos, & non potius nos ad Deum charitatis sinceritate referamur. Charitas enim semper est charitas, sive desideret præsentiam dilecti sui, sive reddendam sibi ardenter & fideliter speret, sive præsente perfruatur. Concupiscentia vero respectu Dei amor vitiosus est: nam ille semper quicquid concupiscit, sive utendum, sive fruendum, hoc ultimo ad ipsum amantem refert. Ex quo fit, ut si sic etiam Deo frui cupimus aut speramus, revera nos ipsos non Deum diligamus. Illud enim propriè amatur cui ultimo totum cedit. Quæ causa est, cur tam sollicitè semper commendet Augustinus, ut Deus diligatur gratis, ipso purissimæ bonitatis ejus intuitu, nullo promanantis inde in nos commodi, aut mercedis, aut voluptatis consideratione atque retorsione. Sinceritas enim charitatis, id est, divini amoris adulteratur, hoc ipso quo extra amatum oculus figitur. Cujus hallucinationis causa ex eo nascitur, quod non advertunt, quam Deū in æterna felicitate perfruendum seu desideramus, seu concupiscimus, seu speramus, amorem istum & desiderium & spem elici propter Deum ipsum, tanquā genuinæ charitatis eos producentis affectus, quem ut

1. Cor. 15.

Lib. 3. de doctr. Christ. c. 10.

Tract. cap. 22.

gratis

gratis amamus, ita gratis desideramus, & gratis concupiscimus, & speramus, ut gratis ipso propter ipsum præsente gaudeamus, cujus absentia ex amoris languore tristabamur. Nam ipsi Deo non nobis tam, animus quam omnes affectus ejus, & amor ejus, & spes, & contemplatio, & fruitio ex ista charitate ultimò refunditur, reddendo nos-ipsos istâ perfectâ nostri reformatione non nobis, sed Deo, cui nos ab ejus recedendo veritate, & voluntate, & potestate subtraximus. Vnde Augustinus: *Magis mihi me debeo hominibus ceteris, quamvis Deo magis quam mihi.* Fini quippe ultimo qui cardo rei est, repugnat, ut ulterius quò quam referatur, nec aliò, nisi amandi perversitate referri potest.

Hinc jam perspicuè constare arbitror, non mediocriter eos falli qui spem Christianam tantopere deprimunt, ut eam subtrahant charitati, quasi ille qui diligit charitate, hoc ipso quo desiderat & sperat præsentiam dilecti sui, ab unico & vero objecto suo in se-ipsum reliliret, & quodam sinceritatis adulterio, puritatem divinæ & gratuitæ charitatis, in concupiscentiæ amorem aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem verteret. Absit ista puerilis imaginatio. Charitas desiderat aut *cupit dissolvi & esse cum Christo*; charitas gaudet & gaudebit in Domino semper, quòd sit cum Christo, Charitas dolet, quòd non sit cum Christo, charitas sperat esse cum Christo. *Et omnino*, ut Augustinus ait, *pro varietate rerum quæ appetuntur atque fuguntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur.* Est enim quilibet amor cardo affectuum omnium, quos Philosophi in voluntate statuerunt. Vsque adeo, ut ubi amor fuerit, necesse sit prout rerum varietas voluntatem offendat aut mulceat, animum in omnes voluntatis affectus, desiderij, gaudij, odij, fugæ, tristitiæ, spei, desperationis, iræ, audaciæ, prosilire. Quo fit ut si amor iste charitas fuerit, omnes isti voluntatis motus è charitate prodeant, omnes boni sint atque laudabiles, omnes puri atque gratuiti, non minus proles atque ipsa mater unde nascuntur. Itaque Augustinus de quatuor istis affectibus celeberrimis, sub quibus Philosophi veluti ducibus alios omnes complecti solent: *Cives*, ait, *sanctæ Civitatis Dei, in huius vitæ peregrinatione secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent.* Rectus enim amor Augustino in isto loco non est nisi charitas. Nam in sancto Paulo velut Archetypo gratuiti amoris, singulorum affectuum exempla demonstrans, *Non solum*, inquit, *propter semet-ipsos his moventur affectibus, verum etiam propter eos quo liberari* CVPIVNT, & DOLENT *si pereunt*, & GAVDENT *si liberantur.* Nam addit, *libentissimè spectant* Paulum boni viri *gaudere* cum gaudentibus, *flere* cum flentibus; foris habentem pugnas, intus *timores, cupientem* dissolvi & esse cum Christo; *desiderantem* videre Romanos, *æmulantem* Corinthios, & ipsa æmulatione *metuentem* ne seducantur, magnam *tristitiam* & continuum *dolorem cordis* de Israëlitis habentem. Quis vero nesciat quam fervido desiderio alios quos charitate diligebat, emendationem *speraverit* & salutem, qui etiam optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis, vel hujusmodi ecstaticos impetus, non de amore concupiscentiæ, sed charitatis profectos esse? Nam ne quis existimaret hujusmodi affectus ex alio amore quam verâ charitate promanasse, statim ibidem occurrit Augustinus ac dicit: *Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus ut ea quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur.*

Lib. Retract. 8.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Lib. 4 de Civ. c. 6.

Ibid.

CAPVT DECIMVM.

Charitati gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis.

QVEMADMODVM vero non satis naturam charitatis attenderunt qui spem non putaverunt esse motum ejus, ita non minus hallucinati sunt, qui mercedis seu retributionis intuitum ab ejus puritate removerunt. Nam sicut æternæ vitæ spem, seu beatitudinis expectationem, ita mercedis aut præmij appetitum amori concupiscentiæ proprium esse credidere. Sed in utroque non dissimiliter lapsi sunt. Non enim solus amor concupiscentiæ, sed & amor charitatis quam maxime præmium respicit, quod fortasse nec Scholastici negaturi sunt, si attendere velint, quid sit præmium ejus. Cùm enim charitatis proprium sit & unica voluptas diligere Deum, non quia hoc sibi suave, vel utile, vel gloriosum est, vel alia quacunque consideratione redundat in se, sed quia ita est ordo creaturæ sub creatore, qui sua superexcellenti bonitate & veritate dignus est ut propter semet-ipsum super omnia ardentissimè diligatur, ita quoq; unicum præmium est, veritatem & bonitatem Dei facie ad faciem contemplando ardentius amare & laudare Deum. Nec istud quia utile & beatificum est diligentis, sed quia æternæ veritati congruum, dilecto debitum, atque in seipso dignum & justum est. Amoris enim inchoati quo in hac vita tepemus, amor consummatus, quo in futura flagrabimus, unica merces est. Horum

uterque summè gratuitus est, quia est amor Dei propter Deum; eoque magis gratuitus, quo magis imperfectus amor, amore perfecto, veluti præmio, perfici & remunerari cupit. Itaque in Sermonibus de verbis Apostoli: *Opera faciat in charitate non expectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei.* Et alibi non veretur Augustinus dicere, quod *liberos*, id est, filios novi Testamenti, *opera bona facere decet sine charitatis, quæ æterna sperat hoc præmia & ex fide exspectat.* Et in Psalmum centesimum trigesimum-quartum divinissimè: *In erumnis, in laboribus, in vulneribus constituti (Sancti) laudaverunt Deum. Non eis displicuit nec torquens. Hoc est,* GRATIS AMARE, *non quasi propositâ acceptione mercedis, quia ipsa* MERCES TVA SVMMA DEVS IPSE ERIT QVEM GRATIS DILIGIS. ET SIC AMARE DEBES VT IPSVM PRO MERCEDE DESIDERARE NON DESINAS QVI SOLVS TE SATIET; *sicut Philippus desiderabat cum diceret, Ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Ecce quid sit gratis diligere, ipsum indesinenter mercedem expectare, nimirum in clara contemplatione ferventissima, purissima, sincerissima gratuiti amoris charitate diligendum. Ista merces eo purius exspectatur speraturque, quo ferventius. Quod si charitas ista etiam corporis sui reformationem & immortalitatem respicit, non alio fine respicit, nisi ut mens à dirissimis concupiscentiarum stimulis & corruptionis miseriis animam aggravantibus liberata, nulla concupiscentialis amoris cœcitate aut resistentia interpellante, à contemplationis divinæ claritate & ardore revocetur. Ita quicquid mercedis expectat charitas gratis exspectat, quia propter istud solum expectat quod solum pura & gratuita charitatis est præmium. Vnde in Psalmum septuagesimum-secundum ad illa verba: *Pars mea Deus in æcula* præclarè dicit: *Factum est cor castum, gratis tam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere.* Quid ergo? *Nullum præmium Dei?* NVLLVM PRÆTER IPSVM. PRÆMIVM DEI, IPSE DEVS EST. Hoc AMAT, HOC DILIGIT: SI ALIVD DILEXERIT NON ERIT CASTVS AMOR. RECEDIS AB IGNE IMMORTALI, FRIGESCIS, CORRVMPERIS. Error est enim non mediocris, opinari quod salus propria & vita Dei, totusq; felicitatis nostræ complexus non possit sincerâ charitate diligi. Cùm potius è contrario, non debeat à Christiano alio amore diligi, nec in universis Augustini operibus Scripturisve sacris ullum vestigium sit, quòd alio sit amore quam veræ charitatis appetenda. Quasi verò aliter Christianus justus sit se diligere, nisi diligendo Deum propter Deum. Hoc enim faciendo quam maximè seipsum diligit, nec verè diligit si aliter diligit. Nam sui-ipsius profundissimè oblivisci endo, altissimè sese diligit: *Bonum enim nostrum nullum est aliud quam illi inhærere.* Itaque *ut homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia ut beatus esset. Non enim qui se diligit vult aliud esse quam beatus. Hic autem finis est adhærere Deo.* Et in Tractatibus in Ioannem: *Nescio quo inexplicabili modo quisquis seipsum non Deum amat, non se amat: Et quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Non ergo se amat qui ne vivat se amat. Cùm verò ille diligitur, de quo vivitur non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit.* Nec enim & corpus si diligere quippiam posset unquam perfectius se diligeret, quam si sui oblitum, arctissima sibi dilectione astringeret animam quæ ipsi vitam & motum præbet.

Nam si rectè ponderare volueritis, quisquis delabitur ab illa charitatis puritate, ut amore concupiscentiæ incipiat velle & concupiscere sibi Deum, totum dilectionis ordinem, quem natura docet & lex æterna præcipit, diligendi perversitate perturbat. Nam & Deum ad se ipsum refert, & se-ipso fruitur, quorum utrumque æterna & indispensabili lege proscriptum est. Quicquid enim nobis in nobis sistendo concupiscimus, hoc ultimò refertur ad nos, quos prius diligimus, & quibus tanquam cardine diligendi fruimur. Vnde Augustinus: *Si diligis aurum, prius te diligis & sic aurum.* Dico & ego, si diligis ita Deum, tibi concupiscendo Deum, prius te diligis, & sic Deum. Frueris ergo te, quia te ipsum propter te-ipsum diligis; Deum verò non nisi propter te. Si enim vel te vel Deum propter Deum, jam egredimur hypothesis notas, quia non concupiscentiæ, sed charitatis amor fuerit. Perversa est igitur illa cupiditas Dei; quia perversum est Deum ad nos-ipsos amore referendo, nobis-ipsis frui. Vnde eleganter appositèque S. Augustinus: *Sed nec se-ipso quisquam frui debet, si liquido advertat, quia nec se-ipsum debet, propter se-ipsum diligere; sed propter illum quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo, cum tota sua vita pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit non se refert ad Deum, sed ad se-ipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertetur. Et propterea tam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret atq; constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad se-ipsum relaxatur.* Sui-ipsius igitur vera dilectione constituta, pergit Augustinus ad dilectionem proximi: *Si ergo te-ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula divinitus constituta est: Diliges proximum sicut te-ipsum: Deum verò ex toto corde &c.*

Quapropter si quis fortè non satis adhuc liquidò capit, quomodo nobis & beatitudinem nostram seu beatificum nostrum bonum non amore concupiscentiæ, sed verâ charitate appetamus, intueatur ille quid sit illud quod vera charitas proximo & procuret & optet, & speret. Videbit enim & æternam in contemplando amandoque Deo felicitatem, & corporis immor-

Serm. 16. de verb. Ap. st. cap. 7.

In Epist. ad Galat.

In Psal. 134

In Psal. 72.

Lib. 10. de Civit. c. 4.

Tract. 123. in Ioan.

Homil. 37.

Lib. 1. de Doct. Chr. c. 22.

Ibidem.

immortalitatem, sine qua illa perfecta esse non potest, charitate proximis desiderari, charitate procurari. Si enim esurienti cibus, potuique sitienti, ac nudo vestis ex charitate appetitur, fidum satagimus ut ab errore & iniquitate conversus credat Deo, credendoque diligat, & ex fide per dilectionem operante operetur, non nisi sinceræ charitatis in veris Christianis est virtus; quis dubitare finitur, quin ei vitam æternam, hoc est, summam Dei cum ejus contemplatione charitatem, eâdem puritate charitatis appetamus? Nec enim ibi spectamus, si viri boni simus, ut inde ad nos utilitas ulla redeat, sed ut ipse velut fidum mancipium subiiciatur Deo. Quod si proximo æternam salutem animæ & corporis ex vera charitate cupimus, profectò & nobis; nam & nos ipsi maximè proximi sumus nobis; nec proximum supra nos, sed sicut nos ipsos diligere jussi sumus. Vnde de utriusque salute ex charitatis dilectione appetenda S. Augustinus: *Nec miscear* Tract. 8 in Epist. Ioan. *se cupiditas sæculi, quando aliquid boni de dilectione operamur. Vide quid ibi appetas; salutem tuam, an laudem hominum ventosam.* Iit rursum: *Germana dilectio est in nobis, non ficta, sed sincera salutem fraternam quærens, nullum emolumentum expectans nisi salutem ipsius.* Et fides igitur, & spes, & charitas ex charitate nobis appetitur, ex charitate proximo, ex qua eadem charitate desideratur utriusque, & merces ejus. Sed illa merces non est alia nisi ipse Deus luminosissima & ardentissima charitate in gloriæ æternitate diligendus. Nam ut charitas charitatis meritum est, parva majoris; ita charitatis charitas merces est, magna minoris, nullo detrimento, sed magno incremento gratuitæ servitutis. Nec enim dilectio gratuita esse desinit, si ea mercede Deum diligat, ut in æternum gratuito diligat. Ita mirabili modo fit, ut sit nobis utilitatis nostræ contemptus in diligendo gratis Deo utilissimus. Quo respexit S. Augustinus quando dixit: *Nec ita sentiendum quod diximus nos illi* Lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 11. *(Deo) ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab ipso exspectemus, quam eum ipsum qui summa utilitas & salus nostra. Sic enim cum gratis secundum illam vocem diligimus: Mihi autem adhærere Deo bonum.*

Ex quibus etiam satis intelligitur, quid sit Christianis operari *propter retributionem*: quem operandi modum multi tanquam non satis perspectum perfectis abjiciendum putant. Amoris enim Dei ex quo cuncta justitiæ operatio proficisci debet, nulla est digna retributio nisi ipse Deus. Ex quo fit ut propter retributionem seu mercedem operari, non sit oculos à Deo ad se reflectere, & vel aliquid extra Deum, quod valde vitiosum est, vel etiâ ipsum Deum mercedem tanquam sibi utilem exspectare, ut amor ejus & opus amoris ultimo tandem ad nos ipsos terminetur. Absit, ut ita Christianus propter retributionem operetur; sed hoc est propter retributionem operari, ut operis boni quod propter justitiam, hoc est, Deum gratis dilectum operaris, Deus ipse magis adhuc gratuito diligendus in æternitate, sit merces. Amor enim amoris retributio erit. Quod non est imperfectè, sed perfectissimè servire Deo, & omnibus Christianis omnibus viribus commendandum. Tota quippe vita Christiana perturbatur, dum iste amor concupiscentiæ, quo quis se-ipsum non Deum amat, in charitatis locum quodammodo substituitur. Nam totus Christiani hominis cursus à prima divini amoris inspiratione usq; ad extremum vitæ spiritum, non nisi amoris, hoc est, charitatis est cursus, ex qua & vivere & mori velle debet. Hoc enim velle debet Christianus, propter quod Christus in hunc mundum venit: qui non propterea venit, ut Deum amore concupiscentiæ, hoc est, sub nomine Dei nos ipsos diligeremus, sed ut qui Deo mortui eramus, ex unica Dei charitate viveremus: *Iesus*, inquit, *non opus erat ut veniret, nisi propter charitatem. Fons est* Tract. 7 in Epist. Ioan. *quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via: & abundantius eum bibemus cum ad patriam venerimus.* Quod si non opus erat ut veniret Iesus nisi propter charitatem, profectò non venit ut eum concupiscentiæ amore concupisceremus. Talis enim amor Dei ex amore excitatis, qui omnibus naturaliter insitus est, per se-ipsum fluere potest. Quisquis enim se beatum esse cupit (quod quilibet cupit) hoc ipso necesse est cupiat, quicquid id sit, quo se beatum futurum putet; sed non illo amore limpidissimo, quo sui quodammodo oblitus extra se gratis feratur, in Deum, sed illo turbido qui in se ipso manens, Deum amando feratur in se. Ex quo amore nascitur ut etiam pœnas timeat, sed sicut ex illo timore nunquam aliquis justitiam Dei operabitur, quæ fieri non potest timore pœnæ, sed amore justitiæ, ut sexcenties Augustinus docet; ita etiam ex illo concupiscentiæ amore, nunquam justitia diligetur, sed homo manebit in se, quicquid tandem id fuerit quod propter se-ipsum diligere videbitur.

Quapropter ut tandem aliquando finiam, & ad susceptū de virtutibus moralibus ac Theologicis institutum redeam, quemadmodum Christianorum prudentia, temperantia, fortitudo, & justitia, non ex alio amore prudenter eligunt bonum, & libidines temperant, & adversa tolerant, & sua cuique distribuunt quam gratuito amore Dei, qui quo est vehementior & ferventior eo solertius prospicit, & integrius temperat, & robustius perfert, & æquius tribuit; ita quoque fides Theologica non alio amore revelanti Deo pium præbet affectum, nec spes alio Dei contemplationem exspectat & sperat, nisi illo genuino charitatis, cujus quædam quasi scintillæ perfectum illum ignem qui super omnia Deum diligit, antecedunt. Quam Augustini doctrinam Apostolus satis perspicuè, vel potius Apostoli Augustinus expressit, quæ ad Corinthios continetur. *Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperā, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ suæ sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor. 13

Quibus verbis Apostolus docet charitatem Dei & proximi, hoc ipso quo animum penetravit, statim per se immediatè in omnium istarum virtutum actus erumpere, sicut hoc ex Augustino superius declaravimus. Quod si quid adjutorij sive facilitatis adferat, passionum quarundam acquisita moderatio (quemadmodum hoc fieri experientia certa probat) A nec ab Augustino unquam negatum fuit, nec ista virtus ullo pacto vocari potest. Unde multis in locis commendare solet, ut saltem ex timore bona faciamus, quatenus isto externorum operum rudimento malæ consuetudinis, bona succedat, atque ita ex timore ad charitatem atque opera verè bona transeamus.

CAPVT XI.

Quid sit opus fieri SICVT OPORTET, juxta sancti Augustini, Concilij Arausicani, ac Tridentini phrasin.

GRATIAM Christi medicinalem esse A propriè *inspirationem charitatis*, cum reliquis videlicet affectibus ex ea naturaliter profluentibus, desiderio, gaudio, odio, fuga, tristitia, spe, audacia & ceteris; idque respectu quorumlibet actuum, ex quacumque virtute prodeant, & quo pacto istud verum sit, & intelligi debeat, multis demonstravimus. Dubitatio vero consequenter suboriri posset, quid sit opus aliquod bonum fieri SICVT OPORTET, prout Augustinus, & ex ipso Concilia Ecclesiæ quibusdam in locis locuta sunt: ut quando Tridentinum dicit: *Hominem credere sperare, diligere aut pœnitere*
Conc. Trid. sess. 6. can. 3. *non posse* SICVT OPORTET *sine prævenienti Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio.* Et
Conc. Arausic. can. 6. quando Arausicanum definit: *ut credamus, velimus, desideremus, petamus &c. vel hæc omnia* SICVT OPORTET *agere valeamus per infusionem & inspirationem Spiritus sancti fieri.* Itemque sic B attenuatum esse liberum arbitrium per peccatum primi hominis, *ut nullus postea aut diligere*
Conc. Arausic. can. ult. *Deum* SICVT OPORTVIT, *aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est possit, nisi gratia ejus & misericordia divina prævenerit.* Dum igitur tam studiosè adjiciunt istam limitationem, videtur certum quendam operandi modum designare velle ad quem opus gratia sit; & alium quo absque gratia per naturæ vires opus bonum exerceri possit.

Ista itaque limitatio magnas lites apud Scholasticos & opinionum diversitatem peperit, quid per istum operandi modum etjam Augustinus intellexerit, qui sic subinde quoque locutus est. Hoc enim si constiterit, constabit etjam quid sibi Concilium Arausicanum ac Tridentinum velint. Expresserunt enim verbotenus doctrinam ejus. Nam Canones Arausicani non aliud plerique sunt, quam sententiæ ex Augustini libris excerptæ. Quidam igitur existimant verbis istis restringi bonos actus, ad eos qui participant aliquo modo bonitatem supernaturalem. Sed quid mirum, si ad actum supernaturalem seu supernaturaliter operandum sit opus gratiâ? Hoc enim neque Pelagius negaret, aut negavit unquam, aut negari potest. Nam hoc ipso quo supernaturale dicitur, vires naturæ superat, & a supernaturali principio effici debet. Quare hujusmodi interpretatio talibus verbis concepta ridicula videtur esse, nec idonea ut aliquid certi de istis operibus & isto operandi modo hauriri possit. Itaque propius accedentes alij significari volunt, opus esse gratia ad opera bona quæ sunt *meritoria vitæ æternæ*, sive de condigno, ut quidam statuunt, sive generaliter etjam de congruo; quale est meritum impetratorium, dummodo verè sit meritorium alicujus doni supernaturalis. Nam opera moraliter bona, quæ naturæ viribus absque gratia fieri possunt, nullius auxilij aut doni supernaturalis meritoria sunt, sed tantummodo quorundam donorum naturalium. Ita & isti videntur gratiam requirere, non tam ad operis naturam, ut bonum sit, sed ad modum quendam, ut supernaturale sit. Nam hoc ipso quo statuunt opera quædam naturaliter & moraliter bona, quæ nihil gratiæ promereri possunt, indicant hoc provenire ex eo quod non sit supernaturale; quasi supernaturalitas adduceret istam rationem meriti & non bonitatis operis. Alij dicunt, per istud SICVT OPORTET, significari opera *pietatis atque religionis* seu *justitiæ*, ad quæ sæptus se restringit Augustinus: ut significetur opus esse gratia ad illa opera quibus vera & religiosa pietate colitur Deus, & quibus homo sit justus coram Deo. Nam talia opera supponunt fidem atque dilectionem Dei. Omnes auctores isti aliquid veri dicunt, sed radicem veritatis non videntur assecuti. Verum est enim, gratiam Christi necessariam esse ad opera supernaturalia, & ad meritoria etjam de congruo, & ad opera pietatis & religionis & justitiæ; sed per ista non explicatur, cur istiusmodi opera fiant, SICVT OPORTET, & non alia quæ C fuerint omni ex parte bona. Itaque hoc solum videntur spectasse auctores isti, ut eo modo limitationem istam, SICVT OPORTET, exponerent, quatenus relinqueretur locus operibus naturaliter bonis, sive moralibus, sive etjam fidei, spei, ac dilectionis Dei; quæ prioribus istis supernaturalibus tam affinia & vicina sunt ipsorum judicio, ut vix alio indicio

quam

quam quod principio operandi differant, discerni queant. Qua philosophandi methodo duplex homo in eodem homine constituitur, unus naturalis, alter supernaturalis; quorum ille credat, speret, diligat, velit, atque operetur bona naturaliter & moraliter, iste supernaturaliter. Ille proinde non indigeat gratiæ auxilio, quia talia bona opera non superant naturæ vires, iste indigeat. Et quamvis in Augustino, Fulgentio, Prospero, vel Conciliis Ecclesiæ nullum talis Philosophiæ vestigium sit, ad hoc tamen Conciliorum & Patrum verba torquere volunt, ut sub illa limitatione, SICVT OPORTET, huiusmodi operum distinctio ab ipsis inventa facilè delituerit.

Dico igitur, in sancti Augustini doctrina fieri opus aliquod bonum SICVT OPORTET, non est aliud quàm agi sicut agendum est, ut opus sit vere rectum & bonum. Hoc ipsum autem non est aliud quam opus agi, non ex timore pœnæ, non ex aliqua terrena vel reproba cupiditate seu intentione carnali, sed ex dilectione justitiæ; ita videlicet, ut in agendo ipsa justitia legis diligatur, prout illam dilectionem justitiæ ex ipsius verbis explicuimus. Nam talis justitiæ dilectio, nulla est alia, nisi qua gratis diligitur Deus, qui non instar idoli in corde collocandus & amandus est, sed tanquam ipsa justitia & æquitas & veritas & sapientia. Hunc esse verum & genuinum verborum istorum sensum, tam apertum est, ut nemo qui veritatem in auctoribus, non contentionem quærit, id, meo judicio, difficeri possit. Nam in primis in Enchiridio ad Laurentium ita evidenter hoc tradit, ut nullam dubitandi ansam cuiquam relinquat: *Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod vero ita sit vel* TIMORE PŒNÆ, VEL ALIQVA INTENTIONE CARNALI, *ut non referatur ad illam charitatem, quam effundit Spiritus sanctus in cordibus nostris nondum fit* QVEMADMODVM FIERI OPORTET, *quamvis fieri videatur.* Ecce, quidquid fit timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali ita ut non referatur ad illam charitatem, hoc est, ut non referatur ad Deum, sive non fiat ex dilectione Dei, nondum fit quemadmodum oportet fieri; perspicuè significans, tunc fieri sicut oportet, quando fit ex illa charitate Dei, quæ sancto Augustino est *charitas justitiæ*, prout istis ipsis verbis eam nonnunquam vocat. Et sanè quid amplius ad opus bonum, quod nulla extrinsecus adjacente circumstantia vitiatur, postulaveris, nisi ut fiat ex vera charitate Dei? Sic ergo fieri est fieri *quemadmodum oportet fieri.* Nam ex illo loco ista phrasis à Conciliis desumpta fuit. Itaque hunc sensum suum aliis multis loquendi modis idem omnino significantibus, Augustinus expressit. Quandoquidem hoc æquipollenti phrasi exprimit, per *rectè fieri.* Nam in eodem ipso loco, cum ea dixisset *non fieri quemadmodum oportet*, quæ fiunt ex intentione carnali, non referendo ad charitatem, sic statim è contrario explicat *quemadmodum oportet*, quæ rectè fiunt: *Quæcunque ergo mandat Deus ex quibus unum est; Non machaberis: & quæcunque non iubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere, tunc* RECTE FIVNT, CVM REFERVNTVR AD DILIGENDVM DEVM ET PROXIMVM PROPTER DEVM. Quasi diceret tunc fiunt quemadmodum oportet fieri: nam quid est aliud rectè fieri, nisi quemadmodum oportet fieri? Et hoc ipsum explicat per fieri ex charitate Dei & proximi propter Deum: quod sanè usitata sua phrasi dicere potuisset, ex dilectione justitiæ; nam ea semper eadem est Augustino quæ dilectio veri Dei: unde in libris contra Iulianum: *Hoc enim totum* (superare concupiscentiam & perferre molestiam) RECTE FIT, *quando sit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse, qualis amor nobis esse non potest nisi ex ipso.*

Nonnunquam vero, sicut oportet fieri, circumloquitur per *agere sicut agendum est.* Vt in libro de Correptione & gratia. *Ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id* AGVNT, SICVT AGENDVM EST, ID EST, CVM DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ, *suavitatem*, id est, gratiam, *quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum accepisse se gaudeant.* Quid enim est agere sicut agendum est, nisi agere *sicut oportet* agere? Et hoc ipsum diversis verbis exponit per agere cum dilectione justitiæ. Et ne quis adhuc hæreret, verbis immediatè sequentibus interpretatur clarius, per, EX CHARITATE FACERE. Sic enim illustrat doctrinam à se traditam per oppositum ejus quod jam dixerat: *Quando autem non agunt sive omnino non faciendo, sive* NON EX CHARITATE *faciendo, erunt ut quod nondum habent accipiant.*

Aliquando hoc exprimit per *ex animo. & cum bona voluntate facere.* Vt in eodem libro paulo post, cùm intelligerent illi quibus eum scribit, agere sicut agendum est bonum non aliud esse, quàm agere ex charitate ac dilectione justitiæ, respondent Augustino: *Ora ergo pro me ut hanc* (charitatem) *accipiam, & per hanc* EX ANIMO CVM BONA VOLVNTATE *quæ præcipit faciam.* Quod etiam nonnunquam vocat, EX CORDE, ID EST, EX VOLVNTATE, videlicet bona facere, quæ Augustino nulla est nisi charitas. *Non ergo ex corde, hoc est, ex voluntate obedissent, nisi præparetur voluntas à Domino.* Quisquis enim vel timore obedit, vel cupiditate carnali, nullo modo ex corde obedit, quia non ipsam legis obedientiam, sed aliud prorsus diligit.

Nonnunquam hoc explicat per, BONVM BENE FACERE, ut quando dicit in libro secundo ad Bonifacium: *Tunc bonum concupiscit incipit, quando dulcescere cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum* BENE FIT BONVM. Ratio est illa quam statim dedi, *nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando nollet homo non facere, si posset impune.* Quid est enim BENE FIERI BONVM, nisi fieri sicut oportet? Quod enim sicut

Ibidem.

Lib. 5. cont. Iul. cap 3.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Lib. de Cor. & grat. c. 2.

Ibid. c. 4.

Lib. 2. cont. Iul. oper imp. f. 453

Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

oportet fit, hoc bene fit. Et hoc ipsum experiit, per fieri non timore pœnæ, sed amore justitiæ, & hoc ipsum fieri ex charitate. Nam ibidem dicit: *Quid est enim cupiditas boni, nisi charitas?*

Subinde hoc circumloquitur per VERE BENE FIERI: ut quando dicit in Psalmum centesimum decimum-octavum: *Hæc est illa suavitas (hoc est gratia) quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut* BONVM VERE BENE, ID EST NON MALI CARNALIS FORMIDINE, SED BONI SPIRITALIS DELECTATIONE, FACIAMVS. Nam quid est VERE BENE FACERE, nisi quemadmodum oportet facere? Et hoc ipsum interpretatur facere non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione, hoc est, delectatione justitiæ. Illa quippe justitia est bonum maxime spirituale, ipsa videlicet lex æterna Dei seu ipse Deus: de qua verbis immediate præcedentibus dixerat quod Deus *legem suam in corde scribere t, ut eam casto timore ut filius diligerem & dilectione casta timerem.* Timor autem castus, & dilectio casta, est illa vera charitas, prout in Augustini scriptis ubique celebratur. Subinde phrasis istius vim denotat per *facere opus bonum eo fine quo liberos decet.* Vt quando in Commentario in Epistolam ad Galatas dicit: *opera legis pertinere quoque ad novum Testamentum, sed alio fine quo liberos ea* FACERE DECET. Nam quid aliud esse potest facere sicut oportet, quam facere sicut liberos, non servos facere decet? Et hoc nihil omnino aliud esse, quam facere non timore pœnæ, sicut servi sub veteri Testamento legem faciebant, sed *amore justitiæ*, plenissime in eodem loco consequenter tradit. Nam exponens id quod dixerat eo fine quo liberos ea facere decet, adjecit: *Id est charitatis æterna spe antis hinc præmia, & ex fide exspectantis. Non sicut Iudæi qui timore ista implere cogebantur, non illo casto permanere: in sæculum sæculi, sed quo timebant præsentis vitæ sua: & ideo quædam opera legis implebant, quæ in sacramentis sunt; illa vero quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant. Non enim implet ea nisi charitas.* Et quod illa charitas non sit aliud nisi ista tam prædicata dilectio justitiæ legis, continuo adjungit: QUIA *& hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur*, hoc est timore pœnæ, *non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidat* QVIA INIVSTVM EST *etiam si id facere posit impune, non solum apud homines sed etiam apud Deum.* Ecce quid sit facere præceptum aut opus sicut oportet. Nempe facere quia justum est, vel non facere quia injustum est.

Quandoque etiam quemadmodum oportet fieri circumloquendo, exponit per *veraciter & suaviter fieri.* Vt in libro de dono perseverantiæ: *Qua una* (charitate) *Deo* VERACITER ET SVAVITER OBEDITVR. Nam quid aliud esse potest Deo suaviter & veraciter obedire, quam quemadmodum oportet obedire? Hilarem enim datorem diligit Deus, hilaritas enim ex suavitate nascitur. Nam istis duobus verbis brevissimè denotat obedientiam illam fieri ex amore, & ex gratuito amore. Tunc enim Deus amari incipit, cum dulcescere cœperit, & tunc gratis amatur quando veraciter amatur, ipse videlicet & non aliud pro ipso.

Subinde eandem limitationem (quemadmodum oportet fieri) nobis ingerit per *veraciter atque sinceriter fieri.* Quomodo enim potest veraciter fieri atque sinceriter, nisi quemadmodum oportet fiat: NEQVE ID FIT VERACITER ATQVE SINCERITER (vitiorum videlicet superatio) NISI VERÆ DELECTATIONE IVSTITIÆ. Et quid istud veræ delectatione justitiæ? Audi sequentia: *Tunc itaque vitia vitiis deputanda sunt,* CVM DEI AMORE *vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat.* Nam nisi vitia Dei amore, seu veræ delectatione justitiæ superentur, jam non superabuntur, sicut ipsemet in Enchiridio dixit, *quemadmodum oportet*, sed quod ibidem ei directe opponitur, *timore pœnæ vel aliqua intentione carnali.* Vnde in libro quinto contra Iulianum, vult opus esse *gratia* ad vitiorum victoriam, VT NON ALIA REPROBA CVPIDITATE, *sed Dei* CHARITATE *vincantur*, quasi diceret, ut quemadmodum oportet, vincantur. Est enim impossibile, ut si vel vitiorum superatio, vel legis operumque bonorum operatio, non fiat veræ delectatione justitiæ seu vero amore & charitate Dei, quin fiat secundum mundum vel timore pœnæ, vel aliqua reproba cupiditate vel intentione carnali. Vnde & Apostolus, ex quo primo videtur phrasis ista dimanasse, ista duo pro ipsidem sumit, *sicut oportet*, & *secundum Deum*, quando dicit in Epistola ad Romanos: *Nam quid oremus* SICVT OPORTET NESCIMVS: *sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* Et quo modo postulat? *Quia* SECVNDVM DEVM *postulat pro sanctis.* Et Augustinus utrique opponit, orare *secundum mundum*, hoc est, ex aliqua mundi intentione, quæ non potest esse nisi alia reproba cupiditas intentioq; carnalis: *Non ergo sumus per nos ipsos quid oremus* SICVT OPORTET; *sed ipse Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit, quæ sunt* SECVNDVM DEVM. QVOD NISI FACIAT NON ORAMVS NISI SECVNDVM ISTVM MVNDVM, *ad exspectandam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem sæculi, quæ non sunt a Patre sed ex mundo sunt.* Quis vero dubitet, quin id quod oratur ad explendam ex illis concupiscentijs tribus unam, quam non Deus sed diabolus in homine seminavit, hoc ex alia intentione carnali, seu reproba cupiditate postuletur? Nam secundum mundum postulare, est ex dilectione mundi postulare. Dilectio vero mundi qua quis in mundo requiescit, non potest cupiditas esse proba, sed reproba. Vnde Augustinus, multo pejores videntur qui intus videntur & foris sunt: *Amant enim mundum & ideo mali sunt.* Ex quibus omnibus satis perspicuè colligitur, opus bonum quemadmodum oportet fieri, nihil

aliud

Psalm. 118. ad illius versum Quam dulcia faucibus &c.

In Epist. ad Galat.

Lib. de dono persev. c. 16.

Lib. 22. de Civit. c. 16.

Civit. 22. de Civit. c. 16.

Lib. 5. cont. Iul. c. 6.

1 Rom. 8.

Lib. cont. Serm. Arian. c. 25.

Serm. 53. de verb. Dom. c. 2.

aliud esse, quam opus ita fieri quemadmodum A tam ex parte officij, quam finis debet fieri, ut sit opus bonum, sive non malum. Ad hoc autem necesse est, ut non solum officium quod agimus, bonum sit, sed etiam finis propter quem agimus. Ille autem finis non est alius nisi justitia seu verus Deus, vera charitate ex fide gratis diligendus. Vnde cum acerrimus inter Augustinum & Iulianum conflictus intercederet, utrum infideles efficere possent aliquod opus verè bonum, totis viribus Augustinus hoc impossibile esse contendit, quia quamtumvis officia quæ faciunt bona ac laudabilia esse videantur, sola tamen absentia finis boni quem intendere debent, omnia ipsorum opera peccata esse convincit. Ille autem finis, ut identidem inculcat Augustinus, non est alius nisi Deus, vera dilectione ex fide diligendus. Quod fusè suo loco demonstravimus. *Vide lib. 2. & 4. de peccat. merit.*

Iam vero consequenter satis patet cur Concilium Arausicanum & Tridentinum peculiariter tradant gratiam atque inspirationem Dei necessariam, ut quis *velit, desideret, credat, speret, pœniteat, diligat Deum*, atque *operetur sicut oportet*: possumus enim velle ac desiderare bonum, itemque credere, sperare, diligere, pœnitere, operari, adeoque colere Deum non spiritaliter sicut oportet, sed carnaliter ut mox dicturi sumus.

CAPVT XII.

Ostenditur, Scholasticos Doctores multum hallucinari de operibus quæ fiunt, vel non fiunt SICVT OPORTET.

HINC jam facilè apparere potest, A quam commentitium sit, quod quidam Augustino imponere volunt, idcirco bonum aliquod opus non fieri sicut oportet, quia non est supernaturale, cum è contrario, ideo supernaturale esse debeat, ut fiat sicut oportet. Idcircò quippe opus gratia est naturam superante, quia impossibile est ut legitimus finis operis boni (hoc est, Deus atque justitia, sine quibus nequidem moraliter bonum esse potest) nisi vera dilectione attingatur, impossibile etiam ut ista dilectio, sine gratiæ adjutorio habeatur. Nam de ista conditione operis requisita, ut sit supernaturale, quasi aliqua essent non supernaturaliter bona, in universis Augustini aut veterum scriptis, nulla mentio est, sed à Scholasticis introductum, quia opinionibus eorum Augustini nomine introducendis vestiendisque congruebat.

Hinc etiam vera ratio aperitur, cur toties Augustinus dicat gratia opus esse ad opera *pia, opera pietatis, veræ pietatis, religionis, ad colendum rectè Deum, ad veram justitiam*, ut *bene & piè vivamus* & similia. Nempe quia inter Christianos, nulla est vera pietas, nullus verus cultus Dei, nisi amor Dei, quemadmodum ex pluribus ejus testimonijs, superius declaravimus. Nullum verò est aut esse potest Augustino opus bonum, nisi ex vero & gratuito Dei & justitiæ amore nascatur. Ex quo fit ut etiam nullum sit aut esse possit opus bonum, nisi simul sit veræ pietatis, veræ religionis, veri cultus Dei, verèque justitiæ. Quæ omnia satis superque ex præcedentibus clarent. Cur ergo addat veræ pietatis, recti cultus, veræ justitiæ, & hujusmodi, non est illa ratio, quasi esset aliqua pietas, cultus, justitia, religio, naturalis, quod universis ejus principijs repugnat, sed quia est aliqua pietas, cultus, religio, justitia, fides, spes, pœnitentia, Dei dilectio terrena atque carnalis, qualis est in hominibus scelestissimis; qui ut Augustinus subinde dicit, Deum diligunt propter nummum, non nummum propter Deum. Colunt enim Deum devotissimè ex avaritia, vel superbia, vel alia reproba cupiditate dominante, quemadmodum in hæreticis Deum pro Ecclesiæ subversione, & Iudæis pro temporali quacumque prosperitate deprecantibus, manifestum est. De quo ex Augustino facillimum est quamplurima proferre. Vnum sufficit quod generaliter de carnalibus hominibus quibuscumque Deum gratis non diligentibus dicit: *Sive ergo carnaliter vivens & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de illo sperans, qualia habens & mali; & totam felicitatem suam in ipsa ponens, de qua gaudent & imiqui: aut certe contemnens istam præsentem, & talem sperans in futuro*, CARNALIS EST, CARNALEM FIDEM HABENS, CARNALEM SPEM, CARNALEM CHARITATEM. *Serm. 44. de divers. c. 3.*

B Talis fides, spes, charitas, erat olim & nunc omnium carnalium Iudæorum & hæreticorum. Nam & illi credebant, aut credere videbantur Deo, sed vel ex timore, vel ex carnali amore, ex quo etiam sperabant in hac vel futura vita talia quali diligebant. Ex tali charitate pietas congrua nascebatur, & opera quæ videntur hominibus oculum carnis advertentibus bona, sed fordibus terreni amoris infecta, & ideò non bona, sed mala. Nam de veteris Testamenti filijs loquens Augustinus, qui hæreticis & infidelibus magis pij & boni esse videbantur: *Illi etiam quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicebatur terrena promissa sectantes & eorum adipiscendorum* AMORE, ET TIMORE AMITTENDORUM, DEI PRÆCEPTA SERVABANT, IMO NON SERVABANT, SED SIBI SERVARE VIDEBANTUR. Et quare non servabant? Nimirum *Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur*, ex qua tanquam legitimi finis intentione officia bona & opera debe- *Serm. 3. Bonif.*

debebant fieri, SED TERRENA CVPIDITAS, METVSQVE CARNALIS. *Sic autem præcepta qui facit procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit.* Et paulo inferiùs: *Faciunt ista sub lege positi*, hoc est omnes qui gratia dilectionis justitiæ ac Dei carent, *quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi vel timore amittendi: Et ideo non vere faciunt, quoniam carnalis cupiditas quæ peccatum auget cupiditate aliâ non sanatur.* Ex talium hominum fide, spe, charitate, carnalis Dei dilectio & pietas nascitur, quæ non est pietas sed larva pietatis. Non enim Deum sed cupiditatum suarum objecta colunt, quorum adipiscendorum, vel non amittendorum causâ Deum, velut satellitem eo devotius colunt, quo potentius eas potest terrena largiendo, vel custodiendo satiare. Talia hominum opera videntur bona & non sunt, videntur esse legis justitia & mala sunt. A quibus ut Evangelicam fidem, spem, charitatem, pietatem, opera, justitiamque discernat, addit illas particulas quibus postulat ut opera sint *pia, pietatis, veræ pietatis, religiosa*, ut valeant *ad colendum rectè Deum*, ad *veram justitiam*, ut *verè faciant legem*, *verè bona* sint. Denique propter hujusmodi charitatem & opera adulterina exigit, ut *rectè* fiant, ut agatur *sicut agendum est*, ut homines *ex animo* cum *bona voluntate faciant*, ut *bonum bene faciant*, ut *bene fiat*, ut *vere bene fiat* bonum, ut *veraciter & suaviter*, ut *veraciter atque sinceriter* fiat: denique ut *quemadmodum oportet* fiat, hoc est, sicut exponit, ut fiat *non timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali*, non *ex aliqua reproba cupiditate*, sed ex *boni spiritalis delectatione*, cum *dilectione & delectatione justitiæ, ex Dei amore, ex Dei charitate.*

Lib. 1. ad Bonif. cap. 4.

Ad postremum hinc etiam aperitur, cur de operibus bonis loquens, meritorum, subinde mentionem faciat, & ad ea facienda gratiam postulet. Non enim hoc ideo facit, quasi sint opera verè bona, quæ non sint merita supernatur lis ullius gratiæ aut doni, sicut ipsi ex suis principiis Augustini doctrinam non satis perspectam metiuntur; sed quia nulla omnino sunt aut esse possunt opera vere bona, hoc est, non mala, quin illa sint simul merita veræ pietatis & gratiæ, si non perfecta saltem decoloratiora, qualia & Scholastici de congruo esse profitentur. Ex quo fit, ut Augustinus, cum Pelagiani quædam opera statuerent naturalis ordinis bona, quæ tamen essent ita sterilia, ut ad vitam æternam promerendam nihil conducerent (ubi nihil aliud intelligebât nisi opera illa moralia quæ in Philosophorum & Scholasticorum scholis prædicantur) ipse ex professo tradat, fieri non posse ut sterile sit opus bonum ac nihil ad vitam conferat, quemadmodum à nobis alibi fusè demonstratum est.

Vide lib. 4. de statu nat. lapsor. c. 3.

Itaque cum Pelagiani postquam ab Ecclesia damnati essent, maximèque Semi-Pelagiani invidiam declinare niterentur, quod meritum ante gratiam inducerent, sæpè convincit eos ex eo sanctus Augustinus, quod ex hoc ipso meritum gratiæ constituerent, quo quippiam operis boni gratiam antecederet. Impossibile quippe esse, ut opus bonum, etjam hoc ipsum quod volebât esse sterile bonum, non esset gratiæ atque æternæ vitæ meritorium. Hinc libro secundo ad Bonifacium, ubi cum Pelagianis dimicat, Apostoli citans locum: *Si autem gratia iam non ex operibus, aliquin gratia iam non est gratia*, statim explicans ejus verba subijcit, *gratia utique, ut per illam fiant bona opera*, NE SI PRÆCESSERINT BONA OPERA, *tanquam operibus reddatur gratia, ac sic gratia iam non sit gratia.* Et capite octavo ejusdem libri, cum nihil dixissent Pelagiani aliud, nisi quod Deus non inspiraret homini cupiditatem imperfecti boni, sed hoc ex ipso homine nasceretur, quod postea Deus adiuvaret, concludit Augustinus, eos dicere quod homo dignus fiat gratia, eamque secundum merita dari statuant. Nempe quia nihil boni præcedere potest ante gratiam, cui non tanquam merito gratia tribuatur: *Fortasis, inquit, ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per eam posse, sed nisi per illam omnino non posse.* VERVM ET SIC GRATIAM DICVNT SECVNDVM MERITA NOSTRA DARI. *Quod in oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine gratia per nos incipit cupiditas boni* IPSVM CŒPTVM ERIT MERITVM, *cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur.* Vbi simul vides Pelagianos meriti neque mentionem fecisse, imo declinasse, & tamen Augustinum eos tanquam meriti gratiæ architectos, ex ipsa boni cujuscumque etjam imperfecti præcessione convincere. Et libro quarto ad Bonifacium, similiter ex prioritate cujuscumque boni, meritum gratiæ colligit: *Quis prior dedit ei & retribuetur ei &c. Non itaque ipsam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo iam contra gratiam defendentes, priores dare volunt Deo, ut retribuatur eis: priores utique dare quodlibet ex libero arbitrio, ut sit gratia retribuenda pro præmio: & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia, percepisse.* Et libro primo retractationum: *Hoc divinum beneficium nisi eam* voluntatem PRÆVENIRET, IAM MERITIS EIVS DARETVR, *& non esset gratia quæ utique gratis datur.* Et libro quarto contra Iulianum, cum ille ex Philosophorum placitis vellet homines etjam infideles posse aliquid boni facere quo essent *steriliter boni*, nec *amplitudine cœlestis præmij ditarentur*, quod ipsissimum Scholastici ex ijsdem Philosophis docent, partem verborum ejus repetendo, respondet Augustinus: *Dici non potest, quantum te ista fallat opinio, qua dixisti omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuose aut sterliter boni sumus. Fieri enim non potest ut sterliter boni simus, sed boni non sumus, quicquid sterliter sumus.* Et aliquanto superius ostendens quicquid boni talis præcesserit gratiam, hoc ipso id esse, velit

Rom. 11.

Lib. 2. ad Bonif. c. 7.

Ibid. c. 8.

Lib. 4. ad Bonif. c. 9.

Lib. 1. retract. c. 6.

Lib. 4. contr. Iul. c. 3.

velit nolit, meritum gratiæ: *In quo vis, inquit, hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari,* AC SIC PRIOREM DARE, *ut retribuatur illi, eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita.* Et paulo inferiùs: *Non tamen ut eius bona voluntas possit* PRÆCEDERE PRÆTER GRATIAM; NE VEL IPSAM PRIOR DET, VT RETRIBVATVR EI, *ac sic gratia iam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.*

Contra Semi-Pelagianos vero, qui gratiam salvare, nec ullo modo per meriti rationem infringere conabantur, eos ex ipsa cujuscumque boni naturalibus viribus facti antecessione ad agnoscendum gratiæ meritum cogit: *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso (Deo) est? Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit,* NIHIL MERERI? *Vnde fit, ut iam merenti cetera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse damnavit.* Et paucis interpositis cum Semi-Pelagiani initium fidei, quo incipimus Deo credere, ex liberi arbitrij potestate esse contenderent: *Videte,* inquit, *si aliud agitur ipso modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis,* DEBETVR ENIM CREDENTI, *ut à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ fides aucta:* NEC ATTENDITVR CVI HOC DICITVR, NON SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM ISTAM MERCEDEM CREDENTIBVS IMPVTARI. Et sanctus Prosper contra Collatorem, qui dicebat aliquos sine gratia naturaliter credere posse Deo: *Quoquoversum ergo te conferas à temetipso & vinceris & vinceris. Si enim gratiam merita nulla praecedunt, & fides non potest esse sine meritis, fides gratiam non praecedit.* Et in principio ferè ejusdem libri: *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid praecedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas?* Et quia responderi poterat, hoc non esse gratiæ meritorium, tanquam ex naturali libertate prosiliens, præoccupat verba respondentis: NON ENIM NVLLIVS MERITI HABERI POTEST PETENTIS FIDES, QVÆRENTIS PIETAS PVLSANTIS INSTANTIA. Qua de re qui plura ex Augustino & ex ipsis Semi-Pelagianis volet, videat ea quæ fusè diximus in libris de hæresi Pelagiana. Quanquam in istis quę hic retulimus evidenter docet Augustinus & Prosper, impossibile esse, ut quodlibet quantumvis imperfectum opus bonum, quamvis sterile, & æternæ vitæ ineptum Dei gratiam antecedat: & eos qui talia opera quæcumque bona machinantur, hoc ipso inducere meritum gratiæ, quia fieri non potest, ut ullum opus bonum sterile sit, aut nihil gratiæ ab omnis boni auctore mereatur. Vt sanè perspicuè pateat Scholasticos Doctores vehementer falli, qui Augustinum putant, non ad omnia opera bona gratiam constituere necessariam, sed tantum ad opera quæ fiant SICVT OPORTET, hoc est, quæ sint supernaturalis gratiæ æternæque vitæ meritoria; cum ex oppositio Augustinus inde inferat fore meritum gratiæ æternæque vitæ si fuerit quocumque modo opus bonum, non enim potest esse sterile opus bonum.

Ibid. *Ibid.* *Lib. pred. testim.* *Ibid.* *Collat. Marsil.*

Ibid. c. 3. *Vide lib. 8. de hæresi Pelag. c. 16. & 17.*

CAPVT XXI.

Timor gehennæ secundum se consideratus licitus, bonus, rectus est.

SATIS explicuimus, quomodo gratia Christi medicinalis ad opera solius dilectionis, quæ in virtutibus omnibus Christianis implicatur, necessaria sit. Hinc vero dubium alicui subnasci posset, quid de operibus ex timore damnationis seu gehennæ profectis existimandum sit. Nam illa videntur esse opera verè bona, quandoquidem attritio ex isto timore nata etiam sit dispositio ad justificationem dummodo sit conjuncta Sacramento pœnitentiæ. Hæc igitur difficultas ut paulo planius clarescat, de ipso timore gehennæ, utrum sit bonus an malus, itemque de peccati detestatione, quæ inde pullulat, aliquid nobis juxta sancti Augustini principia dicendum esse video.

Dico igitur timorem gehennæ sive pœnæ in se consideratum, sive parvum, sive magnum, sive remissum, sive intensum esse utilem ac bonum. Definit hoc Concilium Tridentinum, cum dicit: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.* Quæ definitio conformis est doctrinæ sancti Augustini qui dicit in sermone decimo octavo de verbis Apostoli: *Cùm timorem correxeris* (malorum temporalium) ET VTILITER TIMERE *cœperis, non temporales cruciatus, sed æterni ignis supplicia* &c. Et paulo inferiùs: *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo, quid dicturus sum? Malè times? Vanè times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subiecit timorem: & ait, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quod faciant: sed cum timete qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cum ergo Dominus timet-*

Conc. Trid. sess. 6. can. 6. *Serm. 18. de verb. Apost. c. 7.* *Ibid. c. 8.*

timorem incusserit & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, MALE TIMES? Istanondicam PLANE TIME. Nihil melius times. Nihil est quod magis timere debeas. Et libro primo contra adversarium legis & prophetarum: *Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus* VTILITER ET TIMETVR &c. Et in Psalmum centesimum vigesimum-septimum: *Ille timor nondum casus præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam.* BONVS EST ET ISTE TIMOR, VTILIS EST. Itaque in libro de catechizandis rudibus dicit quod *severitate Dei corda mortalium* SALVBERRIMO TIMORE *quatiuntur.* Hinc est quod Augustinus exemplum Domini secutus, qui hortatur ut eum timeamus, qui potestatem habet & corpus & animam perdere, frequenter monet, optat, inculcat, ut pœnas gehennæ timeamus, quemadmodum in diversis ejus locis videre licet: quod sanè non faceret, si timor in seipso consideratus esset malus, vel Deum judicem, pœnasque gehennæ quas comminatur non nisi peccando formidare possemus.

Ratio quoque veritatis istius manifesta est. Timor enim est quædam fuga mali: *fuga animi timor est*, inquit Augustinus, non utique boni, sed mali. Fuga vero mali rationem suam sumit ex bono, cui opponitur istud malum: cum malum odio haberi ac fugi non possit, nisi quia adversatur bono. Ex appetitu quippe & desiderio boni, fuga mali & consequenter timor proficiscitur. Vnde de timore casto sanctus Augustinus: *Casus timor venit de amore.* Et de timore rerum temporalium: *Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam.* Et de timore generaliter: *Amor fugiens quod ei adversatur timor est.* Iam verò bonum istud cui adversatur gehenna tanquam malum, licito, bono, rectoque desiderio appeti potest. Est enim naturalis integritas atque unitas & quies naturæ, quam nemo sanæ mentis dixerit non posse rectè appeti, desiderari, procurari; nisi eò dementiæ forte quisquam veniat, ut dicat neque licitum aut bonum esse comedere aut bibere, aut se adversus frigus ac tempestates tegere aut alia naturæ sustentacula sufficere, aut denique naturalem corporis atque animi integritatem unitatemque servare. Quod si istud omni sano judicio licitum, bonum & rectum est, licitum igitur, bonum ac rectum est gehennam tanquam oppositum ei malum timendo fugere. Nam per gehennæ pœnas ista naturalia violantur bona, totaque naturalis constitutio ac salus tam corporis quam animi labefactatur ac tollitur, juxta istud sancti Augustini: *Hoc in extremo supplicio rectè fit, ut iniqui & impij naturalium bonorum damna in cruciatibus defleant, sentientes eorum ablatorem justissimum Deum, quem contempserunt benignissimum Largitorem.* Vnde, sicut ibidem Augustinus dicit, *salus ac pax naturæ bonum est, bonique amissione dolendum est potius quam lætandum.* Nihilenim includit vel objectum ejus proprium, vel ulla circumstantia quod malitiam implicet, vel repugnet rationi, sed potius multum congruit, cùm pœnâ, odio fugâque digna sit, & ista fuga pœnæ ad ultimum finem, in quo semper animus creaturæ rationalis cõquiescere debet subordinata sit, & voluntatis intentione referri possit. Non enim qui pœnam corporis aut animi timet, hoc ipso excludit à sua voluntate vel actione debitum finem ultimum, ad quem omnis amor, ac desiderium, & gaudium, & fuga, & tristitia rationalis voluntatis retorqueri debet. Quapropter si quis in pœna fugienda velut in termino hæreat, per quam tanquam viam transire debuisset, non illa timoris sed timentis culpa est. Hoc enim ipsum in appetitu omnium naturalium bonorum accidere potest, quem tamen idcirco nemo qui rectè sentiat, improbaverit. Cùm enim licita bonaque sit voluntas assumendi cibi & potûs, appetitus tuendæ salutis corporalis, concubitus inter conjuges, scientiæ comparandæ studium, & infinita similia, quis tamen ignoret ab ijs qui in hujusmodi rerum delectationibus hærent, per quas eis transeundum erat, gulâ, luxuriâ, curiositate, vanitate peccari? Nam hoc ipso quo in rebus istiusmodi velut jucundis ac delectabilibus animus commoratur, per quas tanquam peregrinus ad patriam delectationum omnium fontem tendere debet, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit. Nam ista & non alia est omnium perversitas fruentium rebus illis quibus utendum est. Quod alibi fusè demonstravimus. Sicut igitur quando in rebus istis naturalibus appetendis finium ordo perturbatur, peccatur quidem, sed non propterea cibi potusque sumptio, concubitus conjugum, scientiarum studia, ceteraque rerum licitarum deliceria damnanda sunt, ita quoque si quis mala naturalia velut ultima timendo peccet, nec ad finem ultimum debitum timorem referat, non ideo timor malorum istorum improbandus est. Hoc enim non timoris sed timentium vitium est, qui sicut amore hærent colligati creaturis, nec amando transeunt, quo eos transire lex Dei incommutabilis & æterna jubet, ita nihil mirum est, si etjam timendo in malis ipsis velut extremis hæreant, timendoque delinquant. Nam ut profundè optimèque sanctus Augustinus, de cupiditate, timore, lætitia, tristitiaque dicit: *Mala sunt ista si malus est amor, bona si bonus.* Et in alio loco: *Cupiunt, timent, lætantur, & boni & mali; sed illi bene, isti malè, sicut hominibus seu recta seu perversa voluntas est.* Timor igitur gehennæ secundum seipsum bonus est, sive dicatur ordinatus sive inordinatus. Ordinatum dicunt, quando plus culpa timetur quam pœna, inordinatus quando plus pœna quam culpa; quem etjam servilem dicere solent. Nam ille excessus oritur

non

non ex parte timoris Dei punientis, qui nunquam nimium timeri potest, sed ex parte subjecti seu hominis qui charitate caret. Ex charitatis enim defectu accidit, ut non tantum culpam timeat, quantum timenda est ab eo qui vehementer pœnam timet.

CAPVT XXII.

Timor pœnæ initium sapientiæ externum, qui ab ipsa sapientia, id est, charitate excluditur.

DE hoc igitur timore Sanctus Augustinus ita verba Davidis ac Salomonis dicta intelligit: *Initium sapientiæ timor Domini.* Nam in Psalmum trigesimum, juxta solemnem suam doctrinam tradit, *timentibus* videlicet pœnam, abscondi dulcedinem Dei, & servari iperantibus, *ut timendo perveniant ad bonum quod iustis & impijs non potest esse commune.* Et addit: *Quamdiu enim adhuc timent, nondum & ipsi pervenerunt, sed credunt se perventuros; sed a timore incipiunt. Nihil enim dulcius immortalitate sapientiæ: sed initium sapientiæ timor Domini.* Et in Psalmum septuagesimum-septimum: *Initium est vetus Testamentum, finis novum. Timor enim prævalet in lege, & initium sapientiæ timor Domini.* Et in Psalmum penultimum disputans de *timore gehennæ & cruciatuum*, quem ferrea vocat vincula: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; initium sapientiæ timor Domini. Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem auream.* Vocatur autem initium quia ab isto timore incipit homo converti à peccatis ad diligendum Deum, in quo vera totaque nostra sapientia. Itaque Augustinus in libro de Catechizandis rudibus: *Rarissime accidit: imo vero nunquam ut quisquam veniat volens fieri Christianus qui non sit aliquo Dei timore percussus.* Cum igitur sapientia filiorum Dei non sit alia, nisi dilectio seu charitas Dei, juxta illud Augustini certissimum ex Scripturis haustum documentum: *Ecce pietas est sapientia. Porro pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Summa igitur & vera sapientia est in præcepto illo primo: Diliges Dominum Deum tuum &c. Ac per hoc sapientia est charitas Dei. Initium autem sapientiæ timor Domini*; profecto perspicuum est, timorem esse initium sapientiæ extrinsecum, eo quod non sit pars sapientiæ intrinseca, sed ad sapientiam sternendo viam ducit, ut cum sapientia charitatis intraverit, ipse recedat. Quod eleganter exponit in Tractatibus in Epistolam Ioannis: *Si nullus timor non est qua intret charitas. Sicut videmus per fetam introduci limum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit limus: Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

Quapropter non parum ab Augustini mente exorbitant, qui putant timorem pœnæ, quam Deus peccatoribus comminatur, à charitate nequaquam excludi. Contrarium enim passim in operibus suis ex professo docet. Nam ex eodem ipso loco, quem jam jam attuli, hoc perspicuè patet, & in eodem loco uberius hoc ipsum ex professo tradit, locumque Apostoli, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, de isto timore pœnæ, seu gehennæ seu judicij semper intelligit. Nam de hominibus non in futura beatitudine, sed in hac vita constitutis dicit: *Timor non est in charitate. Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem judicij? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam iustitiam, & non haberet, quare timeret: imo haberet quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate, sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem.* Itaque planius explicans, quomodo timor cum crescente charitate decrescat aut crescat, & cum perfecta totus mittatur foras: *Ergo, inquit, incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati: cum autem cœperit charitas habitare,* PELLITVR TIMOR *qui ei præparavit locum.* QVANTVM ENIM ILLA CRESCIT, ILLE DECRESCIT: ET QVANTVM ILLA FIT INTERIOR, TIMOR PELLITVR FORAS. MAIOR CHARITAS, MINOR TIMOR: MINOR CHARITAS, MAIOR TIMOR. Et nonnihil inferius in eodem Tractatu: *Sunt homines qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant, cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille qui introducit charitatem: sed ne veniat ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times.* Et in eodem Tractatu prolixè docet, quod statim atque aliquis *cœperit credere, cœpit & timere diem judicij*, hoc est, ne veniat ad judicandum Deus; sed quod veniente crescenteque charitate, *incipit desiderare quod timebat.* Timebat enim ne veniret Christus, & inveniret impium quem damnaret, desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Et paulo post, *Ergo Fratres date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicij: aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari.* Quam doctrinam constantissimè in aliis multis locis tradit, ut in Epistola ad Honorat. *Præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum & servat charitati locum: qua tanquam domina veniente ut ille*

ut illa insideat, abscedit. Quod paulo inferius iterum atque iterum repetit. Et in Psalmum centesimum vigesimum-septimum, de Timore gehennæ loquens: *Habent timorem &*
In Psal. 127 *per timorem continent se à peccato, sit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & iam incipit homo iustè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* EXCLVSVS EST ERGO TIMOR A CHARITATE, *sed successit timor castus.* Nempe ille filialis qui ex ipsa charitate nascitur, ut ibidem tradit. Et in Sermone decimo-octavo de verbis Apostoli: *Custodiat te timor iste*
Serm. 18. de verb. Apost. cap. 2. *quo, ut dixerat, gehennam times dum non facis timendo, & veniat charitas: intret in cor tuum, &* QVANTVM ILLA INTRAT, TANTVM TIMOR EXIT. Et
Ibid. cap. 9. inferius iterum: *Illa charitate, ut dicere cœperam intrante, incipit timor exire. Quanto plus illa* B *intraverit tanto timor minor erit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem.* Pluribus locis, quæ sanè plurima sunt, allegandis supersedeo. Nam ista perspicuè ostendunt, alienissimum ab ejus esse
Bellar. citat. mente quod ei nonnemo tribuit, quod timor pœnæ nequaquam à charitate excludatur.

A Neque refert quod in libro de sancta Virginitate dicat, *perfectam charitatem non mittere* *L. de sanct. Virgin. c. 3.* *foras timorem divini in fine iudicij.* Nam quamvis Augustinus plerumque per timorem judicij, timorem damnationis, sive sempiternorum in igne cruciatuum soleat intelligere, quia tamen in divino judicio fiet etiam separatio à Deo, quam potissimum perfecta charitas horret, hinc est quod in isto loco per timorem judicij, timorem castum quo timemus ex charitate, ne à Deo dilecto separemur, intelligere videatur. Nam in eodem ipso loco bis terve repetit, timorem æternæ perditionis à charitate mitti foras: *Si non* *Ibid.* *amas*, inquit, *time ne pereas; si amas, time ne displiceas. Illum timorem* (ne scilicet pereas) *charitas foras mittit; cum isto intrò currit.* Et cùm ibidem docuisset, non esse perfectæ charitatis propter devitandum ignem æternum servire Deo, statim adjungit: *Illa vocibus,* *Ibid.* videlicet peccatorum ex timore dicentium, Quo ibo à Spiritu tuo &c. quo à facie tua fugiam, *comitatur timor qui tormentum habet, quem perfecta charitas foras mittit: His autem vocibus,* videlicet (desiderat & deficit anima mea in atria Domini) *comitatur timor Domini castus permanens in seculum seculi.*

CAPVT XXIII.

Timor pœnæ ex gratia quadam generali, non ex illa propriè & strictè dicta gratia Christi nascitur.

QVOD si quis quærat, utrum timorem sempiterni interitus seu gehennæ Deus immittat homini, an naturaliter ex naturæ viribus fluat, diffiteri non videmur posse, quin Deus eum in animo timentibus operetur. Hoc enim satis perspicuè tradit Augustinus, quando verba Prophetæ: Dominus mollivit cor meum explicans dicit, *Et ipsum timere, quo cavet futuras pœ-*
In Enarrat. in Psal. 118. *nas, misericordia Dei deputat. Non enim scires superventuras pœnas & tenebras malas, nisi Dominus mollisset cor eius præsentibus tribulationibus, adversus illud quod induraverat Deus cor Pharaonis.* Misericordiæ igitur Dei est, quod futuras pœnas formidamus. Quod & Apostolus videtur in Epistola ad Romanos tradere de timore, quo Iudæi timebant in veteri lege præcipientem & comminantem Deum: *Non enim acce-*
Rom. 8. *pistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater.* Vbi opponit Spiritum timoris B quo Iudæi Deo tanquam Domino serviebant, Spiritui amoris, quo filij ad Deum veluti Patrem clamant. Ille Testamento veteri; hic novo proprius est. Vterque tamen à Deo datus atque acceptus. Imo idem ipse Spiritus A fuisse significatur, qui propter diversos effectus utroque nomine nuncupatus sit: Spiritus servitutis seu timoris, quia timorem per Testamentum vetus, Spiritus amoris, quia amorem per novum operatur. Qua de re sanctus Augustinus eundem Apostoli tractans locum, quo dicit, *Non accepistis iterum Spiri-* *Serm. 13. de verb. Apost. cap. 13.* *tum servitutis* &c. *Quid est*, inquit, *iterum? Quo modo terrente molestissimo pædagogo.* Hoc est, eo modo quo quando per Moysis legem, velut per molestissimum pædagogum, Iudæi terrebantur: *Quid est iterum? Sicut in monte Sinæ accepistis Spiritum servitutis. Dicet aliquis, Alius est Spiritus servitutis, Alius Spiritus, libertatis. Si alius esset, non diceret Apostolus iterum. Idem ergo Spiritus, Sed in tabulis lapideis, in timore; in tabulis cordis, in dilectione.* Et in quæ- *Qu. 46. super Exod.* stionibus super Exodum: *Proinde non arbitror aliam quam eundem* (Spiritum sanctum) *significari, ubi dicit Apostolus, Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater: quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis; qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret pæda-*

tet pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Iesu Christi. Quibus duobus locis apertè tradit Augustinus, eundem Spiritum servitutis in timore seu Spiritum timoris & Spiritum adoptionis seu amoris, ab effectu videlicet, quia utrumque operatus est. Sic enim dicitur Spiritus sanctus ab Apostolo, *Spiritus fidei*, itemque *Spiritus timoris*, *Spiritus virtutis, & veritatis, & contumeliæ*. Et ab Isaia, *Spiritus sapientiæ & intellectûs*, *Spiritus consilij & fortitudinis*, *Spiritus scientiæ & pietatis*, & *Spiritus timoris Domini*. Et à Moyse *Spiritus iræ*, juxta sanctum Augustinum: *Non quia tot sunt Spiritus*, inquit Augustinus, *sed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique sicut vult*. Itaque Spiritum timoris & adoptionis & amoris &c. Sanctus Augustinus appellatum censet ipsum Spiritum sanctum, quia ut amorem nunc, ita & timorem olim Iudæis operatus est, prout in eadem citata quæstione exserte docet. *Vnde significatur propter diversas operationes & effectus Spiritum Dei dissimiliter appellari, cum sit unus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus sanctus in unitate Trinitatis accipitur*. Cujus pronuntiati sui veritatem, ex illo Apostoli loco de Spiritu servitutis ac timoris ostendit.

1. Cor. 4. Rom. 8.

Quod eadem operatio sit Spiritus sancti, & Spiritus adoptionis.

Ibi. quæst. 1. super Exod.

Quamvis igitur fatendum sit, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari, nullo tamen modo arbitrandum est, quod eum per illam veram Christi gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus est, operatur. Nam ista gratia effectum prorsus oppositum in voluntate facit. Est enim inspiratio cœlestis delectationis, qua Deus incipit dulcescere quem timebat, quaque dulcedine perfusus animus, jam non formidine pœnæ, sed justitiæ dilectione operatur bonum. Vnde vera Christi gratia spiritalis dilectionis & charitatis est gratia, quæ charitas cum intravetit, timorem velut servum ejicit, ut supra declaravimus. Vnde Augustinus pœnarum formidinem, & justitiæ dilectionem semper opponit. Operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longe inferioris notæ gratiam, quæ postquam infixa fuerit in animo judicij divini sempiternæque pœnæ fides, fortassis gratiam peculiaris cujusdam, sive internæ, sive externæ providentiæ & operationis non excedit. Quod etiam recentioribus placuisse video. Nam Valquez quodam loco dicit: *Quis dicat tristitiam de pœnis inferni ut sunt malum nostrum esse actum supernaturalem tristitiæ etiamsi privationem gloriæ comprehendat? Nam malum quodcumque nostrum odisse possumus odio naturali secundum substantiam, & fide semel creditum timere, etsi odium & timor sit donum Dei & gratiæ ipsius*. Nempe immissæ, ut ipse tradit, alicujus cogitationis naturalis, quæ nullo pacto est ista gratia Christi quam nos quærimus (licet vehementer hallucinando hoc auctor iste putet) sed inferioris ordinis. De cujusmodi gratijs Augustinus quodam loco, erga illos qui vel credunt, vel etiam nondum credunt, ita loquitur: *Adulter non fuisti, in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumq; discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Vt adulterium non committeres, suasor defuit, & ut hæc deessent ego feci. Locus & tempus defuit; & ut hæc deessent ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti*. Ecce ut suasor peccati desit, ut locus ac tempus perpetrandi peccata non arrideat, ut illis blandientibus homo terreatur, gratiæ Dei sunt, in hominibus infidelibus, quanto magis in fidelibus? Sed nullo modo sunt illa occulta & propriè dicta Christi gratia, per quam inspirita justitiæ charitate duritia cordis auferatur. Nam ista nemini datur, nisi cui fides datur, qua de re alibi jam latissimè disseruimus. Sic etiam in Psalmum centesimum-secundum multa divinæ misericordiæ & vocationi tribuit, etsi nullum eorum efficiatur ista occulta gratia Dei: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis longanimis & multæ misericordiæ*.

Homil. 23. cap. 6.

In Psal. 102

Timor igitur gehennæ Dei gratiæ & misericordiæ deputandus est multis modis. Primo quidem, quia non potest in homine nasci, nisi præcedat judicij divini & sempiterni interitûs fides, quæ cùm perspicue Dei donum sit, sine dubio eatenus etiam timor iste futurarum pœnarum, quas sola fides apprehendit formidabiles, divinæ donationi deputandus est.

Secundo, quia Deus efficit ut homini jam futura credenti occurrat oportuno tempore & loco divini judicij pœnarumque commination, prædicatio, recordatio, ex qua commovetur animus, peccatumque cavet, ne in pœnas illas Dei severitate præcipitetur. Sed quia multis accidit, ut gehennæ recordati nihil timeant, hinc

Tertio, timorem istum efficit, mollierdo cor hominis, sive temporalium tribulationum immissione, sive carnalium deliciarum ablatione, quibus obduratur animus & ita afficitur præsentibus, ut futura nec cogitet nec formidet. Nam oppositio modo Pharao induratus fuit. Tangit hunc modum Augustinus quando dicit, id quod ante commemoravimus: *Ipsum timere quo cavet futuræ pœnas, misericordiæ Dei deputat*. Et cui misericordiæ Dei: *Non enim sciret superventuras pœnas & tenebras malis, nisi Dominus molliret cor eius præsentibus tribulationibus, adversus illud quod induxat Deus cor Pharaonis*. Hi vero modi omnes supposita fide externi sunt, nec ad ipsa interiora voluntatis, nisi objecti formidabilis propositione pertingunt. Quibus profecto

Valquez 1. 2. disp 194. c. 4. n. 32.

Annotat in Iob. c. 23.

profecto modis semper Augustinus pœnarum timorem qui sub veteri lege in Iudæis dominabatur Deo tribuit. Nempe quia foris in tabulis lapideis legem dedit, quarum observationem gravissimarum pœnarum comminatione sanxit. Timor enim ex illa ipsa lege foris auribus insonante & comminante nascebatur. De qua legis operatione timorem asserente, sæpissimè Augustinus: *Ibi populus accedere ad locum ubi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur: hic autem in eos supervenit Spiritus sanctus. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi ergo lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrerentur, hic intrinsecus data est, qua iustificarentur.* Et inferius, cum ex Apostolo docuisset legem in tabulis lapideis fuisse scriptam à Deo: *Ecce*, inquit, *quemadmodum ostendit, quia illud extra hominem scribitur, ut etiam forinsecus terrificet: hoc in ipso homine ut eum intrinsecus iustificet.* Et iterum paulo pòst: *Cùm adest vivificans Spiritus, hoc ipsum intus conscriptum facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri.* Et adhuc nonnullis interpositis: *Unde significavit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos.* Et multis interiectis: *Ex lege timemus Deum; ex fide speramus in Deum, sed timentibus pœnam absconditur gratia.* Et in Sermone sexto de verbis Apostoli: *Ibi plebs longè stabat, timor erat, amor non erat.* Quod explicans tantum extrinsecus factum fuisse, partim terribili Dei præsentia, partim lege in lapidibus scriptâ: *Plebem*, inquit, *longè stantem territans, & digito suo scribens in lapide, non in corde.* Et in eodem capite paulò inferiùs: *Si ergo scribatur lex Dei in corde tuo, non foris terreat, sed intus mulceat, tunc lex Spiritus vitæ in Christo Iesu liberabit te à lege peccati & mortis.* Quibus testimonijs in Augustino frequenter occurrentibus perspicuè docet timorem illum Dei, ex quo legem Iudæi servare conabantur, non aliter Deum in eorum animis effecisse, nisi legem terribilem, supplicia transgressoribus comminantem, tabulis lapideis insculpendo, & extrinsecus promulgando. Ex quo efficitur ut etiam non semel timorem istum legi ipsi tribuat, quatenus ipsa sua promulgatione, minarumque cognitione terrebat, ut quod jam statim dixit: *Ex lege timemus Deum; ex fide speramus in Deum.* Et in libro de gratia Christi: *Iustitia Dei est quæ nobis non ex lege sit, sed ex Deo; non quæ illo imperante, cognoscendo timeatur, sed quæ illo donante dilegendo tueatur.* Et in libro de peccato originali: *Erant & legis tempore homines Dei non sub lege terrente, convincente, puniente: sed sub gratia delectante, sanante, liberante.* Quam ob causam propriâ locutione sæpius ab Augustino *Timor legis* vocatur, tanquam qui esset proprius effectus legis, prout lex opponitur gratiæ Dei. *Hanc itaque iustitiam Dei, non in præcepto legis quo* TIMOR INCVTITVR, *sed in adiutorio gratiæ Christi* AD QVAM SOLAM VTILITER LEGIS VELVT PÆDAGOGI TIMOR DVCIT, *constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus.* Et libro quarto ad Bonifacium: *Ad quam Dei gratiam lex de prævaricatione terrendo, tanquam Pædagogus perducit, ut sic conferatur hominì, quod conferre ipsa non potuit.* Et ibidem inferiùs: *Quæ lex terrendo ducit ad fidem*, id est gratiam, *ideo quippe lex tram operatur, ut territo atque converso ad iustitiam legis impiendam Dei misericordiam gratia largiatur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei sapientia, de qua scriptum est: Legem & misericordiam in lingua portat, legem* QVA TERREAT, *misericordiam qua subveniat.* Ex quibus Augustini testimonijs & alijs quæ produci possent, perspicuè patet, timorem legis non modo non esse effectum gratiæ, sed potius distingui contra gratiam, & propterea cordibus adhuc terrenis incuti ut ad gratiam perducantur.

Hinc etiam fit, ut Augustino, quisquis ex divinæ legis pœnas comminantis timore præcepta justitiæ facit, non ex gratia Dei, sed ex proprijs viribus ea implere velle censeatur. Nempe quia quamvis & lex & pœnarum commination sit ex Deo, non aliter tamen ista juvant nisi cognitionem afferendo, quâ perceptâ, si timore percellatur, propriæ voluntatis viribus facit quicquid facit. *Vt acciperet homo*, inquit Augustinus, *præcepta superbè desuis viribus confidens, in quibus deficiens & factus etiam prævaricator, liberatorem Salvatoremque requireret: atque ita eum* TIMOR LEGIS *humilem factum, tanquam Pædagogus ad fidem gratiamque perduceret.* Et in libro primo quæstione prima ad Simplicianum: *Vsitatius vocatur lex quando minatur & terret & vindicat. Itaque idem præceptum* TIMENTIBVS *lex est, amantibus gratia est. Inde est illud in Euangelio, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Eadem quippe lex, quæ per Moysen data est ut* FORMIDARETVR, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ut impleretur.* Itaque statim adiscit talem legem quæ lecta formidatur non amatur, nihil esse omnino nisi solam litteram sine gratia: *Lex enim quid aliud quam sola littera eis qui eam legere noverunt, & implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conscripta est; sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera, non est adiutrix legentium, sed testis peccantium.*

Lib. de Spir. & lit. c. 17.
Ibid.
Lib. de Spir. & lit. c. 19.
Ibid. c. 21.
Cap. 29.
Serm. 6. de verb. Apost. c. 6.
Lib. de grat. Christi, c. 8.
Lib. de pecc. orig. c. 25.
Lib. de nat. & grat. c. 1.
Lib. 4. ad Bonif. c. 5.
Lib. 4. ad Bonif. c. 5.
Lib. de perf. iust. c. 19.
Lib. 1. q. 1. ad Simplic.
Ibid.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Occurritur objectioni; & ostenditur eandem esse rationem de quolibet timore pœnarum etjam gehennæ. Nascitur ex amore creaturæ & sui.

RESPONDEBIT ad hoc fortasse A quispiam, Augustinum loqui de pœnarum timore temporalium, qui Iudęorum proprius erat. Illum vero ex sola legis comminatione, & sui-ipsius seu creaturæ amore proficiscí, sine gratia Dei certum est: sed aliud de timore gehennæ sentiendum esse, utpote qui fidem, & propter peculiarem difficultatem, gratiam Dei postulet.

Respondetur, Augustinum sæpissimè loqui generaliter de timore suppliciorum quæ lex quælibet sive vetus sive nova comminatur, inter quæ sane gehenna non est minima. Vnde etjam expressis verbis, timorem gehennæ, timorem legis & litteram & pędagogum nominat, quo ad gratiam perducamur: *Si faceres peccatum Deo non videnti, ergo pœnam times, castitatem nondum amas; charitatem nondum habes: seruiliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi pædagogus legis. Littera est minans, nondum gratia iuvans.* Ecce timor iste gehennæ, pædagogus legis est, est littera tantum minans, non gratia juvans, nempe quia litteræ minantis, non gratiæ juvantis effectus est; haud secus atque timor malorum temporalium, quæ Iudęi, ex legis divinæ comminatione formidabant. Serm. 18. de verb. Apost. c. 6

Nam quod ad ostendendam utriusque timoris differentiam affertur: primò, quòd ad gehennæ timorem fides necessaria sit; etiam timor pœnarum quas Iudæi ex lege formidabant fidem postulabat. Docet hoc expressis verbis Augustinus: *Et illi qui sub lege sunt & timore pœnæ iustitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt Dei iustitiam, quia charitas eam facit, qua non libet nisi quod licet, non timor qui cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate qua mallet, si fieri posset licere quod non licet. Et illi ergo credunt Deo. Nam si omnino non crederent nec pœnam legis utique formidarent.* Vides hic generaliter ad timendam pœnam quam comminantur leges Dei, fidem esse necessariam; quo tamen non obstante cum semper doceat, timorem non ex gratia sed legis cognitione proficisci, perspicuum est, nihil obesse quo minus timor gehennę ex lege seu naturæ viribus nasci dicatur, quamvis necesse sit, ut eum fides antecedat, & eatenus Deo tribui debeat. Lib. de Spir. & lit. c. 32.

Quod vero secundo dicitur, pœnas temporales ex amore sui-ipsius seu creaturæ proficisci, & idcirco ex liberi arbitrij viribus gigni posse, quod ad amandam creaturam sibi sufficit, hoc ipsum invictè probat etjam timorem gehennæ suppositа fide, ex ijsdem naturalibus voluntatis viribus posse pullulare. Est enim certum & perspicuum, ex eodem sui-ipsius & creaturæ non creatoris amore timorem gehennæ prosilire. Quid est enim timor gehennæ nisi timor cruciatuum, quibus post hanc vitam, naturalis corporis atque animi constitutio, integritas ac salus tollitur: quam sicut omnis homo naturaliter diligit, simul atque sibi vel divina fide vel humana opinatione, vitam aliquam corporis atque animæ futuram esse perluaserit, ita quoque naturaliter violationem ejus per dolores atque cruciatus exhorrescit? Nihil enim vetat ex supernaturali aliqua cognitione præeunte naturaliter aliquos timores tristitiasque sequi, dummodo objectum eorum naturalis ordinis fuerit. Itaque sanctus Augustinus apertissimè tradit, timorem gehennæ cruciatuum ex amore creaturæ quæ diligitur proficisci. Nam, rationem reddens, cur timor castus qui ex amore creatoris oritur, permaneat in seculum seculi, timor vero pœnæ mittatur foras: *Quare*, inquit, *nisi quia ille timor, quem foras charitas mittit, propterea pungit animam* NE AMITTATVR ALIQVID, QVOD IN CREATVRA DILIGITVR, VEL IPSA SALVS ET REQVIES CORPORALIS AVT ALIQVID TALE POST MORTEM? PROPTEREA ENIM TIMENTVR ET APVD INFEROS PŒNÆ ET DOLORES AC TORMENTA GEHENNARVM. Inauditum est autem in Augustini principijs, ad diligendam creaturam, aut salutem quietemque corporalem, esse Christi gratiam necessariam, præsertim cum recentiores etjam dilectionem Dei audeant naturæ viribus attribuere, & Augustinus in hoc ipso loco doceat, timorem pœnæ à charitate pelli foras, propterea quia ex creaturæ amore nascitur. Quo enim anima rationalis à creaturarum etjam sui-ipsius amore purior est, eo est castior, sanctior, melior, Deoque gratior. Serm. 21. de Temp. c. 3.

CAPVT XXV.

Amplius declaratur, timorem pœnæ non esse ex Christi gratia, quia facit justitiam inde natam, *ex lege*, & *justitiam nostram*, non ex Deo.

HÆc est igitur causa, cur sexcentis locis Augustinus doceat, eos qui sola legis cognitione, hoc est, timendo supplicium quod lex minatur, præcepta Dei implere conantur, non habere aliud nisi *justitiam ex lege*, *justitiam suam*, non Dei, hoc est, justitiam propriis viribus factam non per gratiam Dei datam, ut per hoc significet pœnarum timorem quem lex incutit, & quicquid ex lege seu ex illo pœnarum timore operamur; non id ex gratia Dei, nempè illa stricte dicta, sed supposita fide ex propriis viribus proficisci. Tunc enim incipimus ex gratia Dei præcepta facere, cum non ex justitiæ seu legis formidine, sed ex justitiæ dilectione operamur. Et hæc est justitia non ex lege, non nostra, seu nostris viribus facta, sed Dei:

Lib. de grat. Christ. c. 13. *Qui novit*, inquit, *quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secundum literam; quamvis multi quod imperat lex facere videantur.* TIMORE PŒNÆ, *non amore justitiæ; quam dicit Apostolus* IVSTITIAM SVAM, QVÆ EX LEGE EST, *tanquam sit imperata,* NON DATA. *Si autem data est, non dicitur justitia nostra, sed* DEI, *quia sic fit nostra, ut sit non ex Deo.* Quod explicans accuratius, in eodem loco adjicit: *Tantum igitur inter legem distat & gratiam, ut cum lex esse non dubitetur ex Deo,* IVSTITIA *tamen quæ* EX LEGE EST, *non fit ex Deo, sed justitia quæ per gratiam consummatur ex Deo.* QUÆ EX LEGE IVSTITIA *dicitur, quæ fit* PROPTER LEGIS MANDATVM, cujus videlicet terrore ad agendum cogimur; *justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium ut non sit* TERRIBILE *sed suave mandatum, sicut scriptum in Psalmo, Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justificationes tuas: id est, ut* NON FORMIDINE PŒNÆ *serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delectet esse cum lege.* Ecce luculentissimè affertum, quod justitia hoc est opus justitiæ, quod ex pœnarum legis timore fit, non fit justitia ex Deo, neque detur à Deo, sed illud solummodo, quod ex infusione suavitatis ac dilectionis operamur. Et sermone decimo-quinto de verbis Apostoli præclarissimè & exactissimè: *Lege Dei proposita (Non concupisces) quisquis timuerit, & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed* TIMENDO PŒNAM, *fuit quidem secundum justitiam quæ* EX LEGE EST *homo sine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui. Potest hoc, potest fortasse. Unde?* TIMORE PŒNÆ. *Quanquam qui* TIMORE PŒNÆ *non concupiscit, puto quia concupiscit &c. Si talis es, adhuc injustitia (tua) est, qua justitiæ tibi consulis,* NE TORQVEARIS. *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter* TIMOREM TVVM, *timoremque latronis, quod latro tunet leges hominũ &c. tu autem leges eius* TIMES, *eius* PŒNAM TIMES, *quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non feciſſes? Ergo & concupiscentiam tuam non amor tollit, sed* TIMOR PREMIT *&c.* Quod explicat similitudine lupi qui quamvis terreatur latratu canum, tamen manet lupus, nisi in ovem vertatur: *Facit enim*, inquit, *& hoc dominus.* SED IPSA EST IVSTITIA EIVS NON TVA. NAM QVAMDIV HABES TVAM, POTES TIMERE PŒNAM NON AMARE IVSTITIAM. Et iterum cum pauca quædam attexuisset ita scribit: *Gentes quæ non sectabantur justitiam quæ* EX LEGE EST, QVASI PROPRIAM SVAM, QVÆ SIT DE TIMORE PŒNÆ, NON DE AMORE IVSTITIÆ, *quia non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem quæ ex fide est.* Et paulo pòst docet Saulum in lapidem offensionis Christum offendisse de ista justitia superbiendo: *Et totum hoc non videre* (id est cæcitas Pauli) *unde erat? De timore superbia. Quid est de timore superbia? Quasi* DE IVSTITIA SVA. *Ex lege quidem sed sua. Quid est,* EX LEGE? *Quia in mandatis legis. Quid est,* DE SVA? *Tanquam de viribus suis. Amor decerat, amor justitiæ, amor charitatis Christi. Et unde illi amor?* SOLVS POSSIDEBAT TIMOR, *sed charitatis ventura locum in corde servabat.* Vides profecto in isto sermone plenissimè, exactissimè, satiatissimèque ab Augustino tanquam rem sibi perspectissimam tradi, quicquid paulo antè de timore & operibus inde proficiscentibus asseruimus. Nempe, justitiam, hoc est, opus justitiæ, non aliam esse quam justitiam EX LEGE, hoc est, justitiam, quam solo legis præcipientis ac terrentis adjutorio operamur, esse justitiam nostram, hoc est nostris viribus factam, non divinitus datam, quantumvis lex ipsa à Deo data fuerit. Denique quamdiu habemus talem justitiam ex lege & nostram, nos posse timere pœnam, non amare justitiam. Quibus omnibus apertissimè significat, supposita fide Dei pœnarumque quas transgressoribus legis comminatur, timorem supplicij intentati, justitiamque ex lege seu operum, ex isto timore propter legis minas concepto pullulantem, ex viribus arbitrij naturalibus proficisci, non per Dei gratiam inspirari. Quod sanè tam est in Augustini operibus tritum ut

mirum

mirum sit in dubium posse revocari. Tradit enim non semel hujusmodi justitiam nostram, quæ ex lege est, hoc est, ut jam audivimus, quam ex legis seu pœnarum timore operamur, non gratiæ Dei, sed nostris viribus esse tribuendam, eamque opponere solet justitiæ Dei, hoc est, quam tribuit per gratiam suam Deus. *Quæ ex Deo est justitia, in fide utique est, qua credimus nobis justitiam divinitus dari, non à nobis in nobis nostris viribus fieri. Nam cur illam justitiam* QVÆ EX LEGE EST, SVAM *dixit Apostolus,* NON EX DEO, *quasi lex non sit ex Deo? Quis hoc nisi impius senserit? Sed quia per litteram jubet, non per Spiritum juvat, quicumque sic audit litteram* A *legis, ut ei sufficere videatur cognovisse quid jubeat, aut prohibeat, quo id se arbitrij sui virtute, impleturum esse confidat, nec fide confugiat adjuvandus ad Spiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat, profecto zelum* Dei *habet, sed non secundum scientiam. Ignorans enim* Dei *justitiam, id est, eam quæ datur ex* Deo, *&* SVAM *volens constituere,* VT TANTVMMODO EX LEGE SIT, hoc est, ex doctrina & terrore legis, *justitiæ Dei non est subjectus.* Nam ut alibi dicit: *Ex lege timemus* Deum, *ex fide speramus in* Deum. Cujusmodi testimonia in Augustino passim obvia sunt, & paulo ante nonnulla allegavimus.

Epist. 106. *Lib. de spir. & lit. c. 29.*

CAPVT XXVI.

Verius ostenditur ex Augustino, Timorem pœnæ, & opus ex isto timore factum, non esse ex Gratia Christi, sed naturæ viribus suppositæ fide.

EX istis igitur Augustini documentis clarum est, timorem pœnæ, & opus justitiæ quod ex timore imperatur, fidem quidem prærequirere, sed ea jam in animo radicata propriè strictèque dictam Christi gratiam non exigere, sed ex proprij arbitrij viribus posse prosilire. Quod si Deus timorem istum suâ providentia in animis peccatorum vel semper vel subinde concitet, vel etiam, si ita libet, interius inspiret, ea longè alterius rationis est, quam ea Christi gratia, de qua hactenus disseruimus. Limites enim naturalis providentiæ, quantum ad substantiam, non excedit, cujusmodi gratiam etjam Pelagiani multis modis agnoverunt & confessi sunt. Ex quo fit, ut Augustinus ijs qui ex timore operantur, gratiam disertis verbis dari neget: *Timentibus*, inquit, *pœnam abscondituer gratia*; hoc est, non datur, *sub quo timore anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus abscesserit, per fidem confugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate &c.* Et alio ejusdem libri loco: *Quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ,* TIMORE PŒNÆ *faciebant, non amore justitiæ.* Et libro secundo contra Iulianum: *Multa multitudo dulcedinis Dominis quam profecto non invidit, & tamen ab scondit timentibus eum.* Nam per dulcedinem illam, ex solemni more suo, Dei gratiam intelligere solet. Et in libro primo ad Simplicianum: *Vitiatus vocatur lex, quando minatur & terret, & vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex est, hoc est, non nisi sola lex, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Eadem quippe lex, quæ per Moysen data est, ut* FORMIDARETVR, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ut impleretur.* Et in Sermonibus de tempore: *Lege terruit, Evangelio*, hoc est, gratiæ, *conversos sanavit: quos ut converteret lege terruerat.* Et in Sermone decimo-octavo de diversis, cùm tradidisset sub lege timorem esse non amorem, subjicit: *Qui autem sub gratia est, non sub lege impiet legem: quia non est diversus, sed pendus; sed decus; nec* TIMENTI *tormentum, sed amanti ornamentum.* Et in Sermone tertio eorum quos in appendice collocarunt: *Alij timent, alij sperant, & de sperantibus & timentibus volo aliquid dicere. Lex timorem habet, gratia spem. Quid autem interest inter legem & gratiam, quandoquidem unus dator & legis & gratiæ? Lex terret de seipso præsumentem, gratia juvat in Deum sperantem.* Et enumeratis quibusdam legibus, atque inter ceteras illa quæ dicit non concupisces, effectum ejus exprimit quem ante gratiam in homine facit: *Audivisti*, inquit, *timuisti, tentasti pugnare, non potuisti superare.* Causam quærit & simul reddit: *Quare hoc*, ait, *nisi quia mandato accepto* TIMVISTI, *non dilexisti*, TIMENDI PŒNAM, *non amasti justitiam. Qui timet pœnam optat si fieri potest facere quod jubeat, & non habere quod timeat.* Et ut intelligeremus neque timorem istum, neque compressionem adulterij quam pœnæ timor imperat, ex gratia Dei proficisci, sed illam tantum quæ ex justitiæ dilectione nascitur: *Tam*, inquit, *gratia est, hoc tibi nolli assumere, viribus tuis nolli tribuere: delectatione facis, bene, charitate facis, bene, annuo, consentio. Iam gustas dulcedinem*, hoc est, gratiam, *si speras in* Dominum. Hoc est, si non amplius ex timore adulterium caves, sed spe gratiæ. Et in quæstionibus super Exodum: *Digito* Dei *quo lex in tabulis conscripta est*, TIMOR INCVSSVS *est eis, qui gratiam nondum intelligebant &c. ut lex illis fieret pædagogus, à quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Christi.* Et in Psalmum nonagesimum iterum iterumq; fidelibus commendat, timorem legis & pœnæ, quo quod jubetur impleri non potest esse sine gratia, sine qua amor justitiæ, qua lex impletur, esse non potest: *Data est illa lex ad timorem, non ad amorem.*

Lib. spir. & lit. c. 29. *Cap. 8.* *Lib. 1. cont. Iul. cap. 1.* *Lib. 1. q. 1. ad Simplic.* *Serm. 22. de Temp. c. 2.* *Serm. 18 de sub gratia c. 1. diverf.* *Serm. 3. in Append.* *In Psal. 90. Conc. 2.*

Vt autem timor converteretur in amorem, occisus est iustus &c. Et post quinquaginta dies, *venit Spiritus sanctus iam in plenitudine amoris, non in pœna timoris.* Et paulo post ut ostenderet, timorem esse sine gratia, amorem cum gratia, in ejusdem propositi pertractatione subnectit: *Ne ergo rei legis fierent,* NON ACCEPTA GRATIA, *& in lege rei tenerentur* &c. *ne pedes huius capitis incurrerent in legis reatum, missus est Spiritus sanctus, ut amorem faceret & solveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; & amaverunt & impleverunt.* Quia ut alibi dicit: *Homo potest facere opus legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ: quæ charitas est gratia novi Testamenti,* hoc est, effectus gratiæ novi Testamenti. In his vides apertissimè traditum eos qui timebant ex lege, non accepisse Spiritum sanctum, non accepisse gratiam, & propterea non impleviſſe legem: neque enim timor legis, sed amor est gratiæ, & ideo amor non timor implet legem. Vnde alibi: *Quid prodest legem accepisse* MINANTEM, id est, incutientem suis minis timorem, *& non adiuvantem, ut sub illa essemus rei ante gratiam? Frustrà lex minatur, ubi iniquitas dominatur.* Et in alio Sermone: *Si vis ergo evadere legem* MINANTEM, seu minis terrentem, *ad Spiritum fuge vivificantem,* hoc est, ad gratiam qua timor legis caret, quia ut statim de eadem lege prohibente minanteque dixerat: VBI GRATIA NON ERAT AVXIT *prohibitio desiderium.* Et in Epistola centesima quadragesima-quarta: *Tantum quisque peccatum odit quantum iustitiam diligit: quod non potest lege* TERRENTE *per litteram, sed Spiritu servante per gratiam.* Sed quid isti veritati asserendæ multis immorer? Quicquid superius de lege diximus, quod adjutorium legis non sit gratia, hoc simul probat, terrorem ac timorem legis non esse gratiam, & quod ex tali timore operamur, non esse opus gratiæ, sed potius ad gratiam odipiscendam viam sternere. Nam legis adjutorium in eo propriè situm est, quod minando terrendoque instar Pædagogi parvulos ad gratiam ducit.

In Psal. 90. Conc. 2.

Quæst. 15. super Deuter.

Serm. 12. de verb. Apost. cap. 1.

Serm. 3. c. 12.

Epist. 144.

Vide lib. 1. de Grat. Christi Salvat. c. 11. & sequ. item de grat. & lib. arbit. c. 20.

CAPVT XXVII.

Ex puro timore pœnæ non potest ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur.

CVM igitur hujusmodi sit pœnæ timor, merito quæritur, utrum ex timore pœnæ vere aliquis fugere posset ac detestari peccatum, ita ut dum peccatum timendo cavet, nullo peccato, sive externo sive interno maculetur. Cujus difficultatis veritas, ut planius pleniusque percipiatur, duo hic supponi volumus; primum de homine sermonem esse, qui jam tenetur peccandi delectatione & voluntate; sed per pœnarum timorem inde revocandus est. Si enim aliunde peccare nolit, nihil est quod ibi timor pœnarum advocetur aut agat. Alterum nullo prorsus alio motivo, quam timoris pœnæ ab eo peccatum fugi. Si enim id ex alio capite adversetur, jam vis timoris percipi nequit, & extra hypothesis nostræ limites egredimur; non enim timore, sed alia ex causa peccatum declinabitur. Doctores igitur Scholastici plerique docent, omnino nos posse, in aliquo actu ex solo timore pœnæ omne peccatum fugere ac detestari, ita videlicet ut intentio vitandi pœnas, fugam omnis peccati ac detestationem velut medium assumat. Quam etiam tanquam attritionem ex timore pœnæ conceptam dispositionem idoneam esse volunt, cui cum Sacramento pœnitentiæ, peccatorum remissio & justificatio tribuatur, prout Concilium Tridentinum videtur tradere.

Sed si secundum divi Augustini principia de ista difficultate sentire volumus, omnino statuendum est, impossibile esse, utille qui in peccandi proposito constitutus est, solâ pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque detestetur, ut non peccet. Docet hoc divus Augustinus, & ab initio susceptæ fidei usque ad extremum vitæ tanta docuit constantia, quanta quicquam in universis operibus suis. Nunquam enim videtur dubitasse, quin in illo qui timore solo coërcet manus, ne malum faciat, malefaciendi tamen voluntas qua sit reus vigeat, quæ tunc in opere quoque esset proderet si pœna comminata tolleretur. Hoc enim apertissimè docet in libro de Spiritu & littera: *Vnde illis (Iudæis) lex iram operabatur abundante peccato quod ab scientibus perpetrabatur. Quia & quicumque faciebant quod lex iubebat, non adiuvante Spiritu gratiæ,* TIMORE PŒNÆ FACIEBANT, *non amore iustitiæ;* AC PER HOC CORAM DEO NON ERAT IN VOLVNTATE, *quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo* REI TENEBANTVR, *quod eos noverat malle si fieri posset impunè, committere.* Et in eodem loco iterum: *Nec audiunt quod legunt: Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram Deo. Potest enim fieri coram hominibus,* NON AVTEM CORAM ILLO QVI CORDIS IPSIVS ET INTIMÆ VOLVNTATIS INSPECTOR EST, *ubi videt etiamsi aliud faciat, qui legem timet, quod tamen malles facere si liceret.* Et inferius in eodem libro: *Ex hac promissione, hoc est, Dei beneficio ipsa lex impletur, sine qua promissione* PRÆVARICATORES FACIT, *vel usque ad effectum malæ operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certè* IN SOLA VOLVNTATE, *si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Et iterum circa finem istius libri: *Quoniam & illi qui timore pœnæ iustitiam suam facere conantur, & ideo non faciunt iustitiam*

Lib. de Spir. & litt. c. 19.

Ibid. cap. 31.

iustitiam Dei, quia charitas eam facit, qua non libet A rum timore Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas, METVSQVE CARNALIS. Sic autem præcepta quæ facit, PROCVL DVBIO INVITVS FACIT, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT. Mavult enim omnino in animo non facere, si secundum ea quæ CVPIT ET METVIT PERMITTATVR IMPVNE. AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE INTVS REVS EST, vbi ipse qui præcipit inspicit Deus. Et in Epistola centesima quadragesima-quarta ad Anastasium: *Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis*, id est, malæ voluntatis, *ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens inveniatur*, QVI VVLT FIERI QVOD VETATVR, SI SVBTRAHAS QVOD TIMETVR? AC PER HOC IN IPSA VOLVNTATE REVS EST, QVI VVLT FACERE *quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest.* Et in Psalmum septuagesimum septimum, hoc ipsum uberius agit: *Poterat putari lex operum quasi sufficere ad iustificationem, cum ea quæ præcipiuntur forinsecus fiant ab eis hominibus qui mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt, & tamen faciunt, ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione iustitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant iustitiam non furantur: & ideo pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate.* Et Concione vigesima-quinta in Psalmum centesimum decimum-octavum, ad illa Davidis verba: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui*, ita loquitur: *Timor iste quo non amatur iustitia sed timetur pœna servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem.* Conc. 25. in Psalm. 118. *Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere & dolet non licere quod lex vetat; quia non spiritaliter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur.* Plura non addo quia ista est doctrina ejus perpetua; & ex tot adductis testimonijs undique tibi consonantibus plenissimè percipitur, constantissimæ veritatis dogma indicari ac teneri ac tradi ab Augustino, quod voluntate reus sit, quantumcunque aliquis ex timore peccatum declinare videatur.

Ibid. in fine. *ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum* (quod omni timenti proprium est) *quod male delectat, & per præceptum scitur illicitum*: ETIAM ISTA QVIPPE CONSENSIO EST AD PECCATVM, QVOD VTIQVE FIERET, NISI PŒNA TERRERET. Et in libro de Natura & gratia idem exprimit exactissimè: *Sub lege est qui timore supplicij quod lex minatur, non amore iustitiæ se scelit abstinere ab opere peccati*, NONDVM LIBER NEC ALIENVS A VOLVNTATE PECCANDI. IN IPSA ENIM VOLVNTATE REVS EST, QVA MALLET SI FIERI POSSET, NON ESSE QVOD TIMET, VT LIBERE FACIAT QVOD OCCVLTE DESIDERAT. Et in libro primo ad Bonifacium non minus luculenter de ipso sancto Paulo tradit, eum antequam Christo crederet, cùm jam etiam in lege versari sine querela videretur, fuisse tamen prævaricatorem legis: *Nec moveat quod ad Philippenses scripsit, secundum iustitiam quæ in lege est quod fuerit sine querela. Potuit enim esse intus* IN AFFECTIONIBVS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, *& tamen conspicua opera legis implere, vel* TIMORE HOMINVM VEL IPSIVS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. *Aliud est enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, ut etiam faceret si hoc posset impune permitti. Nam* SIC PROFECTO IN IPSA INTVS VOLVNTATE PECCAT, QVI NON VOLVNTATE, SED TIMORE NON PECCAT. Et in libro secundo ad eundem Bonifacium: *Quando autem timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum*; NEC FIT IN CORDE QVOD FIERI VIDETVR IN OPERE, QVANDO MALLET HOMO NON FACERE, SI POSSET IMPVNE. Et iterum libro tertio ad Bonifacium hoc ipsum asseverantissimè tradit: *Illi etiam qui quicunque ibi erant, solæ quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro novo Testamento ea ipsa significarent ignorantes, eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed sibi servare videbantur.*

Epist. 144.

In Psal. 77.

Conc. 25. in Psalm. 118.

Lib. 1. ad Bonif. c. 3.

Lib. 3. c. 4.

CAPVT XXVIII.

Ne quidem ex timore gehennæ.

NEQVE responderi hic potest, loqui fortassis Augustinum de timore pœnarum temporalium, non autem de gehennæ divinique judicij metu, eo quod ille tantum externum factum comprimat, iste voluntatem etiam peccandi, quæ A non minus quam peccatum externum sempiterno est plectenda supplicio. Hoc, inquam, responderi non potest. Nam illa loca quæ citavimus, si unus solus excipiatur, de natura timoris loquuntur generaliter, ejusque naturam talem esse declarant, ut sub illo peccandi voluntas

voluntas vivat, pondere timoris pressa potius quam extincta. Quæ loca si cui percurrere libeat, videbit eum sæpius ex ipsa natura timoris generaliter, non ex natura timoris pœnæ temporalis arguere. Unde etiam subinde concludit, per hoc non erat coram Deo in voluntate, quia ex timore faciebant; subinde dicit: Timor aliud habet in voluntate: Non potest opus ex timore fieri coram illo qui intimæ voluntatis inspector est: timens non est alienus à voluntate peccandi: timidus procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit & reus est: timor non crucifigit carnem, quia vivit peccandi voluntas, & hujusmodi. Aliquando etiam expressis verbis se de timore Dei loqui profitetur, deque illo timore, quo etiam justi judicia divina pœnasque trangressoribus legis intentatas timent. Denique non desunt alia diversa loca, quibus eandem doctrinam expressis verbis de timore gehennæ tradit. Sic enim loquitur in Psalmum quadragesimum nonum: *Quam multi sunt qui propterea nolunt malè facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent, & nondum amant justitiam. Si illis promitteretur impunitas, & dicerentur eis: facite quod vultis securi, impunitum erit vobis, emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima.* Et in sermone tertio in appendice legem, quando timetur pœna ejus, operari mortem, ex Apostoli scriptis docet: *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Quare hoc, nisi quia mandato accepto* TIMVISTI, NON DILEXISTI, TIMVISTI PŒNAM, NON DILEXISTI IVSTITIAM? QVI TIMET PŒNAM, OPTAT SI FIERI POTEST, FACERE QVOD LVBEAT, ET NON HABERE QVOD TIMEAT. Ad Christianos Augustinus loquitur, de timore gehennæ loquitur, & tamen eodem prorsus modo peccandi voluntatem sub timore vivere prodetur. Nam exemplo adulteri gehennas formidantis doctrinam suam popularem efficiendo declarat: *Prohibet Deus adulterium, concupisti uxorem alienam, non accedis, non facis, occasionem ei habes tempus, patet locus, decet consensus, tu tamen non facis, unde?* QVIA TIMES PŒNAM. *Sed nullus sciet. Numquid nec Deus? Ita plane, quia scit Deus quid facturus es, non facis: sed & ipsum Deum minantem tremis, non præcipientem diligis. Quare non facis? Quia si faceres, in gehennam mitteris, igitur times. Si castitatem amares, non faceres, etsi omnimodo impunitus excederes.* Quæ sane causa est, ut quando timorem istum gehennarum Christianis explicare conatur, quo nonnulli à peccatis quæ committerent refrenantur, plerumque exemplum mulieris non diligentis sed timentis virum adhibere solet: ut hic ostendat Christianos qui timore pœnarum peccata fugiunt, instar adulteræ flagitium perpetraturæ, nisi viri timore frenaretur, adulterinam peccandi voluntatem intus gerere. Nam tractatu nono in Epistolam Ioannis cum ad Christianos verba faceret, *qui propter timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno*, & simul ad illos qui Deum castè timent ex dilectione, ne *deserat præsentia eius*, qualem animum utrique gerant explicans dicit: *Non potest melius explanari quid interfit inter duos istos timores, unum quem foris mittit charitas* (id est gehennæ) *alterum castum qui permanet in seculum seculi, nisi penas duas mulieres maritatæ, quarum unam ita constituas* VOLENTEM FACERE ADVLTERIVM DELECTARI NEQVITIA, SED TIMERE NE DAMNETVR A MARITO. TIMET MARITVM, *sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum; hinc non grata sed onerosa est mariti præsentia. Et si fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat.* TALES SVNT QVI TIMENT NE VENIAT DIES IVDICII. Ecce quis sit animus eorum qui diem judicij & gehennas timent, & ex illo timore sese à peccando custodiunt. Nempe adulterinum animum gerunt & sine dubio in factum erumperet, nisi pœna premeretur. Et eodem modo in Epistolam ad Honoratum Christianis de timore loquens, *ne incidatur in tormentum supplicij; nam & conjux*, inquit, *quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat*, TAMEN QVOD DEEST OPERI INEST VOLVNTATI. *Casta vero aliter timet: nam & ipsa timet virum, sed castè. Denique timet illa, ne vir insultus adveniat, ista ne offensus abscedat. Non amanti enim præsentia viri molesta est, amanti autem absentia.* Itaque nequitiam in voluntate timentium gehennæ pœnas vivere, etiam alijs diversis locis ex professo tradit. Nam in sermone quarto de diversis ad Christianos item de timore pœnæ & amore justitiæ seu charitate differens: *Nam multi faciunt ex timore. Sed qui faciunt legem timendo pœnam, mallent non esse quod timerent. Qui autem faciunt legem amando justitiam, gaudent & ibi quia non habent iniquitatem.* Et in sermone decimo nono de verbis Apostoli: *Audeo dicere si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, qua credis futurum Dei esse dictum gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ.* Nempe quia ut in eodem capite latius explicuerat, cor timentis nullo pacto ex timore mutatur: *Deus enim*, inquit, *cor interrogat, non malum. Lupus venit ad ovile ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare. Vigilant pastores, latrant canes, nihil poterit, non auffert, non occidit, sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovem redyit?* LVPVS VENIT TREMENS, LVPVS REDIT TREMENS, LVPVS EST TAMEN ET TREMENS ET FREMENS. Et in sermone decimo quinto de verbis Apostoli luculentissimè ipsum illud exemplum tractat, & de timore pœnarum quas Deus infert se loqui, malamque voluntatem non posse solo timore corrigi profitetur. Audi eum elegantissimè de timoris potestate differentem: *Lege Dei proposita quisquis timuerit, & suis viribus eam implere se posse putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed* TIMENDO PŒNAM, *fuit quidem secundum justitiam quæ in lege est sine querela, non furatur, non adulterat, non dixit falsum testimonium, non facit homicidium.* Hactenus externa facta vides, quæ non tantum amore justitiæ, sed etiam

In Psal. 49.

Serm. 3. in Append.

Ibid. immed. post.

Tract. 9. in Epist. Ioan.

Epist. 120. c. 21.

Serm. 4. de divers. 7.

Serm. 19. de verb. Apost. c. 9.

Ibid.

Serm. 15. de verb. Apost. c. 6.

etiam timore comprimi possunt, nunc accedit ad ipsam malam voluntatem : NON CONCVPISCIT REM PROXIMI SVI. *Potest hoc, potest fortassis. Vnde?* TIMORE PŒNÆ. QVANQVAM QVI TIMORE PŒNÆ NON CONCVPISCIT, PVTO QVIA CONCVPISCIT. Explicat hoc & probat exempli sensibilis ac notissimi comparatione : *Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis vel obviam eunti, etiam leo revocatur à præda : & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit,* NON MALITIAM POSVIT. *Si talis es, adhuc iustitia (tua) est, quâ iustitiâ* TIBI CONSVLIS NE TORQVEARIS. *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque Latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum : Tu autem leges eius times, eius pœnam times, quem fallere non potes.* NAM SI FALLERE POSSES, QVID NON FECISSES? ERGO ET CONCVPISCENTIAM TVAM MALAM NON AMOR TOLLIT, SED TIMOR PREMIT. Quod iterum alterius non minus appositi exempli productione declarat : *Ad ovile venit lupus, latratu canum, & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus; ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur. Facit enim & hoc Dominus sed ipsa est iustitia eius non tua. Nam quamdiu habes tuam potes timere pœnam non amare iustitiam.* Ecce perspicuè assertum & planissimè traditum, exactèque explicatum, quod ille qui non concupiscit rem proximi, non solum timore hominum, sed etiam timore Dei, revera adhuc concupiscit rem proximi sui, quia timor ille non tollit concupiscentiam, hoc est, voluntatem malam, sed tantum premit, ne in externum scelus erumpat : Quod isle nefarijs ac sceleratis, ac latronibus par sit, qui cum nequissimam habeant voluntatem, timore compressi nihil exterius nocent : quod si fallere posset Deum, voluntas illa factis sese proderet: Quod voluntas atque animus ejus perinde mutentur atque leo & lupus, qui sive fremant, sive tremant, sive furore rapiant, sive timore reprimantur, sive eant ad caulam, sive redeant, semper manent leo ac lupus. Ex quibus omnibus undequaque sibi concinentibus manifestissimum est in Augustini doctrina, impossibile prorsus esse, ut ex puro timore pœnæ, sive hominum, sive Dei aliquod justitiæ præceptum impleatur, vel peccatum ita caveatur, ut animus prævaricationis non sit reus.

CAPVT XXIX.

Radix prima istius doctrinæ, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum sed aliud quippiam.

QVOD si principia quibus Augustini doctrina tam asseveranter consignata nititur, ponderare voluerimus, fortassis etiam ratio sublucebit, cur alicui sic omnino sentiendum esse, videri posset. Primum igitur principium Augustini videtur esse, quia Philosophorum omnium unanimis & certa sententia est, ea quæ aguntur purè ex metu, nulloque alio ex capite suscipiuntur (de quibus nobis sermo est) esse involuntaria secundum se spectata, prout vero hic & nunc aguntur, voluntaria; hoc est, esse ex utroque mixta. Ita Aristoteles, Nemesius, quem alij Gregorium Nyssenum vocant, Damascenus, divus Thomas, & ad unum omnes. Ex quo fit ut hujusmodi voluntatis actum conjunctum habeat, nollem hoc facere vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer. Res enim secundum se considerata, non continet ullam rationem boni aut commodi propter quam appeteretur, vel si quam continet, illa non spectatur, sed potius animus ab eo aversus est, ut supponimus. Si enim aliâ consideratione, quam solius mali evadendi causa, hoc est alia quam purè ex metu appetatur, jam extra hypothesin evagamur, qua constituimus purè aliquem ex metu pœnæ evadendæ præceptum affirmativum aut negativum facere aut non facere. Qui ergo purè ex metu facit, necessario talem sentit animi repugnantiam ad id quod metu facit. Vnde sanctus Thomas assignans differentiam ejus qui aliquid ex concupiscentia & metu agit, *in eo*, inquit, *qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id quod prius repudiabat, & ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium. Sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo. Nam incontinens concupiscentiæ agit contra id quod prius proponebat, non autem contra id quod nunc vult* : SED TIMIDVS AGIT CONTRA ID QVOD ETIAM NVNC SECVNDVM SE VVLT. D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 7. ad 2.

Quod igitur sanctus Thomas de omni illo qui purè ex metu agit, generaliter tradit, eum scilicet etiam tunc cum aliquid ex metu agit, habere contrariam voluntatem, hoc ipsum sanctus Augustinus non semel specialiter de illo docet, qui præceptum timore pœnæ observare vel peccatum evitare conatur, & ex hac ipsa voluntate effici reum. Nam quid clarius

clarius dici potest, quam id quod de hujusmodi homine ex timore pœnarum operante dicit: *Vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas.* In Psal. 118. conc. 25. Et iterum: *Cùm vero pœna creditur secutura, latenter vivit voluntas peccandi, vivit tamen.* Quid isto luculentius? *Qui timet pœnam* OPTAT *si fieri potest, facere quod lubeat, & non habere quod timeat.* Serm. 3. in Append. Epist. 144. Quid isto prægnantius? *Etsi non impleatur forsitan negotium malæ cupiditatis, id est voluntatis, ipsa tamen mala cupiditas mihi est hostis.* Hoc autem sine reatu esse, fieri nullo pacto potest, ut statim addit: *Et quis coram Deo innocens inveniur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est* &c. Quid illo expressius & asseverantius? *Sic autem præcepta qui facit,* timore pœnæ, *procul dubio* INVITVS, id est, animo repugnante & contrarium volente FACIT, *& per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino in animo non facere* &c. An vero hoc sine peccati reatu? Audi: *Ac per hoc* IN IPSA VOLVNTATE INTVS EST REVS, *ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.* Lib. 2. ad Bonif. c. 4. Quid isto confidentius quod de sancto Paulo pœnarum timore legem observante tradit, quod esset *situs in affectionibus pravis prævaricator legis & tamen conspicua opera legis impleret;* & quod ille qui sic operatur, *ad malefaciendum sic voluntate inclinetur, ut etiam facere, si hoc posset impunè committi.* Lib. 1. ad Bonif. c. 9. Sed audi quo fructu: *Sic profectò in ipsa voluntate peccat, qui* NON VOLVNTATE SED TIMORE NON PECCAT. Quid isto absolutius & manifestius: *Timore pœnæ faciebant, non amore iustitiæ:* Lib. de Spir. & lit. c. 8. AC PER HOC CORAM DEO NON ERAT IN VOLVNTATE QVOD CORAM HOMINIBVS APPAREBAT IN OPERE. An ergo tales innocentes? *Potiusque ex illo rei tenebuntur, quod eos noverat malle si fieri posset impunè committere.* Quid isto limatius & exactius pro asserenda cujuslibet purè timentis repugnantia? *Timor cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate, quæ mallet si fieri posset, licere quod non licet.* Cap. 32. Itemque isto: *Potest fieri* tale opus legis ex timore *coram hominibus, non autem coram illo qui cordis ipsius,* ET INTIMÆ VOLVNTATIS *inspector est, ubi videt etiamsi aliud faciat, qui* LEGEM TIMET, *quod tamen mallet facere si liceret.* Cap. 8.

Quæ sanè omnia sancti Augustini apertissima testimonia & plura quæ produci possent, luculentè ostendunt, verissimum esse quod diximus in omnibus illis qui solo timore pœnæ peccatum cavere volunt, manere voluntatis repugnantiam qua nollent facere, si pœna tolleretur, & ex illa ipsa conjuncta voluntate omnes coram Deo peccati esse reos. Nam Augustinus istud non ex peculiari alicujus timentis dispositione, sed ex ipsa natura timoris colligit: PROCVL DVBIO INVITVS, inquit, *facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino* &c. Et iterum: *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate,* quia scilicet timore faciebant. Et rursum generalissimè: *Timor cogitur habere in opere, cum aliud habeat in voluntate,* & similia quibus ex ipsa natura timoris colligit timentis aversam & adversam, ideoque ream esse voluntatem. Quod divus Thomas generalissimis & accuratissimis & clarissimis verbis dicit: TIMIDVS AGIT CONTRA ID, QVOD ETIAM NVNC SECVNDVM SE VVLT.

Quod quidem sancti Thomæ pronuntiatum, itemque ceterorum Philosophorum doctrina, qua generaliter docent, id quod ex metu fit, esse involuntarium secundum quid, seu mixtum ex voluntario & involuntario, quatenus voluntas id amplectitur, sed cum repugnantia, qua illud simul aversatur & ut Augustinus loquitur, mallet aliud, non mediocriter Scholasticos Doctores torquet. Difficulter enim possunt cum ista doctrina conciliare opinionem suam, qua docent observantiam præceptorum, & pœnitentiam ex gehennæ metu profectam nihil malæ voluntatis admixtum continere. Hinc in varias istius difficultatis solutiones distracti sunt. Alij ista Philosophorum atque Theologorum dicta volunt solum particulariter esse vera, & quasdam exceptiones pati, quas tamen ipsi tanquam doctrinales regulas ideoque generales indubitanter ex ipsa natura metûs tradunt. Alij regulas figunt, quando ei quod metu fit repugnantia voluntatis misceatur, & quando non. Inter quos qui probabilius ratiocinantur & fundamentalem afferre volunt rationem tunc aiunt nihil admisceri repugnantiæ vel involuntarij, *quando id quod metu fit, simul habet aliam rationem boni sive honesti, sive utilis præter evasionem mali quod metuitur, etiamsi simul aliquid molestiæ contineat.* Iam vero observantia mandatorum Dei, & pœnitentia peccatoris non tantum habent illam rationem boni, quod conducant ad evadendas pœnas inferni, sed etiam sint consentanea rectæ rationi & justitiæ, ideoque licet ex metu præstentur, non est necesse ut sint involuntaria secundum quid. Cujus rationem esse dicunt, quia tunc licet metus occasionem det, tamen concurrit aliud motivum potius, quod etiam non concurrente periculo mali obtinet locum suum aut vigorem, quod proinde tollit aut impedit illam imperfectam repugnantiam voluntatis, quæ quasi per se tunc nascitur, quando tota ratio boni est tantum fuga & evasio mali. Ad generalem igitur ac doctrinalem propositionem illam Philosophorum ac divi Thomæ respondent, hoc sensu veram esse, quod metus causet involuntarium secundum quid, ubi opus simpliciter & tantum ex metu ut totali motivo fit, non autem de eo ubi forsitan metus aliquod dedit initium tantum, vel occasionem operi, quod alioquin continet aliam rationem boni per se gratam & acceptabilem à voluntate. Iacen. Vide 1. 2. q. 6. art. 6. ad 3.

Quæ quidem doctrina Scholasticorum videtur esse valdè rationabilis, sed non soluit nodum, qui proponitur. Nam quemadmodum Philosophi istam doctrinam de metu tradunt, ipsam naturam ejus intuentes, & quando solus, nullo alio motivo temperatus ad agendum impellit, partesque suas agit; ita nos cum Augustino

Augustino de illo loquimur, qui non nisi metu pœnæ Dei præcepta custodit, & peccata detestatur. Quid enim ad impediendam voluntatis repugnantiam facit, quod præceptorum observantia, & pœnitentia peccatoris continent aliam rationem honestatis per se gratam voluntati, si illa non spectetur, nec moveat animum, nec à voluntate appetatur? Si enim ista moveat jam eatenus non fit ex metu, sed ex honestatis internæ desiderio, hoc est, ex dilectione justitiæ, ut Augustinus loqui solet, quæ in præcepti observatione & pœnitentia effulgens animum non serviliter terrendo, sed liberaliter delectando trahit. Sed hujusmodi præceptorum quorumlibet etiam de pœnitendo custodia, jam non est illa de qua nos & ante nos Augustinus loquitur, sed ei potius quę ex timore pœnarum nascitur, est contraria, Nam inde est quod Augustinus in illis locis quæ citavimus, pœnæ timorem, justitiæ dilectioni semper opponit: *Timore*, inquit, *pœnæ faciebant, non amore justitiæ, ac per hoc non erat in voluntate: Qui timore supplicij non amore justitiæ sentit se abstinere nondum liber nec alienus a voluntate peccandi: Potuit conspicua opera legis implere, sed pœnæ formidine, non dilectione ac delectatione justitiæ. Sic profectio in ipsa intus voluntate peccat: quando timore pœnæ non amore justitiæ fit bonum. Non sit in corde quod fieri videtur in opere*, & similia sæpius ab ipso repetita. Dilectio verò justitiæ non est aliud Augustino, quam appetitus illius rectitudinis & æquitatis & honestatis quam repræsentat oculis præceptum Dei, sive de bene vivendo sive de pœnitendo. Ac de omnibus universim qui sic præcepta custodiunt, timore videlicet pœnæ, non amore justitiæ, generatim tradit, quod *non voluntate* custodiunt, quod *procul dubio invitj faciunt, ac per hoc in animo non faciunt*: quod *coram Deo non fit in voluntate quod coram hominibus apparet in opere*: quod *potest fieri coram hominibus, non autem coram illo qui intimæ voluntatis inspector est*; quod *mallent si fieri posset, non esse quod timeant*; quod *mallent non facere si possent impunè*: quod *malunt omnino in animo non facere si permittantur impunè*: quod *mallent non præcipi, quæ non ex corde faciunt*: quod *mallent licere & dolent non licere quod lex vetat*: quod *latenter vivit peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas*: quod *timor cogitur in opere habere quod licet, cum aliud habeat in voluntate*, & hujusmodi. Quæ sanè perspicuè declarant, omnem illum qui ex timore præcepta custodit, planè talem voluntatis repugnantiam persentiscere, nec esse rationes alias honestatis, quibus animus ex timore operantis incitetur. Nam quando de illis disputatur, qui ex timore præcepta faciunt, non de illis sermo est, quibus timor pœnæ aliquod initium aut occasionem præcepta faciendi aut pœnitendi præbet, sed de illis quibus timor est ratio bene vivendi aut pœnitendi, hoc est, in quibus efficax timor habet rationem voluntatis finis, ex cujus intentione præcepti observatio aut pœnitentia, velut medium assumitur. Nam illo priori modo, timor non est circumstantia alterius actus, videlicet observationis aut pœnitentiæ, sed est tantum quædam occasio & quasi causa extrinseca ejus; & ideo non potest ei defectum aliquem aut malitiam affricare. Nam ad operandum id quod bonum est, aut ad pœnitendum, etiam ex peccato licitum & bonum est occasionem sumere: non quod peccatum ideo perpetrandum sit, sed quod eo perpetrato, bonum sit ad faciendam justitiam aut pœnitentiam ejus occasione commoveri. Quo sane modo pœnæ timor etiam ad contritionem & dilectionem Dei occasio esse potest & solet; sed in illo priori modo tota ratio faciendi, est metus, & ideo nihil mirum est, si id quod metui proprium est, in animo præcepta sic facientis aut pœnitentis operetur, hoc est, si relinquat animum involuntarium, invitum & repugnantem.

Hinc igitur proficiscitur id quod Augustinus consequenter tradit, eum qui ex timore pœnæ præcepta facere conatur, non voluntate duci, sed timore cogi ad ea facienda: *Timor*, inquit, *cogitur in opere habere quod licet*. Et in Epistolam ad Galatas: *Timore ista implere cogebantur*. Et inferius: *Qui per charitatem servit, liberè servit, & sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur*. Vnde divus Thomas quodam loco vim illam qua cogi ad aliquid faciendum aut volendum dicimur, cum timore confundit: *Hæc*, inquit, *coactio* (videlicet non absoluta, sed secundum quid sive conditionata) *fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens; ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo*. Et infra iterum: *Quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus*. Ex quo efficitur impossibile esse, ut præceptum ad quod aliquis faciendum timore cogitur, volenter aut libenter faciat, hoc est, ut non sit invitus animoque repugnanti. Nam coactio, (non illa plena qua voluntas libera cogi nequit) sed illa temperata, qua quippiā coacti facere dicimur, essentialiter repugnat voluntati, prout à voluntate dicimur volentes & non inviti facere; & intrinsecè involvit, ut animus invitus & prorsus repugnans & involuntarius, quasi obtorto collo ad agendum pertrahatur, nolletque facere si per metum liceret. Vnde Iuliano dicenti hominem cogi velle quod bonum est, respondet Augustinus: *Si cogitur non vult*, id est, invitus est & nolens: *Et quid absurdius quam ut dicatur nolens velle quod bonum est*. Sed hoc ipsum ex professo cum hæreticis de voluntate disputans, tanquam rem certissimam notissimamque tradens docet: *Nobis*, inquit, *voluntas nostra* (à qua videlicet volentes & non coacti facere quippiam dicimur) *notissima est. Neque enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirem. Definitur itaq; isto modo: Voluntas est animi motus* COGENTE NVLLO *ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendū. Cur ergo ita tunc* (cum in hæresi erraremus) *desinere non possem? An erat difficile videre* INVITVM VOLENTI

Lib. de Spir. & lit. c. 12. In epist. ad Galat.

D. Thom. in 1. 2. q. 6. art. 5. ad 3.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. fol. 15.

Lib. de duab. animab. c. 10.

VOLENTI *esse cõtrarium, ita ut contrarium sinistrum* A *dextro esse dicimus, non ut nigrum albo? Nam eadem res simul & nigra & alba esse non potest: duorum autem in medio quisque positus ad alterum sinister esse, ad alterum dexter; simul quidem utrumque unus homo potest, sed simul utrumque ad unum hominem nullo modo potest. Ita invitus & volens simul esse quidem unius animus potest, sed unum atque eodem nolle simul & velle non potest. Cùm enim quisque* INVITVS *aliquid facit, si eum roges, utrum id facere velit? Nolle se dicet. Item si roges, utrum id velit non facere? Velle respondet. Ita* INVITVM *ad faciendum, ad non faciendum autem* VOLENTEM *reperies; id est enim unum animum uno tempore habere utrumque, sed aliud atque aliud ad singula referentem.* Iam vide quomodo ista per se certissima notissimaque ad propositum de coactione referat, quam malorum imminentium comminatio & metus facit. *Cur hæc dico?* inquit. *Quia si rursum quæramus quam ob* B *causam id invitus faciat,* COGI SE DICET. NAM ET OMNIS INVITVS FACIENS COGITVR, ET OMNIS QVI COGITVR, SI FACIT, NON NISI INVITVS FACIT. *Restat ut volens à cogente sit liber, etiam si se quispiam cogi putet. Et hoc enim modo, omnis qui* VOLENS FACIT NON COGITVR; ET OMNIS QVI NON COGITVR, AVT VOLENS FACIT, AVT NON FACIT. Quod non esse abstrusæ Philosophiæ documentum, sed ubique manifestum, & non doctrinâ, sed naturâ omnibus promptum, quod in omnibus hominibus, quos non absurdè interrogare possemus, à puero usque ad senem, à ludo litterario usq; ad solium sapientis natura proclamet, in eodem loco consequenter tradit. Cùm igitur omnis qui purè ex timore pœnæ præceptum facit, cogatur, & omnis qui cogitur essentialiter sit invitus & nolit, impossibile est, ut ille qui præceptum aut pœnitentiam ex timore pœnæ facit, non sit invitus, C non animo nolenti, non repugnanti, & non mallet non facere, si impunè liceret. Quod si

Lib. de duab. animab. c. 10

fortè præceptum ex alio simul motivo quam ex timore pœnæ amplecti & facere dicatur, non repugno; sed cessat hypothesis nostræ controversiæ, qua ipsum duntaxat pœnæ timore facere, non honestatis aut justitiæ dilectione supponimus.

Hinc igitur illæ toties repetitæ sententiæ nascuntur, quod si pœnæ timore præceptum fiat, *coram Deo non sit in voluntate*; quod *aliud habent in voluntate*; quod *malunt si fieri posset non esse quod timeant*; quod, *volunt fieri quod vetatur*; quod *mallent non præcipi*; quod *non ex corde faciunt*: quod *mallent licere, & dolent non licere*; denique *quod qui sic præcepta faciunt,* PROCVL DVBIO *inviti faciunt, ac per hoc in animo non faciunt.* Quod *qui timore pœnæ opus legis facit, profectò invitus facit.* Quæ omnia pronuntiata generalia sunt, ex ipsa timoris pœnarum, & ex timore facientis consideratione profecta. Inde consequenter nascitur ista iterum iterumque concluſa ratiocinatio: *Ac per hoc potius ex illo rei tenentur, quod eos noverat malle. Profectò in ipsa voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat: ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest.* Quæ omnia sicut ostendunt impossibile esse, ut ille qui ex metu supplicij præceptum facit, non sit invitus, adjunctamque non habeat voluntatem malam, ita etiam ostendunt, impossibile esse, ut ex illa mala voluntate latenter vivente non sit reus. Hinc illa sancti Augustini sententia generalis. *Quantum ad opera attinet quæ foris secus aguntur, & qui timet pœnam, & qui amat iustitiam non facit contra mandatum: & ideo pares quidem sunt manu, sed dispares corde, similes actione, dissimiles voluntate.* Et illa, quæ clarius istam disparitatem voluntatis juxta principia ipsius identidem inculcata proponit: *Qui timore non peccat, quamvis non nocet, cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet: & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.*

Ep. 144. apud Prosp. 143. de vocat. gent. Comment. in Psal. 77

Sent. 119.

CAPVT XXX.

Secunda radix, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor justitiæ.

SED ut uberius ac planius eadem ista A veritas eluceſcat, alterum Augustini principium proferamus, cui ipse incumbens docuit, non posse timore pœnæ voluntatem ita mutari, ut præceptum ex illo timore observando non peccet. Secundum igitur principium est, quod impossibile est, eum qui peccandi voluntate detinetur, solo pœnæ timore mutare voluntatem, sed hoc proprium officium est charitatis, qua animus à peccati tanquam injustitiæ dilectione, ad justitiæ dilectionem transferatur. Timor enim premit, non exhaurit cupiditatem, continet manum non animum, qui eodem modo ac si non timeret, peccato alicui affixus manet. Tradit hoc ipsum non semel Augustinus: *Timor*, inquit, *id agebat, ne faceres, charitas id agit, ne velis facere, etiamsi impunè posſis admittere*, ubi expressè de *timore gehennæ* loquebatur. Et Sermone decimo-quinto de verbis Apostoli: *Concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit*; ubi de *timore Dei*, non hominum sermonem facit. Et Sermone trigesimo-nono de Tempore: *Quis quis vetus peccatum vis extinguere mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem.* Et in Epistola ad Anastasium, ubi de timore pœnæ & justitiæ dilectione ex professo disputat: *Pœna corporis* ETSI NON A VOLVNTATE, *tamen revocat ab opere peccati.* Itaque in eadem

Serm. 18. de verb. Apost. cap. 9.

Serm. 15. c. 4.

Serm. 39. de Temp.

Epist. 144.

Epistola

Epistola eodem loco addit: *Diuiniter victorem se putat esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia est non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen malæ cupiditatis intus est hostis.* Vnde alibi supplens istam sententiam addit: *Neque id fit veraciter atque sinceriter nisi veræ delectatione iustitiæ. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. Quem nisi Deus ipse non donat.* Et in libro de Moribus Ecclesiæ hoc ipsum tanquam Ecclesiæ sensum ac doctrinam tradit: *Mérito apud te* (Ecclesiam Catholicam) *vosum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, & cohibetur pœnæ metu non amore virtutis obruitur.* Nam ibi exprimitur status omnium eorum qui timore pœnæ quasi ex lege solum terrente, non charitate justitiæ delectante, præceptum observare conantur. Vnde & illa absoluta sententia: *Non bonus est quispiam timore pœnæ, sed amore iustitiæ.* Nam boni efficimur sola mutatione voluntatis.

Cujus quidem rei causam si quis Augustini principijs inhærendo investigare velit, non difficile fortassis ad ipsum latentis veritatis cubile perducetur. Nam ratio videtur esse, quod voluntas peccandi qua quispiam detinetur non potest exui vel deponi, ita ut ipsum peccatum, & non aliquid aliud avertetur atque oderit, nisi contraria voluntate benefaciendi; illa autem voluntas non potest ullo pacto haberi ex terrore legis, hoc est, ex timore pœnæ quam lex minatur, sed est proprius effectus charitatis, hoc est, dilectionis iustitiæ. Nam per istam justitiæ dilectionem ipsum benefactum, quatenus bene seu justè factum est, diligitur: quod nisi diligatur, semper animus quicquid dilexerit, malè diligit, & in perversa voluntate manet. Audi hæc de re sanctum Augustinum asseverantissimè securissimeque pronuntiantem: *Prohibitio peccati, quod est lex, auget profecto desiderium peccandi, quod non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Hoc autem non præstat littera tubens, sed Spiritus iuuans, non ergo lex, sed gratia.* Quid sit autem illa dilectio per quam fides operatur, & quod lex aliquid facere dicitur, quatenus timor pœnæ quam lex minatur aliquid facit, statim eandem sententiam repetendo subjungit: *Virtus peccati lex est, cum per illam operatur omnem concupiscentiam, inflammando desiderium peccati per prohibitionem:* QVOD NON EXTINGVITVR PER IVBENTEM LITTERAM TIMORE PŒNÆ, SED PER IVVANTEM SPIRITVM DILECTIONE IVSTITIÆ. Hoc ipsum etiam cum Pelagianis dimicans exsertè tradit: *Sed ubi sanctus non adiuvat Spiritus,* INSPIRANS PRO CONCVPISCENTIA MALA CONCVPISCENTIAM BONAM, *hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris, profectò illa lex* (quantumcumque videlicet terrorem incutiat) *quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito; cuius molem cum evicerit maiore cumulo præcipitatus violentius per prona pro-*

Ibid. *Lib. 21. de Civit. c. 16.* *Lib. de nat. & Gratia c. 30* *Epist. 89.* *Lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. c. 9.* *Lib. de Spir. & lit. c. 4.*

A *volvitur.* Ecce quoties asserit, fieri non posse, ut timore vel aliâ ullâ ratione peccandi cupiditas nisi sola charitatis justitiæ diffusione tollatur: quandoquidem lex cum omnibus terroribus pœnæ quos incusserit, augeat potius quàm auferat peccandi voluntatem, quantumvis aliquando externi operis executionem comprimat. Quem coërcendi peccati modum tanquam timori proprium, relicta semper peccandi voluntate, post multa interposita, luculentè subjicit: *sine qua præmissione,* hoc est, Dei beneficio dilectionem justitiæ tribuentis; *lex prævaricatores facit: vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris, concupiscentiæ flamma transcenderit: vel certè in sola voluntate,* SI TIMOR PŒNÆ SVAVITATEM LIBIDINIS VICERIT. Quisquis igitur vult animum ab eo in quod voluntate ferebatur peccato, pœnarum timore refrenare, videtur quidem ab eo abstrahere & mutare voluntatem, sed revera non mutat. Quod non solum ex ista conjuncta voluntate, de qua supra diximus, quâ videlicet mallet id ipsum facere si impunè liceret, sed etiam ex ipsa ratione formali objecti, sub qua peccatum declinare nititur, perspicuum esse potest. Timens enim non ideo peccatum horret, quia peccatum est, sed quia corpori dolorificum; quod non est peccatum odisse, sed dolores. Vnde animus erga peccatum, erga justitiam qua vetatur idem prorsus manet. Quod ex operibus bonis peccato diversis, quæ per præcepti observationem ex timore supplicij operatur, luculentius patet. Qui enim ex illo timore facit eleemosynam, non eleemosynæ justitiam aut bonitatem diligit, sed à pœnis liberationem, hoc est, incolumitatem suam: erga justitiam vero eleemosynæ prorsus idem ipse permanet, sive eam ex timore faciat, sive non faciat, & consequenter erga peccatum quo antequam pœnas formidaret, eleemosynam horrescebat. Diserte verbis tradit etiam hoc ipsum Augustinus; *Animus erit iustitiæ* (hoc est, diliget justitiam operis boni) *si eius amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et iterum paulo post: *Tantum potro quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit, quod non poterit lege terrente,* id est, pœnæ timorem incutiente, *per litteram, sed Spiritu sanante per gratiam.* Itaque ut peccatum quod aliquis diligebat odisse, & opus præcepti quod oderit, dilexisse, & ita voluntatem animique constitutionem mutasse censeatur, non est satis ut illud quoquo modo declinet, & illud faciat, sed opus est ut peccati malitiam oderit, & boni operis justitiam diligat. Hæc est enim vera ratio, & quasi anima medullaque operis & mali & boni. Quas quamdiu voluntate non odit aut diligit, non peccatum aut opus bonum odit aut diligit, sed prorsus aliud, quamvis exterius faciendo, utriusque quasi cadaver operetur. Ex quo fieri potest, ut peccatum

Epist. 144. ad Anast. *Ibid.* *Ibid. cap. 13*

ita fugiendo maximè diligere, & opus bonum ita diligendo, maximè odisse possit. Hoc enim odio habetur aut diligitur, propter quod quippiam oderis aut dilexeris. Et ex ista ratione pretium odij vel amoris trahitur, & coram Deo ponderatur. Nam eandem materialem actionem, eodem adversus ipsam animo permanente, propter eandem rationem, & abijcere & assumere; & propter diversas & odisse possumus & diligere. Sic enim qui jejunium præcepto mandatum odit, ex epulandi desiderio & jejunare & comuessari potest: & jejunium propter internam ejus difficultatem odisse, propter externam incolumitatem aut timorem gehennæ diligere, eâdem perseverante erga jejunium in se spectatum aversione voluntatis. Qua consideratione dixit Augustinus de illis qui jejunant epulaturi, ne videlicet ventrem præoccupent vilia, & non possint admittere pretiosa; *Magnum opus, Christianum opus ieiunium.* In Psal. 86. *Noli cito laudare, quare causam, negotium ventris agitur, non religionis.* Et paulo post: *Continent se maiori incontinentiâ.* Quâ consideratione dixit de illis qui non propter Deum quærunt Deum, quod hujusmodi non quærunt Deum; hoc enim quæritur, propter quod aliquid In Psal. 77. quæritur: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant, quia eo modo timore servili non liberali dilectione Deus colitur.* SIC ERGO DEVS NON COLITVR. HOC ENIM COLITVR QVOD DILIGITVR. Et de similibus Deum ad obtinendum aliquid ab eo colentibus ibidem loquens: *Ea potius diligebant, propter quæ Dei adiutorium requirebant.* Et In Psal. 67. alibi: *Propterea seruiunt, vel potius propterea servire nolunt.* Qua consideratione ut ad rem propius accedatur, dixit de Iudæis qui opera bona ex rei temporalis dilectione facere videbantur: Conc. 26. in Psalm. 118. *Propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur,* NEQVE FACIEBANT, QVIA NON IPSA SED ALIVD DILIGEBANT. *Vnde illa non erant opera volentium, sed onera potius invitorum.* Quod sanè multo majori ratione de operantibus bonum, vel peccatum fugientibus ex timore pœnæ dicere poterat. Nam istâ prorsus eâdem consideratione dixit, quod superius retulimus: *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Quâ consideratione dixit in Epistolam ad Galatas, quod Iudæi præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, In Epist. ad Galat. timore implere non poterant; *Quia & hominem si propterea non occidit aliquis, ne & ipse occidatur, non implet præceptum iustitiæ;* SED SIDEO NON OCCIDAT QVIA INIVSTVM EST, *etiamsi facere posit impunè, non solum apud homines sed etiam apud Deum.* Quisquis ergo peccatum homicidij, vel quodcumque tandem quod perpetrare cupiebat, ex timore gehennæ aut cavet aut dolet, non hoc spectat, quia injustum est, (hoc est enim illius cælestis charitatis, quam sexcentis locis Augustinus justitiæ dilectionem vocat) sed tantummodo quod gehennas in se veluti semen continet, hoc est, quod incolumitatem corporis doloribus destruit; cujusmodi peccati devitatio & horror & detestatio, nullo modo mutat animum aut voluntatem, sed cum perfecta peccati dilectione consistere potest. Sic enim & nos homines quotidie gravium pœnarum metu, consuetudinem eorum fugimus quos diligimus, & ijs quos oderimus benefacimus, eâdem prorsus dilectionis & odij, quæ præcedebat perseverante voluntate. Non enim repugnat rem quatenus delectabilis est diligere & facere velle, & quatenus pœnas continet, velle vitare. Sicut ergo peccati in se spectati dilectio, cum ejus detestatione propter pœnas consistere potest, ita in ijs qui incipiunt à timore pœnæ etiam consistere solet. Quod tunc appareret, si subito timor omnis pœnæ, datâ securitate, tolleretur. Tolleretur enim ratio tota cur vitabatur, & nisi ex alio capite voluntas mutata sit, statim iterum in eadem facta prorumperet quæ diligebat. Quod Augustinus alibi dixit: *Si illis promitteretur impunitas, & diceretur eis, facite quod vultis securi, impunitum erit vobis, emitterent pregressus libidinum suarum in quæque nequissima.* In Psal. 149 Vivit enim in eis voluntas mala, ut supra dixit Augustinus, utpote quæ timore pœnæ constricta non exhausta, premitur, non extinguitur: *Aliud est enim exhausta pestis, aliud consopita.* Lib. 1. de lib. arb. cap. 11.

Hæc est igitur vera ratio, cur ille qui primo timore pœnæ conatur præceptum aut bonum facere, *preculdubio*, prout supra locutus est sanctus Doctor, *invitus fit.* Et alibi: *Quisquis more pœnæ non amore iustitiæ opus legis facit,* Conc. 11. in Psalm. 118. *profecto invitus facit.* Timor enim pœnæ non interficit præexistentem peccati voluntatem, sed illa vivente, aliam adijcit ejus detestandi rationem, quæ cum priore simul morari potest. Similiter non tollit aversionem animi ab opere bono, quia utrumque charitatis est, sed adijcit aliam ejus appetendi rationem, ut per boni operis exhibitionem pœna caveatur. Et inde fit ut utrobique invitus maneat. Inde fit, ut quicquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; sed tantum in speciem coram hominibus operetur, hoc est, non animo & voluntate peccatum fugit, aut bonum facit, sed utrobique gehennas fugit. Hoc enim facimus quod animo spectamus & cupimus. Nam inde sunt illa quæ supra sæpius Augustinus dixit: *Ac per hoc coram Deo non erat in voluntate: Ac per* In Psal. 77. *hoc in animo non facit. Timor aliud habet in voluntate* &c. Et illud: *quasi videntur ambulare in lege Dei, sed* NOLVNT AMBVLARE, NON ENIM EX CORDE FACIVNT. EX CORDE AVTEM NVLLO MODO FIERI POTEST, *quod formidine fit pœnæ, non dilectione iustitiæ. Nec fit in corde quod fieri videtur in opere* Nam ut aliquis qui præceptum sive affirmativum sive negatiuum quod non faciebat ex animo, ex corde, ex voluntate, hoc est, ut qui nolebat legem facere, velit eam, & non aliquid aliud sub specie legis, facere, nullo pacto timor pœnæ, sed sola justitiæ charitas efficere potest, prout in eodem

Ibid. eodem loco Augustinus dicit: *Hanc voluntatem non timor, sed charitas habet.* Nam illa sola est quæ spectat ipsum præceptum, seu ipsam præcepti rectitudinem & justitiam. Vnde in quæ-
Quæst. 54. su- per Deuter. stionibus super Deuter. *Si foris secus ea quæ Deus jubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo tam insulsus est qui præcepta arbitretur implere.* Nam quicquid tandem Doctores recentiores dicant, in Augustini doctrina, præceptum sine præceptâ dilectione, hoc est, sine vera justitiæ præcepti, seu Dei dilectione, non solum impleri non potest secundum modum, sed neque secundum substantiam. Aliud enim quod timendo animus intuebitur, non ipsum præceptum faciet, si sine tali dilectione operetur. Hoc enim ipsum sæpius jam superius inculcavit sanctus Augustinus, & exserte quoque in
Lib. de Spir. & lit. cap. 14. libro de Spiritu & littera: *Mandatum si fit timore pœnæ non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter*: ET IDEO NON FIT. B NON ENIM FRVCTVS EST BONVS QVI DE CHARITATIS RADICE NON SVRGIT. Et alibi. *Procul dubio*
Lib. 3. ad Bonif. cap. 1. *invitus facit*, AC PER HOC IN ANIMO NON FACIT.

Hinc igitur consequenter nascitur, ut tales homines qui coacti timore pœnæ justitiam legis operantur, aut operari videntur, non sint amici rectitudinis seu justitiæ, hoc est, ipsius Dei, qui est justitia, sed potius hostiles adversus eum animos gerant: *Timendo*
Psal. 67. *qui facit serviliter facit. Nec est amicus recti, quando nollet, si fieri posset quod rectum est non uberi.* Et multo plenius in Epistola ad Anastasium, de illo differens, qui pœnæ formidine peccatum cavet, etiam inimicum eum
Epist. 144. justitiæ præcipientis esse docet: *Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam si* C *posset auferret? Ac per hoc quomodo inimicus est, inimicus talis inimicus, ut eum, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat?* INIMICVS ERGO IVSTITIÆ EST, QVI PŒNÆ TIMORE NON PECCAT: AMICVS AVTEM ERIT, SI EIVS AMORE NON PECCET. TVNC ENIM VERE TIMEBIT PECCARE. NAM QVI GEHENNAS METVIT, NON PECCARE METVIT, SED ARDERE. ILLE AVTEM PECCARE METVIT, QVI PECCATVM IPSVM SICVT GEHENNAS ODIT. Quæ omnia si bene attenteque ponderentur, facilè judicabitur, quàm rectè ac merito tantâ securitate & asseverantiâ & in- A stantia sanctus Augustinus doceat, eum qui timore tantum pœnæ præceptum facit, ad faciendum non amore allici, sed timore cogi; procul dubio invitum esse; aliud proinde habere in voluntate, quàm id quod facit, ideoque in animo & coram Deo non facere, sed aliud malle facere, si impunè liceret; ac propterea in ipsa voluntate peccare & reum esse, qui non voluntate, sed timore non peccat, non solum si opera externa, sed etiam ipsam internam voluntatem ex timore coërcere conetur. *Qui enim timore pœnæ rem alienam non concupiscit, puto*, inquit, *quia concupiscit.* Nam etiamsi poneres rei alienæ voluntatem timore comprimi, velleitas viveret, qua reus efficeretur. Est enim infallibile pronuntiatum, quod quisquis nudo timore quippiam, sive animo, sive corpore facit, coactus, & idcirco invitus facit, & animo non facit, sed aliud mallet plene velle & facere si impunè liceret. Quam ob causam etiam necesse est, ut ipsius legis quam facere videtur, & justitiæ tam præcipientis quàm punientis inimicus sit, quam de medio si posset auferret. Quæ omnia tanquam ex invicem connexa quanquam jam sæpius in ijs quæ citavimus Augustinus dixerit, alio tamen quodam loco mira brevitate, simul & profunditate complexus est, qui aureis characteribus exarari mereretur: QVI TIMORE PŒNÆ, NON AMORE IVSTITIÆ OPVS LEGIS FACIT, PROFECTO INVITVS FACIT. QVOD AVTEM INVITVS FACIT, SI POSSET FIERI, MALLET VTIQVE NON IVBERI. AC PER HOC LEGIS, QVAM VELLET NON ESSE, NON EST AMICVS, SED POTIVS INIMICVS: NEC MVNDATVR OPERE QVI IMMVNDVS EST COGITATIONE ET VOLVNTATE. Idem itaque manet, qualis ante pœnæ timorem cogitatione & voluntate fuit. Nam uti lupus sive fremat sive tremat, sive ad caulam eat, sive timore pressus redeat, semper est lupus, nisi in ovem convertatur, ita animus lupinâ perversitate perversus, sive liber in suos motus ruat, sive timore reprimatur & ad bonum adigatur, semper est lupus, malletque sine dubio, ut Augustinus loquitur, *non esse quod timeat, ut liberè faciat quod occultè desiderat*: nisi fortè, alio sublucente motivo in eo quod invitus facit, incipiat diligere id quod antea pœnæ timore facere cogebatur. Sed istud iam non est timoris pœnæ, sed justitiæ dilectionis officium.

Conf. 11. in Psal. 118. Lib. de nat. & gr. c. 57

CAPVT XXXI.

Radix tertia, quia timor pœnæ ab amore justitiæ disjunctus, nascitur ex amore sui-ipsius, quatenus in creatura ultimò requiescit.

ET quamvis per ista jam satis ex Augustino ostensum esse videatur, animum qui solo timore detinetur, non ita posse peccatum declinare aut detestari, quin coram Deo adhuc in ipsa voluntate sit reus; hoc ipsum tamen ex alio capite declarari potest. Quod ut liquidius intelligatur, memoriâ repetendum est id quod supra dictum est, & omnis vera Theologia & Philosophia confitetur: rerum ad hominis naturalem incolumitatem pertinentium appetitum esse licitum ac bonum. Sic enim ex naturæ præscripto comedere, bibere, vestire, scientias artesque varias addiscere, & adversus omnia irruentia corporis mala sese tueri licet. Quemadmodum igitur ista naturalia hominis bona, absentia expetere & procurare, & de præsentibus gaudere licet; ita vice versa, de oppositis malis præsentibus tristari ac dolere possumus, eaque absentia formidare. Ex quo principio paulò superius, timorem pœnæ licitum esse ac bonum, rationis ductui inhærendo confecimus. Verumtamen ne quis fallatur, non ita hæc omnia intelligi debent, quasi aliquis hoc ipso quod sibi hujusmodi bona expetit, procuratque naturalia, vel mala timet, ab omni peccato liber esse censeatur; sed si eo hæc omnia sciat modo, quo recta ac divinitus illustrata ratio docet. Quanquam in istorum objectorum appetitu & fuga, quatenus talium, nulla delitescat ratio mali, sed potius boni; aliunde tamen appetentis aut fugientis animus inquinari potest; idque non solum si ista faciat non eo tempore aut loco, aut occasione, aut modo, quibus moralis Theologia vel Philosophia præcipit esse facienda; sed in primis & ante omnia, si animus in ijs appetendis aut fugiendis amore ac delectatione hæreat, per quæ transitoriâ quadam appetitione ad aliud pergere debuisset. Ex hoc igitur capite fluit, ut quamvis licitum sit comedere & bibere, quando fame laboramus, pecuniam acquirere velle, & scientiæ operam dare, & honorem dignitatemque procurare; illicitum tamen sit animo in rerum talium quarumcumque appetitione conquiescere, & earum delectationibus velle frui; quemadmodum non solum impijs sed etjam justis frequenter, in rerum creatarum cupiditatibus accidit. Nam inde omnia etjam justorum peccata fluunt, sive gulæ, sive luxuriæ cum coniugibus, sive tenacitatis aut avaritiæ, sive ambitionis atque vanitatis, sive curiositatis & hujusmodi, quæ rerum talium delectationibus inhærendo committuntur, per quas ad veri & ultimi finis delectationem, cum animi libertate transeundum erat. Tradita sunt ista fusè & ex propriis Augustini principijs alio in loco, quæ superfluum esset hic repetere.

Hoc si de appetitu talium rerum naturalium rectè intelligitur, jam facilè sublucebit, quid de fuga malorum seu timore statuendum sit. Nam & iste secundum se licitus est & bonus, quemadmodum in præcedentibus latè declaratum est: non tamen si quolibet exsertur modo. Timor enim malorum conformis est amori bonorum, ex quo essentialiter nascitur, sicut & quilibet alius affectus animi qui ex amore velut causâ suâ fluit. Ex quo fit, ut si amor boni, quoquo modo vitietur, timor oppositi mali continuò inde labem similem contrahat, tanquam qui in amore veluti fonte suo vitiatus est. Si quis igitur bona temporalia vel seipsum, cui illa sibi placendo appetit, diligere cœperit, non tanquam utens, sed tanquam fruens, hoc est, animo in illis bonis, vel in seipso inhærendo, non transeundo ad Deum, in quo solo delectando se, deberet conquiescere; non est mirum si timor inde nascens malo parenti suo similis, hoc est, vitiosus oriatur. Timebit enim vel temporalia, vel etiam æterna mala, non quatenus impediunt, ne animus liberè in Deum fruendum transeat, sed quatenus ea sibi tantum incommoda sunt & in ista consideratione requiesceret, nihil ulterius de illo satagendo, propter quem ea formidare debuisset. Quod sanè non tam timoris quàm timentis est vitium, qui in seipso sibi placendo seque amando stat, ex quo pergendum erat in Deum. Nam ut optimè sanctus Augustinus tradit, non solum rebus omnibus temporalibus, & corporis nostri & animi bonis, sed etjam ipsâ *dispensatione Christi Domini temporali debemus uti, non quasi* MANSORIA QVADAM DILECTIONE ATQVE DELECTATIONE, SED TRANSITORIA POTIVS, TANQVAM VIÆ, *tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut siquid congruentius dici potest*, VT EA QVIBVS FERIMVR, PROPTER ILLVD AD QVOD FERIMVR, DILIGAMVS. Quod breviter alio in loco & generaliter dicit, ita nos proximum & nos-ipsos diligere debere VT TOTA DILECTIO PROXIMI ET NOSTRI REFERATVR IN DEVM. Quod si se diligens in seipso manet, jam vitium est, quod æternæ ac divinitus latæ legis proscriptione reprobatur. Vnde Augustinus: *Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur, & propter-*

Lib. 1. de Doct. Christ. c. 31.

Lib. 2. c. 7.

Lib. 1. c. 22.

& propterea iam cum defectu aliquo se fruitur. Qui defectus cujusmodi sit, proprio eum appellans nomine nonnunquam tradit, ut quando dicit quodam Sermone de tempore: *Non quacumque dilectione foràs mittendus est timor, sed rectâ dilectione, quâ totâ diligimus Deum, & propterea proximum, ut sic & ipse diligat Deum.* SE AVTEM IN SE DILIGERE, ET SIBI PLACERE NON EST IVSTITIÆ CHARITAS, SED SVPERBIÆ VANITAS. Quæ latius alibi deducta & explicata sunt. Quapropter quisquis cum isto defectu diligit se, sibi volendo ut bene sit per quodcumque bonum; cum simili prorsus defectu timebit sibi, nolendo ut malè sit per quodcumque malum. Nam ut rectè sanctus Augustinus: *In eo quod amas vis ut bene tibi sit, & in eo quod times, non vis ut male tibi sit.* Quæ ex eadem omninò radice nascuntur. Nam & esse sine malo est quoddam bonum, & malum non est aliud quàm privatio boni: ex quo efficitur, ut quantum diligimus bonum, tantum privari bono timeamus, juxta illud Augustini: *Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam.*

Quibus ita constitutis, jam facilè apparet, animum qui solo pœnæ timore, nullo Dei aut justitiæ amore peccatum vitat, non hoc ita vitare posse ut omni ex parte caveatur. Nam præterquam quòd eo modo voluntate reus est, quo supra ex Augustino diximus, quatenus invitus est, malletque facere nisi pœna terreret; ex alia quoque consideratione labem contrahit, quatenus pœnas timendo in sui-ipsius amore requieset, cujus malum ita formidare, sicuti bonum appetere debuisset, ut in utroque tam amoris quàm timoris affectu seipsum referret in Deum, qui sicut omnium actionum creaturæ rationalis, ita & omnium voluntatis motuum & affectuum est quies & finis. Quod qui non in omnibus actibus suis & affectibus facit, sine dubitatione delinquit. Nam ut generalissimè & clarissimè confidentissimè Augustinus tradit: *Quæ, quid boni sit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit* (hoc est, ut præmiserat, verum Deum) *etsi officio videatur bonum,* IPSO NON RECTO FINE PECCATVM EST. Hoc autem nemo sive amando sive timendo facit, nisi jam aliquo Dei amore, saltem illo imperfecto, qui etiam in peccatoribus esse potest, animus moveatur. Quod sanè nullo pacto fit in eo qui non nisi pœnas timendo, peccatum aut cavet aut dolet. Nihil enim spectat ille aliud, nisi ut ipse ille quem unicè diligit & amplectitur corpore & animo sine molestia sit, & utriusque imperturbatâ pace perfruatur. Timor enim ille malorum pœnalium sive præsentium sive futurorum, in puro sui-ipsius amore velut cardine suo vertitur, non prout hujusmodi amor sui refertur in Deum, quod neque fit neque fieri potest nisi amore Dei, à quo timor ille disiunctus esse ponitur, sed prout per eum animus in se-ipso requiescit, nihil de Dei aut justitiæ amore satagendo. Vnde Augustinus: *Timor* pœnarum *propterea pungit animam ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipsa salus & requies corporalis, aut tale aliquid post mortem. Propterea enim timentur, & apud inferos pœnæ & dolores, ac tormenta gehennarum.* In ista vero requie, salute, & pace corporali, non debet ullo pacto animus rationalis permanere, sed per ipsum transire debet in Deum. Nam quemadmodum in hac vita temporalium malorum fuga & metus eò dirigendus est, ne per illa nostrum iter, quo in Deum tendimus impediatur, dum pœnarum dolor functiones animæ divina meditantis, ac diligere & exercere & agere satagentis premit & intercipit; ita futurorum malorum timor eò referendus est, ne per corporis mortalitatem & concupiscentiarum tumultuantium perturbationes, multòque magis per ineffabilium dolores tormentorum, Dei dilectio & fruitio & laus impediatur, quatenus illa summâ corporis & animi pace quieti, & imperturbati in æternum inhæreamus Deo. Quod profundissimè significavit Augustinus, quando in libris de Civitate Dei finem expressit propter quem hujus vitæ mala fugere debeamus: *Adhuc,* inquit, *velle debet, nec dolore molestari nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid antè cognoscat, & secundum eam cognitionem, vitam moresque componat.* Quo tacitè indicat propterea finem cur in futura vita velle debeamus, nec dolore corporis molestari, nec desiderijs animæ perturbari, nec amplius utriusque separatione, hoc est, morte dissolvi; quæ omnia in illa futura immortalitate continentur, non esse aliud nisi ut Deum summum bonum nostrum, sine concupiscentiarum tenebris contemplemur, sine molestiarum perturbatione perfruamur. Vnde ibidem: *Ac per hoc omnia pax vel corporis vel animæ, vel simul corporis & animæ refert ad illam pacem, quæ homini mortali est cum eo immortali.* Quod non minus, imò multò magis comparatione futuræ immortalitatis, quàm præsentis mortalitatis verum est; & locum habet, sed ab hujusmodi consideratione quæ creaturæ rationali in appetendis bonorum commodis fugiendisque pœnarum molestijs, ex æternæ & naturalis legis ordinatione præscripta est, longè adhuc remoti sunt, qui nullâ justitiæ dilectione, sed solo gehennarum timore, à peccatis committendis cavent, & de commissis dolent. In solas istas corporis molestias animus eorum defixus hæret, quibus cavendis nullâ justitiæ curâ tactus, sed sui-ipsius, tanquam sui ipsius amore ebrius occupatur. Non enim tales adhuc amant Deum, ex cujus amore vel bonorum temporalium appetitus, vel malorum timor possit fluere. Vt enim Augustinus: *Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times.* Nam *ille timor ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non est castus; non enim venit ex amore Dei.* Vnde nihil mirum est, si talis ex æternæ legis violatione, qua ex se-ipso in Deum surgere & transire, sive diligendo, sive formidando præcipitur, nonnulla peccati fœditate maculetur.

Hæc igitur vera causa est, cur idem August. alio

alio in loco timoris istius defectum exprimens: *Cum ideo* ait, *aliter esse non cœperis, quia times ardere in igne sempiterno*, NONDVM LAVDANDVS ES: *non quidem ita dolendus, ut ante, sed tamen* NONDVM LAVDANDVS. *Quid enim magnum est timere pœnam?* Quam interrogationem alibi idipsum tractans perficit: *Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Nam & latro timet malum & ubi non potest, pœnarum timore, non facit & tamen latro est.* Et sanctus Prosper Augustini in hac doctrina discipulus individuus: *Aliter quis timet, ne malum quo puniatur, incurrat, aliter ne bonum* (id est justitiam vel Deum) *quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor* HABERI DEBET IN VITIO, SED ILLE TANTVM, DE QVO SCRIPTVM EST; QVIA TIMOR PŒNAM HABET. Quod vitium ut ostendimus, non ex ipsa natura timoris, sed ex timentis inordinatione proficiscitur.

Serm. 18. de verb. Apost. cap 7.

Serm. 15. c. 8.

Serm. 19. c. 8

Lib. 3. de vera contempl. cap. 31.

CAPVT XXXII.

Iustitia ex timore pœnæ, est justitia *ex lege* & *nostra*, quam Apostolus arbitratus est detrimentum ac stercora.

EX istis igitur tribus principijs utcumque patet cujusmodi sit animus & voluntas eorum qui pœnas timent, & ex isto timore justitiam legis facere, & injustitias suas dolere & abijcere meditantur. Patet etiam cujusmodi esse possit ista justitia, quam non amore justitiæ sed formidine pœnæ legem implentes, vel potius non implentes, operantur. Nempe justitia *sua*, hoc est, *propria*, non *Dei*, iustitia *ex lege*, non *ex gratia*: quia justitia ex legis terrentis mandato profecta, non ex legislatoris largientis beneficio; quemadmodum supra ex Augustino declaravimus. Nam *iustitia ex lege*, & *propria sua* est, *quæ fit de timore pœnæ, non de amore iustitiæ.* Quanti vero pretij talis justitia apud Deum habeatur, & apud homines haberi debeat, Apostolus docet, qui timore pœnæ *conversatus in lege, sine querela*, talem *iustitiam suam quæ ex lege est, arbitratus est detrimentum ac stercora*, prout sæpius Augustinus annotat. Nempe ideo, quia talis justitia non est vera justitia coram Deo, sed externorum operum tantum, quæ similitudinem justitiæ præ se ferunt, cum ex affectu inquinato & prævaricatore legis oriantur, quo mallet facere quod eum formido pœnæ perpetrare non sinit. Quod perspicuis sanè verbis de Apostolo Paulo sanctus Augustinus tradit: *Nec moveat*, inquit, *quod ad Philippenses scripsit, secundum iustitiam quæ in lege est, quod fuerit sine querela*, POTVIT ENIM ESSE INTVS IN AFFECTIONIBVS PRAVIS PRÆVARICATOR LEGIS, ET TAMEN CONSPICVA OPERA LEGIS IMPLERE, VEL TIMORE HOMINVM, VEL IPSIVS DEI; SED PŒNÆ FORMIDINE, NON DILECTIONE ET DELECTATIONE IVSTITIÆ. Quia, ut ibidem statim adijcit, *sic profecto in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate sed timore non peccat.* Et continuo enarrans illa peccata, quibus pœnam formidando intus in voluntate peccaverit, inter ea ponit stultitiam, incredulitatem, errores, servitutem desideriorum & voluptatum, malitiam, invidiam, odium proximi & similia: *Talis*, ait, *Paulus fuit, quando secundum iustitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit.* Concinit sancto Augustino ad amussim sanctus Fulgentius, Magistro discipulus. Nam libro de Incarnatione & gratia docet, Iustitiam ex lege, secundum quam Paulus conversatus fuit sine querela, tum *ex Deo non habuisse.* Quod cum ex Apostoli loco ad Philippenses probavisset, ubi dicit, *arbitror omnia ut stercora ut Christum lucrifaciam & inveniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi*, tandem adijcit: *Quis non his verbis Apostolicis rideat Iustitiam quæ ex lege est, esse ex homine: iustitiam vero quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo?* Illa *est igitur iustitia per quam impius erigitur, ut cadat in pœnam; ista autem est, per quam iustificatus humiliatur, ut exaltetur ad gloriam. Ideo cum in illa quæ ex lege est, sine querela conversaretur Apostolus, fuisse se impium non negat.*

Serm. 15. de verb. Apost. c. 7.

Philipp. 3.

Serm. 15. de verb Apost. c. 7.

Lib. de grat. Christ. c. 48.

lib 2. de pec. merit. c. 13.

Lib. 1. ad Bonif. c. 9.

Ibid.

Philipp. 3.

Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. 21.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Repugnat magnopere Augustino doctrina, qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, seu attritionem quorundam Scholasticorum, excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ, seu servandi totam legem Dei, itemque esse dispositionem sufficientem ad justificationem cum Sacramento obtinendam.

CVM igitur talis sit operum justitia, quæ ex pœnarum timore nascitur, qualem hoc toto tractatu declaravimus, non satis profecto intelligere queo, quid sibi Scholastici nonnulli volunt, dum dolorem peccati ex pœnarum timore pullulantem tantopere extollunt, ut cum etiam omnem peccandi voluntatem excludere, & bene vivendi propositum includere putent. Quo nihil in Augustini doctrina, absurdius & falsius dici potest. Nam juxta principia ipsius, ac testimonia plurimis locis repetita, timor pœnæ non solum peccandi voluntatem semper sibi conjunctam habet, sed etiam, omnem peccandi voluntatem excludere proprius effectus divinæ charitatis est, qua justitia diligitur: *Qui timore supplicij quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati,* NONDVM LIBER, *nec alienus à voluntate peccandi est.* Et in Epistola ad Honoratum: *Charitate factum est ut eam non peccare delectet.* Et de Spiritu sancto justitiæ amorem, legisque dilectionem diffundente loquens: *Non peccare inquit, sanctificationis est, hoc est muneris Dei per Spiritum sanctum.* Et inferiùs: *Hic Spiritus Domini cujus dono justificamur, quo fit in nobis* VT NON PECCARE DELECTET, id est ut non velimus peccare, *ubi libertas est;* SICVT PRÆTER HVNC SPIRITVM PECCARE DELECTAT, *ubi servitus.* Vnde in præcedentibus in eodem libro docet, quod *nisi nos adjuvet spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris (ex qua omnis bona, augeat desiderium malum, & occultas cum accedit etiam prævaricatio.* Et alibi: *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundatur spiritus charitatem.* Quod aliis sexcentis locis constantissimè docet. Tantum abest ut solo timore legis, omnis peccandi cupiditas, id est, voluntas possit excludi.

Quod verò propositum emendationis aut bene vivendi ex timore pœnarum concipi posse dicunt, principijs Augustini solidissimis, ex quibus Pelagiana hæresis expugnata est, directè refragatur. Nam quid est propositum bene vivendi aut emendandi se, nisi initium bonæ voluntatis, seu ipsa prima cupiditas boni, nisi dilectio boni? Hæc autem non est aliud, nisi charitas, quæ sola vult bonum tam inchoando, quam consummando: *Homo Pelagiane*, inquit Augustinus, *charitas vult bonum, & charitas ex Deo est, non per legis litteram sed per Spiritum gratiæ.* Vbi quod dicit non per legis litteram, non est aliud Augustino, quam non per legis terrorem aut timorem. Et rursum, *Charitas sola vult bonum.* Et libro secundo ad Bonifacium: *Quid est bonus cupiditas, nisi charitas?* Et ne quis imaginaretur nescio quas bonitatis præcisiones, illam ipsam bonitatem intelligit, ex qua dicitur opus præcepti bonum, *tunc bonum concupisci incipit, quando dulcescere*, id est, amari seu appeti *cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore suavitatis fit bonum, nondum bene fit bonum.* NEC FIT IN CORDE, hoc est, in animo & voluntate, *quod fieri videtur in opere.* Causa est, quia sine charitate justitiæ, non solum bonum non fieri, sed ne quidem voluntate appeti potest, sed aliud quippiam pœnæ videlicet immunitas, vel corporis integritas, sub specie boni quod præcipitur, appetetur. Sic enim statim adjungit: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis.* Hoc est, ut præcepti justitiam diligamus: *In qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficit, sed nec inchoatur ex nobis.* Ecce præceptum bonum ex timore pœnæ, ne quidem voluntate concupisci potest, sed sola charitate. Nam illa præcepti concupiscentia, qua amamus id quod præcipit nobis, non est aliud quam illa, quem vocaverat amorem justitiæ, hoc est dilectio charitatis.

Quomodo igitur ex solo timore pœnæ habebitur voluntas emendationis, & propositum non solum qualecumque bonum, sed universa peccata relinquendi, & observandi totam legem Dei? Hoc enim est unum ex difficillimis quod charitas præstare potest, sed sine Dei seu justitiæ dilectione possideri impossibile est. Cujus mirabilis paradoxi novitas, si ex omnibus Augustini principijs evertenda esset, prolixius quam huic loco necessarium est, nos occuparet. Nam primo repugnat hoc illi principio sancti Augustini, quod virtus Augustino non est aliud, quam *voluntas qua appetimus rectè honestèque vivere*, & hæc sit ei voluntas bona, eaque non alia nisi charitas, prout hæc latius alibi demonstrata sunt. Quid ergo? an virtus etiam ex timore pœnæ, ipsaque charitas fluet? Secundo, impossibile est propositum bene

Lib. 2. ad Bonif. c. 9.

Ibid.

Lib. de lib. arb. c. 12. & 13. Videatis hic sup. c. 3. hoc lib.

bene vivendi & peccata emendandi animo concipere, nisi voluntas velit regulam quandam immutabilem sectari, qua videt rationali creaturæ divinitus præscriptum esse ut declinet a malo, & faciat bonum. Sed hujusmodi regulam sectari velle, sine illius incommutabilis regulæ dilectione esse non potest: *Manifestum est enim*, inquit Augustinus, *secundum id nos vivere quod sectati fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus*. Ista vero talium regularum incommutabilium & sempiternarum dilectio, non est Augustino prorsus aliud quam illa prædicata toties justitiæ dilectio, quæ timori pœnæ semper opponitur, & ab ipso vera charitatis dilectio esse definitur. Est enim dilectio æternæ legis, quæ non est aliud nisi ipsa sempiterna veritas & justitia Dei, hoc est, ipse Deus. Unde Augustinus hoc ipsum fusè probaturus: *Die mihi*, inquit, *prius, verum qui rectè vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem? æternam veritatemque charissimam &c.* Cui respondet Evodius: *Amat omnino ac vehementer. Nam ipsum sequens ita vivit.* Quam statim ulteriùs declarat esse sempiternam veritatem ac Deum. Sicut ergo quisquis rectè vivit, hanc legem cernit, lætatur ac diligit; ita quisquis universa peccata declinare & præcepta facere decrevit, hanc legem lectari cupit ac diligit: Atqui illa dilectio est dilectio justitiæ, & verissimus fœtus charitatis. Ergò impossibile est, ut ex pœnarum timore concipiatur. Quæ qui plenius probata sibi & intellecta cupit, legat ea quæ superius de charitate diximus. Et sanè quo pacto fieri potest, ut timore pœnæ voluntas omnis peccandi excludatur, cum talem hominem fidenter pronuntiet & probet Augustinus inimicum esse justitiæ? *Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit, si ejus amore non peccet.* TUNC ENIM VERE TIMEBIT PECCARE. Quam quæso ob causam, cum & ille qui ex pœnæ timore peccatum vitat, peccatum timere, odisse, ac detestari videatur? Audi rationem: *Nam qui gehennas metuit*, NON PECCARE METUIT SED ARDERE. *Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum*, hoc est, ipsam peccati iniquitatem, in qua essentia & ratio peccati sita est, *sicut gehennas odit.* Hoc autem est impossibile sine charitate fieri, cujus sicut proprius effectus est, justitiam diligere, ita peccatum ipsum seu injustitiam detestari: *Tantum enim quisque peccare odit, quantum justitiam diligit. Quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.* Unde & alibi: *Declinare a malo & facere bonum nullus potest sine Spiritu gratiæ.* Hoc est, ut explicat sine inspiratione dilectionis bonæque voluntatis. *Quæ gratia si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat.* Falluntur igitur sine dubio, & rerum obscurarum anfractus non satis penetrant, quotquot adversus fundatissimam istam doctrinam timorem pœnæ nimis imprudenter extollunt. Non enim ista de lana caprina aut re exigua disceptatio est, sed de præcipuo Augustinianæ doctrinæ Christianæque disciplinæ fundamento. Nam inde pendet illa tam operosa cum Pelagianis tracta controversia, utrum Christianus fide Christi imbutus, sola lege terrente, hoc est, timorem incutiente possit cavere malum aut operari bonum. Nam profecto si timor pœnæ, quam lex minatur, omnem peccandi voluntatem eximere potest, certissimum est sola lege minante, nos operari posse bonum. Nec enim exiguum bonum est, omnem peccandi abijcere voluntatem.

Sed majori fortassis admiratione dignum est quod ijdem docent, dolorem quo quis de peccatis ex solo timore pœnarum infernalium dolet, eaque detestatur, quam attritionem vocant, esse sufficientem dispositionem ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ aut baptismi recipiendam. Dolor enim iste cum ex amore sui-ipsius, & salutis suæ corporalis oriatur, non majoris pretij est apud Deum, neque majorem ad justitiam acquirendam proportionem habet, quam amor quo quis integritatem sui corporis diligit. Quo verò pacto talis amor sui ad justificationem disponere possit, fateor, prorsus non intelligo. Nec enim animum convertit in Deum, à quo per peccatum aversus erit: nec avertit eum ab injustitia peccatorum sed à doloribus, quos paritura sunt, cum tamen utrumque ad justificationem prorsus necessarium sit. Nam quod ipsi dicunt, attritionem hujusmodi in se continere voluntatem omnia peccata relinquendi, & falsum est & impossibile, ut latè supra declaravimus: & quamvis verum esset, non tamen hujusmodi dolor dispositio ad justificationem esse posset. Non enim dolor aut qualiscumque peccati declinatio, sed causa intuenda est. Quicquid enim ex aliquo motivo feceris, non majoris aut meriti aut pretij est in oculis Dei, quàm causa quam intueris. Ex quo fit, ut si non tantum aliqua, sed etiam omnia peccata vitare ponereris, quia ex fide didicisses ea Deo vindice infamiam in hoc mundo, paupertatem, dolores intolerabiles corporis, ipsamque mortem esse paritura, totus ille peccatorum dolor ac detestatio, quamvis fide præcedente nasceretur, non plus valeret judicio Dei, quam amor ille, quo sine infamia, & paupertate & doloribus corporis in hoc mundo vitam propagare concupiscerens. Nec enim existimandum est, idcirco dolorem aliquem aut affectum supernaturalem esse, quia fides proponit objectum ejus. Etjam fide aliquid proponente, dolor aut amor naturalis exserere potest affectus & actus suos. Nam & Gentiles aut Mahometani, qui supplicia futura crediderunt, verissimo & ejusdem rationis pœnarum terrore percellantur; quia verissimo sui-ipsius & ejusdem rationis amore detinentur. Et si pœnæ inferni corporalibus oculis in hac vita cernerentur sine fide, eodem prorsus modo amor sui concussus, timore, vehementi pœnas istas exhorresceret. Sed quid magnum est corporis integritatem diligere & pœnas ejus formidare? ipsa peccata, Deique offensæ

In Epist. ad Galat.

Lib. 1 de libero. c. 5

Epist. 144.

Ibid.

Ibid.

Lib. de Corr. & grat. 1. & 2.

offensæ detestandæ sunt: erga quas etjam cùm omnia peccata timendo cavet, eodem se habet prorsus modo, atque antequam ea devitare cœpisset. Quod enim offendunt Deum, & ab eo avertunt animum, nulla timentibus pœnas cura est, sed tantummodo quod sibimetipsis nocent. Ex quo fit ut non solum inviti sint & mallent aliud, & per hoc voluntate rei A sint, sed etjam perspicuè in sui-ipsius amore hæreant, nihil omnino de ulla sui finis ad quem omnes affectus & actus nostri retorqueri debent, dilectione satagentes. Cujusmodi animi dispositio, quomodo ad justificationem disponere possit, fateri cogor, captum meum omninò superare.

CAPVT XXXIV.

Concilium Tridentinum isti doctrinæ multis locis adversatur.

Trid. sess. 6. c. 4.

NAM quod isti Scholastici dicunt, A istam sententiam suam in Concilio Tridentino satis evidenter tradi, quando dicit, quod Attritio *quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*; non mediocriter mihi hallucinari videntur. Tridentinum enim potius vice versâ, multis locis evidenter significat, nunquam justificationis gratiam sive extra Sacramentum, sive in Sacramento tam pœnitentiæ quam baptismi adultis dari, nisi contritio antecedat. Quod quamvis non sit hujus instituti mei, breviter tamen ostendendum est, ut totam sententiam istam in mera hallucinatione fundatam esse, patefiat. Nam in primis, dissess. 14. c. 3. sertis verbis docet, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et Canone quarto damnat eos anathema- B te qui negaverint *contritionem, confessionem, &* Can. 4. sess. 14. *satisfactionem* non esse *tres partes pœnitentiæ*. Et ne quis ignoraret, quid esset ista cõtritio statim cap. 4. definit eam esse *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*. Ejusque motum QVOVIS TEMPORE *ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium*. Hanc eandem contritionem non solum *vitæ novæ propositum & inchoationem*, sed & *veteris odium* continere. Quod probat ex illis Scripturis quæ postulant, ut *faciamus nobis cor novum & spiritum novum*, & alijs pluribus quæ probant, ut ait, voces pœnitentium, *ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*. Hactenus perspicuum est, Concilium veram contritionem descripsisse. Nam illa est quæ cor novum & spiritum novum facit. Illa odium anteactæ vitæ, vehementemque peccati detestationem continet. Quibus præmissis adijcit, quod *contritionem hanc*, videlicet hactenus descriptam, *aliquando charitate perfectam esse contingit* ante Sacramentum; hoc ipso indicans, sæpè non esse charitate perfectam ante Sacramentum. Quod non alia ex causa dicit, nisi quia quædam est contritio veri nominis & rationis & essentiæ, quæ tamen non-nisi cum Sacramento ad justificationem acquirendam sufficit. Et quæ illa contritio imperfecta, A quam etjam attritionem vocat? Ecce immediatè subijcit: *Illam verò contritionem imperfectam quæ attritio dicitur &c. Declarat esse donum Dei &c. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Significat ergò Tridentinum, istam attritionem esse veri nominis & rationis contritionem sed uti nominat, *imperfectam*. Nam quidquid ad contritionem in definitione requisiverat, isti imperfectæ contritioni seu attritioni convenit. Duo quippe ad contritionem necessaria postulaverat, *animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cetero*. Vtrumque vero disertis verbis isti attritioni tribuit. Nam primò, in eodem loco postulat, ut *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*: Et Canone quinto, qui ex illo decreto sumptus est, *detestationem peccatorum* ei tribuit *cum proposito melioris vitæ*; quæ sunt ipsissima quæ ad contritionem requisiverat, & quibus duabus conditionibus ab hujus imperfectæ contritionis seu attritionis essentia rejicitur omnis illa attritio, quæ ex solo timore pœnæ sive temporalis, sive æternæ proficiscitur. Nam timor ille, omnium etjam Scholasticorum judicio, servilis est. Timor autem servilis, sicut non corrigit voluntatem, ita non excludit etjam peccandi voluntatem. Nam ad utrumque necessarium est, ut omnibus anteponat rebus dilectis Deum. Hoc enim quamdiu non fit, vel actu vel affectu, persistit voluntas in peccato, dum adhuc aliquid suprà Deum diligit, & aliquid magis quam Dei offensam timet. Nam inde veniunt illa sancti Augustini: *Qui timore pœnæ* rem alienam *non concupiscit, puto quia concupiscit.* Et: *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat.* Hinc igitur vera ratio patet, cur Concilium Tridentinum non quamlibet attritionem donum Dei & im- C pulsum Spiritus sancti esse definierit sed *si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ conjuncta sit.* Nam tale propositum omnes vires humanas superat, nec nisi à Spiritu sancto per veram & propriè dictam Christi gratiam operante inspirari, aut haberi ullo pacto potest, quia charitatis quidam sive jam perfectæ, sive saltem imperfectæ fœtus est, sine qua justificari nemo potest.

Serm. 15. de verb. Apost. Epist. ad Amst. 144. Ita Vasq. & Alvar. disp. 52. n. 2. Sess. 14. c. 4.

Hinc

Hinc ergo fit, ut idem Concilium Tridentinum iſtam Dei dilectionem etiam ad baptiſmum tanquam neceſſariam diſpoſitionem poſtulet, ubi tamen minor, vel certè non maior diſpoſitio, quam ad pœnitentiam, videretur eſſe neceſſaria. Nam ſeſſione ſexta requirit ad *eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agere oportet*; id eſt, quæ requiritur tanquam diſpoſitio neceſſaria, *fidem, ſpem, dilectionem Dei tanquam fontem omnis iuſtitiæ*. Et *ut propterea*, hoc eſt, quia Deum ut juſtitiæ fontem diligit, *adverſus peccata moveatur*, idque non quolibet modo, ſed *per odium aliquod & deteſtationem*. Denique poſtulat *propoſitum inchoandi novam vitam & ſervandi divina mandata*. Qui tam perſpicuè ſunt effectus divinæ cæleſtiſque charitatis, ut nullo colore probabilitatis negari queant. Nam dilectio juſtitiæ ſexcentis locis ab Auguſtino vocatur charitas Dei, & timori pœnæ opponitur. Nec unquam aliud poſtulat, ut divina mandata impleantur ſicut oportet, quam ut impleantur dilectione juſtitiæ: *Quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione iuſtitiæ, ſuavitatem quam dedit Dominus acceperunt ſe gaudeant*. Et continuò vocat eam *charitatem*. Et libro de fide & operibus: *Gratia Spiritus ſancti per Chriſtum diffusa charitate in cordibus noſtris donat iuſtitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiſcentiæ, ſuperetur*. Et alibi poſt iſta Apoſtoli verba: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Sic interpretando ſubnectit: *Charitate igitur Chriſto, non pœnæ timore cohæremus &c. Et quid eſt a charitate niſi a charitate iuſtitiæ? Non enim* ut alibi dicit, DEUM *tibi fingere debes quaſi idolum, inviſibilis eſt Deus, & Dominus iuſtitia eſt*. Quam veritatem in Auguſtino celeberrimam, alibi innumeris penè locis demonſtravimus. Si igitur Deus ut *fons iuſtitiæ*, à baptizandis diligi debeat, ac *propterea moventur* adverſus peccatum *eâ pœnitentiâ, quam ante baptiſmum agi oportet*, per *odium ac deteſtationem* eorum, quis dubitet ita etiam Deum à pœnitentibus eſſe diligendum, ut eâ pœnitentiâ, quam ante Sacramentum pœnitentiæ agi oportet, adverſus peccata moveantur. Itaque capite decimo-quarto eadem Synodus conformiter iſti principio, expreſſis verbis docet, & à Paſtoribus docendum eſſe præſcribit: *Chriſtiani hominis pœnitentiâ poſt lapſum continere non modo ceſſationem a peccatis & eorum deteſtationem, aut* COR CONTRITVM ET HVMILIATVM, *verum etiam eorum ſacramentalem confeſſionem* &c. quam ſtatim vocat *ſecundum Deum triſtitiam*. Itaque univerſa Concilij doctrina de juſtificatione, clamat veram contritionem, ex qua fiat cor contritum & humiliatum, verum peccatorum, non gehennarum aut dolorum odium ac deteſtationem, veram non peccandi voluntatem, veram juſtitiæ dilectionem, ex qua oritur triſtitia ſecundum Deum, juſtificationem quamlibet antecedere debere. Quorum profecto nullum ex dolore peccati propter ſolum gehennæ metum, ſed ex ſola illa contritione, quæ ex offenſionis Dei pio dolore proficiſcitur. Fallitur enim quiſquis putat, per Sacramentum pœnitentiæ effectum eſſe, ut jam duplex ſit juſtificationis modus, unus per contritionem, alter per illam attritionem, quæ ex ſolo pœnarum timore de peccatis dolet; ſed unus & idem ſemper eſt & fuit juſtificationis modus, per dolorem de offenſione Dei; quamvis pœnitentiæ Sacramenti inſtitutio facilitatem aſſequendæ remiſſionis attulerit. Ex qua conſideratione illud ipſum Concilium Tridentinum dicit, quod *fuit pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui baptiſmali gratia ablui petiviſſent*; Et qualis tandem pœnitentia? *Vt perverſitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait, Convertimini & agite pœnitentiam* &c. Ecce qualis pœnitentia quovis tempore, etiam baptizandis neceſſaria fuit: quæ videlicet continet abjectionem perverſitatis & emendationem, quæ deteſtetur magnitudinem offenſionis Dei, quæ peccati odium inſerat, quæ *pium animi dolorem* complectitur, qua denique animus convertatur ad Deum: quorum ne unum quidem attritio ex ſolo gehennæ metu profecta comprehendit. Nam neque abijcit emendatque perverſitatem, ſed diverſis modis explicatis, animum peccato affixum eſſe ſinit aut facit; neque quicquam de Dei offenſione curat, neque peccati odium affert. *Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit*. Sed unde hoc niſi ex charitate juſtitiæ? *Tantum enim quiſque peccatum odit quantum iuſtitiam diligit*. Vnde conſequenter fit, ut neque animum convertat *ad* DEUM, ſed ad ſeipſum, neque *pium animi dolorem* afferat; nulla enim pietas animi, niſi affectus feratur in Deum; neque quolibet adhuc modo, ſed benevolâ dilectione. Vnde ſæpè ex Auguſtino demonſtravimus, nullam Chriſtianis eſſe pietatem niſi charitatem, ſecundum illud frequenter ab eo traditum: *Pietas cultus Dei eſt, nec colitur niſi amando*. Quæ omnia, quantum arbitror, perſpicuè declarant, doctrinam iſtam quam Scholaſtici quidam tradunt de dolore peccatorum ex ſolo gehennæ metu, non ſolum Auguſtini principijs fundatiſſimis, & per omnes ejus lucubrationes diffuſis ex diametro repugnare, ſed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proſcriptam eſſe; quam non perſpecta veritas, ſed ſola inutilis imo pernicioſa erga peccatores miſericordia pepererit. Nam quod illam etiam divo Thomæ & alijs nonnullis gravioris notæ ſcriptoribus imponere volunt, hoc falſum eſſe non difficulter oſtendi poteſt, quemadmodum à nonnullis qui ſententiam iſtam tanquam alienam à veritate rejecere, demonſtratum eſt.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.

Lib. de Cor. & grat. c. 2

Lib. de fide & oper. c. 23.

Epiſt. 144.

Serm. 17. de verb. Apoſt. c. 3.

Lib. 1 de ſtatu puræ nat. c. 5. & ſeqq. & ſup hoc libro.

Seſſ. 6. c. 14.

Epiſt. 144.

Epiſt. 120. ad Honorat. c. 18.

Vide Guil. Eſtium in 4. Sent. diſt. 16. & 17. Ioan. Syl. in ſupplem. q. 1. art. 3. & 5. 5. art. 1.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Multi fructus timoris pœnæ recenſentur, ex quibus veritas doctrinæ à Concilio Tridentino de timore pœnæ traditæ pateſcit & confirmatur.

QVANDOQVIDEM hujuſmodi ſit timoris pœnarum ac doloris inde naſcentis ratio & effectus, facile in mentem cuipiam venire poſſet, nullum eſſe timoris gehennæ fructum. Cujuſmodi cogitationibus reſpondeo, multum eſſe per omnem modum. Nam quamvis perfectius longe ſit juſtitiam diligere, non tamen propterea timor pœnarum exterminandus eſt.

Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra.

Ad faſtigium rerum excelſarum non uno ſaltu ſcanditur, ſed paulatim à primis radicibus aſcendendum eſt. Timor autem Domini non faſtigium, ſed initium ſapientiæ, hoc eſt, charitatis, quæ ſola Chriſtianorum ſapientia eſſe definitur. Vnde Auguſtinus: *Quiſquis Regibus* Epiſt. 144. cap. 12. *jubentibus obtemperat timore incipiens, & ad intellectionem proficiens, à Domino accipit pacem.* Vt igitur ad ſapientiam ſive dilectionem juſtitiæ proficiamus,

Primus fructus timoris pœnæ eſt, quod quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen ceteraque coërcet membra, ne in facta proſiliant. Longe vero mitius ac minus eſt, ſola voluntate peccare, quam ruptis timoris repagulis in apertam legis erumpere prævaricationem: *Pœna corporis*, inquit Auguſtinus, *etſi non à voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati.* Et libro ſecundo contra litteras Petiliani: *Timor pœnæ etſi nondum habet* Lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 83. *delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem.* Ex hac ergo malæ voluntatis compreſſione naſcitur

Secundus fructus qui profecto maximus eſt, quod eodem modo pœnarum timore impeditur homo ne peccata delectabilia ſæpius perpetrando catenas concupiſcentiæ ſibi neſtat ineluctabiles. Hoc enim habet externi operis delectabilis deſignatio præ ſola voluntate, quod animum fortiſſime affigat deſideratis experiſque delectationibus, ex quibus poſtea nullo conatu voluntatis, ſed ſolâ & inuſitatâ gratiâ Dei expedire ſe poteſt. *Cum fraudulentam actionem conſecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiſcentiam cordis eorum* In Pſal. 9. *iam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem, & ad utilia conferre non audeant: quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes. Cui dolori ſuccumbentes, à perniciosis delectationibus nolunt abſcedere.* Nam iſto modo exteriorum peccatorum frequentatione conſuetudo, adeoque neceſſitas peccandi gignitur, juxta illud Auguſtini: *Ex voluntate perverſa facta eſt libido, &* Lib. 1. Con. cap. 5. *dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Quo ſane nihil in moribus pejus inveniri poteſt. Ex quo principio fit, ut cui Deus iratus eſt, eum tradat in deſideria cordis ſui, ut faciat etiam externis factis quæ non conveniunt, atque ita conſuetudine perversâ captivus arctiſſimè ſub diaboli poteſtate vinciatur. Nam ut idem Auguſtinus: *Quæ duo ſcilicet natura* Lib. 1. q. 1. ad Simplic. *(naturalis libido) & conſuetudo commixta, robuſtiſſimam faciunt, & invicti ſſimam cupiditatem.* In hoc ergo tam magnum malum ne incidat homo, etiam qui eſt malæ voluntatis, pœnarum timor impedit fortiſſime, quia timor pœnæ, voluptatum deſiderio fortior eſt: eaque de cauſa nihil verius eſſe dicit Auguſtinus, quam quod dictum eſt: *Initium* Lib. 83 qq. q. 30. *ſapientiæ timor Domini: Nemo eſt quippe qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem: quandoquidem videmus, etiam immanissimas beſtias à maximis voluptatibus abſterreri dolorum metu.* Et his duobus modis vocatur ab Auguſtino timor pœnæ cuſtos à malo, ut tandem ad dilectionem juſtitiæ perducatur: *Time tamen*, Serm. 18. de verb. Domini cap. 8. inquit, *utilis formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem.* Et inferius: *Adhuc timor* Ibid. cap. 12. *ille ſervilis eſt, cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe à malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem.*

Tertius fructus eſt, & is valde quoque ſingularis, quod timor pœnæ, externa ſaltem opera non frequentando, malorum operum tollit conſuetudinem, quæ maximum bene vivendi impedimentum eſt; quatenus facit ut opera bona, tanquam contraria inolitæ conſuetudini ſuæ, graviſſima eſſe videantur. Auguſtinus: *Prorsus præmiſſus timor in cor* Epiſt. 120. cap. 18. *noſtrum, pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum, quæ tanquam domina veniens, ut illa reſidat abſcedit.* Et in Pſalmum centeſimum vigeſimum-ſeptimum: *Ti-* In Pſal. 127 *ment quidem ſed non amant initia. Cum autem per timorem continent ſe à peccato, externo ſcilicet, ſit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & iam incipit homo iuſte vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* Hinc ergo naſcitur

Quartus fructus, quod timor externorum actuum bonorum frequentatione pellens conſuetudinem malam, inducit quandam beneficiendi facilitatem, quæ proximus gradus eſt ut juſtitia diligatur. Incipit enim dulceſcere opus bonum ac dilectione dignum videri, & quodammodo ſentiri quod antea molibus arenarijs intolerabilius cupiditati videbatur.

Vnde Augustinus cum homines pœnis à peccatis deterrendos esse docuisset, *Lib. 83. qq. q. 36.* *Iam verò*, subijcit, *cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit, incipiat gustuari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat.* Qui gustus dulcedinis, quomodo ex nonnulla abstinentia à peccatis oriatur, quam pœnæ timor efficit, alibi præclara & obvia usus comparatione rudioribus Christianis explicat: *In Psal. 48. Conc. 2.* *Qui iniquitate usus est, & pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde non facit? Quia cum cœperit facere laborat, quomodo sentimus laborare dentes post uvas acerbas, cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obliqueunt dentes? Temperant se aliquantulum ab uvis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam & incumbunt pani. Sic & nos laudemus iustitiam. Sed si nos volumus manducare* B *iustitiam*, hoc est, facere, ut statim explicat, *temperemus nos ab iniquitatibus; & nascetur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi.* Hanc ergo nonnullam à peccatis abstinentiam pœnæ timor operatur, ut paulatim justitiam operandi facilitas redeat.

Quintus fructus est, ut dum peccatores timent vehementer pœnas, quas Deus transgressoribus legis comminatur, timore pressi & coarctati, ad Dei misericordiam supplices fugiant, quatenus misso cœlitus adjutorio ad faciendam legem, ab intentata pœna liberentur: *Lib. de Spir. & lit. c. 10.* *Legem*, inquit, *terrendo imponit iniustis, ut eam & ipsis cœperit inolita concupiscentiæ morbis incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum Spiritus suavitate iustitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* Et alibi breviter & nervosè: *Lex iram*, id est, C *Lib. 2. oper. imper. cont. Iul. f. 366.* supplicium, *operatur, ut ad iram evadendam Dei gratia requiratur.* Qui fructus ita magnus est ut Augustinus hunc unum ex præcipuis esse fateatur, propter quem lex vetus comminationibus ac terroribus plena, data fuerit: *Lib. de perf. iust. cap. 9.* *Vt* videlicet *timor legis humilem factum ad fidem gratiamque perduceret.* Vnde alibi audet ac dicit, quod *ad solam Christi gratiam* agnoscendam & invocandam, *utiliter legis velut pædagogi timor ducit.* *Lib. de nat. & grat. c. 1. Vide dicta lib. 1. de grat. Christi Salv. c. 11.* Qua de re alibi plura dicta sunt. Quam occultam cum peccatoribus œconomiam, etiam nunc Deus cum Christianis observat. Gravissimas enim gehennæ pœnas intentat transgressoribus, ut minis territi, ac de proprijs diffisi viribus quas imbecilles esse ad concupiscentias ardentissimas vincendas esse sentiunt, piâ humilitate divinæ gratiæ adjutorium petant, quo justitiâ præceptorum delectati pœnam litteræ minantis evadant. D

Cùm igitur isti fructus sint, quos timor legis in peccatoribus iter sapientiæ arripere incipientibus parit, meritò sanè sanctus Au- *In Psalm. 5.* gustinus de timore dicit, *quod magnum sit præsidium procedentibus ad salutem.* Merito timorem pœnæ *bonum, utilem, saluberrimum* vocat: A hortaturque Christianum: *Fac, fac vel timore pœnæ si nondum potes amore iustitiæ:* Et alibi: *Noli timere pœnam, sed ama iustitiam: nondum potes amare iustitiam timè vel pœnam, ut pervenias ad amandam iustitiam.* Nimirum quia nemo fere, vel nemo à perfecto incipit. Vnde etiam sanctum Paulum tradit ad diligendum Deum timore perductum: *Quem*, inquit, *maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem.* Vbi ad hoc respicit, quod Paulus terribiliter divinâ potestate prostratus fuit, tremensque ac stupens dixit: *Quid me vis facere?* Timor ergo plerumque, vel ut Augustinus in libro de Catechizandis rudibus *Lib. de Catechiz. rudib. cap. 5.* tradit, prius hominem ad arripiendum bonum concutit, ut iter ad charitatem paret. Vnde *Tract. 9. in Epist. Ioan.* Tractatu nono in Epistolam Ioannis: *Si nullus timor, non est quà intret charitas.* Et in Psalmum centesimum quadragesimum nonum: *Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* *In Psalm. 118.*

Ex his perspicuum fit, quam sit sacris litteris & Augustino consentaneum, quod Concilium Tridentinum docet; *peccatores à iustitiæ divinæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem erigi.* Et *Conc. Trid. Sess. 6. c. 6.* de contritione loquens imperfecta, quæ ex formidine pœnæ hominem ad abrumpendam peccandi voluntatem, & arripiendum vitæ melioris propositum convertit: *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt.* Liquet etiam quam providè definierit, *gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum non esse aut peccatores peiores facere.* Quod tamen observandum est, à Concilio non de quolibet gehennæ metu dici, sed de illo duntaxat, *per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus: vel a peccando abstinemus.* Quo significatur ille metus qui veram contritionem quamvis imperfectam parit & cum ea conjunctus est. Nam per illum gehennæ metum, qui tantummodo attritionem illam Scholasticorum quorundam efficit, non tam de peccatis quam de pœnis peccatorum homo dolet: *Non enim peccare metuit, sed ardere.* Nec per illum à peccando abstinemus aut abstinere possumus, quia per illum inviti facimus quicquid boni facere videmur. *Nemo autem invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit.* Quanquam nec iste servilis pœnarum timor, quatenus timor, sit peccatum aut malum. Bonus enim est timor quatenus timor, & eo quo supra diximus modo datur à Deo, quamvis servilitas ejus adjuncta mala sit. Sic enim & anima peccatrix, non quatenus peccatrix, sed quatenus anima & bona est & creatura Dei. Ex quo consequitur, ut etiam ille timor, peccatores nequaquam pejores, sed meliores potius facere dicendus sit. Continet enim saltem opus, si non animum. Vnde habere facit *innocentium manum, si non cordis.* Itaque timor iste servilis hominem ad justitiam præparat, non quidem

In Psal. 117 Lib. de Catechiz. rudib. cap. 5. Tract. 41. in Ioan.

Epist. 50.

Act. 9.

Lib. 1. Confess. c. 12.

In Psal. 77.

dem in quantum servilis, hoc est, ab amore justitiæ separatus est, & in ipso homine ultimo requiescit, peccandique voluntatem ex eo capite conjunctam habet, sed in quantum est timor pœnæ, cujus exspectatione si non ex toto, saltem aliqua ex parte, is qui serviliter timet à peccato revocatur, & ad justitiam diligendam ijs quos recensuimus modis præparatur. Amplius à timore pœnarum exposcere, est officium Domini à pedissequo, libertatem à servo postulare: unoque verbo hoc exigere, ut timor pœnæ sit charitas justitiæ: *Timor enim servus est, charitas libera est, & ut sic dicamus timor est servus charitatis.* Vnde fit ut timor charitati serviendo, *id agat ne facias, charitas id agat ne velis facere, etiamsi impunè posse admittere.* A Quantò satius & utilius timori tribuas quod timoris est, ne prepostere suffectus in charitatis locum, nec ista retineat dignitatem suam, nec ille utilitatem suam: atq; ita utrimque & peccator & justus perniciosissimè fallantur, dum neque diligens quid sibi a Deo donatum adsit, neque timens quid sibi adhuc donandum desit, agnoscit. Ex quo non raro forsan accidit, ut ex hujusmodi ignorantia, salute sua sempiterna peccatores excidant, dum securi ad pœnitentiæ Sacramentum cum dolore bonæque vitæ proposito, propter solum gehennæ metum concepto accedere jubentur, cum quo eos Augustinus invitos esse & nondum liberos aut alienos à voluntate peccandi securissimè constantissimèque profitetur.

FINIS.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS.
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER SEXTVS.

Qui est primus de libero arbitrio.

PRÆFATIO.



RDO postulat ut jam de concordia gratiæ istius medicinalis & liberi arbitrij paulo accuratius disseramus. Quod quia difficulter fieri potest, nisi natura libertatis utcumque percepta sit, operæ pretium fuerit ad rem totam planius intelligendam, ab ovo ordiri naturamque liberi arbitrii universam, quemadmodum ab antiquis gratiæ defensoribus contra Pelagianos luctantibvs intellectum fuit, lectorum oculis subijcere. Qua de re non possumus quoque tutiorem ducem aut peritiorem sequi, quam illum, quo neminem hujusce rei Ecclesia peritiorem habuit, nemo majori gloriâ ejus adversarios protrivit, nemo acrius in hoc ipso argumento exagitatus fuit, nemo constantius & uniformius libertatem arbitrij ab initio conversionis ad finem vitæ usque defendit. Falluntur enim toto cælo, qui ut liberrimas suas opiniones à Christiana gratia non mediocriter dissonantes, ab Augustini censura

subtrahant, causantur eum cum hostibus nimium liberæ voluntatis vires tuentibus luctatum esse, & propterea in alteram partem obnixius tetendisse, ut facilius adversarios suos depressa humanæ voluntatis libertate deprimeret. Quæ cantilena passim ab ijs frequentata est, qui se ab ejus doctrinæ tramite recessisse forsan conscij sunt. Sic enim & illi qui contra Augustini sensum pœnas parvulorum post hanc vitam, non multo modestius quàm ipsi Pelagiani elevant, hoc ipsum velum suis conatibus præferunt. Ita fit ut illo specioso prætextu Augustini doctrina tam de peccato originali, quàm de libero voluntatis arbitrio, adeoque de Christi gratia, quæ sine libero arbitrio intelligi nequit, in præsentissimum periculum adducatur. Sed boni isti viri duplici ex capite hallucinari videntur: tum quia nihil de libero arbitrio Augustinus adversus Pelagianos docuit, quod non diu ante nullo adhuc adversario secum litigante, vel Ecclesiam lacessente tradiderit: tum quod ignorare videantur, nullam acerbiorem sæpiusque & invidiosius repetitam calumniam fuisse impactam Augustino, totique Ecclesiæ Catholicæ, cujus partes ipse solus in illo conflictu litterario, ex ejusdem Ecclesiæ autoritate sustinebat, quam quod ex liberi arbitrij destructione, tum ipse esset, tum Ecclesia tota Manichæa. Audite adversus strenuissimum Ecclesiæ pugilem totamque Ecclesiam intonantem Iulianum: *Dicunt illi Manichæi quibus modo non communicamus, id est, toti isti, cum quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ liberum arbitrium perierit.* Et in opere postremo, cui refellendo immortuus est Augustinus, hæretica impudentia insultans adversario suo: *Cetera duo ista quæ iungis, liberum & non liberum, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agimus,* (id est, libero arbitrio) *convenire non possunt. Tibi vero stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem* (id est, Manichęorum) *adesse testantur.* Et paulo ante: *Hic intellectus est* (liberi arbitrij) *qui cum illis quos enumeravimus vos etiam* (id est, Catholicos) *à Christo monstrat alienos.* Et rursum inferius disputationem suam totam in summam colligens: *Quo collecto convinceris inficiari dogmata tua, ut promittas te liberum arbitrium non negare, quod ante mali, postea boni necessitate subvertis.* Quapropter tantis conatibus prolixissimæ disputationi suæ immoratum esse protestatur: *Vt ostenderemus,* inquit, *certissimum esse quod dixeram, quia negarent liberum arbitrium homines, qui vestro fuissent sermone deterriti, & in verum exitium vanâ formidine truderentur, teque esse præcipuum arbitrij liberi negatorem.* Ex quibus & alijs plurimis locis, quæ proferre in promptu est, manifestissime patet, quam immerito nonnulli dicant, Augustinum propter Pelegianos liberum arbitrium depressisse; cum è contrario nullam ipse totaque Ecclesia calumniam graviorem passa sit, quam quod everteret arbitrij libertatem, & ipse non semel fateatur, quęstionem illam fuisse sibi explicatu perdifficilem. Ex quo fit, ut ipse potius liberum arbitrium magnopere extollere debuisset, vel potius via regia incedere, ne libero arbitrio favendo Pelagianus, adversando Manichęus esse videretur. Nos vero potius, si illa regula recentiorum locum habere posset, in tradenda veritate

liberum

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib 1. oper. imper. f. 124

Ibid. f. 121.

f. 164.

liberum arbitrium deprimere deberemus. Nam quemadmodum tempore Auguſtini male audiebat Eccleſia, quod Manichæiſmum traderet, ita nunc propter quorundam recentiorum novas opiniones traducitur, quod Pelagij ſenſa de arbitrij libertate & poteſtate docet; unde quanto maiori omnibus curæ eſt, tueri ſalutem ſuam, quam alienam offendere, tanto diligentiori ſollicitudine Auguſtinus Eccleſiam à Manichæiſmo deſtructæ libertatis, nos à Pelagianiſmo enecatæ gratiæ purgare deberemus. Aſtruendo enim dominatricem gratiam deſtruebat quidem Pelagium, ſed non purgabat ſeipſum à Manichæo: nos vice versâ defendendo illam indifferentem libertatem, Calvinum quidem ſubvertimus, ſed Pelagij maculam non diluimus. Sed quęcumque tandem Eccleſiam erroris peſtis oppugnet, quæcumque calumnia deſertæ veritatis, impingatur, abſit ut quicumque Doctor Catholicæ veritatis ita unum declinet errorem, ut in alterum incidat. Abſit multo magis, ut profundiſſimus ille Eccleſiæ Magiſter Pelagianos ita debellaverit, ut in depreſſione humanæ libertatis exceſſerit, aut ſuſpectus ſit. Antiquæ ſunt illæ & uſu tritæ omnium eorum voces, qui cæleſti ejus doctrinæ, & à ſanctiſſimis Eccleſiæ Romanæ Præſulibus ſæpenumero comprobatæ, obtrectare ſtatuerunt, vel alteram inducere. Adverſus cujuſmodi, *qui piſſimis Diſputatoribus obviare præſumunt, & Magiſtis noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*, jam olim à divi Petri throno Celeſtinus intonuit. *Nec unquam hunc* (Auguſtinum) *ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à meis prædeceſſoribus ſemper haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori. Vnde reſiſtendum talibus quos male creſcere videmus.* Nam in diſputando cum hæreticis ita fugere errorem, ut vel in minimo regulam veritatis excedas, non eſt veritatem defendere, ſed evertere, non Eccleſiæ cauſam protegere, ſed prodere. Vnde in hac eadem omnino cauſa ſimiles hominum prævenientes ſuſpiciones, in medio duorum errorum ſine utriuſvis labe, illibato tramite incedendum eſſe definiens præclariſſime dicit: *Poſſunt duo errores inter ſe eſſe contrary, ſed ambo ſunt deteſtanda, quia ſunt ambo contrary veritati. Nam ſi propterea diligendi ſunt Pelagiani quia oderunt Manichæos, diligendi ſunt Manichæi quia oderunt Pelagianos. Sed abſit ut Catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare, cum movente atque adiuvante Deo debeat utroſque vitare, & cupiat utroſque ſanare.* Abſit igitur ut Auguſtinus, qui iſtum tuendæ veritatis modum tam diſerte in hoc eodem argumento tradit, ſui-ipſius oblitus ita gratiam aſſeruerit, ut vel in minimo liberum arbitrium læſerit. Noverat ipſe quæſtionem eſſe perquam delicatam, difficilem, ancipitem, in pondere & menſura tractandam, verba, ſyllabas, apiceſque in ſtatera ponderandos. Fuerat pulſatus eâdem calumniâ, jam verba ipſius in præjudicium libertatis, ut ipſe teſtis eſt, rapta fuerant: *Aſſeris*, inquit adverſus Iulianum, *me in alio libro meo dixiſſe, Negari liberum arbitrium ſi gratia commendetur: & iterum negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium.* Vnde promittebat Iulianus quod

In Epiſt. Cœl. ad Coloſſ. Epiſcop.

lib. 2. ad bonif. c. 2.

lib. 4. c. 8.

cum *libri ipsi* Augustini *ventilari cœpissent, à se illa sententiarum nudaretur & confoderetur impietas.* Sed reponit ei cautissimus Doctor: *Calumniaris. Non hoc à me dictum est: sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri hoc potest dictum esse & putari &c. Quis non exspectet sapientiam differentis, qui fidem cognoverit mentientis?* Cùm igitur tantopere hâc eversæ libertatis calumniâ vexatus fuerit Augustinus, quis mente sobriâ suspicari audeat, eum in deprimendo voluntatis arbitrio debitum excedere voluisse modum? Cùm si ullus hujusmodi cogitationibus detur locus, tota doctrina de gratia & libero arbitrio, de quorum conciliatione librum ex professo scribere compulsus fuit, periclitetur. Ille quippe cardo est in quo tota causa vertitur. Quem tam feliciter attigisse & enodasse visus est universæ Ecclesiæ in hunc usque diem, ut nemo de doctrinæ istius veritate, sive gratiam sive liberum arbitrium arctissimo vinculo inter se colligata spectes, ausus fuerit dubitare. Nec mirum sanè cum Romæ sanctissimi Præsules diversis sanctionibus profundissimam cautissimamque doctrinam ejus in hac parte comprobaverint & Ecclesia suam fecerit. Hinc illa Ioannis secundi Romani Pontificis verba auctoritate plena, quæ adversus Acœmetas Monachos Nestorianos protulit: *Sanctus Augustinus, cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.* Ut non immeritò magnopere dolendum sit, nonnullos ita humanis & plerumque fallacibus ratiocinationibus deditos esse, ut liberi arbitrij intelligentiam tutius ab Aristotele & è Gentili Philosophia, quam ex antiquæ Ecclesiæ promptuarijs hauriendam esse arbitrentur. Nempe quia res ista cum naturalis intelligentiæ terminos non excedat, ratione quoque metienda est. Quasi vero ullus ab Ecclesia peregrinus sublimitate rationis Augustino præferendus vel conferendus sit; qui sine Magistro solâ cælestis doni prærogativâ, se adolescentem non tantum Aristotelis Categorias difficillimas legisse, & ita intellexisse coram Deo teste profitetur, ut postea cum eruditis conferens, nihil ab eis audiret quod non ante solus apud se ipsum legens percepisset; sed omnes libros artium, quas liberales vocant, per se ipsum legit, & intellexit, quoscumque legere poterat. Cujusmodi ingenij prodigium, nescio an quisquam unquam viderit, aut in ullis Historijs legerit. Quo sanè non paulo mirabilius est, quod cum Theologiam nunquam didicisset aut sacras litteras vel à limine salutasset, solâ cælestis gratiæ infusione subitò institutus, statim à Baptismo stylum arripuerit, tantâque eruditione & firmitate profundissima quæque mysteria Catholicæ fidei enodaverit, divinamque imprimis gratiam & liberum arbitrium adversus Manichæos asseruerit, ut ante exortos etiam Pelagianos, correcto per divinam *revelationem* errore de initio fidei (quem aliqui recentiores neque post tot disputationes Augustini & Ecclesiæ definitiones advertere, nedum corrigere potuerunt) nihil de doctrina sua liberum arbitrium spectante, nec senex potuerit emendare, neque posterorum quisquam de emendatione cogitare. Nec mirum sane, cum Ecclesia doctrinam ejus hac in parte non tantum approbaverit, sed amplexa fuerit, nec ullum penè Canonem,

Epist. 3 ad Senatores.

Lib. 4 cont. Jul.

nonem, nisi proprijs Augustini verbis de gratia & libero arbitrio expresserit. Vt sine temeritate dicere liceat, eum qui sanctissimi Doctoris hujus sententiam de libero arbitrio eruere potuerit, Ecclesiæ Catholicæ sensum productum. Neque enim alium ipsa novit, nisi qui in sponsi sui scriptis, hoc est, in sacris litteris, & in suis precibus inculcatur, quas Augustinus ad amussim cum Pelagianis dimicando sectatus est. Desinat hic obstrepere Aristotelica Philosophia, quæ in ista causa cum Pelagio atque Iuliano plenis buccis eam crepante, damnata est. Neque enim aliud est quicquam hæresis Pelagiana de gratia & libero arbitrio, quam pura puta Aristotelica Philosophia, sicut suis locis ostendimus. Quid vero Aristoteles, vel quisquam alius Gentilis Philosophus de gratia in ipsam voluntatem operante vel audivit unquam vel suspicari potuit? Quid de arbitrij infirmitate, de plagis illis horrendis, propter quas sola Christi gratia necessaria est, illi cogitare potuerunt? Nonne præsumptione liberi arbitrij sui tumescentes, omnes omnino passiones corporisque dolores & voluptates atque animi motus sui superbissimi sapientis arbitratui subdiderunt? Quo nihil falsius in vera Philosophia, nihil capitalius Christi gratiæ in Christiana Philosophia de libero arbitrio dici potuit. Horum tamen voce arrogantissime clamabat Iulianus, *Hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges.* Ex quo fit ut nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio suspectum esse debeat, quam Aristotelica illa Philosophia, cujus solius armis instructus Iulianus & Pelagius libertatem humani arbitrij defenderunt.

Facessat & ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Augustini est, illorum error esse non potest. Sed quia non usque adeo hæretici exorbitare solent, quin sæpe in aliquibus articulis veritatem, in alijs nonnulla veritatis lineamenta retineant, si quid fortè hac in re cum Augustino senserint, veritas amplectenda est, sin dissenserint, error corrigendus. Sub hujus sanctissimi Doctoris auspicijs mihi constitutum est, sensum ejus, quantum Deus vires dederit, indagare, & quicumque ille fuerit, cum omni Christiana sinceritate proponere, nullius erroris invidiam aut mihi timens aut alteri quærens. Quo conatu meo si genuinum sensum ejus attigero & propalavero, nemo, spero, tam iniquus erit rerum arbiter, qui in tanta doctissimorum scriptorum concertatione, non utilem operam me in publicum contulisse fateatur; sin aberrasse, & aliud Augustinum sensisse ex scriptis ejus demonstrari potest, uberrimum fructum laborum meorum quibus per multos annos assidua diligentia ejus monumenta pervolvi, me tulisse, libentissime profitebor.

CAPVT PRIMVM.

De nomine liberi arbitrij & voluntatis.

VT autem ab ipso nomine incipiamus, liberum arbitrium quidam propriè dici putant de actu rationis simul & voluntatis, ut arbitrium idem sit quod judicium, sicut arbitrari pro judicare nonnunquam usurpari solet, & ita dicatur arbitrium propter rationem, liberum propter voluntatem. Hinc sanctus Bernardus: *Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem & rationis quod semper secum portat ubique indeclinabile iudicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sua propter voluntatem, ipse sibi iudex sui propter rationem.* Et paulò pòst: *Quapropter huiusmodi voluntarium consensum puto non incongruè esse, quod solet liberum arbitrium appellari, ut liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem.* Idem videntur sentire Autor hypognostici antiquus ac doctus, dum dicit *arbitrium ab arbitrando rationalis considerationem vel discernendo quid eligat, quidve recuset, puto quod nomen accepit: ideo liberum dictum quod in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem.* Et Magister sententiarum: *Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis &c. Liberum quantum ad voluntatem quæ ad utrumlibet flecti potest, arbitrium vero quantum ad rationem, cuius est facultas vel potentia illa, cuius etiam est discernere inter bonum & malum.* Hanc discretionem rationis indicat ibidem, sicut & Auctor hypognostici jam citatus, antecedere ante voluntatis electionem, utpotè quæ velut lucem voluntati præferat ut eligere possit: Bernardus verò, quod mirum videri queat, potius vult eam voluntatis esse præcessionem, ut de ipsa voluntatis electione bona vel mala judicet: Sic enim loquitur: *Et merito libertatem comitatur iudicium, quoniam quidem quod liberum sui est, profectò ubi peccat, ibi se iudicat. Est autem iudicium quia ipsle profectò, si peccat, patitur quod nolit, qui non peccat, nisi velit.* Et inferiùs: *Quapropter voluntarium liberumque consensum, ex quo & omne sui constat pendere iudicium &c. puto liberum arbitrium appellari.* Et multis interpositis: *Ex hac ergo tantum libertate, qua liberum est voluntati seipsam iudicare, vel bonam si bono, vel malam si malo consenserit, quippe quæ in neutro nisi certe volendo consentire se sentit, liberum arbitrium credimus nominari.* Sed quicquid sit de sancti Bernardi mente & aliorum sententia, ex Augustini scriptis satis manifestum est, per liberum arbitrium non nisi solius voluntatis potentiam vel actum significari, utpote qui solus propriè & immediatè liber sit, ratio verò non nisi mediante voluntate. Patet hoc ex eo quod passim Augustinus liberum arbitrium sine discrimine vocare soleat, libertatem voluntatis arbitrium, voluntatis arbitrium, arbitrium libertatis, liberam voluntatem. Hinc Epistola centesima septima: *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem &c. non nisi sua libera credere voluntate.* Et Epistola centesima-sexta: *Quod eis ad magnum imputaretur sacrilegium, si iam in eis aliquid valeret voluntatis arbitrium.* Et paulò pòst negat asinis *liberum voluntatis arbitrium* esse tribuendum. Et libro secundo de peccatorum meritis dicit quosdam tantum præsumere *de libero humanæ voluntatis arbitrio*, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ *concesso libera voluntatis arbitrio.* Et in Epistola octogesima-nona: *Lex est etenim in ratione hominis, qui iam utitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conscripta.* Et ibidem cum præmisisset; *ad hoc se intelligant habere quantum possum liberum arbitrium* &c. statim subjungit apertissimè: *Hæc enim voluntas libera, tanto erit liberior quanto sanior* &c. Et evidentissime in libris de libero arbitrio disputans cum Evodio, utrum debuerit homini à Deo liberum arbitrium dari, indifferenter id semper nominat, liberum arbitrium, & *liberam voluntatem*, & liberum voluntatis arbitrium. Hinc in libro de gratia & libero arbitrio, ut probet in homine esse liberum arbitrium, non aliud probat quam inesse homini voluntatem, hoc est, motum volendi. Vnde prolatis multis divinarum Scripturarum testimonijs, quæ jubent hominem velle vel nolle, concludit Augustinus: *Nempe ubi dicitur noli hoc & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis mandatis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et rursum inferiùs: *Vtique cui dicitur nolivinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conveniunt: velle enim & nolle propriè voluntatis est.* Nam arbitrium voluntatis seu liberæ voluntatis nihil significat aliud in ista phrasi apud Augustinum usitatissima, quam arbitrium volendi. Quid quod alibi expressis verbis liberum arbitrium à ratione distinguit? *Ecclesia in omnibus ad eam pertinentibus hominibus, qui iam ratione mentis utuntur, & voluntatis arbitrio ei veraciter dicit: Dimitte nobis* &c. Vnde quod paulò superiùs in eadem Epistola præmiserat: *Porro si iam utuntur (parvuli) rationis & voluntatis arbitrio*, non significat liberum arbitrium ex ratione & voluntate esse compositum, sed potius contrarium insinuatum cupit. Nam per arbitrium rationis, significat rationem mentis, ut suprà dicentem audivimus, per arbitrium voluntatis, propriè liberum arbitrium: utrumque enim arbitrium vocari potest, etsi non utrumque liberum. Vel certè indicat liberum voluntatis arbitrium, nunquam sine ratione præeunte in suum actum surgere. Et ista sententia eodem modo à prospero & Fulgentio docta fuit, qui Augustinum sequi solent: sed

omnium

Lib. de lib. arb. non procul ab initio.

Lib. 3. hypog. c. 4.

In 2. dist. 24.

Ibi sapcit.

Epist. 106.

Videsis 22. 18. sequ.

Lib. de gratia & lib. arb. c. 2.

Cap. 3.

Epist. 57.

omnium apertissimè à sancto Ioanne Damasceno, qui etiam Patrum antiquorum definitionem non aliam fuisse tradit, quam quod liberum arbitrium sit voluntas: *Cum divina natura*, inquit, *suapte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat, homo quoque ut ipsius imago arbitrij libertate volendique facultate naturaliter praditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.*

Observatione verò dignum est, quod quamvis in phrasibus supradictis liberum voluntatis arbitrium, potentiam ipsam voluntatis quatenus liberam significet, sæpè tamen voluntas non ipsam facultatem, sed actum liberum facultatis denotat. Testimonia sunt innumera in scriptis ejus passim obvia: usque adeo ut rara exempla sint, quamvis nonnulla sint, in quibus pro potentia sumatur. Nam & istis ipsis phrasibus, liberum arbitrium voluntatis, arbitrium voluntatis, & similibus idem significari videtur, ac si diceres, arbitrium liberum volendi. Hinc in libris de libero arbitrio: *Quid tam in voluntate, quam ipsa voluntas* (id est, ipsum velle) *sita est?* Quo loco & paulò pòst facilè decies consequenter, voluntas, & bona voluntas, pro volitione sumitur. Et illa in libris de Trinitate: *Eadem volentium est voluntas una: cum & in ipsis qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit.* Et mox latè disputat, quænam sint eædem voluntates, id est, eædem seu earundem rerum volitiones & appetitiones in hominibus. Hinc illud sæpissimè in Augustino repetitum, quod charitas non sit aliud quam bona voluntas: *Quid est*, inquit, *aliud charitas quam voluntas?* Et alibi: *Ipsa est charitas quæ dicitur voluntas bona.* Et in Epistola ad illustrem viduam Iulianam: *Proprium arbitrium nisi Dei gratia iuvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest.* De cujus charitatis & bonæ, itemque malæ voluntatis causa, quam & defectionem vocat, ex professo disputatur, & sexcenties in illo sensu voces illæ repetuntur in libro duodecimo de Civitate. Hinc illa ejus expositio frequenter iterata, quod illæ duæ arbores de quibus Christus mentionem facit, quando dicit, *Non potest arbor bona malos fructus facere* &c. significent bonam & malam voluntatem, quarum bona sit charitas, mala cupiditas. Hinc omnes affectiones animi, cupiditatem, lætitiam &c. voluntates quasdam esse definit, in libro decimo quarto de Civitate Dei: *Rectamque voluntatem esse bonum amorem, & voluntatem perversam malum amorem.* Hinc denique voluntatem hoc modo definit: *Est animi motus cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Quod idcircò admonendum duxi, ut quando Augustinus bonam & malam voluntatem nominat, sciamus quid loquatur, nec putemus, potentiam voluntatis ab eo, sed ipsos motus animi seu proposita designari. Quidam enim phrasibus Philosophorum recentium assueti, qui voluntatem volitionem vocare solent, antiquorum Patrum, imo ipsò genuino latinæ linguæ usu minus periti, cum voluntatem nominari audiunt, nihil aliud suspicari possunt nisi potentiam voluntatis, & ideo in alienos nonnunquam sensus, planissima auctorum verba detorquent.

Nec tamen iste generalis usus voluntatis pro motu animi sive malo sive bono apud Augustinum perpetuus est. Nam subinde voluntatem peculiari acceptione vocis, pro solò bono motu voluntatis usurpat, cui cupiditas opponatur, tanquam voluntas mala: *Quantum est*, inquit, *quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas, alioquin tutius cupiditas, quam voluntas proprie nuncupanda est.* Iuxta quam acceptionem alibi docet Christum locutum esse quando dixit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Notat enim nonnullos interpretes addidisse, quæcumque vultis *bona*, ne quis mala quæ vult sibi fieri etiam alijs velit. Sed in græco nihil tale additum invenitur, sed nudè, quæcumque vultis ut faciant &c. *Et hoc unde*, inquit Augustinus, *nisi quia hoc loco, modo quodam proprio voluntas posita est, quæ in malo accipi non potest?* Vsurpatio ista à Stoicis quibus peculiaris fuit, fluxisse mihi videtur. Nam sapientes dicebant velle, stultos cupere: *Voluntas quippe*, inquiebant, *appetit bonum, quod facit sapiens.* Vnde quas Cicero constantias nominavit, Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus nempe vitiosis, in animo sapientis: pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Sapientem ergò dicebant velle, gaudere, cavere; stultum non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. sed de istis vocum acceptionibus satis.

CAPVT SECVNDVM.

Liberum opponitur servo, captivo, dominationi alterius subjecto. Est esse inalligatum, inimpeditum &c.

VT autem ad veram liberi arbitrij intelligentiam à notioribus ad ignotiora nitamur, manifestum est *in ipso nomine liberi arbitrij, libertatem sonare.* Libertas autem in consuetudine latinæ linguæ, duobus modis dicitur. Vsurpari enim hoc verbum ita solet, ut pænè quicumque liberatur, intelligatur periculum aliquod evadere, carere molestijs, ut cum liberari dicitur à morte, infirmitate, naufragio. *Vsitate dicitur*, inquit Augustinus, *non tamen proprie.* Proprie verò liberare est liberum facere. Libertas autem

autem opponitur servituti, quod nisi omnium hominum judicio esset verum, innumeris pænè testimonijs Augustini perfacilè esset ostendere. Ostendit hoc luculentè colloquium Christi & Iudæorum apud Ioannem. Cùm enim dixisset Christus, *Et veritas liberabit vos*, Ioan. 8. responderunt Iudæi: *Nemini servivimus unquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?* Quibus iterum Christus: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Tract. 41 in Ioan. & Serm. 48. de verb. Dom. In quem locum Augustinus notat, & ex græcæ locutionis proprietate Iudæorumque responsione constare, quod *liberabit*, de libertate propriè dicta intelligi debeat, nec aliter possit. Origo autem vocabuli servorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui belli jure possent occidi, à victoribus cum servabantur captivi, servi fiebant, à servando dicti. Ex quo fit ut servus & captivus pariter opponantur libero. Vtrumque non solum in ista vulgari libertate, quæ ingenuis conditioni propria est, locum habet, idicente Augustino: Serm. 48. de verb. Dom. c. 3. *Ingenuus est aliquis, captivatur à barbaris, ex ingenuo factus est servus*; sed in primis in ista propriè dicta arbitrij libertate de qua sermo est. Opponitur enim ei non minus captum esse, quam servum. Nam de captivitate declarat hoc Augustinus multis locis: Epist. 107. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde sit liberum. Nam qui oppugnat gratiam* &c. *ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.* Et Iulianus cum Augustino disputans, hanc oppositionem liberi arbitrij & captivi, quam Augustinus arbitrio libertatis semel tribuisse videbatur, vehementer inculcat: Lib. 1. opere imper. f. 123 *Vt ipsa*, inquit, *verba tangamus quod liberatur captivum est, quod captivum liberum non est, quod liberum est, captivum non est.* Quod mox iterum repetit, & Augustinus verum esse concedit. Servitutis vero & libertatis repugnantiam sæpissimè idque in singulis pènè libris adversus Pelagianos exaratis inculcat, & res per seipsa perspicua est.

Cùm ergò servus, ut talis, essentialem rationem ad Dominum ipso nomine suo denotet, libertas verò respuat omninò servitutem, hinc fit ut consequenter etjam libertas ut talis dominationem alterius respuat. Qui enim Dominum habet in cujus est potestate, ille ut talis non est liber, sed potius sub ejus dominatione captivus ac servus. Qua de causa sæpissimè Augustinus liberum opponit ei quod est esse sub dominatione alterius, ut quemadmodum liberum dicitur, id quod à captivitate & servitute exemptum est, ita & quod ab alterius dominatione: Epist. 90. *Arbitrium*, inquit, *verè sit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Et in libris de spiritu & littera: Cap. 30. *An ita sunt liberi ut nec illum velint habere Dominum, qui eis dicit sine me nihil potestis* &c. Et Lib. 2. c. 6. in libris de peccatorum meritis, utramque immunitatem & à servitute & à dominatione conjungens, velut oppositam libertati: *Ab hujus execrandæ dominatione servitutis liberantur quibus Dominus Iesus* &c. Et vim nominis explicans in libertate vulgari: Lib. 1. de lib. arb. c. 15. *Eam nunc duco libertatem qua se liberos putant, qui Dominos homines non habent, & quam desiderant ij qui à dominis hominibus manumitti volunt.* Vnde in libro Iob: *Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber à Domino.* Iob. 3. Pluribus testimonijs allegandis in hac dominationis, servitutis, captivitatis, & libertatis explicanda notione supersedeo, quod sæpissimè in sequentibus de singulis mentionem facturus sit Augustinus, dum libertatis arbitrij significationem & rationem explicare sataget. Certissimum enim esse debet secundum Augustini doctrinam sexcenties inculcatam, non alia significatione arbitrium liberum dici, quam quatenus liberum dominanti, captivo, servo, & similibus famulandi necessitatibus contrarium est. Ex eadem quoque causa, quia quicquid est sub alterius dominatione, & captivum & servum, id quoque ad alterum refertur, ac est alterius, & in alterius potestate, hinc liberum subinde exponit Augustinus, per non esse in alterius potestate. *Responde quomodo ad* Epist. 107. *declinandum à malo & faciendum bonum liberum habemus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum: unde nos si Deus eruit, ipse utique liberum fecit?* Et infrà: *Vt eidem doctrinæ arbitrio liberato à tenebrarum potestate consentiant.* Cujusmodi locutiones eodem loco sæpius repetit.

Ex qua usurpatione liberi fluit, ut consequen er liberum sit quasi non ligatum, seu inalligatum, inimpeditum. Vnde liberas habere manus dicitur, cui nullis impedimentis, vel vinculis astrictæ coërcentur. Impedimenta namque & vincula libertatem agendi impediunt, & si sunt in ipsa voluntate, ejam volendi. Nec enim alia de causa non est liberum peccatoribus, imo & justis in hac vita tantum amare Deum, quantum amandum esse cernunt, nisi quia intus in ipsa mente quædam impedimenta & vincula sunt, quibus voluntas ab ejus dilectione retrahitur ac deorsum premitur: & vice versa idcircò sanctis in cælo non est liberum velle peccare, quia vinculis quibusdam voluntas innodata est, quibus magna cum delectatione ab illa perversa voluntate retrahitur & impeditur. Qua consideratione etjam nonnulli Scholastici recentiores liberum opponi dixerunt alligato; alij impedito. Hinc Augustinus, etsi de impropriè dicta libertate loquatur, vim tamen nominis exprimens: *Quid est quod oculi, Labia* &c. *ut ad* Lib. 1. de nupt. c. 6. *opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est* (id est, liberum nobis est) *cum ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum?* De vinculis vero libertatem arbitrij impedientibus, & quasi retrahentibus à volendo & agendo: *Quam sit autem liberum, & ab omnibus difficultatis vinculis expeditum in ipsa sanitate sapientiæ constituto* (id est, Adamo) *non cedere visis inferioris illecebræ* &c. Lib. 3. de lib. arb. c. 25. Et de Manichæorum Deo loquens, qui animas non arbitrij libertate, sed necessitate misisset: *Si ergo*, inquit, *posset is invenire alterum iudicem qui liber vinculo necessitatis, moderator existeret æquitatis* &c. De cujusmodi vinculis & compedibus libertatem arbitrij impedientibus frequenter aliàs mentionem facit. Servitus enim, captivitas, dominatio alterius, vincula sunt quibus Lib. 22. cont. Faust. c. 32.

quibus libertas, sive illa vulgaris, sive alia quæcumque illa fuerit, impeditur ab actibus suis, qui sive hominibus liberis, sive arbitrio libero conveniunt: à quibus cum expediuntur, liberi fiunt. Ista ergò est vulgo notissima liberi significatio. Sed quia sic magis aliquid negativum sonat, quid videlicet non sit, nempè non servum, non captivum, non subditum, inA impeditum, inalligatum &c. quam aliquid positivum, merito adhuc quæri potest, an genuina vocis istius significatio, non aliquid positivum inferat. Sublimius enim aliquid & nobilius ista voce, quam pura servitutis negatio insinuari videtur, quamvis indissolubiliter talem negationem conjunctam habeat.

CAPVT TERTIVM.

Liberum aliquid positivum sonat. Esse Dominum, esse sui juris, esse in potestate nostra, esse gratia sui.

ITAQVE libertas, & liberi ratio potius in illis quærenda videtur, quæ servituti, captivitati, & impedimentis & vinculis, & in aliena esse potestate, opponuntur: hæc autem sunt esse Dominum, esse suum seu sui non alterius gratia, esse seu habere in sua potestate. Hæc enim planè positivum aliquid resonant, tametsi per negationem plerumque explicari & facilius vulgo intelligi soleant, ut plerumque in attributis valdè eminentibus contingit. Sic enim infinitum, immutabile, æternum, & similia perfectissima Dei attributa, per negationes ferè exponimus. Cùm enim eorum eminentiam mentis acie non facilè penetremus, per negationes imperfectionum creatarum ea exprimimus. Ita & hic; quia quid sit servum, captivum, ligatum, in alienâ potestate, facilè vulgus intelligit; per negationes illarum conditionum exprimit libertatem; cùm aliud revera sit quam pura B imperfectionum illarum negatio.

Quapropter Augustinus libertatem aliquando per dominationem & imperium indicat; nempè quia servum cui liberum opponitur, est esse sub Domino: *Sic*, inquit, *homo peccavit, cum vult esse par Deo, id est, liber esse ab eius dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium.* Vbi idcircò liberum ab omni dominio vocat, quia est Dominus omnium. Et alibi libertatem quam servituti opposuerat, per regnum explicat: *Bonus etiamsi serviat liber est: malus autem etiamsi regnet* (hoc est, dominetur omnibus) *servus est: nec unus hominum, sed quod est gravius, toi Dominorum, quot vitiorum.* Placuit ista notio nonnullis recentioribus, qui vehementer urgent, in arbitrij libertate, quod per illud homo sit Dominus actuum suorum: quod verissimum esse postea declarabimus. Et quia Dominus non est alterius, sed suus, seu sui gra- C tia, servus verò sit alterius, hinc illa solemnis definitio liberi apud Aristotelem: ἄνθρωπος ἐλεύθερος ὁ αὐτῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλυ. *Homo liber, qui sui ipsius & non alterius gratia est*: quam sæpè divus Thomas probavit.

Porrò quia id quod ab omni servitute, captivitate, & subjectione, & alligatione, & vinculis impedimentisque liberum dominatur, non est in aliena potestate, seu sua, non alieni juris, sed sui, hinc Augustinus cum libertatem generaliter, & libertatem arbitrij accuratè vult exprimere & explicare, libenter illa utitur notione, ut dicat illud *esse in sua potestate, seu sui iuris*, habere actum *in sua potestate*; quæ prorsus idem sunt: Nec aliud indicant quam esse Dominum sui, non obnoxium alienæ potestati, & idcircò liberum. Qua de causa docet Augustinus, Adamum peccando libertatem appetisse; & illam in eo semper statuit, quod suæ potestatis esse voluit, uti Deus. Nam in libris de Civitate Dei, cùm dixisset, Deum homini brevissimo præcepto adminiculatum esse, *quo eam creaturam cui libera servitus expederet, se esse Dominum commonebat*, statim contrariam libertatem tangens quam Adam expetivit, adjecit: *Et quia sua superbia sibi placuerat, Dei iustitia sibi donaretur, nec sicut affectabat,* IN SVA ESSET OMNIMODÒ POTESTATE, *sed à seipso quoque dissentiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertate quam concupivit, diram miseramque ageret servitutem.* Vbi libertatem concupiscere & affectare, in sua esse potestate, pro isdem prorsus habet; unde & servitutem libertati capitaliter inimicam ei opponit. Et in opere de moribus Ecclesiæ: *Ipsa est* (audacia) *quæ legibus Dei obtemperare declinat, dum sua potestate esse cupit ut Deus est* &c. hoc est, liber ut supra, *dilectione ergo redit ad Deum qui se illi non componere sed supponere affectat, quod quanto fecerit instantius atque studiosius, tanto erit beatior atque sublimior, & illo solo dominante liberrimus.* Et in Psalmis: *Quid illi deerat ut tangeret, nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum implere delectavit, ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus*, scilicet liber, ut suprà dixit, *quia Deo nullus utique dominatur.* Quod in libris de Genesi ad litteram isdem penè verbis sed apertioribus dixit: *Noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata.* Et in sermonibus de verbis Domini, eandem libertatem, quam affectavit Adam, explicans dicit: *Primus homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit. Quid est dominari nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas: illi subiamur ut tuti esse valeamus.* Et hac de causa noxiæ hujusmodi libertatis affectationem vetans Augustinus: *Noli*, inquit, *esse velle quasi proprius & tu tua potestate*, id est, liber, *sed eius clementissimi & utilissimi Domini te servum esse profitere*; quasi dicat, Noli esse

Lib. 14. de Civit. c. 15.

Lib. de moribus Eccles. c. 12.

In Psal. 40

Lib. 11. de Gen. c. 31.

Lib. 33. de verb. Dom. c. 2.

Lib. 1. §. 1. loq. c. ult.

ita

Lib. de quantitate animæ cap. 34. & lib. 1 Soliloq. c. ult.

ita liberi arbitrij ut memini servîat, sed soli Deo serviat, *in cujus servitio placere perfectè sola libertas est.* Quod alibi in eodem libro Soliloquiorum his verbis exprimit: *Tibi soli servire paratus sum, quia tu solus justè dominaris, tuumque esse cupio:* cùm præmisisset *Dei legibus arbitrium animæ esse liberum.*

Ex quibus perspicuum est Augustinum, cum rationem libertatis explicare nititur, indifferenter uti phrasibus illis, esse Dominum, esse sui juris, habere in potestate sua: sed omnium apertissimè & directè ad propositum, generaleri liberi rationem in actibus voluntatis ex professo explicat in libris de libero arbitrio: *Voluntas igitur nostra* (id est volitio seu voluntatis actus, de qua ibi quæstio versatur) *hoc voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quod est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Et mox adjungit: *Nec voluntas* seu volitio scilicet libera, *esse posset, si in potestate non est.* Et iterum inferiùs dicit ita Deum peccata præscire, *ut maneat tamen nobis voluntas libera,* quod ut sciremus quid sibi vellet, rationem libertatis juxta præmissa explicans, addit, *atque in nostra posita potestate.* Et adversus Pelagianos: *De odoratu autem quod dicit, nonne parum attendit, non esse in nostra potestate posse odorari, vel non posse, sed in nostra potestate esse, hoc est, in libera voluntate, odorari vel non odorari?* Et in libro primo ad Simplicianum explicans Apostoli verba: *Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio,* movet hanc difficultatem, quod Apostolus his verbis videatur non rectè intelligentibus auferre liberum arbitrium. *Sed,* inquit, *quomodo aufert cum dicat velle adiacet mihi? Certè ipsum velle in potestate est, quoniam adiacet mihi. Sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati.* Quibus verbis aperte docet homini videlicet sub lege constituto (velle) esse in libero arbitrio, non autem (perficere bonum,) quia illud est in potestate, non istud, propter originalis videlicet peccati noxam, quæ fecerit perficiendi boni potestatem, ideoque libertatem. Ut sanè ex omnibus istis testimoniis apertissimum sit, illa duo, liberam videlicet esse voluntatem, & *esse in hominis potestate,* prorsus esse reciproca, hoc est, convertibilia, ut Philosophi loqui solent; & ex Augustini mente, hoc quod est *esse in potestate,* ipsissimam rationem libertatis, unde arbitrium liberum esse dicitur, exprimere.

Quapropter Augustinus passim, esse liberum voluntatis arbitrium, & esse in potestate nostra, pro ijsdem usurpat. Nam libro quinto de Civitate Dei contra Stoicos ac Ciceronem de arbitrij libertate disserit, id quod capite nono dixerat esse vel non esse *liberum* arbitrium, hoc capite decimo dicit, esse vel non esse *in potestate.* Et in libro de sancta virginitate: *Fœcunditas non est in potestate* &c. *Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium.* Et in sermonibus de diversis explicans per similitudinem quomodo peccare sit in libero arbitrio: *In ipso corpore in potestate habet homo ægrotare, convalescere autem non ita habet in potestate:* & ad propositum applicans: *Sic etiam secundum animam, ut peccando in mortem caderet homo* &c. *fuit in eius libero arbitrio.* Et in alio sermone de filio prodigo primi parentis typo: *Voluit in potestate habere, quæ bene illi apud patrem servabantur, habere illa voluit in arbitrio suo.* Et in sermone de Esau figura peccatorum ita loquitur: *Quid est quod dictum est, & erit tibi sic, cum solveris iugum eius à cervice tua; nisi quia ostendit illos, quos Esau præfigurabat, sic esse peccatores, ut in potestate haberent & in libero arbitrio, mutare se & fratri coniungi?* Quod eundem locum alijs verbis exprimens dicit alibi: *Quid est: Erit autem cum deposueris & solveris iugum de collo tuo? Liberum tibi est si volueris converti.*

Lib. 2. de lib. arb. c. 3.

Lib. de nat. & grat. c. 47.

Quæst. 1.

Cap 13.

Serm. 34. c. 1. & 2.

Serm. 47. de diversis. c. 2.

Serm. 44. de diversis. c. 28.

Neque verò tantum Augustinus, sed & Pelagiani liberi arbitrij patroni fidelissimi, istam libertatis seu liberi arbitrij notionem diversis locis indicarunt. Nam Pelagius in libro de natura & gratia cum Augustino de viribus liberi arbitrij toto conatu disputans, crebro pro ijsdem sumit, *esse liberi arbitrij & esse in nostra potestate,* & Augustinus respondendo eadem in ijsdem locis sæpe confundit. Vnde & Iulianus gravissimè queritur, hæreticos dici, *qui asserant Dominum ad bonum opus liberum hominem condidisse, & esse in unusquisque potestate recedere à malo, ac studys splendere virtutum.* Et ipse Cicero latinæ linguæ præcipuus cultor, dum docere nititur virtutem & vitium esse in hominis arbitrio libero, dicit ea esse in hominis potestate. Nimirum juxta Augustini regulam supra traditam, quia *non est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Hoc est, nullus actus est nobis liber seu liberi arbitrij, quem non habemus in potestate, & vice versa omnis actus quem habemus in potestate est nobis liber. Quæ notio liberi nec à recentiorum sensu aliena est. Nam inde illud Lessij: *Quid aliud est non esse in potestate hominis, quam non esse liberum?* Nec aliud significatur per illud Dominium sui, quod recentiores in explicanda ratione libertatis inculcare solent.

Cap. 15. & sequentibus.

Lib. 2 oper. imperf. 115

Lib. 2 de Idem, quæst.

Lib. de grat. efficac. c. 19.

Suarez. prælect. 1. c. 3.

Sed nullis ea explicatio & ratio libertatis est familiarior quam scriptoribus Græcis: usq; adeo ut vim liberi arbitrij genuinè exprimere volentes, non aliud liberum vocent quam τὸ ἐφ' ἡμῖν, id est, *id quod est in nostra potestate;* sicut videre licet frequentissimè apud omnes Scriptores Græcos, qui de libero arbitrio aliquid litteris mandaverunt. Ipsam autem liberam voluntatem vocaverunt τὸ αὐτεξούσιον, quasi dicerent sui juris, suæ potestatis, seu habens in sua potestate actus suos. Vim enim istam nominis breviter tetigit Basilius, cum dixit, τὸ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δυνάμει αὐτεξούσιον, *liberum quod in potestate hominis est arbitrium.* Et explicuit Nyssenus clarius, cur dicatur arbitrium esse in sua potestate, nempe ut intelligatur non esse in aliena potestate, illud trahente ad scopum suum? *Est enim solum,* inquit, *inanimorum, aut eorum quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate*

Serm. de fide, arb. tom. 2

Nyss. in orat. Cat. c. 31.

voluntate ad id quod videtur, adduci. Vnde si & ista est hominis conditio, statim infert sequi, quod nihil eorum quæ nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate: *maneri enim potentia* (id est, alienâ potestate) *trahuntur instituta & proposita ad id quod libet ei qui dominatum obtinet.* Et vim libertatis ponens in eo quod aliquid sit in nostra, non aliena potestate: *Qui in* Cap. 30 *universitatem liberam habet potestatem, propter summum in homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, cujus unusquisque nostrum solus est Dominus. Hoc autem est liberi arbitrij abera electio, quæ subjici nequit & juris est.* Hoc est, quæ non est in aliena potestate & jure, sed suo. Quam vim græci nominis ἀυτεξούσιον, acutissimè brevissimeque expressit Basilius dum τὸ ἀυτεξούσιον, opponit τῷ ὑπεξουσίῳ, hoc est *id quod* Lib. 1. cont. Eunom. *est suæ potestatis, id quod est sub aliena potestate.* Sed apertissimè doctrinâ illam tradit Damascenus multis locis. Nam in lib. 2. Orthodoxæ fidei: Damascen. lib. 2. orthod. fidei. *Cum liberi arbitrij participes a summo illo opifice conditi simus, hinc efficitur, ut actiones nostræ in nostra potestate sint.* Et mox unum per alterum explicans: *Si nulla actio in nostro arbitrio & potestate sita est* Cap. 25. &c. Et alibi eodem prorsus modo: *Relinquitur hominem operum suorum auctorem esse, eaque in arbitrio suo ac potestate habere.* Et interius: *Aut enim* Cap. 27. *rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium a potestate*

A *stæ futura est.* Et iterum: *Ea quæ fiunt partim in* Cap. 26. *nostra potestate sita sunt, partim minime sita. In nostra potestate sunt ea quæ liberum est nobis facere vel non facere.* Respectu quorum dicit *positum in nobis esse, liberam potestatem.* Et adversus Manichæos: *Nam cum ita conditi simus ut nobis* Fol. 43. *arbitrij libertas insit, in nostra potestate hoc situm est, ut* &c. Hinc & D. Thomas Græcos imitatus, Deum vocat *liberum & per se potestativum.* Ad D. Thom. in cujus imaginem hominem conditum esse dicit, quatenus & ipse suorum operum principium, *quasi liberum habens arbitrium, & suorum operum potestatem.* Et mox illam liberi arbitrij rationem explicat per hoc quod est homo *actuum suorum Dominus* per *rationem & voluntatem*, seu *per liberum arbitrium*, hoc est, quod eos habet in potestate. Ex quibus consequens est, arbitrium & hominem esse liberum, quatenus est suæ, non alienæ potestatis, quatenus est sui, non alieni juris, quatenus est Dominus & gratia sui, non serviens alteri, in cujus videlicet potestate & jure sit res vel actio, respectu cujus libertas exploratur. Nam quod alienæ potestati & juri obnoxium est, illâ consideratione non est liberum, quia nec sui juris nec suæ potestatis est, sed alienæ potestatis terminis coërcetur. Nec dominatur, sed eatenus servit alteri, nec gratia sui est, sed alterius causa.

CAPVT QVARTVM.

Quid sit esse in nostra potestate, seu actum habere in potestate, juxta Augustinum.

QVÆ cùm ita sint, nunc diligentius ex A Augustino explorandum est, quid sit aliquem actum aut rem esse in nostra potestate, seu nos habere aliquid in potestate, ut accuratius constare possit, quid sit esse aliquid in libero arbitrio, & consequenter, quid sit arbitrium esse liberum respectu alicujus. Recentiores enim imaginantur, illum tantum modo actum esse in nostra potestate, hoc est, in libero nostræ voluntatis arbitrio, & illius tantum nos esse Dominos, quem pro libitu nostro positis omnibus ad agendum necessariis possumus facere & non facere. Quæ in re, juxta Augustini sententiam crebrissimè nobis explicatam, sine dubitatione fallimur. In eodem igitur loco, ubi de natura liberæ voluntatis ex professo disputans, id liberum nobis esse constituerat ut supra vidimus, quod est seu quod habemus in potestate, mox definit id esse seu habere nos in potestate, *quod cum volumus, facimus.* B Lib. 3 de lib. arbit. cap. 3. Quam definitionem in eodem loco ipsius iterat. Et quamvis eam paulo post conversionem suam adversus Manichæos tradiderit, eam tamen ad finem vitæ usque servavit, & crebro adversus omnes hæreticos, veluti doctrinam certissimam inculcavit & explicuit. Iam enim Episcopus cum Ariano Episcopo Maximo differens: *Hoc habemus in potestate quod cum volu-* Lib. 3. cont. Maximin. c. 14 *mus, possumus. Præceptum vero id nobiscum agit, ut quod tam est in potestate faciamus. Si autem nonum*

A *est in potestate, rogamus nobis potestatem dari* &c. Et cum Pelagianis aperto Marte contigens cum sibi quæstionem proposuisset, utrum fides hominis esset, credendi actus esset in nostra potestate, ita loquitur: *Quid igitur ultra quærimus quando qui-* Lib. de Spir. *dem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet* & lit. c. 31. *facultas faciendi? Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Quam definitionem ejus ut recte intelligeremus, differentiam voluntatis & potestatis accuratissimè tradit, quam ipsis ejus verbis potius quam meis hic subjiciam: *Cum duo quædam sint velle & posse, unde nec qui vult* Eidem. *continuo potest, nec qui potest continuo vult: quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando quod nolumus, satis evidenter etiam ipsis vocabulis resonat, quod ab eo quod est velle voluntas: ab eo autem quod est posse potestas nomen accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem, ita potestatem qui potest. Sed ut potestate aliquid fiat, voluntas adsit,* id est, adesse debet. Et hinc est, quod præsentia voluntatis infallibiliter arguit, utrum facere sit in nostra potestate. Si enim voluntate faciendi imperante fiat, actio illa est in nostra potestate, si non fiat, extra potestatem nostram, & proinde in certitudinem constituta est. Et jam senex recensens libros suos, crebro eándem illam definitionem repetivit. Nam libro primo Retractationum: *Cùm enim hoc sit in potestate, quod cum volumus* Lib. 1. Retract. c. 9. *facimus, nihil tam in nostra potestate* &c. *Quæ in-*

potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem. Et libro secundo Retractationum illum exponens sententiam suam, qua dixerat esse in cujusque potestate quod velit, non tamen esse in cujusque potestate, quod possit: *Quod ideo,* inquit, *dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit.* Lib. 2. c. 1. Quopropter ex hac doctrina toties iterata patet, ut cognoscamus, utrum aliquid in potestate nostra, seu nobis liberum sit, hoc intuendum esse, utrum fiat quando volumus. Si enim fiat quandocumque volumus, & non fiat quando nolumus, liberum est; si vero cum volumus, non fiat, vel si nolumus, fiat, certissimum est, non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate.

Hinc igitur fit, ut imprimis passiones seu id quod patimur minimè soleant nobis esse liberæ, quia minimè in potestate, dum plerumque nolentibus fiunt. Vnde Augustinus, *Homo in eo* De urbis ex-vidoe cap 3. *quod pateris potestas tua non est: in eo quod facis voluntas tua non est.* Et libro octavo de Civitate Dei, ubi ex professo de libertate voluntatis humanæ, seu de libero arbitrio disputat, cum dixisset, voluntates nostras in eo apparere, quod volendo facimus, mox de passionibus adjicit: *Quicquid autem aliorum hominum voluntate* Lib. 5 de Civ. cap. 10. *nolente quisque patitur, etiam sic voluntas valet, etsi non illius tamen hominis voluntas, sed potestas Dei est.* Quo indicat, passionem illam non esse liberam homini patienti, quia non est in ejus potestate, dum fit quando non vult, sed homini eam inferenti, vel Deo. Actiones verò cùm aliæ sint nostræ, aliæ non nostræ: & ex nostris aliæ sint imperatæ, aliæ elicitæ, in omnibus illis libertas invenitur, gradatim major & minor, quo magis ad ipsum fontem libertatis, ipsos, inquâ, elicitos actus voluntatis acceditur. Nam quantum ad alienas actiones attinet, ille in potestate nostra sunt, & consequenter liberæ, quæ fiunt quando volumus, ut combustio domus, motus brutorum, & similes quarumcumque creaturarum irrationalium actiones, in potestate nostra sunt, quando nobis imperantibus fiunt: si vero nobis volentibus non fiunt, vel nolentibus fiunt, in potestate nostra non sunt. Idem judicium de actionibus imperatis, extra voluntatem. Nunc enim, verbi gratia, ambulare, manus movere, loqui, videre, & similes actiones in potestate sunt, cum voluntate imperante membra sequuntur, cùm vero non sequuntur voluntatis imperium, ità ut homine nolente fiant, vel volente non fiant, non sunt amplius in potestate, & proinde non liberæ. Vnde de motibus genitali m jam non amplius in arbitrio nostro sitis Augustinus: *Quid est quod oculi,* Lib. 1. de nupt. cap. 6. *labia, lingua, manus, pedes &c. ut ad opera sibi congrua moveantur, positum in potestate est* (hoc est, in liberi arbitrij potestate situm est) *quando ab impedimentis habemus liberum & sanum: ubi autem ventum fuerit ut filij seminentur ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata non serviunt, sed exspectatur ut ea velut sui juris, id est, sui arbitrij, libido commoveat, & aliquando hoc facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente?* Vbi esse in potestate & ad nutum voluntatis seu quando volumus nobis servire, idem est: sicut vice versa, fieri animo nolente, idem est quod esse extra liberi arbitrij potestatem & imperium. De cujus libertatis amissione subijcit: *Hinccine non* Ibid. *erubesceret humani libertas arbitrij, quod contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium?* Quia scilicet non moventur aut quiescunt nutu libertatis, sed ardescente vel frigescente libidine. Idem prorsus & in internis facultatibus, intellectu, memoriâ, phantasiâ &c. locum habet. Nam earum actiones sæpenumero non sunt nobis liberæ, quia extra potestatem nostram positæ: *Nemo habet,* Lib. de Spir. & litt. c. 34. inquit, *in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis,* hoc est, liberi arbitrij: per hoc enim explicat quid ante dixisset, *esse in potestate.* Et mox: *Quis nesciat non* Cap. 35. *esse in hominis potestate quid sciat?* Et illud solemne Ambrosij crebroque ab Augustino repetitum: *Non est in potestate nostra cor nostrum &* Lib. de bona *nostræ cogitationes.* Quid quod & in ipsa potentia voluntatis hoc idem videre licet? Nam quamvis fons totius libertatis, quę in omnibus nostris emicat actionibus, ex voluntate extorsum fluat, ut jam diximus, tamen in ipsa voluntate multæ volitiones sunt certis temporibus, & certa consideratione extra potestatem, & ideo tunc eatenus etiam extra libertatem. Nam & ibi voluntas potest velle actiones quæ tunc quando vult eas, extra potestatem constitutæ sunt, atque ita tunc homini non sunt liberæ. Sic enim potest homo velle, velleitate quadam amare Deum tanto amore quanto S. Paulus amavit, & nondum potest, quia hoc nondum datum est, quemadmodum quotidie videmus, peccatores velle continere, & nondū posse: quia continere nondum est in eorum potestate, ideoq; nec libertate. Qua de causa Christus dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed* Matth. 19. *quibus datum est.* Dantur enim impotentiæ seu infirmitates etiam in voluntate, ut experientiâ imo & Catholicâ fide certum est: ad quas superandas non sufficit velle, sed requiritur posse, quod homini divinitus dari debet. Hac igitur consideratione, quia non fit aliquid, quando vult homo, etiam in ipsa potentia voluntatis quædam actiones certis temporibus non sunt liberæ. Vnde Augustinus vehementer Pelagium reprehendit, qui dicebat, *in nostra esse positum* Epist. 192. initio. *potestate,* hoc est, ut additur, *solam sufficere voluntatem hominis, ut in peccatum tentati non incidamus.* Et libro 3. de libero arbitrio dicit, *hominem,* Lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. *secundum se videlicet consideratum, non habere in potestate ut bonus sit,* nempe propter ignorantiam & infirmitatem. Vnde addit explicans quid dixerit, non esse in potestate: *Nec mirandum est, quod vel ignorando non habeat liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quod rectè faciat &c.* Ibid. Sed de his aliis ex professo disputandum erit. Hic sufficit annotasse, etiam quasdam voluntates seu volitiones in certo statu non esse in potestate seu arbitrij libertate, quemadmodum non est Deo aut beatis liberum velle peccare, nec dæmonibus aut hominibus infidelibus

Deum

Deum diligere, aut credere articulos quos nunquam audiverunt, Auguſt. dicente: *Nullo modo dici poteſt id quod non audieras, credere ſi velles.* Hoc eſt, non poteſt dici hoc eſſe in hominis poteſtate ſeu arbitrio, hoc enim in poteſtate & arbitrij libertate eſt, quod *ſi volumus facimus.*

Liquet igitur facile ex his quæ diximus, omnium interiorum facultatum & ſenſuum externorum, adeoque membrorum & rerum quarumcumq; actiones eatenus eſſe in noſtra poteſtate, & conſequenter nobis liberas, quatenus voluntati noſtræ ſubjacent, ſive quatenus eas facimus quando volumus, eoque magis aut minus, quatenus imperium voluntatis in his eliciendis & coërcendis plus juris & poteſtatis obtinet.

CAPVT QVINTVM.

Omnis voluntas quo modo ſit in poteſtate, & libera.

NVNC ipſum cubile totius libertatis luſtrandum eſt; ipſa inquam voluntas noſtra, hoc eſt, volitio, quam ſequendo liberum nobis eſt, quicquid liberum eſt, & in poteſtate noſtra quicquid in poteſtate eſt. Nam quamvis una voluntas ſeu volitio aliam imperare poſſit voluntatem, quę idcirco libera nobis ſit quia in poteſtate noſtra: & idcirco in poteſtate noſtra quia ſequendo imperantem voluntatem elicimus eam cum volumus, & cum nolumus non elicimus; prima tamen illa voluntas imperans, quam imperata velut in poteſtate noſtra, ideoq; libera ſequitur, per quam aliam volitionem erit in noſtra poteſtate? Reſpondeo per nullam aliam, ſed per ſe ipſam: unde etiam ratione nullius alterius volitionis libera nobis eſt ſed ratione ſui. Quod ex definitione *liberi* ſupra tradita perſpicuè patet. Nihil enim magis facimus quando volumus, quam ipſam volitionem: & ideo nihil magis in poteſtate noſtra quam ipſa voluntas, id eſt, volitio conſtituta eſt. Eſt enim ipſa radix totius libertatis quæ in omnibus omnino actionibus ſive externis ſive internis apparet, propter quam ſolam illæ in noſtra poteſtate ſunt. Itaque libera eſt voluntas, hoc eſt, volitio ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera. Implicat enim contradictionē ut voluntas non ſit libera, ſicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus: hoc eſt, ut voluntas non ſit voluntas. Hoc enim in pleriſq; ſimpliciſſimis locum habere ſolet, ut quod aliis competit per accidentalia & extra eſſentiam poſita, hoc ipſis per ſe-ipſa competat. Quicquid enim differt ab alio, per differentiam differt, ipſa vero prima differentia à ſe-ipſa differentia eſt; & quicquid viſum diſgregat albedinis participatione diſgregat, ſed ipſa albedo per ſe: & quicquid unitur alteri, unione velut vinculo unitur, ſed ipſum vinculum unionis rebus unione unitis per ſe unitum eſt. Ita quicquid liberum & in poteſtate noſtra eſt, per voluntatem, id eſt, volitionem nobis liberum & in poteſtate eſt, ſed ipſa volitio per ſe; quia per ſe-ipſa fit, quando volumus.

Sed ipſum jam D. Auguſtinum accuratiſſimè hoc ipſum explicantem, & velut rem in primis intellectu neceſſariam crebro inculcantem audiamus. In libro igitur tertio de libero arbitrio, ubi tota diſputationis mole iſtud agitur, quo pacto per præſcientiæ divinæ neceſſitatem, non perimatur libertas voluntatum noſtrarum, cum neceſſe ſit omnino fieri quicquid prævideritfuturum Deus, ita libertatem voluntatis, id eſt, volitionis aſſerit, ut nihil aliud probet, quam eam eſſe voluntatem, & conſequenter eam fieri quando volumus, & idcirco eſſe in poteſtate noſtra & liberam nobis. Cùm enim Evodius quicùm diſputat, dixiſſet, ſe nunc beatum eſſe velle, ſed nondum eſſe, eo quod hoc non eſſet in poteſtate ſua, ſed penderet à voluntate Dei, & proinde ſibi hoc non eſſe liberum, reſpondet Auguſtinus: *Optimè de te veritas clamat: Non enim poſſes aliud ſentire, eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: Ea enim prorſus, ut nullo intervallo, mox ut volumus, præſto eſt.* Et ideo contradictionem illam quam ſupra ſequi ex eo diximus, quod voluntas ſeu volitio noſtra eſſe diceretur, & non tamen in noſtra poteſtate, nec libera, luculenter oſtendens: *Et ideo, inquit, recte poſſumus dicere, non voluntate vivimus, ſed neceſſitate, aut non voluntate morimur, ſed neceſſitate, & ſi quid aliud hujuſmodi. Non voluntate autem,* hoc eſt, volitione *volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Et paulo inferius idē inſtantius agens: *Quod ſi non hoc modo dixerit, ſed dixerit, ſe, quia neceſſe eſt* vi divinæ præſcientiæ *ut velit, ipſam voluntatem,* id eſt, volitionem, *in poteſtate non habere* (id eſt, non eſſe liberam nobis) *occurretur ex eo quod ipſe dixit, cum quæreret, utrum unquam beatus ſit futurus. Reſpondiſti enim quod tamen eſſes beatus ſi poteſtas eſſet in te: velle enim, ſed nondum poſſe dixiſti. Ubi ego ſubjeci, de te* id eſt, de ore tuo *clamaſſe veritatem: non enim negare poſſumus habere nos poteſtatem, niſi cum nobis quod volumus deeſt. Dum autem volumus, ſi ipſa voluntas,* id eſt, volitio, *deeſt nobis, non utique volumus. Quod ſi fieri non poteſt ut dum volumus non velimus, adeſt utique voluntas volentibus: nec aliud quicquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt: voluntas igitur noſtra,* id eſt, volitio, *nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate,* LIBERA NOBIS EST. NON ENIM EST NOBIS LIBERVM, QVOD IN POTESTATE NON HABEMVS. AVT POTEST NON ESSE QVOD HABEMVS. Dece à radicibus oſtenſum impoſſibile eſſe, ut volitio non ſit in noſtra poteſtate, vel non ſit libera: quia impoſſibile, ut cum volumus non velimus, impoſſibile, ut cùm fit quod volumus,

Lib. 2 de lib. arbit. c. 3.

Ibid.

si non sit in nostra potestate, impossibile ut quod ita est in nostra potestate, non sit liberum nobis. Et mox ostendere volens, præscientiam futuræ voluntatis non tollere nobis, sed potius inferre libertatẽ ejusdem voluntatis, hoc unicum tantum ostendit, quod præscientia ista non impedit quin voluntas ista seu volitio maneat in nostra potestate, hoc est, quin maneat voluntas, ipsa enim voluntas per se-ipsam voluntas est, & in nostra potestate, & libera: *Ita sit*, inquit, *ut & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ*, id est, volitionis, *cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi voluntas adimitur*, scilicet volendi, hoc est, non sit vt voluntas non sit amplius mihi in potestate & proinde libera, *quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia fulli non potest, assuturam mihi esse præscivit.* Non potuit evidentius, fortius, magisque peremptoriè ex ipsis definitionibus astrui contradictionis a sordidas, quæ in eorum dictis latet, qui dicunt voluntatem, id est, volitionem esse posse quæ tamen non sit in nostra potestate nec libera. Hoc ipso quippe quo voluntas est, utiq; voluntas est, hoc est, eo ipso quo volumus, utiq; volumus. Hoc ipso vero quo voluntas est, jam est in potestate, quia hoc ipso sit cum volumus: hoc ipso igitur etiam libera est: hoc enim, & nihil præterea, liberum est quod est in nostra potestate. Vnde rem legitimè confectam esse concludens: *Ecce*, inquit, *jam non nego, ita necesse esse fieri quæcunque præscivit Deus, & ita eum peccata nostra præscire, ut maneat tamen nobis voluntas libera atque in nostra posita potestate*; hoc ipso videlicet quo voluntatem nostram, & non aliud quippiam, futuram esse præscivit.

Lib. 3 de lib. arbit. n. 3.

Nec in isto solum loco, & in isto 1 conversionis fervore rem istam docuit, sed in provectiore ætate jam Episcopus in decrepita senectute sapiens, tam Manichæos quàm Pelagianos istâ doctrinæ sanitate retundendo semper intuens, à quibus de libertate voluntatis tam sub divina gratia elevante, quam sub cupiditate deprimente voluntatem invidiosissimè sæpissimè eque pulsabatur. Itaque cum Felice Manichæo disputans, ut ostenderet Manichæum ipsum libertatem arbitrij imprudenter confessum esse, verba profert ex libro qui Thesaurus dicebatur, ubi dicit aliquos Deî legem *servare noluisse. Videtis*, inquit, *in his verbis confirmatum esse etiam à nescionte quod loqueretur, liberum arbitrium. Qui enim scribere legem non vult*, IN POTESTATE *ejus est si velit. Non enim dixit non potuerunt, sed nolnerunt.* Vbi ex solo *nolendi* verbo arbitrij libertatem asserit. Nimirum quia hoc liberum nobis, quòd cum volumus, facimus, seu quod est in potestate ut fiat si velis, non fiat si nolis. Hinc evidentius & accuratius Pelagianos inruens libro primo Retractationum: *In potestate hominis est vitare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur*, hoc est, non est in potestate, nec adest potestas, nisi Deus per gratiam dederit; *Cum enim hoc sit in potestate* QVOD CVM VOLVMVS FACIMVS, *nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est*, nempe quia statim ipso momento adest cum volumus, *sed præparatur voluntas à Domino; eo modo ergo dat potestatem*, scilicet dando bonam voluntatem seu volitionem. Et continuo post: *Sic intelligendum est & quod dixi postea. In nostra potestate esse, ut vel inferi bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur, quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem*, hoc est, quod facimus quando volumus. *Quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile videbatur.* Hoc est, cum voluntas seu volitio fortis & potens datur, datur etiam potestas, & ea tam voluntas quam opus pietatis fit in nostra potestate, & liberum. Et adhuc manifestius initio libri secundi, ut exponeret id quod ad Simplicianum dixerat: *Quamvis sit in cujusque potestate quod velit* (id est, liberum cuique quod velit) *non est tamen in cujusquam potestate*, seu liberum, *quod possit*, ita Commentarij loco subjungit: *Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra*, hoc est, liberum, *nisi quod* CVM VOLVMVS *sit; ubi prius & maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas*, id est, volitio, *ipsa cum volumus. Sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas à Domino.* Hoc est, Deus hoc ipso quo dat talem voluntatem, dat etiam potestatem, ratione cujus voluntas in nostra potestate sit, & consequenter dat libertatem illius voluntatis, eo quod hoc ipso libera sit, quo in potestate, & hoc ipso in potestate quo est voluntas, hoc ipso quippe adest quo volumus. Nec Augustinus tantum, sed & S. Anselmus eandem omnino doctrinam tradit & magis explicat. Sic enim loquitur: *Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subaudituri, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Cùm enim dico quia nolens possum trahi & vinci, non est mea potestas, sed necessitas, & potestas alterius. Quippe non est aliud possum trahi vel vinci, quam alius me trahere vel vincere potest.* Vbi manifestissimè tradit, id quod Augustinus dixerat, id esse in potestate nostra, quod cùm volumus facimus, sive ut ipsissimis Anselmi verbis Augustinus dixit primo Retractationum, *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem.* Ex quo sequitur nihil tam esse in nostra potestate quam ipsam voluntatẽ, cum sit impossibile eam ab ipsa voluntate, hoc est, seipsa separari. Sed sancti Anselmi sensum paulò inferius latius declaraturi sumus.

Retract. c. 22.

1 conversionis

Lib. 2 de Gratia & lib. arbit. c. 5.

Lib. 2 Retract. c. 1.

S. Anselm. lib. 2. Cur Deus homo c. 10.

Cap. 22.

Hinc ergo proficiscitur, Primo, quod apud Augustinum esse liberum arbitrium, & esse aliquam hominis, vel Angeli voluntatem seu volitionem, pro ipsidem prorsus usurpantur. Nimirum quia juxta doctrinam ejus apertissimè traditam, voluntas seu volitio & libera voluntas idem sunt, sicut velle & libere velle, & impossibile sit ut velle non sit liberum. Patet hoc, primo ex ipso illo libro tertio de libero arbitrio uberrimè. Cùm enim difficultatem illam enodandam susceperit, *quomodo sit va-*

sit voluntas libera, ubi tam inevitabilis apparet necessitas præscientiæ, nihil aliud probat capite tertio, quam Deum ex ipsa hypothesi quæ tractatur, præscire voluntatem, hoc ipso vero præscire liberam voluntatem; quia non esset voluntas si non esset in nostra potestate, seu si non fieret cum volumus. Hoc vero, & aliud nihil, est esse liberam voluntatem. Secundo, quia in libris itidem de Civitate Dei, ubi totis viribus arbitrij libertatem cum præscientia divina conciliat adversus Tullium qui eam labefactare disputatione detestabili nitebatur, hoc unicum tantum astruit, & Deum præscire quæ facimus, & tamen aliquid homines voluntate suâ seu volendo facere, quod non fieret, si nollent: quod perinde est, ac si diceret, hoc ipso quo volunt est etiam liberum arbitrium, quia non nisi liberè volunt: *Nos*, inquit, *adversus istos sacrilegos ausus atque impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & voluntate nos facere quæ quid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & novimus.* Et iterum adversus imaginationes ac metum Tullij, qui verebatur ne præscientia perimeret libertatem, ideoq; homines ut faceret liberos, fecit sacrilegos: *Nec timemus*, inquit, *ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate*, id est, volendo *faciamus, quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* Et paulo inferius: *In has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus; aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum.* Quæ sanè Augustini disputatio trivola & inanis est, si voluntas esse possit quæ non sit libera. Statim quippe respondebitur, voluntates illas quas Deus præscit non esse liberas voluntates, sed necessarias. Corruit igitur funditus Augustini responsio, nihilo fundamento fulciatur, quod ipse tam operosè, ut supra vidimus, in libris de libero arbitrio collocaverat; quod nulla omnino voluntas præsciri possit à Deo, quin hoc ipso sit libera, cum hoc ipso sit voluntas, ideoque hoc ipso in hominis potestate, quia fit cum vult. Qua de causa generalissime dicit alibi: *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Nam revera illam ipsam esse basin totius disputationis istius cum Cicerone, in libris de Civitate Dei, quæ fuerat antea in libris de libero arbitrio, inde manifestum est, quod eodem modo etiam hic, esse in voluntate, & in libero arbitrio voluntatis, pro ijsdem usurpet. Nam argumentum Ciceronis adversus præscientiam cum protulisset, inde concludit: *Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullum est arbitrium voluntatis*, nulla de libertate voluntatis factâ mentione, de qua tota Ciceronis erat difficultas. Et infra torquens & reciprocans aliquoties idem argumentum, subinde concludendo repetit, *nihil esse in nostra voluntate*, & rursum, *nihil in arbitrio voluntatis.* Quæ sanè ratio est, cur in universis operibus Augustini liberum arbitrium, & voluntatis arbitrium, & voluntas, pro ijsdem omnino indifferenter usurpentur, sicut supra exemplis declaravimus & innumeris facile ostendi potest: idque præcipuè in illis ipsis locis, ubi ex professo liberum voluntatis arbitrium & liberam voluntatem astruere, adversus Manichæorum deliria, & adversus præscientiæ necessitatem, & fatorum impietatem, vel etiam adversus Pelagianas calumnias nititur. Nam in libro de Gratia & libero arbitrio, cum demonstrandũ suscepisset, esse liberum voluntatis arbitrium, inter argumenta cætera & unum istud format; quòd ipsa quodammodo *nominatim voluntas conveniatur humana*, quando dicitur: Noli vinci à malo: Qui vult venire post me &c. Ex quibus concludit: *Nempe ubi dicitur, noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diversis montis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Nam per hoc eum nihil aliud velle, nisi opus fiat voluntate, satis inde patet, quod statim adjicit: *Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate* (sicut Pelagiani intelligebant hoc per gratiam fieri:) *Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum.* Et paulo post: *Utique cui dicitur: Noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.* Quę ratiocinatio manifestè eadem basi nititur, qua illa in libris de libero arbitrio, nempe quia si velle & nolle propriæ voluntatis est, necessario etiam in potestate est, quia fit cum volumus aut nolumus, & hoc ipso liberum est. Et nisi nitatur isto disputatio fundamento, non stringit neque Pelagianos, neque Adrumetinos Monachos, qui quando *gratia defenderetur, negari existimabant liberum arbitrium.* Statim enim respondebitur, gratiam efficere quidem ut opus fiat voluntate, sed non liberâ voluntate. In Augustini autem sensu, conclusio solidissima est, omnibus argumenti machinis inconcussa, utpote quæ in ipsa essentia voluntatis seu volitionis incumbit, ut jam aliquoties explicuimus.

Hinc proficiscitur secundò, ut sicut volitionem nostram liberam esse probat, quia est in nostra potestate & fit cum volumus, ita è contrario omne id non liberum sed necessarium esse docet, quod est extra potestatem, hoc est, quod fit cum nolumus, vel non fit cum volumus: *Times quod etsi nolis erit, & non times quod si nolis non erit.* Hoc est, times quod non est tibi liberum, scilicet mortem, & non times quod tibi liberum est, mortem scilicet æternam. Nam explicans quid dixisset: *Times*, inquit, *mortem ad momentum veniet etsi nolis: time pœnas in æternum, non venient, si nolueris. Multo magis est quod timere debes, & in potestate habes, ne veniat tibi quod times.* Multò luculentius in illa disputatione supra citata contra Tullium, ubi voluntatis libertatem tueri nititur adversus necessitates fatorum & præscientiæ, id solum perimere libertatem voluntatis docet, quod facit ut actio non sit in nostra potestate, hoc est, ut fiat nobis nolentibus. Si autem fiat quando volumus, & non fiat quando non volumus, satis hoc ipso probatam esse putat arbitrij libertatem: *Si necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus efficit*

e sicit id quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus QVÆ SI NOLLEMVS *non utique faceremus. Quo primitus pertinet &* IPSVM VELLE. *Nam* SI VOLVMVS EST; SI NOLVMVS NON EST. *Non enim vellemus si nollemus.* Ecce eandem iterum contradictionis absurditatem sequi tradit, si voluntas esset sub necessitate, hoc est, si non esset libera, nempe quod volendo nollemus. Nam hoc ipso non est in potestate nec liberum nobis, quo fit nobis nolentibus, sicut hoc ipso est in potestate & liberum quo fit nobis volentibus. Vnde mox probans esse liberum nobis arbitrium, nihil aliud probat, quam aliquid à nobis volendo fieri, quod non fieret, si nollemus. Sic enim non esset in libero arbitrio, quia extra nostram potestatem, utpote quæ id nolendo impedire non posset:

Lib. 5. de Civit. cap. 10. *Sunt igitur, inquit, nostræ voluntates,* scilicet liberæ nullâ necessitate libertatem adimente constrictæ, ut nullis interjectis præcesserat, *& ipsæ faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret, si nollemus.* Et mox, ut probet etiam tunc superesse libertatem arbitrij, cum voluntas potentiore voluntate præpeditur, ne possit implere quod velit, non aliud profert nisi etiam tunc superesse voluntatem (seu volitionem)

Ibidem. quæ non potest aliud esse quam voluntas: *Nam si voluntas tantum esset*, id est, nudum velle, *nec posset quod vellet potentiore voluntate impediretur. Neo sic tamen voluntas nisi voluntas esset, nec alterius, sed eius esset, qui vellet etsi non posset implere quod vellet.* Quod similiter, ut de alijs argumentis Augustini supra declaravimus, nihil omnino ad propositum facit, imo non sine insigni absurditate producitur, si fieri potest, ut voluntas adsit quæ non sit libera. Sed si secundum illud immobile Augustini principium, tantâ

A sedulitate tot locis adversus omnes pœnè hæreses quibuscum luctatus est, traditum & inculcatum, omnia intelligantur, quemadmodum rerum evidentiâ & nexu nos compellente intelligere cogimur, quod videlicet hoc ipso aliquid liberum sit, quo est in potestate, & hoc ipso in potestate, quo fit cum volumus, hoc ipso vero extra potestatem arbitrij & non liberum, quo fit cum nolumus; mirabilis appareret in ejus dispurationibus contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, & ratiocinationes ejus manent insolubiles. Quæ sane ipsissima ratio est, cur non solum Augustinus, ut supra diximus, liberum arbitrium nihil aliud nisi voluntatem esse definiat, sed sanctus Damascenus apertissimè dicat, quod *Patres liberum arbitrium, voluntatem esse definierint.* Quæ sanè tam ipsius Damasceni quàm Augustini & aliorum doctissimorum Patrum mens, multo lucidius ex ijs patefiet quæ mox de necessitate docturi sumus. Hoc interim admonitum lectorem velim, nos cum voluntatem dicimus, non hoc isto nomine intelligere quod illis motibus indeliberatis subjacet, quibus subito concupiscimus, irascimur, trepidamus, antequam ratio vigilet; sed id quod motibus istis resistit aut cedit, hoc est, ipsum illum supremum apicem, cujus est irruentibus undecumque motibus præbere nutum suum, sive assentiat sive dissentiat. Nam illi motus, secundum Augustini mentem, non in ipso mentis apice qui illis supereminet, sed in inferiore quadam ejus parte tumultuantur, ipsumque voluntatis apicem ad se, sive in malo sive in bono blandiendo, aut aliter afficiendo trahunt, aut retrahunt. Tunc enim velle aut nolle dicimur, non cum illis motibus percellimur, sed cum illis assentimus aut dissentimus.

Lib. 3. Orthod. fide cap. 14.

CAPVT SEXTVM.

Duplex necessitas Augustino, *coactionis*, & *simplex* seu *voluntaria*. Illa, non hæc repugnat libertati.

IAM videndum est, quo pacto ad libertatem arbitrij se habeant necessitas in sententia Augustini, ex qua tanquam opposita libertati multo clarius intelligetur, quo pacto libertatem arbitrij accipiendum esse velit. Duplex autem in doctrina ejus necessitas reperitur, una quæ operatur effectum suum etsi nolis, seu quantumcumque renitaris, altera qua simpliciter necesse est aliquid fieri sine renisu voluntatis. Prima illa necessitas, qua fit aliquid etsi nolis, semper apud Augustinum opponitur voluntati. Impossibile est enim ut id quod fit voluntate nostra, fiat nobis etiam nolentibus; & è contrario, ut

Lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. ult. id quod fit necessitate seu nobis nolentibus, fiat nostra voluntate. Testimonia istius acceptionis plurima & passim obvia sunt: Hinc illa, *Deus omnia bona facit voluntate, nihil mali pa-*

A *titur necessitate. Cuius enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quicquam sentit invitus.* Et in Epistolis: *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas.* Et in Psalmis: *Præstet nobis Deus ut bene serviamus. Nam velmus nolimus* (id est, necessitate) *servi sumus: & tamen si volentes sumus, non necessitate sed charitate*, id est, bona voluntate, *servimus.* Et in Psalmum trigesimum ponit necessitatem nesciendi cor alterius & nostrum: *Quid tam dicam de necessitatibus ipsius mortalitas? Mori necesse est & nemo vult. Nemo vult quod necesse est. Nemo vult quod erit velit nolit. Dura necessitas, nolle quod non potest evitari.* Et contra Faustum: *Hoc autem eum* (Christum) *voluisse ideo certum est quia hoc fecit qui nihil necessitate, sicut Deus vester, faceret sed omnia voluntate.* Et in tractatibus in Ioannem: *Vt omnes nascerentur ex Adam, nec necessitatis fuit ex damnatione, nasci per Christum,*

Epist. 105.

In Psal. 103.

Lib. 29. in Iosue.

Tract. 3. in Ioan.

voluntatis

voluntarium est & gratiæ. Et quia voluntatis esse & potestatis, seu voluntate posse fieri & potestate, idem Augustino sunt, quia hoc dicitur esse in potestate, quod facimus cum volumus; Hinc frequentissimè talis necessitas opponitur, non solum voluntati, sed & potestati, & consequenter (quod idem est Augustino) arbitrij libertati. Nam tractans illud Christi: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, quo significavit mortem suam in sua libera voluntate esse, sic Augustinus: *Non ergo mali necessitate imposita eam &c. Potestate & voluntate verbum caro factum est, & natus, & passus, & mortuus, & resurrexit, nulla sua necessitate, sed voluntate & potestate.* Et mox quid distet inter necessitatem & voluntatem, exemplo eius declarat, qui invitus in carcerem truditur, & ejus qui intrat propria voluntate: *Nullam ergo necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit quæ facit, sed summa & ineffabili voluntate & potestate.* Et contra Faustum Manichæum, Christum Dominum dicit affectiones humanas, tristitiam, gaudium, esuriem, sitim sobisse, *sine non necessitate conditionis* (scilicet naturæ mortalis) *sed magistery voluntate, & divina etiam potestate. Nam homo plerumque etsi nolit irascitur, etsi nolit contristatur, etsi nolit dormit, etsi nolit esurit ac sitit: ille autem omnia ista fecit, quia voluit. Sic etiam nascuntur homines atque patiuntur, non quia volunt, nec quod volunt: ille autem etiam ista quia voluit.* Ecce clarissimè expositum, quid sit aliquid subire necessitate scilicet etsi nolis, undecumque contingat ista necessitas, sive ex naturæ impetu, sive externa violentia. Quod egregiè declarat in libro octoginta trium quæstionum: *Nec illa nos terret manus atque inepta calumnia, quia invidiose resistentes aiunt: Ergo sub necessitate positus fuit, si has affectiones animi veras habuit: Facile quippe respondemus, ergo sub necessitate positus fuit, qua comprehensus, flagellatus, crucifixus, & mortuus sit: ut tandem sine pertinacia, si volunt, intelligant, sic eum passiones animi, hoc est, affectiones, voluntatis dispensatione, veras tamen, ut placuit, suscepisse, quemadmodum passiones corporis, eadem dispensatione voluntate sine ulla necessitate suscepit. Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic & non voluntate nascimur. Ille autem &c.* Denique Augustinus hujusmodi locutionibus refertus est, quibus semper indicat, se necessitatem opponere voluntati, ut ea sit necessitas, qua fit aliquid etsi nolis, ut de vita, morte, somno, esurie, siti, & similibus jam suprà patuit.

Et quia talis necessitas hujusmodi est, ut nunquam cedat voluntati, sed potius eam renitentem velut pondus urgeat atque premat, hinc est, quod hujusmodi necessitatem sæpissimè dominantem, prementem, pondus, & similibus nominibus vocet. Hinc in libris de libero arbitrio: *Vbi natura necessitasque dominatur.* Et contra Faustum, de necessitate fatali stellæ loquens quæ nascente Christo apparuit, *Non*, inquit, *ad decretum dominabatur.* Et contra Iulianum: *Nega ipsum sub gravi necessitatis pondere ingemere.* Et infrà, *Dicturus es Deum necessitate premi. Hac necessitate Angeli non premuntur* &c. Hinc est, quod necessitatem nunquam sine aliqua præfatione audet usurpare in Deo, sicut ex duobus exemplis jam prolatis liquet, eo quod apud ipsum necessitas aliquid contra voluntatem sonet: *Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Quæ tamen phrasis, quia in alia significatione usurpatur, apud nos tritissima est. Et illam tunc temporis fuisse communem usurpationem ex eo perspicuum est, quòd illo invidioso nomine, ut suprà vidimus, hæretici deterrent Catholicos, ne affectiones humanas in Christo ponerent, ne sub necessitate esse videretur. Vnde Augustinus: *Nec illa nos terret manus atque inepta calumnia, quia invidiose resistentes aiunt: Ergo sub necessitate positus fuit Christus.* Vnde mox subjungit: *Sicut ergo necessitate nominè nec nos nec illos quisquam avellet a fide verissimæ passionis &c. sic & nos ipso nomine necessitatis nemo deterret a fide verissimæ affectionis.*

Ex quo fluxit & illud, quod veteres adversus Arianos dimicantes, Deum Patrem negant filium suum tam ex necessitate quam voluntate generasse, qua tamen locutione nihil apud nos usitatius. Ambrosius: *Sicut bonus Pater non aut ex voluntate aut necessitate, sed super utrumque, hoc est, natura, ita non generat ex voluntate aut necessitate Pater.* Quam Arianorum objectionem clarioribus verbis soluit Epiphanius dum dicit & in Ancorato & hæresi sexagesima nona, οὔτε θέλων ἐγέννησεν, οὔτε ἐκ ἐθέλων, ἀλλ' ἐν τῷ ὑπὲρ βουλὴν φύσει, *Neque volens genuit neque nolens, sed in natura quæ consilio superior est.* Et eodem modo Augustinus libro decimo quinto de Trinitate, ab Arianis quærentibus: *Vtrum Deus volens an nolens*, id est, necessitate *genuerit*, quærit ipse vicissim, *utrum Deus Pater volens an nolens*, id est, necessitate, *sit Deus, tit si responderent, nolens, sequeretur illa miseria &c.* Cujus rei causa non est alia, nisi quod necessitas coactionem & vim & miseriam conjunctam habeat, & nolentem faciat; quod sæpissimè Augustinus diversis locis indicat, & ex suprædictis facilè intelligi potest. Quod enim fit etsi nolis, præsertim coacte fit, quando non vis: *Hoc certè*, inquit, *quod nolunt servare legem, non a gente tenebrarum cogunt ur.* Quod statim reddit: *Hoc ergo quod in eorum voluntate est, ut nolint, peccatum est certe sine aliqua necessitate gentis tenebrarum.* Et in libro de natura boni: *Eligite utrum necessitate compulsus ut diligeret tenebras, an voluntate seducta.* Hæc ergo necessitas valdè generalis est, & sub ea naturales omnes impetus comprehendit, quæ non possunt volendo impediri. Nam & illi quantumcumque naturales sint, renitente tamen voluntate, suum effectum operantur. Nam velit nolit, homo nascitur, vivit anima, nutritur, crescit, dormit, moritur. Ex quo fit ut quemadmodum necessitas & necessarium apud Augustinum, ita & natura & naturale opponatur voluntati & voluntario sive libero: *Nulla culpa*, inquit, *deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur.* Hinc motum lapidis & animi, quo uterque deorsum

Lib. de nat. & grat. c. 36.

Lib. 83. qq. q. 80.

Lib. 4 de fide c. 9.

Ep. ad Ancor. & hæres. 69.

Aug. lib. 15. de Trin. c. 20.

Lib. de Arb. cum Pelag. c. 3.

Lib. de nat. boni c. 42.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

deorsum cadit, in eo discrepare docet, quod *lapidi naturalis est motus, animo vero iste involuntarius.* Et explicans quid hoc sit, naturale idem valere vult, quod non habere in potestate, hoc est, fieri etsi nolis. *In eo*, inquit, *dissimilis est motus animi & lapidis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero dum non vult, non ita movetur.* Et ideo *lapidi naturalis est ille motus, animo vero voluntarius.* Quam oppositionem inter naturale & voluntarium, & quod voluntarium sit idem quod habere in potestate, seu fieri cum volueris, ibidem sæpius videre licet. Hinc & in libro contra Secundinum: *Erit ergò (consentio) aliqua natura, quæ nec anima naturalis sit, quoniam si nolit non erit, nec illi malo, cui anima voluntate consentit.* Et adversus Felicem Manichæum illa exponens verba Christi apud Matthæum: *Aut facue arborem bonam* &c. quibus liberum arbitrium convenitur. *Cum ergo dicit*, inquit, *aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat non naturam.* Ubi per potestatem id significat, quod jam suprà toties dixit, habere in potestate, seu facere si volueris, cum natura sit immutabilis, & operetur etsi nolueris. Hæc de genuino usu istius vocis (necessitas) tam prolixè cum tædio forsan Lectoris explicata volui, ne cum nomen istud necessitatis audiunt fortè fallantur, sicut multos viros doctos fallit certum est, qui cum necessitatem audiunt, nihil aliud suspicari possunt, quam determinationem ad unum, cum sit certissimum aliter ab Augustino & pænè omnibus antiquis scriptoribus usurpari. Quod usque adeo verum est, ut cum de illa necessitate sermo incidit, quæ significat nudam determinationem voluntatis ipsius ad unam partem, non audeat eam nomine necessitatis exprimere nisi explicando quid sibi velit, ut infrà ex ipsis testimonijs ejus oportuniore loco producendis patefiet.

Doctrina igitur Augustini est, necessitatem illam primam prout etjam naturam sic explicatam complectitur (nec aliud est respectu voluntatis, quam quædam vis aut violentia aut coactio, qua operatur id quod potest, etjam nolente voluntate, capitaliter repugnare libertati eamq; funditus perimere, non autem illam necessitatem quæ est simul voluntaria, qua scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri non repugnante sed immutabiliter volente voluntate. Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini principijs est indubitata. Quæ quamvis apertissimè sequatur ex principijs jam prolatis, juxta quæ esse liberum arbitrium, non est aliud quam habere actum in sua potestate, & in potestate habere, non est aliud, quam fieri quando volumus, quod omnium maximè in quacumque volitione locum habet (quemadmodum instantissimè docentem & inculcantem Augustinum audivimus) operæ pretium tamen est, ipsum illium Doctorem proprijs verbis ex proprijs principijs id ipsum deducentem intelligere, ne quis fortè aliquibus ratiocinationis præstigijs sibi illudi putet. In libro igitur quinto de Civitate Dei, ubi adversus cujusuis fati aut præscientiæ necessitatem arbitrij & voluntatis libertatem ex professo asserit ac tuetur, ita rem expeditissimam juxta principia sua usitata jam deducta facit, ut nulla tergiversatione eludi posse videatur. Locus integer producendus est, ut liquidius quid sibi velit pateat: *Vnde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laboraverunt causæ rerum ita distinguere, ut quædam subtraherent necessitati, quædam subderent. Itaque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit, quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam vivimus, sub tali necessitate non esse. Nam si volumus, est: si nolumus non est. Non enim vellemus si nollemus. Si autem ista definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus ne nobis auferat libertatem voluntatis. Neque enim & viam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper vivere & cuncta præscire; sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori sallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minoris esset utique potestatis. Rectè quippe omnipotens dicitur; qui tamen mori & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si et accideret, nequaquam esset omnipotens. Vnde propterea quædam non potest quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus, necesse est ut cum volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus. & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subdimus quæ admittit libertatem. Sunt igitur nostræ voluntates, & ipsa faciunt quicquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus.* Ecce clarissimis verbis distinguit hic duplicem illam quam diximus necessitatem, unam quæ non relinquit actum in nostra potestate, hoc est, ut ipsemet explicat, quæ nobis etjam nolentibus seu invitis & coactis operatur effectum suum; alteram qua simpliciter aliquid est necesse fieri, sicut vivere, præscire, non mori, non falli respectu Dei; illam repugnare docet libertati, istam minimè. Repugnantiam autem illam ostendit ex eo, quod sequeretur nos velle simul & nolle. Cùm enim necessitas illa talis sit, quæ nolente voluntate, hoc est, renitente voluntate perficit effectum suum, quando vult autem non renitatur, apertissimè sequitur, eam velle simul & nolle, si voluntas seu velle sub tali necessitate poneretur. Qua de causa de illa necessitate loquens, semper utitur verbis subjiciendi, subdendi necessitati, esse sub necessitate, videlicet dominante, premente, cogente voluntatem. Hac autem submota necessitate nullam aliam timet libertati voluntatis, quantumvis dicatur esse necessarium ut velimus. Vbi de necessitate determinationis ad unum eum in primis loqui, ex multis manifestissimè liquet. Primo, quia ut intelligeremus quam necessitatem voluntatis non exhorreat,

Vide 5. de Civit. c. 10.

Vid. 5. de lib. arb. initio.

Ibid.

Lib. cont. Secundin. c. 14.

horreat, profert neceſſitatem vitæ & præſcientiæ in Deo, in quibus intelligendis, ne liberè falleremur, ſicut quidam multum hallucinati ſunt, exponit ea per oppoſitum, nimirum quia mori & falli ipſe non poteſt; quæ ſanè ita ſunt impoſſibilia, & eorum oppoſita ita neceſſaria, ut nulla poſſint ratione mutari. Secundò per ipſam naturam voluntatis, quia *quicquid volendo facimus, non fieret ſi nollemus.* Quo ſignificat neceſſitatem talem, qua quomodocumque neceſſariò velle dicimur, non efficere ut non velimus, ſi volumus, & proinde tale velle non eſſe ſub illa neceſſitate quam libertati timet. Nempe ſub illa neceſſitate premente, compellente ad effectum ſuum, quamvis nolimus. Sub illa quippe propriè id eſſe dicitur, quod dominando alteri prævalet. Sub cujuſmodi neceſſitate nec illam eſſe voluntatem, ſtatim adijcit, cujus effectus impeditur: quamvis enim effectus ejus impediatur, non tamen per hoc efficitur ut non ſit voluntas ſeu volitio: *Nec ſic tamen*, inquit, *voluntas niſi voluntas eſſet, nec alterius ſed eius eſſet qui vellet.* Ex quibus apertè conſectaneum eſt, omnem omninò voluntatem quantumcumque ad unum determinatam, nulla tali neceſſitate, qua dicitur neceſſe eſſe ut velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas, quæ non eſſet ſi nollemus. Sicut enim omnis voluntas neceſſario eſt voluntas, ita juxta hoc principium, etiam liberi arbitrij. Neque enim quenquam ò abſurdicatis eruptarum arbitror, ut qui ad unum volendum determinatus eſt, non velle ſuſpicetur: cum ardenter, tenaciter, conſtanter velle, & ita velle aliquid, ut contrarium ejus velle non poſſit, ſit maximè velle & idcirco maximè in poteſtate, & maximè liberum. Nam ſicut libertas eſſe non poteſt ſine voluntate, ita nec voluntas ulla ſine arbitrij libertate, juxta id quod Auguſtinus ipſe concludendo ſubjungit: *Neceſſe eſt ut cum volumus liberè velimus arbitrio.*

Hinc eſſe genuinam veriſſimamque loci illius de Civitate Dei intelligentiam, quòd ſola videlicet neceſſitas illa violenta ſub qua arbitrium premitur atque cogitur, ſeu neceſſitas coactionis libertati arbitrij adverſetur, non autem determinationem ad unum, non ſolum omnia Auguſtini principia quæ tradidimus fateri cogunt, & omnes circumſtantiæ iſtius loci clamant, ſed etiam ipſe divus Thomas multis locis aperte confitetur. Nam quæſtione vigeſima-ſecunda de veritate, quæ eſt de appetitu boni, articuli ſecundi reſolutionem ita inchoat: *Dicendum, quod ſicut poteſt accipi ex verbis Auguſtini de Civitate Dei, duplex eſt neceſſitas. Neceſſitas ſolvens coactionis, & hæc in volentem nullo modo cadere poteſt, & neceſſitas naturalis inclinationis, ſicut dicimus Deum de neceſſitate vivere.* Et ad quartum argumentum ejuſdem articuli, quo jam expoſita ſibi objecerat ipſiſſima verba Auguſtini: *Si illa deſinitur eſſe neceſſitas ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus.* Sic reſpondet ſanctus Thomas: *Ad quartum dicendum quod Auguſtinus loquitur de neceſſitate naturali, quam à voluntate non excludimus, reſpectu aliquorum. Et hæc neceſſitas in divina voluntate invenitur, ſicut in divino eſſe.* Et ad primum in contrarium, ubi Auguſtinus libro quinto de Civitate docuiſſe dicebatur, quod voluntarium non poſſet eſſe neceſſarium, hoc eſt, ſub neceſſitate, ut Auguſtinus loquitur, reſpondet, *quod auctoritas illa eſt intelligenda de neceſſitate coactionis quæ repugnat voluntati, non autem de neceſſitate naturalis conditionis, quæ ſecundum Auguſtinum in quinto de Civitate Dei, voluntati non repugnat.* Et mox ad tertium: *Dicendum quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Et quæſtione decima de potentia articulo ſecundo ad quintum: *Ad quintum*, inquit, *dicendum, quod naturalis neceſſitas, ſecundum quod voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſtinus docet in quinto de Civitate Dei. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Et in ultimo ſuo opere ceterorum operum ac Theologiæ ſumma, ſic reſpondet Auguſtini loco ſibi objecto, quod voluntarium non poſſit eſſe neceſſarium: *Ad primum dicendum, quod verbum Auguſtini eſt intelligendum de neceſſitate coactionis. Neceſſitas autem naturalis, non aufert libertatem voluntatis, ut ipſemet in eodem libro dicit.*

Ex his vides quam enormiter aberrent illi, qui ut probent ad libertatem arbitrij requiri indifferentiam, & abeſſe debere neceſſitatem, illo loco utuntur Auguſtini de Civitate Dei, cum non tantum ex uſu vocis *neceſſitas*, quem apud Auguſtinum & veteres Scriptores habet, ſed ex ipſa contextus evidentia perſpicuum ſit, eum de *neceſſitate coactionis* loqui. Nec iſta eorum hallucinatio in ſolis Auguſtini ſcriptis ſtetit, ſed ubicumque in ſequentibus Patribus illud neceſſitatis nomen à libertate ſecludi viderunt, ſtatim illam neceſſitatem voluntatis ad unum determinatæ ſuſpicati ſunt, eoque notiſſimam illam libertatis diviſionem à neceſſitate, à peccato, à miſeria, quæ ab Hugone, Bernardo, Magiſtro ſententiarum, & alijs traditur, traxere; cum Scholaſticorum antiquorum unanimi conſenſu dicto neceſſitas coactionis in illa diviſione intelligenda ſit. Sed hoc ſuo loco reſervandum.

Nunc verò in Auguſtini ſenſu aſtruendo pergamus. Nam eadem illa doctrina, quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem, non neceſſitas illa ſimplex & voluntaria, ex alijs ejus locis non difficilè demonſtrari poteſt. Nam libro tertio de libero arbitrio, cum ſimiliter neceſſitas ad deſtruendam libertatem arbitrij urgeretur, duplicem diſtinguit neceſſitatem: unam quæ nobis invitis & nolentibus efficit id quod poteſt, nempe coactionis; alteram ſimplicem. Illam dicit tollere voluntatem liberam, hanc non tollere. Adverſus primam enim neceſſitatem reſpectu voluntatis, ſic diſputando eam tollit: *Attende quæſo quanta cæcitate dicatur ſi præſcivit Deus futuram voluntatem meam quoniam nihil aliter poteſt fieri quam præſcivit, neceſſe eſt ut velim, quod ille præſcivit*, id eſt, cogor id velle,

1. p. q. 22. a 1. ad 1.

lib. 3. de lib. arb. c. 3.

id velle, ut ex eo quod sequitur liquet: *Si autem necesse est, non iam voluntate sed necessitate*, id est, coactum *id me velle fatendum est*. Hoc erat argumentum oppugnantium libertatem arbitrij: quod sic retundit Augustinus, ut contradictorium præscientiæ sequi dicat ex præscientia, quia videlicet qui necessitate cogitur, non vult, sed potius resistit voluntate, cum tamen præscientia eum velle supponat. *O stultitiam*, inquit, *singularem!* *Quomodo ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram esse præsciverit? Omitto illud æque monstruosum, quod paulo ante dixi eundem hominem dicere, necesse est, ut ita velim, qui* NECESSITATE SVPERPOSITA instar scilicet ponderis cogentis *auferre utitur voluntatem. Si enim necesse est ut velit, unde volet cum voluntas non erit?* Lib. 1. oper. imp. f. 151. Nempe quia ut alibi dicit, *qui cogitur non vult.* Hæc est prima necessitas violentiæ seu coactionis quæ omnem omninò adimit libertatem. B Nunc de secunda illa simplici necessitate, qua sine coactione simpliciter aliquid necessarium A esse dicitur, quæ libertatem non lædit, sed potius hoc ipso quo voluntatem affert, statuit. *Quod si*, pergit Augustinus, *non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere*, hoc est, voluntatem quidem futuram, sed necessariam non liberam, *occurretur ex eo quod ipse dixisti*, videlicet tunc *non habere nos potestatem, cum nobis quod volumus deest. Dum autem volumus, si ipsa voluntas deest nobis, non utique volumus* &c. *Voluntas itaque nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate libera est nobis* &c. quæ suprà deduximus. Nescio quid manifestius urgentiusque proferri posset ad demonstrandum volitionis cujusque libertatem, etiam illius quam nos habere necesse est. Non enim negari potest, illam esse & quidem præcipuam potentissimamque volitionem, & ideo maximè esse in potestate, quia maximè fit cum volumus, & idcirco maximè libera est, juxta definitionem Augustini jam sæpè repetitam.

CAPVT SEPTIMVM.

Idem ostenditur ex libertate Dei.

CONSTABVNT verò hæc omnia (de duplici ista necessitate, una violentiæ, altera simplici, cum qua libertas voluntatis maneat integerrima) longè evidentius, si sensum Augustini de libertate ipsius Dei & beatorum hominum Angelorumque protulerimus. Nam quod ad libertatem Dei attinet, sapissimè docet, id quod sine testimonijs ejus per seipsum est manifestum, Deum esse liberum, etsi peccare non possit. Cùm enim Iulianus urgeret, liberum id tantum esse quod facere posset bonum & malum, id est, peccare & non peccare, respondet ei Augustinus: *Non est ergo liber Dominus, de quo dictum est, negare seipsum non potest. Et de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest.* Et alio in loco ejusdem operis: *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum. Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle; de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iustus non potest. Siccine Deum Laudas, ut ei auferas libertatem?* Subijciendo scilicet necessitati boni: *An potius intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iustus non potest esse.* Porrò necessitas illa non peccandi in Deo non est aliud quam firmissima, indeficiens, æterna, & immutabilis voluntas non peccandi, seu potius firmissima, indeficiens, æterna & immutabilis voluntas seu amor justitiæ, æquitatis, atque fidelitatis. Omnis enim impotentia deficiendi seu mutandi se de bono in malum, non est aliud quam potestas justissimæ & rectissimæ voluntatis. Iuxta illud Augustini: *Quod ait se non posse, non defectus est, sed in eo quod de Patre natus est, permanentis, tamque laudabile est, omnipotentem non posse mutari, quam laudabile est, quod omnipotens non possit mori; hoc autem quia non potest non deficienter non potest, sed potenter.* Quia scilicet, ut est ibidem *natura immutabiliter bona* est. Et alibi: *Deus natura sua nec potuit nec poterit aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare.* Igitur non posse peccare non est aliud, quam voluntatem justitiæ ita firmam esse, ut non possit mutari. Iam verò in hac ipsa perpetua voluntate, qua potenter & immutabiliter vult justitiam, vel si mavis, non vult peccatum & injustitiam, Deum liberum esse docet. Cùm enim Pelagius objecisset Augustino, *voluntatis arbitrio* hoc est, libertate, de qua ibi disceptatio est, *privari quicquid naturali necessitate constringitur*; refutat hoc Augustinus his verbis: *Et hic nonnulla quæstio est. Perquam enim absurdum est ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Vbi duobus exemplis docet, libertatem cum illa simplici necessitate consistere: Primò quidem ex voluntate beatitudinis, quæ in hac vita caret indifferentia contrarietatis, in futura etiam contradictionis; secundo ex voluntate justitiæ quam habet Deus, quam certissimum est esse ad justitiam omnimodo determinatam & indifferentia carere contradictionis. Quod enim quidam obtervant, Augustinum non dicere libertatem, sed voluntatem justitiæ, nullius momenti est; tum quod nec Pelagius libertatis mentionem fecerat, sed arbitrij voluntatis, tum quod ex mille locis sit certissimum, voluntatem, arbitrium voluntatis, & liberum arbitrium voluntatis,

Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 151.
Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 150.
Conf. Serm. Arian. c. 14.
Lib. 1. cont. Maximin.
Lib. de nat. & grat. 46.

juntatis, prorsus eadem esse apud Augustinum, tum denique, quod responsio sit inepta, si Pelagio libertatem negante cum naturali necessitate consistere, Augustinus de voluntate respondeat, de qua cum Pelagio nulla quæstio est. Non voluntatem igitur tantum, sed libertatem voluntatis justitiæ Deo asserit Augustinus; imo hoc ipso libertatem quo voluntatem; juxta definitionem Augustini jam sæpè traditam. Vnde alibi comparat illam voluntatem qua Deus se negare, hoc est, peccare non potest, cum voluntate obdurata peccatorum qui non possunt credere, quia firmiter nolunt: *Sicut ergo*, inquit, *quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Nempè quia utraque liberrima voluntas est, etsi per seipsam neutra possit ullâ omnino ratione mutari.

Trull. 13. in fine.

Hoc igitur modo doctrinam illam Augustini de libertate Dei, quateus peccare & injustus esse non potest, intellexerunt Veteres qui eam imitati sunt. Nam sanctus Anselmus volens ostendere Angelos atque Deum non necessitate sed libertate suaque voluntate justos esse, non recurrit ad hoc quod possint hoc vel illud bonum facere, ut communiter recentiores solent, sed ad radicem altiorem, ipsam scilicet voluntatem justitiæ sempiternam. Cùm enim dixisset Angelos esse justos & laudabiles libertate non necessitate, quia justitiam semper tenent, de Deo subjecit: *Quapropter quoniam Deus perfectè habet à se, quicquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, non ulla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate*, scilicet voluntatis. Et expressius alibi: *Nihil ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas quæ veritatem semper, quia & ipse veritas est, sicut est, esse vult.* Et sanctus Ioannes Damascenus volens probare creaturam rationalem, esse *non necessitate constrictam, sed liberam voluntate*, pro-

Ad Cor. Nicolaum tio

A batex Deo: *Id quod hinc*, inquit, *perspicuum est. Nam cum Deus natura bonus sit, & natura conditor & natura Deus, haudquaquam hæc necessario est. Ecquis enim hanc ei necessitatem imposuerit.* Vbi non necessitatem sed liberam voluntatem respectu bonitatis ac deitatis ponit, quatenus illa Dei libera voluntate non necessitate diliguntur. De arbitrij quippe libertate, non naturâ fermo est, quomodo Ioannes Scotus similem Augustini locum exponit. Et sanctus Bernardus: *Cœlestis Angelus aut etiam Deus ipse permanet libere bonus, propria scilicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate.* Et iterum: *Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam id quod illeesse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas & voluntariâ firmitas. Quod sue is non vult in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Et iterum evidentissimè: *Quemadmodum ipse* (Deus) *sui iuris erat, suæque ipsius voluntatis* (id est, libertatis) *non necessitatis erat quod bonus erat, ita &c.* Et inter Scholasticos sanctus Thomas: *Deus sua voluntate liberè amat seipsum licet de necessitate amet seipsum.* Et Ioannes Scotus: *Voluntas divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* In quibus testimonijs divi Augustini doctrinam genuinè consignantibus, certissimum est, non venisse veteribus in mentem, ut libertatem Dei qua peccare & injustus esse & seipsum negare non potest, in eo ponerent: quod posit hoc vel illud bonum facere, ut recentiores putant, sed in hoc ipso quod liberrimè, quamvis necessario, justitiam bonitatemque suam diligit. Eodem prorsus modo quo beatos Angelos, non eatenus liberos esse volunt, quatenus possunt hoc vel illud bonum facere (sicut Scholastici Scriptores veteres renitentes ex privatis suæ doctrinæ principijs torquere volunt) sed in hoc ipso quod immobili voluntate Deum ita diligunt, ut peccare non possint, ut jam dicendum est.

Lib. 2. arbitr. fid. c. 14.

In sin. quodl. 16.

Lib. de grat. & lib. arb.

Quæst. 10 de potent. a. 2. ad 5.

Quodlib. 16.

CAPVT OCTAVVM.

Item ex libertate beatorum hominum & Angelorum.

SED libertas beatorum sive hominum sive Angelorum, multò invictius demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublata omni omnino indifferentia & contrarietatis & contradictionis, non officere, in doctrina sancti Doctoris, libertatis arbitrio. Pro quo intelligendo notandum est, doctrinam Augustini esse constantissimam adversus Pelagianos, primum hominem quidem fuisse liberi arbitrij, sed ita ut bene velle posset & malè, sed in futura vita arbitrium fore liberrimum in bono, usque adeo ut malè velle non possit, idque non aliquâ metaphoricâ libertate, sed illâ omnino, qua dicitur liberum arbitrium. Qua de re sic Augustinus: *Sic eum*

Ad Euchirid. cap. 105.

A *eportebat prius hominem fieri ut & bene velle posset & malè, nec gratis si bene, nec impune si malè. postea verò sic erit, ut malè velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium quod omnino non poterit servire peccato.* Et in libro de Correptione & gratia: *Posset enim* (Adam) *perseverare etiam si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio quando non poterit servire peccato: quæ futura erat hominis sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti.* Et paulò post: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare*, id est, non deficere ab amore boni, *novissima erit multo major; non posse peccare*, id est, non posse deficere. Quod

Lib. de Cor. & grat. c. 11.

Lib. de Cor & grat. c. 11.

continuo

continuò verbis aliis eodem sensu exprimit: *Prima erat perseverantiæ potestas, bonum*, id est, Deum, *posse non deserere; novissima erit felicitas perseverantiæ bonum non posse deserere.* In eo quippe peccatum situm est, quod à bono, hoc est, à Deo deficitur. Et in libris de Civitate Dei luculentissimè: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit.* Arbitrium illud manere tamen liberum etsi peccare non possit, id est, etsi infirmitas illa deficiendi & cadendi ex voluntate bona seu amore Dei auferatur, probat ex libero arbitrio ipsius Dei: *Certè Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Pluribus testimonijs id astrui posset uberius si res postularet, sed in re manifesta non est immorandum. Nam ex istis valde luculentis apertissimum est, de propriissimè dicta libertate esse sermonem, à qua scilicet & ipse Deus liberi arbitrij esse dicitur, & quam Pelagiani acerrimè oppugnabant, contendentes nec ante gratiam, neque post gratiam esse liberum arbitrium, juxta doctrinam Augustini, eo quod ante gratiam libertas mali necessitate, post gratiam boni necessitate & mali impossibilitate tolleretur, ut latius infrà dicturi sumus. Hunc enim eorum errorem perculit Augustinus, cum tam sollicitè liberum arbitrium in futura vita, cum indeclinabili illa non peccandi voluntate permansuram esse contendit.

Lib. 22. de Civit. c. ult.

Hanc igitur doctrinam cum sit certissima, quamvis & Scholastici admittere videantur, in ejus tamen intelligentia non mediocriter hallucinantur. Arbitrantur enim, nihil aliud hic Augustinum tradere, quam quod liberum arbitrium idcirco liberum in beata vita futurum sit, quia erit indifferens ut hoc bonum eligat vel non eligat, vel etiam eligat hoc vel illud. Quod enim in pluribus alijs doctrinæ capitibus eis contigit, & sæpius in hoc opere demonstrabitur, hoc etiam in præsenti argumento eis usu venit, ut Augustini verba in sensus à se præoccupatos, quamvis alienissimos ab ejus mente, detorqueant. Cùm enim ipsi nullam suspicari possint libertatem arbitrij, nisi semper hæbitantem & quasi in bivio quodammodo fluctuantem ut eligat vel non eligat, eligat hoc aut illud, putant & Augustinum cum liberum arbitrium nominat, de simili semper indifferentia loqui. Quo sanè nihil absurdius dici potest. Nam quamvis non neget Augustinus talem indifferentiæ statum etiam sub arbitrij libertate, quamvis infimum & abjectissimum, comprehendi, solum tamen istum eo nomine designari, capitaliter ejus doctrinæ adversatur. Quod ita verum est, ut cum tot libros exaravetit Augustinus de libero arbitrio adversus Manichæos, de gratia non tollente libertatem adversus Pelagianos, vix ullum vestigium reperiri possit, ubi de ista libertate loquatur. Sed de hoc alias uberius. Nunc tantum dico, dum Augustinus docet liberum arbitrium beatorum ita liberum esse ut peccare non possit, nullo modo istud velle quod Scholastici imaginantur, de indifferentia ad hoc vel illud bonum, sed quod liberum arbitrium erit liberrimum in illo ipso affectu & voluntate non peccandi, hoc est, in illa stabili, perpetua & immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei. Quæ voluntas non est aliud, quam amor firmissimus æquitatis & justitiæ sempiternæ, quæ est Deus noster. Peccare namque Augustino non est aliud, quam à bono, hoc est, à Deo seu Dei amore qui est veritas & justitia deficere, sicut plurimis testimonijs commonstrare facillimum est. Vnde illud in libro duodecimo de Civitate Dei: *Cùm se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala.* Et inferius: *Deficere ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam.* Et rursum: *Nec talem voluntatem facit nisi defectio qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit.* Et clarissimè paulò pòst de Angelis loquens: *Et à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, cohæserunt. Eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem bona voluntate*, id est, amore, *manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt*, malâ scilicet voluntate, *hoc ipso quo à bono defecerunt.* Vnde in libro primo contra adversarium legis & Prophetarum, quod sæpè docuit, Adamum potuisse peccare si vellet, hoc vocat, posse *deserere Deum*, & in cælestibus rebus esse creaturam, *quæ nunquam deserit Deum.* Ex quibus constat, licut peccare est ab amore Dei seu bona voluntate deficere, ita non peccare, est in amore stabilem & immobilè permanere, & peccare non posse est, non posse ab amore seu bona voluntate deficere. Vnde illud trissimum Augustt *Caritas est quæ non peccat*, quia caritas est bona voluntas seu amor Dei. Hinc est enim quod illam voluntatem non peccandi in Angelis vocat voluntatem *qua semper incommutabili eius veritate perfruit, nunquam autem peccare volunt*: qua *perseverantissimâ voluntate non peccant*: &, *perpetuam tuendæ justitiæ voluntatem*; imo *liberam voluntatem qua non peccant.* His ergo tanquam certissimis præjactis fundamentis, docet Augustinus, arbitrium Beatorum esse liberrimum, in hoc ipso quod peccare non possunt, hoc est, in illa ipsa immobili voluntate non peccandi, seu non deficiendi ab amore Dei, seu, quod idem est, in illa stabilissima æternaque voluntate fruendi incommutabili ejus veritate atque justitia. Impotentia quippe deficiendi non est aliud, quàm potentia permanendi, seu immobilis firmitas semper amandi. Hunc igitur esse verissimum indubitatumque sensum Augustini, ex pluribus capitibus evidentissimè demonstrari potest.

Lib. 12. c. 6.

Cap. 7.

Cap. 9.

Lib. 1. cont. Adversarios & Prophet. c. 14.

Lib. 3. de lib. arb. c. 5.

Ibid.

Primò ex ipsa illa comparatione utriusque libertatis, primi hominis & Beatorum, & ex phrasibus quibus utitur. Nam cùm dicit, primum

mum hominem ita liberum fuisse ut bene velle A posset & male, non hoc vult Augustinus, quasi male velle seu peccare posse, pars esset libertatis ejus, sed hoc, quod ita esset libera voluntas in bono, ut tamen in eo voluntas non esset stabilis, sed deficere posset; postea vero voluntas ilia tam erit stabilis ut deficere seu peccare non possit, & idcirco liberior. In qua comparationis istius intelligentia, nulla ratio habetur potestatis peccandi, quasi pars esset libertatis, sed tantummodo potestatis benefaciendi seu bonæ voluntatis, quam in Adamo & Beatis differentem in eo fuisse tradit, quod in Adamo esset adhuc mobilis & infirma, in beatis immobilis, robusta, perpetua, & idcirco liberior. Patet hoc in primis ex illis ipsis locutionibus allegatis, quibus dicit ante ita liberum fuisse, ut *posset non peccare, non deserere Deum*, id est, ut alibi dicit, ut *posset perseverare in bono, perpetuam habere voluntatem ad permanendū* cum Deo. B Postea vero liberius futurum, quia peccare non poterit, quia peccato servire non poterit, quia bonum deserere non poterit. Quæ perspicue significant, non in eo majorem esse libertatem, quod tunc poterit eligere hoc vel illud bonum (de quo nunquam vel verbulo Augustinus mentionem fecit) sed quia non amplius poterit voluntas bona mutari. Quod clarius adhuc significatur in ultimo loco ex libris de Civitate Dei. Cùm enim dixisset, nec ideo liberum arbitrium habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt, statim adjecit: *Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Hoc est, in eo erit arbitrium, seu voluntas liberior, quod eo usque crescet libertas non peccandi seu non deficiendi ex amore Dei, quod cum ante tantummodo non delectaretur peccare (hoc est, ut nulla deficiendi delectatione seu titillatione tangeretur) tunc ita idem arbi- C trium seu voluntas in libertate roborabitur, & implebitur cælestis amoris delectatione, ut neque delectatione peccandi seu deficiendi tangi possit, sed potius indeclinabiliter Deo delectetur. Significatur ergo, libertatem arbitrij in illa ipsa non peccandi seu bene volendi voluntate crescere, nec umbra est ulla, vel ibi, vel in omnibus scriptis ejus, quod libertatem in eo majorem fieri velit, quod possit eligere vel non eligere, hoc eligere vel illud bonum. Quid enim hoc ad majorem non peccandi libertatem facit, quod in illis arbitrium indifferens maneat, cum & in hujusmodi electione & non electione, vel in electione hujus vel illius boni tanto fuerit indifferentior, quanto minus intellectus acie penetrabat, quod bonū cum summo bono inseparabili vinculo necteretur. Hoc enim quo penetratur magis, eo minor est indifferentia electionis alterius, & quo minus, eo major. Sed, ut dixi, nullum vesti- D gium est vel ibi vel usquam alibi quod in ista indifferentia posuerit Augustinus majorē arbitrij libertatem, cùm ad propositum ejus nihil prorsus faciat, sed arbitrium in illo ipso amore justitiæ liberum fieri docet, dum ab illo non

Ib. de Cor. & grat. c. 12 & 13.

In Enchir. cap. 104.

potest amplius peccando deficere. Hoc enim ipsum in eodem loco manifestat id quod uberius adjecit: *Sed quia peccavit ista natura cum peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem in qua peccare non possit.* Ecce in eo ipso ponit majorem illam libertatem arbitrij, quod gradatim voluntas eadem liberior in non peccandi potestate fiat, dum fit robustior, immobilis & perpetua, quæ mutari non possit succedente voluntate peccandi, sicut in Adamo non fuit perpetua, sed deficiendo mutata est. Quod apertius dicit in Enchiridio, dum docet, quod Deus voluisset primum hominem *ad meliora perducere ubi tam nec posset voluntatem habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat perpetuam voluntatem habiturum esse præcisset.* Vbi apertissimè indicat in eo minus liberum fuisse primi parentis arbitrium, quod voluntas non peccandi seu justitiæ non erat tanti roboris, ut maneret perpetua; & ad illam libertatem arbitrium esse perducendum, ut non posset ab illa voluntatis bonæ perpetuitate deflectere. Sed sicut immobiliter & perpetuo bonum, id est, Deum seu justitiam volet ac diliget; ita immobiliter & perpetuo malum, id est, peccare nolet. Quod eleganter expressit alio in loco aliis verbis eodem sensu, in ipsdem libris de Civitate Dei: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo, non est timor exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest.* Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profecto si dici potest, mali cavendi timor securus est. *Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua* NOS NECESSE ERIT NOLLE PECCARE: *& non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate caritatis cavere peccatum.* Ecce quod alibi toties dixit arbitrium tunc ita liberum futurum ut peccare non possit, per hoc explicatum, quod necesse erit nolle peccare: quod ut intelligeremus non aliter fieri nisi robore bonæ ac stabilis voluntatis justitiam caritate diligētis, addit, hoc fieri non sollicitudine seu timore infirmitatis, sed tranquillitate caritatis, videlicet Deum ac justitiam immobiliter diligentis. Libertas ergo ab Augustino in ipsa illa voluntate perpetua non peccandi, seu justitiam diligendi apertissimè collocatur. Vnde & de Angelis loquens, qui neque viatores peccavere, neque beati peccabunt unquam: *Et ratio quidem si certa conspicitur qua manifestum fiat, esse oportuisse creaturam, quæ nunquam peccaverit, nunquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renuntiat, a peccato illam liberā voluntate abstinere, neque coactam non peccare, sed sponte.* Hic apertissime liberam voluntatem vocat, illam ipsam voluntatem, qua Angeli semper & immobiliter abstinent à peccato; quæ voluntas non est alia quam ipsa perpetua voluntas caritatis, quæ justitiam semper diligens, semper à peccato abstinere facit, hoc ipso quo robusta & immutabilis permanet.

In Enchir. cap. 104.

Lib. 14. de Civit. c. 9.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 12.

Sed ut nemini dubium remaneret, hanc esse genuinam ipsissimamque Augustini mentem,

non vero illam quę circumspectissimo Doctori à Scholasticis attribuitur, hoc ipsum ex eodem omnino loco, ubi liberum arbitrium non interiturum in cælo boni necessitate, sed liberius futurum asserit, perspicuè patet. Cùm enim præmisisset, *primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare*, ita consequenter nullo verbo interjecto adjicit, velut rationem majoris libertatis: *Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis*, id est, voluntas diligens justitiam seu Deum *quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus.* Ecce perspicuè explicat quo pacto velit intelligi, liberius esse arbitrium beatorum, nempe quia voluntas non peccandi, seu, ut ipse loquitur, *voluntas pietatis & æquitatis erit inamissibilis*, hoc est, quia beatificus amor justitiæ stabilis erit & perpetuus. Tantum ergo abest, ut potestas amittendi bonam voluntatem fuerit pars libertatis etiam in primo homine, ut potius hac unâ & solâ causâ fuerit libertas ejus minor. Quis enim nisi fatuus dixerit, tunc esse liberiorem voluntatem bonam cum amitti potest? Vt enim ipse Augustinus addit: *Certe Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Nam & ipse non aliter peccare non potest, nisi quia voluntas qua justitiam, hoc est, seipsum diligit, æterna, immutabilis, & indefectibilis est. Quapropter uberius adhuc & ab omni ambiguitate remotis verbis explicans, quam voluntatem beatorum, & quo pacto liberam esse sentiat, subjungendo concludit: *Erit ergo Civitatis illius (cælestis) & una in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum.* Ecce iterum voluntas impleta omni bono, voluntas fruens indeficiente æternorum jucunditate gaudiorum, est illa voluntas libera quæ peccare non potest, quia illa est ipsissima ista voluntas inamissibilis pietatis & æquitatis, quæ idcirco hic alio nomine idem omnino significante, vocatur *voluntas inseparabilis*, scilicet ab arbitrio voluntatis, quia inamissibilis. Voluntas enim non hic sumitur pro potentia voluntatis, sed ut initio monui, pœne semper ab Augustino & latinitatis auctoribus sumitur pro ipso voluntatis actu, quam volitionem dicimus.

Sed ex eodem illo loco aliud non leve argumentum sumitur. Nam Augustinus, ut explicaret liberum arbitrium beatorum esse liberrimum, non solum dicit voluntatem pietatis & æquitatis, hoc est, dilectionem Dei seu justitiæ, ut ipse loqui solet, esse *inamissibilem* & *inseparabilem*, atque *liberam*, sed ita inamissibilem, sicut est voluntas felicitatis, indicans consequenter ita eam esse quoque liberam. Nam semper docet Augustinus, maxime cum de illa ipsa libertate beatorum loquitur, voluntatem felicitatis esse liberam omnino voluntatem. Hinc enim illud advertsus Pelagium, qui libertatem negabat esse, ubi naturali necessitate constringimur: *Perquam absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ.* Vbi per voluntatem intelligit liberam voluntatem seu liberum arbitrium, de quo ibi disputatio est. Nam istam de voluntate beatitudinis esse Augustini mentem apertissime patet ex Enchiridio ad Laurentium, ubi cùm similiter libertatem beatorum assereret istis verbis: *Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato*; statim illam libertatem eodem modo probat ex libera voluntate felicitatis quam nolle non possumus: *Neque enim*, inquit, *culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.* Quibus verbis evidenter docet, non minus liberam esse voluntatem beatorum qua peccare non possunt, quia semper & stabiliter nolunt à Dei dilectione deficere cum semper diligunt, quam est voluntas qua miseri esse velle non possumus.

Et quia responderi potuisset voluntatem illam qua beati esse volumus, esse culpandam voluntatem, vel etiam non esse vocandam voluntatem, aut denique non esse liberam voluntatem, & idcirco non rectè proferri ad asserendam libertatem in illa perpetua voluntate beatorum, objectiones illas occupans, triplicem nodum tribus verbis brevissime secat: *Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est.* Quasi diceret, nam & illa est laudanda voluntas, ergo & in beatis multò magis voluntas perpetua & immutabilis pietatis. Nam applicans exemplum ad propositum suum: *Sicut ergo nunc*, inquit, *etiam anima nostra nolle felicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est.* Vbi nolle iniquitatem, seu, ut ita dicam, voluntas iniquitatis, eadem est quæ superius vocata fuit *inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis*, itemque *inseparabilis* in singulis *voluntas libera*; voluntas ab *omni malo liberata*, voluntas *impleta omni bono*, voluntas *fruens indeficiente æternorum jucunditate gaudiorum.*

Nec quicquam ad rem præsentem facit quod voluntas felicitatis sit indifferens quantum ad exercitium. Nam quamvis istud ita esse concedatur, hoc tamen non attendi voluit Augustinus in illa similitudine, sed hoc tantum quod astrictio ad unam partem nihil omnino impediret arbitrij libertatem. Vnde fit ut illa indifferentia exercitij per accidens omnino se habeat, ad illam liberi arbitrij rationem, quam Augustinus in his exemplis consideratam & assertam cupit, & idcirco confidenter docet voluntatem perpetuam pietatis in futura vita, & qua semper nolunt iniquitatem, non minus liberam esse quam voluntatem beatitudinis in hac vita, cùm tamen illa sit perpetua perpetuitate exercitij, hæc non item. Nam peccare non posse seu inamissibiliter velle pietatem & æquitatem, & nolle iniquitatem, non est aliud

quam

quam inamissibiliter & inseparabiliter amare A justitiam. Idcirco enim peccare non possunt, quia ab amore justitiæ, hoc est, Dei cessare non possunt. Hanc autem voluntatem beati non in potentia, sed in perpetuo exercitio actus habent. Accedit denique paradoxum in Augustini doctrina inauditum esse, quantum ego eam perscrutari potui, quod actus aliquis voluntatis propterea liber sit, quia ab illo desistere voluntas & non agere potest; cum potius diametraliter è contrario, semper ab eo propterea libertas alicujus actus asseratur, quia voluntas eam agere potest. Ex quo fit ut in illo acerrimo diuturnoque conflictu, quo cum Pelagianis de gratia & voluntatis libertate decertatum est, in nullis ejus libris vel semel inveniri queat unus textus vel vestigium opinionis istius, quod idcirco voluntas sub gratia quæ facit eam facere, maneret libera, quia cessare potest; sed potius conspirant omnia id- B circo esse liberam, quia gratia voluntatem nihil agentem potentissime velle & operari facit. Nam quamvis verissimum sit, voluntatem sub gratia Dei ab agendo posse cessare (sicut & in Adamo & Angelis sine ulla dubitatione cessare potuit) hoc tamen, ut dixi, veræ libertati voluntatis humanæ, juxta Augustinum, per accidens conjunctum est, & nihil omnino ad libertatem volendi & operandi facit; usque adeo, ut ego ingenuè loquendo, miraculi loco habiturus essem, si in Augustini doctrina ostendi posset, voluntatem quę potentissimè & immobiliter & perpetuo justitiam diligit & operatur, non esse in ista volitione & operatione liberam: sed potius è contrario, prout ejus doctrinam & principia perlustravi, nihil ipse invenire posset, nisi solum Deum, quod majori arbitrij libertate gauderet. Vnde illud August. celeberrimum, cui omnis ejus reliqua doctrina consentit, *Hæc voluntas libera tanto erit liberior,* Epist. 89. *quanto sanior; tanto autem sanior quanto divinæ misericordiæ gratiæque subiectior.* Quam sententiam sicut perfectissimè in illa perpetua voluntate pietatis seu amore Dei, impleri nemo sanæ mentis dubitare sinitur; ita ab illa valde remotum est illud indifferentiæ philosophicæ æquilibrium, juxta quod tanto fit liberior voluntas, quanto magis sub gratia cessare, vel aliud quam gratia instigat facere potest. Vnde nihil mirum, si juxta horum sententiam, gratia cum in summo fuerit, qualis est beatorum, indifferentem libertatem directè destruat, juxta Augustinum verò, directè astruat. Quæ duo quemadmodum tantum à se discrepant, quantum arcticus polus ab antarctico, ita ratio libertatis quam Augustinus docet à recentiorum libertate dissentit.

CAPVT NONVM.

Ex libertate Christi Domini.

NEc dissimile est præcedenti argu- A mento, id quod de Christi Domini libertate sæpe contra Pelagianos Augustinus tradit. Cùm enim illi invidiosissimè de gratia quasi libertatem arbitrij destruente, quererentur, sæpe obturat illis os Augustinus proferendo urgentissimam de Christi Domini libertate similitudinem, cujus arbitrium, quamvis non posset ullum peccatum ullumque malæ voluntatis motum admittere, liberrimum tamen in non
lib. de Cor. & grat. c. 11 peccando fuit: *Neque enim metuendum erat ne ipso ineffabili modo in unitatem personæ à verbo Dei natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Quod in Enchiridio dicit: *ut nullum posset habere peccatum.*
Enchirid. c. 36. Item que *ut fieret quodammodo ipsa gratia illi hoc. 40.* *hominis naturalis, quæ nullum peccatum posset admit-* B *tere.* Et in libro de Prædestinatione Sanctorum: *Num quid metuendum fuit, ne accedente*
lib. de prædest. SS. c. 15 *ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Ex quibus testimonijs tria colliguntur. Primum, non hic agi de libertate Christi ad faciendum bonum. Sicut enim differunt toto cælo, abstinere à malo & facere bonum, Spiritu sancto etiam illa duo distinguente, *Declina à malo, & fac bonum*; ita quoque libertas arbitrij ad non faciendum malum, & ad faciendum opera bona. Vnde de faciendo bono præmiserat:
Lib. de Cor. & grat. c. 11 *Illam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.* Et mox de non peccando: *Neque enim metuendum erat* &c. Augustinus hic igitur asserit liberam fuisse Christi voluntatem, non solum qua peccare nollet, sed qua peccare non posset, aut motum aliquem malæ voluntatis admittere. Quamvis autem facilè intelligi possit, indifferentiam aliquam ad opera diversa bona remanere potuisse, quomodo tamen indifferentia ad non peccandum remanserit non apparet. Illa quippe voluntas, sicut in contrarium non poterat immutari, ita nec à detestanda iniquitate cessare: cùm non esset alia voluntas illa, quam qua justitiam Dei peccato repugnantem sine cessatione diligebat; vel si eam ab illa distinguere voluerimus, tam est perpetua, quàm voluntas immutabilis justitiæ, quam individua comitatur.

Secundò colligitur, determinationem voluntatis Christi perpetuam ad non peccandum, seu ad malæ voluntatis motum repellendum, nullo modo libertatis ejus officere, sed proficere. Expresse quippe dicit, tanto magis Christi voluntatem esse liberam, quanto magis peccato servire non potest. Certissimum autem est, multo minus peccato servire posse, qui perpetuo & immutabili actu capitaliter

repugnante detestatur iniquitatem, vel diligit A æquitatem, quam qui per intervalla tantum in hujusmodi motus voluntatis erumpit.

Tertiò, nec hic ullum elucere vestigium, quod Augustinus cogitaverit in eo Christi, ut neque beatorum libertatem collocare, quod possit hoc vel illud bonum eligere, multo minus istud eligere & non eligere. Sed tam in isto libertatis Christi argumento, quam beatorum ac Dei, doctrina ejus tota toto impetu tendit eò, ut quo potentius & immutabilius voluntas justitiam diligit, & peccata detestatur, eo liberiore feratur Christus, vel beati, vel Deus ipse, voluntate. Quod nisi secundum Augustini doctrinam verum esse fateamur, quo pacto Christus libera voluntate præcepta Patris ut præcepta compleverit, hoc est, secundum illas omnes circumstantias, quæ sive positiva Dei voluntate, sive æternæ sapientiæ immutabili præscripto, actiones omnes faciendas & circumstantias ceteras determinante præscribuntur, fateor me videre non posse; & neque Scholasticos videre potuisse, satis interminabilis eorum pugna & lucta testatur. Quod ipsum fortasse non leve signum est, eos longissime ab explicanda veræ libertatis ratione, quam Augustinus tenuit recessisse. Nam quo alioquin pacto fieri potest, ut vir acutissimus, profundissimus, toties à Pelagianis de libertate lacessitus, nullam vel tenuem umbram, in tot scriptis suis reliquerit, quod libertas arbitrij in hujusmodi indifferentia collocanda sit? Vt tantâ facilitate libertatem Beatorum & Christi expediat? Sub cujus premente mole tota Scholasticorum multitudo fatigata suspirat, & tanto conatu nihil aliud agit quam quod principijs suis proprijs arctitata & ligata sibi difficultatem insolubilem esse confitetur? Hoc videtur sanctus Thomas liquido vidisse, quando dicit in Commentarijs super Magistrum Sententiarum: *Etiamsi esset determinatum* liberum arbitrium Christi *ad unum numero, sicut* B *ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti.* In 2 dist. 18. a. 2. ad 5.

CAPVT DECIMVM.

Idem ostenditur ex voluntate fruente summo bono clarè viso, juxta principia Augustini.

VERVM quia sic natura comparatum est, ut animus ad insuetam doctrinam, præsertim si inveteratis opinionibus præoccupatus fuerit, semper hæsitet, & quantumcumque palpabiliter Augustini esse demonstretur, subtilitatis alicujus prætigias vereatur, non gravabor adhuc uberius hanc Augustini mentem ostendere; quod videlicet nullam simplicis necessitatis determinationem, sed tantummodo illam primam instar ponderis prementem cogentemque libertati voluntatis metuat. Hoc autem in illa voluntate ostendemus, quæ Scholasticorum omnium judicio, maxime determinata est, voluntate scilicet illa qua homo post hanc vitam beatus est. Hanc enim ita liquidò sentit Augustinus, ac docet esse liberam, ut ex ejus libertate sumat argumentum pro astruenda libertate culpabilis voluntatis, quam divina præscientia futuram esse prænovit. In illo quippe libro tertio de Libero arbitrio jam sæpe citato, ubi liberum voluntatis arbitrium ad amussim excutitur, cum Evodius quicum disputat, omnia quæ in creaturis fiunt, propter Dei præscientiam dixisset, necessitate non voluntate fieri, hoc est, coactè, non liberè, ut ex circumstantia loci patet, refutandum eum suscipit Augustinus ex voluntate beatitudinis, qua scilicet eum Deus beatum facturus est, quem facturus est. Hanc enim voluntatem præscit Deus nec tamen voluntas esse desinet, cùm futura erit, quia non invitus beatus erit, sed utique volens. Hoc autem ipso quo volens erit, voluntas erit, & idcirco in potestate, quia fiet cum volet, & B consequentet libera. Quamvis enim nunc quando vult beatus esse, nondum sit beatus, neque illa voluntas beatitudinis adhuc sit in potestate; quando tamen Deus eum beatum faciet, voluntatem illam ardentissimæ caritatis dabit, & eam dando etiam potestatem dabit, & ita voluntas illa erit in potestate & libera. Hic est discursus Augustini, de voluntate beatitudinis, seu qua temporibus suis, cum Deo visum fuerit nos beatos facere, beati futuri sumus. Sed ipsum dialogum ad rem accuratius intelligendam audiamus. Sic igitur Augustinus: *Numquid neminem beatum facit?* Respondet Evodius: *Facit vero.* Augustinus: *Tunc itaque facit quando ille fit.* Evodius: *Ita est.* Augustinus, *Si igitur verbi gratiâ, post annum beatus futurus es; post annum te beatum facturus est.* Evodius: *Etiam.* Augustinus: *Iam vero præscit hodie quid post annum facturus est.* Evodius: *Semper hoc præscivit: nunc quoque hoc eum præscire consentio, si est ita futurum.* Augustinus: *Dic quæso, num tu creatura eius non es, aut tua beatitudo non in te fiet.* Quæ instantia tendit eo, ut declaret ex voluntate ista beatitudinis quam præscit Deus, falsum esse quod Evodius asseruerat, omnia in creatura fieri necessitate. Itaque respondet Evodius, quasi ignarus quo res tenderet, Evodius: *Imo & creatura eius sum, & in me fiet quod beatus ero.* Augustinus: *Non ergo necessitate, sed voluntate in te fiet beatitudo tua Deo faciente*, hoc est, dante tibi beatitudinem, quæ sine voluntate seu amore beatifico esse non potest. Quæ Augustini verba continent instantiam ad hominem, illationem videlicet illius vel- Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

ut per-

ut perſpicuæ abſurditatis quam admiſerat Evodius, quod omnia fierent neceſſitate non voluntate in creaturis. Vnde continuo pate-faciens rei ineptiam ex propoſita voluntate beatitudinis: *Tu ergo*, inquit, *invitus beatus es?* Evodius: *Voluntas illius mihi eſt neceſſitas* Hoc eſt, non ero quidem invitus beatus, ſed tamen voluntas illa qua beatus ero, eſt reſpectu mei neceſſitas, quia non eſt in mea poteſtate, ſed Dei. Hunc enim ſenſum eſſe declarat, id quod adijcit: *Si enim mihi eſſet poteſtas, ut eſſem beatus, iam profecto eſſem: volo enim etiam nunc* eſſe beatus, *& non ſum; quia non ego, ſed ille me beatum facit*, dando videlicet viſionem & amorem immutabilem ſeu beatificum, atque ita tali utriuſque potentiſſima operatione faciens de me quod ipſe vult, non id quod eſt in mea poteſtate. Quæ objectio cùm capitaliter voluntatis libertati repugnare, & neceſſitatem voluntatis beatitudinis afferre videretur, ex ipſa tamen fidentiſſimè Auguſtinus totam diſputationem conficit, totamque decidit controverſiam. Sic enim pergit Auguſtinus: *Optime de te*, id eſt, de ore tuo, *veritas clamat: Non enim poſſes aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus facimus: quopropter nihil tam in noſtra poteſtate quam ipſa voluntas eſt*, videlicet etiam illa beatitudinis, ſeu qua beatus futurus es, utpote quam potiſſimum ibi reſpicit. *Ea enim prorſus nullo intervallo mox ut volumus, præſto eſt. Et ideo rectè poſſumus dicere non voluntate vivimus, ſed neceſſitate, aut non voluntate morimur, ſed neceſſitate, & ſi quid aliud huiuſmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Ex hac igitur definitione illius quod eſſe dicitur in poteſtate noſtra, & quod maximè hoc voluntati competit, ſic abſolvit Auguſtinus controverſiam: *Quamobrem quamvis præſciat Deus noſtras voluntates futuras: non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus*, id eſt, ut non libertate velimus, de qua tota diſputatio eſt. *Nam & de beatitudine quod dixiſti, non abs te-ipſo beatum fieri; ita dixiſti quaſi ego hoc negaverim*: quaſi dicat, admitto verum eſſe quod dixiſti, nos Deo in nobis operante beatitudinem, beatos fieri, ſed eo non obſtante libera noſtra voluntate. Nam ita pergit: *ſed dico cum futurus es beatus non te invitum, ſed volentem futurum.* Iam igitur concilians libertatem voluntatis illius cum præſcientia, quæ ſcopus erat totius diſceptationis: *Cum igitur præſcius Deus ſit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri poſſit, quam ille præſcivit, alioquin nulla præſcientia eſt, non tamen ex eo cogimur ſentire, quod abſurdiſſimum eſt, & longè à veritate ſeclusum, non te volentem*, id eſt, libera voluntate, *beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum eſſe cœperis beatus, non tibi auferi præſcientia Dei*, afferendo ſcilicet neceſſitatem, *quæ hodie de tua futura beatitudine certa eſt: ſic etiam voluntas culpabilis, ſi qua in te futura eſt, non propterea voluntas*, id eſt, libera *non erit, quoniam Deus eam futuram eſſe præſcivit.* Quod ſtatim tam efficaciter demonſtrat, ut contradictionem implicare doceat, hominem velle & eſſe neceſſe ut velit, *unde enim*, inquit, *volet cum voluntas non erit?* Ne vero quiſquam cogitationibus atque phraſibus hujus ætatis aſſuetus exiſtimaret aliud apud Auguſtinum eſſe voluntatem & liberam voluntatem, atque ita reſponderi poſſe, quod rectè probet Auguſtinus voluntatem beatitudinis, qua beati erimus, eſſe quidem voluntatem non tamen liberam, occurrit ipſe Auguſtinus ex propria Evodij definitione concludens, voluntatem omnem ita eſſe liberam, ut aperta ſit repugnantia, voluntatem eſſe & liberam non eſſe: *Quod ſi* inquit *non hoc modo dixerit, ſed dixerit ſe, quia neceſſe eſt, ut velit, ipſam voluntatem in poteſtate non habere.* Ecce hoc ipſum argumentum quod Scholaſticos deterret, ne voluntatem illam beatitudinis ſeu beatificam liberam eſſe fateantur. Non enim videtur in poteſtate noſtra eſſe, non ſumus domini illius, non poſſumus illam ſuſpendere cùm libet. Reſpondet Auguſtinus illa omnia eſſe falſa. Eſt enim in poteſtate noſtra, ſumus ejus domini, ſuſpendimus eam quando volumus: ſed ſi nolumus & conſtanter nolumus eam ſuſpendere, hoc propriè non arguit defectum poteſtatis, ſed voluntatis. Talis enim naturæ eſt eſſentialiter voluntas, ſeu volitio, ut fiat cum volumus, non fiat cùm nolumus: quod ſi conſtanter volumus, quid conquerimur de defectu poteſtatis cùm hoc ſit in poteſtate quod fit cùm volumus? Objectioni ergo iſto modo ſatisfacere volens Auguſtinus, attexit illa verba quæ in præcedentibus etiam allegata ſunt: *Occurretur*, inquit, *ex eo, quod ipſe dixiſti, cum quærerem utrum invitus beatus ſis futurus: Reſpondiſti enim quod tam eſſes beatus, ſi poteſtas eſſet in te. Velle enim ſed nondum poſſe dixiſti. Vbi ego ſubieci de te clamaſſe veritatem: non enim negare poſſumus habere nos poteſtatem, niſi cum nobis enim volumus deeſt. Dum autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non utique volumus. Quod ſi fieri non poteſt, ut dum volumus non velimus, adeſt utique voluntas volentibus.* Sed eſto, inquies; adſit voluntas beatitudinis, ſeu ſi malis noſtræ ætatis phraſi loqui, adſit voluntas beatifica volentibus, vel amor beatificus, vel quocumque nomine perpetuam illam & immutabilem voluntatem quæ fruitur Deo, adſit volentibus, quia contradictionem implicat non adeſſe, quid inde confici es? An propterea ſequetur eam eſſe in poteſtate? Eos eſſe ejus dominos? Audi reliqua: *Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* Sed eſto, an idcirco libera, de quo tota controverſia eſt? *Porro quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.* NON ENIM EST NOBIS LIBERVM, QVOD IN POTESTATE NON HABEMVS, AVT POTEST NON ESSE QVOD HABEMVS. Et quia res magna eſt, & juxta mentem Auguſtini irrefragabiliter & à fundamentis eſſentialibus demonſtrata, ne ſemel dicta lectoris minus attenti vel periti aciem fugeret, breviter totum colligit & inculcat repetendo: *Ita ſit ut & Deum non negemus eſſe præſcium omnium futurorum,*

& nos tamen velimus quod volumus. Cùm enim sit præscius voluntatis nostræ, id est, volitionis, *cuius est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius.* Ecce quàm sollicitus est Augustinus de sola voluntate, hoc est, volitione nihil curandò de libertate, eo quod essentialiter libertas sit conjuncta voluntati, nulloque pacto ab ea separari queat. Quod statim iterum inculcans; *Nec voluntas*, inquit, *esse poterit si in potestate non erit.* Nam hoc est esse liberum. *Ergo & potestatis est præscius*, quam scilicet vel homo à se habebit, vel ipse Deus ei per gratiam suo tempore largiturus est, cùm eam à se ipso habere non possit: *Non igitur per eius præscientiam mihi potestas admittur, qua propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præscivit.* Quibus verbis respicit Augustinus ad illam difficultatem, qua non libera cuipiam esse videri posset voluntas beatitudinis seu fruitionis beatificæ, eo quod illam habere nunc non sit in nostra potestate. Iam enim beati essemus, si nunc esset in nostra potestate, cùm etiam nunc beati esse velimus. Respondet ergo tacitè Augustinus, cùm Deus præscit voluntatem beatitudinis nostræ, seu fruitionis beatificæ, hoc ipso etiam præscit potestatem, hoc est, eam futuram in potestate; quia Deus beatos nos faciendo, etiam potestatem illam dabit hoc ipso quo voluntatem beatificæ fruitionis dabit, hoc enim est in potestate quod fit cùm volumus. Quare Evodius rem conjectam esse videns, tam de voluntate illa beatitudinis, quàm de quacumque omnino voluntate; subjungit Evodius: *Ecce iam non nego ita necesse esse fieri quæcumque præscivit Deus, & ita eum peccata nostra præscire ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita voluntate.* Locum integrum tam prolixè deductum volui, quamvis quædam ejus lacinię jam ante à corpore avulsæ, & suis locis allegatæ fuerint, ne quisquam sibi fucum fieri putet; sed ipsum Augustinum audiat de beatitudinis voluntate quam habituri sumus, quando beati erimus, disputantem, eamque velut clarioris exempli loco producentem, quo fidem faceret, Deum nostras præscire posse futuras voluntates, ut tamen propterea non desinant esse liberæ. Qua tergiversatione locus eludi posset nescio: cùm perspicuis verbis libertatem voluntati beatitudinis asserat, non illi, qua nunc beatus esse Evodius volebat, sed illi qua volens beatus futurus erit, cùm beatus erit. Quæ sanè voluntas non est alia, quàm illa, qua volens beatitudine, id est, beatifico bono fruitur. Hanc autem esse perpetuam, immutabilem, determinatissimamq; voluntatem etiam apud Augustinum extra controversiam est. Nam paulo post de beatitudine Angelorum loquens, hanc beatitudinis voluntatem multis efficacissimis nominibus exprimit, non solũ eam vocans *voluntatem* (quo solo vocabulo tota controversia, ut vidimus, dirimitur) sed *liberam voluntatem, perseverantissimam voluntatem*, qua *non peccat* angelica creatura: voluntatem qua *semper incommutabili eius veritate perfrui, nunquam autem peccare volunt*: *perpetuam* denique *tenendæ iustitiæ voluntatem.* Ita vero ex definitione potestatis & libertatis rem istam asserit, ut quamvis nihil omnino de illa beatificæ fruitionis voluntate loqueretur, res ipsa per se clamet, in nulla omnino voluntate creaturæ doctrinam istam esse posse veriorem. Per nullam enim voluntatem magis volumus, ideoque nulla magis adest cùm volumus, nullaque magis in nostra potestate, adeoque nulla magis libera. Et illa est ratio fundamentalis & à priori totius doctrinæ supra traditæ, qua docuit & beatorum omnium sive hominum sive Angelorum, & Christi Domini & ipsius Dei arbitrium eo magis esse liberum, quo magis peccare non potest. Cùm enim nulla voluntas sit in eis promptior, ardentior, stabilior, immutabilior, durabilior, ex pleniori judicio & circumstantiarum omnium cõsideratione profecta, quam illa *voluntas*, id est, volitio *perpetua ad permanendum* cum Deo, voluntas *qua necesse erit nolle peccare*, voluntas *mansissibilis pietatis & æquitatis*, voluntas quæ *nolle inquitatem semper habitura est.* Quibus nominibus Augustinus eam vocat, necesse est eam esse maximè omnium in nostra potestate, & ideo (nisi omnia sua principia de libertate arbitrij Augustinus retractare velit) esse maximè liberam. Quod ne vi rationis duntaxat expressum videretur, ipsem et voluntatẽ illam quã habebimus cùm beati erimus, trutinandam, & suis principijs metiendam suscipit, ipsemet liberam esse concludit ipsemet multipliciter asserit, arbitrium hoc ipso quod illam perpetuam inamissibilemq; voluntatem pietatis & æquitatis habiturum est, maximè tore liberum, ipsemet denique sine ambiguitate, de illa voluntate dicit, *Erit una in omnibus & inseparabilis*, quia amplius an itti non potest, *in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum æternitate gaudiorum.* Qua de causa principijs istis congruentissimè dixit in ipsi em libris: *Libertas nulla vera est nisi beatorum & legis æternæ adhærentium* hoc est, æternam Dei voluntatem amantium. Neque quicquam omnino terretur Augustinus, illâ simplici necessita e voluntatis, qua, ut fatetur ipse, *Necesse erit nolle peccare, & quam semper habituri sumus*; Nam ut ipse loquitur eadem invidiosâ objectione pulsatus: *Intelligere debemus esse quandam beatam necessitatem qua Deus iustus esse non potest. Imo vero si necessitas dicenda est, qua necesse est imper. aliquid vel esse vel fieri, beatissima ista omnino necessitas, qua necesse est feliciter vivere, & in eadem vita necesse est non mori; necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur sancti Angeli, sed fruuntur; nobis autem est futura non præsens. Nec enim dicere audemus Deum non voluntatem*, id est, liberam dilectionem, *sed necessitatem habere iustitiæ, qua non potest velle peccare.*

Lib. 3 de lib. arbit. cap. 5.

Lib. 22. de Civit. c. 30.

Lib. 1. de lib. arbit. c. 15.

Lib. 1. oper. imper. c. 133 & 134.

Lib. de nat. & grat. c. 69

CAPVT

CAPVT XI.

Idem probatur juxta principia propria Scholasticorum.

ET revera, si principia inter Scholasticos etjam certa explorare voluerimus, difficulter ab eis ratio dari poterit, cur non voluntatem illam perpetuam retinendæ justitiæ & fruentem Deo, quam Augustinus liberrimam esse docet, non liberam esse fateantur. Admittunt enim ipsi id quod Catholica fides fateri cogit, veram arbitrij libertatem nullo pacto indifferentiam contrarietatis (hoc est, boni & mali) postulare, sed defectum esse libertatis, posse peccare, hoc est, à bona voluntate posse deficere, secundum illud sancti Anselmi ab omnibus postea approbatum: *Nec libertas est nec pars libertatis, potestas peccandi.* Superest igitur exercitij indifferentia, qua scilicet possit arbitrium variis bonarum actionum speciebus agere, vel certè agere & non agere. Sed indifferentia ad species diversas bonarum actionum libertati essentialis esse non potest. Quid si enim arbitrium justissimis Dei legibus unam tantum determinatam speciem agere jubeatur, quam nisi faciat, peccati reum sit, manifestum est, nullam ad ceteras, nisi peccare velit, quod jam exclusimus, indifferentiam supereſſe. Ipse Deus, si loqui velit, non potest nisi verum dicere, si promittit, fidelis est, & se negare non potest; sola igitur indifferentia agendi & non agendi restat, quæ propriè est exercitij. Sed & ista in Deo prorsus perijt, hoc ipso quo semel immobili voluntate voluit atque statuit quid in singulis circumstantijs agendum sit, quam retractare non potest. Quapropter si hoc dumtaxat est esse liberum, indifferentem esse ad agendum & non agendum, liber fuisse Deus dici potest, liber verò esse non potest. Imò verò nec liber fuisse dici potest. Quando enim liber fuerit, cum ab æterno, hoc est, sine ullo initio semper ad agendum vel non agendum determinatus fuerit? An ad instantia rationis veniendum erit, ut realem in Deo libertatem invenire possimus? Sed salebras istas rationis imaginantis transeamus, & velut veram illam responsionem amplectamur, qua dicunt ideirco Deum nunc esse liberum, quia in illo instanti rationis liber, hoc est indifferens fuit, & ex propria se libertate determinavit; in qua determinatione, propter naturæ voluntatisque constantiam, immutabilis permanet. Hoc si Scholasticis sufficit, nulla ratio supereſt, cur non & perpetuam illam justitiæ voluntatem, seu amorem beatificum, quo beati Angeli & homines peccare non possunt, liberrimam voluntatem esse concedant. Est enim certissimum Angelos & homines qui beati fiunt, ita libera indifferentiaque voluntate justitiam elegisse propriaque se libertate determinasse ad diligendam justitiam, vel in ea perseverandum, sicut Deus ad opera quibus vel creaturas vel aliquid in creaturis operatur. Si ergò immutabilitas naturæ non extinguit istam primigeniam electionis libertatem, multo minus immutabilitas gratiæ interimet. Longè quippe determinatior ac stabilior est natura ad firmandam liberam voluntatem, quam est gratia. Gratia quippè in bono est instar consuetudinis, quæ secunda quidem natura dicitur, non tamen natura. Significatur enim hoc nomine minus esse determinata ac stabilis quam natura. Imò propriùs ille est effectus divinæ gratiæ, ut nos divinæ naturæ similes in justitia, puritate, scientia, bonitate, libertate faciat, ut qui propriæ naturæ tanquam ex nihilo extractæ mutabilitate in voluntatibus & electionibus nostris instabiles sumus, Deo similes per gratiam facti, non amplius in placita electaque semel bona voluntate mutemur. Si igitur interna & naturalis immutabilitas Dei, qua electio semel determinata firmatur in æternum, nihil officit electionis istius libertati, profectò immutabilitas gratiæ minus officiet. Non enim imaginandum est aliam beatis infundi cum beatitudine voluntatem, quæ propter perpetuam determinationem non sit libera, sed eadem omnino voluntas libera seu amor justitiæ liberrimè susceptus in hac vita, sine ulla mutatione firmior & ardentior, & jucundior permanet; licet plane modo quo voluntas mala peccatrix Angelorum seu semetipsos amantium, in æternum, sive naturæ constantia, ut quidam volunt, sive damnationis æquitate & pœnæ stabilis perseverat; quam tamen idcirco nemo dixerit esse minus liberam, etsi non alia quam illa ipsa quam dixi consideratione, qua dicitur Deum esse liberum, quia se ipsum libere sua voluntate determinavit. Hinc divus Thomas expressissimè docet, quod voluntas Angelorum *naturaliter sit immutabilis circa ea quæ ad ordinem naturæ pertinent*, & ideo etjam consequens esse, *ut immobiliter perseverent, vel in aversione vel in conversione respectu supernaturalis boni.* Nam, inquit, *secundum modum naturæ suæ competit ei, ut immobiliter inhæreat ei quod per propriam voluntatem elegit.* Vnde statim adijcit, quod *sicut motus aversionis à Deo, fuit in diabolo voluntarius, ita etiam & quies in eo quod voluit est voluntaria. Nam voluntarie perseverat in malo: sed tamen voluntas eius in hoc immutabiliter manet.* Porrò voluntatem illam reproborum Angelorum in perpetuo esse actu proprij amoris, esse videtur indubitatum. Cùm enim naturali mentis vivacitate semper in actu sint, & ad aliquid voluntate moveantur, amisso jam

Bonavent. in 1. dist. 7. quæst. de lib. arbitrio.

Quæst. 16. de malo a. 5. in corpore.

Ibid. ad 6.

Ad 3.

amore superioris boni, non aliud amant quam seipsos. Nam quicquid amant seu volunt, alicui volunt, nec alteri quam sibi, dum cuncta quæ volunt, eo referunt, ut sibi bene sit. Finis enim cui, in omnibus finibus qui amantur præcellenti modo dominatur. Cum ergò solus amor ille purissimus superioris boni à seipsa creaturam extrahat, dum hoc operatur, ut neque seipsam diligat propter se, sed ille ipse amor etiam naturalis, quo se complectitur & id quod diligit & ipse qui diligit, in Deum velut finem, non solum qui diligitur, sed etiam cui cedant & cedere debeant, profecto amissa illa dilectione Dei, nihil superest, nisi ut ad seipsos referant, quicquid diligunt, & per quæcumque sceleratissima desideria amori illi sui superbissimo satisfactum velint. Vnde in perpetuo actu esse videtur ille amor sui stabilis, immutabilis; & quicquid variarum cupiditatum ad blasphemandum, dominandum, nocendumque hominibus erumpit, instar variarum electionum sese habere respectu præconcepti & semel stabiliter prædilecti & electi finis, in quem Deum deferendo cecidere. Vnde sanctus Bonaventura afferens exemplum de avaro qui quamvis naturaliter appetat beatitudinem, tamen propter perversitatem voluntatis, appetit eam in divitijs & ideo peccat:

In 2. dist. 7. q. 2. *Sic intelligendum*, inquit, *quod diabolus naturaliter diligat Deum ut conservatorem: sed voluntas diaboli illam dilectionem refert ad proprium utilitatem & ideo peccat.* Et mox: *Diabolus cum non obdormiat, semper in eo vigent interiores virtutes, & ita semper fuit in actu velit nolit, sicut in homine vigilante.* Et de continuatione ejusdem illius voluntatis malæ qua ceciderunt dæmones: *Omnis qui peccat liberè vult, ideo continuatio peccati ejus liberi arbitrij non excidit, sed includit.* Et divus Thomas in quæstionibus de veritate, quærens utrum voluntas possit facere ut liberum arbitrium hæreat immobiliter in peccato, respondet: *Dicendum quod per se causa peccati voluntas est, & per ipsam peccatum conservatur. Quæ quamvis à principio ad utrumque se haberet æqualiter; tamen postquam se peccato subiecit, efficitur ei peccatum quasi naturale, & ex hoc ei immutabiliter quantum est de se, manet in illo.*

Ibid. q. 1. de immutabilit. Ang.

Quæst. 24. a. 10. ad 3.

Rursum illud certum est, beatos homines & in primis Angelos indifferenti voluntate Deo cohæsisse, & in illa ipsa eadem cohæsione, hoc est, illius primæ voluntatis electione stabiles permanere; stabilitatem illam præstante Dei gratia, quam natura non poterat: ut qui natura immutabiles electione, quemadmodum Deus est, esse nequeunt, immutabilitatem eligendi ex Dei bonitate sortiantur. Vtrumque significavit non obscurè Augustinus. Nam quod eadem omnino sit voluntas Angelorum in via & in patria, sive stantium sive cadentium, in ejus doctrina manifestum est, dum de bonis Angelis ab initio huc usque non peccantibus dicit: *Meliorem esse creaturam quæ quamvis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa nunquam peccaverit.* Et paulò post: *Si te delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat.* Et iterum: *Habet illa sublimis (creatura) perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens creatore suo, quem perpetua tenenda iustitiæ voluntate promeretur.* Ac deinde comparat creaturam *quam peccandi perpetua voluntas vult*, & eam quæ *permanet in voluntate iustitiæ.* De quibus identidem repetit quod Deus prævideris illam *non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram*; hanc in *legibus iustitiæ permansuram.* Quæ apertissimè clamant Augustinum hoc sentire, quod eadem omnino voluntas libera, qua justitiam vel peccata delegerunt, in eisdem immutabilis permanet. Nam revera præmium rectè viventium, & pœna peccantium, illa prima & præcipua & capitalis est, quod cuique creaturæ rationali id stabiliter amare detur, quod amare delegerit. Hoc est enim ejus beatitudo atque damnatio. Nam nihil æquius quam ut in præmium dilectionis, unicuique res dilecta non auferatur, sed cuique concupita sua beatitudo tribuatur; per hoc enim ipsum quisque beatus fieri cupit, quod velut finem amandum constituerit. Quod verò hujusmodi immutabilem voluntatem gratia & pœna tribuat, ut videlicet in bono divinæ naturæ similes efficiamur, Augustinus non minus apertè indicat quando dicit: *Cuicumque creaturæ rationali præstatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratia. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia sed natura sua nec potuit nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit nec poterit aliqua mutatione peccare.* Peccare quippe non est aliud quam ab habita bona voluntate mutari. Vnde damnatis Angelis dicit; quod habent *arbitrium ad maximam malevolentiam in pœnam sui sceleris obduratum, nec eos sana fide dici posse, ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti.* Quæ cum ita sint, ut amor beatorum & voluntas obdurata damnatorum, non sint aliud quam voluntas seu electio illa prima libera, majori & stabiliori robore per gratiam pœnamque perseverans, ut in immutabili bona voluntate beati Deo similes efficiantur, damnati vero in mala voluntate defectivam & fugitivam quandam Dei, quemadmodum & in peccatis omnibus, similitudinem gerant, nulla profectò ratio dari poterit, contra libertatem istarum remuneratarum voluntatum, quæ non tanto violentius libertatem divinæ voluntatis impediat, quanto naturalis electionis immutabilitas gratuitam superat.

Lib. 3. de lib. arb. c. 3.

Lib. 3. cont. Maxim. c. 11.

Epist. 107.

CAPVT

CAPVT XII.

Eandem distinctionem indicarunt ante Augustinum ac ipso vivente multi, Dionysius Areopagita, Clemens, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius, Seleucienſis, Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus.

EX his quæ hactenus disseruimus satis A patuit, non aliud esse liberum generaliter, juxta doctrinam sancti Augustini, quam *quod est in nostra potestate*, & nihil ei repugnare, nisi *quod sit cum volumus*, hoc est, necessitatis illius prementis cogentisque violentiam. Quam doctrinam quamvis apertissimè Augustini esse ex immobilibus crebroque inculcatis principijs ejus demonstratum sit, quia tamen recentioribus inaudita est, & non mediocriter mira videbitur, non erit abs re explorare, quid alij veteres etjam Scholastici de essentiali & genuina arbitrij libertate tum post, tum ante Augustinum judicaverint. Quanquam enim, quia divinæ gratiæ necessitas & cum libertate conciliatio ante Augustini tempora ventilata non fuit, nihil mirum esse debeat, si etjam libertatis natura minus accurate tradita fuerit; non tamen desunt diversorum diversa testimonia, quibus eandem ipsorum sententiam fuisse satis perspicuè colligi videatur.

Inter quos primus occurrit Dionysius Areopagita, qui libertatem arbitrij opponit vi, necessitati, coactioni, cum rationem dat, cur homines post cor suum abeant, hoc est, faciant quod voluerint, *οὐδὲ γὰρ ἀναγκασμένην ἔχουσιν ζωὴν. Neque enim vita nobis data ei vi vel necessitate coacta.* Si enim illa vera ratio esset, profecto quandocumque non cogitur, facit id quod voluerit, & consequenter liberè operatur.

Dion. lib. de divin. nom. c. 9.

Post sanctum Dionysium Clemens Papa in Epistola tertia, ubi primo dicit, quod Augustinus toties tradidit, nos esse liberi arbitrij, quia *velle & nolle habemus in potestate*. Quo nihil certius dici potest quia fit cum volumus, non fit cum nolumus. Deinde explicat hoc per oppositum libertati, quod est vi cogi ad aliquid. Si enim hoc non esset, jam *vis*, inquit, C *erat quædam natura, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ unum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum.*

Clem. Pa. epist. 3.

Alter est Irenæus qui simili ratione libertatem per immunitatem à vi & coactione declarat: *Liberum cum Deus fecit ad initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit.* Et alio in loco tradit hominem *liberi arbitrij suæque potestatis* factum. Quid autem hoc sit exponit ut Augustinus: *Neque lumen cum magna necessitate subijciet sibi quemquam.* Et quid ista necessitas? Audi: *Neque Deus cogit eum qui nolit continere suum artem.* Quod est ipsissimum quod Augustinus toties dixit illam vim & coactionem & necessitatem repugnare libertati, qua fit aliquid nolentibus nobis.

Iren. lib. 4. c. 71.

Iidem. c. 76.

Tertullianus item explicans libertatem arbitrij, ex professo semper in eo sitam docet, quod homo *sponte, voluntariè, volumtate* non *necessitate* agit: *Si caperet hoc iure, & bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate.* Et iterum addit *libertatem arbitrij in utramque partem concessam ut bono sponte servando, & malo sponte vitando, suis Dominus constanter occurreret.* Item: *Nec boni nec mali merces iure penderetur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Iam autem ostendimus, latè suprà, necessitatem nihil aliud antiquis esse nisi vim & coactionem. B

Lib. 2. cont. Marc. c. 6.

Vnde & sanctus Hilarius Scriptor Latinus eodem modo necessitatem arbitrij libertati contrariam per vim & coactionem exponit: *Nam unicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affligens, ut tamen jubente ex natura bonum malumve lex cogeret.* Et paulo post: *Quid autem boneris ac pravæ voluntatis necessitas meruerit, cum mados vos ejus quam nobis conferta non sineret? &c.* Et iterum: *Vt esset nobis æternæ hujus beatitudinis profectus, & usque ex merito, non necessitas indiscreta per legem.*

Hilar. in Psal. 2.

Similiter & Origenes Scriptor Græcus, clarissimis verbis illam opponit necessitatem libertati voluntatis, qua fit, ut aliquid fiat *etsi nolimus*; quod est ipsissimum quod ex Augustino tradidimus: *Vnde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, ut omni modo* ETSI NOLIMVS *vel bona vel mala* AGERE COGAMVR. Quid manifestius? Audi tamen idipsum inculcatius: *Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuvare ad salutem: Non tamen* NECESSITATE COGIMVR *vel agere recte vel malè.* Et in Epistolam ad Romanos, cum sæpius tradidisset hominem in manu & potestate habere bonum & malum; sicut & August. hoc sæpè docet, & eo sensu verum esse tradit, quia utrumlibet facit, si voluerit, statim explicat quo modo istud intelligendum sit, nempe *quia sponte sit. Nam ipsi nos exhibemus nullo cogente, vel peccato servire, vel justitiæ per obedientiam nostram.*

Orig. in præmio libri Periarchon.

In Epist. ad Rom.

Nec minus evidentis Epiphanius removet illam

illam necessitatem velut libertati contrariam, quæ tanquam vis & coactio dominatur. οὐκ ἂν δὲ μᾶλλον τίσειν οἱ ἀνάγκην ἐπὶ τοῖς ἑκοῦσι φέρες, ἅπερ ὁ ἀναγκαζόμενος ὁρᾶσαι τὸ ἐπιχείρημα, *Epiphan. hæresi 5.* *Sanè quidem justius ab ijsdem quæ necessitatem pariunt, pœnæ repetantur, quam ab eo qui quod agit omnino coactus aggreditur.* Similiter & alibi, sponte facere & vi coactum veluti liberati ex diametro contrarium opponit. *Hæresi 16.* *Qui committit aliquid (fato) non id sua sponte facit, sed fatorum vi ac tyrannide compulsus.*

S. Macarius id ipsum aliquoties tradit, ut cum dicit hominis naturam & boni & mali *S. Macarius homil. 15.* esse capacem, ἀλλ' οὐκ ἀναγκαστικὴν id est, *sed non cogibilem*, nam Græci ἀναγκάζειν, dicunt quod Latini *cogere*. Et liberũ exponit aliquoties per *facere quod voluerit*; quod est idipsum quod Aug. dicit, id esse *in potestate quod facit aliquis cũ voluerit.* *Ibid.* *Qui divinitate inebriati sunt nulla necessitate tenentur, sed libera potiuntur potestate ut convertantur* B *homil. 27* *& faciant quod voluerint in hoc seculo.* Et alio in loco dicit, quod *Apostolos non prohibuit gratia quo minus agerent quæ vellent.* Et exponens hoc in eo situm esse, quia non cogit, declarat ex opposito. *Boni malique capax est natura nostra, ac potestas adversaria exhortandi vim habet, non cogendi; in reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quo volueris.* Vnde in alia Homilia de incogibilitate in bonum & malum tanquam in qua libertas arbitrij posita sit: *Ibid.* *Exhortari enim possunt ambæ facultates, tum ad bonum tum ad malum, non tamen necessario compellere. Hinc igitur arbitrio divina datur remuneratio.*

Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus eandem doctrinam accuratè de libero arbitrio tradit: *Basilius Sel. or. 3.* *Arbitrij libertate refulgens conjicit vim habet, quæ nulla teneatur voluntatu servitute mentionemque habeat sui Dominam, & inviolabilis* (græcè nulla violentia domabili) *gloriatur agendorum electione.* Et inferius idipsum expli- C cans, sæpius repetit quod *Deus necessitatem non imponit*; & quam necessitatem? *Ibid.* *Neque necessitatis legibus vincit inobsequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra necessitatem dona contrahit.*

Eusebius Cæsariensis Episcopus, in libris illis eruditis de præparatione Euangelica, naturam liberi arbitrij fusè tractat, in eoque sitam esse declarat, quod homo sit *liberæ potestatis* ad eligendum utrum velit. *Euseb. lib. de præparat. Euang. c 6.* Quod Augustini principijs prorsus consonat, qui docet esse in hominis libera potestate, quod fit cum voluerit. Sed cùm Eusebius necessitatem ei capitaliter contrariam esse sentiret, plus quam decies illam necessitatem nihil aliud esse indicat, quam vim, coactionem, violentiam. Nam illa perpetuo apud illum opponuntur, *ex necessitate & ex voluntaria meditatione: volens, & externa necessitate compulsus: sua voluntate facere, & externa necessitate: arbitrio & coactione: voluntario voluntatis nostræ motu ferri, & alterius causæ necessitate cogi: huc illuc externa vi trahi,* D *quasi quibusdam funibus circumvinctos, & sponte impetuque nostro: nostri compotes manere, & vim aliunde nobis asserri: pro arbitrio consiliisque agere, & non citra vim: suoptè nutu & aliqua extrinsecus necessitate cogente: voluntarium & illata vi coactum atque invitum: voluntate utente iure suo, & coactum,* & similia. Quæ luculentè patefaciunt quam necessitatem formidet Eusebius liberæ voluntati. Nec in illo opere dumtaxat, sed & in libro contra Hieroclem sibi concinit, dum vo- *Idem lib. contra Hieroclem f. 542.* *luntatem* opponit *necessitati*, & exponens quid utrumque sit, agere voluntate declarat idem esse, quod *agere arbitrio suo, agere vi propria & motu proprio*: Et è contrario agi necessitate exponit per *invitum, velut inanimum corpus exterius agitatum, & velut alienis nervis mobilem huc & illuc perpetuo motu urgentem duci.*

Sanctus Chrysostomus eodem modo liberum arbitrium & necessitatem opponit, eamque nihil aliud interpretatur nisi vim quæ coactum & invitum facit: *Chrysost. Homil. ex. ad populum Antioch.* DÆMON *dicit non est in te situm porrigere manum, sed necessitate quadam & vi hoc fit.* Et in Euangelium secundum Ioannem clarè docet hoc fieri libero arbitrio, quod fit si velis, hoc est non vi, non coactè, non invitè. *Corporis natura quocumque ipsam opifex ducere* *Homil. 11. in Ioan.* *velit eò sequatur, neque resistit: anima autem sui iuris vim in se habet operandi, neque ulla in re* NISI VELIT *obtemperat.* INVITAM ENIM ET COACTAM *minimè vult Deus bonam & virtutibus præditam reddere: neque id animæ virtuti esset asscribendum, sed sponte sua bona sit, & sibi virtutem complectendam persuadeat oportet.* Nihil accuratius omni ex parte cum Augustini doctrina, quam ista sententia sancti Chrysostomi quadrat. Nam & vim *sui iuris*, seu ut græcè est, *Dominum sui* (quod Augustino est habere actum in sua potestate) exponit per nihil facere *nisi velit*, hoc est, *facere si voluerit.* Et hoc ipsum dicit *sua sponte* fieri, & hoc animæ asscribendum esse, bonamque facere. Illius vero contrarium statuit, non quamlibet necessitatem, sed illam quæ facit *invitam & coactam*, græcè *invitam & vi coactam.* Denique nihil sancto Chrysostomo familiarius est, quam necessitatem, hoc est, vim, violentiam, coactionem opponere libero arbitrio: atque ideo docere hominem esse liberum, suæque potestatis, quia cogi non potest. Vt sermone de proditione Iudæ: *Sed hæc omnia ille contempsit: Deus vero illum non traxit invitum.* Et cur non traxit invitum? *Et quo-* *Serm. 30. de diversis verb. Testam. tom. 5.* *niam bona atque mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberum donavit arbitrium, & nos invitos non retinet, sed volentes amplectitur.* In hoc vero ipsissimam liberi arbitrij violationem esse sitam alibi manifestè declarat: *Nos verò qui se-* *Ibid. Ser. 45. de laudibus S. Pauli.* *mel Dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur: qui si traheret* INVITOS, *eriperet ipse quod contulit, id est, arbitrij potestatem.* Quam oppositionem liberæ voluntatis & coactionis tanquam capitaliter eam interimentis, alio loco de eodem Sancto Paulo differens, frequenter inculcat, nec aliter probat Paulum libero arbitrio sine necessitate esse conversum, nisi quia voluntas ejus affuit, quia volens fecit, quia non invitus, non necessitate coactus, quæ omnia perspicua sunt indicia, quod nullum vereatur liberæ voluntati

tati nisi ex necessitate coactionis præjudicium. Cùm enim objecisset sibi quorundam verba dicentium de vocatione sancti Pauli: *Quod Deus vocem illam quasi funem cervici eius miserit, vique illum ad se traxerit.* Et infrà: *Vi & necessitate ipsum* (Paulum) inquit, *attraxit Deus.* Respondet ea refutando Chrysostomus, quod non violavit liberum ejus arbitrium, quia & ipse Saulus aliquid egit propria voluntate: *Non tamen destituit eum à suis operibus, & suæ propriæ voluntatis laude* (id est, reliquit eum ipsum aliquid operari propria voluntate) *neque nocuit eius libero arbitrio, sed voluntarius advenit ipse atque sua bona voluntate.* Vnde inferius aliquoties: *Paulus voluntarie & ex proposito voluntatis venit. Deus nolentes non cogit sed volentes trahit. Qui trahit, volentem trahit. Nullum cogit, sed si ipse vult. Nullum vi & necessitate Deus adigit. Non omnium voluntas eius voluntati obsequitur neque ab eo aliquis cogitur. Si spontanei & volentes fuerimus: involuntarios enim & refilientes, neque vi neque necessitate cogit.* Nimirum, ut præmiserat, *ne necesse libero arbitrio,* quo hominem in sua institutione donavit. Eodem modo & alijs locis. *Quomodo igitur, inquis peccant animæ? Volentes, sponteque ac seipsas iniuria afficientes peccant, non coactæ neque tyrannide oppressæ.* Nunquam videlicet interitum libertati timet, nisi à necessitate violentiæ atque coactionis: qua absente, satis ei est, quod sponte volenteque peccant & benefaciunt. Nam illa absente semper est homo sui Dominus, semper habet actum in sua potestate, quia fit si voluerit: quæ est juxta sanctum Augustinum ipsissima descriptio libertatis. Qua consideratione statim iterum adjcit: *Vnde perspicuum est quod in nobis situm est, ut vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius* (diaboli) *consilijs, nec ullam necessitatem neque tyrannidem patimur ab illo.* Multa similia ex eodem Chrysostomo produci possent, sed ista sufficere videntur, ut intelligamus eum non aliam necessitatem, nisi violentiæ & coactionis liberæ voluntati formidasse.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus eandem quoque solam necessitatem coactionis à libera voluntate separat, quando primum dicit: *Omnis quæ in cœlis est rationalis & mentalis creatura, liberum habet motum ad faciendum quæcumque voluerit, & propensio in unoquoque à* NECESSITATE *libera est.* Et à qua necessitate? Audi: *Itaque ut & nos quoque ad quodvis bonum sponte incedere-*

mus consilio, non coacte vivere super terram hominem permisit Deus. Itaque latius seipsum exponens declarat libertatem sublatam iri, si Deus hominem ineffabili potestate flecteret atque cogeret, quantumvis aliquo impetu vel cupiditate voluntaria in bonum ferri videretur: *Itaque si ineffabili quadam & divina virtute & efficacia usus mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset postea bonum a quo agerrime discedere posset,* ET NON SPONTE, *ultra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis & cupiditatis non voluntaria.* Quia videlicet impetus ille impressus non procederet à voluntate, & ideo non esset liberi arbitrij motus sed vi necessitatis extortus. Vnde subjungit, quod si Deus sic facit, *Tarde quasi dato consilio vix tandem reducit ut servet genus* (hominum) *& transfert* NON LIBERE, SED COACTE *potius ad hoc ut videri debeant fideles.* Vere enim non essent fideles, sed esse viderentur, quia non sponte & sua voluntate crederent, sed coactitio impulsu rapti credere viderentur, cùm tamen animo ferrentur aut ferri ponerentur invito. Cujusmodi impetum & coactionem repugnare libertati sæpe tradit, in libris de adoratione in Spiritu & veritate. Nam frequenter ibi inculcat illas actiones homini liberas esse, *quæ sunt in hominis potestate, quarum penes nos facultas est, quarum arbitrium & motus est in hominis potestate,* quod *facit cum visum fuerit:* quæ est ipsissima definitio sancti Augustini. Semper vero illi opponit, *non esse nobis voluntarium, agi tanquam necessario quodam vinculo quo imperantibus placet; ab aliorum nutu pendere; esse à nostra potestate alienum; præter voluntatem & ex necessitate impelli: pervim impelli ad bonum aut malum;* ac *non esse in nostra potestate:* quæ nihil aliud significant quam id ipsum quod idem Augustinus tradidit liberæ voluntati repugnare, nempe ita ex necessitate fieri ut fiat nolentibus nobis: *Vbi autem disciplina doctrinaque adest, non vi sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris quod ex charitate erga nos præstatur, non vi Christum fideles agnoscunt. Non enim possumus secundum Ecclesiæ veritatisque dogmata liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) ullo modo negare. Ita iusti quidem præmijs propter iustitiam afficiuntur; qui vero male vixerunt, non iniuria puniuntur.* Quod sanè nullo modo sequitur, si libertas aliter nisi sola vi & coactione tollatur.

Lib. 4. de ador. in spir. & verit. fol. 406. & 407.

Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 7.

CAPVT XIII.

Post Augustinum idem docuerunt omnes usque ad Scholasticos, & primo sanctus Prosper & Fulgentius.

SED post Augustini tempora ita constans fuit omnium illa sententia superius explicata, quam Augustinus antè tradidit, ut nemo, quod sciam, inventus fuerit in Ecclesia latina per annos octingentos qui dissenserit. De Prospero & Fulgentio non potest esse dubitatio. Cùm enim essent acerrimi & accuratissimi doctrinæ cælestis ejus defensores, nec ab ejus tramite quantum ad gratiam & liberum arbitrium attinet, vel ad latum unguem discessisse reperiantur, fieri non potest ut eam in re præcipua deseruerint.

Et

Et quamvis coacti non fuerint eam tam ex professo tradere ut Augustinus fuit, eo tamen tota eorum doctrina collimat. Hinc illud quod ex fonte doctrinæ istius hausturn est: *Divino iussioque inducto actum, ut quæ fuit* (Angelis) *manendi voluntas, fiet et permanendi voluntaria felixque necessitas.* Nam ipsa pænè verba sunt, quibus a Augustinus libertatem beatæ fruentisque voluntatis Angelorum explicuit. Hinc illa definitio liberi arbitrij: b *Liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus.* Quæ definitio non requirit aliud ad libertatem, nisi ut rem placitam sponte velit aut appetat, nulla cujusquam indifferentiæ habita ratione. Quæ sanè definitio ab Augustini principijs hausta videtur, & à plurimis approbata. Nam illa quam Magister & alij multi Augustino tribuunt, *facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia abstistente, vel malum eadem desistente, non aliud indicat.* Omissis enim illis particulis, *gratia absistente, & eadem desistente*, quæ ad explicandam libertatis essentiam nihil faciunt, remanet illa definitio, qua bonum vel malum eligitur. Quod Augustinus etiam sæpè confitetur. Sed hoc etiam Deo & Angelis jam beatis & damnatis convenit. Illi enim eligunt bonum, hi malum, utrique maximè voluntario electionis motu. Nec aliud sibi vult illa Auctoris hypognostici, arbitrium ideo liberum dictum, *quod in sua sit positum voluntate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus.* Nec aliud illa Bernardi: *Est potestas faciendi quod vult,* quam Albertus etiam magnus ut Bernardi profert, alibi Boetio tribuit. Nec aliud illa Sancti Petri ex itinerario Clementis apud eundem Albertum: *Facultas se convertendi ad quos voluerit actus*; nec aliud illa communis, *Facultas rationis & voluntatis*; nec aliud illa Hugonis qua libertas arbitrij dicitur esse, *ut in sua substantia eligat cogitatione quod vult.* Quæ ex Auctore libri de Spiritu & anima apud Augustinum sumpta est; ex quo fit ut Augustino à nonnullis licet perperam tribuatur. Nec aliud illa Alexandri de Hales dum Angelum dicit esse liberum, *quia potest facere quod vult, vel quia potest velle quod vult.* Omnes enim isti volunt, omnem rationalem voluntatis motum esse liberum, quia est motus quem voluntas habet in potestate, utpote per eum eligens & faciens id quod vult; ubi primo & maximè est ipsum velle, ut Augustinus loqui solet. Quod ergò dicit Prosper, rei placitæ appetitus, nihil est aliud quam voluntas ejus quod rationali consideratione expensum placet. Per quod omnes illi primi motus sive boni sive mali concupiscentiæ à voluntate libera separantur. Nam placere juxta phrasin Augustino frequentissimam, est consideretionis rationalis, ut distinguitur contra id quod lubet, seu quod impetu quodam irrationali & motu primo, ut nos loquimur, allubescit: ut patet ex illo libri primi ad Bonifacium: Vt per illud (liberum arbitrium) *peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eis lubet.* Id est, hoc rationali voluntatis motu approbant & eligunt, quod eis irrationali impetu lubet. Et infrà: *Absit ut carnis concupiscentiam mordinata commotione surgentem aut illis menti placeret consentiendo satiare, aut illi quasi necesse esset dissentiendo cohibere.* Et paulò antè in eodem libro: *Peccata fiunt sive eius* (concupiscentiæ) *consensionibus cum ab eo quod lubet, vincitur id quod placet, sive cum per ignorantiam malum quasi bonum placet.* In quibus locis placitum refertur ad consensum voluntatis in id quod rationali consideratione comprobaverit. Vt non sit opus illa terreri larva, qua nonnulli verentur, ne primi motus fiant liberi, neve homines in bruta redigantur, & similes consequantur absurditates, quæ tam parvi momenti sunt, ut refutatione non mereantur. Quis enim sine extrema stoliditate imaginetur, beatos Angelos & homines si ab illa instabilitate libertatis & voluntatis extrahantur, quæ malorum omnium causa fuit, & plenissima, luminosissima, consideratissima summèque complacita voluntate immobiliter adhæreant summo liberi arbitrij bono, in bruta brutalesque impetus commutari? Deumque denique ipsum justitiam suam incommutabili voluntate diligentem instar bruti incitari, quo nihil magis blasphemum dici potest. Hebetes illæ cogitationes sunt hominum non satis penetrantium, quod voluntas quæ in bono per indifferentiam electo sit immutabilis, non bruta sed maximè rationalis redditur. Nam etiam tum cum voluntas lucidissima præeunte ratione in bono immobiliter figitur, longè major est distantia à brutali impetu animantium, quam quando cum indifferentia ferebatur. Tunc enim maximè rationabiliter id eligit, quod eligendum esse Dei ipsius lumine, hoc est, ipsa æterna veritate illustrata judicat, & super ipsum actum reflectendo, quod bruta nequeunt, seipsam ad eligendum movet, & omne contrarium detestatur. Vsque adeo, ut idem planè sit in tali arbitrio, voluntatis & electionis modus, ac si esset adhuc eadem, quæ in hac vita adhærebat, indifferentia. Nisi fortè velint hujusmodi Auctores cogitationum, modum agendi voluntarium in brutalem magis magisque commutari, quoties crescente pietatis & virtutis, vel etiam improbitatis habitudine, vel gratia cælitus potentissimè radiante, in bonum aut malum tanta stabilitate figuntur, ut altera pars eis pænè impossibilis esse videatur. Impossibilis, inquam, non illa impossibilitate quæ nolendo superari nequeat, sed illa qua summa consideretionis rationalis deliberatione præcedente, judicat constantissimè appetendum esse quod antè inconstanter appetebat. Dum enim crescit cognitio boni & convenientis appetenti, & cessat averhio quæ antè voluntatem à volendo retrahebat, crescit & judicium practicum appetendi, & rationalis impetus hoc volendi. Sed de his alias fortasse latius. Nunc satis est ostendisse Prosperi doctrinam eandem esse quę fuit Augustini, dum ad veram libertatem arbitrij,

Prosp lib. 1. de vita contemplativa.

a *Lib. 1. op imper cont. Iul. f 154.*
b *Contra Collat. c. 18.*

Lib. 3. c. 4.

Albert. Magnus in 2. dist 25. a. 3. in 2. parte sum. de lib. arbit.

Hugo lib. 1. de anim. c 32. Lib. de Spir. & anima c. 48.

De Hales 2. parte q. 89. memb. 1. a. 5.

Lib. 1. ad Bonifac. c.

Cap. 19.

Cap. 18.

arbitrij, nullam omnino indifferentiæ rationem habet. Quem sensum ejus qui plenissime perspectum habere velit, legat ea quæ prolixe ex ipso infra prolaturi sumus libro octavo de gratia Christi.

Vide lib. 8. de gratia Christi Sal. vat. cap. 10.

Neque vero sanctus Fulgentius dissentit ab Augustino. Nam & ipse doctrinę istius quamvis non expressa verba, quia necessitas non postulabat, lineamenta tamen quædam non obscura in scriptis suis expressit, dum & ipse sicut Augustinus, eò perducendum esse docet A liberum arbitrium per gratiam Christi, ut *peccare desineeps omnino non posset, si non peccaret donec peccare potuisset.* Nam Augustiniana phrasi adjicit: *Primus homo accepit quidem gratiam, qua posset non peccare si peccare nollet, nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset.* Vbi verbis utitur Augustini libertatem futuræ vitæ commendantis, sed loco vocabuli (libertatem) poni (gratiam) idem tamen omnino utriusque sensus est.

Lib. de incar. & grat. cap. 12.

CAPVT XIV.

Venerabilis Beda.

INTER Latinos Venerabilis Beda non postremus est, qui à libertate arbitrij, solam illam necessitatem violentiæ, quæ scilicet velimus nolimus operatur effectum suum, excludit: idque non semel aut iterum quasi per transennam ei excidit, sed iterum iterumque diligenter inculcat. Nam de primi hominis libertate tractans: *Videndum est*, inquit, *qua libertas illius arbitrij fuerit. Arbitrium certe liberum fuit, quamdiu sua potestatis extitit, ita ut nulla vi cogente nec Dei nec diaboli, quod vellet bonum seu malum faceret. Sed cùm liberum esset hoc respectu, quod à nullo Domino nulla vi poterat ut vellet aliquid aut nollet, per se tamen debile erat.* Et cùm dixisset per peccatum primi parentis totum orbem servum esse factum peccati, sic pergit: *Venit Dominus nos pristino restituens gradui, reddens arbitrium patrimonii, liberum sicut prius à vi extranea, sed novâ debilitate propria ut nemo sit qui de se præsumat.* Ecce asserit libertatem à B vi extranea, admittens infirmitatem qua in alteram partem homo pronus urgetur, ut ostendat ei constare arbitrij libertatem.

In lib. retract. quæst.

Hinc statim ad illam veterem quæstionem dissolvendam venit, quomodo libertas arbitrij possit cum divina prædestinatione consistere, nec aliam in ea difficultatem movet, nisi quia videtur afferri necessitas violentiæ: *Si*, inquit. *præordinat vitam bono, & mortem malo videtur vim inferre libero arbitrio, quia cum prædestinatio sua falli non possit, necesse est, ut malus sit, quem prædestinavit ad mortem, & bonus sit quem prædestinavit ad vitam.* Vides hic libertatis interitum à necessitate formidari. Sed à qua necessitate? *Et si necesse est hunc esse bonum & illum malum, perijt ergo liberum arbitrium, quod necessitate cogitur.* Vis planius? *Quod si arbitrium non est liberum, sed cogitur necessitate.* Vis adhuc inculcatius & invictius? *Non est culpandus ille qui velit nolit peccat; neque laudandus qui velit nolit bene agit, sed laus & culpa soli cogenti est imputanda.* Et aliquanto inferius objectionem ita solvit, ut solam vim cogentem ab arbitrij sive bonorum sive malorum libertate submoveat, nihil omnino de quavis alia Dei in humanum arbitrium operatione solicitus: *Prædestinatio Dei*, inquit, *nullâ vi cogit nos ad bonum vel malum.* Itaque paulo post de malorum arbitrio: *Coëgit nos Deus ut mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potius nos coegimus cum ut nos malos videret.* Et de libertate bonorum iterum: *Sicut ergo prædestinatio ad mortem non cogit malos ut pereant, sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos ut salventur. Sed cùm Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit ut ipsa sua prædestinatio meritis & precibus nostris obtineatur.* Quibus ultimis verbis divinæ gratiæ operationem in liberum arbitrium tangit, cujus Beda studiosissimus adversus Pelagianos & castissimus assertor fuit. Nec tamen aliam libertati ruinam timet nisi per vim, qua velint nolint salute potiantur. Vix potuisset evidentius Beda sensum suum de necessitate & libertate promere, etiamsi de industria suum omne studium eo contulisset. Nominat *vim, violentiam, coactionem, necessitatem*, non quamlibet, sed quæ *veamus nolimus* operatur effectum suum, ut ipsdem pene verbis quibus Augustinus suam sententiam exprimat. Ille enim, ut sæpe diximus, illam solam necessitatem libero arbitrio timet, *quæ etsi nolimus, efficit id quod potest.*

Ibid.

Lib. 5. de Civit. cap. 10.

CAPVT XV.

Sanctus Ioannes Damascenus.

SED nullus est pænè antiquorum qui magis existimatur esse adversarius illi sententiæ, cujus auctorem sanctum Augustinum esse diximus, quam sanctus Ioannes Damascenus, quare sententia ejus paulo accuratius exploranda est: fortassis enim patebit, vix quenquam esse antiA quorum qui magis ad Augustinum accesserit. Nemo igitur quasi adversus Augustinum, proferat, quod dicat sæpius, per liberum arbitrium nos habere actus nostros in nostra potestate, in nobis, in arbitrio nostro, vel quod in idem redit, esse nos dominos actuum nostrorum per arbitrij libertatem. Hæc enim non solum

admittit libenter Augustinus, sed expresse docet, & ut late vidimus, in hoc ipso principio ita expositio ut divinæ gratiæ non repugnet, velut basi suam sententiam collocat. Per hæc ergo ipsa nihil aliud indicat Damascenus, nisi liberum arbitrium actus suos cùm vult, exsercere, cùm vult, cohibere; ubi maximè & primitus est ipsum velle & nolle, prout supra in Augustini sententia exposuimus. Quapropter Augustino non dissentire Damascenum patet

Primò quia liberum arbitrium nihil aliud esse docet quam voluntatem, ita ut eodem modo quo Augustinus passim liberum arbitrium voluntatis, & voluntatem idem omnino existimare videatur: *Cum divina natura suapte natura liberum arbitrium, volendique facultatem habeat,* Lib. 3. Orth. fidei cap. 27. *homo quoque ut ipsius imago, arbitrij libertate volendique facultate naturaliter præditus erit. Quippe Patres liberum arbitrium voluntatem esse definierunt.* Quod enim voluntatem in sua generalitate sumptam liberum arbitrium esse sentiat, ex eo liquet quod statim ita subjungat: *Enimvero cum voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam, sed liberam dicimus* &c. Necessitatem autem intelligit coactionem. Nam statim dicit, neque divinam, neque creatam naturam intellectualem *nihil coactum habere*: neque Deum etsi natura Deum, & bonum, necessario esse Deum & bonum: *Ecquis enim ei hanc necessitatem imposuerit?* Ex quo fit ut expressissimis verbis dicat: *Arbitrij porro libertas* Ibid. *nihil est aliud quam voluntas.*

Secundò quia docet, hominem hoc ipso esse liberum, quo rationalis, quia videlicet ex hoc ipso quo utitur consideratione rationali non sensitiva, necesse est voluntatis motum consequentem esse liberum: *Arbitrij libertas rationi* Lib. 2. Orth. fidei c. 27. *annexa sit necesse est. Aut enim rationis particeps homo non erit, aut si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium & potestas futura est.* Quod nisi de singulis actionibus quibus præluceat ratio, non est verum, nihil efficit. Et paulo post: *Ad hoc sciendum Angelos utpote ratione* Lib. 3. c. 14. *præditos, liberi arbitrij esse.* Et libro tertio: Nam *si voluntas*, quam ut jam citavimus, non coactam, & liberam esse definierat, *rationis particeps est, utique & libera.* Et apertissime in libro de duabus Christi voluntatibus: *Voluntas est* Lib. de duab. Christi voluntatibus. *appetitio cum sensu* (græce vitalis) *atque ratione*, id est, vitalis & rationalis. *At perea quidem animantia quæ ratione carent, cum sensu non cum ratione, neque libere appetunt. Homo autem qui rationis est particeps, qua ex parte animal est, cum sensu appetit; qua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberoque habet appetitus.* Hinc est quod voluntatem seu volitionem semper definiat esse motum rationalem, ut à brutorum impetu distinguat. Nam in eodem libro: *Est igitur voluntas naturalis quædam appetitio rationi sensuique consentanea* &c. Et libro se- D cundo Orthodoxæ fidei: *Voluntas est rationalis* 2. Orth. fid. c. 22. *& vitalis appetitus. Quocirca βούλησις quidem nihil aliud est quam ipsa naturalis vitalis & rationalis earum omnium rerum quibus natura constituitur atque conservatur appetitio ac simplex tantummodo facultas. Etenim brutorum animantium appetitus, rationis* A *expers cum sit, voluntas nullo pacto dici potest.* Et expresse βούλησις (quam, inquit, *deliberantem voluntatem vocant*) ab electione proprie dicta distinguit. Ex quibus valde manifestum est, autore Damasceno, cur impetus illi non rationales, quibus homo percellitur non sunt ullo modo liberi, quia videlicet non sunt rationales. Eandem doctrinam ibidem iterum, sicut & alibi sæpius tradit.

Tertiò non solum docet, hominem hoc ipso quo rationalem, esse liberum, sed etiam motus ejus hoc ipso quo rationales esse liberos, & à brutorum actionibus distingui. Nam cùm libro secundo docuisset bruta solâ naturali appetitione & impetu duci, & propterea eorum appetitionem, non posse vocari *voluntatem*, neque *naturalem* videlicet, quam ipse ibidem docet esse finis, neque *deliberantem* quæ est mediorum, rationem adijcit: *Voluntas siquidem est ra-* B *tionalis & naturalis atque à libera potestate manans* Ibid. *appetitio. At in hominibus utpote ratione præditis, naturalis appetitio non tam ducit quam ducitur. Meâ enim ac liberâ potestate, & cum ratione movetur, quod videlicet vitales* (id est, appetitivæ) *& in cognitione sitæ facultates in homine connectæ sint. Ac proinde liberâ potestate appetit, vult, quærit, considerat, deliberat, judicat, assicitur, eligit, ad agendum fertur* &c. Vbi nihil apertius dici posset, quam omnes omnino motus hominis, quà rationalis à primo appetitu finis usque ad executionem mediorum, esse liberos, idque ideo quia potestas appetitiva & cognitiva rationalis junctæ sunt. Et libro tertio ejusdem operis: *Peculiaris porro vegetativæ est motus ille in quo* Lib. 3. c. 14. *inest vis alendi, augendi, ac gignendi: sensitivæ, internus motus: rationalis atque intellectualis, agnatio ea quæ in arbitrij libertate sita est. Quare si vegetativæ naturaliter inest motio ea, in qua vis alendi in-* C *est, & sensitivæ item internus motus, naturaliter etiam & rationali & intellectuali inest motus ille, qui ex arbitrij libertate existit.* Et mox subjungit: *Arbitrij porro libertas nihil aliud est quam voluntas.* Et libro de duabus voluntatibus, definiens voluntatem quæ est facultatis ipsius motus, *Voluntas*, inquit, *appetitio est eius quod ratione uti-* Lib. de duabus voluntatibus. *tur*, hoc est, naturæ rationalis, *naturæ consentanea.* Et aliâ definitione: *Itemque mentis imperatricis liber motus.* Non posset clarius declarare Damascenus, etsi hoc ex professo declarandum suscepisset, quod omnis voluntatis cum ratione motus, sit hoc ipso liber; sicut hoc ipso libera creatura, quà rationalis, ut proinde si quæ necessitas in motu voluntatis reperiatur, dummodo non sit violentia, nullo modo libertati ejus adversetur, dummodo rationalis motus voluntatis esse perseveret. Hoc ipsum tamen quod diximus eum sentire, adhuc uberius declaratur

Quartò, quia liberum eo modo definit esse id quod est in nostra potestate, sicut hoc Augustinus solemniter docuit, & supra quoque ex Damasceno vidimus. Quid sit autem in potestate, ex Augustino supra constitit. Porro ut etiam Damascenus declararet, quid esse, vel habere

habere in sua potestate, sue significationis amplitudine comprehenderet, docet ipse

Quintò id esse in nostra potestate, quod ultrò & sponte fit, scilicet voluntate atque ratione. Nam alioquin agnoscit aliquid & in brutis esse spontaneum, quod scilicet libenter, sed sine rationali consideratione faciunt. Sic ergo loquitur de spontaneo, & eo quod est in potestate seu arbitrij libertate. *Ea quæ fiunt, partim in nostra potestate sita sunt, partim minimè sita. In nostra potestate sunt ea quæ liberum est nobis facere vel non facere.* Id est, quæ facimus si volumus, ut definit Augustinus, sed quia hoc strictius vulgi sensu dictum esse videbatur, explicationis loco adijcit: *Hoc est, ea omnia quæ ultro & sponte facimus. Neque enim ea sponte a nobis fieri dicerentur*, scilicet rationalibus ratione utentibus & agentibus (nam actio apud ipsum definitur *operatio rationalis*, ita ut brutorũ actio non sit actio, quia non agunt sed aguntur) *si actio in arbitrio nostro minime posita esset.* Et hæc est causa cur Damascenus tum in eodem loco, tum alibi in eodem libro, id quod homo spontaneè facit, laudem & vituperationem comitem habere tradit. Porro ab hoc genere liberi & existentis in nostra potestate, statim distinguit, aliud genus liberi quod magis proprie tale vocari solet, de quo scilicet deliberamus: *Proprie autem*, inquit, *in nostra potestate consistunt ea omnia, quæ ad animum spectant, & de quibus deliberamus.*

Sextò ut intelligeremus, quid sit illud spontaneum, expresse opponit illud *coacto & invito.* Nam libro secundo fidei orthodoxæ: *Quoniam id quod sponte fit in quadam actione*, scilicet rationali, ut statim dicit, *positum est, id quoque quod invitè fieri censetur, in quadam etiam actione versetur necesse est. Et plerisque sunt, qui id quod quoq; quod quis invitus facit* &c. Et mox adijcit id quod sponte fit habere laudem vel vituperationem; & id quod invitè fieri per vim vel per ignorantiam à principio quod est extra. Sponte vero *quod nec per vim, nec per ignorationem efficitur.* Vnde definitionem ejus aliam subijcit, qua declaret se solum loqui de spontaneo, quo aliquid sponte facit creatura rationalis: *Sponte id fieri dicitur cuius principium & causam continet is qui agit, resque singulas per quas actio geritur & in quibus versatur quas Rhetores circumstantias appellant, compertas & exploratas habet.*

Septimò sicut coactum & invitum oppositi isti spontaneo creaturæ rationalis, ita eodem modo coactum seu violentiam opponit libero. Nam libro secundo cùm hominem voluntate liberum creatum esse docuisset, ut esset capax virtutis & vitij, rationem adijcit: *Neque enim virtutis nomen obtinere potest, quod quis per vim atque invitus efficit.* Quasi diceret, quod non efficit voluntatis libertate. Et libro tertio cum tradidisset, Christum habere voluntatem; *Enimvero* inquit, *cùm voluntatem dicimus, non eam coactam ac necessitate constrictam sed liberam dicimus* &c. *Neque enim divina solum & increata natura coactum nihil habet, sed ne intellectualis quidem & creata. Id quod hinc perspicuum est, nam cùm Deus natura bonus sit, & natura conditor, & natura Deus, haudquaquam hæc necessario est. Equis enim hanc ei necessitatem imposuerit?* Nihil luculentius afferri posset ad demonstrandum, quod liberam voluntatem opponit ei quod coactum est, & necessitate constrictum. Necessitate, inquam, non determinationis ad unum, sed illa quæ contra voluntatem est, ut ex declaratione de necessitate quam à Deo separat, apertissimum est. Quod ex illa significatione antiquis usitata fluit, qui non solent adhibere, imo abhorrent nomen *necessitatis* in divinis, etiam respectu actionum quas nos quam maxime necessarias, hoc est, ad unum determinatas dicimus, ut supra ex Augustini doctrina diximus. Quod quia non advertitur à recentioribus, in multas hallucinationes cadunt, dum audito nomine necessitatis, statim putant determinationem ad unum indicari. Sed opponunt Veteres *necessitatem* ei quod *est in nostra potestate.* Vnde Damascenus: *Hinc efficitur*, quia liberi arbitrij sumus, *ut actiones nostræ in nostra potestate sint. Alioquin si ex siderum motu cuncta facimus, sequitur ut ea quæ facimus, necessitate faciamus.* Et mox: *Si quidem omnia necessitate aguntur & feruntur, & supervacanea erit in nobis ea pars animi, in qua ratio est. Nam si nulla actio in nostro arbitrio & potestate sita est* &c. In qua oppositione quam & Augustinus fecit, necessitas est ea quam in simili argumento declinavit Augustinus ut salvaret libertatem; *quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit id quod potest.* Eâdem de causa sicut Augustinus (ut supra diximus) ita & Damascenus, naturam & id quod naturale est, opponit voluntati & illi quod est in nostra potestate, quia videlicet natura suum effectum etiam nobis nolentibus operatur: *Vires naturales & vitales hæ sunt, quæ ab animi inductione ortum non habent*, ubi naturales vocat vegetativas, vitales, ut arteriarum, inquit, pulsus: *Hæ namque*, addit ipse, *velimus nolimus, munus suum exequuntur.* Qua de causa paulo ante dixit, Deum esse *naturæ bonum, & naturæ Deum, haudquaquam tamen necessario.*

Hæc arbitror ad oculum ostendunt (tantùm studium contentionis absit) ovum ovo non esse similius quam Damascenum Augustino in hoc argumento de essentiali arbitrij libertate, imo nonnulla luculentius quam Augustinum expressisse, cùm tamen à recentioribus quam longissime ab illa sententia recessisse videretur. Sed jam non semel, neque sine animi dolore expertus sum, veteres auctores à quibusdam hominibus non discendi causa indifferenti animo legi, sed hoc uno duntaxat scopo ut suas præoccupatas opiniones, & quoquo modo defendendas, eorum auctoritatibus muniant. Ex quo fieri solet, ut quicquid quærunt in eis inveniant. Non enim id quod ipsi sentiunt, sed quod sensibus suis quaqua ratione blandiatur, arripiunt, & obtorto collo in suas opiniones trahunt.

Neque vero quisquam isti doctrinæ contrarium putet, quod subinde Damascenus dicat, liberi arbitrij esse deliberare & deliberatum

Lib. Orth. fid. cap. 26.

Ibid. c. 24.

Ibid.

Lib. 2. c. 7.

Lib. 5. de Civit. cap. 10.

Lib. 2. de fide Orth. c. 22.

Lib. 3. Orth. fid. c. 12.

Ibid. cap. 14

ratum eligere, vel non eligere, in potestate esse in hanc vel illam partem declinare, esse bonum vel malum prout visum fuerit, & similia; nam & Augustinus eadem, & forte instantius quam Damascenus docet. Nec tamen propterea sibi Augustinus adversus est. Nam vel de quodam genere actionum loquuntur in humanis moribus celeberrimo: vel si de omnibus intelligi malis, de omnibus vera sunt, eo modo quo supra ex Augustino exposuimus, & infra fortasse dicturi sumus.

CAPVT XVI.

Sanctus Anselmus.

VENIAMVS ad sanctum Anselmum, eruditionis & sanctitatis gloria celebrem. Nam & ipse istius doctrinæ sancti Augustini quam aperuimus sectator non postremus est. Docet enim & ipse aliquoties, necessitatem illam esse proprie, quæ est coactionis & nolentem premit: si qua sit vero quædam voluntaria necessitas & immobilitas, illam non esse proprie necessitatem, nec ullo modo repugnare libertati voluntatis. Itaque in libro secundo, Cur Deus homo, de immutabili, necessaria, & tamen libera Angelorum justitia cùm loqueretur:

Anſel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 10 *Impropriè dicitur necessitas ubi nec coactio ulla est nec prohibitio.* Hoc est, vis cogens nolentem & prohibens seu impediens volentem. Et multo inferius de Deo:

Cap. 17. *Nec dicimus Deum necessitate facere aliquid eo quod in illo sit ulla necessitas, sed quoniam est in alio sicut dixi, impotentia quando dicitur non posse. Omnis quippe necessitas est aut coactio aut prohibitio: quæ duæ necessitati & convertuntur invicem contrariæ, sicut necesse & impossibile.* Et fundamentum istius doctrinæ suæ tangens, cur scilicet ubi voluntas est, non sit necessitas & è contrario; ubi non est voluntas, ibi sit necessitas:

Cap. 19. *Omnis*, inquit, *potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico quia possum loqui vel ambulare, subauditur, si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas, sed necessitas. Nam cum dico, quia nolens possum trahi aut vinci, non est, nec mea potestas, sed necessitas & potestas alterius.* Ecce apertissime non agnoscit, eodem modo ut Augustinus, ullam proprie necessitatem quam illam, quæ ut Augustinus loquitur, etiamsi nolumus, efficit id quod potest. Ex quo principio infert Angelos etiam nunc libere servare justitiam, hoc est, bonam voluntatem suam, qua justitiam æternam, hoc est, Deum diligunt, nec enim alia est Angelorum justitia. *Hoc igitur modo*, inquit, *habet* (Angelus qui peccare non potest) *à se justitiam* (quia scilicet non abjecit eam quando abjicere poterat) *quia creatura eam aliter à se habere nequit, & idcirco laudandus est de sua justitia, & non necessitate, sed libertate suæ suæ est: quia impropriè dicitur necessitas, ubi nec coactio nulla est nec prohibitio.* Id est, vis cogens nolentem vel impediens volentem.

Secundo ex eodem principio deducit, Deum voluntate non necessitate esse justum, etsi peccare non possit, & inde laudandum esse, quia istud à se-ipso habet non ab alio: *Quapropter quoniam Deus perfectè habet à se quicquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, non ullâ necessitate, sed sicut supra dixi, propriâ & æternâ immutabilitate.* Et alibi declarans, hoc non tantum esse verum respectu operum temporalium, sed etiam respectu voluntatis istius qua suam veritatem diligit; *Nihil ibi* (in Deo respectu præteritorum) *operatum necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas quæ veritatem semper* (*quia ipse veritas est*) *sicut est, esse vult.* Lib. 2. Cur Deus homo cap. 17.

Tertio concludit, Christum Dominum justum esse proprie libertate non necessitate, cùm tamen justitia Christi in eo sita sit, quod æternam justitiam divinæ voluntatis à primo suæ conceptionis initio immutabiliter diligat: *Sic ergo homo ille qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit à se habebit* (nempe quia simul Deus est, ut statim explicat) *non necessitate, sed voluntate & libertate & à se-ipso justus est, & idcirco laudandus erit.* Et rursum de eadem Christi voluntate qua non potuit velle mentiri, velle servare vitam suam, præcepto de subeunda morte dato, ita loquitur: *Quoniam cum Christus mentiendi potestatem haberet* (si scilicet vellet etsi velle non posset, juxta doctrinam de potestate supra traditam) *hoc à seipso habuit, ut non posset velle mentiri: idcirco de sua justitia, quæ veritatem servavit, esse eum laudandum.* Et de potestate Christi servandi vitam suam: *Semper habuit potestatem servandi, quamvis nequiverit velle servare ut nunquam moreretur. Et quoniam hoc à seipso habuit, ut scilicet velle non posset, non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit.* In quibus omnibus nihil ad libertatem Christi requirit, quam quia à seipso habet quod velle non potest, hoc est, quia immutabiliter amat veritatem, justitiam, præceptum Patris à quorum non potest dilectione deficere, proinde non necessitatem sed immutabilitatem esse proprię voluntatis, quod in eodem capite sæpius repetit. Vnde tandem in fine: *Si ergo ideo vere erat morituras, quia hoc ipse sponte & immutabiliter voluit, sequitur illum non ob aliud non potuisse non mori, nisi quia immutabili voluntate voluit mori.* Et rursum inferius: *Non necessitate aut impotentiâ fieri vel non fieri dici debet aliquid, ubi neque necessitas nec impotentia quicquam operantur, sed voluntas.* Omnia ista duntaxat hoc scopo à me adducta sunt, ut ostendam sanctum Anselmum, nihil esse de Christi libertate sollicitum, dummodo ostendere posset eum suscepisse mortem, & non esse mentitum, non necessitate cogente vel prohibente, sed propria voluntate, quamvis impossibile fuerit, ut vel mentiretur, vel non morere-

Lib. 2. Cur Deus homo cap. 16.

Cap. 18.

moreretur.. Talis enim necessitas, si, ut Augustinus loquebatur, necessitas dici debet, non est premens sed fruens bono, quod diligit: non est necessitas sed volendi immobilis firmitas. Vnde Anselmus explicare volens quomodo Christus non necessitate, sed *sponte & indeclinabiliter* mortem sustinere voluerit, affert simile de ijs, qui potentissimo Dei tractu indeclinabiliter bonum volunt: *Quoniam*, inquit, *voluntati quisque ad id, quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconvenienter trahere vel implere dicitur Deus, cum talem voluntatem dat in quo tractu vel impulsu, nulla intelligitur violentia necessitas, sed accepta bona voluntatis spontanea & amata tenacitas.* Et hæc esse videtur causa, cur & in isto loco, & in eodem capite sæpius, & in primis libro secundo, & libro de Casu diaboli, sicut liberam voluntatem, ita spontaneam oppo ni necessitati. Et perpetuo libertatem Christi explicans, liberum cum eo quod fit sponte à voluntate confundit. Hinc explicans etiam libertatem Angelici casus: *Per suum arbitrium peccavit, quod sic liberum erat ut nulla alia re cogi posset ad peccandum, & ideo iuste reprehenditur, quia cum hanc haberet arbitrij sui libertatem, non aliqua re cogente, non alij suâ necessitate, sed sponte peccavit.* Quibus verbis solam necessitatem coactionis, velut libertati capitaliter adversantem, ab arbitrij libertate removet, quemadmodum hoc & ab antiquis Scholasticis eum sequentibus intellectum est, & ex ipsis verbis & ex subjuncta auctoris explicatione manifestum est. Solvens quippe objectam sibi difficultatem, quod homo cogente tentatione, & ideo non per liberum arbitrium justitiam deserere videatur, hoc totis viribus inculcat, quod non invitus ac nolens deserit: *Nemo illam deserit nisi volendo. Si ergo invitus dicitur nolens, nemo deserit illam invitus. Ligari enim potest homo & invitus, quia nolens, potest torqueri invitus, quia nolens, potest occidi: velle autem non potest invitus, quia non potest velle nolens velle. Nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Vbi clarissimum est, eum libertatem arbitrij explicando, solam contradictionem quæ oritur non ex simplici necessitate voluntaria, sed ex necessitate coactionis voluntatis expromere. Et cùm hoc uberius explicasset, tandem subijcit: *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subjicere non potest?* Ecce iterum libertatem in immunitate cogentis necessitatis collocatam. Et rem confectam iterum repetens, dicit à se ostensum: *Omnem rem liberam esse, ab ea re, à qua cogi non volens vel prohiberi non potest* &c. Et *quod tentatio rectam voluntatem non nisi volentem aut ipsâ rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet cogere potest* &c. *Cum ergo vincitur non alienâ vincitur potestate sed suâ.* Et infra: *Impugnare namque potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam.* In quibus semper libertas voluntatis in eo constituitur, quod nihil vult invita vel nolens, hoc est, quod expers sit omnis cogentis necessitatis.

Lib. 1. c. 10.

Lib. de lib. arbit. cap. 2.

Ib. de lib. arbit. c. 5.

Cap. 6.

Neque vero quicquam refert, quod sanctus Anselmus alibi libertatem illam humanæ voluntatis explicans, subinde indifferentiæ ad opposita mentionem faciat. Idem quippe sæpissimè Augustinus docet. Nec enim in omnibus actionibus & hominum statibus est idem libertatis modus, ut alibi dicturi sumus: quamvis eadem sit semper essentialis ratio libertatis.

Hu. Hall. 1. q. 29. mod. 1. ar. 2. nulla ver. sicut.

CAPVT XVII.

Sanctus Bernardus.

IAM vero videamus, quid sanctus Bernardus, quem de gratia & libero arbitrio sanissimè sensisse, & in hac materia ab Augustini, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ doctrina non recessisse constat, de arbitrij libertate docuerit. Quod eo studiosius præstandum est, quod sanctus Bernardus inter præcipuos auctores à plerisque recenseatur, qui distinguendo triplicem libertatem, à necessitate, à peccato, & à miseria, primamque docendo esse naturæ, alteram gratiæ, postremam gloriæ, veram naturalemque arbitrij libertatem, in sola immunitate à necessitate collocaverit. Quapropter quemadmodum distinctionem illam à sancto Bernardo traditam esse perspicuum est, ita nullum auctorem ab Augustini temporibus hucusque magis aperte, disertè, accuratè & efficaciter sancti Augustini doctrinam, quam supra demonstravimus, in omnibus ad unguem tradidisse certum est, & ita manifestum est, ut mihi nullo evidentiori exemplo ostendi posse videatur, quid valeat in indagandis & eruendis genuinis auctorum quorumcumque sensibus præoccupata sententia. Fatemur igitur ex S. Bernardi sententia, necessitatem repugnare libertati, & istam esse ipsius naturæ, non gratiæ, non gloriæ libertatem. Hoc enim sæpius in libro de Gratia & libero arbitrio docet Sed qui hoc afferunt, attendere, imo vel oculos tantum aperire debuissent, ut intelligerent quam necessitatem Bernardus intelligeret. Plurimis enim evidentissimisque argumentis ostendi potest, non aliam intellexisse necessitatem, quam eam quam S. Augustinus definivit, *quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus efficit id quod potest*, hoc est, necessitatem quæ voluntati repugnat essentialiter, neque aliud est nisi vis, violentia, coactio.

Lib. 5 de Civit. c. 10.

Nam in primis sæpissimè sanctus Bernardus docet, necessitatem illam, à qua liberum arbitrium dicitur, efficere ut non sit voluntarium

rium. Quam neceſſitatem certiſſimum eſt, non eſſe illam ſimplicem neceſſitatem qua ſimpliciter aliquid neceſſarium eſſe dicitur, & qua beatificus voluntatis amor neceſſarius eſt: *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas tam non eſſet. Vbi quippe neceſſitas iam non voluntas.* Et aliquanto inferius: *Eſt vero quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere poſſumus à neceſſitate, eo quod neceſſarium voluntario contrarium eſſe videatur. Si quidem quod ex neceſſitate fit, non tam ex voluntate, & è converſo ſimiliter.* Et adhuc inferius: *Vtrobique voluntas & ubique libertas, cedit quippe voluntati neceſſitas.* Hæc autem prorſus falſa ſunt, ſi ſimplex neceſſitas intelligatur, cum illa, juxta divi Auguſtini & ipſius Bernardi ſententiam in eodem libro, beatorum voluntati competat, qua jam amplius peccare non poſſunt, & Deum clare viſum voluntariâ quadam neceſſitate diligunt.

Lib. de grat. & lib. arb.

Secundo hanc ipſam neceſſitatem diſertiſſimis verbis declarat ſæpe eſſe violentiam, qua fit ut homo cogatur velle & conſentire, hoc eſt, ut invitus velit. Quod cùm implicet contradictionem, implicat ſimiliter voluntatem ſua ſpoliari libertate. Nam ſtatim in initio libri ſui, cùm dixiſſet, conſenſum voluntarium nos à beſtijs diſcernere, eſſeque habitum liberum ſui, ſtatim explicat uberrime & clariſſime quo pacto hoc accipi velit; *Siquidem*, inquit, *non cogitur* (ſcilicet conſenſus) *non extorquetur. Eſt quippe voluntatis non neceſſitatis. Nec negat ſe, nec præbet cuiquam niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt non voluntarius. Vbi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non eſt enim conſenſus niſi voluntarius. Vbi ergo conſenſus, ibi voluntas. Porro ubi voluntas ibi libertas. Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.* Etiamſi nihil diceret amplius ſanctus Bernardus, non deberet ulla de ſenſu ejus eſſe dubitatio. Sed eandem ſuam mentem tanta inculcat diligentia, ut omnino ne quis perperam neceſſitatem quam à libertate excludit, intelligeret, ſollicitus eſſe videatur. Quam enim aliam neceſſitatem libertati contrariam, niſi violentiæ, ſeu quæ præter voluntatem accidit, intelligi ſinit id quod dicit? *Nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec ſenſus obtuſus, nec vita languens, reum per ſe ſtatuent hominem, ſicut nec contraria innocentem, & hoc non ob aliud, niſi quia hæc neceſſario*: & quid iſtud? *Ac præter voluntatem poſſe provenire probantur. Sola ergo voluntas quoniam pro ſui ingenita libertate aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquo conſentire nullâ vi, nullâ cogitur neceſſitate, non immerito iuſtam vel iniuſtam, beatitudine ſeu miſeriâ dignam ac capacem creaturam conſtituit.* Ecce ingenita libertas eſt nullâ vi, nullâ neceſſitate cogi, ut conſentiat, quin ipſa ſit quæ conſentiat ſibi, ac non diſſentiat ſibi. Ipſa enim erit quæ volet ſi vult. Et quam aliam neceſſitatem tanquam libertati inimicam intelligi ſinit id quod iterum dicit? *Quomodò namque ad bonum converſus, per gratiam humanæ voluntatis conſenſus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius aſſicitur, non invitus pertrahitur: ſic ſponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quam ſponteneum conſtituit, ſuaque utique voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus ſit.* Et quam aliam neceſſitatem tanquam inimicam libertati, quam illam extrinſecus cogentis violentiæ intelligi ſinit, id quod mox adhuc manifeſtius dicit? *Et ſicut cæleſtis Angelus aut etiam Deus ipſe permanet liberè bonus, propriâ ſcilicet voluntate, non aliquâ extrinſecâ neceſſitate, ſic profecto diabolus æque liberè in malum & corruit & perſiſtit, ſuo utique voluntario nutu, non alieno impulſu.* Quam vero aliam intelligi ſinit neceſſitatem, niſi illam jam dictæ violentiæ, id quod ſtatim ſequitur? *Quod autem homines ſolent conqueri & dicere volo habere bonam voluntatem & non poſſum, nequaquam huic præſcribit voluntatis libertati, ut quaſi vim aut neceſſitatem in hac parte patiatur voluntas, ſed plane illâ libertate quæ dicitur à peccato, ſe carere teſtantur.* Quod probat ex eo: *Nam qui vult habere bonam voluntatem, probat ſe habere voluntatem.* Hoc eſt, habet voluntatem ergo, non neceſſitatem. Et quam aliam neceſſitatem niſi cogentis violentiæ vel pervicaciſſimum quemque intelligi ſinit, id quod de Deo ipſo ac dæmonibus profert, ut eos probet habere arbitrij libertatem? *Ceterum nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille eſſe non poteſt malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas ac voluntaria obſtinatio.* Et quam aliam niſi violentiæ neceſſitatem intelligi ſinit id quod de Dei libertate explicationis loco adjungit? *Hac ſanè dignitatis prærogativa rationalem ſingulariter creaturam conditor inſignivit, quod quemadmodum ipſe ſui iuris erat, ſuaque ipſius voluntatis* (id eſt, libertatis) *non neceſſitatis erat, quod bonus erat: ita & illa quoque ſui quodammodo iuris in hac parte exiſteret, quatenus non niſi ſuâ voluntate,* id eſt, libere, *aut mala fieret & iuſtè damnaretur, aut bona maneret & merito ſervaretur.* Et ut intelligeremus quo pacto ſuâ voluntate ſeu libertate, audi id quod ſequitur: *Non quod ei propria poſſet ſufficere ad ſalutem voluntas, ſed quod eam nullatenus ſine ſua voluntate conſequeretur. Nemo quippe ſalvatur invitus.* Et quam aliam neceſſitatem intelligi ſinit, id quod explicando Scripturas Euangelicas, *Trahe me*; *Invenio aliam legem in membris captivum me ducentem* &c. Exponendo dicit: *Hæc omnia putari poſſunt cogere voluntatem & præripere voluntatem. At vero quantiſlibet quis intus foriſve tentationibus urgeatur, libera profecto ſemper, quantum ad arbitrium ſpectat, voluntas erit: libere quippe de ſuo nihilominus ſenſu iudicat.* Et quam aliam neceſſitatem libertatis inimicam, quam illam cogentis violentiæ intelligi ſinit id quod ſibi contra totam ſuam præcedentem de libertate diſputationem velut contrarium objicit? *Quid ergo? Forte diſſoluta eſt tota ſuperior aſſertio de libertate voluntatis; quia nimirum inventa eſt cogi potuiſſe voluntas*, ſcilicet quia Petrus compulſus fuit Chriſtum negare. Cui difficultati reſpondet: *Eſt plane* (hoc eſt, tota diſputatio præce-

præcedens qua probavi voluntatem à necessi-
tate esse liberam dissoluta est, & plane corruit)
sed si cogi ab alio potuit quam à seipsa. Quod si se-
ipsa coëgit compulsa & compellens, ubi amittere, ibi
recipere visa est libertatem. Vim quippe quam ipsa
sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas
pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit,
iam non ex necessitate sed voluntarium. Si autem vo-
luntarium, & liberum. Ne verò quisquam quan-
tumlibet tardus, obtusus, ac pervicax de Ber-
nardi mente dubitet, quam aliam necessitatem
libertati contrariam nisi violentiæ intelligi si-
nit, id quod denique rem à fundamentis ex-
plicando subjungit: *Est sanè gemina compulsio*
(id est, coactio) *secundum quod aut pati aliquid*
aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Qua-
rum passiva quidem (sic enim prior illa rectè nomi-
natur) potest nonnunquam fieri absque consensu vo-
luntario patientis sed activa nunquam. Proinde ma-
lum quod fit in nos sive de nobis, non est imputandum
nobis, si tamen invitis. Ceterum quod fit & à nobis,
iam non sine culpa est voluntatis. Velle planè convin-
cimur, quod non fieret si nollemus. Est ergo compul-
sio quædam etiam activa, sed non habet excusationem,
cum sit & voluntaria. In his tot & tam eviden-
tibus testimonijs quibus totus ille liber plenus
est, accuratissimè satiatissimèque declarat
sanctus Bernardus, quam necessitatem exclu-
dat à libertate, nempe vim, violentiam, com-
pulsionem, coactionem eam qua quis invitus
est, qua non vult, qua non est voluntarius.
Quæ sanè causa est; ut in solis illis adductis
locis creberrimè necessitatem illam opponat
voluntati, & necessarium voluntario, ut atten-
tè lector per se facilè sine mea repetitione ob-
servaverit. Quamobrem ut neminem latere
posset, quam necessitatem à libertate secludat,
declarat ipse.

Tertiò illam se removere, quæ faceret ut
duo contradictoria se non perimerent, sed si-
mul in sua veritate consisterent, videlicet, ut
homo simul vellet & nollet, consentiret &
non consentiret. Hoc autem certissimum est
non esse necessitatem illam (si tamen necessi-
tas dici debet) qua dicitur voluntas velle ne-
cessario, sed solam necessitatem coactionis, quę
semper invitum & nolentem esse supponit.
Hoc clarè indicat locus iste quem proximè
produximus: *Ceterum quod fit & à nobis* (dum
scilicet cogi dicimur aliquid facere) *iam non*
sine culpa est voluntatis. Velle planè convincimur
quod non fieret si nollemus. Verba sensumque
usurpat sancti Augustini, quem ex libris
de Civitate Dei sumit, ubi de voluntatis
libertate disputat. Quasi diceret Bernardus:
Non cogitur hoc ipso quo volumus, & proin-
de non est verum quod coacti sumus & volu-
mus. Hoc clarius indicat quando dicit: *Si*
horum quodlibet prohibente ratione voluntas non pos-
set, voluntas iam non esset. Ubi quippe necessitas
iam non voluntas. Quomodo, quâ ratione, quo
pacto, nisi quia necessitas illa Bernardi est coa-
ctio? Illa quippe sola non illa voluntaria ex-
cludit consensum voluntatis; quod ipse expli-
cat cum statim annectit: *Quod si ex necessitate*
& absque consensu propria voluntatis mala bonave
fieri possit rationalis creatura &c. Ecce quid sit
ex necessitate, videlicet absque consensu pro-
priæ voluntatis. Hoc denique apertissimè de-
clarat, quando rei ipsius radices tangens, di-
cit: *Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium, &*
si quæ talia sunt, eo ipso subiacent necessitati quo non
planè subdita sunt voluntati. Ipsam vero (volun-
tatem) *quia impossibile est de seipsa sibi non obedire*
(nemo quippe non vult, quod vult, aut vult quod non
vult) etiam impossibile est sua privari libertate. Po-
test quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam vo-
luntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergo
non potest privari illa (libertate) *quam nec seipsa.*
Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut
velle aliquid & non voluntate, poterit & carere liber-
tate. Et rursum idem repetens: *Sola ergo vo-*
luntas, quoniam pro sui ingenita libertate aut dissen-
tire sibi, aut præter se in aliquo consentire, nullâ vi,
nullâ cogitur necessitate, non immerito iusta &c. Et
alio in loco interpositis multis evidentissimè:
Videamus &c. *ne fortè iuxta hanc assertionem, aut*
culpa non fuerit, quod vel voce negaverunt, aut cogi
in culpam & voluntas potuerit, ut vellet videlicet ho-
mo quod eum & nolle constiterit, & sic perierit libe-
rum arbitrium. Quod quia impossibile erat (*velle*
quippe & nolle idem eodem tempore non poterat) *qua-*
ritur &c. Vereor ne quicquid adjecero obscu-
riorem Bernardum faciat. Tantâ quippe ma-
nifestatione sensum suum aperit, ut mihi nulla
videatur subtilitatis arte tegi, nulla tergiver-
satione eludi, nulla impudentia negari posse.
Nam & hic iterum Augustini verbis utitur,
qui similem omnino necessitatem involunta-
riam, velut libertati repugnantem removere
volens, & eandem omnino contradictionem
sequi docens, si *sub tali necessitate* voluntas po-
neretur: *Multa enim facimus*, inquit, *quæ si nolle-*
mus non utique faceremus. Quo primitus pertinet &
ipsum velle. Nam si volumus est, si nolumus non est.
Non enim vellemus, si nollemus. Et quamvis ista
meritò cuivis non præfractæ sententiæ abundè
videantur esse satis, ut tamen totius doctrinæ
sancti Bernardi consonantia plenius percipia-
tur, non gravabor adhuc paulisper sensibus
ejus enodandis immorari. Nam si quis dili-
genter attenderit ea sola quæ produximus,
facilè videt, quæ corollaria ex eis nexa conse-
quantur. Etenim si talis est libertas voluntā-
tis *ut tam non possit privari illa*, sicut Bernardus
loquitur, *quam nec seipsa*, quia quicquid volue-
rit semper erit cum aliqua voluntate, ideoque
cum libertate, manifestum profectò erit, ta-
lem libertatem ex hoc ipso nasci quo creatu-
ra rationalis est; esse liberum omnem volunta-
tis rationalis motum, hoc ipso quo voluntā-
rius, amitti à voluntate non posse libertatem,
in Deo Angelis & hominibus esse parem, quia
pariter coactionis, hoc est, contradictionis ex-
pertem. Quæ sicut certissimo sequi, quisquis
non est cœcus, perspicuè videt, ita & sanctus
Bernardus ipse, suæ doctrinæ inseparabili-
ter juncta esse non dubitavit, non negavit,
non occultavit, sed expressis verbis docuit,
ne quis nos in ejus doctrina intelligenda vel

Lib. 5. de Civit. c. 10.

proponenda fortasse falli arbitretur. Itaque

Quartò indicat modum seu consensum voluntatis hoc ipso esse liberum quo rationalem. Nam hoc ipso potest velle. Sic igitur definit voluntatem: *Voluntas est motus rationalis & sensui præsidens & appetitui.* Bernar. ibid.

Quintò quod ex priori sequitur, motum voluntatis hoc ipso cuo voluntatis est, esse liberum: *Quod ex voluntate sunt, tam non ex necessitate, sed voluntarium sunt. Si autem voluntarium & liberum.* Et inferius: *Vt nec salus nec damnatio ulla ratione sine præcedenti consensu voluntario possit haberi: ne qua sorte ex parte præscribi videatur libertati arbitrij.* Et alio in loco: *Ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam nec item malus dici debeat, nisi volens.* Et initio libri: *Vbi consensus ibi voluntas. Porrò ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium.* Vnde consensum voluntatis ita definit: *Est nutus voluntatis spontaneus.* B

Sextò libertatem voluntatis prorsus esse inamissibilem, cum fieri non possit quin voluntas sen per velit si velit: ipsum autem velle hoc ipso est liberum quo est velle voluntatis: *Hic ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod semper secum portat & ubique, indeclinabile iudicium, non incongrue dicitur, ut à bitror, liberum arbitrium, ipse liber sui propter voluntatem, ipse iudex sui propter rationem: neque enim ad liberum arbitrium quantum in se est pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere, sed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem sed tantum volentem. Non ergo si potens aut sapiens sed tantum si* VOLENS *esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Vbi enim non est voluntas nec libertas.* Quod ut magis adhuc explicaret adjungit: *Non dico si velle bonum, sed si velle* C *omnino creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi non iam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perit, etiam liberum perire arbitrium in bonum & malum.*

Septimò æquè liberam esse voluntatem, quantumcumque in malo superando difficultatem patiatur. *Si ergo liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, ipso non careat, voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo æquè perdurat; æquè profectò & liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perseverat.* Et rationem petens ex ipsa natura voluntatis seu volitionis, hoc est, consensus voluntarij, seipsum magis explicando subnectit: *Et quomodo voluntas etiam posita in miseria, non desinit esse voluntas, sed dicitur & misera voluntas, sicut & beata voluntas: ita nec liberum arbitrium destruere, sive quantum in se est aliquatenus imminuere potest quacumque adversitas vel necessitas.*

Octavò in Deo, Angelis, ac dæmonibus D æqualiter esse omnino illam arbitrij libertatem, quæ est à necessitate: *Verum libertas à necessitate æquè & indifferenter Deo universæque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato nec miseria amittitur vel minuitur, nec maior in iusto est quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine.* Et paulo inferius: *Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam in creatore, sed in illo potentior.* Et inferius eandem confirmans doctrinam: *Ceterum libertas arbitrij (ut suprà liquidò apparuit) cunctis pariter ratione utentibus convenit: non minor quantum in se est in malis, quam in bonis, tam plena in hoc sæculo quam & in futuro.* Et iterum multo pòst: *Cùm ergo libertas arbitrij de ipso quo condita est statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter semper quantum in se est, à cælis, terris, inferis possideatur* &c. Quæ doctrina nullo modo potest esse vera, nisi de illa libertate naturali quæ est à necessitate coactionis intelligatur; sicut ipsemet Bernardus in illo quem primum citavimus loco, adjecit dum rationem dat, cur in bono & in malo consensus liber sit, quia *voluntarius efficitur non invitus pertrahitur*; & quia *sua voluntate ducitur non aliunde cogitur.* Nam quamvis ab uno contradictorio ad alterum in quibusdam rebus, videlicet mutabilibus facilius transitus detur, quam in alijs quæ non mutantur, æqualis tamen in omnibus est contradictionis repugnantia. Æquè namque se mutuo interimunt esse album & non album (quamvis album fieri possit non album) quam immutabile esse mutabile, quamvis immutabile nullam habeat suscipiendæ mutationis capacitatem. Hanc doctrinam sanctus Bernardus constanter ad mortem usque docuit. Nam in sermonibus super Canticum Canticorum, quod opus ultimum mors abrupit, eadem omnino lineamenta libertatis illius naturalis expressit. Quapropter sermone octogesimo primo, hoc est, ante ultimum quinto, in quo libri de gratia & libero arbitrio, velut antè jam conscripti meminit, jam in vitæ termino constitutus, simili planè modo docet, hoc ipso esse liberum hominem quo homo est, hoc est, quo rationalis est: *Miser ego homo*, inquit, *miser sed liber. Liber quia homo; miser quia servus. Liber quia similis Deo.* Bernardus Serm. 81. super Cant. &c. Docet voluntatem, hoc est, volitionem hoc ipso esse liberam; quo voluntas est: *Interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate non a natura, ut nec sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium & liberum.* Et causantibus se propter peccati pondus non esse liberos, ita respondet: *Vbinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod & necessario vis. Multum vis quod nolle nequeas, nec multum obluctans.* Porrò *ubi voluntas*, id est, volitio, *ibi libertas.* Quod tamen dico de naturali non de spirituali, qua libertate Christus nos liberavit. Docet necessitatem nullam repugnare libertati aut voluntati, nisi quæ nolenti accidit, non quæ est ipsius voluntatis: sicut jam ex loco quem proximè adduximus liquet, ubi magis liberum esse insinuat quo magis firmiter voluntarium. Et alibi in eodem sermone de necessitate qua peccatrix facta voluntas inhæret

necessario malis, nec ullo modo potest surgere: *Nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit ulciscia, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria.* Docet necessitatem quæ vis est, hoc est, ut Augustinus, quæ etsi nolumus edicit id quod potest, repugnare libertati. *Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber.* Cui mox annectit id quod jam antè citavimus. *Quod enim voluntarium & liberum.* Docet hanc necessitatem ita non cadere in voluntatem & libertatem, ut contradictio, si in eam caderet, sequeretur. Nam cum docuisset liberam voluntatem esse, qua servus peccati, & surgere jam non potens in peccato detinetur; objicit sibi: *Tunc voluntarium dicis, quod jam necessarium constat esse? Verum est quod voluntas semetipsam addixerat, sed non ipsa se retinet, magis retinetur & nolens*, id est, invita & coacta. Quod est ipsissimum argumentum quo recentiores fatigantur, quo scilicet pacto liberum queat esse peccatum, si gratia surgendi denegetur? Respondet igitur: *Bene hoc saltem dat quia retinetur. Sed vigilanter retine voluntatem esse quam retineri fatere. Itaque voluntatem nolentem dicis?* Id est, coactam, invitam per illam necessitatem, quam prætexebas? *Non utique*, inquit, *voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicit? Servum se fecit &c. sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem servitute se retinens.* Et quomodo se adhuc servam voluntas facit: *Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est: ergo quia volens servam seipsam fecit, non modo fecit, sed facit.* Quibus tandem annectit concludendo id quod supra allegavimus; *Non ergo parum servatur vis, quod & necessario. Porro ubi voluntas ibi & libertas &c.* Quæ sanè ipsissima est doctrina Augustini, ut suo loco traduturi sumus, & manifestissimum facit, voluntatem hoc ipso quo voluntas est, esse liberam, & contradictionem esse manifestam, voluntatem esse non liberam, etiam illam quæ mutari non potest; ipsa maxima & firmissima voluntas est. Quo nihil efficacius proferri posset, ut probet voluntatem, sive hominum peccatorum, sive dæmonum, qua indeclinabiliter semetipsos amant, sive Angelorum Deum in clara visione diligentium, esse liberam voluntatem, sicut hoc ipso in libro de gratia & libero arbitrio commendaverat.

Hæc ex sancto Bernardo tam prolixè operoseque deducenda esse censui, ut omnibus ad oculum liqueret, eum nullam omnino necessitatem à libertate semovisse, nisi eam quam Augustinus dicit, *non esse in potestate nostra, sed etiam si nolumus, efficit id quod potest.* Qualis est omnis necessitas violentiæ, & coactionis, & naturæ: illa quippè sequitur impetum suum, & quantumvis renitente voluntate facit effectum suum. Qui sanè sensus ita manifestè in toto libro sancti Bernardi quem de gratia & libero arbitrio condidit & in singulis pœnè periodis lucet, ut omnes pœnè veteres Scholastici eum in divi Bernardi scriptis agnoverint candideque falli fuerint, & plerique ejus doctrinam suo calculo comprobaverint, Alexander Halensis, Albertus magnus, divus Thomas, Sanctus Bonaventura, Richardus de media villa, Durandus, Thomas de Argentina, Gabriel & alij plures, quemadmodum de plerisque infrà dicturi sumus, Marsilius qui dicit, *Bernardum libro suo de libero arbitrio per totum fere determinare, quod voluntas nulla re possit cogi.* Mihi verò, ut ingenuè loquar, non mediocriter admirationi fuit, qui fieri potuerit, ut plerique Scholastici hujus ævi illam sancto Bernardo sententiam imposuerint, quod ab arbitrij libertate omnem omnino determinationem ad unum excluserit et jam voluntariam. Nimis profectò est illa Scriptoris istius somnolenta lectio. Sed idem omninò quod in Augustino & Damasceno legendo eis contigit. Verbum enim istud *necessitatis* eis sine dubitatione hallucinandi causa fuit. Etenim cum vocabulum istud ex hujus ætatis & aliquot præcedentium seculorum usu, id omne significare soleat quod quoquo modo necessario fieri dicitur, sive impetu sic ferente naturæ, sive violentia, sive firma & immobili voluntate fiat, non animadverterunt longè alia significatione ab Augustino, Damasceno, Bernardo, Magistro Sententiarum & pæne omnibus eius primis interpretibus, in explicanda arbitrij libertate usurpari. Necessitas enim apud ipsos impetum & pondus quoddam significare solet, odiosum libertati, quod nolendo removeri nequeat. Ex quo fit, ut non audeant illud voluntati bonæ beatorum sive hominum, sive Angelorum, nisi cum quadam præfatione ac diminutione tribuere, sicut supra diversis testimonijs ab Augustino comprobavimus.

Alex. 2. p. q. 72. mem. 2 & 2. §. 2. ad prim & a. 3 §. 3. & mem. 3. a. 3 & mem. 4. & 5. Et q. 29. mem. 1. a. 3. & 5.

Albert. 2. p. Summæ de lib arbit. q. 3 & in 2. dist. 25. a. 7.

D. Thom. q. 24. de veritate a. 8. ad 5.

Bonavent. in 2. dist. 25. ad textum B. & q. 1. in corp. & q. 5. in sol. arg. & in 2 dist. 7. q. 3 in corp.

Richard. de media Villa in 2 dist. 25. a. 2. q. 1. & q. 2.

Durand. in 2. dist. 25. q. 2. ad 2.

Thomas de Argent in 2. dist. 25. a. 4. & dist. 38. a. 1.

Gabriel in 2 dist. 25. a. 2. ad 4. conclusionem.

Marsilius q. 16. a. 2. in 2

CAPVT XVIII.

Hugo de sancto Victore.

HANC igitur divi Bernardi sententiam ad unguem, usque ad ipsa verba secutus est, & in quibusdam clarius expressit coætaneus & amicus ejus Hugo de sancto Victore. Nam in primis, A in quæstionibus Miscellaneis hoc modo describit liberum arbitrium, seu effectum ejus: *Est in rationali voluntate spontaneus appetitus boni, nulli nec coacto dari, nec invito auferri potest.* Ubi quod voluntatem rationalem nominat, intelligere

Lib. 1. Misc. tit. 175.

ligere videtur voluntatem quæ cum pleno judicio rationis operatur, ut motus indeliberati ab actibus liberis separentur. Vides ergo nihil omnino ad actum liberum requiri, nisi ut sit actus voluntatis cum ratione deliberata agentis, spontaneus non coactus. Sed uberius hoc agit in summa sententiarum tractatu tertio, ubi liberi arbitrij naturam ex professo tradit, constanterque docet idcirco esse liberam quia necessitatis expers est, & necessitatem illam clarissimè docet esse vim, violentiam, coactionem: *Cum itaque habeamus cum pecoribus communem sensum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis discernit, penes quod omne meritum consistit. Cum enim nulla vi, nulla necessitate cogatur, non immeritò beatitudinem seu miseriam promeretur. Ingenium quoque & memoria & cetera similia nec iustum nec iniustum constituunt.* Et sancti Bernardi verbis sensa sua promens & probans *Siquidem*, inquit, *nec tardum ingenium nec labilis memoria imputatur. Sola itaque voluntas quæ semper libera est, & nunquam cogi potest, meritò apud Deum iudicatur. Ea semper à necessitate libera est. Vbi enim necessitas, ibi non est libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum.* Ecce apertissimè oppositam necessitatem libertati, & necessitatem expositam per coactionem, & idcircò conclusum, sicut & sanctus Bernardus concluserat, ubi est necessitas, ibi non est libertas, & ubi non est libertas, nec voluntas. Quia in eorum sensu sola & omnis voluntas repugnat isti necessitati; quod de simplici & voluntaria necessitate prorsus falsum est.

Hugo de S. Vict. in summa sentent. tract. 3. c. 8.

Secundo itaque, ne quis verba Hugonis & Bernardi quaqua via in alium sensum raperet, auctor ipse suspiciones prævenit. Nam sequenti statim capite rem accuratius explicans celebrem illam divisionem ponit à Bernardo traditam, & à Magistro receptam, & ab omnibus Magistri interpretibus uniformiter explicatam. Est namque triplex libertas, *à necessitate, à peccato, à miseria.* A necessitate & ante peccatum & post æqualiter liberum est. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo. Et verbis sancti Bernardi rursus utens: *Hæc libertas æqualiter est in omnibus non minor in malis quam in bonis, tam plena post peccatum sicut & ante peccatum.* Quæ Bernardi verba pene omnes interpretes Magistri qui ea citant, de sola liberrate à coactione intellexerunt. Quod ut apertius adhuc nobis constaret, & nemini de mente Hugonis superesset ambiguitas, apertissimè docet

Ibid. Cap. 9.

Tertiò liberum idem esse, quod voluntarium aut spontaneum, non alieno sed suo impulsu motum. Nam in eodem loco, cum neque bonos neque malos Angelos libero arbitrio carere tradidisset, quamvis illi non possint esse mali, neque isti boni, sic concludit: *Liberum itaque arbitrium ex eo dicitur quod est voluntarium. Quod enim boni Angeli non possunt esse mali, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quod mali non possunt boni esse, non facit ulla coactio sed voluntas obstimata in malo. Et tamen isti natura & illi mutabiles sunt.* Et alibi rursum cum idem omnino tradidisset de bonis & malis Angelis, objicit sibi: *Ad hoc opponitur quod liberum arbitrium habent, ergo in utramque partem possunt flecti.* Respondet: *Sed inde non dicitur liberum arbitrium, ut in suo loco ostendemus, sed liberum, id est, voluntarium, & boni non necessitate cogente sed libera voluntate à malo abstinent, similiter & mali à bono.* Ecce clarissimè definitum liberum arbitrium esse quia voluntarium, necessitatem oppositam esse voluntati, etiam immutabili per pœnam aut præmium, eandemque necessitatem aliquoties expositam per coactionem.

Tract. 2. summæ sent. c. 4.

Hinc quarto ipsam naturam liberi in motibus liberis explicans, nihil aliud ad essentiam ejus explicat, quam ut per se suo motu non alieno impulsu vel coactu moveatur: *Ex quo autem voluntate movebatur, velle erat, & à voluntate erat, quæ libere movebatur, quia per se movebatur & non impulsu alieno. Et hoc ipsum meritum erat, & vocabatur bonum vel malum, quia liberum erat, & ex se erat &c.* Et iterum: *Ex quo autem voluntas erat, libertas erat, quia voluntatis est libertas, quoniam potens erat per se moveri, ut ultra iret huc vel illuc sine coactione vel adiuta vel derelicta; quoniam libertas est voluntatis, ex quo est voluntas ipsa in primo principio.* Et quasi definitionem liberi arbitrij tradens: *Quoniam spontaneus motus vel voluntarius appetitus liberum arbitrium est. Liberum quidem in eo quod est voluntarius, arbitrium vero in eo quod appetitus. Sed & ipsa potestas & habilitas voluntatis est libertas qua movetur ad utrumque* (scilicet bonum & malum) *& liberum arbitrium dicitur voluntatis. Voluntariè autem moveri & ferri spontaneo appetitu, hoc est, potestate eligere & libertate iudicare, in quo constat liberum arbitrium. Et propter hoc facti sunt liberi arbitrij, ut voluntario appetitu moverentur, sed secundum electionem voluntatis, & inclinationem desiderij sui sine coactione.* Non est opus pluribus de Hugonis mente satagere. Tam enim evidenter seipsum explicat, ut si illam sententiam de industria proponere voluissem, non potuissem apertioribus eam verbis promere.

Lib. 2. de Gratiam part. 5. c. 20.

Ibid. c. 21.

CAPVT

CAPVT XIX.

Richardus de Sancto Victore.

ÆTATE, doctrina, & amicitia sancto Bernardo conjunctissimus fuit Richardus de Sancto Victore, celebris ingenij acumine, & sanctitate. Hic divi Bernardi & Augustini sententiam luculentissimè & multis modis expressit. Nam primo apertissimè & inculcatissimè docet, in hoc sitam esse arbitrij libertatem, quod nulla vi aut potestate cogi potest, adeoque in hoc ipso Dei similitudinem gerere: *Vultis*, inquit, *& majestatis similitudinem in ipsa perspicere, & quomodo eius imagine impressa sit, evidenter agnoscere? Deus superiorem non habet, nec habere potest; & liberum arbitrium dominium non patitur nec pati potest; quia violentiam inferre ei nec creatorem decet, nec creatura potest. Totus infernus, totus mundus, totus denique militia cælestis exercitus in unum concurrat, in hoc unum conatur, unus ex libero arbitrio consensus in qualicumque re invito extorqueri non valet.* Et in progressu tractatus istius uberius: *Sed si diligenter attendimus, puto quod invenemus hominem non modo libertate non carere, sed magnam imo summam libertatem possidere. Primus siquidem libertatis gradus est, nulli coactioni subjacere. Secundus autem nulli subjici debere.* (nempe peccato) *Tertius vero & ipse summus, nullis penitus subjici posse*, hoc est, ut Augustinus loqui solet, peccare non posse. *Quomodo ergo arbitrium hominis vere imo summè liberum non est, quod sua libertate nulla vi, nulla potestate privari potest? Nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet. Sed quomodo vel creator hoc potest, qui nihil quod non decet facere potest? Si igitur nulla violentia arbitrium potest sua privari libertate, constat illud summam libertatem habere.* Et paucis interpositis adhuc subjungit: *Sed sicut est mirandæ arbitrij libertas ab alio cogi non posse; sic miseranda prorsus infirmitas in seipso ad omne bonum torpere.* Vnde in alio ejusdem libri loco, est illa eius definitiva sententia: *Illud in potestate est, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti potest.* ILLVD IN POTESTATE HABEMVS, AD QVOD ALIENA VIOLENTIA COGI NON POSSVMVS.

Hinc prorsus consentaneè eidem illi libertati, tradit libertatem arbitrij esse penitus immutabilem, nec in bonis augeri, nec in malis minui; sed in omnibus parem persistere: Sic enim loquitur in ipso limine: *Quid quæso in homine sublimius, quid dignius inveniri potest quam illud in quo ad imaginem Dei creatus? Habet sane libertas arbitrij imaginem non solum æternitatis, sed & divinæ Majestatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, eiusque imaginem expressius gerit; quod nulla unquam culpa, nulla demum miseria non dicam destrui, sed nec minui potuit.* Et iterum paucis capitibus post: *Potestatem itaque promerendi peccando amittere potuit, libertatem vero arbitrij, sicut nunquam non habuit, sic nunquam non habebit, quia nunquam, ut superius iam dictum est, qualicumque peccato vel pœna amitti vel minui poterit.* Et rursum: *Hæc itaque arbitrij libertas nec in bonis major, nec in malis est minor quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur.*

Quia vero multos in intelligenda creati arbitrij libertate turbare solet, quod fide edocti, nos per peccatum boni volendi potestatē perdidisse sciunt, libertatem præclare cum ista infirmitate conciliat. In quo labore crebrò inculcat, ideo humanum arbitrium esse liberum, quia coactionis expers, & omni violentia indomitum: *Sed quomodo*, inquis, *conveniunt tanta libertas cum tanta infirmitate, vel tanta infirmitas cum tanta libertate? Profecto aliud est esse liberum, aliud est esse robustum. Et liber & infirmus esse potes, sicut è contra, & sanus & servus esse potes. Qui sanus & robustus est, multa & magna facere potest. Sed qui liber est ad aliquid cogi nisi inutile non potest. Non autem arbitrium hominis idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, sed quia liberum habet* (id est, non cogitur) *bono vel malo non consentire. Posse quidem facere malum est infirmitatis, posse facere bonum est potestatis, neutrum autem libertatis. Libertatis vero est quod consensus eius extorqueri vel cohiberi non potest.* Quod supra dixit, *invito extorqueri non potest. Potest enim consentire, vel non consentire aspirationi divinæ, similiter & suggestioni diabolicæ. Utrumque quidem ex potestate, neutrum oportet ex necessitate.* Et qua quæso necessitate? *Libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest: privatio autem potestatis, quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est.* Et istud omnino sibi velle Richardum, convincit id quod inferius eandem sententiam illustrans repetendo subjicit: *Amisit itaque potestatem primus homo, non autem libertatem. Nam bonum posse est vere posse: sicut cogi non posse, est vere liberum esse. Si enim ad bonum seu ad malum ab alio cogi posset, iam omnino liber non esset; & si bonū facere vel malum declinare posset, non solum liber, sed & potens esset.* Nihil manifestius dici posset à Richardo, quo libertatem arbitrij in illa impatiente coactionis potestate constituerit. Notissimum est enim, liberum arbitrium dæmonum ad malum esse obduratum, & beatorum Angelorum atque hominum ad bonum determinatum, sed utrumque citra coactionis necessitatem. Notum etiam hujusmodi determinationis immunitatem in bonis & malis augeri ac minui, prout plus minusve gratiâ eriguntur aut deseruntur. Deus enim inclinat efficacissime corda nostra in testimonia sua, sicut pondus violentissimæ consuetudinis in peccatum; cum tamen Richardus ibidem dicat, quod sæpius alijs verbis dixerat: *Manet itaque infirmitas cum libertate, & libertas cum infirmitate, in tantum ut neutra præiudicet*

Cap. 23.

Ibid. c. 12.

Cap. 13.

Cap. 3.

Cap. 20.

Cap. 22.

iudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati: quia nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem. Ecce nec minui quidem in ullo sentit arbitrij libertatem, per quamcumque peccati vel consuetudinis infirmitatem. Quod usque adeo verum esse censet, ut si vel tantillum diminueretur, arbitrium
Cap. 22. non amplius dici posset liberum. *Constat itaque*, adijcit, *quia hominis arbitrium liberum dici non potest, si vel ex parte libertatem amisit.* Quæ sanè de libertate coactionis sunt verissima; ac de illa sola sibi sermonem esse statim docet, dum tantum sentit abesse ut homo libertatem amiserit, ut potius adhuc possideat summam;
Cap. 23. & ejus primum gradum ponit *nulli coactioni subiacere*, ut ex ejus verbis suprà citatis liquet.

Sed in alio quodam opere quod de interioris hominis eruditione scripsit, adhuc evidentius, si evidentius dici potest, eandem arbitrij B libertatem in coactionis immunitate constituram esse, ac differentiam inter libertatem & potestatem tradit. Cùm enim præmisisset, potestatem liberi arbitrij, videlicet ad bonum, non aliud esse nisi gratiam, tantumque non habere potentiæ quantum gratiæ, & illa pereunte *simul perire & potentiam*, statim adijcit:
Lib. de erud. interioris hom. c. 30. *Patet itaque ex his quod aliud est arbitrij potestas, atque aliud est arbitrij libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber & infirmus esse potes, sicut e contrario & sanus & servus esse potes. Si sanus & robustus es, & multa & magna facere potes: Veruntamen si liber es, ad nihil cogi potes, vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis pretimus potestatem, non tamen & libertatem. Potestatis itaque est quod bonum facere possumus, quamdiu id facere valemus; libertatis autem, quod ad nullum seu bonum seu malum invita cogi possumus. Quare multi in definitione liberi arbitrij errant, qui inter potestatem & libertatem distinguere ignorant vel dissimulant. Vide tamen quid interest, cum potestatem homo sæpè amittat, libertatem vero nunquam amittere possit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem: sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Nam uti dictum est ad nullum bonum vel malum* INVITVS COGI POTEST.

Quibus principijs congruentissimè Richardus non aliter nostri consensus libertatem explicuit, quam quod sit spontaneus & voluntarius. Illud quippe spontaneum & voluntarium intelligit, quod à sancto Damasceno suprà definitum fuit, hoc est, quod ex voluntate rationali cum finis & omnium circumstantiarum plena cognitione fluit: *Quid est, erit sub te* (appetitus) *nisi sub arbitrio tuo? Eo quod quivis appetitus in actum non prodeat sine nutu spontaneo & voluntario.* Et rursum: *Nihil tamen horum omnium* (scilicet appetituum) *ad conatus sui exitus effectum, nisi ad liberi arbitrij nutum, voluntariumque consensum. Principatur itaque omnibus liberi arbitrij ultroneus consensus.*

Ex istis lineamentis facile est agnoscere Richardum in omnibus usque adeo consentire Bernardo & Hugoni, ut sententiam eorum subinde ad ipsa usque verba exprimere videatur; & quamvis strictius quam Bernardus, omnia tamen ejus doctrinæ capita, quædam apertius, alia latentius velut in principijs comprehenderit. Nam & istas tres species libertatis, à necessitate, à peccato, & à miseria, quam Bernardus & Hugo tanquam discipuli Augustini, expressis verbis tradidere, ipse alijs significandi modis designavit, dum primam vocat *à coactione*; alteram *à subiectione*, tertiam Cap. 23. *à possibilitate subiectionis*, sicut paulo antè allegavimus. Ex his igitur auctoribus hausit Magister sententiarum illam divisionem triplicis libertatis, *à necessitate*, *à peccato*, *& à miseria*, quam omnes antiqui Commentatores ejus celeberrimam reddiderunt.

CAPVT XX.

Magister Sententiarum

POST sanctum Bernardum & amicos A ejus duos Hugonem & Richardum, Primus occurrit Magister sententiarum, qui & istos & Augustinum accuratè secutus est, nec aliter nomen istud necessitatis accepit, quam sicut tunc temporis & multis ante seculis communiter usurpabatur. Apertissime quippe docet liberum arbitrium dici liberum, quia necessitatis, hoc est, coa-
a. parte dist. 25. ctionis immune est: *Si diligenter*, inquit, *inspiciatur, liberum videbitur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valet appetere vel eligere, quod ex ratione decreverit.* Nequis vero scriptorum recentiorum falleretur, qui necessitatis nomen longè aliter quam ipse accipere solent, omnem ambiguitatis nebulam abstergit, id quod explicando subijcit: *A necessitate & ante peccatum & post, æquè liberum est arbitrium.* Ecce verba sancti Bernardi: *Sicut enim tunc cogi non poterat ita nec modo.* Et rursum idem repetendo inculcans: *Ideoque voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest.* Nam de necessitate coactionis loqui Magistrum in illa divisione, unanimis est omnium veterum Scriptorum & Commentatorum ejus sententia, ne uno quidem, quod sciam, dissentiente; Alexandri Halensis, Alberti Magni, Sanctorum Thomæ, Bonaventuræ, Guilielmi Antissiodorensis & Parisiensis, Ægidij Romani, Richardi de media villa, Durandi & ceterorum ingenti numero. Quo fit ut non sine stupore etiam hic legerim nonnullos recentiores, qui ut libertatem à necessitate sicut ipsi eam intelligunt, libero arbitrio adversus Calvinum vendicent, Bernardum, Hugonem, & Magistrum Sententiarum pro se stare suspicari & proferre ausi sunt. Non est opus armis tam adulterinis,

ut Calvi-

ut Calvinus evertatur. Veritas, non falsitas errores destruere debet.

Hinc est igitur quod consequenter isti principio Magister apertissime, voluntarium & spontaneum, liberum atque voluntarium in rationali creatura confundit, imo idcirco liberum esse tradit quia voluntario spontaneoque motu fertur in objectum suum: *Liberum ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem quia voluntarie moveri & spontaneo appetitu ferri ad ea potest, quæ bona vel mala iudicat, vel iudicare velit.* Hinc est quod hoc ipso quo libertas arbitrij tollitur, etiam voluntatem tolli doceat; *ubi necessitas*, (qua dixerat cogi non posse voluntatem): *ibi non est libertas, ubi non est libertas, nec voluntas.* Quæ doctrina sicut & verba ex sancto Bernardo sumpta sunt, falsissima sanè esse perspicuum est, si necessitas pro simplici firmaque ipsius voluntatis determinatione capiatur, cum nunquam sit magis voluntas, B hoc est, nunquam magis aliquid velit, quam cum ita firmiter vult, ut nolle non possit.

Hinc ex eodem principio, allegatisque Augustini verbis quibus dixerat, beatorum arbitrium esse liberum, longèque liberius cum peccare non potest, consequenter docet, idcirco esse liberius, quia ad bonum pronius, hoc est, quia longe firmiori, imo immutabili voluntate diligit bonum, quemadmodum Augustini mentem in supradictis exposuimus: *Ecce his verbis* (Augustini) *evidenter asseritur quod post beatitudinis confirmationem, erit in homine liberum arbitrium, quo peccare non poterit, & nunc in Angelis est & in sanctis, qui cum Domino sunt, & tanto utique liberius, quanto à peccato immunius & ad bonum pronius.* Et mox illa verba subjungit, quod idcirco dicitur liberum arbitrium, *quia sine coactione & necessitate valet appetere vel intelligere quod ex ratione decreverit.* C Quæ verissimam aptissimamque illationem & rationem continent, promptatis illius quam præmiserat; ad indifferentiam vero nihil prorsus faciunt. Istum vero genuinum esse Magistri sensum, tum tota contextus & rerum rationumque ejus consonantia ita prorsus clamant, ut non nisi obtorto collo, imo glossis textui aperte repugnantibus aliò torqueri queant, tum omnes veteres ejus interpretes confitentur, ut mox ostensuri sumus.

Hanc itaque sententiam suam de libertate arbitrij spectavit & melius explicuit idem Magister distinctione septima, ubi rationem reddens, cur Angeli mali & boni liberi sint, lib.2.dist.7. quamvis illi bene agere, isti peccare non possint: *Dicimus*, inquit, *quod boni tanta gratia confirmati sint, ut nequeant fieri mali: & mali in malitia adeo obdurati sint, ut non valeant fieri boni: & tamen utrique habent liberum arbitrium,* D *quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate per gratiam quidem adiuti bonum eligunt & malum respuunt: & mali similiter spontanea voluntate a gratia destituti, bonum vitant & malum sequuntur.* Nihil evidentius ad explicandam plene sententiam Magister proferre potuisset, quam propterea in isto eodem sensu plerique veteres interpretes secuti sunt.

Neque quicquam ad illam sententiam reprobandam facit, quod in eadem distinctione dicit, liberum arbitrium esse liberum ad utrumlibet videlicet bonum & malum, sicut eum hoc intelligere tum ibidem, tum ex distinctione vigesima quarta certum est: hoc enim & Augustinus, & Bernardus, & Damascenus crebrrime dicunt, & sine fidei læsione negari nequit. Sed alio longè sensu quam Scholastici putant, hoc intelligunt: & in Deo, Angelis, tam damnatis quam beatis non habere locum, nemo dubitat, & Magister in eadem illa distinctione profitetur. Multo minus ad propositum facit id quod Magister dicit, ea tantum sub potestate liberi arbitrij venire, *quæ per liberum arbitrium possunt fieri vel non fieri.* Quis enim ea de re dubitaverit? Sed inter ea quæ à libero arbitrio possunt fieri vel non fieri, imprimis est ipsum velle, sive firmiter & obstinatè, sive hæsitanter velit. Per illa quippe verba nihil aliud voluit, quam id quod Augustinus sæpe ac disertè explicuit, ea sub liberum arbitrium venire quæ sunt in nostra potestate, hoc est, quæ fiunt cum voluerimus; sive, ut ait in libris de Civitate, quæ *si nolemus, non utique faceremus. Quo primitus*, inquit, *pertinet & ipsum velle. Nam si volumus, est, si nolumus non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Quod de omni omnino voluntate, sive nostra, sive beatorum, sive damnatorum verum est. Hoc enim Magistrum velle ex verbis mox subjectis liquet: *Si quis enim tale quod velit ac disponat facere, quod in eius nullatenus sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione æque fieret*, id est, quod æque fieret etiamsi nollet, cujusmodi est effectus naturæ & cujuscumcu violentæ potestatis; *ipse in hoc liberum arbitrium non habet.* Quo nihil verius & Augustino Bernardoque conformius cogitari potest. Hinc est igitur quod Magister bis in eadem distinctione vigesima quinta repetat, arbitrium in bonis & malis, & ante & post peccatum æque liberum esse. Quam sententiam mutuatus est à Bernardo, qui non aliam quam libertatem à necessitate coactionis intellexit, ut supra vidimus, neque juxta Scholasticos antiquos, qui Bernardum citaverunt & secuti sunt, ipsamque rerum evidentiam, aliter intelligi potuit. Cùm perspicuum sit, libertatem ab illa voluntaria & amata vel damnata necessitate longe minus in beatis damnatisque, quam in hominibus viatoribus & maxime primo homine reperiri, ubi voluntas erat penitus in æquilibrio, quam neque quicquam à bono retraheret, neque instigaret ad malum, quemadmodum in eodem loco ex professo Magister docet.

Quapropter nemini dubium esse puto ex ijs quæ produximus, quis Patrum antiquorum sensus fuerit de illa libertate, unde liberum arbitrium generaliter appellatum est, prout

Lib.5.de Civit.c.10.

viatoribus, beatis, damnatisque, sive hominibus, sive Angelis, atque adeo ipsi Deo commune est. Neque quisquam ex eo consectaneum esse putet, nullam supereſſe libero arbitrio indifferentiam: in Deo quidem beatisque creaturis ad opera bona, in damnatis ad mala, in viatoribus ad bonum & malum. Absit ut hoc vel Augustinus, vel quisquam illorum scriptorum, quos protulimus, suspicatus fuerit: cujus contrarium ex Augustini scriptis infra adversus hæreticos nostri temporis probatum sumus. Nam secundum diversitatem statuum creaturæ sive naturæ rationalis, indifferentia quoque in operando diversa est, sive ad bonum tantum, sive ad malum tantum, sive simul ad bonum & malum. Sed hoc tantum asserimus, non in istis indifferentijs, quocumque modo tandem ipsæ illæ intelligi debent, esse sitam, juxta scriptores illos, essentialem arbitrij libertatem ex qua liberum nuncupatum est, atque ita dari posse in aliquo creaturæ statu nonnullos actus liberos, qui à voluntate libertima, propriecue dicta arbitrij libertate quamvis determinatissima proficiscantur. Hoc enim illi antiqui Patres apertè docent & ex principijs eorum invictè sequitur, & exemplis astruunt. Peritissimi sunt, sanctissimi sunt, ab omni erroris suspicione remotissimi: qui temporibus suis domum Dei velut immobiles columnæ fulcierunt, doctrinæque Catholicæ sanitatem ab omnibus hæreticorum erroribus tutati sunt.

Neque quicquam ad illam eorum sententiam infringendam valet, quod sæpe dicunt hominem in sua potestate habere ut faciat bonum aut malum, hoc vel istud, agat aut non agat. Certa ista veritas est, fateor, & sine errore negari nequit. Sed quia veritas non repugnat veritati, neutra excludit alteram, ut paulo post dicendum erit. Quod quia non satis attente à nonnullis ponderatur, hallucinandi multis occasio fuit. Hanc interim quam produximus doctrinæ faciem, quæ libertatem arbitrij proprie dictam in immunitate à necessitate coactionis collocat, Scholastici, vetustissimi, quanto Patribus istis grate, tanto etiam doctrinæ lineamentis propinquiores, ad unguem expresserunt. Sed paulatim ab illa primæva libertatis intelligentia declinari cœpit, eoque rerum nostra ætate ventum est, ut illa Augustini, Bernardi, Magistri & ceterorum doctrina, vix auribus quorundam ferri, vix sine erroris suspicione tradi possit. Non quod isti recentiores liberi arbitrij peritiores facti sint, sed à tradita majorum doctrina remotiores. Quod ne temerè dictum judicetur quid Scholastici Patribus istis vicinissimi de libertate senserint, tantisper videamus.

CAPVT XXI.

Alexander de Hales.

SIQVIDEM istam Magistri & Bernardi sententiam, ut à nobis explicata est, vel potius Augustini & antiquorum Patrum, primi interpretes Magistri, imo & ceteri Theologi non interpretes ejus pleno consensu secuti sunt. Inter quos primus à Magistro occurrit doctissimus ille doctissimorum discipulorum sancti Thomæ & Bonaventuræ institutor Alexander Halensis. Tantâ enim luce, firmitate, fiducia, hanc doctrinam tradit, ut contraria tunc temporis prorsus inaudita fuisse videatur. Itaque in secunda parte summæ quæstione septuagesimasecunda sic loquitur: *Ad primum dicendum quod est triplex libertas, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Libertas naturæ libera est a coactione, libertas gratiæ a culpa. Quando ergo dicitur quod separatum auget, & additum minuit, non est pars istius: non intelligitur de libertate naturæ, quia illa non potest augeri vel minui (Bernardus: sicut in bono ita & in malo æque perduret voluntas) sed dicitur respectu eius quod est à culpa & à miseria.* Et articulo tertio membri secundi: *Respondeo*, inquit, *quod liberum arbitrium tripliciter consideratur, uno modo secundum quod non cogitur, & hoc modo dicitur liberum, quia indifferenter est boni & mali.* Quod statim iterum repetit: *Illæ autoritates*, inquit, *quæ concludunt quod liberum arbitrium est indifferenter boni & mali, intelliguntur de libero arbitrio secundum naturam illam, secundum quam non cogitur.* Et eodem articulo 3. quo quæritur à qua libertate liberum arbitrium nomen sortiatur, an à libertate naturæ seu coactionis, an gratiæ, an gloriæ, sic resolvit: *Libertas aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando accidentalis. Secundum vero quod libertas dicitur habitus naturalis rationalis naturæ quæ cogi non potest, non recipit magis & minus, sed æque est in omnibus rationalibus creaturis. Unde Bernardus dicit: Libertas à necessitate Deo & universæ creaturæ rationali indifferenter convenit, nec magis bonæ quam malæ &c. Et secundum quod libertas sic dicitur liberum arbitrium, dicitur liberum principaliter ratione libertatis naturæ. Secundum vero quod libertas est habitus accidentalis, sic est liberum arbitrium diminuibile vel etiam amissibile, & recipit magis & minus.* &c. Et in alio loco ejusdem quæstionis: *Liberum arbitrium est commune homini & Angelo bono & malo. Bernardus: Libertas a necessitate, id est coactione non major est in iusto quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine.* Et iterum: *Diabolus liberè corruit in malum, & perstitit suo voluntario motu non libero impulsu.* Resolutionem autem istam probavit ibi hoc argumento: *Ubi est coactio, ibi non est laus vel vituperatio, sed in malis Angelis vel bonis est laus vel vituperatio, quia boni Angeli laudantur, mali vituperantur, ergo non est in eis coactio*

Alexander Halensis 2. p. q. 72. mem. 2. a. 2. ad 1. in editione antiquissima

art. 3. mem. 2.

art. 3. ibid.

memb. 3. a. 3.

eis coactio, ergo est in eis liberum arbitrium. In quo vero major est laus vel vituperatio Angelorum, nisi in eo quod alij in malo quod elegerunt, hoc est, amore sui, alij in amore Dei, immobiles & perpetuo perseverant. Et quia sibi locum Bernardi objecerat dicentis: *Vbi est necessitas, non est libertas*: ita pergit: *Ad obiecta autem in contrarium dicendum est quod est duplex necessitas inevitabilitatis & coactionis. Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis. Licet ergo in Angelis sit necessitas inevitabilitatis, nihilominus tamen liberum arbitrium. Vnde Bernardus: Quod diabolus non potest bonum non est ex aliena oppressione, sed ex voluntaria obstinatione & obstinata voluntate.* Et mox docet, hoc quod dæmones non possunt eligere bonum, non privari libertate voluntatis, imo eam magis ostendi, sed tantum libertate grátiæ. Et addit: *Licet ratio liberi arbitrij quam ponit Augustinus non conveniat quoad hoc quod dicitur (qua bonum eligitur) convenit tamen ratione reliquæ partis: bonis vero Angelis ratione primæ partis.* Et articulo quarto in quo quæritur, an liberum arbitrium in omni statu innocentiæ, culpæ & gratiæ commune fuerit homini, sic respondet: *Dicendum est quod liberum arbitrium commune est in his statibus. Nec est contrarium quod obiectum est: quia illa prima ratio libertatis est propria secundum statum innocentiæ, & non dicitur illa libertas naturæ, qua homo liber dicitur a coactione.* Et rursum in Christo qui peccare non poterat, sic liberum arbitrium statuit, ut *fuerit in illo electio, prout eligere dicitur definire seu determinare inter aliqua duo, non plouit est determinatio rei dubiæ*, quomodo & complum ab ea abest; ac tandem adijcit: *Quod vero dicitur quod Christus non potuit peccare, hoc dicitur ratione gratiæ. Vnde libertas naturæ qua est à coactione communis fuit Christo & alijs hominibus.* Et iterum membro quarto cùm quæreretur, an æqualiter sit liberum arbitrium in omnibus in quibus reperitur, quæstionem sic determinat: *Liberum arbitrium in hoc æque dicitur de quibus dicitur quod in nullo cogitur. Licet enim Deus de sua creatura possit facere quod vult, non tamen cogit voluntatem, sed eam liberam esse permittit. Secundum hoc ergo quod (æque) dicitur contra magis & minus liberum arbitrium à servitute naturæ dicitur de omnibus intellectualibus substantijs æque.* Ne quis vero scrupulus remaneret lectori quam coactionem intelligeret, de qua tota illa quæstione locutus erat, cùm distinxisset, sicut Bernardus, coactionem passivam quæ potest fieri absque voluntario consensu facientis, ab activa quæ est respectu actus mixti, tandem adijcit de coactione respectu actus interni: *Si vero compulsio dicatur respectu actus interioris, nullatenus dicendum est quod liberum arbitrium respectu actus interioris omnino coactionem recipiat, & ideo dicitur simpliciter liberum arbitrium a coactione.*

Iuxta hæc principia idem Halensis non veretur illam libertatem arbitrij vocare quasi essentialem. *Ad tertiæ obiectum dicendum est quod in omni statu liberum arbitrium æqualiter dicitur quantum est de libertate à coactione, quæ vocatur quasi essentialis libertas: non tamen æque dicitur libertas in quantum ordinatur ad gratiam: secundum hoc enim dicitur secundum magis & minus.* Hæc omnia in illa una quæstione Alexander, ubi constantissimè semper docet libertatem naturæ, libertatem à necessitate, quam sanctus Bernardus ab eo sæpissime ad doctrinam istam stabiliendam allegatus inculcaverat, libertatem à qua dicitur liberum arbitrium, non aliam esse quam libertatem à coactione; reliquas omnes libertates à libero arbitrio sine ejus interitu abesse vel adesse posse.

Quam doctrinam non in isto tantum summæ suæ loco, sed & passim alibi tradit: Nam de Angelorum libertate disputans, similiter docet liberum arbitrium *vel liberum esse a coactione, vel a miseria.* Iuxta primum modum esse liberum arbitrium in Angelis, & *similitudinem habere liberi arbitrij divini in hoc quod non cogitur ad bonum.* Et ex sancto Anselmo probat. Et rursum: *Triplex est libertas, prima est libertas a coactione sive a necessitate, secunda a peccato, tertia a miseria.* Prima quæ est à coactione est æque in homine & Angelo tam bono quàm malo. Et hanc doctrinam testimonio Magistri sententiarum & sancti Bernardi astruit, ut perspicuum sit eum sic utrumque auctorem sicut exposuimus, accepisse. Ita vero in illa tota quæstione loquitur, ut non sit umbra alterius libertatis unde propriè liberum dicatur arbitrium, sive in Deo, sive Angelis, sive hominibus, nisi *quod nullus eorum cogitur; liberi enim sunt à coactione æqualiter.*

Memb. 4. §. 1.

Memb. 4.

2. p. q. 29. memb. 2. 1.

Ibid. a. 5.

CAPVT XXII.

Guilielmus Parisiensis.

EIVSDEM ætatis & sententiæ fuit Guilielmus Parisiensis, qui libertatem arbitrij nostri tractans, non aliud ad eam postulat quam ut aliquid nostra voluntate fieri possit, non prohibente naturæ impossibilitate cum volumus, neque rapiente violentia cum nolumus: *Si vel naturæ intentio, vel vis invincibilis libertatem voluntatis hominum abstulisset, vana esset omnium legum institutio, nihil imputandum esset homini. Cum vel necessitate naturæ prohiberetur quo minus faceret, aut in vinculis ratione invitus ad faciendum traheretur. Quare nec bene nec male quicquam fieri posset ab homine. Supervacui etiam essent Magistratus & magisteria morum.*

Lib. de par. iustic.

Non enim agendum esset cum hominibus de morum A *suorum emendatione, sicut cum brutis animalibus aut lapidibus. Cum per eos aut impossibilitas naturæ premeretur, aut violentia raperet ad agendum.* Et rem istam experientia probans, quam de se quisque sumere potest: *Inquiretur*, inquit, *anima rationalis inquisitione perscrutata & interrogans seipsam, utrum liberum sit ei facere bene vel male, vel utrum voluntarie operetur & voluntarie declines opera; Respondebit enim non utique per signa quæ plerumque fallere solent; Sed ipsa pœnitentia veritatem, quam inter se pœnitentes conspicit, se nullatenus trahi ad operandum nisi voluntate, & se non desistere ab omnibus operibus nisi voluntate. Non quæres igitur extra te-ipsum an tui iuris & tuæ voluntatis sit, an tibi subditus sit tuæ voluntatis consensus, ut in illud quod te stimulat ipsum declinare possis si velis, aut ab eodem avertere si velis.*

Hinc mox eos refutans qui objectionem B illam de consuetudinis violentia rodere solent: *Quod si quis*, inquit, *victura consuetudine, & ea tanquam altera natura trahitur ad consueta, licet consuetudini velucletur & obviatur. Interroget se utrum delectet enim facere, quod de consuetudinis necessitate facere se diceret, an non delectet? Quod si delectat igitur libenter, quia delectabiliter facit. Si vero non delectat, non ergo est amore vel desiderio obligatus huiusmodi operi. Quare enim trahitur amore vel desiderio ad illud. Non ergo est ei consuetudinarium opus illud. Consueta enim omnia necessario amantur.* Ne vero de mente Guilielmi inaniter contenderemus ipsemet in alio suo opere totam dubitationem sustulit. Nam in Tractatu de virtutibus, de voluntate ejusque libertate scribit: *Vtrum autem eadem vis se-ipsam movere, vel in se-ipsam agere possit, quæstionem habet, ut supra tetigimus. Et de ipsa voluntate videtur quod operationem suam quæ est velle, ipsa de se eliciat. Non enim velle naturaliter* C *ex voluntate sine volendi actu vel habitu, sicut est ex calore calefacere, vel calere, imo voluntarie & libere. Impossibile est enim ipsam velle aliquid invitam, hoc est, nolentem velle illud. Declaratio autem huiusmodi facilis est. Sit A volitum, & voluntas nolit se velle A. Dico igitur si nolit se velle A, non ultra ipsum A* (supple vult) *velle enim nec quæritur nec fugitur nec recusatur nec oditur nisi propter volitum. Quare si velle A est recusatum vel oditum, vel fugitur propter ipsum A, multo fortius ipsum A est recusatum vel oditum, vel fugitum. Quare si ipsum velle A est volitum, multo fortius ipsum A erit volitum. Manifestum igitur est, quod apud quemcumque est nolitum se velle A, est nolitum ipsum A. Declaratum igitur est, impossibile esse aliquem velle ad invitum, id est nolentem se velle illud. Quare quicumque vult aliquid, aut vult se velle illud aut sustinet, Manifestum igitur est quod ex voluntate, sive ex vi volendi non procedit velle per modum naturæ, quod est serviliter, ut supra diximus, &* non D *libere. Liberum enim est volenti & voluntati ipsum velle, super quodcumque volitum cadat.* NON ENIM POTEST *ad illud cogi aut trahi invitus, ut diximus. Eodem modo declarabimus tibi quia non potest voluntas sive volens prohiberi vel impediri quin velit; imo qui vult se velle A, ex necessitate statim vult ipsum A. Et hoc est, quoniam non vult se velle, nisi propter ipsum A, quare magis vult ipsum A: velle enim non quæritur nisi propter volitum. Propter quod autem unumquodque ipsum magis.* Et paucis interjectis concludit ex præcedentibus ratiocinationem suam: *Manifestum igitur factum est tibi quod voluntas liberrima est in nobis à coactione* (scilicet ut agamus) *& impedimento seu prohibitione* (scilicet ne agamus) *& hæc est una de excellentijs quibus homo præcellit ceteris animalibus, & anima rationalis ceteris animalibus.*

Esb. de fide &c. Tract. de virtutibus f. 88.

Sed accuratissime & à fundamentis rem istam decidit in ejusdem operis alio loco. Primo namque distinguit quadruplicem necessitatem, primam violentiæ, & quicquid ex ea agitur non agenti sed violentiam inferenti imputandum est. Secundam stabilitatis & immutabilitatis, qualem dicimus, inquit, Dei esse necessitatem qua immutabiliter bonus est. Et quicquid est hac necessitate necesse est ipsum bene agere semper & contrarium impossibile, & ista necessitas non aufert libertatem, sed perficit. Tertiam extraneam sive forinsecam, quam nonnulli vocare solent necessitatem per accidens. Et eadem distinctiones facit de impossibilitatibus. Quartam Aristotelis, determinatam, ut qua necesse est verbi gratia Socratem sedere dum sedet. Tandem post multa interposita sic attexit: *Secundum errorem illorum qui dicunt omnia ex necessitate evenire, non est necesse, ut propter hoc nemo peccare possit aut bene agere. Et hoc apparet per ea quæ diximus de necessitate & impossibilitate. Videlicet quæ & quando excusant à culpa & obligatione, & quatenus sicut ostendimus. Quia necessitas qua necesse est Deum semper bene agere, & impossibilitas qua impossibile est ipsum male agere in nullo prohibent, vel impediunt quo minus bene & laudabiliter agat utrumque. Et hoc est quia nec violenter ipsum impellant ad bene agendum, nec violenter ipsum impellunt aut avertunt tunc à male agendo. Nec ullo modorum resistit ista impossibilitas, aut contradicit voluntati eiusdem, sicut necessitas virtutis cælestis aut fati, quam secundum eos impossibile est averti vel impediri, & quia etiam movent animas humanas, ut ipsi opinantur, movent, inquam, ad cogitationes & affectiones, quæ in eis sunt, & per illas ad operationes, & operum declinationes: quoniam non movent eas violenter imo voluntarie, non excusat animas humanas à peccatis & culpis. Et hoc est quoniam à quocumque principio sit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est volitum quocumque trium modorum, quos diximus, id est, affectatum vel toleratum, vel neglectum, semper imputandum est voluntati & agenti per voluntatem. Nec sequitur si non potest aliud agere vel etiam velle, quod propter hoc excusatus fuit, qui nec vult aliud posse vel agere, nec aliud velle. Propter quod Seneca: Quia omne peccatum adeo est voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Quare necessitas vel impossibilitas, quæ non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est, ex voluntate, quam impossibile est non esse*

Guilel. Pa. risiens. de virtut. & peccatis f. 211.

Fol. 213

non esse liberam, nec culpam auferet. Revera autem si totum quod movet animas nostras extra nos esset, & non haberemus principium motuum & operum nostrorum intra nos, vel in nobis, totum attribuendum videretur extrinseco motori vel motoribus si plures essent. Et in consequentibus adhuc uberius docet, hoc tantum sufficere quod volitio sit in nostra potestate, & non ex solo motore extrinseco. Et in præcedentibus se declarasse

A dicit quod *tanta sit libertas voluntatis, ut nec cogi possit ad operationem suam propriam quod est velle vel nolle, neque prohiberi ab ea.* Imo necesse est, ut si velit operari operationem suam, quod operetur eam, quicquid ipsam ad hoc moveat vel impellat. Nihil addo, quia perspicuitati qua sensum suum explicuit, nihil pœnè addi potest. *Vide pulchre f. 85. p. a.*

CAPVT XXIII

Guilielmus Altissiodorensis.

AIVNGAMVS Guilielmo Parisiensi conterraneum & coætaneum Guilielmum Altissiodorensem. Hic in quæstione qua quærit, quid sit libertas arbitrij, sic loquitur: *Est autem triplex notanda libertas in libero arbitrio. Generalis scilicet libertas necessitatis sive a necessitate, a peccato, a miseria. Libertas a necessitate duplex est, scilicet a necessitate inevitabilitatis, & hæc libertas non est in diabolo, quia inevitabiliter peccat. Et a necessitate*

In summa tract. 2. cap. 21. q. 3.

A *coactionis extrinsecæ, & hæc est in omni habente liberum arbitrium.* Et explicata libertate à peccato & à miseria subjicit: *Patet ergo quid sit libertas arbitrij.* Significans omnino nullum aliud libertatis genus se agnoscere, unde liberum arbitrium appellatum sit. Deinde paulo post in eadem illa quæstione: *Dicimus quod hæc facilitas sive habilitas potentiæ libertas prædicta est, quia est sine coactione in omni habente liberum arbitrium.*

CAPVT XXIV.

Sanctus Thomas.

NEC vero sanctus Thomas ab illa communissima antiquorum sententia alienus est, sed eam diversis locis clarissimis verbis multisque modis expressit. Nam in primis docuit

Primo, arbitrium hominis dictum esse liberum, quia non cogitur. Hinc in secundo Sententiarum ita scribit: *Dicendum quod liberum arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Quam sententiam in eadem distinctione iterum repetit. Et in quæstionibus disputatis: *Liberum arbitrium secundum quod dicitur liberum à coactione non suscipit magis & minus.*

2. dist. 21. a. 1. de Veritate 22. a. 5.

Secundo necessitatem simplicem voluntatis non repugnare libertati: *Naturalis necessitas secundum quod voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in primo de Civitate Dei. Libertas enim voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur. Non est autem violentia vel coactio in hoc* B *quod aliquid secundum ordinem suæ naturæ movetur, sed magis in hoc quod naturalis motus impeditur: sicut cum impeditur grave ne descendat ad medium. Unde voluntas libere appetit felicitatem, licet necessario appetat illam. Sic autem & Deus sua voluntate libere amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum.*

1. p. de Potent. 4. 2. ad 1.

Tertio tradit hanc esse sententiam Augustini: *Ad tertium dicendum quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.*

122. de Veritate, 24. 1. ad 7.

Quarto sæpe docet arbitrium liberum idcirco non esse amissum per peccatum, quia remansit liberum à coactione, quamvis sit peccati servum: *Servitus peccati non dicit coactionem, sed vel inclinationem, in quantum peccatum præcedens*

124. de Veritate, 24. 1. ad 7.

A *aliquo modo inducit ad sequentia vel defectum virtutis naturalis, quæ non potest se à macula peccati eripere, cui se semel subdidit: & ideo semper in homine remanet libertas a coactione, per quam naturaliter est liberum arbitrium.* Et alibi quæstione sexta de malo, ubi probare nititur esse in homine liberum arbitrium, cùm objecisset sibi ex Augustino quod homo perdidisset liberum arbitrium, respondet: *Homo peccans liberum arbitrium perdidit quantum ad libertatem quæ est à culpa & a miseria: non autem quantum ad libertatem quæ est a coactione.* Et in prima parte Summæ ad idem argumentum ex Augustino petitum: *Dicendum, inquit, quod homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidisse non quantum ad libertatem naturalem quæ est a coactione, sed quantum ad libertatem quæ est a culpa & a miseria.*

ad 23.

1. p. q. 83. a. 2. ad 3.

Quinto docet Magistrum sententiarum & sanctum Bernardum, quando necessitatem removent à libero arbitrio, de necessitate coactionis loqui, sicut hoc de Magistro manifestum est ex multis locis Commentarij in distinctionem vigesimam-quintam secundi Sententiarum, præsertim articulo quarto & quinto: de Bernardo vero quæstione vegesimâ-quartâ inter disputatas de veritate. Nam cùm objecisset verba Bernardi: *Dicendum, inquit, quod Bernardus loquitur de libero arbitrio quantum ad necessitatem a coactione, quæ nec intensionem nec remissionem recipit.* De quo etiam videre licet articulum decimum ad decimumquintum.

q. 24. a. 8. ad 5.

Sextò, opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium ex hoc quod est voluntarium, spontaneum non coactum, tametsi sit determinatum ad unum.

Nam disputans, utrum Christus peccare potuit, cùm sibi objecisset ex Augustino, quod nullus peccat in eo quod non potest vitare, & proinde nullus etiam mereatur vel laudetur de hoc quod dimittere non potest, respondet: *Impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti & demeriti, non impotentia quæ est ex perfectione in bonitate vel malitia, quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad unum.* Et paulo superius in eodem articulo: *Quod posse peccare pertinet ad laudem, est per accidens: in quantum ostendit opus quod laudatur ex necessitate* (id est, coactione) *factum non esse: sed quamvis removeatur à Christo potentia peccandi, non tamen ponitur coactio quæ voluntario contrariatur & laudis rationem tollit.* Et in distinctionem decimam-octavam ut explicaret quomodo Christus mereri potuerit per liberum arbitrium determinatum ad unum numero scilicet ad diligendum Deum: *Dicendum*, inquit, *quod etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus.* Eandem suam mentem satis manifestè indicat scribens in distinctionem vigesimam-quintam secundi sententiarum, ubi dicit, *nunquam liberum arbitrium ad peccandum compelli seu cogi, quia iam sibi in peccatum non imputaretur.* Quasi indicans hoc sufficere ut in peccatum imputetur, quia non cogitur. Et in articulo sequenti: *Libertas à coactione & necessitate* (quam ibi pro ijsdem habet) *per se & semper liberum arbitrium sequitur. Vnde in littera* (Magistri sententiarum) *dicitur, quod in omnibus inventur, sine qua peccatum imputari non posset.*

Hinc septimo, cùm constans ejus doctrina sit liberum arbitrium esse respectu electionis, expresse tamen docet electionem Beatorum qua volunt amare Deum, esse liberam, & proinde in beatis esse liberum arbitrium: *Illud quod est ad finem est duplex: quoddam enim est distans à fine, & quoddam est coniunctum fini.* Quod declarat de calore disponente ad formam ignis & perfecto, qui non excluditur per formam: *Ita dico*, inquit, *quod quædam ordinata sunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipsi fini coniungunt, ut videre, amare, & huiusmodi; & respectu horum erit sempiterna & libera electio, non autem imperfectorum, quæ à fine distant, ut fides, spes, & huiusmodi.*

CAPVT XXV.

Ioannes Scotus.

SEd nemo est veterum Scholastico- A rum post divum Bernardum, qui, quod sciam, evidentius, resolutius, constantiusque summam libertatem cum necessitate summa constare posse & reipsa constare docuit, magisque expresse eam quam exposuimus sententiam Augustini tradidit, quam ille totius Scholasticæ subtilitatis Coryphæus Ioannes Scotus. Vsque adeo ut non mediocriter admiratus fuerim, cum omnibus quæ scripsi in hunc usque locum absolutis, tandem Doctorem istum quem nondum legeram, omniumque Scholasticorum remotissimum credideram ab ista doctrina sancti Augustini, fortissimum ejus defensorem, & ipsius Augustini interpretem esse deprehendi. Nam docet sine ambagibus quatuor articulos de libertate voluntatis.

Primus est ille capitalis, libertatem voluntatis omnino consistere posse cum necessitate. B Hæc ejus verba sunt: *De secundo articulo principali dico, quod cum necessitate ad volendum, stat libertas in voluntate.* Et auctoritatibus non solum Anselmi & Augustini dicentis, quod in futura vita liberius erit arbitrium cùm peccare non poterit, sed etiam efficacissimis rationibus prolixe probat. Causam vero & modum tradit, cur & quo necessitas consistat cum summa libertate, quia *voluntas propter firmitatem libertatis suæ, sibi-ipsi necessitatem imponit in eligendo actum, & in perseverando sive figendo se in actum.*

Secundus est, voluntatem sive necessario sive contingenter agat, semper agere liberè, nunquam naturaliter: *Voluntas semper habet suum modum causandi proprium, scilicet liberè.* Et rursum: *Voluntas ut voluntas est principium actum libere. Non magis igitur voluntas potest esse naturaliter activa, quam natura, ut est principium distinctum contra voluntatem, potest esse liberè activa.*

Tertius est, non solum in creaturis, sed & in ipso Deo hoc habere locum, quod & ipse diligat se-ipsum liberrima quamvis necessariâ voluntate, eodem prorsus modo quo Augustinus docet, Deum voluntate esse justum, & quamvis se negare non possit, esse liberum: *Voluntas divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* Imo ex hoc ipso, quod Deus circa creaturas eligendas liber est, concludit necessario esse liberum ad amorem sui. Hinc est, quod locum illum celeberrimum ex libro quinto de Civitate Dei, ubi Augustinus contra Philosophos disputat de proprie dicta humanæ voluntatis libertate, & exemplum ex divina libertate petens dicit: *Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper vivere & cuncta præscire.* Eodem modo explicat sicut explicuimus, nempe Augustinum excludere necessitatem violentiæ, non autem aliam à divina voluntate, quia libere quantumvis necessario, diligit se, & illam esse vitam de qua loquitur. Cùm enim locum de præscientia explanasset, & ab ea necessitatem violentiæ exclusisset: *De qua*, inquit,

quit, *ait, etiamsi nolumus efficit id quod potest*, dè vita subijcit: *Sed difficilius est quod addit viam & præscientiam. Sed ibi potest esse duplex responsio, una quod vita accipiatur ibi pro actu beatifico sicut accipitur vita Ioannis decimo-septimo: Hæc est vita æterna ut cognoscant te. Et sicut loquitur Philosophus*, duodecimo Metaphysicæ, *intellectus actus est vita. Et pari ratione actus voluntatis est vita: vita ista non cadit sub necessitate excludente libertatem etiam in Deo. Si autem intelligatur vita pro vita naturali ipsius Dei, tunc non debet intelligi de illa vita secundum se accepta, sed de ipsa ut à voluntate divina acceptata: potest autem aliquid esse bene in se necessarium & necessitate repugnante libertatis, quamvis tamen sit libere imo contingenter acceptatum.* Quod exemplo liberè sese præcipitantis, & semper liberè acceptantis casum jam necessarium illustrat.

Quartus est, connexionem terminorum istorum, voluntas semper agit libere & non naturaliter, quantumvis necessario agat, tam esse immediatam & quasi primo-veram, ut nequidem ejus ratio dari possit, sicut nullius essentiæ ratio vel demonstratio dari potest: *Si quæras*, inquit *quomodo stat libertas cum necessitate. Respondeo secundum Philosophum quarto Metaphysicæ, non est quærenda ratio eorum, quorum non est ratio. Demonstratio enim principij non est demonstratio.* Et multis interpositis disputans de actu voluntatis necessario, & motu gravis deorsum, cur unus non alius sit liber, sic dicit: Respondeo: *illa causatio gravitatis est naturalis, ista libera, quia hoc est hoc, & istud est istud. Breviter igitur, posset dici quod esse formæ & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata. Ideo sicut non est alia ratio quare hoc habet talem modum essendi, nisi quia est tale ens, sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta libere vel naturaliter, nisi quia est tale principium actionum, scilicet liberum vel naturale.* Nihil expressius & aptius excogitari potest ad explicandam Augustini mentem de libertate voluntatis, quam quæ in ista tota quodlibetica quæstione Scotus tradit. Nam hinc jam patet vera ratio cur Augustinus semper voluntatem & libertatem, arbitrium voluntatis & libertatem confundat, & naturæ opponere soleat, ut supra diximus, & ex omnibus ejus scriptis constantissimè pro ijsdem illa usurpantibus manifestum est. Nempe quia voluntas est principium agendi distinctum contra naturam seu agens naturale. Ex quo fit ut impossibile sit voluntatem rationalem aliter agere, quam per modum voluntatis, hoc est, semper liberè non naturaliter: ut infrà latius dicturi sumus.

CAPVT XXVI.

Sanctus Bonaventura.

SANCTVS vero Bonaventura Magistri Sententiarum & Alexandri Præceptoris sui doctrinam accuratissimè docuit, & ad amussim diversis in locis suorum scriptorum expressit. Nam in secundum distinctione vigesima quinta sæpius clarissimèque docet, arbitrium esse liberum dictum, non libertate ab illa voluntaria necessitate, vel culpa, vel miseria, sed illa libertate necessitatis cogentis sive coactionis. Et ita ex professo exponit Magistrum Sententiarum & sanctum Bernardum non uno loco. Nam in explicatione textus Magistri triplicem distinguentis libertatem, à necessitate, à peccato, à miseria, sic divisionis istius rationem reddit: *Est considerare libertatem arbitrij quantum ad esse, & quantum ad bene esse. Si quantum ad esse, sic vocatur à Magistro, libertas a coactione* (quod per necessitatem Magister intellexerit) *& a Bernardo libertas arbitrij, ab uno positive, ab altero privativè, si quantum ad bene esse* &c. Et ad explicationem textus alterius, quo Magister dicit libertatem ad malum esse etiam libertatem arbitrij: *Dicendum*, inquit, *quod cum nomen imponatur rei à proprietate quæ est sibi inhærens inseparabiliter & essentialiter, & libertas essentialiter libero arbitrio non sit libertas a culpa, vel a miseria, sed libertas a coactione, ab illa liberum arbitrium habet denominari. Et quantum hæc in creaturis, quantum est de se, indifferens est ad bonum & malum. Ideo Magister de hac intelligens dicit in littera, quod libertas à qua liberum arbitrium denominatur liberum, non est libertas ad bonum tantum, sed etiam ad malum.* Qua de causa in explicanda Magistri & Bernardi sententia, dixeram solam esse libertatem à necessitate coactionis, quam æqualem in bonis & malis beatis ac damnatis ponunt. Nam & quæstione prima super textibus illis allegatis, ubi illa Magistri & Bernardi sententia excutitur, sic rem definit: *Ad prædictorum* q. 1. in corp. *intelligentiam est notandum quod cum quæritur utrum liberum arbitrium sit æqualiter in omnibus, non est quæstio de ipso secundum quod dicitur liberum ea libertate, quæ est a miseria vel a culpa. Hoc enim modo planum est, quod liberius est in uno quam in alio. Sed est quæstio de libero arbitrio secundum quod dicitur liberum a coactione. Sic enim videntur auctoritates sanctorum sibi invicem repugnare. Et propterea ad contrarietatem quæ videtur de medio diminuenda, intelligendum est quod liberum arbitrium sive libertas arbitrij, & dicit comparationem ad illud a quo, & ad illud ad quod. Per comparationem ad illud à quo dicitur privativè sive negativè. Dicitur enim liberum a coactione pro eo quod est ab omni coactione immune. Per comparationem ad illud ad quod dicitur positive pro eo quod libertas arbitrij est quædam facultas sive potestas servandi rectitudinem. Hæc autem facultas prout privationi coactionis connecta est, habet quandam dignitatem. Dignitatis enim est & potestatis non posse cogi. Et sic in libero arbitrio intellectu tria claudantur videlicet & a coactione immunitas, excellentia dignitas, & potestas sive facultas.*

Quantum

A

B

A

B

In dist. 25. a certum: Itaque libertatis &c.

Al rectum: Verum nobis magis placet &c.

Quantum ad primum liberum arbitrium in omnibus A *in quibus est, æqualiter se habet, sicut dicunt auctoritates Bernardi, & ostendunt rationes ad hoc inductæ pro eo quod in omni in quo ponitur simpliciter & universaliter omnem excludit coactionem. Propterea dicit Bernardus quod ita plene est arbitrium liberum in creatura suo modo sicut in creatore. Quod est non possit intelligi veraciter esse dictum de aliquo quod dicatur per positionem, potest tamen intelligi de eo quod dicitur per omnimodam privationem.* Quam Bernardi sententiam esse docet etiam quæstione quinta in argumentorum solutione, & quæ-
Dist. 25. q. 1. in solut. argument. stione quarta respondendo ad argumenta: *Impedimentum privat actum libertatis, sed coactio ponit actum liberi arbitrij & simul cum hoc ponit, quod non sit libertatis, & ita sunt impossibilia, sicut si poneretur aliquis actus esse voluntatis & non esse voluntarius.* Et quæstione quinta qua quæritur utrum liberum arbitrium cogi possit à Deo, respondet: *Illud potest intelligi dupliciter, aut ita quod intelligatur quod possit auferre libertatem,* B *& auferendo libertatem superinducere coactionem, & hoc modo nulli dubium esse debet quin Deus possit hoc facere quantum est de immensitate suæ potentiæ. Alio modo ut intelligatur quod Deus cogat liberum arbitrium salva proprietate libertatis & eius natura, & hoc modo non solum est impossibile sed etiam non intelligibile pro eo quod implicat in se duo contradictorie opposita. Ex hoc enim quod liberum arbitrium est, si aliquid vult libere vult. Et ex hoc quod voluntarium est si aliquid vult voluntariè vult: & seipso movente vult. Ex hoc autem quod cogitur, si aliquid vult serviliter vult, & si quid vult invitè vult, & si aliquid vult ab alio vult, quia violentum est cuius principium est extra, nihil conferente vim passo. Ergo liberum arbitrium cogi non est aliud quam actum liberum arbitrij simul & semel esse liberum & servilem, esse voluntarium & non voluntarium, esse a se & non a se.*

Ex istius constantis doctrinæ principijs docet consequenter sanctus Bonaventura, ne- C cessitatem solius coactionis repugnare libertati, non autem illam quæ est voluntaria, quantumcunque sit immutabilis. Nam in secundum librum sententiarum scribens de liberi arbi-
In 2. dist. 7. trij immutabilitate quæstione secunda: *Ad illud*, inquit, *quod objicitur quod liberè velle & necessario opponuntur, dicendum quod duplex est necessitas quædam à causa extrinseca utpotè necessitas coactionis: & hæc opponitur ei quod est libere velle. Quædam vero est à dispositione intrinseca & hæc huic non opponitur: imo stat simul cum libertate. Talis est in libero arbitrio dæmonum qui ita conglutinant sibi malum ut nullo modo velint ab eo separari.* Et quæstione tertia qua quæritur, utrum confirmatio (scilicet beatorum) vel obstinatio diminuat libertatis dominium, quia confirmatus dicitur habere necessitatem, sic rem definit: *Respondeo dicendum quod necessitas immutabilitatis ad bonum nullo modo repugnat libero arbitrio, nec in quantum liberum à coactione, quia coactio est ab extrinseco, nec in quantum liberum a culpa vel miseria, & ideo non diminuit. Illa ergo propositio solum habet veritatem de necessitate coactionis vel promptitudinis ad malum.* Et distinctione vigesima quinta quæstione secunda: *Liberum arbitrium dupliciter potest considerari: aut secundum quod liberum, aut secundum quod deliberans. Si loquamur de ipso secundum quod liberum, sic concedo quod potest esse non solum respectu contingentis sed etiam necessarij, sicut patet in Deo, & in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis. Cùm enim duplex sit necessitas videlicet coactionis & immutabilitatis, Necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, Necessitas vero immutabilitatis, non, pro eo quod liberum arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc ut possit velle eius oppositum sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud; & ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et paulo inferius: *Actus liberi arbitrij ut liberum est non solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius in se.* Et hoc sensu vult locutum esse Augustinum cum dixit in Enchiridio, quod homo male velle non poterit, nec tamen carebit libero arbitrio; & quod voluntas qua beati esse volumus, sit voluntas libera. Imo admittit actum voluntatis necessarium, esse meritorium, quia qui fecit bonum, vult se fecisse. Et in tertium Sententiarum ad distinctionem In 3. dist. 32. duodecimam, quæstione, utrum Christus peccare potuerit, sic solvit objectionem, quod nemo esset laudabilis in his quæ facit de necessitate: *Dicendum*, inquit, *quod est necessitas quæ repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis quæ venit ab extrinseco. Et est necessitas quæ venit ex voluntatis immutabilitate. Cùm ergo dicitur quod laus non est in operibus necessitatis, dicendum quod verum est de necessitate primo modo dicta, sed non de secundo.* Quibus similia dicit distinctione decima octava quæstione secunda, potentiam videlicet determinatam ad unum non per naturam, ut sunt potentiæ naturales, sed per gratiæ confirmationem, ut in Christo contigit, posse exire *in actum meritorium*, quia *esset voluntarius*. Sed quid multis? Omnes pœnè quæstiones quas in vigesimam quintam distinctionem secundi Sententiarum scripsit, nihil aliud spirant quam veram rationem liberi in eo sitam esse, quod liberum arbitrium expers est cogentis, non immutabilis & voluntariæ necessitatis. Qu. 3.

In 2. dist. 25. q. 2.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Henricus à Gandavo.

HENRICVS à Gandavo multa tradit in quibus vestigia doctrinæ ab Augustino traditæ manifestè lucent, dum libertatem arbitrij ex illo considerari vult, quod coactionis impatiens est, sed delectabiliter in actum suum prodit: *Potest*, inquit, *liberum arbitrium duplici respectu considerari. Vno videlicet in quantum respicit voluntatem ut elicientem actum volentem; alio in quantum respicit obiectum ut terminum eius. Et secundum utrumque respectum iudicanda est ipsa arbitrij libertas, sed essentialius secundum primum: quia est dispositio voluntatis ut subiecti, licet in respectu ad obiectum, in quantum tendit in ipsum per suam actionem. Si ergo consideretur liberum arbitrium in primo respectu, sic dico quod voluntas dicitur liberum arbitrium, quia absoluta est ab omni coactione ipsam impediente & contristante in sua actione. Voluntas enim omnis ut liberè tendit in suam actionem, delectabilis est: necessitas coactionis contristans, quia est contra voluntatem, & omne quod cogit, necessario est contristabile ut dicit commentator super quintum Metaphysicæ. Et hoc modo homo & omnis rationalis & intellectualis natura iberi arbitrij sive liberæ voluntatis est, quia voluntas rationalis cogi non potest, coactione dico impellente iuxta illud quod dicit Anselmus de concordia prædestinationis &c. voluntatis arbitrium ut rectitudinem deserat, nulla cogitur necessitate, quamvis mortis impugnetur difficultate.* Hanc impellentem coactionem mox distinguit contra inducentem, qualis est metus, qui est coactio secundum quid. Et mox adijcit: *Tali voluntate liberi arbitrij utentur beati qui cum desiderio & amore volent quidquid volent, non aliqua coactione, quia illa necessario esset contristans: neque enim aliquo impulsu naturali, vel supernaturali, sed sola allectione boni voluntas feretur in id quodcunque volet.* Et multis interjectis, cum docuisset in Deo & beatis esse liberum arbitrium, etsi peccare non possent. *In hoc*, inquit, *consistit ratio libertatis quod nulla coactio potest impedire quin in bonum vergat si velit, nec in hoc solo, sed quod non impetu naturæ præcedente motum voluntatis, & voluntatem in actum impellente vult homo quæ vult & quæ appetit, quemadmodum appetunt bruta; sed desiderio & complacentia voluntatis præcedente, & naturali impetu voluntatem concomitante. Voluntas enim est instrumentum seipsum movens in obiectum bonum tanquam primum principium motus* &c. Et paulo post: *Et per hunc modum patet, quomodo voluntas erit liberrima in beatis, ubi natura omnino erit obediens bonæ voluntati, quæ proprio desiderio & complacentia naturalem impetum naturæ liberæ trahet in finem suum: à quo quia in se continet omnem rationem omnis boni, propter naturam concomitantem nullo modo potest se divertere* &c. Quod autem ibidem multa dicit de indifferentia voluntatis, ea intelligit de voluntate deliberativa respectu eorum quæ sunt ad finem, sive prout confutationem sequitur, quemadmodum ipse satis clarè significat alio in loco. Sed talis indifferentia non requiritur in appetendis omnibus bonis, neque ad voluntatis libertatem, sicut ipse expressè docet quodlibeto duodecimo quæstione vigesima sexta, ubi dicit quod voluntas respectu finis omnis boni rationem continentis *movetur ex se libertate & immutabili necessitate.*

Henricus quodlib. 3. q. 17.

Quodlib. 3. q. 17.

Quodlib. 4. q. 22. & quodl. 12. q. 26.

CAPVT XXVIII.

Richardus de Media Villa

NEC postremus est in hac doctrina asserenda Richardus de Media Villa, coætaneus Henrico à Gandavo. Docet enim multipliciter arbitrij libertatem in eo sitam esse, quod sit liberum omnino à coactione, & hoc divum Bernardum & Magistrum, dum libertatem à necessitate asserunt asseruisse. Nam in secundum distinctione vigesima quinta articulo secundo quæstione prima sic loquitur: *Liberum arbitrium liberum est ab aliquo, & ad aliquid. Primo modo secundum Bernardum de libero arbitrio longè post principium, triplex est liberi arbitrij libertas scilicet à necessitate cogente, à culpa inclinante, & à miseria impellente: quam etiam distinctionem ponit Magister in litera, & sicut dicit Bernardus ibidem: inter has tres libertates, libertas à necessitate cogente, maximè convenit libero arbitrio; & secundum ipsum ibidem libertatem à necessitate contulit nobis in conditione naturæ* &c. Et ibidem quæstione secunda: *Libertas arbitrij coactione absoluta est amissibiliter ubicunque est, hæc enim libertas essentialis est libero arbitrio. Libertas vero accidentalis, quæ est à servitute peccati, amissibilis est* &c.

Richard. de Media Villa in 2. dist. 25. a. 2. q. 1.

Ibid. q. 2.

Secundò, hinc consequenter docet nullam creaturam posse auferre liberum arbitrium, quia non potest illud cogere: *Libertas arbitrij consequitur naturam ipsius animæ intellectivæ vel ipsius Angeli: fundatur enim immediatè in natura rei cuius est. Illud ergo quod non potest transmutare naturam rei habentis liberum arbitrium, non potest sibi auferre liberi arbitrij potestatem, neque simpliciter neque ad tempus: sed nulla creatura potest naturam rei transmutare in qua immediatè fundatur libertas arbitrij* &c. *Et ex consequenti nec ab ea auferre liberi arbitrij potestatem: sed libertas & cogibilitas opponuntur, ergo liberum arbitrium non est cogibile ab aliqua creatura.* Et rursum paulo post: *Cogere liberum*

Art. 4. q. 1.

liberum arbitrium esset auferre liberi arbitrij potestatem; quia potestas liberi arbitrij fundatur in natura rei cuius est immediate, usus autem eius in nobis dependet etiam ex corporis dispositione.

Hinc tertio docet, omnes omnino actus humanos, id est, qui sunt hominis ut homo est, esse actus liberi arbitrij: *Omnes*, inquit, *actus humani sunt actus liberi arbitrij quia omnes actus humani aut à libero arbitrio eliciuntur aut imperantur: quia non omnes actus qui sunt in homine, actus humani dici debent proprie loquendo, sed tantum illi qui sunt hominis ut homo est: sicut sunt actus intellectus & voluntatis &c.* a. 3. q. 1.

Quarto consequenter docet, etiam actus qui versantur circa finem esse liberos, quamvis non eliciantur deliberatione præcedente: *Nostrum liberum arbitrium & est liberum in quantum per ipsum possumus libere velle: & deliberativum in quantum per ipsum possumus libere consiliari: Et est defectibile in quantum est ex nihilo. Si consideretur in quantum est liberum sic omne bonum est obiectum eius, quia per ipsum possumus omne bonum libere velle, etiam finem loquendo de libertate a coactione: quamvis finem in generali velimus naturali necessitate, quia in volendo finem voluntas sine coactione movet se, & quia nullus actus humanus est ultimus finis, hinc consequenter, quemadmodum & sanctus Thomas,* a. 3. q. 2.

Docet quinto, esse electionem respectu eorum, quibus manent beati conjuncti fini: *Etsi in beatis non sit electio respectu eorum quæ sunt ordinata ad finem, in quantum sunt, ducentia ad finem distantem, tamen eligunt perseverare in illis bonis, sine* a. 3. q. 2. ad 6.

A *quibus non possent manere coniuncti cum fine.* Vnde alibi tractans verba Bernardi quibus dicit: *Voluntas pro sui ingenita libertate nulla cogitur necessitate*, cùm tamen Angeli de necessitate velint bonum, ideoque nec liberi esse videantur, respondet; *quod Bernardus ibi loquitur de necessitate coactionis, illa autem necessitas qua Angeli non diligunt nisi bonum, non est necessitas coactionis, quia non obstante illa necessitate liberrimè motu dilectionis movent se. Et simili ratione docet quod obstinatio libertatem à necessaria coactione non tollit, nec minuit: sed obstinati* (dæmones) *per suum liberum arbitrium ad malum movent se liberè.* Et ita concludit manere liberum arbitrium. In 2. dist. 7. a. 1. q. 2. ad 2, & 3.

Sexto conformiter tradit, necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti, dummodo absit coactio. Nam de impeccabilitate Christi disputans, cum proposuisset hoc argumentum, quod peccatum & meritum sint voluntaria; nullus autem peccet in eo quod vitare non potest & proinde quod nec mereatur Christus in declinando malum quod facere non potest, sic respondet: *Dicendum quod quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti vel demeriti, necessitas tamen quæ est ex perfectione bonitatis non tollit rationem meriti in viatore.* Hæc omnia Richardus, quibus aperte sentit necessitatem illam voluntariam, utpote quæ ex plenitudine volendi proficiscitur, non tollere vel libertatem arbitrij vel rationem meriti vel demeriti. B In 3. dist. 13. a. 2. q. 1. ad 2.

CAPVT XXIX.

Thomas de Argentina.

EANDEM doctrinam verbis perspicuis tradidit Thomas ab Argentina in diversis locis. Nam in distinctione vigesima quinta secundi Sententiarum articulo primo sic scribit: *Potentia quæ est essentialiter libera aliquo modo est sui ipsius motiva, sed voluntas est essentialiter libera ut inferius intendo declarare distinctione trigesima octava.* Et inferius articulo quarto concludit, Deum posse immutare liberum arbitrium, non tamen cogere, quia contradictionem implicat: esset enim involuntarium & voluntarium, nolitum & volitum: *Et hæc est intentio*, inquit, *Bernardi in libro de libero arbitrio, ubi ait voluntas pro ingenita nobilitate, nulla cogitur necessitate.* Et ibidem ad argumentum respondet: *Deus non potest cogere liberum hominis arbitrium, eo quod non sit capax coactionis. Nam eius coactio esset contradictionis implicatio: quia coactum non est liberum. Igitur si liberum arbitrium cogeretur, tunc idem esset liberum & non liberum.* Et in distinctionem trigesimam octavam articulo primo: *Illa potentia est principaliter libera quæ nullo modo potest cogi, seu libertate privari: sed sola voluntas sic est libera, quod necessitari nullatenus potest necessitate coactionis: quia* In 2. dist. 25. a. 1. Dist. 38. a. 1. A B

secundum Bernardum in libro de libero arbitrio, voluntati datus est intellectus, ut illum instruat, non ut destruat, destrueret autem si ei ullam necessitatem imponeret. Et in tertium distinctione duodecima objicit libertati Christi, quod sicut nemo peccat ita nec meretur in eo quod vitare non potest. Respondet autem, *quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti, necessitas tamen immutabilitatis proveniens ex perfectione virtutum non tollit rationem meriti sed auget.* Et distinctione decima octava articulo tertio adversus meritum Christi sibi opposuerat, quod Christus in omni actu suo determinatus esset ad bonum, & proinde non magis mereri posset, quam agens naturale determinatum ad unum. Respondet autem; *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc quod est determinatum ad unum, sed ex modo determinationis, puta quod necessario & non voluntariè tendit in illud unum. Sed Christus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipsum. Huiusmodi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem sed potius auget & ideo talis determinatio non repugnat merito.* In 3. dist. 13. In 3. dist. 18. a. 3. A B

CAPVT

CAPVT XXX.

Dionysius Carthusianus.

DIONYSIVS Carthusianus, quamvis temporibus nostris longè propinquior, satis luculentè ostendit in eadem illa veterum scriptorum sententia se fuisse. Nam in commentarijs in secundum distinctione vigesima quinta quæstione quarta ita loquitur: *Quatuor sunt status libertatis seu liberi arbitrij in homine. Vnus ante peccatum, secundus sub peccato, tertius sub gratia, quartus in gloria. Atque in omnibus his iudicio meo, libertas à coactione seu necessitate, æqualiter manet in homine propter libertatem voluntatis, quam si homo amitteret, peccatum eius non esset peccatum.* Et paulò post, ad quæstionem qua quærebatur, utrum homo peccet coactè & necessario, quia non potest non peccare, respondet: *Si quis habeat plura deprimentia ad peccandum, & nihil elevans contra ea, necesse est quod deprimentia vincant & faciant eum labi deorsum. Ita est in libero arbitrio, gratiam elevantem non habente, sed propriam infirmitatem & culpam trahentem inferius, tamen non cadit nisi electione propria voluntatis, non necessitate coactionis. Ideo dicit Gregorius, peccatum quod per pœnitentiam non deletur pondere suo mox trahit ad aliud.*

In 2. dist. 25. a. 4.

CAPVT XXXI.

Marsilius de Inghen.

MARSILIVS etiam ex professo doctrinæ sancti Bernardi & Magistri insistit. Nam in quæstione decima sexta super secundum Sententiarum articulo secundo sic loquitur: *Cum Magister dicat distinctione vigesima quinta triplicem esse libertatem scilicet à necessitate, à peccato, & à miseria, vocans libertatem à necessitate libertatem à coactione &c. De sola libertate quæ est à necessitate est principaliter ad præsens, & est materia præsentis articuli. Vbi primo est notandum quod libertas creaturæ rationalis est ipsamet creatura, ut libertas Angeli est ipse Angelus. Quod patet quia solo Angelo remanente omnibus alijs ab eo seclusis, maneret ipse liber: & non esset tunc liber per libertatem superadditam, cum omnia alia sint seclusa. Ergo est liber libertate quæ ipse est: sequitur enim libertas essentiam creaturæ rationalis. Sed rationabiliter quæritur utrum sic libertas hominis sit homo? Ad quod (quia quid nominis est) dicitur communiter quod Libertas hominis est sua voluntas quæ per suam essentiam libera est: quia sicut non stat essentiam Angeli remanere sine libertate ita nec essentiam voluntatis.* Mox docet, libertatem dici analogicè de Deo, Angelo, & homine, quia Deus liber est simplicitate sine actibus superadditis; Angelus est sua libertas, sed cum actibus superadditis; homo non est sua libertas, sed anima vel voluntas ejus, ac deinde varios libertatis modos distinguit juxta varios hominis status.

Marsil. 2. qu. 2.

Et in eadem distinctione decima sexta articulo quinto, succinctis conclusionibus suam de libertate sententiam exprimit. Prima propositio: *Libertas voluntatis non attenditur penes hoc quod potest deficere sive peccare. Patet quia tunc Deus non esset liberæ voluntatis, quia utique peccare non potest.*

Secunda *nec libertas voluntatis attenditur penes hoc quod omne quod potest velle, possit perficere. Patet quia potest velle quod est supra se ut suum supponi esse Papam vel Regem. Vnde Philosophus tertio Ethicorum ait, voluntas est impossibilium, sed non electio.*

Tertia, *nec libertas creatæ voluntatis attenditur penes hoc quod non possit immobiliter in bonum vel in malum. Patet ex dictis in tertio articulo quæstionis quintæ huius secundi: quia completo statu in eo in quo finaliter se posuit, de lege communi immobiliter perseverat &c.*

Quarta. *Nec libertas, ut æstimo, in hoc consistit quod ultimum finem beatificum clarè visum de lege communi possit non velle: sicut beatitudinem suam clarè visam non possit non appetere. Et de hoc dictum fuit in secundo articulo &c.*

Quinta, *videtur quod naturaliter libertas sit sua essentia. Hæc est prius posita in primo notabili secundi articuli.* Et statim adijcit de libertate viæ & de potentia Dei ad auferendam libertatem, nempe *quod non sit possibile ut voluntate remanente Deus eius libertatem auferat, quia ut dictum est, voluntas est sua libertas.*

Ex his perspicuum est, quid sentiat Marsilius de libertate essentiali voluntatis, tum angelicæ, tum humanæ. Nam quod diversos libertatis status exponat, quæ vel in via, vel in patria aliud postulant, non repugnat generali isti doctrinæ, sicut infrà declarabitur: Quemadmodum enim in viatoribus postulat indifferentiam, ita in beatis admittit necessitatem. Et cum objiceretur ex Philosopho tertio Ethicorum, quod de necessarijs nullus laudaretur vel vituperaretur, Christus autem in omni bono opere tam impeccabilis, fuisset necessitatus, distinguit triplex necessarium. *Primo quia coactum & in hoc nullus meretur. Secundo quia à natura inexistens sic quod aliter fieri nequit, sicut gravis inclinatio ad deorsum, & hominis inclinatio in scire per intellectu & in bonum per affectum, & in talibus homo etiam non meretur. Tertio modo dicitur necessarium, quia inevitabile, non tamen per naturam, sed per gratiam in bonum confirmantem. Et hoc contingit generaliter in comprehensoribus.* Et statim declarat quod Christus opera bona quæ fecit, fecit necessitate inevitabilitatis,

In quæst. 12. super 3. sent. art. 2.

tis, per gratiæ plenitudinem eum in bonum confirmantem, & quod fuerit Paulus viator. Philosophus autem in tertio Ethicorum lo-

A quitur de necessario primo vel secundo modo dicto. De talibus enim necessarijs nullus laudatur.

CAPVT XXXII

Nicolaus de Orbellis & Stephanus Brulefer

Nicolaus de Orbell. in 2. dist. 25.

NICOLAVS de Orbellis commentario in secundum sententiarum distinctione vigesima quinta: *Dicitur liberum arbitrium simpliciter non quod sic velit hoc ut possit velle oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia se vult aliquid ut velit se velle illud, & ideo in actu volendi subditum movet & sibi dominatur; & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.*

Steph. Brulefer in 2. dist. 25. q. 8.

Stephanus Brulefer commentator Magistri Sententiarum ex ordine Seraphico, scribens in secundum distinctione vigesima quinta quæstione octava: *Actus liberi arbitrij deliberantis quamvis possit esse circa necessarium, semper est contingens. Actus vero liberi arbitrij ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessa-*

A *rius in se.* Et quæstione septima non nisi tria vult includi in libero arbitrio, *immunitatem à coactione, excellentiæ dignitatem, & potestatem.* Quantum ad primum esse æqualiter in omnibus in quibus est, *sicut dicit Bernardus*, inquit, *in libro de libero arbitrio. Manet libertas arbitrij tam plena in beatis &c.*

Petrus Cap. Ord. Seraph. scribens in 2. sent. S. Bonav. q. 1. ad 1. Petrus Capulleius Episcopus Conversanus Ordinis Seraphici scribens in secundum Sententiarum Sancti Bonaventuræ: *Quædam sunt ordinata ad finem beatitudinis quæ ipsi ultimo fini beatitudini coniunguntur, ut videre & amare, & respectu horum est sempiterna & libera electio: alia autem sunt imperfecta, eo quod ab ultimo fine distant, ut fides & spes, & hæc excluduntur nec est sempiterna electio respectu horum.*

CAPVT XXXIII.

Gabriel.

Gab. in 3. dist. 18. a. 3.

GABRIEL in tertium scribens distinctione decima octava articulo tertio expresse docet, actum beatificum esse posse meritorium, si ad hoc solum à Deo acciperetur. Quod autem objicitur de libertate beatificæ dilectionis, respondet; *Negetur quod actus beatitudinis sit simpliciter necessarius, quia sive sit immediate à Deo, sive elicitus a voluntate est libere elicitus & sic contingens. Est tamen immutabilis & perpetuus, contingenter non necessario, quia à voluntate divina perpetuo conservatur, cujus certitudinem habet beatus per divinam revelationem. Est ergo beatitudo immutabilis, quia non mutabitur. Non autem immutabilis id est impossibilis mutari. Posset enim Deus eam mutare de potentia absoluta.* Hæc est ergo contingentia quam in ea Gabriel ponit per potentiæ externæ considerationem. Et ibidem docet, quod *voluntas per actum beatificum libere, complacenter tendit in objectum beatificum licet non libere contradictorie, & hæc libertas sufficit ad rationem meriti.*

A mitate quippiam velit. Nec aliam omnino libertatem plerique cum illis antecessoribus suis agnoverunt, nisi illam triplicem, à necessitate coactionis, à peccato, à miseria, quarum duas posteriores, velut spurias respectu libertatis generalis, quæ communis est bonis & malis, abjecere. Neque esset difficile ostendere quibus gradibus ab illa doctrinæ face paulatim deflexum est, dum quidam cœperunt primo liberum arbitrium distinguere in liberum & liberativum; tum alij libertatem respectu finis imminuere, alij deinde prorsus tollere: alij respectu mediorum, mox indifferentiam urgere; alij denique nullam libertatem, nisi illam agnoscere. Quod usque adeo verum est, ut eosdem omnino Scholasticos nonnullos veteres videre liceat, initio ad amussim cum Magistro sentientes, imo longè audacius & apertius illius sensa promentes quam ipse prompserat, deinde sub finem vitæ in alterum extremum, quamvis nonnihil vacillando vergentes. Quæ sane posteriorum scriptorum declinatio, multoque magis præcedentium improbatio, evidentissimo argumento est, aliam doctrinam à posteris tradi, quam à majoribus accepta fuerit. Sed quia non sine magna ratione credendi sunt declinasse, operæ pretium me facturum puto, si paulisper præcipua eorum argumenta excussero, & Bernardi, imo & Scholasticorum veterum verbis & sensu solvero, vel soluta demonstravero.

B Hæc arbitror, aliaque plura, quæ si res ita posceret, proferri possent satis evidenter ostendunt, quid primi Scholastici de doctrina Magistri Sententiarum, Hugonis, Richardi, imprimisque Bernardi, & Augustini à quibus eam didicerant, judicaverint. Passim enim inculcant, libertatem ab illa necessitate quam Magister explicat, hoc est, coactione, à vera arbitrij libertate repellendam esse, nihil omnino solliciti, utrum voluntas immutabili firmitate quippiam velit. Nec aliam omnino libertatem plerique cum illis antecessoribus suis agnoverunt, nisi illam triplicem, à necessitate coactionis, à peccato, à miseria, quarum duas posteriores, velut spurias respectu libertatis generalis, quæ communis est bonis & malis, abjecere. Neque esset difficile ostendere quibus gradibus ab illa doctrinæ face paulatim deflexum est, dum quidam cœperunt primo liberum arbitrium distinguere in liberum & liberativum; tum alij libertatem respectu finis imminuere, alij deinde prorsus tollere: alij respectu mediorum, mox indifferentiam urgere; alij denique nullam libertatem, nisi illam agnoscere. Quod usque adeo verum est, ut eosdem omnino Scholasticos nonnullos veteres videre liceat, initio ad amussim cum Magistro sentientes, imo longè audacius & apertius illius sensa promentes quam ipse prompserat, deinde sub finem vitæ in alterum extremum, quamvis nonnihil vacillando vergentes. Quæ sane posteriorum scriptorum declinatio, multoque magis præcedentium improbatio, evidentissimo argumento est, aliam doctrinam à posteris tradi, quam à majoribus accepta fuerit. Sed quia non sine magna ratione credendi sunt declinasse, operæ pretium me facturum puto, si paulisper præcipua eorum argumenta excussero, & Bernardi, imo & Scholasticorum veterum verbis & sensu solvero, vel soluta demonstravero.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Solvuntur generaliter Scripturæ, Patres, & Concilia quæ requirunt indifferentiam ad utrumlibet.

Eccles. 15. PRIMO igitur objiciuntur Scripturæ sacræ quæ dicunt, *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. Appositi tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrigis manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit dabitur illi.* Vbi Scriptura satis explicat quid sit esse in manu consilij, cum dicit hominem si voluerit mandata servare, & consequenter non servare si noluerit. Rursum ex duobus oppositis vitâ & morte, bono & malo, eligere posse quod placuerit. Ergo in homine est libertas & contrarietatis & contradictionis, & non sola libertas à coactione. Idem convincunt omnia mandata, quibus aliquid vel jubetur vel vetatur. Significant enim hominem ad utrumvis posse flecti, ad bonum ad malum, ad agendum, ad abstinendum. Quibus consentanea Patres omnes clamant, indicantes passim hominem posse quæ jubentur facere & non facere, ut visum fuerit, & habere ut Nazianzenus, τὰ ἐπ' ἀμφοτέρα ἀντεξούσιά κινήματα, *in utramque partem liberi arbitrij motus.* Neque Deum homini *necessitatem ut* Hilarius *in alterutrum affigere.* Loca plura non est opus operosè proferre. Nam ex hujus unius argumenti solutione facile patefiet quid de ceteris dicendum sit.

A

B

Nazianz. orat. 2

Hilar. in Psal. 2

Itaque respondeo argumentum esse verissimum, quod ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & ceteris non solum admittitur, sed velut Catholicæ fidei immobilis basis adversus Manichæos aliasque pestes veritatis & libertatis inimicas invictissimè defenditur, ac defendi debet. Verum ad propositum nostrum nihil facere facilè videt, quisquis oculos habeat, quibus apertas veritates videat. Quis enim nesciat Scripturas istas ac similes de viatorum hominum libertate loqui? Illi quippe sunt quibus præcipitur bonum ac vetatur malum: illi sunt quibus ignis & aqua, vita & mors appositi sunt, illi sunt qui parem in utramque partem habent voluntatis motum: illi denique qui possunt præcepta facere & non facere, servare vel trāsgredi. Sed sicut ex istiusmodi Scripturæ testimonijs perperam concluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret; ergo Angeli, ergo beati homines, ergo dæmones libertatis expertes sunt, ergo ipse Christus Dominus, dum in via ad patriam tenderet, libertate caruit; cum neque beati, neque Christus Dominus præcepta transgredi possit aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec dæmones bonum: ita neque rectè concluditur, actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem, non esse liberum. Inter actum quippe liberum & statum libertatis per magna differentia est. Aliter Deus, aliter Angeli viatores & primus homo, aliter beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit. Nec ullo pacto quæ in uno statu libertatis adsunt aut etiam requisita sunt, ad alterum extendenda sunt. Hominum igitur viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse cum Scripturis, Augustino, & Patribus, & Catholica fide fatemur perlibenter: sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrij libertatem ijdem Patres pernegarent. Neque enim quisquam spero, ita desipuerit, ut hominem etiam viatorem libertatem amissurum putaret, si liberrima & liberatrice charitate in humanum liberaretur & firmaretur arbitrium, ut quod beatis jam in præmium retributum est, in hac vita constitutus amplius jam peccare non posset. Ex alio igitur capite quam ex natura libertatis, oritur indifferentia ad agendum & non agendum, item; ad bonum & malum. Nam quamvis istud certissimum in creatura rationali libertatis indicium sit, non tamen libertatis est causa vel ratio. Et propterea adesse vel abesse potest voluntatis arbitrio, sine dispendio libertatis. Deus quippe (ut prætermissis Angelis tam beatis quam damnatis, de re notissima duntaxat loquar) juxta Catholicam fidem est liberrimus, qui tamen nec malum unquam eligere, neque ab eligendo bono, quod ab æternitate sibi eligendum præfixit, ullâ mutatione desistere potest: ne vel imprudens videatur id eligendo, quod postea propter alias non prævisas rationes mutandum esse judicaret, vel certè inconstans ac levis, sine nova ratione respuendo quod semel prudenter elegisset. Quid si hoc ipsum igitur Deus, quod sibi per naturam cōpetit, angelicis humanisque voluntatibus per gratiam tribuere velit, ut propter similem licet imparem lucis illustrantis magnitudinem, non sinantur novas rationes electionis mutandæ cernere, nec propter prudentissimæ voluntatis constantiam sine ratione mutare, quod sibi semel & semper sine ulla cessatione diligendum elegerant? Quis, quæso, nisi iniquus rerum apertarum judex, non eos tanto in illa electione liberiores putet, quanto propius ad illam immobilem firmitatem divinæ libertatis & electionis accesserint? Vt propterea meritò dixerit S. Thomas, quod *respectu amare, erit in beatis sempiterna & libera electio*, atque inde concluserit in eis esse liberum arbitrium. Quapropter liberum arbitriū in omnibus, sive beatis, sive damnatis, sive viatoribus; sive Deo, sive creatura, vniformem libertatis rationem

C

2. dist. 25 a. 1. qu. 4.

obtinet, etsi difformem statum. In Deo per naturæ constantiam, in beatis per gratię beneficium ad bonum semper determinatum est, in damnatis ad malum, cùm tamen neutris quicquam de illa libertate, à qua dictum est liberum arbitrium detrahatur. Rursum in Angelis & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum & malum; in hominibus lapsis viatoribus itidem indifferens, sed longe minus; utpote qui vident aliam legẽ in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem eos in lege peccati. In Christo Domino viatore, nullo pacto ad malum flecti potuit: ita fit ut liberum arbitrium pro naturæ cujusque, vel ordinis divinitus instituti, vel meritorum diversitate, diversum statum sortiatur, in quo ad diversa actionum genera potens, promptum & expeditum fiat, citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem. Eadem quippe ratio libertatis in omnibus istis actionum & cessationum generibus dominatur, sive voluntas ita in alteram partem fixa sit, ut non possit velle nisi vel tantum bonum; vel tantum malum, vel ita indifferens, ut adhuc in utramque partem flecti queat. Hoc est enim in omnibus liberum *quod habent in sua potestate*, hoc est, *quod fit cùm volunt*, sive sit bonum duntaxat, sive malum, sive utrumlibet, sive sit ad agendum, sive ad cessandum, sive ad utrumlibet. Fortitudo enim & amplitudo liberi arbitrij peccatis aut benefactis ita amitti potest, ut quædam actionum & voluntatum genera non possit, quæ ante poterat, aut possit quæ ante non poterat, atque ita ad plures actiones extendatur aut contrahatur: ipsa tamen libertas arbitrij amitti non potest, quamdiu vigente rationis consideratione, vel bene, vel male tantum, vel utrumque facere potest. Quamobrem quando Scripturæ, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrij flexibilitatem ad utramlibet partem urgent, aut judicant, aut provocant, per quam videlicet possimus si volumus bene vel malè vivere, velle vel nolle, divinæ inspirationi liberè consentire, eamq; abijcere, Deo vocanti consentire vel dissentire, certum liberi arbitrij statum respiciunt, cui hujusmodi flexibilitas propria & semper præsto est, non autem quasi continuo non esset liberum quicquid hujusmodi flexibili in utrumlibet potestate caret. De quibus tamen locutionibus alibi, cùm ad concordiam gratiæ & liberi arbitrij ventum fuerit, plura dicturi sumus; quo videlicet pacto hoc ipso veræ sunt, quatenus etiam tum cum alterum eorum facit, potest non facere, quantumvis ad alterutrum, sive per gratiam, sive absente gratiâ per concupiscentiâ determinetur.

Vide lib. 2. de gra. Christi Salvat. cap. 4. & 14.

Difficultas quæ moveri posset, quod ista doctrina Patrum Calvini opinioni concinat, *Vide ibid.* oportunius etiam reservabitur alteri loco, ubi *cap. ultim.* gratiæ concordia cùm libero arbitrio, juxta sancti Augustini principia demonstranda est.

CAPVT XXXV.

Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.

SED potissimum hic difficultatem facit, quod actûs illius voluntatis, qui solâ libertate à coactione liber fuerit, non videamur esse domini, nec eum habere in nostra potestate, quod ad actum liberum omnino necessarium est. Nam ut Augustinus de libera voluntate dicit: *Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas sita est.* Quo vero pacto intelligi potest, quod illum actum in nostra potestate habeamus, & ejus domini simus, à quo propter volendi necessitatem abstinere non possumus? Illius quippe Domini videmur duntaxat esse, quod facimus, & non facimus, quando lubet. Accedit quod in hujusmodi actu potius agi quàm agere videamur. Hoc autem repugnare libertati arbitrij extra controversiam est. Omnium enim Doctorum judicium est, voluntatem liberam se-ipsam agere & movere, & in hoc à brutis pueris, insensatis, agens liberum distinguitur. Prima hujus objectionis pars nonnullis antiquioribus Scholasticis qui illum Augustini locum citaverunt, hallucinandi causa fuit, posterior illis qui magis Aristotelis Philosophiæ dediti sunt.

Lib. 3. de lib. arbit. c. 3. & 1. Retract. cap. 9.

Itaque ad priorem respondeo, non rationis illius vim, sed imaginationis imbecillitatem esse causam, ut homines in percipienda voluntariorum actuum libertate fallantur. Nam intuentes omnes actiones hominum quas imperatas dicimus, & magis notæ sunt, nullam eorum omnino liberam esse vident, nisi quam possumus facere & non facere, quando volumus. Simulatque enim actio vel cessatio actionis non sequitur nostram voluntatem, hoc ipso est extra nostram potestatem adeoq; libertatẽ. Omnibus enim à natura indita est illa notio qua liberum dicitur, quod fit cum volumus, non fit cum nolumus: ita ut regula omnis libertatis, quæ in actionibus imperatis quarumcumq; facultatum reperitur, sit ipsum velle, cui nisi mox adsit actio cujuscumq; potentiæ, vel cessatio actionis, mox etiam actio illa vel non actio, cancellos libertatis egreditur. Quod in petulcis illis imaginationis, concupiscentiæ, genitalium motibus, in intellectus nutibus, quibus claræ assentit veritati, & quibuscumq; sensuum, vegetativæ facultatis, adeoq; externis actionibus, vel cessationibus apertissimum est hoc ipso namq; quod nobis volẽtibus non sequuntur, vel nobis nolentibus prosiliunt, extra potestatẽ nostram sunt, & ideo quoque extra libertatem. Ex quo fit ut etiam Tullius, solo naturalis Philosophiæ lumine

In paradoxis lumine instructus dicat: *Quid est enim libertas? Potestas vivendi ut velis.* Ecce velle statuitur velut immobilis norma libertatis. Quicquid enim amplius potest ut quippiam agamus vel non agamus, patiamur vel non patiamur, quam velle nostrum, istud funditus destruit hoc ipso illius actionis vel cessationis libertatem. Vnde adjunxit idem: *Nec est ulla res quæ plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque judicium.* Et hinc profectæ sunt illæ quas ante delibavimus doctissimorum virorum definitiones, quibus liberum arbitrium per potestatem faciendi quod volueris, vel inclinandi se ad quos volueris actus, vel aliquid quod æquipolleat, descripserunt. Sic enim optimè & ex Augustini quoque mente expresserunt illud dominium liberi arbitrij super actus nostros liberos hoc ipso quo illos ita in voluntatis potestate statuerunt, ut illos faciat vel non faciat, cum placuerit.

Cùm igitur illa potestas agendi & non agendi, quam libertatem seu indifferentiam contradictionis vulgo dicimus, in omnibus actionibus imperatis, libertatis arbitrio subjectis, valde manifesta sit, perrexerunt ad ipsum cubile libertatis, voluntatem sive volitionem, & ibi similem indifferentiam semper & ubique necessariam esse judicarunt, respectu cujuscumque motus liberi. Cùm enim hoc habeat definitio actus liberi, ut eum agamus & non agamus, quandocumq; voluerimus, ita ut cum indifferentia contradictionis operemur (nam indifferentia contrarietatis judicio quoque Scholasticorum parvi momenti est, & in solis viatoribus, propter alias causas quam libertatis, locum habet, & semper in usu suo indifferentiam contradictionis involuit) fieri non posse censuerunt ut id quod liberrati essentiale est, ab ullo actu libero separetur. Recte hactenus. Sed in eo imaginandi imbecillitas & imbecillitatis error est, quod quemadmodũ illam contradictionis indifferentiam quę in omnibus actibus imperatis lucet, voluntatis jussu metiuntur, cui ad nutum eos laxando vel cohibendo, subsint, ita motuum volendi libertatem, alia voluntate quam seipsa metiri volunt; ut sic videlicet in metienda libertate volitionis, nunquam in ipsa illa volitione maneamus, sed sine fine sursum semper ad alteram priorem ascendamus, ratione cujus hæc postrema sit libera, dum priorem sequitur, aut non sequitur, prout jusserit aut vetuerit. Iste imaginandi modus, citra dubitationem, in Augustini principijs, secundum quæ hic semper loquimur, falsus est. Voluntas enim, hoc est, volitio deliberata, de qua sola tractamus seipsa libera est, & contradictionem implicat non esse liberam, quia *fit cum volumus, non fit cum nolumus*, non alia volitione sed seipsa. Nec est vitiosus aut nugatorius iste librandæ libertatis modus. In illum enim necessario inciditur, cum ratio essentiarum petitur. Essentiarum quippe non datur ratio. Velle autem & nolle, essentialiter liberum est, quod subtilissime Ioannes Scotus vidit, & rationem à priori dat, si tamen aliqua dari potest. Nam rogatus, cur grave non æque libere se movet, quam voluntas ad illud velle suum quod causat necessario, respondet: *Illa causatio gravitatis est naturalis, ista libera, quia hoc est hoc, & istud est istud. Nam esse formæ & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata.* Quod est ipsissimum quod nic cum Augustino de essentiali libertate voluntatis, quantumvis necessaria, asserimus. Itaque sicut Scholastici, quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem *posse dissentire si velit*, & Augustinum, hominem Deo vocanti posse consentire si velit, putant & recte putant, significari humani arbitrij libertatem, sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione, libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle si velit, posse non velle si velit. Nam quid est posse consentire nisi velle? Quid est dissentire nisi non velle? Si ergo phrases istæ infallibiliter demonstrant humani libertatem arbitrij profecto liberum erit arbitrium, etiamsi immutabiliter velit aut immutabiliter nolit. Facit enim illa si vult, eodem modo sicut consentit si vult. Siquidem omnis voluntatis deliberatæ motus essentialiter quoque talem indifferentiam contradictionis quodam sensu, secum trahit. Nec enim aliud est ista indifferentia libertatis, quam tantopere Scholastici admirantur, quam potestas agendi & non agendi ad libitum voluntatis, seu cum voluerit. Quod si voluntas forte vel agere vel cessare nolit, & firmiter nolit, & immutabiliter nolit; vel è contrario, agere velit & firmiter velit, & immutabiliter velit, quodnam hic fingi potest detrimentum libertatis? Cùm hæc ipsa firmitas libertatis sit exercitium, ac testimonium libertatis ejus, & hoc est quod acutissimè vidit & profundissimè divino suo ingenio penetravit Augustinus, cum toties adversus obtusiores hominum imaginationes inculcavit, hoc esse in nostra potestate & liberum, *quod cum volumus facimus.* Et ne quis ab illa regula libertatis voluntatem ipsam seu volitionem excluderet, ratione cujus in nostra potestate & liberum nobis est, quicquid liberum est, statim adjecit & crebrò repetit: *Quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas*, hoc est, volitio. Et quare tandem Doctor sanctissime, cum teipso judice & Magistro quędam sint perpetua & immutabiles voluntates in Deo & Angelis bonis ac malis quæ cum mutari aut cessare nequeant, non videntur amplius esse in eorum potestate? *Ea enim*, respondet ipse, *prorsus nullo intervallo mox ut volumus præsto est.* Et rursum: *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, ubi prius & maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa cum volumus.* Si præsto est cum volumus, & non præsto est cum nolumus, ergo libera est nobis. Si vero perpetuo & stabiliter velit, perpetuo & stabiliter præsto est, perpetuo & stabiliter libera est, tantoque liberior, quo magis inseparabiliter præsto est cum volueris, divinæque & genuinæ voluntatis libertati consimilior. Quemadmodum enim voluntas

Quodlib. 16.

lib. 7. de lib. arb. c. 3.

Lib. 1. retract. c. 9.

2. retract. 1.

rationes habet volendi aliquid, sine periculo libertatis, ita nonnunquam rationes habet fixè volendi & nunquam mutandi sine periculo libertatis. Non minus enim continuatio & stabilitas & non mutatio voluntatis seu volitionis, quam ipsa prima voluntas libera est: & ita in potestate habet diu, stabiliter, & sine mutatione velle, quam velle. Quid ergo conquerimur de libertate voluntatis immutabilis, si ipsa sapientissima, plenissimaque voluntate mutari nolit? Tantasque in mutandi causis in æternis Dei rationibus contempletur, ut nihil stultius judicans quam desistere, voluntatis firmitate mutari nolit, & semper volendo mutari non possit? Quasi vero deliberia ista volendi inconstantia, quam in nobis experimur, perfectioni liberæ voluntatis quicquam conferat, cùm sit non libertatis, sed ægritudinis animi certissimum argumentum. Oritur quippe partim ex imperitia rationum & circumstantiarum omnium, propter quas aliquid prudenter amplectendum est, partim ex inconstantia non perseverandi in eo quod prudenter amplexi sumus, quarum altera facit ut prior voluntatem justâ ratione, altera, ut sine justa ratione mutemus. Si enim nova lux oritur quæ antè latuit, voluntas imprudens vel mutari vel cessare debet; si non oritur voluntas prudens, ut mutari nec cessare debet. Quæ duo vitia quemadmodum absint Deo, si beatis quoque creaturarũ voluntatibus detraxeris, sicut perpetua agendi vivacitate vigent, ita in imperitiam & inconstantiam labi nequeunt, immutabilis & incessabilis erit voluntas bona, & eâdem semper libertate libera, qua primum voluit & amavit id quod prudenter & constanter & incessanter volendum & amandum esse judicaverat. Sic fit & voluntas æquitatis, quæ Deus noster est, & voluntas iniquitatis, inamissibilis & incessabilis. Propter eadem quippe rationes, quibus æquitatem super omnia & in omnibus & semper prudentissimo judicio sibi diligendam constituerant, torpore & inconstantia & imperitia liberati, eandem æquitatem super omnia, in omnibus, & semper diligunt, nec umbram rationis cujusquam vident, propter quam abrumperent illam quam prudentissimè libereque inchoaverant voluntatem. Præsto est illis ergo voluntas ista cùm volunt, & quantum volunt, & quamdiu volunt: & quia multum volunt, & semper volunt, & nunquam desistere volunt, hinc semper, nullo temporis intervallo, est præsto cùm volunt, hinc semper & maximè omnium est in eorum dominio & potestate, hinc semper & maximè libera. Sed quia nihil in hac vita omnino simile experimur, hinc nescio quis nobis scrupulus semper manet, quod voluntas beatorum impetu quodam qui coliberi voluntate nequeat, in clare visum feratur aut rapiatur Deum, atque ita libertas voluntatis auferatur. Veruntamen si quis humanas voluntates diligenter attendat, videbit luculenta veritatis istius expressa vestigia. Statuamus enim virum tanta sanctitate sublimem, quanta quenquam in hac vita fuisse vidimus vel audivimus, vel citra claram visionem Dei esse posse cogitamus: qui præterquam quod naturali corporis atque animæ constitutione, ebrietatem averseretur, virtutis insuper magnitudine fœdissimum istud vitium instar mortis abhorreat. Si quis à tali viro quæreret, utrum se inebriare posset; responderet utique possem, si vellem. Sed si ulterius instes, velis igitur & facias; nunquam animum quibuscumque promissis, blanditiis, rationibus, minisque provocatum eò adducere posset. Nec tamen ideo, quod sentiat bruto in contrarium impetu rapi voluntatem, sed quia tantæ absurditatis, fœditatis & impietatis istud flagitium ei videtur, ut, si mens ei passione vehementissima tolleretur, nunquam posset se ipsum ex nolente volentem facere. Sit tamen ei semper videtur, & sic revera est, quod hoc posset perpetrare si vellet. Sed nunquam rationes volendi invenit, & ideo prudentem istam voluntatem mutare non potest. Idem & simili prorsus modo in cælo accidit. Possent enim volitionem suam mutare si vellent (quia sentiunt non se aliter nisi prudentissimè volendo ferri, quod velle, non aliter nisi per, nolle, mutatur) sed ratio mutandi nulla præsto est, & ideo nunquam mutare volunt, quæ nolitio mutationis, quia semper cum nolunt præsto est, & maxime semper præsto est, hinc maximè quoque est in eorum potestate, & maximè libera. Quâ consideratione videtur dixisse unum Scholasticæ Theologiæ lumen, sanctus Thomas, *Erit sempiterna & libera electio*, respectu amoris beatifici. Et alterum Ioannes Scotus, *Voluntas respectu cujuscunque actus est libera, & à nullo objecto necessitatur.* Et alibi: *Voluntas elevata non necessario movetur, quantum est ex parte sua*, necessitate scilicet naturæ quam repugnare docet voluntati.

Tu. 4. dist. 49. q. 10. In 1. dist. 1. q. 4.

Sed hoc est quod fallere videtur cogitantes, quod quia beatos ab illa felicissima voluntate desistere non posse vident, nescio quo illos pondere libertatem præpediente ferri imaginantur, ut quadam quasi naturalis necessitas oriatur, quæ voluntate sisti vel abrumpi nequeat. Sed imperfectus & falsus est iste imaginandi modus. Cùm enim juxta Augustinum, hoc tanquam ratione & arbitrio præditi possimus dicamur, *quod nostram sequitur voluntatem*, & juxta Anselmum, *omnis potestas*, scilicet rationalis, *sequatur voluntatem. Si enim non subsequitur voluntas, non est potestas*, sed necessitas, hinc fit, ut isto sensu etiam abruptio seu cessatio illius voluntatis sit in potestate, quia fit cùm volunt. Sed si non velint, defectus oritur ex voluntate, non potestate. Quæ solutio quamvis Augustini sit, si tamen alicui necdum faciat satis, sciat ille, quod sicut nunc omnis omnino voluntas juxta naturam voluntatis ex aliqua delectatione proficiscitur, sine qua præeunte esse non potest, ita quoque stabilitas voluntatis ex eadem delectatione nascitur. Quo enim vinculo voluntas primo in objectum amandum figitur, illo eodem nectitur & ita

1. Retract. cap. 22. Lib. 2. Contra Duas Epist. Pelag. cap. 10.

& ita alligatur ut neque ad momentum abrumpi aut diverti velit. Quod certissimum esse deprehendet quisquis attente profundèque fibras & flexus propriæ voluntatis attenderit: sed si cui obscurior incertiorque videatur ista experientia de præeunte semper delectatione, credat tantisper (donec istud legitima probatione alibi asseramus) Augustino securissimè pronuntianti de cautis ad volendum concitantibus: *Quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit?* Quemadmodum igitur nulla voluntas, seu volitio exseri potest, nisi delectatione aliquâ suscitetur, ita nec persistere, nisi delectatione nectatur. Neutrum impedit, sed provocat & efficit arbitrij libertatem. Non enim est impetus voluntati extraneus, vel intus eam per modum naturæ quasi brutali impetu concitans, ut vulgus imaginatur, sed illo pacto quo solo voluntas excitari & provocari & perdurare & stabiliri potest, & sine quo non potest. Est enim modus ejus naturæ, prout nunc constituta est, prorsus instar proprietatis, consentaneus. Hæc ergo delectatio sicut facit voluntatem velle, & sine qua non potest velle quia non lubet, ita facit eam libere velle; & quemadmodum delectatione illa rationali sublevata liberè vult, ita stabilita liberè constanterque permanet, nec permaneret si nollet, juxta id quod Augustinus dicit: *Voluntas gratiâ conjungitur libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Non enim lubet ei abrumpere voluntatem suam, & ideo non potest abrumpere, si constanter illa delectatio perseveret, quia constanter ei non lubet. Sed hoc breviter tetigisse satis est, quod alibi ex professo velut certissima Augustinianæ basis pertractavimus. Nunc ad alteram objectionis partem veniamus, quo modo seipsam voluntas etiam comparatione æterni & beatificiamoris moveat.

Itaque respondemus, seipsum agere & movere, dominium quoddam super actum indicat, ut pro arbitrio sese moveat vel compescat; alioquin enim quantumvis internum sui motus principium habeat, agi & moveri potius quam se-ipsum movere dicitur. Hoc autem omnino postulat ut super actum suum reflectere possit, non solum appetendo, sed etiam judicando. Nam sive potestas appetitiva super se-ipsam sola reflecteretur, sive sola cognitiva, semper eodem modo istud agens sicut bruta moveretur vel refrenaretur. Hæc ergo potestas reflectendi sese super actum suum, propter immaterialitatem, qua nulli materiæ alligata est, objectique vastitatem ratiocini & voluntati creaturæ rationalis propria est. Ex ratione habet, ut possit de fine & medijs judicare, ea conferre, utrorumque proportionem expendere & per hoc ipsum, de proprio suo judicio judicare, num rectè judicaverit. Ex voluntate habet, ut possit non solum appetendo movere, sed etiam super motum suum se reflectendo velle movere. Et in hoc propriè sita est potestas movendi se. Et quia in omni rationali motu semper adest expresè vel tacitè hujusmodi super se reflexio, semper etiâ in omni rationali motu seu cõsensu suo movet se ac dominatur sui. Hoc est igitur proprie quod bruta, pueros, & insensata, deficit. Impetu enim concitantur, & refrenantur, non judicio, & approbante motum vel quietem suam voluntate: idque sive idem semper obvium appetant aut fugiant, sive pro diversis imaginum occursibus diversa. Et hoc est quod Græci communiter vocant liberum arbitrium ἀδούλωτον, & indomabile, & incogibile, quia quicquid voluptatis etiam ex clara Dei visione profluentis, aut timoris, aut cujuslibet affectus quantumcumque vehementis in voluntatem incidit, semper arbitrium superius manet, quia semper de istis tanquam de præparatorijs ad consentiendum aut dissentiendum judicat hoc ultro & sponte esse volendum, istud respuendum: & sic facit id quod ei videtur, id quod ei lubet, id quod ei placet, quæ propriæ veræ libertatis indicia sunt. Si vero vehementissime placet aut displicet, nihil mirum si arbitrium vehementissime quoque constantissimeque sibi esse volendum aut nolendum arbitretur. Sic ergo ratio, cùm plenissimo, tranquillissimo, serenissimoque judicio judicet sibi diligendum esse Deum, & se sanissime judicare judicet; voluntas vero amando, rationem sequi velit, & hoc se velle velit, & cessare nolit, perfectissime beati se ipsos movent, & sui actus perfectissimum dominium habent: Necessitas enim quæ in actu apparet, ab ipsa voluntate & dominij & libertatis ejus perfectione proficiscitur, quia ipsa sibi necessitatem facit, non per modum naturæ, sed perfectissimæ libertatis movendo & determinando se. Vnde succincte & fortiter de hac ipsa re S. Bonaventura: *Necessitas coactionis repugnat libertati arbitrij, necessitas vero immutabilitatis non: pro eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc ut velit eius oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui-ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud, & ideo in actu volendi se-ipsum movet, & sibi dominatur, & protanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et Ioannes Scotus tractans, cur actus necessarius non sit naturalis, sed liber: *Voluntas*, inquit, *nunquam potest esse determinata naturaliter ab aliquo agente superiori* &c. *Et posito actu primo, quo voluntas est voluntas, si ipsa sibi relinqueretur, etsi possit contingenter habere, vel non habere, hoc velle* (id est, sive contingenter, sive necessario haberet) *tamen se-ipsum determinaret ad hoc velle.* Et Henricus à Gandavo: *Voluntas est primum principium movens in finem seipsum* &c. *Et hoc convenit ei ex naturali proportione voluntatis, ut cum vult ex se, per se sic moveatur sicut lapidi quod semper deorsum nitatur.*

1. Sent. q. 2. alicubi.

B. de Corr. gratiæ. 8.

Vide dicta lib. 4. de grat. Christi Salvat. fatis.

In 2. dist. 25 q. 2.

Quodlib. 16.

Quodlib. 2. q. 17.

CAPVT XXXVI.

Explicantur propositiones ex Bulla Pij Quinti: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Et, *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

OBICIVNTVR & illæ propositiones quæ in Bulla Pij Quinti & Gregorij decimi quinti proscriptæ sunt: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Item, *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Eò vero videtur tota hæc doctrina tendere, sicut ex allegatis testimonijs Dionysij Carthusiani, Thomæ de Argentina, Henrici à Gandavo, Richardi de Media Villa, Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ, Alberti, Alexandri Halensis, Guilielmi Altisiodorensis, Parisiensis, Petri Lombardi, Richardi, Hugonis, Bernardi, Damasceni, Bedæ, & Augustini manifestum est.

Respondeo incredibile est, tot doctissimorum magna ex parte Sanctissimorum virorum doctrinam à duobus Pontificibus esse damnatam, vel notatam, de quorum integritate nulla unquam accusatio aut suspicio fuit. Neque in tota illa contentione quæ Lovanij ferbuit, unquam illorum auctorum doctrina vel in querelam tracta, vel producta fuit. Vnde necesse est aliud omnino esse quod Pontifices illi proscripserunt. Hoc certè constat, neutram propositionem in libris typo vulgatis illius auctoris de quo erat controversia, contineri. An vero ex manuscriptis vel dictatis collectæ fuerint, me equidem latet. Cùm igitur ex ijs quæ extant scriptis non possit exculpi genuinus eorum sensus, dupliciter responderi potest. Primo, respectum haberi ad significationem hujus temporis, quo liberum nihil dicitur à Scholasticis, nisi quod sit cum indifferentia saltem contradictionis. Et quicquid non ita sit, non liberum vocant. Illam autem significationem non ita fuisse à Patribus veteribus usurpatam, ex allegatis testimonijs id expresse contestantibus apertissimum, & multo pluribus demonstrari posset. Hoc ergo sensu vulgatissimo certum est, utramque propositionem esse falsam. Non enim sufficit ad illam libertatem, quod sit voluntarium, nec ei sola repugnat violentia, sed opus est, ut qui liber dicitur, possit opus facere & non facere. Idcirco vero utramque propositionem damnandam censuerunt, quia tendebant eò, ut motus illi concupiscentiæ qui rationem antevertunt, essent liberi; quod sine dubio falsum est, & non Scholastici modo, sed & ijs ipsis auctoribus quos citavimus, adversum. Eò autem in istis propositionibus collimari indicat Vasquez in prima Secundæ, ubi dicit auctorem propositionum istarum, *putasse hominem peccare in omnibus affectibus & motibus suis qui non essent virtutis, ut etiam in his qui sine libertate sunt peccatum esse diceret.* (Hoc est, in istis motibus concupiscentiæ indeliberatis, quos non esse liberos constat) quod ex istis propositionibus de quibus agimus, & ex sexagesima quinta, quam statim afferemus probat. Idipsum probabile & satis perspicuum faciunt alia nonnulla pronuntiata, quibus eadem censura inflicta est. Articulus enim quadragesimus octavus dicit: *Prava desideria quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.* Et quadragesimus nonus: *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava eius desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt veræ legis inobedientia.* Et sexagesimus quintus: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Libertas enim in faciente, basis est & præcepti inobedientiæ & damnabilis peccati. Vnde ad muniendas istas propositiones, illæ de libertate videntur viam sternere.

Quanquam secundò etjam à ceteris avulsæ, & de libertate generatim, sicut eam exposuimus intellectæ, per seipsæ adhuc sine illa interpretatione vel mitigatione falsæ sunt. Constat enim hujusmodi improvisos voluntatis motus esse voluntarios & sine violentia ex voluntate fluere, nec tamen etjam illo sensu esse liberos. Deest illis quippe id quod præcipuum est, quia non sunt in hominis potestate, non sumus eorum Domini, fiunt sine plena rationis advertentia, profluunt invita repugnanteque voluntate; quæ singula essentialiter repugnant libertati. Amplius ergo sine dubio requiritur, quam esse voluntarium & sine violentia, ut sit liberum. Hoc Pontifices stabilire voluerunt, ne tales spontanei necessarij motus liberi putarentur, & in perniciosum humanæ vitæ errorem iretur, quem hæretici hujus temporis protulerunt: De amore autem beatifico, quem plures auctores veteres liberrimum cum Augustino esse docuerunt, nulla Pontificibus cura fuit. De illo vero solo nostra quæstio est: Nam ceteras humanæ vitæ actiones, quamvis etjam juxta tradita jam Augustini principia, sine indifferentia nihil vetaret esse liberas, reipsa tamen non solum sine violentia, sed & cum quadam indifferentia contradictionis, imo contrarietatis, ex Augustini & veterum citatorum mente antedictum est, fieri credimus.

Vasquez. disp. 190. c. 18.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Quomodo potentiæ rationales se habeant ad oppositа, & actus liber possit esse necessarius.

SED alia opponi potest difficultas, A quod potentiæ rationales se habeant ad opposita, ergo necesse est, ut voluntas quæ in ratione est, agens ut potentia rationalis, ad opposita, hoc est, ad bonum & malum, vel certè ad agere & non agere, sese indifferenter habeat, & non ad unum tantum determinata sit, ut fit in actu necessario. Rursum libertas voluntatis est respectu contingentium saltem actuum, si non objectorum, ergo non potest esse respectu actus necessarij; contingenter enim fieri & necessario fieri se mutuo interimunt.

Respondeo non premere hoc argumentum, quatenus amoris beatifici libertatem petit, nisi simul divinæ voluntatis libertatem in periculum conjectam velimus. Liberi enim arbrij Deus est, tametsi in oppositum flecti nequeat, quia electio ejus est immutabilis. Quod B si sufficiat, ad alterutrum se flectere eligendo potuisse, quamvis post electionem nulli mutationi in alterum oppositorum supersit locus, profecto satis erit etjam beatos Angelos aut homines indifferenti ad alterutrum voluntate Deum adamasse, quamvis electio jam per gratiam facta sit immutabilis. Nec ulla omnino ratio dari poterit deficientis in illo amore libertatis, quæ non longè magis in divina voluntate locum habeat, ut etjam supra tactum est. Sed ut doctrina sit generalior, statuamus hominem vel Angelum ita divina gratia in primo instanti præveniri, ut non alia indifferentia ad oppositum eligat amare Deum, quam nunc à beatis beatifico amore diligitur.

Dico igitur etjam juxta casum propositum, variis modis à veteribus libertatem amoris beatifici defendentibus responsum esse, sanctus Bonaventura precisè negat generaliter C esse verum, quod potestas rationalis se habet ad opposita, *sed hoc est verum*, inquit, *de potestate rationali secundum statum mutabilitatis & vertibilitatis, secundum quem statum intelligitur verbum Philosophi.* Et expresse docet liberum arbitrium, si consideretur ut deliberans, utrum hoc fiat, vel non fiat, sic esse respectu contingentium, quia de necessarijs non deliberatur. Sin autem ut liberum, esse respectu actus non *tantum contingentis sed etiam necessarij. Sicut patet*, inquit, *in Deo, & in Christo, & in Angelis, & in hominibus beatis*, eo quod necessitas immutabilitatis non repugnet libero arbitrio. Alexander Hales sufficere indicat, ut liberum arbitrium in se spectatum se habeat ad opposita, & *de se sit causa contingentium*, quia nempe de se vertibile est in bonum, & malum, in hoc vel illud, in agere & non agere: *Quod autem in futuro erit causa necessariorum, hoc est, ex superadditione determinationis quæ est à voluntate causa primæ retribuentis.* Propius magisque propriè videtur tetigisse veritatem Albertus Magnus; cum eodem peteretur argumento libertas Christi Domini, respondit: *Potentia rationalis ut est potentia* (hoc est, prout purè consideratur in ratione potentiæ) *est ad opposita, & sic semper fuit in Christo; sed in ipso nunquam fuit ut potentia indifferenter se habens ad utrumque contrariorum*, eo quod illa potentia de se indifferens, in ipso ad alteram partem determinata est. *Albertus in 3. dist. 12. a. 7.*

Itaque ut res ex suis principijs constet, responderi uberius potest; potentias rationales, qualis est intellectus & voluntas, ita se habere ad oppositа, ut tamen cum agendum est, non eis repugnet, sed maximè conveniat, ad alterum per proprium appetitum determinari, ut Aristoteles nono Metaphysicorum docet. Alioquin enim potentia rationalis, hoc est, ratio contraria faceret, sicut ad contraria sese habet. Hoc vero impossibile. *ἀναγκη ἄρα ἕτερον τι εἶναι, τὸ κύριον. λέγω δὲ τοῦτο ὄρεξιν ἢ προαίρεσιν. ὁποτερᾳ γὰρ ἂν ὁρίσηται κυρίως τοῦτο ποιήσει.* Necesse est igitur aliud quiddam esse quod dominetur. Hoc autem dico appetitum seu electionem, scilicet alterutrius oppositorum. *Quodcumque enim principaliter appetierit hoc faciet.* Sicut ergo non repugnat, sed congruit potentiæ rationali, ut unum ex oppositis principaliter κυρίως, id est, per modum dominantis actui suo appetat, altero relicto; ita non repugnat, sed congruit, si eadem dominativa potestate, alterum eorum fortiter, stabiliter, incessanter eligat, propter rationes maximas, quibus ita judicat fortiter, stabiliter, incessanter esse appetendum, & alterum respuendum. Duplex enim necessitas cogitanda est, altera præcurrens actum, & dominans actui, quem in alteram partem figat. Talis est necessitas omnis agentis naturalis. Et quod illam habet, non agit, sed agitur; qua consideratione dixit Augustinus: *Corporales causæ quæ magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ, quoniam hoc possunt quod ex ipsis facunt, spirituum voluntates.* Alia necessitas est sequens voluntatem, & ab ipsa manans, & sub ipsa manens, quam sibi-ipsi voluntas facit. Sub ipsa quippe voluntate cadit, non solum sui determinatio ad alterum oppositorum, sed etiam determinationis modus, quando propter pondus rationum evidentissimè cogitarum, & rationalis dilectionis magnitudinem, nunquam cessare eligit. Et ita etiam in illo motu tantum distat à necessitate naturali, necessitas illa voluntaria, quantum à natura voluntas, ab astrictione premente libertas

Aristot. 9 Metaphys. text. 4.

Lib. 5 de Civit. c. 9.

Durand. in 2. dist. 25. q. 1. & 2. ad tertia.

Alexander de Hales 2. p. q. 73. memb. 4. a. 2.

fruens. Hinc Ioannes Scotus communi omnium iudicio Scholasticorum subtilissimus, actum voluntatis simul necessarium & liberum esse posse tradens, generosius & resolutius quàm quisquam veterum dicit, duplicem esse necessitatem, unam quæ *prævia est ad voluntatem, ut voluntas intelligatur cadere sub necessitate tanquam impellente in actum, & figente in actu. Si autem sic esset, voluntas ageretur & non ageret, nec staret in tali actu libertas.* Alteram quæ est *necessitas concomitans, ita quod ipsa intelligatur cadere sub voluntate, sic quod voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibi-ipsi necessitatem imponit in eligendo actum, & in perseverando sive figendo se in actum.* Huiusce autem rei ratio est, quod agens necessarium & agens liberum non sint opposita, sicut nec opposita sunt agens naturale & agens contingenter. Sed illæ sunt primæ differentiæ principij activi, seu membra oppositi immediatæ divisionis principij activi, *agens naturale* & *agens liberum*, seu *natura* & *libertas*; itemque *agens necessario* & *agens contingenter*. Nam Aristoteles secundo Physicorum dividit causam activam in naturam & propositum; ad quas duas causas per se reducit alias per accidens causas, scilicet casum & fortunam. Vnde & Augustinus simili plane modo causas universaliter dividit in *fortuitas, naturales*, & *voluntarias*. *Est*, inquit, *causa fortuita, ejus naturalis, est voluntaria*, quæ apud ipsum eadem est quæ libera. Vbi si subtrahas causam fortuitam, causa per se dividetur eodem modo ut divisit Aristoteles, in *naturam* & *voluntatem* seu *propositum*. Et alibi disputans de libertate voluntatis, sæpius naturale opponit voluntario, hoc est, libero: *Ideo*, inquit, *lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.* Et rursum: *Qui motus si culpæ deputetur non est utique naturalis sed voluntarius.* Cùm igitur voluntas seu libertas non opponatur necessitati, sed naturæ, neque contingentia naturæ sed necessitati, nihil vetat membra duplicis istius divisionis in se incidere; ut scilicet quemadmodum actio naturæ seu naturalis potest esse contingens dum impeditur, ita etiam actio libera sit necessaria. Sed hoc est impossibile ut actio libera, hoc est, actio voluntatis sit naturalis, & consequenter impossibile est ut voluntas duplicem habeat actionem, liberam & naturalem. Cùm enim potentia libera & naturalis directè sint oppositæ potentiæ, non magis potest voluntas considerari ut libera & naturalis, quam si hominem considerare velis ut hominem & brutum, vel idem distinguere in seipsum & oppositum sui; cum agere libere & naturaliter sint modi oppositi immediatè dividentes, ut diximus, potentiam activam. Quemadmodum igitur natura semper servat suum operandi modum, qui est agere per modum naturæ, agi non agere, determinari ab alio ad unum; ita voluntas semper & essentialiter servat proprium suum operandi modum à natura distinctum, qui est agere non agi, movere ac determinare seipsam, agere per modum libertatis, sive contingenter agat sive necessario. Quod apertissimè docet idem subtilissimus Doctor Scotus: *Non est*, inquit, *eadem divisio in principium naturale & liberum, & in principium necessario activum & contingenter: aliquod enim naturale potest contingenter agere, quia potest impedire: igitur pari ratione possibile est, aliquod liberum, stante libertate necessario agere.* Et ad articulum tertium principalem: *Esse naturaliter activum & esse liberum activum, sunt primæ differentiæ principij activi; & voluntas ut voluntas est principium activum liberè. Non magis igitur potest voluntas esse naturaliter activa, quam natura ut est principium distinctum contra voluntatem potest esse libere activa.* Vnde paulo superius dicit; *Voluntas semper habet suum modum causandi proprium scilicet libere.*

Quodlib. 16. ad q. 2.

Lib. 5. de Civit. c. 9.

Lib. 3. de lib. arb. c. 1.

Quodl. 16. 2. principale.

Ibid. ad 3. principale.

CAPVT XXXVIII.

Profertur epilogicè consensus antiquorum Scholasticorum & Scriptorum usque ad Augustinum.

HANC ergo maximam diversitatem inter agens liberum & naturale veteres perspectam habentes, cum voluntas quantumcumq; aliquid immutabiliter necessarioque velit, semper sibi ipsi & actui suo dominando velit, semper seipsam agat & moveat, nunquam ab alio agatur & moveatur, semper per modum eligentis alteram partem velit, quæ ab omni agente naturali remotissima sunt, nihil omnino de necessitate actus voluntarij curaverunt: Sed non obstante immutabili necessitate, omnem omnino rationalem voluntatem (hoc est, voluntatis motum) & liberam & electivam obiecti sui posuerunt, sola exclusa violentiæ coactionisque necessitate.

Hinc Petrus Capulleius Episcopus Conversanus: *Respectu amare* (in beatis) *est sempiterna & libera electio.* Et Stephanus Brulefer: *Actus libert arbitrij ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium sed etiam necessarius in se.* Et Nicolaus de Orbellis: *Dicitur liberum non quod sic velit homo, ut possit velle oppositum; sed quia omne quod vult appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Et ante Nicolaum Gabriel Biel in tertium Sententiarum: *Actus beatitudinis est libere elicitus, & ita contingens, etsi immutabilis & perpetuus. Liberè*, inquam, *complacenter, licet non liberè contradictoriè, quia libertas sufficit ad rationem meriti.* Et ante Gabrielem Marsilius ab Inghen: *Necessarium & inevitabile non*

In 2. dist. 38. q. 1. punctu 1.

In 2. dist. 25. q. 3.

In 2. dist. 36.

Dist. 18. q. 1.

In q. 12. 3. sent. q. 3.

non per naturam, sed per gratiam non tollit rationem laudabilis. De quo Philosophus tertio Ethicorum. Nam *libertas est essentia creaturæ rationalis.* Et ante Marsilium Thomas de Argentina: *Necessitas coactionis tollit rationem meriti, necessitas immutabilitatis proveniens ex perfectione virtutum non tollit sed auget.* Et ante Thomam Argentinensem subtilissimus Doctor Scotus: *Cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate. Nam in eo est libertas volendi, quia delectabiliter & eligibiliter elicit actum & permanet in actu.* Et ante Scotum Henricus à Gandavo: *Movetur voluntas respectu finis omnem boni rationem continentis libertate & immutabili necessitate.* Et Richardus de Media Villa: *Non obstante illa necessitate, qua Angeli diligunt bonum liberrime motu dilectionis movent se: Eligunt quippe perseverare in illo bono, sine quibus non possent manere coniuncti cum fine.* Et ante Richardum Sanctus Bonaventura: *Quædam est necessitas à causa disponente intrinseca & hæc non opponitur ei quod est libere velle, imo stat simul cum libertate. Nam actus liberi arbitrij ut liberum est non solum potest esse circa necessarium sed etiam necessarius.* Et Sanctus Thomas Aquinas: *Etiamsi esset liberum arbitrium Christi, determinatum ad unum numero, sicut ad diligendam Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti &c. Nam respectu amare, est sempiterna & libera electio.* Et ante sanctos Thomam & Bonaventuram Alexander de Hales præceptor utriusque: *Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis.* Et ante Alexandrum Guilielmus Parisiensis Episcopus: *Necessitas vel impossibilitas quæ non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est ex voluntate, quam impossibile est non esse liberam, meritum aufert.* Et ante Guilielmum brevissimè & nervosissimè alius Episcopus Parisiensis Petrus Lombardus Magister sententiarum: *Ubi non est libertas nec voluntas.* Et ante Petrum Lombardum Richardus de Sancto Victore identidem repetit: *Libertatis est quod ad nullum seu bonum seu malum inviti cogi possimus.* Et eruditione, pietate, sodalitio, & ætate par Richardo, Hugo de Sancto Victore: *Liberum arbitrium ex Deo dicitur, quia est voluntarium. Nam ex quo voluntas est libertas est, quia voluntatis est libertas. Ubi autem non est libertas nec voluntas.* Et cœvus istis sanctus Bernardus qui Richardo, Hugoni, Magistro Sententiarum ceterisque Scholasticis Magistri Commentatoribus, sententiam istam & ipsa verba præcinuit & præformavit, velut præsultor totius chori. *Quod ex voluntate iam non ex necessitate (id est, coactione) sed voluntarium. Si autem voluntarium & liberum. Nam ubi confessa ibi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod puto dici liberum arbitrium. Ipsam enim voluntatem quia impossibile est de seipsa sibi non obedire, etiam impossibile est sua privari libertate.* Et ante sanctum Bernardum Sanctus Anselmus: *Velle non potest invitus, quia nemo potest velle nolens velle. Nam omnis volens ipsum suum velle vult &c.*

Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subjicere non potest? Et ante sanctum Bernardum sanctus Ioannes Damascenus: *Arbitrij libertas nihil aliud est quam voluntas.* Et voluntas nihil aliud est quam *mentis imperatricis liber motus.* Et ut verbo absolvam, ante sanctum Damascenum Magister omnium posteriorum profundissimus Augustinus: *Voluntas nostra nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis.* Unde & in beatis *erit una in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, fruens indefessa ter æternorum incunditate gaudiorum.* Habes lector consensum admirabilem tot sanctissimorum & eruditissimorum virorum, de quibus nulla unquam erroris in hoc argumento suspicio fuit. Ynanimiter constantissimèque docent, voluntatem hoc ipso quo rationalis voluntas est, esse liberam; sua non posse privari libertate; nec voluntatem, id est, volitionem futuram, nisi esset libera & in potestate, nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocumque voces nomine, sed solam coactionis necessitatem ei repugnare. Quæ longa Scriptorum series, ad duo subalterna principia, veluti fontes doctrinæ ceterorum, revocari potest, sanctum Bernardum & Augustinum. Omnes enim sancto Bernardo coætanei & successores Scholastici doctrinam ejus, veluti normam suæ sæpissimè citant, & æmulantur, & suam ejam in ipsius verbis exprimunt. Tam vero istius sancti doctrina de arbitrij libertate manifesta est, ut si solis radijs eam scribere voluisset, non potuisset nobis luculentius aperire sensum suum, quo omnem omnino voluntatem, hoc est, volitionem, liberam esse docet, inculcat, repetit, impossibile esse ut non sit libera, solamque coactionis necessitatem inimicam esse libertati. Augustinus vero, velut primum in ista principium Magisterque generalis omnium, quanto eruditior, tanto succinctior & profundior, una radicali invictaque definitione, omnes aliter sentientium præcidit argutias, omnes querelas resistentium sopit: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Et quid est esse in potestate Doctor subtilissime & securissime? *Nec aliud quia nam est in potestate nisi quod volent, hoc adest* (id est quod præsto est simul ac volumus) *Quod si fieri non potest ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus.* Fidenter dico, quicumque doctrinam istam à nobis traditam erroris insimulare ausus fuerit, non Augustinum, non Bernardum, sed Philosophiam fortassis Aristotelis ducem ac patronam habiturus est, & in ista Catholicæ doctrinæ culmina & columina (ut nihil de ceteris eorum sectatoribus eruditis & sanctis loquar) necesse est ut anathema primum dicat.

FINIS CORNE-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS.
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER SEPTIMVS.

Qui est secundus de libero arbitrio.

CAPVT PRIMVM.

Brevis recapitulatio præcedentium & propositio sequentium

HACTENVS declaravimus generalem libertatis rationem, à qua dictum est liberum arbitrium, commune bonis ac malis, in eo sitam esse quod immune sit à necessitate coactionis, ut sanctus Bernardus, Magister Sententiarum, & ceteri locuti sunt, vel à *necessitate quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit id quod potest*, ut sanctus Augustinus, quamvis idem diceret, loqui maluit. Nam sive aliquid coactè fieri dicatur, sive invitè, sive nolente renitenteque voluntate, sive quod non est in nostra potestate, ut fiat vel non fiat, idem omnino dicitur. Omnibus enim istis modis exprimitur id quod fit à principio extrinseco, nihil agente seu renitente voluntate, quæ est coacti definitio. Porro ista consideratio libertatis privativa est, quasi respectu termini *à quo* sit liberum. Cùm vero arbitrium non dicatur liberum nisi respectu sui actus, quasi termini *ad quem*, hinc non contentus Augustinus privative expressisse libertatis naturam, eandem etiam positive explicuit, illum actum esse nobis liberum dicens, *qui est in nostra potestate*, sive quod idem est, sicut ipse interpretatur, *qui fit cum volumus*; quasi hoc liberum esse diceret quod habet actum in sua potestate: quam omnium Græcorum definitionem esse diximus, dum simpliciter liberum arbitrium vocant, τὸ αὐτεξούσιον, & liberum τὸ ἐφ' ἡμῖν. Porro valde legitima & oportuna est illa Augustini expositio, quia exprimit contradictorium ejus à quo dicebatur esse liberum, scilicet cogentis necessitatis. Cùm enim coactum sit id quod non est in arbitrij potestate, *quod fit cum nolumus* (id est renitente passo) merito liberum dixit id esse, quod est in nostra potestate, *quod fit cum volumus*; qua de causa sanctus Bernardus & Scholastici veteres magno consensu dixerunt, voluntatem in omnibus Deo, Angelis, hominibus, beatis, damnatis æqualiter esse liberam, quia omni cogente necessitate superiorem, ut hanc ob rem Græci liberum arbitrium ἀδούλωτον id est, indomitum seu servitutis impatiens appellaverint.

Lib. 5. de Civit. c. 10.

Sed quamvis ita sit, ut voluntas semper à necessitate cogente libera sit, non tamen idcirco existimandum est, voluntatem quoslibet actus etiam voluntatis habere semper reipsa in sua potestate. Ad quosdam enim actus voluntas in certo statu prorsus impotens est, etsi ad oppositos non cogatur, quod in Deo, & beatis, in damnatis & infidelibus apertissimum est. Nec enim illi Deum odisse, vel quoquo modo peccare, nec hi diligere possunt. Per hoc ergo quod dicitur actus privative liber à cogente necessitate, exprimitur quidem quod non sit extra potestatem, non tamen sic explicatur, per quid positive ponatur in nostra potestate, vel unde fiat quod illam potestatem respectu unius actus voluntas habeat, respectu alterius careat, cum quoquò sese verterit, semper à coactione sit expedita. Dantur enim quædam impedimenta, vel quasi vincula voluntatis, à quibus subinde se expedire non potest; vel quia nunquam vult, vel velle potest; vel quia non satis fortiter vult, nec fortius velle potest. Dantur & adjumenta voluntatis quibus fit ut velit, vel si jam velit, ut robustius velit. Quicquid ergo vel dissipat impedimenta, vel confert adjumenta voluntatis, hoc voluntatem non privative respectu coactionis (hoc enim semper & quasi essentialiter possidet) sed quasi positive liberam respectu certorum actuum facit, ad quorum oppositos

oppositos est liberrima. Quanquam & in ipsa consideratione aliquid negativi necessario includatur. Nec enim intelligi potest, quod voluntas ad certum genus actuum sine coactione exercendorum fiat expedita, nisi simul ab impedimentis & vinculis eorum intelligatur liberari. Quamobrem duo hic disquirenda sunt. Primum quid sit illud quod voluntatem potentem ad actus liberos facit, seu quid sit quod facit actum in arbitrij potestate: alterum circa quos actus & objecta versetur libertas voluntatis, finem an media, bonum an malum, & quam actuum suorum indifferentiam postulet.

CAPVT SECVNDVM.

Est aliquid, præter nudam facultatem voluntatis, quod actum etjam voluntatis ponit in arbitrij potestate & illud facit velle.

QVÆRIMVS hic igitur, quid sit illud quod nos velle vel nolle facit, quo actus aliquis voluntatis (de actibus enim imperatis nulla difficultas est) ponitur in potestate voluntatis, seu, quid voluntatem ad actus aliquos liberam & potentem facit, ita ut sine eo velle non possit. Nam si nihil aliud est præter ipsam potentiam voluntatis, nulla ratio est, cur beati Angeli, & (quod absit) Deus ipse jam peccare non possit; nulla ratio cur damnati Deum diligere non possint, vel ipsi homines in hac vita non tantum diligant, quantum à se diligendum esse, & in hac vita diligi posse, totis visceribus optant & clamant. Aliquid est igitur præter voluntatem, quod voluntatem ipsam vel impedit vel potentem facit, ut unum objectum omnino velit, & quantum satis est velit, & ut alterum nolit, vel non quantum satis est nolit.

Dico igitur sancti Augustini principijs insistendo, aliquid omnino esse præter nudam facultatem voluntatis, quod eam facit velle vel nolle, quo omnino absente sit impotens, præsente potens, sive ad bonum sive ad malum. Hoc qui negat prima Christianæ fidei fundamenta concutit, quæ indubitanter docet, actus quosdam esse omnino extra potestatem voluntatis, nisi Deus potestatem ipsam voluntati per suam gratiam largiatur: esse quædam impedimenta voluntatis, quæ nisi dissipentur, fieri nullo modo posse ut voluntas velit, multo minus ut fortiter velit. Ita quippe firmiter, quamvis mirabiliter, quibusdam viscosis & voluntarijs vinculis voluntas certis objectis implicari potest, ut ea nulla omnino sua propria potestate dirumpere possit aut velit. Probat hoc invictè experientia quotidiana, qua videmus aliquos incredibiles difficultates perpeti, ut alio suam voluntatem transferant, quo transferendam esse judicant, & omnibus medullis voluntatis quantas habent volunt. Neque tamen obtemperat voluntas voluntati. Quid ita, nisi quia voluntas pennas visco ligatas habet, quod non potest adhuc contraria voluntate dirumpere? Poterit autem cum potestatem ille qui solus potest, voluntati dederit. Cujus rei nullum illustrius exemplum occurrere potest, quam illa celeberrima lucta sancti Augustini, cujus ipse testis est irrefragabilis: *Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione quod non irem in placitum & pactum tecum Deus meus in quod eundem esse, omnia ossa mea clamabant, & in cælum tollebant laudibus: Et non illuc ibatur navibus aut quadrigis &c. Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quam velle ire, sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque hac versare & iactare voluntatem.* Et adhuc uberius: *Tam multum ergo fleci, ubi non hoc erat velle quod posse, & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem possem, quia mox ut vellem utique vellem.* Ex quo conatu Augustini facile videt quilibet, quantum vinculum fuerit, quod tam seriò volentem voluntatem detinebat & ligabat, ut illud non posset rumpere. An forte non erat vinculum quod retrahebat à fortiter volendo voluntatem? Dicat ille qui expertus est: *Sic ægrotabam & excruciabar accusans meipsum solito acerbius nimis, ac volvens, ac versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar sed tenebar tamen.* Et iterum: *Sentiebam me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam & flebam amarissimâ contritione cordis mei.* An forte non conabatur voluntate vinculum voluntatis abrumpere? Quid sibi vult ergo tantus fletus, tanta indignatio, tantus fremitus ejus adversum se, quid incomparabilis ille affectus vinculi dirumpendi? Ipse testis sit conatus sui: *Dicebam enim apud me intus. Ecce modo fiat, modo fiat.* Ecce propositum voluntatis & conatus imperium. *Et item conabar & paulo minus ibi eram, & paulo minus tam tamque attingebam, & tenebam & non ibi eram.* Ecce luctam, ecce conatum, si quis unquam peccator adhibuit, obnixissimum. Sed vinculum voluntatis vetus fortius erat, quam ut omnibus voluntatis illius novæ viribus cederet: *Plusque in me valebat deterius molitum, quam melius insolitum. Vinculo* enim *desidery concubitus*, inquit, *arctissimè tenebar.* Et utramque voluntatem comparans inter se: *Velle meum tenebat mimicus, & inde*

Lib. 8. confess. c. 8.

Lib. 9. confess. c. 11.

Ibid. c. 12.

Cap. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. A Vides arbitror vinculum quod à volenda seu diligenda fortiter castitate retrahebat & impediebat. Nunc intuere conantis in contrarium voluntatem: *Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Nescio an quippiam afferri possit evidentius, ad ostendendum quædam esse vincula seu impedimenta viscosa voluntatis quibus fortissimè ligatur, ne in certos actus liberos possit surgere. Dices forte, ea rumpere potuisse Augustinum si voluisset: nihil verius, sed ad habendam tantam voluntatem nondum idoneus erat, quia nondum data erat. Ipsum enim *velle*, ut ibidem dicit, *erat posse.* Sed quia tantum velle non habebat, ideo & potestate carebat, secundum quod ipse dicit: *Voluntas nova nondum erat idonea ad superandam priorem*, donec cœlitus paulo post inspiraretur efficacior.

Cap. 5.

Cap. 8.

Sed hoc exemplum est hominis jam volentis, qui glutinosis vinculis impeditur, ne satis fortiter velit. Sunt alia vincula seu impedimenta, quæ nec tenuiter velle sinunt. Qui res humanas attentius exploraverit, nihil inveniet manifestius. Vnde enim alioquin in hominibus fide destitutis tam voluntarius, tam præceps, tam pertinax animi motus in carnales voluptates, ut non solum non habeant potestatem exuendi se, sed nec tenuissimam voluntatem, imo summam felicitatem putent, illis tanquam bonis, quibus ignorant meliora, frui; summam miseriam exui? Ipsa fides nos docet neminem non solum ex eis posse sine fide, qua carent, surgere, sed nec velle surgere. Quo enim pacto ex eo surgere volent, ex quo surgendum nesciunt? Nam ut optimè sanctus Prosper Christianæ fidei fundamentis canit:

Prosp. carm. de ingrat. c. 40.

Nec iam captivos oculos extollere in altum.
Sponte potest: quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub vulnere norit.

MAgis autem amisit, ut velit surgere, A multoque maximè, ut possit, ut in eodem libro non semel docet. Nihil igitur evidentius est, quam esse vincula quædam voluntatis, quæ voluntatem ipsam à volendo certum genus actuum retrahunt & impediunt, ita ut tale velle non sit in ipsius potestate, nisi tunc tantum, quando illa potestas aliunde datur, Scriptura propter illam causam dicente: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*, quod non fiunt nisi voluntate. Sed in dæmonibus ac damnatis res omni prorsus controversia caret. Certissimum est enim, eos illud bonorum actuum genus nec velle, nec posse velle propter insolubilia voluntatis vincula, quæ deficiente illo principio, quod voluntatem facit hujusmodi actus velle, rumpere nec possunt neque unquam volunt:

Ioan. 1.

Iam vero in beatis creaturis res ista æquè A perspicua est. Nam quod nec illæ à diligenda æterna veritate cessant, aut cessare possunt, aut volunt, nec vanitatem creaturarum diligere possunt, aut volunt, non aliunde accidit, nisi quia vinculo quodam delectabili constrictæ sunt, quod abrumpere neque voluntas neq; potestas est; ut hac de causa non sit amplius in earum potestate, & proinde nec liberum. Sed quid istud est, quod tantam vim habet in liberam voluntatem, ut quantumvis nunquam cogi possit, vel in ullos actus nisi libero prosilire motu, hoc tamen vinculo impedita in illos ipsos actus ad quos cogi nequit, liberè se flectere & progredi nequeat, hoc est, quid sit illud juxta doctrinam sancti Augustini, quo deficiente actus aliquis non est reipsa in voluntatis potestate, & quo præsente ponitur in ejus potestate, ita ut ejus præsentia nos velle faciat, absentia nolle?

CAPVT TERTIVM.

Delectatio efficit voluntatem & libertatem, hoc est, facit velle & liberè velle.

QVAPROPTER lustratis diligenter fundamentis Augustini, quibus tota doctrina de arbitrij libertate nititur, nihil aliud existimamus quam cognitionem ac delectationem, seu delectabilem objecti complacentiam, esse id quod tantam potestatem in liberum arbitrium habet, ut eam faciat velle vel nolle, seu, ut ea præsente actus volendi sit reipsa in ejus potestate, absente non sit. De cognitione hic non multum solliciti sumus. Illam enim ad volendum esse necessariam, vix quisquam dubitat.

A Nam inde est illud Aristotelis ac Damasceni ab omnibus admissum, quod ignorantia non minus quam coactio, seu violentia faciat involuntarium, vel certe quod huic loco sufficit, non voluntarium. Nemo quippe velle potest quod ignorat, de delectatione tota quæstio est. Rem tamen istam etjam de delectatione creberrime Augustinus tanquam certissimam sibique exploratissimam docuit. Nonnulla tamen delibaturi hoc loco sumus, quia multa in alium locum opportunius & fusius digestimus.

3. Ethic. c. Damasc. lib. 2. orthod. fid.

Vide lib. 2. de grat. Christi Salvat. cap. 15. usque ad 21.

Igitur

IN libro primo ad Simplicianum quæstione secunda ex professo disquirit, unde contingat quod voluntas unius ad rem aliquam sibi propositam non moveatur, ultimam radicem illam esse tradit, quia delectatione destituitur: ut autem amplectatur aliquid quod non delectet, fieri nullo pacto
Lib. 1. q. 2. ad Simplic. potest: *Quis habet*, inquit, *in potestate tali viso attingi mentem suam quo eius voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit?* Ecce rem ab ipsis fundamentis resolutam, defectum delectationis esse causam, cur voluntas non moveatur nec moveri possit ad amplectendum aliquid. Quod instantius paulo post iterum repetit: *Restat ergo ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque mutet animum, moveri nullo pacto potest. Hoc autem ut occurrat non est in hominis potestate.* Et in libro de Spiritu & littera, tanta hoc asseverat certitudine, ut nemini ignotum esse posse
Lib. de Spir. & lit. c. 35. declaret: *Quis nesciat non esse in hominis potestate quod sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, nisi tantum delectet quantum diligendum est?* Vbi magnitudo delectationis mensura dilectionis asseritur. Quod evidentius inculcans ibidem dicit: *Fieret enim*, perfecta scilicet vita, sine ullo omnino peccato, *si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tanta rei.* Sed quid causæ est, ut tanta voluntas non adhibeatur tantæ rei? *Esset autem tanta si & nihil eorum quæ pertinent ad iustitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quicquid aliud voluptas sive dolor impedit delectatio illa superaret.* Vbi pari prorsus modo defectum delectationis, sicut defectum scientiæ causas ponit, cur voluntas tanta non fit, quanta sufficit ut quælibet impedimenta superentur. Quare in eodem libro de utra-
Lib. de Spir. & lit. c. 3. que causa similiter dicit: *Cùm id quod agendum est cœperit non latere, nisi etiam* DELECTET *& alletur, non agitur, non suscipitur.* Imo si etiam agitur & suscipitur, deficiente delectatione mox deficitur, iuxta id quod
In Psal. 85. alibi dicit: *Si nulla iucunditas, defecimus.* Et in libris de peccatorum meritis & remissione cum causas volendi nolendique similiter indagaret, duas illas similiter profert, *sive quia*
Lib. 2. de nat. & mer. c. 17. *libet*, inquit, *sive quia non delectat.* Et rationem subijcit: *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas* (id est defectus delectationis) *vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum* &c. Nihil evidentius tradi posset, quàm istam doctrinam Augustinus tradit, & in omnibus operibus suis ab initio vitæ suæ Christianæ usque ad finem uniformiter. Vnde in Tractatibus in Ioannem illud Poëtæ tan-
Tract. 26. in Ioan. quam ex fundo veritatis haustum, *trahit sua quemque voluptas*, approbat. *Porro si Poëta*, inquit, *dicere licuit, trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quanto magis nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita.*

Cùm igitur vera causa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, sit delectatio qua intrinsecus in ipsa voluntate mulcetur, hinc est, quod consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, quam in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cùm enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate seu quod fit cum volumus, necesse est illud ipsum quod arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis. Sic igitur de libertate ad peccandum, seu quæ in peccatis eligendis apparet, Augustinus loquitur, cum liberum arbitrium in peccatoribus iuxta doctrinam ejus perijsse diceretur: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis iubet.* Et iterum in eodem loco: *In malo liberum habet arbitrium cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.* Et rursum enucleatius: *Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis*, id est, vitiosa delectatione qua mens ad bonum infirma redditur. Et adhuc instantius & apertius: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est quia liberata non est*, id est, non est expedita duobus illis vinculis quæ impediunt ne velit bonum; hoc est, ne illud velle habeat in potestate. Vtrumque eodem modo docet in Enchiridio ad Laurentium: *Quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando enim peccare delectat? Liberaliter enim servus qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccatum liber est.* Et cum dixisset eum qui talis est, nondum esse ab illis vinculis liberatum à Deo, adijcit: *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum liber est ad operandum bene,* [illegible]

Ex hoc generali principio ulterius Augustinus sæpe docet, idcirco voluntatis consensum ad peccandum tribui vel non tribui, quia voluntas delectatione peccati mollitur aut destituitur, aliâque fortiore possidetur: *Quæro*, inquit, *quid alliciat animæ consensionem, an ut fruat illa cassatum & propterea consentire dicatur, quia eius aliqua delectatione movetur ad fruendum. Quod si ita est non est consequens ut propterea malum dicatur, quia non recte diligitur.* Et tractatu quadragesimo sexto in Ioannem: *Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti.* Et in sermonibus de verbis Apostoli dicit quod *quicquid est peccatorum in dicto, in facto, in cogitationibus, non exoritur nisi ex illicita delectatione.* Hinc alibi de peccatoribus causâ peccandi rogatis: *Quid*, inquit, *aliud sermoni veritatis respondent omnes flagitiosi & facino-*

Lib. cont. Secund. c. 10.

Cap. 1.

Lib. 1. de Baptis. c. 10.

facinorosi hominis, cùm eos veritas arguit, nisi hoc solo, hoc me delectat? Et in dæmonibus ipsis in perpetua peccati voluntate permanentibus, eandem delectationem ejus rei causam esse satis evidenter exprimit, quando dicit, quod eos *perpetua peccandi voluptas tenet.*

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 5. Nec solum, ut voluntas peccet, sed etiam ut peccare nolit, eadem efficacia bonæ delectationis vel defectus malæ operatur: *Delectat uxor aliena & non annuis, mentem avertis in secretarium mentis intimæ &c. Nolo, inquis, non facio. Puta, quia delectat non facio. Habeo cui condelecter.* Et paulo post: *Si mens non consentit peccato titillanti, blandienti, si mens non consentit, quoniam habet alias interius delectationes suas, delectationibus carnis ex nulla parte conferendas.* Et alibi: *Et bonum sit, cum id quod male lubet, vincente bonâ delectatione non fit.* Quæ doctrina usque adeo apud Augustinum certa est, ut hac de causa nec beatorum arbitrium in cælo peccare posse testetur, quia illos peccata amplius delectare non poterunt, & ipsa delectatio non peccandi erit in eis perpetuâ stabilitate firmata: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Qua de causa dicit in libris de Trinitate: *Temperantia erit in cælo nullo defectu noxio delectari.* Et de Genesi ad litteram: *Sicut ergo vera ratio docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solum de ceteris licitis rectèque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur.* Nempe per aliam delectationem cælitus defluentem. Quemadmodum enim voluntas sine præeunte delectatione, velle vel consentire nequit, ita nec pravam delectationem sine aliqua majore delectatione & meliore compescere. Ex eadem quippe radice utrumque pari necessitate nascitur, pari certitudine ab Augustino traditur: *Regnant ipsa bona* (id est, fructus Spiritus) *si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Vt verbi gratia occurrit forma speciosa feminæ, & movet ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus & secundum hanc operamur.* Et causam reddens cur in quibusdam non regnent seu dominentur opera carnis, hoc est, peccata: *Maior enim & præpollentior eorum delectatio iustitia est.* Ex quo fit ut in libro de Nuptijs in hac pravæ delectationis immunitate verissimam arbitrij libertatem à volendis actibus malis, & ad volendos bonos collocet, quæ immunitas obtineri nequit, nisi per præpollentem justitiæ delectationem, altera delectatur: *Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectatur invitis.* Nimirum quia delectatio non solum arbitrium liberum ad actus malos facit, ut in præcedentibus ex Augustino demonstravimus, quos sine delectatione velle non potest, sed etiam ad actus bonos juxta illud brevissimum & verissimum: *Libertas delectat, delectet te, & liberes.* Qua nobilissima fulgentissimaque sententia hic contenti erimus. Nam propter peculiares difficultates quæ libertatem arbitrij ad bonum opus implicatam tenent, alibi hac de re fusius tractaturi, & eam innumeris testimonijs, si opus fuerit ex Augustinianæ doctrinæ fundamentis asserturi sumus.

Term. 5. de verb. Apost. cap. 9.
Cap. 10.
Lib. de Contin. cap. 8.
Lib. 22. de Civit. c. 30.
Lib. 14. c. 9. Lib. 11. de Gen. ad litt. c. 7.
In cap. 5. Epist. ad Galat.
Ibid.
Lib. 1. de nup. cap. 30.
Tract. 41. in Ioannem.

Hæc igitur omnia, nisi fallor, perspicuum generaliter faciunt, quid Augustinus de voluntate sentiat. Nimirum non aliter posse moveri voluntatem ad bonum, nisi quia delectatur bono, quia dulcescit, quia arridet & placet: qua delectatione & complacentia si destituitur, velle nullo pacto potest. Quod quamvis Augustinus non toties tamque asseveranter & indubitanter diceret, quis experientia convictus propria non fateatur? Nam quis aliquid amplecti potest quod non delectat, quod animo aversatur? Vnde & Aristoteles, ἀκούσιον ἐπίλυπον, *Involuntarium est cum tristitia.* Indicans ibidem voluntarium esse quod fit cum voluptate. Quod si delectatio boni velle facit, delectatio quoque ponit actum in potestate voluntatis, hoc enim est in nostra potestate quod fit cùm volumus, & hoc ipso etiam liberum facit, ut non solum ex Augustini principijs jam ab initio hujus Tractatus fusius explicatis patet, sed etiam, ut jam audivimus, disertissimis & sæpe repetitis verbis Augustinus inculcat. Quæ si vera sunt, sicut juxta sanctissimi Doctoris principium verissima sunt, non poterit amplius de eius mente dubitari, qua eum sentire & constanter docere diximus, libertati arbitrij solam necessitatem coactionis, seu quæ etsi nolumus, efficit id quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium seu spontaneum, hoc ipso esse liberum. Hoc enim ipsum quod voluntatem sponte velle seu consentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit.

3. Ethic.

Si vero sepositâ tantisper Augustini auctoritate, rem ratione metiri voluerimus, inveniemus eam huic ipsi suffragari quod docuit, ut voluntatem ita & libertatem ex delectationis fonte proficisci. Nam omnium judicio, quod Philosophus expressit, id liberum est, *quod est gratia sui.* Hoc est enim oppositum servi, qui non est gratia sui, sed Domini, ut idem in politicis tradit. Iam vero nihil omnino fingi in natura humana potest, quod magis sit gratia sui, quam delectari bono, seu bonum placere & arridere voluntati. Nam si quempiam interroges, cur hoc vel istud velit aut agat, per circuitus eò tandem veniet, quia placuit, quia arrisit mihi, quia delectabar. Quod si perrexeris rogare, cur eligat id quod placet,

1. Metaph.
Lib. 1. Polit.

vel quæ

vel quo delectatur, inepta & ridicula censebitur interrogatio, nec responso digna, ut quod non habeat nec habere debeat aliam causam, per se enim notum est complacere & delectari bono, esse *gratia sui*: & idcirco liberum & causa omnis libertatis in actibus voluntatis. Et inde nascitur, quod sicut delectationi opponitur tristitia, & complacentiæ displicentia, ita etiam secundum Augustini mentem, A liberum coacto. Nam ad quod aliquis coactè trahitur, hoc fit cum displicentia, & vice versâ, quod fit cum displicentia, eò coactè trahi, non liberè ire dicitur; & pari passu, quo major est displicentia, eò magis coactum est, quò minor, eò minus. Et hinc dicimus, coactus fui, non fuit mihi liberum, hoc est, non fuit in potestate.

CAPVT QVARTVM.

Libertas Augustino maximè versatur circa finem, & quare.

VT vero mens Augustini adhuc uberius de ista libertate pateat, operæ pretium est disquirere, circa quid libertas Augustino nota, velut objectum versetur, circa finem, an ea quæ sunt ad finem. Recentioribus enim plerisq; nulla omnino libertas nota est nisi quæ circa ea quæ sunt ad finem exseratur. Quod si quos ejus motus erga finem esse concedatur, finem in ordinem ejus quod ad finem est, transire profitentur.

Augustinus vero directissimè contraria incedit via, quia contrarijs, quam recentiores principijs nititur. Docet enim esse maximam circa finem voluntatis libertatem; nec aliter, nisi retractando principia sua quibus arbitrij libertatem asseruit, docere potest. Cùm enim hoc sit ei liberum, quod fit cùm volumus, ibique primitus & maxime sit ipsum velle, sicut ipse loquitur, profecto necessarium est, maximam circa finem esse libertatem; finem enim maximè volumus, B quia propter se volumus. Rursum cùm id sit liberum, quod est *gratia sui* & non servit alteri, necesse est in appetitu finis maximam esse libertatem, quia maxime est gratia sui, cui motus in ea quæ sunt ad finem necessario servire debet. Deinde cùm id sit liberum quod delectat: *Delectet te*, inquit, *& liber es. Ibi enim sumus veraciter liberi, ubi non delectamur invitis*, ut supra latius vidimus: necesse est motum illum esse maximè liberum, qui maximè delectabilis est. Talis est autem citra dubitationem omnem voluntatis motus in finem; omnis quippe motus in ea quæ sunt ad finem, quatenus talis, tristitiam admixtam habet, quia nollet id quod est ad finem, si fine illo posset pertingere ad finem. Denique quod ex præcedenti nascitur, cùm id sit maxime liberum Augustino, quod minimè coactum, seu vi necessitatis extortum est, necesse est motum in finem esse maxime C liberum, quia maximâ voluntate, minimâ necessitate provocatum. Medium enim, ut medium, non tam voluntarium quàm necessarium est, respectu alterius concupiti, ut nonnunquam Augustinus monet. Hæc principia perpetuò Augustinus intueri solet, quando de libertate loquitur, ideoque semper libertatem collocans respectu finis, & ejus quod per se & quod delectabiliter appetitur. Nam hinc illę locutiones profectæ sunt, per quas supra vidimus libertatem arbitrij, sive bene agentis, sive peccantis, in motu voluntatis delectabili collocari. Hinc alibi surgens altius usque ad ipsam beatificam contemplationem, quæ juxta doctrinam ejus maxima ex parte voluntatis fruentis opus est: *Ad istum*, inquit, *fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus est enim liber, quoniam propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic servit actio. Ad hunc creferatur quicquid bene agitur, quia propter hunc agitur: ipse autem non propter aliud, sed propter semet ipsum tenetur & habetur, ubi enim finis qui sufficit nobis.* Et quia præter illum ultimum omnium nostrarum actionum finem, non desunt alij fines ultimo subordinati, hinc est, quod alibi, & in alijs finibus qui propter delectabilem sui complacentiam appetuntur, similiter libertatem tribuit. Nam de illis loquens qui membra non ob aliud affequendum movent, sed solum ut ipso motu delectentur, sic interrogat discipulum quicum disputat: *Quando ergo censes aliquam rem præstare, & quasi dominari cum propter se-ipsam, an cum propter aliud appetitur?* Cur alter: *Quis negat cum propter se ipsam?* Rursum Augustinus: *Vide utrum magis habere fidem debeat hoc nomen* (scilicet peritia movendi) *in eo motu qui velut liber est, id est, propter se ipse appetitur, & propter se ipse delectat: an in eo qui servit quodammodo. Nam quasi serviunt omnia, quæ non sibi sunt, sed ad aliquid aliud referuntur.* Quam doctrinam in sexto libro repetens: *Ratio*, inquit, *primo, quid sit ipsa bona modulatio, consideravit, & eam in quodam motu libero, & ad suæ pulchritudinis finem converso esse perspexit.* Quia igitur finis maximè appetitur, maximè delectabilis est, & motus in finem maximè voluntarius, & sponte non extrancâ consideratione extortus è voluntate fluit, hinc est, quod ille quoque motus Augustino maxime liber est, & in illo motu arbitrium maxime liberum. Et vice versâ quia motus in ea quæ sunt ad finem, ipsa finis expetiti necessitate extorquetur, quem nisi finis suo

lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. & alijs.

Locis supra citatis.

Tract. 41. in Ioannem.

Lib. 1. de nupt. cap. 30.

Tract. 101. in Ioannem.

Lib. 1. Musicæ cap. 2.

Cap. 10.

quodam modo flagitaret, nullo modo voluntas vellet, hinc fit quod ille quoque non tam liber neq; tam voluntarius ab Augustino, sed *necessarius* appelletur; sicut & ipsa media ab ipso non bona, sed necessaria nuncupari solent. Nam de voluntate quam quispiam ad malum evadendum, seu quod idem est, ad bonum, cujus ablatio periclitatur, conservandum suscipit, qui alteri voluntati servit ut fini: *Si facit*, inquit, *non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.* Ecce plena voluntas quæ scilicet in bonum per se fertur, libera voluntas dicitur, quia maxime libera, non extorta per necessitatem, seu non coacta. Alteram vero non liberam vocat, quia non plene libera est, sed extorta aliquâ necessitate. Nam aliquo modo esse simul liberam in eodem loco satis aperte profitetur, dum docet quid sit aliquam actionem habere in potestate, quam scilicet *si vult facit, si non vult non facit.* Sed quia motum in finem maxime omnium si vult facit, quia cùm vult utique vult, illum quoque maxime idcirco ponit in potestate voluntatis & maxime liberum. Sed præclarissimè, quod libertas voluntatis circa finem, non circa ea quæ sunt ad finem occupetur, in Psalmum centesimum tricesimum-quartum disserit, ut id exponeret quod de Deo Psalmus dicit: Omnia quæcumque voluit fecit: *Non omnia quæ fecit coactus est facere, sed omnia quæcumque voluit fecit. Causa omnium quæ fecit, voluntas eius est. Facis tu domum: quam si nolles facere sine habitatione remaneres. Necessitas* (scilicet finis liberè desiderati) *cogit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares. Ad faciendam ergo vestem necessitate ducris, non libera voluntate. Conseris montem votibus, semen spargis, quia nisi feceris, alimenta non habebis. Omnia hæc necessitate facis, Deus bonitate fecit* (id est voluntate amante) *& nullo quod fecit eguit. Ideo omnia quæcumque voluit fecit.* Et adhuc ubertius atque planius: *Putas habemus & nos quod liberâ voluntate facimus; ea enim quæ diximus ex necessitate facimus: quia si non faceremus egentes & inopes remaneremus. Invenimus aliquid quod liberâ voluntate faciamus? Invenimus planè cum ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis quando amas quod laudas. Non enim ex necessitate, sed quia placet.* Vis amplius, inculcatius, sufficientius? *Unde iustus & sanctus Dei placuit Deus etiam flagellans eos &c. hoc est gratis amare non quasi proposita acceptione mercedis* (quasi scilicet ex necessitate illam assequendi) *quia ipsa merces tua summa* DEUS *ipse erit quem gratis diligis: & sic amare debes ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet. Sicut Philippus desiderabat cum diceret: Ostende nobis patrem & sufficit nobis. Merito quia hoc de libera voluntate facimus, & de libera voluntate facere debemus, quia* DELECTATI *facimus, deinde amando facimus.* Istam ipsam liberam voluntatem exponit per esse voluntariam non necessariam seu necessitate extortam. Voluntas enim opposita tali necessitati, & libera voluntas idem Augustino sunt. Sic ergo pergit in explicanda illa libera laudandi Dei voluntate: *Voluntariè sacrificabo tibi. Quid est voluntariè sacrificabo? Voluntariè laudabo te, quia sacrificium laudis*, inquit, *glorificabit me.* Et in alium Psalmum eundem versiculum planius explicans: *Voluntariè sacrificabo tibi nolo ex necessitate. Si enim propter aliud laudas Deum ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum. Vide quid dicam. Laudas Deum verbi gratia ut det tibi amplam pecuniam. Si haberes aliud de amplam pecuniam, non à Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas; quia propter illum nescio quid amas*, scilicet ut finem quem Dei laude consequaris. Non arbitror aliquid apertius & explicatius Augustinum afferre potuisse, ut declararet mentem suam, qua sentit illam esse maximè *voluntatem* & *liberam voluntatem* quæ rem per se placentem ac delectabilem, hoc est, finem expetit: illam contra esse minimè liberam, sed necessitate aliquâ seu coactione necessitatis extortam, quæ medium assumit ut assequatur finem. Qua de re plurima afferri possunt testimonia, tum ex libris de Sermone Domini in monte, tanquam in Augustino vulgatissima, tum alijs locis, nisi quæ protulimus omnem tergiversationem suâ claritate superarent. Miratur hæc qui nullam libertatem cogitare consueverunt, nisi illam fluctuantem indifferentiam, apud Augustinum sub libertatis nomine prorsus incognitam, cùm tamen mirâ consensione principiorum omnium Augustim cohæreant. Cùm enim *necessitas* quæ nobis invitis, seu ut Augustinus loquitur, *etsi nolumus efficit id quod potest*, hoc est, coactio, repugnet diametraliter arbitrij libertati, eamque prorsus in actibus imperatis voluntatis eveitat (nam in elicitos nunquam cadit aut cadere potest) hinc fit, ut quo actus, sive imperatus, sive etiam elicitus voluntatis, magis nobis invitis seu nolentibus fit, eo minus liber sit, ut qui plus participet illius cogentis necessitatis. Ex quo ulterius proficiscitur, ut omnis voluntatis motus qui in medium ad finem necessarium fertur, hoc ipso minus liber sit, quia quadam necessitate moraliter, seu secundum quid cogente voluntatem, extorquetur, cùm aliter finem per se delectabiliter expetitum assequi nequeat. Non enim nunc voluntate medium diligente atque volente, sed purâ necessitate fertur in medium. Hoc enim, ut Augustinus ait, *libera voluntate facimus quod delectati facimus, non enim ex necessitate, sed quia placet.* Hujusmodi vero motus in medium adhuc dupliciter contingit, vel ad assequendum bonum quod voluntas per se diligit, vel ad cavendum malum quod bono dilecto adversatur. De primo modo proximè locuti sumus, & causas dedimus, cur juxta sanctissimum Doctorem minus participet libertatis. Alter modus est, cùm timor mali ad aliquid ample-

Lib. de Spir. & lit. c. 31.

Ibid.

In Psal. 134

Ibid.

In Psal. in fine

Lib. 5 de Civit. c. 10.

amplectendum incitat, quod in se spectatum voluntas odit, ut cùm proijcit merces timore naufragij, vel servit Deo timore supplicij. Hoc secundum genus, quamvis Aristotele auctore, absolutè voluntarium sit & liberum, quia tamen multo magis ab invitis seu nolentibus fit, quam istud primum quod jam diximus, multo minus etiam liberum est, quam cùm simpliciter medium ad adipiscendum bonum eligitur. Qua de causa Augustinus dicere solet, quod ex timore fit, non fieri liberâ voluntate, qualem videlicet respectu finis per se dilecti explicuimus. Sed de hac re inferius plura dicturi sumus. Vtriusque autem rei eadem ratio est. Nam sive timore mali, sive amore alterius boni aliquid assumitur à voluntate, non illud per se, sed aliud quippe diligitur, delectat & placet: & idcirco Augustini sensu & phrasi, non libera, hoc est, non plene libera voluntate fertur in medium, quia non plena voluntate. Quidquid enim invitè facimus, nec nisi alterius amore vel timore nos compellente facimus, hoc non liberè facimus, hoc est, ut Augustinus loquitur, *non plenâ & liberâ voluntate*. Quæ sanè omnia non ex alio principio fluunt, nisi quia, ut toto hoc tractatu demonstravimus, hoc est Augustino liberum, quod voluntarium, quod non necessitate coactionis extortum, quæ si fuerit absoluta, absolute destruit libertatem, sicut & voluntatem; sin tantum secundum quid atque moralis, secundum quid etiam & moralem destruit libertatem, qua non libere, sed inviti, coacti, nolentesque facere dicimur quod non per se diligimus, sed alterius rei necessitate nos compellente facimus. Quicumque aliam libertatem arbitrij (qualis præsertim post Magistri Sententiarum tempora sub nomine libertatis defendi cœpit) in Augustini scriptis quærit, oleum & operam perdet, nec exitum ex labyrintho inextricabili plurimarum difficultatum invenet. Et hæc sufficiant de natura libertatis generatim; nunc ad ejus divisiones intelligendas aliquid dicamus.

1. Ethic.

Lib. de spir. & lit. c. 33.

CAPVT QVINTVM.

Divisiones libertatis, in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. Item in libertatem à peccato, & à justitia. Quomodo se habeant ad veram arbitrij libertatem.

CELEBRIS divisio libertatis est non solum apud Scholasticos veteres, sed & apud Magistrum Sententiarū quem secuti sunt, itemque Bernardum & Hugonem de Sancto Victore, in libertatem *à necessitate, à peccato, & à miseria*. Prima vocatur libertas naturæ, quia naturam in omni statu comitatur, altera gratiæ, tertia gloriæ. De duabus primis Augustino crebra mentio est, de tertia non item, ut quæ ad arbitrij libertatem parum faciat, nisi quatenus ad libertatem à peccato aliquo modo reducitur, & in eam redundat. Augustinus igitur Scripturarum sanctarum doctrina & phrasibus delectatus, bimembrem fere arbitrij libertatem facit. Dividit enim eam in *libertatem à peccato, & libertatem à justitia*. Libertas enim à necessitate seu coactione, seu naturæ quę idem sunt, non est membrum à duabus illis libertatibus diversum, ut à plerisque existimatum video, sed aliquid ad utramque commune, & ab utravis inseparabile, sicut genus à speciebus suis. Nihil enim omnino vel à peccato, vel à justitia liberum esse potest, nisi simul naturali illâ arbitrij libertate, à coactionis necessitate sit liberum. Neque quicquam vice versâ, à necessitate liberum est, quin in alterutrum istorum membrorum incidat. Ex quo fit ut in ista duo jam dicta membra sit divisio illius veræ & naturalis libertatis à necessitate coactionis, quam hactenus tractavimus, & præcipuè circa finem versari diximus. De duobus illis membris, prætermissâ libertate à miseria, necessario nobis disserendum est, tum quod in Augustini luculationibus sint celeberrima, tum vero in primis quod Scholastici, cùm libertatem à peccato, de qua præcipue quæstio est, nominari vel ex Augustino allegari audiunt, nescio quam mysticam libertatem, & quæ nihil ad veram & naturalem arbitrij libertatem faciat, concipere solent; ut eam propterea in scriptis suis vix dignentur attingere, & si quid pro libero arbitrio de illa libertate ex Augustino proferatur, solemnis responsio sit, eum loqui de libertate à peccato; quasi hoc ipso per se notum sit, nihil hoc spectare ad veram arbitrij libertatem. Qua in re vel ipsos, vel Augustinum falli necesse est: cùm in omnibus voluminibus ejus, quæ contra invidiosissimas Pelagianorum querimonias, de destructa per doctrinam ejus arbitrij libertate, exaravit, nulla pęnè unquam, vel nunquam alterius libertatis, quam à justitia & à peccato mentio reperiatur. Hausit eam divisionem ex sacris literis Augustinus. Nam apud Ioannem Euangelistam Christus dicit: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati &c. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Et in Epistola ad Romanos Paulus: *Cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati à peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem*. In quem locum Augustinus: *Ecce ostenditur etiam peccato minimè potuisse nisi alia libertate servire*, libertate scilicet à justitia. Nam de libertate à peccato, utroque in loco perspicua mentio est, dum Paulus eos *à peccato liberatos*, & Christus *verè liberos* futuros esse promittit. Hinc divisionis istius amplitudinem atq; sufficientiam

cientiam tradens: *Semper est autem in nobis voluntas* A *libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona.* Vbi apertè docet inter libertatem à peccato & à justitia, nullam omnino liberam voluntatem esse mediam, & proinde plenam esse & adæquatam liberæ voluntatis divisionem. Quod non solum de potentia voluntatis Augustinus verum esse sentit, quasi illa semper alterutri sive peccato, sive justitiæ subjecta sit, sed maxime de voluntate ut significat motum voluntatis, de qua ibi sola quæstio est. Nam illa nunc semper in omni humano motu suo, vel peccato male agendo servit, vel benefaciendo, justitiæ. Nullum quippe indifferentem actum in individuo dari (quod & præcipui Scholasticorum docent) tanquam rem exploratam in ista divisione supponit.

Vt igitur divisionis illius natura percipia- B tur, memoriâ repetendum est id quod tam prolixe ex Augustino, Bernardo, cæterisque tum Patribus tum Scholasticis asserimus, libertatem arbitrij generalem & naturalem non esse aliam nisi à necessitate, quam eos solam coactionem intellexisse demonstravimus. Ex quo fit ut apud eos liber actus sit idem, qui non coactus, qui non sit nobis nolentibus seu invitis, & qui hoc ipso est in nostra potestate. Hoc autem non est aliud, quam actus voluntarius seu spontaneus, prout voluntas voluntarium & spontaneum, juxta Damasceni doctrinam supra traditam, motum rationalem cum rationis advertentia & circumstantiarum cognitione designat, nec omni potest in homine renitente voluntate. Solum hæc est differentia, quod *non coactum*, & *non extra potestatem nostram*, designent motum illum privativè, prout non fit ab extrinseco; voluntarium, spontaneum, & in nostra potestate, significent C cum positive prout fit ab intrinseco. Carere enim causa extranea cogente, non est satis ut actus voluntatis liberi intelligatur, nisi etiam suam causam interiam habeat à qua fiat: quod magis nomine sponte ex & in potestate positæ, quam non coactæ voluntatis exprimitur. Liberum autem utrumque indicat, ut videlicet & privativè non cogatur quasi sit extra arbitrij potestatem, & positive sponte fluat, & sit in arbitrij potestate. Actus porro liber quatenus positive spontaneâ, & in potestate posita voluntatis inclinatione fluit, quamvis semper sine ulla coactionis necessitate fiat, impediri tamen & promoveri potest, & magis minusve poni in arbitrij potestate, prout animi promptas & repugnantia respectu actus, seu id quod voluntatem ad velle vel nolle provocat & avocat, itemque potentem & infirmam facit, crescit atque decrescit. Hoc est autem, ut supra juxta constantem Augustini mentem declaravimus, delectabilis quædam arrisio seu D complacentia objecti, quæ motus omnes voluntatis antegreditur & viam parat, sine qua omnino velle non potest, quantumvis sive velit sive nolit, sive velle possit sive velle non possit, semper in ea generalis & naturalis illa ratio libertatis, quam explicuimus, integra sit, nullaque in alterutram partem necessitate cogatur: prout hoc accuratè in suo libro de gratia & libero arbitrio sanctus Bernardus tradit. Hoc igitur quod potentiam voluntatis ad volendum allicit, & quo magis accenditur implicaturque voluntati, eo ardentius constantiusque allicit, duplicis duntaxat rationis est, respectu boni scil. vel mali. Bonum enim & malum in moribus, ad quos ex veritate & honestate formandos, ut tandem ultimo & vero suo fruatur bono, voluntas naturaliter condita est, adequatè totum objectum voluntatis exhauriunt, ut propterea necesse sit, voluntatem rationalem alterutro delectari, vel bono vel malo. Bonum illud est justitia, malum peccatum, prout affectiones ipsas voluntatis denotant, vel si objecta malumus, bonum est justitia sempiterna, hoc est, Deus, malum creatura, quatenus illa rectâ, hæc perversâ voluntate diliguntur. Cùm ergo voluntas justitiâ delectatur, oritur libertas à peccato: cum creaturis, à justitia. Impossibile enim est ut voluntas justitiam diligat, nisi ante ab illo delectabili affectu peccati, quo mens impeditur, & deorsum premitur, liberetur: vel ut creaturam perverse diligat, nisi à dilectione justitiæ, sursum animum retorquente, se liberet. Ad hoc enim mens ipsa sufficit tibi, nec est opus auxilio Dei: *Liberi à justitia non sumus*, inquit Augustinus, *nisi arbitrio voluntatis: liberi autem a peccato non sumus nisi gratiâ Salvatoris.* Et rursum: *Liberos dixit* (Apostolus ad Romanos sexto) *justitiæ, non liberatos. A peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissime maluit dicere non liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam: Si vos filius liberaverit tunc vere liberi eritis.*

Damasc. lib. 2. orthod. fid. c. 22. & 24.

Lib. 3. ad Bonif. c. 3.

Ibid.

Quia vero creatura rationalis non ita condita est, ut seipsa felix seu beata esse queat, hinc sive veram beatitudinem suam ex Deo quærat, sive falsam & verisimilem ex creatura, semper per amorem alicui servit, illi scilicet ex quo beata esse cupit. Quidquid enim ut beatitudinis causa diligitur, illi non potest animus non servire, juxta illud Augustini: *His rebus quibus quisque beatus vult esse, servire necesse est, velit nolit. Nam quocumque duxerint sequitur, & quisquis ea visus fuerit, auferre posse metuitur.* Duplex igitur libertas ista duplicem oppositâ servitutem secum trahit, sine qua esse non potest. Qui enim à justitia liber est, sibi ipsi servit, & omnibus temporalibus quibus diligendo subjectus est: *Cùm enim omnia temporalia transeuntia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea putant nihil colendum esse, ne serviant.* Vitia enim sua sibi *dominari patiuntur vel libidine vel superbia vel curiositate damnati.* Qui vero à peccato liber est, hoc ipso servit vero Domino suo justitiæ sempiternæ. Vtramque illam libertatem sæpè Augustinus cum oppositâ sibi servitute conjungit. Nam illum Apostoli locum ponderans, cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ,

Lib. de vera Relig. c. 38.

Ibid.

justitiæ, sic loquitur: *Ecce ostenditur etiam peccato minime potuisse nisi alia libertate servire.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, iustitiæ cœperit esse servus.* Et in illa verba *captivasti captivitatem*, sicut ipse legit: *Captivati ergo quia capti, & capti quia subjugati, sub leve illud iugum missi, liberati à peccato cuius servi erant, ut iustitiæ servi facti cuius liberi erant.* Et optime sanctus Prosper cùm citasset Scripturæ locum: *Qui facit peccatum servus est peccati.* Et: *A quo quis superatus est, ei & servus addictus est*, Augustini, Apostoli, & Christi doctrinam explicans: *Nemo*, inquit, *servit nisi cum aliqua libertate, & nemo liber est nisi cum aliqua servitute dicente Apostolo: Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo &c. Qui itaque servit diabolo, liber est à Deo. Qui autem liberatus servit Deo liber est à diabolo.*

Quapropter quia semper libertas à peccato cum servitute justitiæ juncta est, & vice versâ libertas à justitia cum servitute peccati, hinc fit quod istud liberum hoc est, voluntarius seu liberæ voluntatis actus, ad duplicem quasi terminum quasi comparari possit, *à quo* & *ad quem*. Terminus à quo liber dicitur, est ille, à quo tanquam impediente & retrahente ne in actum exire possit, liber & immunis voluntas nominatur, sive sit peccatum, in vera libertate, sive justitia, in defectiva & falsa. Terminus ad quem est ille cui libertas operatur, seu propter quem operandum voluntas liberatur, sive peccatum in falsa libertate, sive justitia in vera. Idcirco enim liberatur à peccato ut justitiæ serviat, seu ut actiones justitiæ possit operari; & è contrario idcirco à justitia se voluntas liberam facit, ut peccato serviat. Terminus enim ad quem, est ille cui duplici illa quam protulimus, servitute servimus. Qua de re nonnulla in præcedentibus diximus, & in Augustino testimonia passim obvia sunt, ut cum dicit in Enchiridio: *Ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit servus*: Et mox: *Sed ista libertas ad benefaciendum, unde erit hominis addicto & venditio.* Et iterum: *Quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est (scilicet à peccato) ad operandum bene.* Et adversus Iulianum: *Liberos dicimus ad faciendas opera pietatis eos quibus dicit Apostolus: nunc autem liberati à peccato servi facti Deo &c.* Cujusmodi locutiones plures videre licet in Epistola ad Vitalem. Quod autem hic vocat liberum ad bonum & malum, hoc alibi vocat liberum in bono & malo, quia videlicet operatio voluntaris utrovis modo liberæ, verfatur in operibus bonis aut malis: *Nec liberum in bono*, operæ scilicet, *erit quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium.* Et iterum ibidem: *Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.*

Cùm igitur justitiæ vel peccati delectatio sit illud vinculum quo liberum arbitrium in justitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu isto stabiliter possidetur & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non possit, nemini mirum videri debet, quod Augustinus cum Pelagianis de arbitrij libertate disputans, semper de libertate à peccato mentionem facit. Peccatum enim est illud ipsum quod ponit actum voluntatis bonum extra arbitrij potestatem; & è contrario gratia est id quod ponit illum in potestate, quia voluntatem velle facit, sine qua bene velle nullo pacto potest. Hoc est enim liberum quod est in arbitrij potestate, seu quod fit cùm vult: ut proinde illa Augustini disputatio, veram, genuinam, proprijssimè dictam arbitrij libertatem accuratè & profundè tangat & explicet, non solum quatenus vera, genuina, & propriè dicta libertas illa dicitur, ad quam in Dei amore & fruitione possidendam conditus est, sed etiam quatenus vera & genuina, & proprijssime dicta libertas arbitrij vocatur, illa naturalis quæ coactionis immunitatem, & electionis liberæ facultatem sonat. Hoc enim ipso, ut jam diximus, quo gratia facit arbitrium velle & operari bonum, sine qua velle non potest, etiam ponit actum in ejus potestate, & citra coactionis necessitatem ex ea sponte fluere: quæ apud Augustinum veræ & genuinæ & naturalis istius libertatis notio est. Quod eodem modo cum proportione in libertate peccandi locum habet. Nam in peccando, non minus quàm in benefaciendo, ex Augustini mente, naturalis illius libertatis ratio apparet, cùm actus peccati ponitur in arbitrij potestate, qua creatura rationalis in statu perfectæ beatitudinis caret. Sed ideo recentiores mirantur, cur semper Augustinus de libertate à peccato & servitute justitiæ cum Pelagianis veram libertatem oppugnantibus differat, & nescio quid mysticum; eorum judicio, in libero arbitrio quærat, cùm de libertate arbitrij naturali fatagendum esse videatur, quia quid sit liberum arbitrium Augustino, non satis penetrant, nec unquam, audim dicere, penetrabunt aut intelligent, quantumvis sese fatigaverint, quamdiu non aliam in Augustino libertatem, quam illam philosophicam indifferentiam quærendam esse censuerint.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2. Enchirid. c. 100.

In Psal. 67.

Cont. Collat. c. 9.

Enchirid.

Lib. 1. cont. duas epist. Pelag. c. 3.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

CAPVT SEXTVM

Quid sit libertas à peccato in Scripturis celebrata, juxtà recentiores, & Pelagianos, & Augustinum, secundum terminum à quo.

SED alia non minima hallucinatio est quæ recentiores ab intelligenda & amplectenda illa libertate à peccato, tanquam proprie dicta arbitrij libertate, aversos detinet, quia sub illis vocabulis rem ab Augustini mente & arbitrij libertate valde remotam significari putant. Cùm enim arbitrium à peccato liberum fieri vel à peccati servitute liberari audiunt, nihil aliud suspicari possunt, quam peccati duntaxat remissionem deletâ culpâ fieri. Quod quia perperam videtur facere ad veram arbitrij libertatem, hinc consequenter non sinuntur intelligere, quo pacto illa libertas à servitute peccati, propriè dicta libertas dici queat.

Suarez prol. 1. cap. 1.

Eodem prorsus modo intellexit olim, & ad solam peccati remissionem torsit istam libertatem à peccato Iulianus Pelagianorum ὑπερασπιστὴς pervicax, ut Scripturarum laqueos quibus eam asserebat Augustinus & veritatis effugeret. Nihil enim eas prorsus ab liberum arbitrium pertinere contendebat. Cùm enim illa verba Christi: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*, citasset Augustinus in libro suo de nuptijs & concupiscentia, & eis probasset arbitrium non esse liberum ea libertate, ex qua liberum arbitrium dicitur, nisi per gratiam liberetur, sic respondet ei Iulianus: *Manifestum est Christum in illo loco ad captivam conscientiam* (scilicet sub culpa) *verba fecisse: quam liberam non esse prodebat, sed obnoxiam ei ultioni, quæ condemnat peccata liberâ voluntate commissa. Quam sententiam tu non intelligens, aut forte intelligens & huc natura sua repugnantem trahens in eo posuisti loco ubi à tuis sermonibus* (de libero arbitrio) *tota sui proprietate discordat.* Hoc est, nihil ea sententia ad liberum arbitrium, sed tantum ad peccati remissionem, vindictæ relaxationem pertinet. Et paulo post de eisdem Christi verbis adjicit: *Hic ergo non arbitrij libertatem Dominus dicit esse liberandam, sed illa integra permanente convenit Iudæos, ut accipientes indulgentiam liberentur à reatibus, & eam quæ apud Dominum maxima est, libertatem occupent, ut incipiant nihil deberè crimnibus.* Et rursum idem Iulianus: *Hic ergo ubi dixit Dominus, si vos filius liberaverit vere liberi eritis, promisit indulgentiam reis qui peccantes non arbitrij libertatem sed conscientiam iustitiæ perdiderunt.* De alio vero Apostoli loco: *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ, tunc vero liberati à peccato* &c. quem Augustinus potissimum urserat & urgere solet, ut probet gratiam afferre naturalem; non mysticam, veramque & propriè dictam arbitrij libertatem ad actus bonos, sic idem Iulianus: *Sed absit hoc* (ut Apostolus senserit quod tu sentis) *sensum intelligimus Apostoli, & elocutionum simpliciter prolatarum officio contenti sumus. Nihil aliud dixit Magister gentium, nisi liberi fuistis, id est, non servistis iustitiæ: liberati estis, peccatorum veniam suscepistis, manente arbitrij libertate per quam potuerunt & ante peccatum & postea obedire iustitiæ.* Quem sensum in illa disputatione sæpius repetit, totisque nervis firmare contendit: ut liquidissimè sanè pateat, Iulianum non agnovisse aliam à peccato libertatem, quam quæ per culpæ deletionem, seu per peccati remissionem obtineretur. Nec ea loca scripturarum alio sensu intelligere, quam quod Christus & Apostolus libertatem à peccati reatu & à pœna suo sermone commendaverint.

Apud Aug. lib. 1. cont. Iul. imperf. f. 122.

f. 126.

f. 131.

f. 163.

Sed adversus istam perversam tum Scripturarum, tum libertatis à peccato intelligentiam, Augustinus in eadem illa dissertatione vehementer insurgit, & in scriptis suis omnibus adversus Pelagianos contrarium docet. Doctrina quippe sancti Augustini est, duplex esse peccati malum: unum, reatum ipsum, quo mens est culpabilis coram Deo pœnæque obnoxia, quoad peccati remissione deleatur: alterum, ipsum concupiscentiæ malum, quod per peccatum originis à parentibus in posteros hæreditario jure transfusum est, & peccatis actualibus multiplicatis, instar consuetudinis magis magisque crescit, & ita roboratur, ut tandem in quandam peccandi necessitatem & quasi naturam transeat, nisi divinæ gratiæ potestate superetur. Quod quamdiu non fit, mens sub illo malo serviliter captiva detinetur; non hoc sensu solum, quod peccati rea sit, & peccati præteriti remissione indigeat, sed isto potius, quod mens ab illo delectabili glutine consensum suum expedire nequeat, ut à futurorum peccatorum commissione liberetur. Malum enim concupiscentiæ dominatur homini, & mentem ita serviliter sibi subjectam tenet, ut ei servire & perpetrare quidquid illa jubet, videatur esse delectabile & magnum bonum, donec per gratiam, non solum remissionis, sed actualis adjutorij, ab ejus nexibus liberetur. Quæ gratia postmodum ad singulos actus bonos iterum necessaria est, ut mens jam etjam justificata, peccati, hoc est, concupiscentiæ remanentis, violentiæ repugnare possit, & cum eo libera præliari, ne iterum in servitutem illius mali pertrahatur. Duplex ergo, juxta sanctum Doctorem, Dei auxilium necessarium est, alterum pro peccatis præteritis, quod peccati remissionem diximus, alterum

alterum pro futuris, quo mens eruitur à dominatione concupiscentiæ & ejus quodammodo domina constituitur, ut ei ipsa jam serviat cui mens ante serviebat: & in ista dominatione per singulos dies roboratur, ne sub concupiscentiæ servile jugum iterum cadat. Hæc est ergo gratia liberatrix arbitrij gratia, inquam, non remissionis, sed actualis adjutorij ad singulos omnino actus necessarij, per quod actus bonus ponitur in arbitrij potestate, ut bene velle possit & facere: & ista ratione arbitrium voluntatis, proprie dicta libertate ad actus bonos gratia liberum facit: sine qua, quantumvis peccatum remissione deletum sit, nec liberum erit ad volendos aut faciendos actus bonos, nec à dominante rursum concupiscentia se tueri poterit, sed citra dubitationem ullam, miserabili rursus concupiscentiæ servitute subjugabitur. Itaque gratia remissionis peccatum præteritum respicit, gratia liberationis futurum. Illa delet ex arbitrio quod factum est, hæc liberat arbitrium ne iterum faciat. Illa ignovit quod arbitrium peccato, hoc est, concupiscentiæ serviendo peccavit, hæc liberum facit, ne rursum peccato, hoc est, concupiscentiæ serviendo peccet. Illa remisit, quicquid per ignorantiam & infirmitatem, malorum actuum fecit, hæc lumen & potestatem tribuit, ut actus bonos faciat. Et idcirco liberatrix ista gratia, voluntatis arbitrium proprie dicta libertate liberum facit, non quidem generaliter (quasi facultas illa libere per peccatum de hominum natura perijsset) sed liberum ad alteram libertatis partem, hoc est ad actus dumtaxat bonos; cum sine tali gratia non nisi altera pars dicornis liberatis, hoc est, ad actus malos ei incolumis permaneret. Nam quemadmodum beatis in cælo periit potestas arbitrij ad actus malos, & illi subtracta quovis casu beatitudinis visione & felicitate in illum redirent statum, in quo modo recenter conditus fuit, vera & propria libertas arbitrij, nempe ad peccandum, redita diceretur: ita vicissim in mortaliter peccantibus, hac gratia liberante consideratis, perit libertas arbitrij ad actus bonos; quia peccato ratione adjunctæ concupiscentiæ mentem seu consensum captum detinente subjugantur. A quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est. Quæ si per gratiam non remissionis, sed liberationis eis restituatur, ut non solum à præterita purgentur labe, sed etiam à dominatione concupiscentiæ consensus liberetur & præservetur, & ad bonos actus adjuvetur, arbitrium libertatis propria dicta libertate, sed ad actus bonos tantum, dicendum est liberari. De hac libertate à peccato, qua scilicet voluntatis arbitrium, non à peccati præteriti reatu, sed à peccati, hoc est concupiscentiæ dominatione liberatur, ne vel imperet actus malos, vel impediat actus bonos, intelligit Augustinus Scripturas istas in scriptis ejus celebratissimas: *Veritas liberabit vos.* Et: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Et: *Nunc autem liberati à peccato &c.* De opposita vero peccati, hoc est, concupiscentiæ servitute, qua servus peccati facit quicquid illa jusserit exponit illas: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati.* Et: *A quo quis devictus est huic & servus addictus est.* Et: *Cum servi essetis peccati liberi fuistis justitiæ.* Et illam apertissimam: *Non ergo regnet peccatum* (id est concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, id est, concupiscentiæ. *Peccatum enim*, id est, concupiscentia, *vobis non dominabitur.* Non enim *sub lege estis sed sub gratia*, consensum videlicet retinente, ne peccato, hoc est, concupiscentiæ serviat, ut impleat quod dominatrix illa jubet. Hæc est vera & genuina basis doctrinæ cælestis Doctoris de arbitrij servitute & oppositi libertate, per quam actus bonos velle possit & facere à qua qui tantillum aberraverit, nunquam veram intelligentiam vel servitutis arbitrij, vel libertatis, quam ipse in scriptis suis tradit, assequetur.

Hæc est igitur servitus illa peccati, hoc est, concupiscentiæ, non ut proprie culpa dumtaxat vel culpabilis est, sed quatenus animo seu consensui hominis peccatoris velut imperatrix, & per illam diabolus suo jure dominatur, ut nullum actum bonum possit velle vel facere, nisi gratia tribuat potestatem, quam passim sanctus Augustinus inculcat: *Nam nec grandibus*, inquit, *hoc præstatur in baptismo, ut lex peccati quæ est in membris repugnans legi mentis, penitus exstinguatur, & non sit: sed ut quicquid malè ab homine, factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subjecta mente serviret totum aboleatur.* Et quæstione prima libri primi ad Simplicianum de homine sub lege constituto: *Delectatur*, inquit, *contra legem facere, cum tanto magis libet, quanto minus licet. Qua suavitate frui non potest quasi præmio conditionis* (id est servitutis) *sua, nisi cogatur tanquam ex primo mancipium servire hbidini; sentit carne se servum dominantis cupiditatis qui prohibetur, & sceleste prohiberi cognoscit, & tamen facit.* Et iterum paulo inferius: *Quæ duo scilicet tanquam natura & consuetudo communita robustissimam faciant & invictissimam ei pertinaciam quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quendam & quasi regnum obtinere.* Et in Enchiridio: *Cum per legem regnatio facit facta peccati, si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum legem voluntas vincitur, & sciens peccat peccatoque subditus servit. A quo enim quis devictus, huic & servus addictus est: id agente scientia mandati ut peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam.* Et paulo ante: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Et libro primo retractationum: *Ille qui concupiscente adversus Spiritum carne, non ea quæ vult facit concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet injustitia servusque peccati*, id est, illius ejusdem concupiscentiæ. Et libro de continentia: *Sic deponuntur* (scilicet desideria peccati seu libidinis) *dum continuata continentia, ne resurgant præmuniuntur.*

Quisquis

Joan. 8. Joan. 6. Joan. 8. Rom. 6. Lib. 1. de pec. mer. & remiss. Lib. 1. ad Simplic. q. 2. Cap. 118. Enchirid. Lib. 1. cap. 7. Lib. 1. retract. c. 13. Lib. de continentia. c. ult.

Quisquis quasi securus ab hac eorum depositione ces- A *saverit, illico in arcem mentis prosilient, eamque inde ipsam deponent, atque in suam redigent* SERVITVTEM *iterumque deformiterque* CAPTIVAM. *Tunc regnabit peccatum in hominis mortali corpore ad obediendum desiderijs eius. Tunc sua membra exhibebit arma iniquitatis peccato.* Quem eundem Apostoli locum, ex quo doctrinam istam

Lib. de continen. c. 3. suam sumpsit Augustinus, cum superius in eodem libro citasset: *Id ergo*, inquit, *nunc agitur, quamdiu est mortalis hac vita nostra sub gratia, ne peccatum, id est, concupiscentia peccati (hanc enim hoc loco peccati nomine appellat) regnet in nostro mortali corpore. Tunc autem regnare ostenditur si desideriis eius obeditur*, id est, servitur. Nam isti regno concupiscentiæ respondet arbitrij servitus. Vnde in libro primo de libero ar-

Lib. 1. de lib. arb. c. 11. bitrio: *Ergo relinquitur ut quoniam regnanti menti competitque virtutis, quidquid par aut præstatum est, non eam facit servam libidinis propter iustitiam &c.*

Ibid. Et paucis interjectis: *Non ista ipsa parva parva existimanda est, quod ei libido dominatur exspoliatamque virtutis opulentia per diversa inopem atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem &c. Cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice saviat, & varijs contrarijsque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet &c.* De quo B regno & servitute libidinis quam peccatum Apostolus vocat, ibidem late disserit. Et in

Epist. 70. Epistolam septuagesimam: *Anima maligni cupiditatibus captiva* (id est, serva). Et Epi-

Epist. 48. stola quadragesima octava: *Mali serviunt cupiditati, boni charitati.* Et Epistola ducentesima

Epist. 211. undecima: *Parva enim & quasi nulla tibi videntur, quæ tam mala sunt ut quando te domina cupiditas ea considerare permiserit riges lacrymis terram.* Infinita sunt hujusmodi loca, quibus semper Augustinus peccati servitutem, qua arbitrium ei velut dominanti servit, non aliter explicat, quam qua libidini, cupiditati, carnalibusque desi- C

Ad Rom. 6. derijs servit, dum ut Apostolus loquitur, regnat peccatum in eorum mortali corpore ut obediant concupiscentijs ejus.

E contrario vero simili prorsus modo libertatem, qua liberum arbitrium à peccati servitute liberatur, non illam intelligit, qua nude culpa deletur è conscientia, sed qua arbitrium eruitur è servitute libidinis seu concupiscentiæ. Et mens restituto sibi consensu qui sub ejus tyrannide prostratus erat, captivusque tenebatur cum eodem illo peccato seu concupiscentia jam liberata fortiter dimicat ne iterum in servitutem captiva ducatur. Hinc illum Apostoli prolixum tractans locum,

Rom. 7. ubi inter cetera dicit, *Quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et, *Lex Spiritus vitæ liberavit me* &c. Quibus verbis gratiam à concupiscentiæ consensione liberantem implorabat, & nomen gratiæ liberatricis expressit, quo sæpè D postea Augustinus usus est, sic liberationem

Lib. 1. ad Bonif. c. 10. illam explicat: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Quid est nunc autem, nisi iam nunc sub gratia, quæ liberavit*

Lib. 1. ad Bonif. c. 10. *delectationem voluntatis à consensione cupiditatis?* Et pauculis interpositis: *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit te à lege peccati & mortis* (id est, concupiscentia) *ne scilicet consensionem tuam concupiscentia sibi vendicet carnis.* Et rursum: *Dici-* *Cap. 11.* *mus Apostolos à consensione pravarum libidinum liberos fuisse.* Qua de causa alibi dicit, eum esse *sub lege*, hoc est, sub passionibus peccatorum seu concupiscentiæ, quæ per legem sunt, ut Apostolus loquitur, qui *nondum liber est, nec* *Lib. de nat. & grat. 57.* *alienus à voluntate peccandi*, hoc est, cujus consensus nondum à libidinis servitute liberatus est, ut voluntas illi, non illa voluntati dominetur. Hinc in libro de correptione & gratia: *In bono liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus abeo* *Lib. de Corr. & grat. 4.* *qui dicit: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Nec ita ut eum quisque fuerit à peccati* DOMINATIONE *liberatus iam non indigeat sui liberatoris auxilio sed ita potius &c.* Et adversus Faustum Manichæum: *Et denique peccato* (id est, con- *Lib. 21. cont.* cupiscentiæ) *quandiu esset adhuc in eorum mortali* *Faust. c. 5.* *corpore per spem gratiæ liberi demanarentur.* Et in opere imperfecto contra Iulianum: *Nunc ve-* *Lib. 1. opus imperf. 111.* *ro in ruina sua liber est iustitiæ, servusque peccati: Nec potest esse servus iustitiæ, & liber a dominante peccato* (concupiscentia) *nisi eum filius liberaverit.* Et libro secundo de peccatorum meritis: cum citasset Scripturam: *Non dominetur mihi* *Lib. 2. de pec. mer. & rem. c. 2.* *omnis iniquitas* hæc attexit: *Ab hujus exsecrandæ dominationis servitute liberantur quibus Dominus Iesus eum recipientibus dedit potestatem filios Dei fieri. Ab ista exsecranda dominatione liberandi sunt eorum quibus dicit: Si vos filius liberaverit* &c. Et Epistola centesima quadragesima quarta: *Nec libera vo-* *Epist. 144.* *luntas dicenda est, quandiu est vincentibus & vincentibus cupiditatibus subdita. A quo enim quis devictus huic & servus additus.* Et, *Si vos filius liberaverit, aut ipse Dei filius, tunc vere liberi eritis.* Et Epistola octogesima nona: *Quomodo libera est* *Epist. 89.* (voluntas) *cui dominatur iniquitas?* Et Concilij Carthaginensis Patres Epistola apud Augustinum nonagesima ad Innocentium *Epist. 90.* Papam: *Quia* (gratiâ Christianâ) *& ipsum nostræ voluntatis arbitrium, vere fit liberum dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Quæ doctrina tam familiaris est Augustino, ut vix liber ullus adversus Pelagianos exaratus sit, in quo non passim sparsa reperiatur. Tota enim moles disputationis de Christi gratia cum Pelagianis & necessitatis ejus, huic veluti cardini innititur, eoque substracto eam tueri impossibile est.

Porro istud peccatum à quo liberatur arbitrium, hoc est, ista imperiosa concupiscentia, quando dominatur arbitrio, in omnes creaturas appetendas exardescit, easque maximè quibus animus aliquo amoris vinculo colligatus est, sicut latè supra declaravimus. Ex cujus doctrinæ consequentia fit, ut hanc libertatem à peccato exprimens, subinde dicat per eam hominem à creaturis seu amore creaturarum liberari. Nam qui creaturis amore subditus est, hoc ipso peccato seu libidini subditus est, nec ullo modo liber, ut justitiam quæ hoc vetat, diligere possit. Vnde Augustinus: *Quem ergo delectat libertas ab amore mu-* *Lib. de verb. Rom. c. 10.*

tabilium

tabilium rerum (id est, omnium creaturarum, quia sola veritas incommutabilis est) *liber esse appetat. Et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quam seipsum.* Et in quæstionibus supra Matthæum: *Ad eam* (margaritam) *possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis* &c. scilicet amorem dissolvendo. *Quia talibus implicati, nostri non eramus*, id est, non nostri juris seu liberi. Et in Psalmos: *Monemus ne mundum ametis, ut eum qui fecit mundum libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis; volare non potest*, scilicet, quia non habet pennas seu amorem liberum.

Hæc igitur causa est, cur tam vehementer insurgat Augustinus adversus Iulianum, cum Scripturas illas quę libertatis & servitutis peccati mentionem faciunt, & à nobis paulo ante productæ sunt, ad peccati remissionem torquere conaretur, sicut initio capitis hujus demonstravimus. Qua de re cum illo dimicans, expositiones ejus falsitatis arguit, & veram simul arbitrij libertatem à peccato, præclarè docet in eo sitam esse; non quod arbitrium præteriti peccati remissionem accipit, sed quod à dominante concupiscentia qua justitiam agere, & in justitia permanere non sinitur, liberatur magis & magis, ut ita magis & magis opera justitiæ in sua habeat potestate. Nam Euangelij locum: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati*; his verbis Catholicæ veritati vindicat: *Attende quod dictum est, omnis qui facit peccatum, non enim ait, qui fecit, sed qui facit: & non vis eum ab hoc malo liberare homines: Non vis eum hoc loco talem promittere libertatem quâ peccatum non faciamus, sed ideo tantummodo liberare, quia fecimus.* Et adhuc eandem suam expositionem premente Iuliano replicat Augustinus: *Conveni plane ideo facientes peccatum, quia servi sunt peccati, ut accepta libertate quam promittit, desinant facere peccatum. Regnabat namque peccatum in eorum mortali corpore, ita ut obedirent concupiscentijs eius, & exhiberent membra arma iniquitatis peccato. Contra hoc ergo malum quo peccatum faciebant, libertate indigebant quam promittebat. Omnis enim non qui fecit sed qui facit peccatum servus est peccati.* Et statim adhuc luculentius atque expressius: *Quid verba lucida caligino-sis disputationibus obscurare conaris? Erumpunt omnino & te licet obsistente, fulgore suo vincunt tenebras tuas. Omnis, ait, qui facit peccatum servus est peccati. Audis qui facit, & tu non exponere sed supponere vis qui fecit. Audiant ergo quibus ipse aperuit sensum ut intelligant Scripturas, audiant: Omnis qui facit peccatum servus est peccati: & quærant accipere libertatem ut non faciant peccatum clamantes ad eum cui dicitur: Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas.* Iulianus vero cum iterum repeteret, arbitrium esse liberum post peccatum, ad justitiam seu virtutis opera facienda, ex propijs eum convincit principijs Augustinus: *Te audi saltem ubi dicis propter consuetudinem peccatorum scriptum esse, non quod volo ago sed quod odi hoc facio. Quomodo ergo post peccata liberum est? Quorum etsi non propagine, quia non vultu, certe tamen consuetudine, quam solam huic necessitate victi contortique conceditis, sic perdidit libertatem ut gemitus eius feriat aures, frontemque collidat cum auditis, non quod volo ago. Et, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago.*

Iam vero alterum locum quem ex Apostolo producere solet, *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc autem liberati à peccato* &c. non minus præclarè adversus Iuliani corruptelas asserit, & veram arbitrij libertatem in eo expressam esse confirmat: *Tu nega dixisse Apostolum, Cum essetis servi peccati liberi fuistis justitiæ. Aut si hoc ab eo dictum esse non negas, non eum recte dixisse redargue. Si autem non audes, nega si potes eos quibus hoc dixit habuisse in malis liberam voluntatem quando fuerunt liberi justitiæ: aut habuisse liberam in bonis quando fuerunt servi peccati: & ab hac servitute eos aude dicere per seipsos non per Dei gratiam liberatos quibus dicitur: Nunc autem liberi à peccato, servi facti estis justitiæ. Si autem dicis à reatu præteritorum malorum, non à dominatu peccati quo quisque justus esse non sinitur, eos fuisse Dei gratia liberatos: ut autem in eis non dominaretur peccatum, ipsos facere potuisse si vellent, neque ad hoc indiguisse gratia Salvatoris, ubi ponis eum qui dicit, non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago: si enim sub lege non sub gratia constitutus hæc loquitur, istum nega sub gravi necessitate pondere ingemere, hunc ad bene vivendum, & ad recte agendum per voluntatis arbitrium, asserre liberum clamantem tibi, mentiris aut falleris; non quod volo ago. Si autem sicut melius sentit Ambrosius, hoc etiam de seipso dicit Apostolus, nec insolorium est in hac vita ad perficiendum bonum tanta libertas propriæ voluntatis, quanta erit in illa vita ubi non dicetur non quod volo ago.* Et hanc libertatem à peccato, hoc est, à delectatione concupiscentiæ cui arbitrium miserabili servitute subjectum est, & male agendo servit, adhuc uberius explicans: *Si ob hoc solum dicti sunt homines liberi fuisse justitiæ, quod detrectassent eius præcepta servare, ergo antequam acciperent præcepta justitiæ quæ detrectarent servare* (id est, ante acceptam vel agnitam legem peccata prohibentem) *non erant liberi justitiæ serviique peccati. Quis hoc dixerit? Ab hac ergo necessitate servitutis ille liberat, qui non solum dat præcepta per legem, verum etiam donat per Spiritum charitatem cuius delectatione vincatur delectatio peccati: alioquin perseverat invito & servum suum tentat. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et paulo post declarans quanti momenti sit, duplicem istam arbitrij libertatem intelligere, unam à peccatis præteritis quæ delentur indulgentia; alteram à dominatione concupiscentiæ ne futura perpetrentur, & ut opera justitiæ possimus operari, graviter erumpit in Iulianum: *Ex isto hæretico sensu, quo dicitis non fieri per gratiam liberationem à peccato, nisi cum de præterito accipitur venia, non autem ne dominetur, cum quisque à concupiscentia sua trahitur in eius assensum, etiam sanctorum orationibus contradicitis: Ut quid enim Deo dicitur, ne nos inferas in tentationem, si ut hoc non fiat in liberi arbitrij*

quæst. 13. super Matthæum.

Ibid. f. 121. & præsen.

Ibid. f. 129.

Ibid. f. 128.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 128.

Ibid. f. 132.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 162.

Ibid. f. 163.

& bitrij est potestate, quod nobis naturaliter insit m
est? Verum dicit Apostolus: Oramus autem ad
Deum ne quid faciatis mali, si Dominus non liberat
peccatis, nisi veniam dando præteritis? Qua de causa clarissimis verbis duplicem illam arbitrij libertatem paulo superius adversus Iulianum inculcaverat, cum vellet illa verba Christi: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*, ad solam peccatorum remissionem detorquere: *Alia est*, inquit, *remissio peccatorum in eis quæ male facta sunt, alia cliorit.o* (ita solet Augustinus appellare gratiam actualis adjutorij vel

Ibid. p. 123

A effectum ejus) *quæ facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt. Utroque modo liberat Christus, quia & iniquitatem ignoscendo aufert & inspirando tribuit charitatem.* Hæc igitur & similia apud Augustinum passim frequentata manifestissime docent, quid in ejus doctrina sit libertas à peccato & quam procul ab ejus intelligentia sint recentiores, qui solam peccati remissionem eo nomine significari putant; ut nihil mirum sit, quod eam sub nomine veræ libertatis non agnoverint.

CAPVT SEPTIMVM.

Libertas à peccato, secundum terminum ad quem, est vera & propriè dicta libertas arbitrij ad opus bonum. Fit per charitatem justitiæ & delectationem.

SED eam verissimam & proprijssime dictam esse libertatem arbitrij, non quidem generalem respectu quorumlibet actuum (quandoquidem in actibus malis efficien lis non habeat locum, sed tantummodo in actibus bonis) evidentius apparebit, si præter terminum à quo fit liberatio, de quo hactenus diximus, etiam terminum ad quem istius libertatis à peccato, attenderimus & modum quo Deus eam in arbitrio voluntatis operatur.

Terminus igitur quem respicit libertas à peccato, velut finem & scopum liberationis à libidinis dominatu, duplex est, unus negativus, alter positivus. Negativus est, non consentire concupiscentiæ ad peccandum, positivus consentire iustitiæ seu veritati ut voluntas bonum velit & operetur. Quæ duo Scriptura præcipit cum dicit, *Diverte a malo & fac bonum.* Et in eis totius legis iustitia & Christiani hominis perfectio comprehenditur.

Psalm. 33.

B

Primus igitur effectus quem ista libertas à concupiscentiæ dominatione operatur est valde singularis summique beneficij, ut videlicet voluntas non amplius ei consentiendo peccandoque serviat, sed ea titillante alliciente atque trahente, firma consistat velut retinaculo quodam sursum religata, ne iterum deorsum præceps in antiquam servitutem ruat. Expressit effectum istum pulcherrime Augustinus, quando dicit: *Quo* (spiritu) *fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est, sicut præter hunc spiritum peccare delectat, ubi servitus, a cuius operibus abstinendum.* Vbi clare libertatis istius effectus ponit, *ut non delectet peccare*, in quo propriè peccati servitus constituta est. Vnde in eodem libro eundem effectum libertatis & servitutis per peccati aut thelin explicans: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. Vbi autem spiritus Domini ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Si autem liberati sunt quid se iactant de opere proprio*

Lib. de spir. & lit. c. 16

Ibid. c. 30.

C

&c. Et in libris de Civitate Dei: *Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum cum vitijs peccatisque non servit &c. Vnde veritas dicit. Si vos filius liberaverit &c.*

Lib. 14. de Civit. c. 11.

Porro hic effectus negativus, qui est non consentire concupiscentiæ surgenti, & impiorioſe blandienti, oritur ex alio priore positivo, quo scilicet mens amore justitiæ, & tam tenaciter agglutinatur, ut nullis blanditijs aut minis inde possit avelli. Nihil enim ut malum fugitur, nisi quia bono concupito adversatur, cum fuga mali nascatur ex amore boni: *Ipsa continentia*, inquit Augustinus, *cum frenat cohibetque libidines, simul & appetit bonum ad cuius immortalitatem tendimus & rejicit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & speculatrix, huius vero hostis & restrictor est, & decus eius appetens & dedecus fugiens.* Libertas igitur à peccato, quamvis nomine tenus præcipue negativum effectum sonet, re tamen ipsa potissimum spectat positivum, quem primo & per se voluntas, vi impertitæ sibi libertatis, quali cujusdam potestatis, operatur. Hic autem omnes omnino actiones bonas in quibus justitia Christiana sita est, ambitu suo complectitur. Inter quas omnium prima, ex infidelitatis captivitate in libertatem gratiæ respirantibus occurrit fides. Nam arbitrium ante gratiam tam profunde carnalibus concupiscentijs submersum jacet, ut neque credendi libertatem & potestatem habeat, hoc est, ut non possit voluntatem concupiscentijs terrenis depressam sursum elevare ut credat, nisi cælitus Deus voluntatem potestatemque largiatur. *Intrat mediator in domum fortis, id est, in suo dominatu habentem genus humanum &c. Et sic eripit vasa eius quæcumque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, ut illo non impedi.nte credant in ipsum libera voluntate.* Qua de causa paulo ante dixerat orari ut infideles *doctrina arbitrio liberato a tenebrarum potestate consentiant.*

Lib. de corr. & grat. c. 5.

Epist. 107

Post fidem, qua justitia & veritas præceptorum Dei ac Deus ipse justitia æterna noscitur,

cur sequitur amor ipsius Dei, veritatis, & iustitiæ, qui præcipuus omnium istius libertatis fœtus est. Per hunc amorem, iustitiæ Deique seruus fit, sicut ante per amorem terrenum & huius mundi, peccato seu concupiscentiæ seruiebat. Quantumuis enim animus siue vera, siue seruili libertate sit liber, alicui tamen seruiat necesse est. Vel enim est liber à iustitia & seruit peccato, vel liber à peccato & seruit Deo. Nam ipse amor dei, & iustitiæ, & veritatis, est seruitus eius; Deo enim, seu quod idem est, iustitiæ & veritati seruiri sine amore non potest. Qui enim tantum timore Deo seruit & iustitiæ, adhuc liber à iustitia & peccati seruus manet. Hæc ergo seruitus Dei & iustitiæ, liberrima seruitus veri Domini est, quia liberrimus amor est, & nobilissimus fructus positiuus istius libertatis à peccato, si non potius ipsa libertas arbitrij dici debeat, de qua sæpissimè Aug. *Liberum arbitrium non evacuatur per gratiã, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatẽ qua insita liberè diligatur.* Et in libro de vera Religione: *Non enim per seipsum quisquam hominũ inuictus est, sed per incommutabilem legem* (id est veritatẽ seu Deum) *cui quicumque seruiunt soli sunt liberi.* Et libro de quantitate animæ: *Qua se libertate dignam facit. Nam ille ab omnibus liberat, cui seruire omnibus vtilissimum est, & in cuius seruitio placere perfectè sola libertas est*, Et in libro de moribus Ecclesiæ: *Dilectione redit in Deum* (animus) *qua se illi non componere sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beatior, atq; sublimior, & illo solo dominante liberrimus.* Nimirum quia & ipse animus cum sola ei veritas Deus seu iustitia dominatur, fit vt ipse etiã omnibus dominetur, quod libertatis est. Vnde in eodem libro paulo post: *Iustitia est amor soli amato seruiens & propterea rectè dominans, quo amoris igne cum se anima rapit in Deum, super omnẽ carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis pennis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur.*

Et quia iste amor iustitiæ facit hominem esse non sub lege puniente, sed in lege & cum lege delectante spiritũ hominis, hinc est, quod esse in lege seu cum lege, velut effectum istius libertatis ponat: *Consumpto mortis metu, non timoris necessitate sub lege sed libera voluntate cum lege, confitebuntur qui credunt* Et in Psalmum primũ: *Iusto non est lex posita vt dicit Apostolus, sed aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege secundum legem agit: qui est sub lege secundum legem agitur, ille ergo liber est, iste seruus.*

Modus vero quo Deus illam libertatem veram in arbitrio voluntatis operatur, non alius est, nisi quia operatur in eo dilectionem iustitiæ ac veritatis ac Dei, per quam erigitur anima super omnes concupiscentiæ titillationes ac delectationes, ut magis delectata splendore iustitiæ incipiat liberè velle bonum, liberè credere, liberè esse in lege, liberè operari iustitiam, liberè diligere Deũ, liberè frui Deo: quorum omnium ante aduentum gratiæ, derat arbitrio voluntatis, non minus libertas, quã potestas; quia ingenti pondere terrenarum libidinum deorsum grauabatur vinctumque tenebatur. Flante autem Spiritu Dei, ad omnia ista præstanda liberatur arbitrium, quia viscosum illud vinculum rumpitur, paulatimque magis magisq; Dei amore sursum erigente, succenditur. Ex quo fit vt sexcenties Aug. libertatem illam charitati tribuat: *In recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Et in libris contra Iulianum: *Charitas facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.*

Et quia timor pœnæ hominibus imperitis eadem opera videtur posse facere; quæ facit charitas Dei, & idcirco animæ quoque bene operandi libertatem voluntatis arbitrio posse conferre, ut illam præposteram tollat opinionem, timori solet opponere charitatem, illique soli prærogatiuam illam libertatis dare, timori seruitutem. Quisquis enim solo timore bonum facit, hoc ipso animam rei terrenæ cupiditate possessam esse declarat, quam ut retineat, bonum opus quod nondum diligit, timore & primitus cupiditate stimulatus facit: *Facit eos*, inquit Augustinus, *carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica Fides, Spes & Charitas liberos* Quod paulo post clarius explicans: *si propter illam* (terrenam felicitatem) *colatur Deus, seruilis est iste cultus pertinens ad filios ancillæ. Si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est seruitus pertinens ad filios liberæ.* Et in libris de sermone Domini in monte: *Ibi ex maiori parte seruientes timore premebantur: hic autem maxima dilectione liberi nutriebãtur.* Quod in initio libri dixerat quod Iudæos adhuc *timore alligari oportebat*, Christianos vero *charitate liberari* Et in tractatibus in Ioannẽ: *Hæc spes nostra est fratres, ut à libero liberemur, & liberando seruos nos facit: serui enim eramus cupiditatis* (id est peccati) *liberati serui efficimur charitatis.* Et declarans quomodo charitas illa liberans seruitutem Dei faciat, sic reprimit Christianum de libertate adepta gloriantem: *Non dicat Christianus liber sum, in libertatem vocatus sum &c faciam quod volo, nemo me probibeat à voluntate si liber sum sed si ista voluntate peccatum facis, seruus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccandum Erit enim voluntas tua libera si fuerit pia* (scilicet charitate Dei) *eris liber, si fueris seruus: liber peccati, seruus iustitiæ, nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo &c* Et in sermonibus de diuersis: *Seruitus pertinet ad timorem, libertas ad amorem.* Et alibi. *Si Dominus es auri, facis de illo quod bonum est: si seruus facit de te quod malum est. Seruum autem te fecit cupiditas, liberum charitas &c Quare non fit sursum cor liberum, sed vide si non amas &c.* Et libro de continentia: *sic nobis peccatum* (id est concupiscentia peccati vt paulo ante explicuit) *non dominabitur. Non enim sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id quod lex iubet, facientes nos amare, potest liberis imperare* Et in Psalmos: *Saluam fecisti de necessitatibus timoris animam meã, ut tibi charitate libera seruiat.* Vnde in libro de natura & gratia: *Hæc est* inquit, *lex libertatis non seruitutis* (quia charitatis utiq; non timoris, de qua Iac. Apost. ait: *Qui autem perspexerit*

in legem perfectam libertatis. Ex quibus patet, è scripturis & litteris Apostolicis hanc doctrinam suxisse Augustinum, non suo ingenio commentum esse. Illæ enim sunt, quæ libertatem charitati tribuere solent, illo clamante

Iacob. 1. de charitate per os Iacobi: *Qui perspexerit in legē perfectam libertatis: sicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Et per os Apostoli Pauli:

2. Cor. 3. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas: Non est ancilla ibi, sed libera, quâ libertate Christus nos liberavit. Vos in*

Galat. 5. *libertatem vocati estis fratres: tantummodo libertatem in occasionem detis carni.* Et quæ obsecro ista libertas in quam vocati sumus? *Sed per charitatem servite invicem.* Et per os Apostoli Petri:

1. Petri 2. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem,* quam libertatem? *Sed sicut servi Dei,*

1. Ioan. 4. cui non timore, sed solâ charitate servitur. *Perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Porrò quia tunc summa charitas est, quando fruitur veritate, quam diligit (amor enim summo impetu in fruitionem rapitur) hinc in fruitione incommutabilis veritatis summa voluntatis

D. Psal. 136 libertas erit. Augustinus: *Facilè potest demonstrari captivos nos esse. Non enim recipimus tam in auras illius libertatis: non enim sumimus puritate veritatis & illa sapientia, quæ ipsa sapiens innovat omnia delectationibus temporalium in rerum tentatarum, & colluctamur quotidie cum suggestionibus illicitarum voluptatum? Vix resistimus, vel in cruciatu: captivos nos esse intelligimus.* Et in libris de libero arbitrio veram arbitrij libertatem & summā

Lib. 2. de lib arbitr. c. 3. explicans: *Hæc est libertas nostra, cùm isti subdimur veritati* per amorem, *& ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est à conditione* seu servitute *peccati. Ipsa enim veritas etiam homo cum hominibus loquēs ait credentibus sibi: Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatē, & veritas liberabit vos. Nullâ enim re fruitur anima cū libertate, nisi quâ fruitur cum securitate.*

Porrò nihil omninò ardentiùs anima, quàm delectationem appetit, hæc enim ratio est, cur omnes animæ motus, siue appetat, siue fugiat, in delectationem velut in requiem omnium ponderum ejus terminētur, ut meritò delectatio & suavitas omnium desideriorū fugarumque requies dici possit: *Amant requiem,* inquit

Epist. 119. Augustinus, *sive piæ animæ, sive impiæ, sed quâ perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt: nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod anima amoribus suis. Nam sicut corpus tamdiu nititur pondere, sive deorsum versus, sive sursum versus, donec ad locum, quo nititur veniens conquiescat: pondus quippe olei, si demittatur in aërem, deorsum, si autem sub aquis, sursum nititur: sic animæ ad ea quæ amant, propterea nituntur, ut perveniendo requiescant.* Quam requiem tum ibi, tum alibi declarat esse delectationem. Hinc ergo proficiscitur, quod Augustinus frequentissimè libertatem istam charitatis delectationi tribuit, ut tunc hominem in operibus bonis liberum esse dicat, cùm Deo, justitiâ, veritate delectari cœperit, cùm suauia sunt diuina præcepta, cùm Deus & justitia placet. Quod eodem modo intelligendum est, quo supra diximus ex Aug. tunc arbitrium ad peccandum esse maximè liberū, quando peccata cum quadam suavitate seu delectatione perpetrantur. Non enim intelligitur illa delectatio, quam anima velut sui ordinis requiem ac terminū appetit, sed illa perfectior, quā delectabiliter & suauiter in obiectum rapitur. Hæc enim delectatio seu suavitas non distinguitur ab ipso primo motu amoris, ex quo desiderium & gaudium fluit. Quā de causa dici solet, nihil esse amore delectabilius: Et August. *Tenete eam charitatem, an placeat nobis eam; delectat illa nihil est.* Cùm enim iste primus amoris indeliberatus motus sit quædam appetibilis complacentia, & quasi coaptatio & congruentia amantis cum bono suo, sicut similis cum eo, quod sibi simile est, fieri non potest, quin hoc ipso sit amanti delectabilis; unde August. *Ea quæ facta sunt mutare, murare, quare autheris, si dissimilis es repellerius: si similis exaltaberis.* Hæc autem similitudo ex charitate, quia & Deus est charitas, ut Apostol. ait. Et cum, addit ibidē. *accedere coeperis mollis, & persentire Deū, quantum in te caritas crescat, quia & caritas Deus est, senties quidem* &c. Vnde fieri non potest, cum ex ipso, & in ipso primo motu amoris seu cōplacentiæ magna sentiatur suavitas, quâ ipse actus delectabilis est. Quod ita generaliter verum est, ut non solùm in motibus animorum, sed etiam corporum, ex congruentiâ sive similitudine suavitas atque delectatio fluat. *Ita enim* inquit Aug. *seves habent, ut pro tenuitate, corporis congruentia, vel delectet esca, vel offendat: Si delectat, dulcis aut suavis dicitur: si autem offendit, amara, sive aspera sive aliquâ scavitate, sed vitiosa.* Ex quo fit, ut nonnullis morbis homini mel amarum sit, & pecoribus quibuscunque, ut capris, suavis oleaster. Nam *procul dubiq; suavitatem ipsa congruentia facit.*

Hæc ergo ratio est, cur August. quem toties paulò ante dicentem audivimus, animam charitate liberam fieri, eandem libertatem delectationi, suavitati, complacentiæ que tribuat, ut tunc arbitrium dicatur liberum in bono quādo delectabiliter & lubenter opus bonum facit. De delectatione sexcenta suppetunt testimonia. Nam in Tractat. in Ioan. cùm citasset illud Apost. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem,* sic subiungit Augustinus: *Ecce unde liberi, unde condelectamur legi Dei. Libertas enim delectat nam quamdiu timore facis quod iustum est non Deus te delectat. Quamdiu adhuc servus facis, non te delectat: delectet te & liberet.* Et ut ostenderet in ipso amoris motu hāc esse delectationē: *Noli,* inquit *timere pœnam, sed ama iustitiā: nondum potes amare iustitiam, time vel pœnā, ut perveniās ad amandam iustitiam.* Et rursus de libertate delectationis. *Ergo iam ille ex parte superiore liberū se esse sentiebat, unde dicebat: Condelector legi Dei secūdum interiorem hominem. Delectat me lex, delectat me quod iubet lex, delectat me ipsa iustitia. Video autem aliam legem in membris meis* &c. Et iterum de eadem libertate delectationis: *Ex hac parte sentit captivitatem, ubi non est impleta iustitia. Nā ubi condelectamur legi Dei, non captivus, sed legis amicus est, & ideo liber, quia legis amicus.* Et in Psalmum sexagesimum septimum tractans illa Scri-

la Scripturæ verba: *Parasti in tua suavitate egenti Deus*, pro quo nos legimus: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus; in hunc modum ait: *Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum* In Psalm. 67. *vt bonum opus fiat non timore sed amore, non formidine pœnæ sed delectatione iustitiæ. Ipsa est enim vera & sana libertas.* Et in libro de Spiritu & li- Lib. de Spir. & lit. c. 15. tera: *Quo spiritu fit in nobis vt non peccare deleclet vbi libertas est.* Et libro primo de nuptijs & concupiscentia pulcherrimè simul & libertatem & delectationem & amorem complec- Lib. 1. de nupt. c. 31. titur: *Ista delectatio legit Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei. In* B *ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem cum in eo proficit perfecuerant. Non enim timor est torquens, sed amor libens. Ibi sumus veraciter liberi, vbi nõ delectamur inuiti.* Vbi veracè libertatem, quæ est in operibus bonis opponit libertati seruili, quæ exseritur in operibus malis. Nam & illa libertas delectatione perficitur ut supra declaravimus. Sed hæc est differentia, quod illa seruilis peccati delectatio etiam invitos maximeque repugnantes tentat servos suos, cœlestis autem delectatio, quæ veraciter liberos facit, illa quoscumque invitos invenit, hoc ipso quo liberos etiam volentes facit.

Hanc ipsam delectationem subinde lætitiam vocat effectricem libertatis, in Enchiri- In Enchirid c. 31. dio: *Ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccatis* C *liberatus, esse iustitiæ caperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam simul & pia servitus propter præcepti obedientiam.*

Eandem libertatem exprimit aliquoties eodem sensu per hoc, quod aliquis opus bonum cum complacentia & libenter facit, sic Lib. 3. de nupt. c. 30. enim paulò ante dixit: *Non enim est timor torquens sed amor lubens.* Et libro de gratia Chri- Libr. de grat. Christi c. 13. sti præclarissimè: *Iustitia ex Deo dicitur qua datur per gratiæ beneficium vt non sit terribile sed suave mandatum, sicut oratur in psalmo, Suavis es Domine & in tua suavitate doce me iustitiam tuam: id est vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege sed libera charitate delecter esse cum lege. Præceptum quippe liber facit qui lubens facit.* Et libro de Lib. de quãt. tit. animæ c. 34. D quantitate animæ: *In cuius seruitio placere perfectè sola libertas est.* Pluribus allegandis August. testimonijs superfedeo. Nam hæc abundè satis sunt, vt omnibus innotescat vera, sincera & genuina sententia sancti Augustini de libertate arbitrij ad opus bonum. Hoc enim securè post longum istius rei laboriosumque studium assero, non aliam in vniuersis operibus eius repertum iri libertatem lapsi hominis, nisi quatenus arbitrium ex vna parte à dominante peccato, id est, ab imperantis & fœvientis concupiscentiæ iugo liberatur, ex alia verò, suavi, delectabili, ideoque libera caritate subiugatur Deo, vt opus bonum superatâ per delectationem spiritus, concupiscentiæ delectatione, non timore pœnæ sed amore iustitiæ, non invitè sed amanter, suaviter & libenter velit & Lib. de grat Christi c. 13 faciat. Omnium quippe sententiarum ejus complexio est, *Præceptum liber facit qui libens fa-*

A *cit.* Hoc autem duplex beneficium nisi voluntatis arbitrio per gratiam conferatur, ipsa voluntas bonum opus neque velle, neque facere potest, hoc est, nullo modo habet opus bonum in potestate. Cùm verò hoc sit propriè liberum, ipso Augustino teste, *quod habemus, in potestate* seu *quod facimus cum volumus*, apertissimè sequitur, istam libertatem à peccato, hoc est, à concupiscentijs peccatorum, quam semper Scriptura sacra & Augustinus inculcant, non mysticam, non impropriè dictam, non Christianam tantum, sed esse veram genuinam & proprijssimè dictam arbitrij libertatem ad opus videlicet bonum: ad quod illa libertas tribuit potestatem, qua per se voluntas sicut prorsus caret, ita & boni operis libertate caret. Quod ipsum multipliciter in In Enchirid omnibus operibus suis Augustinus docet: *Ad* c. 30. *iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse iustitiæ caperit servus.* Et continuo: *Sed ipsa libertas ad bene faciendum, vnde erit homini addito & vendito, nisi redimat ille, cuius illa vox est, si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere qui nondum liber est ad operandum bene?* Et rursum: *Tunc ergo essemur vere liberi* (scilicet ad operandum bene) *cum Deus nos fingit, id est formar & creat, non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus*, hoc est amantes bonum. *Quis enim est* In Tract. in Ioan. *bonus nisi amet bonum?* Vt alibi dicit. Et in Psalmos: *Non monemus vt nihil ametis, sed monemus ne mundum ametis: vt eum qui fecit mundum, libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis volare non potest.* Nimirum quia ut addit pennæ non sunt *resolutæ ab omni impedimento.* Terrenus enim iste & concupiscentialis amor quem supra diximus, in in omnes creaturas totumque mundum exardescere, impedit ne arbitrium res cœlestes, hoc est, Creatorem amare possit. Vnde de tali homine concupiscentiâ subiugato, & sine gra- Lib. 3. de lib tia liberante considerato dicit Augustinus: *Si* arb. c. 18. *bonus homo esset, aliter esset. Nunc autem quia* (ante gratiam) *ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo & non valendo esse, qualem debere esse se videt.* Quid est, non habet in potestate vt bonus sit, nisi non habet arbitrium adhuc liberum vt bonus sit, & bonum operetur? Quod ipse statim disertis verbis seipsum exponens adijcit, & admirationem tollit hominum minus intelligentium illam arbitrij libertatem, & se liberos ad opus bonum ante gratiam opinantium: *Nec mirandum est, quod vel ignorãdo non ha-* Ibid. *beat liberũ arbitriũ voluntatis, ad eligendũ quid recte faciat: vel resistente carnali consuetudine* (id est cõcupiscentia) *quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inoleuit, videat quid rectè faciẽdum sit, & velit nec possit implere.* Ignorãtia quippe illa & concupiscentia vincula, impedimenta, compedes, quibus nominibus ea solet vocare Augustinus, potẽtissima sunt, quę nemo nisi sola gratia dirũpere, & ab eis arbitrii liberare potest. Quod antequã fiat, nulla omnino

potestas est in arbitrio ut bonum spiritualiter velit aut operetur. Quæ sanè cum ex Scripturis Sacris & Christianæ fidei cardinibus cuncta fluant, apertissimè verum est, id quod ex Augustino demonstrauimus, libertatem istam à peccato, secundum utrumque terminum à quo & ad quem spectatam, esse veram & propriss. dictam libertatem, qua voluntatis arbitrium verè & propriè liberum fit, non ad quaslibet actiones, sed ut iustitiam & opus bonum velle possit & facere: quantumuis interim per se alia quadam seruili libertate gaudeat, per quam simili planè modo peccato seu concupiscentiæ libenter seruiat, & opera iniquitatis liberè, quia lubenter ac delectabiliter, operetur, quæ à Scripturâ & Augustino seruitus peccati, & libertas iustitiæ dici solet, quemadmodum supra fusè ex ipsius verbis sententiam eius explicuimus.

CAPVT OCTAVVM.

Vberius declaratur natura libertatis. Quid sanitas, quid potestas arbitrij. Vnde nascuntur, ortus, incrementum, fastigium libertatis.

VT vero accuratius intelligatur, quomodo libertas illa à peccato, seu à delectationibus peccandi, tribuat bonæ voluntatis & operis potestatem ut arbitrium in bono faciat quod velit, ideoque vera propriè que dicta libertas arbitrij sit ac dici debeat, sciendum est, hanc libertatem non esse aliud quam voluntatis seu arbitrij sanitatem. Sanitatis vero in omnibus rebus illa natura est, vt sit vigor, robur, potentiaque naturarum, eamque potestas operandi cuique naturæ congrua consequatur: Animus vero seu voluntas rationalis habet etiam quam maximè sanitatem suam, habet ægritudinem suam, habet operis boni ex sanitate potestatem, habet eiusdem operis ex ægritudine infirmitatem. Sanitas voluntatis, amor est creatoris, ægritudo cupiditas seu delectatio creaturæ. Vnde diuinissimum istud Augustini de sanitate vitæ præsentis: *Charitas, sanitas.* Et de sanitate futurę: *Tunc plena sanitas, quando plena charitas.* Et illa sexcenties iterata doctrina, quod concupiscentia quæ non diligit nisi creaturam sit morbus, ægritudo & infirmitas voluntatis. Qua de re non pauca diximus in tractatu de concupiscentiâ. Porro perfecta sanitas quantum ad ægritudinis immunitatem in indiuisibili sita est. Omnem enim ægritudinem prorsus excludit: vnde & sanitas perfecta voluntatis nullam omnino ægritudinem cupiditatis admittit. Hoc ipso quippe, quo vel tantillum vitiosi amoris aut delectationis in voluntate irrepit, aut reliquum est, perfectæ charitatis perfectæque sanitatis vigor violatur, & hoc ipso succedit loco potestatis infirmitas. Voluntas enim diuiditur, & ipsa diuisione fit infirma quia resistit sibi. Nec enim plenè vult, nec plenè non vult, hinc lucta, hinc labor, quia ex luctâ discerpitur graui molestia. Vna enim tota non est, & hoc deest alteri quod adest alteri. Vnde optimè Augustin. *Cum inhæsero tibi ex omni me* (exhausta scilicet omni cõcupiscentiæ peste quæ aliquid nostri hic semper captiuum tenet) *nusquam erit mihi dolor & labor. Et viua erit vita mea tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, subleuas eum, quoniam tui plenus non sum oneri mihi sum.* Et alibi orat ut anima sua sequatur se ad Deum *concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi.* Et per illam dominicæ precationis partem: *Libera nos a malo*, hoc à nobis postulari docet, ut liberemur *à nobis ipsis* ut nihil habeamus in nobis, *quod resistat charitati quod repugnet veritati, quod subiaceat infirmitati.* Nimirum vt ita recollectis in unũ Deum viribus voluntatis, quas infirmitas concupiscentiæ distraxerat, fiat voluntas sanitate caritatis vt potentissima, ita liberrima ad opus bonum. Nam ipsa sanitas caritatis sicut est potestas eius, ita & libertas, & ideo libertas quia potestas. Hoc enim liberum, quod habemus in nostra potestate, & quod facimus quando volumus.

Ex hâc igitur radice nascitur, quod Augustinus libertatem arbitrij ad opus bonum, sæpius ex sanitate proficisci docet, imo ipsam sanitatem esse libertatem eius: *Per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio.* Quod statim explicans addit; *gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur.* Et libro de peccato originali: *Erant & legis tempore homines Dei sub gratia delectante, sanante, liberante.* Quibus locis præclarissimè & breuissimè ordinem exponit quo libertas in arbitrio gignitur, ut ante omnia delectetur, delectatione sanetur, sanitate liberetur: quæ quamuis simul fiant, non tamen sine ordine aliquo naturæ vel rationis videntur fieri. Vnde & alibi Pelagiũ arguit, quod *tanquam saluam*, id est, sanam *& liberam naturam defenderet*, quasi diceret sanam, ideoque liberam. Istum tamen siue naturæ siue rationis ordinem non semper seruat Augustinus, sed sicut reipsa idem sunt, ita nõnunquam illa promiscuè exprimere solet. Nam alibi aduersus eundem orandum esse docet, *ut absolutissima cui nihil addi possit, sanitate, perfecta Dei suauitate, plena libertate perfruamur.* Sanitatem anteponens suauitati cui eam præcedentibus locis quasi effectum postposuerat. Sed ut sanitatem arbitrij quam charitas ac suauitas tribuit, reipsa libertatem eius esse significaret, peregregiè contra Celestium dicit: *Sicut non est*

Tract. 9. in Epist. Ioan. Lib. de perfect. iust. c. 3.

Lib. 2. de statu naturæ lapsæ.

Lib. 10. Confess. c. 28.

Cap. 30.

Serm. 30. de verbis Apost. c. 4.

Libr. de natur. & lit. c. 30.

Lib. de peccato originali c. 23.

Epist. 106.

Lib. de natura & gratia c. 38.

Libr. de perf. iust. c. 4.

non est opus sanis medicus, sed male habentibus, ita non est opus liberis liberator, sed servis, ut ei dicat gratulatio libertatis, salvasti de necessitatibus animam meam. IPSA ENIM SANITAS EST VERA LIBERTAS, *quæ non periisset, si bona permansisset voluntas* id est caritas, hoc est enim Augustino bona voluntas, ut alibi dictum est.

Cùm igitur arbitrij sanitas sit libertas ejus, & sanitas ex ipsa ratione sanitatis robustissima sit, ægritudo verò infirmissima, imò ipsa & re & nomine infirmitas sit, hinc fit ut Augustinus doceat libertatem arbitrij ad opus bonum dare, vel etiam esse potestatem ejus, hoc est, idcircò voluntatis arbitrium aliquid posse, quia liberum, siue liberatum est. Hoc enim indicat, quando in lib. de correptione & gratia dicit: *Quid aliud rogavit* (Christus Petro) *nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, perseverantissimam voluntatem?* Hoc indicat quod mox iterum dicit: *Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem & inseparabilem fortitudinem.* Vnde paulò post dicit electos *accipere tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis pugnent contra concupiscentiam peccatorum, non tamen ultra serviant peccato, quod est ad mortem*: tantam libertatem, hoc est, tam potentem libertatem, quia videlicet accipiunt tantum liberrimæ charitatis ardorem, *quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superentur* Hoc denique indicat quod in retractationibus dicit: *Quando tale est* (peccatum) *ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod* VALET, id est potest, *voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est, ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Perspicuè enim dicit piam voluntatem, quamdiu dominatur ei cupiditas, sicut in omnibus peccatoribus dominatur, saltem orare posse, quia in talibus ad orandum tantùm libera est, quia eo usque saltem per gratiam liberata est.

Ex eadē radice nascitur, quod iuxta doctrinam S. Aug. sicut sanitas arbitrij paulatim justitiâ proficiēte crescit, ita etiam libertas arbitrij magis atque magis augeatur. Sanitas autē arbitrij, cùm nulla sit, ut jam diximus, nisi charitas, quodcumque fuerit charitatis incrementum idem & libertatis erit. Hinc ergo fit, ut quemadmodùm sanitas & charitas, hoc est, bona voluntas hominis erga Deum, à prima credendi & orandi voluntate sumit exordium, pariter etiam libertas arbitrij ad bonum, cùm eadem illa bona voluntate reuiuiscat. Nam hoc significatum voluit Augustinus illo ex retractationibus loco: *Nisi forte si pia est ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.* Pietas enim incipit à prima bona, id est, credendi voluntate, per quam etiā ex fide orare potest; iuxta illud Augustini: *Initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est pia voluntatis* &c. Hanc libertatis cum bona seu pia voluntate inchoationem expressit alibi luculentiùs *Ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium, non ut superba voluntate respuant adiutorium, sed ut piâ voluntate invocent Dominum.*

Quam sanctissimi præceptoris mentem, quamuis per se perspicuam, lucidissimis verbis discipulus eius sanctus Fulgentius explicat: *Hæc libertas* (à peccato) *quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione conseritur: à bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum fortitur effectum.*

Nec; verò tantùm libertas incipit cū sanitate, id est caritate, siue bona volūtate, sed cum eadē etiam ijsdē planè gradibus crescit. Cùm enim dixisset Augustinus in hoc intelligendū esse liberum arbitrium, ut piâ voluntate invocent Dominum, velut rationem reddens præclarissimam illam sententiam subijcit: *Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò senior, tantò autem senior, quantò divinæ gratiæ misericordiæque subjectior.* Sanitas autem, charitas, ut ex ipso jam audiuimus, res ipsa clamat. Et statim iterum cùm à Propheta fideliter orari dixisset, ne dominarctur sibi omnis iniquitas, *precatur*, inquit, *non pollicetur: confitetur, non professetur. Optat plenissimam libertatem non iactat propriam potestatem.* Qui optat plenissimam, nisi quia nullis justis, nec Apostolis quidem, ita plena est, quin possit crescere, & plenior fieri? Vnde de simili Apostoli oratione, quâ se liberari postulabat à corpore mortis huius, hoc est, ut sapiùs exponit, corporis vitijs, concupiscentiæ videlicet delectationibus: *Neque enim sibi sufficit, qui dicit, infelix homo, quis me liberabit, aut plenam libertatem habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari.* Et hac de causa, quamuis voluntas Petri jam à peccato esset libera, Christus Dominus precando, ne deficeret fides ejus liberiorem volebat fieri. Hoc enim teste Augustino precabatur, ut *haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam perseverantissimam voluntatem.*

Sed nullibi quod sciam euidentiùs totam istam libertatis gradationem à basi usque ad fastigium ejus tradit, quam in tractatibus in Ioannem: *Intendite*, inquit, *fratres mei, intendite: ne forte possim perducere vobis ad sensum, & qualis modo sit, & qualis futura sit ista libertas.* Intendamus igitur & nos, quia ita postulat, & res magna est, ut plenissimè sententiam ejus capiamus. *Prima libertas est carere criminibus* Hoc est, post peccatorum remissionem vivere sine peccatis grauibus, ut statim explicat; quia sine omni peccato hîc vivit nemo, nisi ille solus, qui fuit in mortuis liber. Qui igitur ita vivit ut criminibus careat, *incipit caput erigere ad libertatem: sed ista inchoata est non perfecta libertas* Ecce ergo primus libertatis gradus. Sed *quare*, inquit *aliquis non est perfecta libertas?* An fortè quia non est satis indifferens ad bonum & malum? Ad hoc vel illud bonum? *Quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Non enim quod volo, hoc ago* &c. *Caro enim concupiscit adversus spiritum* &c Ecce peccatum à quo paulatim liberamur. Ecce unde dicitur libertas à peccato: *Ex parte libertas ex parte servitus: nōdum tota, nondum pura, nondū plena libertas, quia nondum*

plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem &c. *Audeo dicere ex qua parte seruimus Deo liberi sumus: ex quâ parte seruimus legi peccati adhuc serui sumus.* Ecce sanctam nostram in hâc vitâ libertatem, sed crescentem cum decrescente illa peccati lege de die in diem, si bene proficimus. *Quando igitur plena & perfecta libertas erit?* Audi ipsum interrogationi suæ respondentem: *Quando nullæ inimicitiæ*, carnis concupiscentis contra spiritum & spiritus aduersus carnem, *quando nouissima inimica destruetur mors.*

Tota ista doctrina ex Augustini principijs supra deductis liquidissimè fluit. Cùm enim libertas à peccato non sit aliud nisi libertas à dominante & in peccatum nos vrgente concupiscentia, & per hoc ipsum detur potestas diligendæ iustitiæ, & ex illâ dilectione potestas faciendi operis boni, necessarium prorsus est, vt quo magis ab illo peccati morbo liberamur, eo magis liberetur arbitrium pleniorque ad bonum libertas potestasque conferatur. Porro ab illo peccato nihil aliud nos magis magisque liberat nisi charitas, secundùm verissimam constantissimamque doctrinam Augustini, unde necesse est ut ipsâ gradibus crescat & decrescat libertas arbitrij, quibus sanitas charitatis qua ab illo peccato liberamur: *Ignorantia*, inquit, *minuitur veritate magis magisq; lucente: concupiscentia minuitur, charitate magis magisq; feruente.* Charitatis enim venenũ est cupiditas, ut idem docet: *Nutrimentum eius imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* Vnde iubemur detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur.

Lib. 6. cont. Iul. c. 16.

Lib. 83. qq. q. 36.

CAPVT NONVM.

Quatuor Corollaria ex istis principijs Augustini declarantur, & in primis quomodo arbitrium liberum erit in cœlo.

EX quâ summâ doctrinæ principiorumque consonantiâ, multa in Augustini sensu valde perspicua, sed miris tenebris iuxta recentiores nonnullos, adoperta intelliguntur.

Nam primò hinc perspicitur, quid sibi velit Augustinus quando docet, arbitrium non esse liberum, cùm concupiscentia hominem subiugatum tenet: *Quomodo*, inquit, *libera est* (voluntas) *cui dominatur iniquitas?* Qua de re multis postea acturi sumus: Nimirum, quia hoc ipso quo arbitrium à concupiscentiâ superatum est, ei seruum addicitur, vt Sanctus Petrus loquitur, & ut ipse Christus, Augustino sæpissimè interpretãte: *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Vnde Augustinus: *Nec libera voluntas dicenda est, quãdiu est, vincentibus & vincentibus cupiditatibus subdita. A quo quis enim deuictus est huic & seruus addictus est.* Et alibi: *Si aduersus eam pugnare desiteris, vinceris, vincetis, & ad immunda commixta pertraheris* &c. Quem ideo mox *captivum concupiscentiæ, desertorem continentiæ* vocat. Captiuitas enim arbitrij sub malo, & libertas eius ad bonum ex diametro sibi in Augustini doctrina aduersantur.

Epist. 89.

Ioan. 8.

Epist. 44.

Lib. 3. cont. Iul. c. 21.

Hinc secundo perspicitur vera ratio, cur Augustinus docuerit libertatẽ arbitrij in Adamo fuisse maximam, neque quenquam in hac vita esse cuius arbitrium ita liberum sit: *Multa quippe sunt*, ait Augustinus, *quæ agunt homines mala à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est quam illi fuit.* Quid ita? *Qui Deo suo à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus astabat.* Nimirum quia omni concupiscentiæ captiuitate arbitrium eius prorsus vacuum fuit. Et hæc est etiam vera ratio, cur Adami arbitrium seu voluntatem Augustinus sæpe dicat absolutè fuisse liberam, & nostram neget: *Quis enim nescit sanum & inculpabilem factum: & libero arbitrio, atque ad iustè vivendum potestate libera constitutum.* De nobis vero in hac ruina constitutis dicit: *Nunc ei qui dicit* (id est, etiam Apostolo Paulo) *quod nolo malum hoc ago* (id est concupisco invitus) *abstinere inde liberum non est.* Et in eodem libro multò post: *Hunc ad bene vivendum & ad rectè agendum per voluntatis arbitrium, asserere liberum, clamantem tibi, mentiris, non quod volo ago,* quasi dicat non sum liber, vt alibi dicit. Nimirum quia Adam omni peccato sibi concupiscentialiter dominante vel blandicijs arbitrium proritante prorsus caruit, vt pote *cui nihil concupiscentialiter resistebat*, à quo malo nemo in hac vita penitus ita liberatur, ut nihil pestis istius arbitrium per intervalla, magis aut minus fatigantis reliquum sit. Deplorat itaque iacturam istius magnæ libertatis in libro de correptione & gratia: *Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.*

Lib. de nat. & grat. c. 43.

Lib. 1. operis imperf. f. 48.

f. 149.

Lib. de Cor. & grat. 11.

Hinc tertiò intelligitur, cur in Augustini principijs libertas ista per solam gratiam dari & augeri & compleri possit, hoc est, cur nemo liber arbitrio ista libertate peccati esse possit, nisi filius liberauerit. Nimirum, non quia peccati remissio per gratiam dari debet (vt Pelagiani quoque voluerunt) non quia inde opera bona quæ quis operari debet, supernaturalia sunt (vt ij qui doctrinæ sancti Augustini non satis periti sunt, suspicantur) sed quia non est potestas in cœlo vel in terra quæ voluntatis arbitrium ab horrendo illo concupiscentiæ iugo

Lib. 1. cont. Iul. oper imp. f. 40.

iugo, captiuitate, dominatione, blandicijs illud superantibus, si sibi etiam iustificati relinquantur, liberare potest, nisi solum gratuitum adiutorium gratiæ Dei. Hæc est enim vera ratio, cur dicat Augustinus. *Ad iustè faciendum, liber non erit nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus*: & iterum: *Quid enim boni operari potest peritus, nisi in quantum fuerit, à perditione liberatus?* Nempe quia etiam iustus ab ista perditione victoris peccati illius magis magisque liberatur. *Victore enim*, vt addit, *peccato amissum est liberum arbitrium. A quo quis enim devictus est, huic & seruus addictus est.* Et iterum in retractationibus: *Voluntas ipsa* id est arbitrium voluntatis, *nisi Dei gratia liberetur à seruitute à quâ facta est serva peccati, & ut vitia superet, adiuvetur, rectè pieque vivi à mortalibus non potest.* Et iterùm: *In tantum enim libera est, in quantum liberata est* voluntas. Et hac de causa notat sæpè ab Apostolo non esse dictum: nunc autem liberi à peccato, sed nunc autem liberati à peccato: *Liberos*, inquit, *dixit iustitiæ* (id est à iustitia) *non liberatos. A peccato autem non liberos, sed vigilanti & me maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*

In Enchirid c.30. *Lib. 1. ad Bonif. c. 2.* *Lib. retract. cap. 9.*

Hinc quartò vera & genuina causa elucescit, cur Augustinus semper doceat liberum arbitrium in sempiterna felicitate non perituru̅, sed multò magis liberum futurum esse, quàm in hac vita fuit. Miros hîc effingunt sibi, & Augustino offundunt fucos plerique recentiores, ut explicent, in quo maior illa libertas constituta sit: nempe, inquiunt, quia liberiùs eliget hoc vel illud bonum. Nec enim aliam arbitrij libertatem, quàm indifferentiæ suspicari possunt. Sed profectò quisquis ea, quæ hactenùs ex clarissimis principijs ejus derivavimus, intellexerit, jam me tacente palàm cernet, nihil insultius, nihil ab ejus doctrinæ filo discrepantius dici posse. Nam huiusce solutionis (vt liberè dicam in explicanda libertate quid sentio) in universis operibus Augustini, quibus nihil frequentius & libentius, quàm de arbitrij libertate differit, non est vestigium: sed excogitata est, ut ejus doctrinam toto cœli cardine differentem, ad suam torqueant; non suam ad ipsius normam corrigant. Itaque verus Augustini sensus est, arbitrium voluntatis in cœlo liberius futurum esse, cùm peccare non poterit, quia ab omni peccati, hoc est, concupiscentiæ servitute remotius, quia à tota illa exhausta peste liberatius, quia plenitudine charitatis sanius, quia ineffabili diuini amoris delectatione fortius, stabilius, & indeclinabilius. Nam ad utrumque libertatis terminum, & à quo liberatur arbitrium, & ad quem liberatur, & ad ipsius liberationis modum, in ista sua doctrina respexit Augustinus.

De respectu ad terminum à quo liberamur, dubitari nullo pacto potest. Nam non est alia libertas, nisi à peccato, quâ Augustinus adversus Pelagianos juxta scripturas jam sæpissimè repetitas propugnat; quâ scilicet libertate nos Christus liberauit. Vnde impossibile est, ut ab ea respectus ad terminum à quo fit liberatio, secludatur, cùm eam involvat essentialiter, sicut ex ejus tot testimonijs allegatis perspicuum est. Nam sicut in prima liberatione à peccato dominante, non potest intelligi libertas ab eo sine respectu ad illum terminum, nec in secunda cum peccati illius tyrannis magis frangitur, ita nec in tertia. Nam hinc sunt illa sancti Doctoris verba de Propheta cùm liberationem plenam à dominante iniquitate imploraret: *Optat plenissimam* futuræ vitæ *libertatem*, scilicet ne dominaretur iniquitas seu plenissimam libertatem à dominante iniquitate, *non tacitat propriam potestatem.* Hinc illa de Apostolo liberationem à corpore mortis, id est, vitijs corporis plenam implorante: *Nec plenam libertatem* (qualis in cœlo erit) *habere dicendus est, qui se adhuc postulat liberari.* Hinc illa perspicua de tali plena à peccato libertate: *Quid autè liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato?* Quasi dicat, quid à peccato liberius & remotius illo arbitrio, quod ei peccato, à quo liberatum est jam amplius servire non poterit? Et alibi, cùm dixisset arbitrium hîc malè velle, postea verò malè nolle, id est peccare peccatoque servire non posse, statim adijcit euidentius: *Nec ideò libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit seruire peccato.* Quid est hoc, nisi multo liberatius erit arbitrium, quod non amplius in servitutem peccati ruere potest? Et adhuc illustrius: *Nec ideò* (beati) *liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt*, id est, quia tentari peccati seu concupiscentiæ delectatione non poterunt. Hoc enim apud Augustinum est peccati delectatio; *magis quippe erit liberum à delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*, id est, à concupiscentiæ delectatione, usque ad impossibilitatem habendi concupiscentiam delectationis. Non possem omni verborum delectu clarius oculis subijcere eum, quem dixi esse Augustini sensum, quàm ipse subjecit. Vnde definitiva ejus sententia superiùs explicata, *Quando plena & perfecta libertas erit? Quando nullæ immunitiæ* (carnis adversus spiritum concupiscentis quam latissimè declarauerat) *quando noxissima destruetur mors.*

Epist. 89. *Lib. de natura & grat. cap. 35.* *In Enchir. c. 105.* *Lib. 22. de Ciuit. c. 30.* *Tract. 41. in Ioan.*

Ad terminum etiam ad quem liberationis seu libertatis ab Augustino respici, hoc est, ad non peccandi beneque vivendi potestatem, & ad ipsum liberationis modum, maiorem scilicet charitatis delectationem, res æque manifesta est, nam hoc ille ultimus locus clarè loquitur: non enim solum dicit beatorum arbitriu̅ magis liberum futurum à *delectatione peccandi*, hoc est, à peccato seu delectatione peccati, qui est terminus à quo arbitrium liberatur, sed eo usque progressuram istam liberationem ut delectetur indeclinabiliter non peccare, hoc est, ut justitiam peccato repugnantem delectabiliter & indeclinabiliter diligat. Et hinc est, quod statim istam maiorem beatorum libertatem in bono seu in termino ad quem, non in eo ponit quod arbitrium sit indifferentius ut

hoc vel illud bonum diligat, sed quod sit potentius ad non peccandū, hoc est, stabilius, & in justitiæ (quæ Deus noster est) dilectione confirmatius. Causam enim cur sit liberius istam reddit, quod cum Adami arbitrium ita liberum fuerit, vt potuerit non peccare; *Hoc autem,* inquit, *nouissimum eo potentius erit quo peccare non poterit.* Nimirum, iuxta doctrinam quam ex eo paulò ante produximus, quod arbitrij libertas sit etiam potestas eius: & proinde quò liberius, eò potentius ad justitiam diligendam.

Lib. 22. de Ciuit. c. 30.

Sed omnia ista tria, & terminum à quo libertatis, & ad quem, & modum liberationis per delectationem caritatis simul eleganter in eodem illo libero de Civitate complexus est: *Erit ergo illius ciuitatis & vna in omnibus, & insuperabilis in singulis voluntas libera.* Et in quo libera? Num quia indifferentius ut eligat hoc vel illud bonum? *Ab omni malo liberata.* Ecce terminum à quo: *& impleta omni bono.* Ecce terminum ad quem, quia boni, id est Dei dilectione plena est. *Fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum.* Ecce liberationis modum. Hoc est enim quod ante alijs verbis expresserat *usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum*: quæ delectatio indeclinabilis non est alia, nisi fruitio indeficiens æternorum & jucunda gaudiorum. Hoc libertatis à peccato incrementum & felicissimum complementum & modum, alijs verbis eodem sēsu circumscripsit alibi: *Pro sanandis* (membris) *orare debemus, ut absolutissima cui nihil addi possit sanitate* (quæ charitas est) *perfecta Dei suavitate plenâ libertate perfruamur.* Ecce absolutissima beatorum sanitas, perfecta suavitas, plena libertas est. Et rursum alibi, pari verborum evidentia & efficacia: *Quia peccauit voluntas secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè viuendi voluntas, ita sit etiam bene viuendi & nunquam peccandi voluntaria felixq; necessitas.* Summam hic beatæ libertatis in tribus sitam esse declaravit. Primò in eo quod tota sanetur infirmitas, quæ, iuxta perpetuam Augustini phrasin, est illud ipsum peccatum quod concupiscentiam dicimus, à quo propriè veluti termino à quo efficimur liberi, ea libertate qua nos Christus liberauit: secundo in eo quod perpetua sit voluntas beatè vivendi, quæ non est alia nisi voluntas fruens æternorum iucunditate gaudiorum, seu indeclinabilis pœnaq; iustitiæ delectatio. Vbi propriè exprimitur modus liberationis per ineffabilem illam caritatis suavitatē, quæ facit ut nulla peregrina peccati vel concupiscentię delectatio amplius irrepere queat. Tertio in eo quod simul permaneat nō peccandi beneq; viuendi voluntaria felixque necessitas, hoc est, voluntas fœlix, immutabilis, & necessaria (ut ita nostri seculi verbo & sensu loquar) non peccandi rectèq; vivendi; qui proprissimè est terminus ad quem fit illa suprema beatissimaq; liberatio. Omnia denique tria nō sunt aliud, quam id quod in libris de Civitate Dei dixerat, volūtas libera, liberata omni malo, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorū jucundjtate gaudiorū: vel, ut brevius ætatis nostræ phrasi loquar, *amor beatificus*, diversis respectibus quasi à diuersis lateribus cōsideratus. Nonne videtur Augustinus quantum ex istis omnibus eius testimonijs liquet, de sōniasse quidem unquam de absenis illis glossis verborum eius, quæ in nonnullis proferuntur? Si enim illas ce industria declinare voluisset, nō potuisset ab eis longius recedere, non solùm in explicanda maiori libertate beatorum, sed etiam quacumque præsentis vitæ. Hoc enim confidenter mihi asserere licet, cuius probationem in suum locum differo, in universis voluminibus quæ contrà Pelagianos exarata sunt, totoque illo conflictu de salua, destructaue per gratiam arbitrij libertate, non aliam vllam elucere libertatis arbitrij faciem, quàm produximus, nec esse vestigium ullum, quo Augustinus unquam de tali indifferētiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitasse, multo minus ad eam depellendæ calumniæ causa confugisse videatur. Constantissima quippe doctrina eius, paucis verbis quicquid de libertate respectu termini à quo, ad quem, modi liberationis quorumcumque sive ægrotorum sive sanorum, dictum est, complectentibus, comprehenditur: *Hæc voluntas tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto diuinæ gratiæ, misericordiæque subiectior.* Nam illa gratia est quæ sanitatem, id est, charitatem, illa est quæ suavitatem, hoc est, omnem charitatem, illa est quæ non peccandi necessitatem, hoc est, indeclinabilem charitatem, & per hoc summam à servitute peccati libertatem arbitrio voluntatis impertit. Hæc enim *est lex libertatis non seruitutis.* Qui sic Doctor beatissime & profundissimè? *Quia charitatis vtique non timoris.* Homines enim *facit carnalis timor & cupiditas seruos*, peccati seu cupiditatis, *Euangelica fides, spes, & charitas liberos. Nam* idcirco *in bene agendo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.*

Ibid.

Lib. de nat. grat. c. 58.

Lib. de perfect. iust. c. 4

Epist. 89.

Lib. de nat. & grat. c. 57.

Lib. 3. ad Bonif. c. 4.

Lib. de natura & gratia c. 65.

CAPVT DECIMVM.

Triplex liberi arbitrij status, ad bonū, vel malum, & ad utrumque. Vnde hæc restrictio ad unum, vel indifferentia contrarietatis nascatur.

HActenus duo illa membra libertatis explicuimus quibus terminus à quo libertatis exprimitur, libertatem *à iustitiæ, & à peccato*, seu, ut hoc sæculo loquuntur usitatius, comparatione termini *ad quem*, libertatem ad malum & ad bonum. Nunc aliquid breuiter dicendum est, quomodo illæ libertates arbitrij à diuersis statibus eius participentur. Nam quamuis liberum arbitrium seu libertas eius, illa generalis, quam initio tractatus huius explicuimus, sit in universum proprietas creaturæ, imo naturæ rationalis & intellectualis, non tamen in omni suppositō eandem suorum actuum latitudinem habet. Generatim quippe tam latè patet liberum seu libertatis arbitrium, quam voluntatis arbitrium, quia liberū arbitrium & volūtatis

tatis arbitrium apud Augustinum idem esse declarauimus. Voluntas autem, prout natura quam afficit, diuersa fuerit, vel etiam prout in eadem natura pœnis præmissisque ex præuio proposito profluentibus se discreuerit, ad actum plura pauciora que genera dilatatur aut restringitur.

Quamobrem sicut diuina natura, bonitas immutabilis est, & indefectibilis quia simplex, ita voluntas æque simplex, ad quam bonitas proprie spectat, ab amando hoc bono, hoc est seipso, neque mutari neque deficere potest: ita vt quicquid amauerit præter se, non nisi sub eadem illa suprema bonitate, & ad eandem illam supremam bonitatem referendo amare possit: quæcumque vero creata natura, hoc ipso quo ex nihilo facta, neque simplex est, et iam mutari & deficere potest: *Ei bonum solum* *lib. de Ciu. c.10.* *simplex*, inquit Augustinus, *& ob hoc solum incommutabile quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia & ob hoc mutabilia.* *Ibid. 56.* Et alibi: *Vnde colligitur non ob aliud res deficere, vel posse deficere, nisi quod ex nihilo facta sint.* Ex hac igitur defectibilitate, qua ad nihilum, tanquam ad solum patrium vergit, omnis creatura rationalis hoc habet, vt etiam voluntas eius à veri & summi boni dilectione, aliud inferius bonum, quod non debuit, amando deficere, hoc est, peccare possit: *Voluntarius enim defectus,* *Lib. 2. retr. tract. 19.* *quo anima rationalis ad ea quæ infra sunt conuersa conditore suo derelicto deficit affectum, hoc est quod peccatum vocatur.* Ex illa igitur naturarum diuersitate nascitur duplex arbitrij status naturis ipsis congruus & adnatus, vt arbitrium naturæ incommutabilis peccare non possit, mutabilis possit. Hæc enim vti voluntatem ita etiam libertatem ad malum declinare potest, illa non potest. Ista vtriusque naturæ & arbitrij proprietas, si naturam spectes, immutabilis, & in beatis damnatisque permanet. Nam etiam nunc beati & damnati mutabiles natura sua sunt, quandoquidem Deo volente mutarentur, sed remuneratione damnationeque factum est, vt illa naturalis in vtramvis contrarietatis partem flexibilitas amplius flecti nequeat. *Aliud est* *Lib. 2. de Ciu. c. 30.* *esse enim Deum, aliud participem Dei. Deus natura sua peccare no potest: particeps vero Dei ab illo accepit vt peccare non possit.* Sic igitur Creatoris arbitrium liberum est, sed ita ut non nisi bonum velle possit: creaturæ itidem liberum, sed ita vt & bonum velle possit & malum. Nam hoc ipsum, à bono scilicet increato, cui amore adhærebat, deficere posse, hoc est, ei posse velle malum.

Cum tali ergo arbitrio in vtramque partem libero & flexibili conditus est angelus & primus homo; sicut hoc accuratius ex Augustino in initio demonstrauimus. Nam quamuis angelus, & in primis, Adam, Scriptura teste, rectus conditus fuerit, hoc est, cum voluntate rectitudinem æternæ veritatis amante, nec in creaturas adhuc ullâ concupiscentiâ vel amore curvatâ, talis tamen fuit, vt deserere posset rectitudinem suam, vt pote in quo nondum illa bona voluntas qua diligebat istud incommutabile bonum, ita torrente voluptatis inebriata & firmata fuerit, quin adhuc beatum illud amoris vinculum posset abrumpere, & ita *bene velle posset & male.* Quamobrem iste primus est in creatura liberi arbitrij status, ad vtramque non solum contradictionis, seu & contrarietatis partem prorsus flexibilis & indifferens: ita diuinâ iustitiâ præmiis & supplicium liberorum voluntatis motuum temperante, vt quod quisque sibi fruendum liberè delegisset, siue creaturâ, siue creatore, siue peccatum, siue iustitiam, hoc ipsum ei permittendo vel donando, stabiliter velut præmium retribueret. Angelos itaque qui seruata voluntatis rectitudine sibi similes manserant, sibi similiores fecit, vt & ipsi ad illum libertatis apicem, quo peccare, hoc est, iustitiam adamatam amittere non possent, suo auxilio condescenderent; eos vero qui iustitia derelictâ peccatum adamauerant, stabili ac perpetua peccati seruitute mulctauit. *Deus enim,* vt Augustinus, *iuste omnia moderatur, vt pro cupiditatibus & electionibus* *Lib. 83. qq. q. 79.* *suis, seruitutes eorum, libertatesque distribuat.* Ipse enim sicut naturarum omnium creator est, *ita voluntatum bonarum adiutor & remunerator, malarum autem relictor & damnator.* *Lib. 14. de Ciui. c. 26.*

Ex hac igitur spontanea creaturæ rationalis in vtramque partem liberrimæ discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium perijt. Magno enim impetu voluntatis pars altera creaturæ rationalis sursum rapta, deorsum altera præcipitata est; & iustitia vtramque prosequente, cum nihil esset quod utriusque ponderis impulsum auferret aut minuere, vt ubi voluntas uniuscuiusque cecidit, ibi mansit. Sic aliud duplex libertatis genus, vel duplex status potius exortus est, vnus in quo quemadmodum Deus, creatura Deo simillima & eiusdem boni amore stabilita, iam nihil mali amplius velle potest; alter in quo creatura Deo dissimillima & boni sui amore spoliata, nihil boni. Nam cùm concupiscentiâ peccati, sibi velut victo, & in seruitutem ejus addicto dominante, se liberare non possit, non potest etiam ad illud æquilibrium per se redire, nisi gratia liberauerit. Nec tamen idcirco arbitrium liberum esse desinit. Non enim in eo libertas arbitrij sita est, ut utrumque genus actuum bonorum malorumque possit æqualiter, sed vt in quoscumque actus potestatem habeat, sive in bonos sive in malos, in illos liberâ feratur voluntate. Cùm enim hoc liberum sit, quod est in potestate voluntatis, actus illi alterius partis, quorum potestate caret, non sunt amplius in ipsius potestate, ideoque nec in ipsius libera voluntate, proinde nec liberi: sed respectu oppositi generis arbitrium est liberrimum, eoque liberius, sive vera, sive seruili libertate, quo minùs ab illis alterius partis amore retrahitur & impeditur, sicut hoc in ipso libertatis archetypo creatore omnium, in beatisque creaturis eius, Augustino sæpius teste, & omnibus Theologis consentientibus perspicuum est.

Ex quo profectò consequenter liquet, quod illa

illi maior quasi latitudo libertatis respectu A tam boni quam mali, quæ in illo primæuo hominum & Angelorum statu apparuit, non ex natura, multo minus ex perfectione liberæ voluntatis fluxerit, sed potius ex ejus naturali & concreata imperfectione, qua ex perfectione veræ libertatis sua voluntate excidere potest, nisi Deus impediat vnde fieri non potest vt ista latitudo actuum liberæ voluntatis, sit natura vel perfectio libertatis, sicut fieri non potest, vt potestas claudicãdi sit natura vel perfectio potestatis progressiuæ, vel potestas errandi intelligentiæ, vel mortalitas hominis, vel ægrotabilitas carnis. Nullius enim naturæ perfectio in eo sita est, quod possit in agendo vel essendo deficere, sic videlicet, ut si Creatoris beneficio impediatur, perfectio naturæ vel natura ipsa destruatur. Poterat igitur Deus talem humanam & angelicam instituere naturam, vt solus eam delectaret Deus, ejusque voluntati sine ullo non solum impedimento tentationis, sed etiam possibilitate defectionis obtemperaret, sicut nunc pars ejus quædam in cœlis immobiliter & indeficienter obtemperat. Non enim ideo liberum arbitrium non habẽt, quia peccata eos delectare non possunt. *Lib. 22. de Ciuit. c. vlt.* *Magis quippe esset liberum, à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum.* Nam Deum ab initio creaturæ suæ, conferre non potuisse sine præiudicio libertatis, quod ei postea sine præiudicio libertatis contulit, vt ei amoris perfectione simillima, B nec ipsa posset sua libertate deficere, hoc est, bonam liberamque voluntatem amittere, perabsurdum est. Quapropter neque natura liberi arbitrij, neque perfectio libertatis, imo neque status viatoris fuisset violatus, si talem Deus hominem angelumve condidisset, vt cœlestis delectationis magnitudine & firmitate liberum eorum arbitrium non posset creaturam Creatori diligendo præponere. Hoc enim citra dubium in Christo Domino sine detrimẽto libertatis ejus, sine interitu status viatoris, & quod est mirabilius, una cum ipsa beatifica visione & amore cõtigit; & in sanctissima ejus Matre eo faciliùs, quo inferiore gradu & alio ex capite contingere potuit. Nimirum vt etjam illa sublata concupiscentia, gratiæque magnitudine voluntatem ejus inseparabiliter confirmante, etjam sine beatifica visione peccare non posset. Quod iuxta Augustini principia probare non est difficile, sed non est huius loci. Non ergo natura vel perfectio libertatis, sed connaturalis ordo rerum, quæ ab imperfectis ad perfectiora progrediendum esse præscribebat indifferentem illum libertatis gradum ad bonum & malum postulauit: *Seruandi gradus erant*, inquit Augustinus, *diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo*, sicut & peccare: *Nouissimum quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum hoc ad recipiendum præmium pertineret.* *Ibid. c. 30.*

CAPVT XI.

Error Pelagianus est, requiri ad libertatem, indifferentiam ad bonum & malum: sed potest esse libertas, destructa ad malum.

QVamobrem perperam de liberi arbitrij natura philosophantur, qui hominem vel angelum non liberi arbitrij futurum esse suspicantur, si non æqualiter eorum voluntas flecti potuisset aut etiamnum posset in bonum & malum. Error iste à Pelagianis patronis ejus fidelissimis originem ducit. Principium enim apud ipsos primo verum & indubitatum fuit, non esse liberum cui non in utrumque contrariorum, bonum videlicet & malum, par potestas est. *Vide lib. 2. de hæresi Pelag. c. 1. & sequent.* Quod fusè à nobis in illo opere quo Pelagiani erroris dogmata lustravimus eorumque sensum explicuimus, demonstratum est. Hic vnus aut alter Iuliani locus sit instar omnium: rem enim ibi fecimus exploratissimam. Sic ergo B definit ipse libertatem arbitrij: *Libertas arbitrij in admittendi peccati & abstinendi à peccato, possibilitate consistit.* *Lib. 1. operis imperf. f. 118.* Ex qua regula, necessitatem omnem sive boni sive mali penitus excludendo, statim colligit; *Si ergo est, vt ratio prodidit, arbitrij Libertas propulsatrix necessitatum, vt nemo* *f. 122.* A *sit vel bonus vel malus, cui non sit liberum esse contrarium &c.* Et insultans fundatissimæ doctrinæ Augustini, qua in libris ad Bonifacium dixerat, voluntatem quæ libera est in malis, liberam non esse in bonis: *Non minore planè stultitiæ professione*, inquit, *quam profanitate liberum vocas, quod dicis nisi vnum velle, non posse*, hoc est, vel solum bonum vel solum malum. *fol. 158.*

Doctrinam istam hauserat ex Pelagio præceptore suo & istius erroris fonte Iulianus. Nam Pelagius in fidei suæ libello, quem ad Pontificem Innocentium sui purgandi causa destinauerat, his verbis sententiam suam de ista in utramque partem pari potestate comprehendit: *Nos vero dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.* Quo nihil aliud significat, quam id quod clarius discipulus eius propalauit, non esse liberi arbitrij hominem, nisi semper & peccare possit & non peccare. Sententia ista sub Hieronymi nomine citari solet, & in opusculo quod inscribitur: B

Symboli

Tome 4. operum Hieronymi.

Symbols explanatio ad Damasum continetur. Sed reuera est Pelagij. Nam multas lacinias ex eo citat Augustinus libro de gratia Christi, quæ verbotenus in eo comprehensas videre licet, qua de re plura diximus alio in loco.

Sententiam istam velut fortissimam & erroris Pelagiani nidum sæpe & acerrimè refutauit Augustinus, & asseueranter docet ad libertatem arbitrij, non esse necessariam illam ad utrumque contrariorum, bonum videlicet atque malum indifferentiam; sed totam eius naturam in alterutro oppositorum dumtaxat, sive in bono, sive in malo, sublata alterius oppositi potestate, posse salvari. Nam in libris ad Bonifacium, ac illis loquens qui ab omni liberationis gratia submoti, sub peccato captiui sine fide detinentur: *Hæc*, ait, *voluntas qua libera est in malis, quia delectatur malo, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quibus verbis perspicuè libertatem respectu solius mali asserentibus, cùm Iulianus illam indifferentiam boni & mali negatam cerneret, ideoque stultitiæ professionem & profanitatem ascripsisset Augustino, qui liberum diceret, quod nisi vnum velle non posset, respondet ei sanctissimus Doctor, quasi rem Iulianus perabsurdam protulisset, *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle de quo etiam ipse dixisti, Deus esse nisi iniustus non potest. Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem? An potius intelligere debes esse quandam beatam necessitatem, qua Deus iniustus non potest esse?* In qua sententia exemplum quod de Deo profert Augustinus, apud omnes etiam recentiores Theologos indubitatum est; sed eo scopo ab Augustino producitur, vt probet simili modo, liberam esse posse voluntatem in malis, ut ante dixerat, quæ non est libera in bonis, falsumque esse quod illi sententiæ Iulianus opposuerat, liberum non esse, nisi quod duo potest velle, bonum & malum. Et cum Iulianus iterum istam indifferentem libertatem ad utrumque contrariorum postulasset negasset que eam cum potestate ad unum tantum posse consistere, eandem solutionem ei reponit Augustinus: *Ergo nec in Deo est arbitrij libertas, quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest: qui & nobis summo illo præmio largiturus est; vt non quidem ipsi Deo, sed tamen angelis eius æquales, nec nos peccare possimus.* Sed Iulianus, cum invictam ratiocinationem suam arbitraretur, ei tertiò idem impingit confidentius, & apertam ei contradictionis absurditatem imputat, ut *qui iustificaret dogmata sua promittens se liberum arbitrium non negare, quod ante mali* (solius) *postea boni* (solius) *necessitate subverteret.* Sed respondet ei tertio Augustinus, necessitatem vnius contrariorum non repugnare libertati; *Dicturus es ut video Deum necessitate premi, ut peccare non possit, qui utique nec potest velle nec vult posse peccare.* Quâ beatissimâ necessitate & nos donandos esse profitetur.

Cùm vero hactenus exemplo divinæ libertatis, argumento quasi à simili convicisset, libertatem arbitrij etiam in sola ad malum potestate & libertate incolumem esse posse, & Iulianus eandem argumenti istius molem contra libertatem solius mali volveret & revolveret, tandem perspicuis verbis errorem eius notat & comprimit: *Multum erras qui vel necessitatem vllam putas esse peccandi vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam quod nulla necessitate commissum est.* Quod inductione variorum exemplorum probat. Et aliquanto inferius, cum retorsisset in eum Iulianus, quod *voluntas peccatoris potuerit tam bonum velle quam malum: totumque figmentum necessitatis*, quam sanctus Doctor asseruerat, *euanuisse*: exemplis eum errare docet Augustinus, magnaque veritatis fiducia doctrinæque Catholicæ securitate concludit: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista cæcitas, dicat ille cui dicitur, de necessitatibus meis eripe me.* Ex quo sanè acerrimo conflictu Catholicissimi pugilis cum Iuliano Pelagiani erroris architecto, manifestissimum euadit, necessitatem sive solius boni, qualis in Deo, angelis & hominibus beatis lucet, sive solius mali, qualis in hominibus, quos damnatio omnis gratiæ exortes fecit, reliqua est, nihil omninò repugnare libertati, sed reipsa tam perspicuè esse convictam, ut errorem eius opinionem vocet. Nec ibi propriè de libertate ad bonum, quamvis illius nonnulla exempla protulerit, sed præcipuè de libertate & potestate solius mali, certamen vertitur; altero velut stultam profanamque sententiam impugnante qua dictum erat, voluntatem esse liberam in malis, quæ non esset libera in bonis; altero velut sanissimam Catholicamque doctrinam omni Scripturarum & rationum apparatu defendente.

Sed nullibi res ista illustrius patet, quam in dæmonibus, qui amissâ irreparabiliter bene volendi & bene faciendi potestate solius mali potestatē & libertatem habēt. Sunt enim perfectissimè liberi à justitia servique peccati; nec ab illâ peccati servitute in æternum à Deo liberandi sunt, nec à seipsis liberari possunt. Amiserunt itaque penitus libertatem ad bonum, retentâ tamen perfectissimè libertate ad malum, juxta regulam generalem adversus Pelagianos de arbitrij libertate ad malum latam: *Nec liberum in bono erat* (arbitrium) *quod liberater non liberauerit: sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inservit, vel sibi ipse persuasit.* Et rursum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perijt, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet.* Ac tertio de peccatoribus qui mentis vtuntur arbitrio: *In peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Non enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committant vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel vtroque malo, & cæcitatis & infirmitatis.* Denique

Lib. 1. ad Bonifac. c. 2.

Lib. 1. operis imperf. fol. 130.

fol. 153.

fol. 154.

Lib. 1. operis imperf. fol. 155.

Lib. 1. operis imperf. fol. 159.

Lib. 1. ad Ebn. c. 3.

genera-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lissimè: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.* Quæ quamuis omnia de hominibus sub peccati dominantis potestate captivis dicta sint, eâdem tamen prorsus, imò longè maiori ratione in spiritibus reprobis perfectissimè locum habent. Nam voluntas eorum maximè delectatur malis, maxima cum delectatione peccat, maximè hoc ei amore peccati placet, quod ei lubet, omniumq; minimè per liberatorem à peccato liberati sunt, à quo seipsi eò minùs suâ possunt potestate liberare, quò stabiliori damnationis & obdurationis obstricti sunt.

Ex cuius doctrinæ regulis, quas de libertate arbitrij ad peccandum generaliter Augustinus tradidit, etiam specialiter sententiam de dæmonum libertate pronuntiat. Nam utrumque caput bicornis illius libertatis, sive retentæ, sive perditæ in ejus libris æquè perspicuum est, dum & peccandi libertatem spiritibus damnatis tribuit, & benefaciendi negat. Nam de libertate bene volendi & benefaciendi Satanæ, sic loquitur in epistola ad Vitalem: *Epist.107.* *Regens eos infideles ad arbitrium suum, quod nec ipse habet liberum ad benefaciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna justi sceleris obduratum: Unde nemo sanæ fidei credit aut dicit hos Apostatas angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando pietate converti?* De libertate verò peccandi nemo sanæ mentis inficiari posset, eam in dæmonibus vigere potentissimam. Quis enim nisi oculos apertissimæ veritati clauserit, non videat blasphemias illas in Deum horribiles gravissima sceleratæ mentis esse facinora? Nec enim quicquam ratio peccati continet, quod non maximè in eorum facta quadret, quæ contra legem æternam scientes, videntes, lubentesque dicunt, faciunt, concupiscunt. Hinc Augustinus tripartitam illam libertatem creaturæ rationalis, quam supra declaravimus, ad bonum tantùm, ad malum tantùm, & ad utrumque breviter exprimens: *Lib. 3. de libero arbit. cap. 17.* *Si nulla causa esset non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet, in angelis bonis, alia in peccando perseveret, in angelis malis, alia quasi media inter utramque, aliquando peccet, aliquando ad rectè faciendum convertatur, in hominibus viatoribus.* Et statim iterum: *Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur, voluntas*, id est liberum arbitrium, de quo erat disputatio. *Ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, cùm ejusdem generis omnes sint.* Vbi evidenter dicit, reprobos illos spiritus nunquam non velle peccare, hoc est, semper velle peccare. Eandem trimembrem libertatis partitionem etiam in superioribus tetigit, dum de angelica beata creatura dixit, quod *in perpetuum fruitur creatore suo, quem perpetua tenenda iustitiæ voluntate promeretur:* de damnata, *quod eam perpetua peccandi voluptas tenet*; quod eam præsciuit Deus *non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram.* *Lib. 3. de l. arb. c. 5.* Et tamen etiá talem creaturam *quæ liberâ voluntate peccat, excellentiorem esse, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem,* sicut aberrans equus, lapide non errante melior est. Inter vtramque verò medium ponit hominem, creaturam videlicet ita peccatricem, vt possit altitudinem suam pœnitendi humilitate recipere.

Ex istâ igitur liberæ voluntatis intelligentiâ, quâ arbitrium Augustinus esse sentit ac docet liberum, quantùmuis siue in bono siue etiam in malo, ita firmatum sit, vt non sit amplius ad benefaciendum liberum, sed ad maximam malevolentiam pœnâ sceleris obduratum, passim grauissimorum certissimorumque peccatorum auctores dæmones facit. Inuidiæ quidem frequentissimè: *Primum peccatum est quamuis bonam creaturam creatori in dilectione præponere: secundum autem, alterum quoque vt id faciat vel suadendo vel cogendo tentare.* Vbi vtrumque peccatum dæmonum digito ostendit, & quo cecidit, & quo damnatus hominem in peccatum labi fecit. De postremo genere, quod jam maximè in dæmonibus locum habet, statim attexit: *voluntate peccant, qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel stulta benevolentiâ vel malitiosâ invidiâ.* Et cùm invidentiam ex immoderato honoris amore pullulare docuisset, dum ne in eo superetur, cupit aliquos ad iniquitatis voraginem ex æquitatis arce deponi: *Hoc modo*, inquit, *diabolus suadere aut cogere ad peccata conatur.* Et mox vberius declarans vtroque modo & suadendo, quod diabolus facit, & ei consentiendo peccari: *Ego*, inquit *ambas* (creaturas) *bonas esse affero, sed unam earum malefacere suadendo, aliam malefacere consentiendo.* Sed quomodò an fortè malefaciet absque peccato? nequaquam, sed sic *vt illa si non suadeat emendatior futura sit. Etsi enim his illa peccat, quæ & committit & suadet; illa autem semel si tantummodo ad malefaciendum consentiat, tamen peccatis fiunt malæ, non naturâ sunt malæ.* Quod ibidem latiùs prosequitur. Hoc invidentiæ peccatũ sæpissimè Augustinus in dæmonibus ponit: *Sanctus invidet diabolus honorem cœlestem, unde ipse dejectus est. Mutatus enim ipse alios mutare nititur:* nimirum iuxta illud Scripturæ: *Invidiâ diaboli mors intrauit in Orbem terrarum.* Ex quo fit ut quemadmodùm sanctissimus Antistes dicit, *errore delectentur & quodammodò pascantur humano.* Neminem autem eò usque ineptiæ progressurum puto, ut invidiam fallendiæ; voluntatem, peccatum non esse arbitretur. Quapropter non veretur eis non tantùm peccandi voluntatem, & vera peccata, sed etiam invidentiæ ceterorumque peccatorum quæ in mundo damnati perpetrant, supplicium attribuere; ut non moco peccatorum, sed & pœnarum luendarum rei sint. *Illi principes contra quos habere nos colluctationem dicit Apostolus, pœnam peccatorum suorum priores spatientur quam nocent, nullius enim invidus ut alterum lædat, non sibi tormento est.* Et in libro de naturâ boni: *Cùm per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit, non tamen pro his iustis facit is, sed pro iniquâ nocendi voluntate quæ ipsius diaboli sunt, ei reddetur*

Lib. contra Secund. c. 17. *Ibid. c. 11.* *Sap. 2.* *Epist. 49. q. 3.*

reddetur in fine supplicium. Sed quid multis? Ipse Dominus Iesus apertissime diabolum post primum peccatum & homicidam facit, *Ioan. 8.* *E homicida erat ab initio, & mendacem, Mendax est & pater eius*; nec homicidium verò, nec mendacium esse peccata, vel peccata non esse liberæ voluntatis, nec ipsi quidem homicidæ aut mendaces inter surdos dixerint. Vnde Scripturis & Augustino succinentes veteres, non solum diabolo vera peccata tribuunt, sed etiam apertissimis verbis liberum arbitrium respectu solius mali; cujusmodi est beatorum Angelorum respectu solius boni. Quo de re *Bernard. de gra. & lib. arb.* sanctus Bernardus: *Sicut caelestis Angelus, aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propria videlicet voluntate, non aliquâ extrinsecâ necessitate; sic profectò diabolus aque liberè in malum & corruit & perstitit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.* An forte est etiam daemon liber in bono, & non captivus in malo? *Manet ergo* B *libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam & in bonis, sed in bonis ordinatior.* Et iterum evidentius: *Nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quod ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quodque ei non valet ad bonum respirare, non alterna facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Et post Bernardum Magister Sententiarum: *Mali (Angeli) per malitiam adeo sunt obstinati, quod bonam* *2. dist. 7.* *voluntatem habere, sive velle non valent, nisi bonum sit quod aliquando velint. Velunt enim aliquando fieri quod Deus vult fieri, & utique illud bonum est & iustum fieri, hoc tamen bona voluntate illud volunt.* Et statim adjicit utrosque & bonos & malos angelos habere liberum arbitrium, etsi illi in bono confirmati sint, hi in malis obdurati; quia *non aliquâ cogente necessitate, sed propriâ ac spontaneâ voluntate, illi bonum eligunt* C *& malum respuunt, hi bonum vitant & malum sequantur.* Vtpote qui habeant *liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, quo surgere ad bonum non valent.* Quam doctrinam Augustini, Bernardi & Magistri Scholastici & Commentatores veteres communiter secuti sunt. *In 2. dist. 7. a. 12. q. 1. 4. in 4. sp. ae no. 3. ic. a. 3. in corp.* Nam Bonaventura dicit non obstante obdurationè *daemones liberè velle quod volunt.* Itemque quod *continuè peccat* etiam in timore quo poenas timet, & in amore quo ut conservatorem diligit Deum. Divus Thomas: *Daemones quamvis diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet via primae electionis ipsorum.* Quibus ad illa usque tempora nemo videtur contradixisse.

Nec sanè ulla ratio recentioribus esse potest, cur etiam ex propriis eorum principijs doctrinam istam ponderando, de falsitate suspectam esse putent. Ipsi enim ad libertatem beatorum atque ipsius Dei satis esse credunt D ac docent, ut quamvis peccare non possint, eligant tamen liberè, hoc est, indifferenter hoc vel illud bonum. Sed hoc libertatis patrocinium plenissimè, planissimèque in damnatis spiritibus locum habet. Nam & ipsi quamvis voluntatem immobilem in malo, perversaque sui dilectione possideant, indifferenter tamen eligere possunt hoc vel istud malum, ad hoc vel istud peccatum homines impellere, hoc vel isto blasphemiæ convitio divinitatem incessere. Quod si ad libertatem sufficit, certissimum est & planissimum, liberum arbitrium in dæmonibus cum illa perpetua & generali, seu in confuso, peccandi necessitate cohærere; & proinde verissimam esse d. Etrinam sancti Augustini, qua constantissimè semper docet, *voluntatem qua libera in malis est qua delectatur malus non esse liberam in bonis, quia liberata non est*; juxta doctrinam Apostolicam quam Augustinus illis verbis explicuit: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ: nunc autem liberati a peccato servi autem facti Deo &c.* Nam ex illis verbis & alijs Christi Domini Ioannis octavo, quæ sæpius à nobis allegata sunt, fluxit illa divisio libertatis apud Augustinum celebris, in *libertatem à peccato*, quæ est libertas ad bonum, & *libertatem à iustitia*, quæ est libertas ad malum. Et illud Catholicum ejusdem Doctoris pronuntiatum: *Semper est autem in vobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala, aut a peccato libera est, quando servit iustitiæ, & tunc est bona.* Et illud in Enchiridio: *Ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Vnde ad iuste faciendum liber non erat, nisi à peccato liberatus esse cœperit iustitiæ servus.* Vnde obduratissimis peccatoribus liberam planissimè voluntatem tribuens dicit: *Facile est ut infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.* *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.* *In Enchirid cap. 30.* *Lib. de dono pers. c. 9.*

Hæc de libertate tantum ad malum paulo fusius ex Augustini mente pertractanda fuerunt, propter miras quorundam recentiorum opiniones & veteribus inauditas, quibus res planissimas tricis implicant, ut in hominibus qui peccato subjugati serviunt, multoque magis in dæmonibus, vel arbitrij libertatem, vel peccandi potestatem negent, vel ita fateantur, ut vel gratiam sufficientem in ijs velut necessariam postulent, vel boni moralis agendi potestatem. Fœtus isti sunt non Ecclesiasticæ traditionis, sed humanæ vel potius vanæ speculationis. Quæ si ad normam doctrinæ veteris, & præcipue principis omnium Theologorum, & in hac materia ducis ac præceptoris gentium Augustini, expenderimus, invenientur esse paradoxa, quibus nec à Stoicis paria excogitata sunt. De duobus postremis jam fuit alibi dicendi locus.

CAPVT XII.

Libertas arbitrij quo sensu tribuenda, & neganda peccatoribus.

SED quamvis Augustinus crebro libertatem arbitrij malos habere, & arbitrium ad peccandum liberum esse fateatur, ac definitiones quas de libertate tradidit, hoc ipsum sine ulla dubitatione convincant, non raro tamen idem Augustinus nullam omnino libertatem arbitrij, nisi in boni dilectione, atque in operibus bonis ex ea profluentibus, videtur agnoscere: *Ad male agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem. Quanquam non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Et omnis qui facit peccatum servus est peccati. Et, si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et in libro de Spiritu & littera: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij libertatem sonare. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio? A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Quasi dicat, ubi non est Spiritus Domini, non est libertas arbitrij, sed servitus. Ex qua vena fluunt innumera ejus testimonia quibus soli divinæ gratiæ, charitati ac dilectioni justitiæ tribuit libertatem voluntatis; ut, ete qua *tanto sit liberior, quanto divinæ gratiæ misericordiæque subjectior*: quemadmodum fusè supra declaravimus.

Serm. 13. de verb Apost.

Lib. de Spir. & lit. c. 30.

Epist. 89.

Ex his atque hujusmodi Augustini locis quosdam Scriptores collegisse video, nullam ex Augustini mente esse arbitrij libertatem, nisi per quam adhæreretur Deo. Quam sententiam suam quomodo tueantur, ipsi viderint. Hoc tamen exploratissimum est, doctrinæ Augustini directè & ex pluribus capitibus esse contrarium. Quod ex ijs quæ toto hoc discursu de libero arbitrio tam prolixè diximus ita manifestum est, ut superfluum sit ijs qui tantillum ingenio pollent, repetendo velle declarare. Nam ut nihil dicam de tot testimonijs, in quibus expressis verbis libertatem arbitrij veri nominis peccatoribus tribuit, Et illud indifferenter se posse huc illuc flectere ad bonum & malum; de quibus infra adhuc dicendum erit, ipsa ratio liberi, quam tanto molimine Augustinus tradit, hoc convincit invictissimè. Liberum enim vocat quod est in nostra potestate: & in nostra potestate id quod facimus quando volumus: quod in peccatis citra omnem tergiversationem perspicue verum esse, nemo Catholicus diffiteri potest. Ex quarum definitionum veritate ex professo Augustinus docet, & *manifestum esse* docet, & adversus Philosophos constantissime defendit, *voluntates nostras* non solum *quibus recte*, sed etiam *quibus perperam vivitur non esse sub necessitate positas*, sed libertas, & à libero arbitrio proficisci. Qua de re supra satis multa generatim disputata fuere.

Lib. 3. de Civitate c. 10. & lib. 3. de Lib. arbit. cap. 3. & ad Prof. Mediolan. sect. 11.

Sed hoc est quod viros eruditos videtur fefelliſſe, quòd liberum in Auguſtini doctrina ſubinde magis actum reſpicit, qui libere fieri dicitur, quaſi terminus ad quem libertatis; ſubinde vero ſolum vel maximè terminum à quo arbitrium dicitur liberum. Reſpectu actus liberi, tam eſt arbitrium liberum reſpectu actus mali, cum illum delectabiliter facit, quàm boni: & utriſque univocè, ut cum Philoſophis loquar, & nomen & ratio libertatis convenit. Vterque enim & bonus & malus, eſt in poteſtate voluntatis, eumque facit cum vult, & quidem magis malum quam bonum, quando-quidem ad malum agendum liberam habeat voluntatem etiam ſine adjutorio Dei: Ad bonum autem non niſi divinitus liberetur & adjuvetur. Nec enim aliud eſt liberum Auguſtino, prout nude actum reſpicit, quatenus à potentia voluntatis fluit, quàm id quod ita eſt in noſtra poteſtate, ut illud faciamus quando volumus.

Sed voluntas quibuſdam impedimentis volendi obnoxia eſſe poteſt, quibus velut vinculis & compedibus poteſtas ejus quodammodo ligetur, ut in actum bonum exire, hoc eſt velle, vel id quod jam vult implere non poſſit. Vnde à vinculis illis per quæ diabolus captivum arbitrium tenet, tanquam termino à quo, expediri debet, ut velit, aut ut impleat id quod velit. Hinc ergo fit, ut libertas quatenus immunitatem ab iſtis volendi impedimentis & quaſi vinculis ſonat reſpectum quendam quaſi ad terminum à quo arbitrium liberetur connotet, ſicut initio tractatus hujus declaratum eſt. Quod quamdiu non fit, manet arbitrium ſervum, captivum & alterius dominationi ſubjectum, quæ ratione reſpectus illius repugnant arbitrio. Quo enim magis ab illa captivitate & ſervitute, & conſequenter ab alterius dominatione liberatur, eo fit magis magiſque liberum, uſque adeo ut cum in eam incidere non poteſt amplius, tunc ſit liberrimum. Hoc volendi impedimentum Apoſtolus peccatum vocat, hoc Auguſtinus vero interpres Apoſtoli concupiſcentiam; quæ non eſt aliud quam deſiderium fruendi quacumque creatura. Liberatio igitur à dominatione peccati ſeu concupiſcentiæ, hoc eſt, ab amore cujuſcumque creaturæ, arbitrium vere liberum facit: quia cujus amore voluntas devincta, eidem & ſerva detinetur. Ex quo fit ut voluntas ab iſto amore creaturarum tanquam delectabili viſco, quo ſub ea veluti dominante captiva tenebatur, expedita, non ſolum libera à creaturis fiat, ſed etiam earum ſub Deo, hoc eſt, ſub æterna veritate domina, ut eis non fruendo ſubjiciatur, ſed utendo ſuperferatur, non uti libitum eſt, ſed ſicut æternæ veritati ſeu Deo placitum fuerit: Non enim vera libertas ab ipſo veritatis præſcripto libera eſſe debet.

Hæc

Hæc breviter indicavit Augustinus in libro de vera Religione: *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium verum liber esse appetat*: ecce libertatem termini à quo: *Et quem regnare*, id est, Dominum esse *delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat plus eum diligendo quam seipsum*; & consequenter quam aliam quamcumq; creaturam. En terminum ad quem qui excutio servitutis earum jugo sequitur. Vnde paulo ante dixerat: *Rationalis anima si Creatori suo serviat, à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cetera servient.* Et rursum: *Quem si subditus* (homo) *imitaretur, per eum haberet subdita cetera.* Non enim à creaturarū & sui ipsius jugo expedita, sine omni dominio, sicut nec sine omni amore esse debet. Nam sicut amor temporalium sine amore rerum æternarum ex animo pelli nequit, ita nec jugum creaturę sine jugo Dei: *Solve te hinc*, inquit Augustinus, *sed alliga ibi, periculosum est tibi in his tentationibus sine* B *vinculo remanere.* Et alibi: *Captivati ergo* (à Deo) *quia capti & capti quia subjugat, sub leve illud jugum missi; liberati à peccato, cuius servi erant, & justitiæ* (id est Dei) *servi facti, cum liberi erant.* Et quia creatura rationalis naturaliter ita instituta est, ut non debeat servire creaturæ, sed Creatori, tanquam naturali & vero Domino suo, hinc fit quod illa servitus, quò arctior eò liberior fit: *Filius est ancillæ*, inquit Augustinus, *secundum quod omnis creatura subdita Creatori est, & verissimo Domino verissimum debet famulatum, quem cum exhibet libera est, hanc accipiens a Domino gratiam ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat. Ergo iste filius est Jerusalem cælestis, quæ sursum est mater omnium nostrum libera. Et libera quidem à peccato, sed ancilla justitiæ.* Si libera, servitutem illam exhibendo, ergo quò arctior ista servitus, eò liberior, quia vi charitatis à peccato liberātis liberatior. Eò quippe largius animus à peccato seu concupiscentia dominante recedit & consequenter à creaturis liberior factus, eis ad nutū sub Deo sibi regnante dominatur. Nam hujusmodi augmentum libertatis & diminutio servitutis, ut suprà latius exposuimus, semper respectum ad peccatum seu concupiscentiam rerum creatarum velut terminum à quo liberamur, involvit.

Porro sicut umbra corpus, & vitium virtutem, & peccatum virtutis actum imitatur, ita & libertas à justitia seu Deo, libertatem à peccato. Nam & illa præter actum positivū quem respicit quatenus eum in potestate habet, etiam connotat respectum à justitia tanquam terminum à quo liberum fit arbitrium ne impediat actum ejus; veruntamen illa non est vera liberatio, sed captivitas, tyrannis & servitus sub amore creaturæ, quo fit dissimilis Creatori. Libertas enim cum termino à quo comparata, immunitatem significat, non à quolibet, sed à malo, à tyrannide veraque D servitute rationalis creaturæ, cui dominium quoddam potentissimum supra blanditias timoresque creaturarum adjunctum est. Qua de re præclarè sanctus Dionysius naturam dominationum cælestium explicans: *Sanctarum dominationum nomen declarare arbitror excitationem quandam ad supera, à servitute omnique terrestri submissione liberam quæ nulli tyrannicæ dissimilitudini illo prorsus modo seipsam usi libero dignum est, subjecit, ut quæ dominatio sit nullis blanditiis cedens: omnemque servitutem diminutionis esse hostem superat, & omni submissioni pertinaciter obsistit, & ab omni dissimilitudine exempta est, & veræ dominationis ac dominantis principatus semper cupiditate tenetur, & ad veram ratamque illius similitudinem tum se, tum ea, quæ ipsum loquuntur, quantum licet probe fingit ac formar; & ad nihil eorum quæ temere videntur & approbantur, sed ad id quod proprie est conversa est, & semper divinæ similitudine dominationis autore, quantum potest participat.* Describit enim veram libertatem sub ea ratione qua terminum à quo, creaturæ blanditias, & amorem veluti veram à Deo dissimilitudinem, & servitutem diminutionis effectricem respicit ac respuit. Vnde & Augustinus alicubi dicit, se fuisse longè à Deo in *regione dissimilitudinis*: & iniquos aptos esse creaturis inferioribus, *quanto dissimiliores sunt tibi: aptos à superioribus, quanto similiores sunt tibi.* Ab isto malo tyrannicæ dissimilitudinis, servitutis, terrenæ submissionis, carnalis concupiscentiæ, & uno verbo peccati, ut Apost. loquitur, libertas eximit. Ex qua nobili & antonomastica libertatis significatione fit ut etiam vulgo translatā significatione, sicut Augustinus dicit, *Quicumque liberatur, intelligatur periculum evadere, molestijs carere.* Sicut ergo corruptio rei positivæ destructionem sonat, *Nocet enim corruptio & nisi bonum minueret non noceret*; abusivè verò privationis aut negationis (non enim ignorantiam, sed scientiam corrumpi dicimus) ita libertas respectu termini à quo propriè libertatem à servitute naturæ rationalis inimicā sonat, non à servitute veri Domini. Quod & in libertate civili pari modo locum habet. Nemo enim servus dicitur, qui vero Domino suo in patria sua amore servit; quo enim arctius ei servit & liberalius, eo liberior est; sed qui tyranno, à quo in servitutem abruptus est subjugatur & servit.

De cælesti hierarc. c. 8.

7. Confess. cap. 16.

Serm 48. de verb. Domini.

ib. 7. Conf. c. 12.

Hinc igitur patescit ratio, cur liberum arbitrium, quatenus nudè actum respicit quem habeat in sua potestate ut eum faciat si velit, verè & propriè liberum ex Augustini definitione, dici debeat, & vere sit; & tamen passim in omnibus scriptis suis Augustinus ita de libertate loquatur, quasi arbitrium peccatorum nulla ratione sit liberum. Tunc enim libertatem non ad actum, sed ad terminum à quo comparat; qua ratione arbitrium concupiscentijs carnalibus subjugatum, non tam liberum quam servum, verā videlicet, tyrannicā & inimicā naturę rationali servitute, dicendum est: & non nisi umbraticā quadam verę libertatis effigie liberū quatēnus etiam tunc à suavissimo salutiferimoque justitiæ jugo liberatur, ut cùm quadam delectatione quasi liberaliter peccato serviat: *Quibus quæso potest*, inquit, *servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit*

In Enchirid. cap. 30.

Ibid. cap 44.

Ibid. cap 45.

Serm 10. in appen. in Psal. 67.

In Psal. 113

ejus sui Domini voluntatem libenter facit. ac per hoc vere peccandum libet, qui peccati servus est.

Hanc igitur veræ & adumbratæ libertatis differentiam & imitationem, quæ ex termini à quo fit liberum, & delectationis per quam fit liberum, quadam deficiente similitudine perstringuntur, Augustinus ut exprimeret, illis nominibus in asserenda vera libertate uti solet, quæ maximam ejus prærogativam denotent. Nunc enim vocat eam veram libertatem, & arbitrium per eam esse vere liberum: *Ipsa est vera libertas propter recte factis lætitiam.* Et alibi rationem quam dedimus simul indicans, quia à malis eripit: *Vera libertas nos ab antiquitate, & mortis & diaboli dominatu* (qui per peccati concupiscentiam arbitrio dominatur) *liberos facit.* Quam vocem veræ libertatis sexcenties inscriptis ejus frequentatæ, ex Christi Domini verbis hausit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Nam ut sanctissimus Doctor ait, per gratiam Christi, *arbitrium fit verè liberum dum a cæcidum concupiscentiarum dominatione liberatur.* Subinde veram & sanam libertatem nuncupat. *Ipsa est vera & sana libertas, ut opus bonum fiat non timore* (scilicet rei temporalis quæ diligitur amittendæ) *sed amore.* Quandoque salubrem libertatem: *Nec ideo tamen potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* Et rursum: *Non aliud intelligatur arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum.* Aliàs summam libertatem: *Deo uni summa libertate servitur.* Aliquando hanc veram, sanam, salubrem, laudabilem libertatem à peccati dominatis malo, absolutè & antonomasticè libertatem appellat: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Libertatem vero à justitia quæ est libertas in malo, ne quidem libertatis nomine dignam censet: *Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia.* Et in alio loco: *Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij utique libertatem sonare. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati, quid se jactant de libero arbitrio?* Omnia ista elogia libertatis à peccato, & probra libertatis à justitia; quam servilem libertatem appellare solet, sicut servitutem Dei liberam servitutem, respiciunt utramq; libertatem purè & nudè respectu termini *à quo*. In qua consideratione libertas ad malum seu à justitia, ita ferè à vera libertate arbitrij à peccato deficit, & eam fugitivâ quadam similitudine; sicut vitia virtutem ipsumq; Deum defectivâ quadam & umbraticâ specie æmulantur. Nam & superbia verâ virtutem, ac ipsius Dei celsitudinem imitatur, & stultitia innocentiâ & simplicitatem, & ignavia quietem, & effusio liberalitatem ejus: *Perverse enim*, inquit Augustinus, *te imitantur omnes qui longe se à te faciunt.* Sed hoc non obstitit, quo minus aliâ ponderatione quæ nudum actum respicit, arbitrium etiam in malo sit vere liberum, ea libertate qua generatim bene vel perperâ vivitur, quatenus actum sive bonum sive malum habet in sua potestate; sicut ille vitiorum defectus à virtutis perfectione quam affectat, nihil obstat quo minus virtus & vitium secundum qualitates ponderata, communem veri habitus rationem, itemque peccatum & actus bonus, veri actus liberi naturam induant. Quapropter Augustinus utramque considerationem simul jungens, præclarissimè voluntatem & liberam respectu peccati vocat, quatenus actum peccati perpetrare potest si voluerit, & simul non liberam, quia peccati ancilla est: *Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male. Ad hoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla.* Audis liberâ ad agendū male, & tamen non liberam fieri, quia peccati ancillam. Et iterum clarius: *Cum duo tibi sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.* Audin perspicuè voluntatem liberam ad male agendum statui. Iam audi, qua ratione terminum à quo respiciendo non libera: *Quamquam non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est*: &, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*; &, *Si vos filius liberaverit tunc vere liberi eritis.* Hæc paulo uberius explicanda esse judicavi, ne quis forte non satis expensâ doctrinâ sancti Augustini, ex ea colligi putet, nullam in peccatoribus esse veri nominis libertatem, à qua liberum arbitrium appellatum est: quamvis alio sensu phrasis ista sit in scriptis ejus & antiquorum omnium, & Ecclesiæ Catholicæ precibus & monumentis, ipsisque sacris litteris frequentissima.

CAPVT XIII.

Quomodo se libertas arbitrij habeat ad libertatem seu indifferentiam contrarietatis, & contradictionis.

QVID de libertate, seu potius indifferentia contrarietatis dicendum sit, abundè ex dictis liquet. Ostendimus enim adesse & abesse posse sine ullo libertatis præjudicio. Affuit Angelis & Adamo in Innocentiæ statu perfectissimè, nobis post peccatum imperfectius. Abest penitus ab inferis & superis illæsa in utrisq; permanente arbitrij libertate, in illis ad malum in his ad bonum. Indifferentia quippe ad utrumlibet, testimonium quidem libertatis est, quia sine liberi arbitrij usu neutrum exerceri potest, non tamen ad libertatem ullo modo necessaria. Oritur enim non ex natura, neque ex robore libertatis, sed ex infirmitate ejus qua fit ut animus imbecillè, solubiliter, & inconstanter dilectis rebus adhæreat, ita ut ab una quam velut ultimum finem diligit, in alteram,

alteram, à bono in malum, à malo in bonum possit transilire. Quod qui ad naturam vel notionem libertatis pertinere contendit, necesse est fateatur eandem imbecillitatem etiam ad naturam charitatis pertinere. Nam in Augustini ac discipulorum ejus lucubrationibus ac documentis nulla est alia libertas ad bonum nisi charitas, quia illa est sanitas animæ rationalis. Sicut ergo absurdum est, naturam vel perfectionem sanitatis in eo sitam esse ut sit labilis, & ab ægritudine succedēte violari possit, cùm potius talis sit perfectissima, qualis erit beata nostra immortalitas, quæ non sinet nos amplius morti, vulneri, ægritudinibus subjacere; ita paris absurditatis est, ad sanitatem adeoque libertatem charitatis, hujusmodi potestatem deficiendi ad malum poscere. Quæ quidem omnia ex eis quæ supra disseruimus perspicue patent.

De libertate contradictionis, hoc est, ad B ad agendum & non agendum, paulo alia ratio est. Potest enim firmissima esse charitas, & cupiditas quæ à rebus amatis, nullis blanditijs, terroribus, avelli & in oppositum flecti queant, quamvis non semper in actum dilectionis erumpant. Potest ergo putari quod indifferentia exercitij, hoc est, agendi & non agendi (sub qua comprehenditur etiam indifferentia eligendi hoc vel illud) ad libertatē necessaria sit. Quod ut plenius intelligatur, sciendum est quod sicut objectum voluntatis distinguitur in finem, & id quod est ad finem, ita & actus ejus circa alterutrum occupantur. Finis est amor cum sua fruitione: ejus quod est ad finem, usus. Qui ita differunt, ut amor in fine hæreat, usus & quicquid cum utendi voluntate junctum est, à re circa quam occupatur in finem transeat, ut aptissimè vocaverit Augustinus affectum amoris *manſoriam dilectionem*; usum *transitoriam*; quia non manet C in re qua utitur, utentis affectus. Sicut enim propter finem homo conditus est, ita & propter amorem, quo fini jungitur: media propter ipsum hominem sunt, & ceteri affectus propter amorem velut omnium cardinem cui serviunt. Maxime vero omnium servus est, usus seu voluntas utendi. Est enim affectus purè putèque ministerialis respectu amoris finis, veluti plenissimo jure dominantis eumque trahentis in scopum suum. Ex quo fit ut consilium, electio, usus, imperium & similes ministeriales actus voluntatis, necessario tam bonitatem quam alias conditiones suas, imo & ipsum suum esse ab illo dominante mutuentur. Nam inde nascitur, quod hujusmodi affectus usuales tunc assumuntur, cùm amor finis postulaverit, tunc deponantur cùm non postulaverit: uti enim velle, cùm usum constiterit non esse necessarium, non est sapientis animi firmitas, sed re utenda D frui volentis imbecillitas.

Ex isto igitur fonte proficiscitur, ut cùm amor finis ultimi sive boni sive mali stabilis & immutabilis fuerit, impossibile sit, electionem, usum, & similes affectus, qui ab illo amore imperantur, circa talia versari media quibus amor finis interimatur. Sic enim amor ipse finis quem stabilem supposuimus, semetipsum interimeret, hoc imperando quod se interimit; quod etiam tum cùm amor finis adhuc excidere potest, locum habet. Nam quamvis is qui Deo junctus est, eligere possit medium malum quo amor pereat, nunquam tamen electio illa ex illo ipso amore quem interficit, sed ex alio proficiscitur, vel ipse certè alius novus amor erit prioris inimicus. Ex quo facile intelligitur, eam libertatem arbitrij quæ circa res eligendas utendasque versatur, nullo modo postulare posse, ut ipsa electio ordinem finis egrediatur. Nam hoc ipso degenerat non solum à perfectione, sed à natura quoque electionis, sive ignoranter eligendo medium quod non est medium, sive scienter eligendo quod ei repugnare cernit, quod fieri non potest ex natura electionis, sed potius alterius novæ dilectionis, quarem illam non jam ut purè medium, sed ut aliquid per se amabile complectentem intuetur. Vt propterea rectissimè dixerit sanctus Thomas Augustino hiccemendo; *Quod liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus: sed quod eligat aliquid avertendo ab ordine finis quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.* 1. p. q. 62. a. 8. ad 3.

Ex eadem illa radice nascitur, ut mediorum assumpto totam suam necessitatem & indifferentiam ex eodem amore finis hauriat. Si enim medium, ut medium amori finis videatur esse necessarium (ut cùm non nisi unum superest) non potest prætermitti; si repugnare, non potest assumi; si pluribus vijs eòdem perinde perveniri, quodlibet præ quolibet arripi potest & non arripi, & sic de ceteris electionis usuisque conditionibus. Qua consideratione dixit idem sanctus Thomas: *Quando ad finem non posset pervenire, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea quæ sunt ad finem.* 9. 6. de malo ad 9. Non enim potest in illo casu renunciare voluntas ei quod est ad finem, nisi renunciet ipsi fini.

Ex quibus electionis & usus regulis, naturæ lumine perspicuis, facile animadvertitur, unde tota illa indifferentia contradictionis, quæ in electione, usu, imperio, & similibus ministerialibus affectibus versatur, oriatur & metienda sit; Nimirum non ex libertate arbitrij respectu illorum actuum, sed ex amore finis, herili potestate famulis suis dominante. Nam sive unum duntaxat adsit medium, sive plura, sive omittere possit electionem, alterutrius, ita finis amore postulante, sive non possit, salvâ libertate utrùlibet facit. Nam ab ordine finis posse in eligendo deflectere, perinde ut in ratiocinando ab ordine principiorum, Theoria & veritate judice, nō, processus est, sed imbecillitas, non libertas, sed defectus ejus, nō à Deo datus, sed ex ingenita naturæ infirmitate influxus, vel à diabolo seminatus. In eo quippe electionis natura & libertas posita est ut sit in arbitrij

Lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 35.

potestate, hoc est, ut eligat & non eligat cum voluerit, quod tunc perfectissime fit, cum sequitur ad amussim nutum Domini sui, qui est amor finis: ab illo quippe exseritur & comprimitur, prout finis dilecti ratio poposcerit, ab illo mutuatur esse suum, libertatem suam, indifferentiam suam. Est quippe affectuum omnium postremus, vilissimus, servilissimus, natus obedire, non imperare, & propterea minimè omniū libertatis capax: & si quā suscipit, illa non minus ac bonitas ejus, ex affectu principe derivatur, & expendi debet. Vt sanè mirandum sit, quid Philosophiæ sectatoribus in mentem venerit, qui libertatem arbitrij ex abjectissimo serviliſſimoque voluntatis actu ponderare voluerunt, quæ in principe collocanda est. Libertas enim, omnium hominum judicio, dominium non servitutem, atque id quod non alterius, sed sui gratia est, sonat. Vnde quod sanctus Thomas præclarè de potentia voluntatis Aristotele suffragante dixit; *Voluntas imperium habet super omnes animæ vires, propter hoc quod eius obiectum est finis; unde convenientissime in ipsa summum libertatis invenitur. Liber enim dicitur qui causa sui est, ut in primo Metaphysicorum dicitur*; & vice versâ alibi: *Oportet ut ea* (potentia voluntatis) *quæ est liberrima super alios imperium & dominium habeat*: hoc, inquam, ipsissimum multo magis, verissimeq; de primo, nobilissimo, imperiosissimoque voluntatis actu dici potest, & juxta Augustinum debet: amor imperium habet super omnes animæ vires, propter hoc quod ejus objectum est finis: unde convenientissime in ipso summum libertatis invenitur. Liber enim dicitur qui causa sui est. Nam alioqui unde nascitur quod ille solus omnibus affectibus, maximeque servilibus illis quos diximus, dominetur? Nisi ex illo principio quod sanctus Thomas tetigit, quia oportet ut qui est liberrimus, super alios imperium & dominium habeat. Quo sanè nihil congruentius Augustini principijs quæ deduximus, dici potest. Nam ista una causa est, cur libertatem in actibus, sive bonis, sive malis semper respectu finis atidat; atq; adeo, ut in universis operibus ejus ix reperiri possit libertatis mentio in actibus amori finis servientibus, nisi quatenus in illis amor finis emicat & attenditur. Nam hinc illa toties repetita de libertate charitatis in omniū præceptorum (quæ non finis, sed eorum quæ sunt ad finem rationem obtinent) observatione dominantis: *Liber enim præceptum facit*, ut ille loquitur, *qui libens facit*, id est, qui ipsam justitiam præcepti diligendo facit. Non enim aliter electionis præceptorum, & usus & cujuscumque voluntatis libertatem explorat Augustin. quam bonitatem. Nam utramq; ex amore finis in ea relucente pariter trahit.

In 2. dist. 25. q. 2. ad 4.

In 2. dist. 24 q. 1. a. 3. in corp.

Quapropter merito Scholasticis quibusdā eruditissimis, & contentiosæ Theologiæ Co-

A ryphæis, absurdum visum est, quod libera diceretur voluntas in eligendis ijs quæ sunt ad finem, & non in appetendo ipso fine, quantumcumq, appeteretur necessario, sententiamque suam non aspernandis rationibus probant. Non enim necessitatem libertati, sed naturam repugnare dicunt, & recte dicunt. Nam Aristoteles in Metaphysica distinguit liberum à naturali, & secundo Physicorum causam activam in naturam & propositum, qua de re supra latius diximus. Proinde fieri non potest, ut eadem potentia voluntatis circa finem versetur ut natura, quantumvis in eum ferri ponatur necessariò, & in ea quæ sunt ad finem, ut potentia libera; sic enim distingueretur eadem activa potentia in se-ipsam & in oppositum sui. Tam enim impossibile est, ut una potentia duos oppositos operandi modos habeat, qui per se & primo & immediatè principium activum dividant, quam ut in eadem specie insint duæ differentiæ quæ genus ejus dividunt. Neque verò refert, quod idem intellectus cum discursu & sine discursu comparatione diversorum operetur. Nam illi non sunt modi operandi ita oppositi, ut principium activum immediata & prima divisione dividant, non magis quam agere cum indifferentia & sine indifferentia contradictionis, quam agere cum deliberatione, & sine deliberatione, quam denique agere simpliciter volendo, & ad aliud simpliciter volitum referendo, respectu voluntatis.

Scotus in 2. dist. 10. q. unica n. 10.

B Imo verò, ex hoc ipso quod voluntas liberè versatur circa ea quæ sunt ad finem, ut recentiores volunt, rectè omnino concludi videtur, eandem libertatem esse respectu finis. Nam eodem omnino actu attingit utrumque; ut proinde fatendum sit, utrijusque comparatione voluntatem ferri liberè, vel certè in eodem actu esse oppositos agendi modos. Vidit hæc omnia & breviter expressit Doctor subtilis: *Non sunt eiusdem potentiæ activæ oppositi modi agendi, & maxime isti, naturaliter & liberè, qui primo distinguunt potentiam activam. Quia si voluntas comparatur ad finem per modum naturæ, & ad entia ad finem per modum libertatis, ipsa non erit potentia activa una respectu istorum: & tunc nulla potentia erit, quæ eligat ens ad finem propter finem. Nulla enim potentia eligit hoc propter illud nisi velit utrumque extremum* &c. Eadem latius tradit, & isdem pluribusque rationibus probat in quæstionibus quodlibeticis ex professo docens, *cum necessitate ad volendum stare libertatem*. Et illi sententiæ probandæ præter Augustinum profert sanctum Anselmum, quem sic loquentem inducit. *Qui sic habet quod decet & expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est quam ille, qui sic habet hoc ipsum ut possit perdere. Et ex hoc concludit*, inquit, *liberior igitur est voluntas quæ à rectitudine declinare nequit.*

Scotus loco citato.

Idem Scotus quodlib. 16. a. 2.

Anſel. lib. de libertate arbitr. citatus à Scoto

CAPVT

CAPVT XIV.

Afferuntur quatuor absurda, quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur:

ET sane si non est alia libertas vera voluntatis, quam agendi & non agendi, seu faciendi & non abstinendi ab eo quod facis, gravissima absurda evitari nequeunt, quibus non solum tota doctrina sancti Augustini funditus concutitur, sed etiã sensus Christianæ pietatis læditur, & communis offenditur.

Primo namque sequitur, operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrij libertati. Duplicia quippe præcepta sunt quibus implendis juvat gratia, negativa & affirmativa. Negativa implentur non faciendo quod prohibetur; cui contradictorie opponitur facere quod prohibetur; affirmativa vero, faciendo quod jubetur. Effectus autem gratiæ est efficere, ut affectu volendi suscitato velis, quod torpore concupiscentiæ impediente non vis; & nolis facere, quod à stimulante concupiscentia urgeris ut facias. Nam ipsum, non consentire & non facere, gratiæ victricis effectus est. Facit autem hoc gratia fortiter affigendo affectum ipsi justitiæ ne deorsum cadat, idque non aliter nisi cœlestis delectationis vehementia, quasi suavi amorosoque vinculo, ut non solum experientia ipsa testis est, sed sexcentis locis Augustinus docet: *Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Lib. 2. de grat. merit. c. 17. Et rursum: *Nolunt homines facere quod iustum est, sive quia latet an iustum sit, sive quia non delectat &c. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum: ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adiuvat voluntates.* Nimirum non solum ut agant bonum & non malum generaliter, sed etiam ut justi agant hoc bonum quod non agebant, & abstineant ab hoc malo quod alioquin agerent, vel agebant. Vnde mox Augustinus adijcit: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere agere, implere, nunc scit nunc nescit, nunc delectatur nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultati sed divini muneris vel quod scit vel quod delectatur.* Vide lib. 4. de grat. Christi, fusè. Res ista alibi operosius probata est. Est enim in Augustini scriptis exploratissima. Effectus igitur gratiæ est, delectando voluntatem facere ut actu velit, & faciat id quod ante languore vel torpore quodam non volebat, neque faciebat. Et ita diametraliter repugnat Philosophicæ libertati seu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinate facit agere vel non agere, velle vel non velle. Quæ quidem contradictio tanta est & tam præcisa, ut si perfecta cælestis gratiæ delectatio voluntati tribuatur, indifferentiam illam Philosophicæ libertatis funditus interimat, sicut hoc in animabus sua beatitudine fruentibus manifestum est: quia non amplius illo rore delectantis gratiæ asperguntur ut nos, sed ejus torrente inebriantur, qui affectum tantopere ad diligendam justitiam & non diligendam iniquitatem rapit, ut non possit illam non diligere, vel hanc diligere. Hoc autem certissimum signum est directæ repugnantiæ, etjam in infimo gradu. Nam si perfecta gratia perfectè indifferentiam libertatis tollit, imperfectior imperfectè tollet. Sic enim exploramus qualitatum repugnantiam, ut illas, in quocunque gradu fuerint, contrarias esse statuamus, quæ cum perfectæ fuerint ab eodem subjecto se exterminant, quantumvis in imperfectis gradibus se simul esse patiantur. Quod in calore & frigore, candore in nigrore, scientia & ignorantia, & infinitis exemplis videre licet. Gratia igitur quæ facit facere, directe repugnat libertati, si libertas in indifferentia agendi & non agendi sita est. Nam illa indifferentia perfecta instar bilancis est, quæ facillimo nutu in alterutram partem impelli potest. Hæc autem illo ipso diminuitur quo vel tantillum alterutri parti additur. Nam quo magis addideris, eo difficilius in alteram partem erigetur vel deprimetur, ita ut tandem amoto alterius partis pondere totius voluntatis & corporis vires in contrarium non sufficiant. Eadem prorsus est indifferentis voluntatis ratio. Minimus motus gratiæ tollit perfectum æquilibrium, major minuit, maximus penitus adimit. Hoc ita verum est, ut nec ipsi Scholastici, istius indifferentis patroni libertatis, hoc negare queant: *Dum per gratiam præ-* Suarez lib. 3. de concurs. Dei c. 13. n. 18. *venitur, inquit Suarez, & inclinatur liberum arbitrium, quodammodo indifferentia eius minuitur.* Quod quia libertatem vehementer infringere videbatur, idcirco addit, *quodammodo*, verbi suavitate absurditatem secuturam temperans. Sed res vel cæcis est perspicua, quod per inclinationem in alteram partem, indifferentia in utramque tollitur. Nam hinc est, quod fatentur aliquando tam vehementes esse divinæ gratiæ motus, quod in sancto Paulo & similibus perspicuum est, ut moraliter sit impossibile resistere, quamvis aliquid semper indifferentiæ remanere velint, ut videlicet difficile resistere possint, sed tamen possint. Hinc est, quod confirmatos in gratia dicant tractibus ejus moraliter resistere non posse, etsi physice possint. Qua terminorum obscuritate quantumvis sese tegant, hoc tamen aperte confitentur, eo magis imminui voluntatis indifferentiam, quo efficaciores fuerint gratiæ motus:

quod profecto evidentissimum est directæ contrarietatis argumentum. Egregia sane Philosophia, præclara gratiæ laus, mira defensio humanæ libertatis, recondita utriusque conciliatio, ut altera alteram perfecta destruat, & non nisi in diminutis gradibus consistere queant. Nimirum Deo vigilanter prospiciendum est, ne gratiam augendo libertatem subruat. Paradoxa sunt hæc, antiquitati & Ecclesiæ inaudita, quæ adversus Pelagianos libertatis interitum ex operatione gratiæ sequi clamantes, tanquam cælitus missum oraculum semper illud Augustini suspexit ac tenuit: *Epist. 89.* *Hæc voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divina misericordiæ gratiæque subjectior. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Quarum rerum evidentia exclamare compulit Augustinum: *Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei non contra eam libertas defenditur voluntatis.* *Lib. de cor. & grat. c. 8.* *Ibid.*

Secundo sequitur, multo magis omnem concupiscentiæ motum similiter directam habere repugnantiam cum libertate. Repugnat enim ex diametro indifferentiæ voluntatis, cum hoc efficiat blanditijs motus sui, ut qui ad agendum & non agendum, ante motum quoquò esset indifferens, ipso motu libidinis in alteram partem instar æquilibrij, cui pondus additur, impellatur. Quod certe tam evidenter uniuscujusque renunciat conscientia, ut omni probatione altius clamet. Quid enim alioquin causæ est, ut magis pulsati quam vacui tentatione peccemus? Quid sibi vult lucta tanto difficilior, quanto tentationis motus est violentior, quod tantis quotidie clamoribus poscimus: *Et ne nos inducas in tentationem*, si tentationis motus non tollit indifferentiam agendi & non agendi, quam ante sentiebamus? Vt quid dicit Apostolus unumquemque tentari à concupiscentia sua *abstractum & illectum*, si relinquit animum in eadem indifferentiæ libertate? Vt quid dicitur ab ejus Coapostolo, lex peccati, nisi quia, ut Augustinus exponere solet, animum indifferentem non verbis sed periculosissimis motibus *iubet*, & quodammodo *cogit* ut peccet? Vt quid denique recentiores ipsi profitentur tentationibus gravibus sine gratiæ adjutorio difficillimum esse resistere? Vt quid gravissimi peccatores totis medullis flagrante libidinis motu clamant, se voluntatis infirmitate non posse non cedere, & eos verum dicere, non semel Augustinus docet; nisi quia gravissimus fit in alteram partem impulsus libertatis, cui ad æquilibrium reducendæ, par vel major gratiæ delectatio necessaria est? Ita vero augeri posse motum titillantis cupiditatis, ut non possit ei indifferentis libertatis nisu amplius repugnari, sine sanæ doctrinæ violatione negari nequit. Nam illa fuit superbissima Pelagiani dogmatis machina, Augustini disputatione contrita, hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges: *Lib. 5. cont. Iul. c. 4.* *Quod vos dicitis*, inquit Augustinus, *Christiana doctrina non dicit, id est, (ut verba tua ponam) hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges.* Cùm igitur motus tentationis violentissimus victam opprimat indifferentiam, profecto minor minuet, & uterque perspicue demonstrabit, non minus carnalis concupiscentiæ titillationes, quàm gratiæ spiritualis delectationes capitalem ac diametralem cum indifferentiæ libertate hostilitatem exercere. Vnde de cõcupiscentiæ motibus Paulus: *Invenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantē me in lege peccati*, id est, captivare conantē. De gratiæ motibus Psalles: *Inclina cor meum in testimonia tua.* *Rom. 7.* *Psal. 118.* De utriusque sapiens: *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Et Augustinus: *His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* Inclinare autem & captivare cor, & voluntatem in testimonia, vel à testimonijs revocare, cujuslibet sani hominis sensus judicat, non posse fieri sine impulsu ac depressione indifferentis libertatis in alterum latus; quemadmodum stateræ æquilibrium inclinari in alterutram partem impossibile est, sine indifferentiæ illius aquatis præjudicio. *Prov. 21.* *Lib. de gen. & lib. arb. c. 21.*

Tertio sequitur omnes habitus & consuetudines animi sive bonas, sive malas, directe repugnare libertati, quia directe repugnant æquabilitati istius indifferentiæ. Hoc enim proprium habituum munus est, facilitatem operandi afferre facultati, & consequenter difficultatem operandi oppositum. Non enim potest facilitas unius partis crescere, nisi decrescat alterius. Nam inde nascitur quod avarus non possit, nisi summa difficultate, liberalitatis opus facere. Quod in omnibus habitibus similiter locum habet. Indicat hoc Scriptura cum dicit: *Perversi difficile corriguntur.* Et: *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Et: *Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?* Et: *Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem* &c. Agnovit hoc quantuscumque fuerit indifferentis patronus libertatis Iulianus: sed eum propriâ jugulans confessione Augustinus: *Cum dixeris*, inquit, *affectionalem qualitatem* (sub qua habitus comprehendi declaraverat) *ortam ex moribus cautis, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus aut nullis separetur, quando secundum eam dicitur animus malus, aut potius homo malus, nonne metuis ne voluntas bona aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nonne concedis hominem miserum, quicumque ille sit vel fuerit, certe adversus talem clamasse qualitatem, velle adiacet mihi, perficere autē bonū non invenio? Hic saltem fatemini esse istorum verborum gemitum necessarium, Quis me liberabit* &c. Quapropter non veretur Augustinus hujusmodi consuetudines seu habitus malos, multis suorum scriptorum locis *peccandi necessitates*, & jacturam libertatis vocitare, ut superius declaratum est: quod non est aliud, nisi si claris *Fulg. 103 lem. 13.* *Aug. ad Bon. lib. 2. c. 1.* *Rom. 8.* *Lib. 6. cont. Iul. c. 18.* *Videlis 3. de statu nat. lapsa.*

verbis

verbis diceret, indifferentiæ interitum; affigit enim ad alteram partem necessitas: *Dum servitur libidini facta est consuetudo & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas* &c. *Voluntas autem nova quæ esse cœperat, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Nonne multo efficacius exprimit id quod dico, quam si voluntatem non amplius indifferentem permansisse fateretur? Quid quod ipsos Pelagianos hoc idem in superiori illa quâ protulimus confessione, profiteri coactos dicit? *Tu quoq; ipse in libro novissimo tuo eorum, quos contra unum meum quatuor edidisti, ex affectionibus atque passionibus animi dicis evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inhærescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur? Quis ergo ea timiditate peccaverit, quæ ab illo non potest separari, quid aliud quam necessitate peccabit?* Et ostendens per talem consuetudinem, perisse eam quæ ante fuerat, non peccandi libertatem seu indifferentiam: *Qui ut istam patiatur necessitatem, non nisi peccandi consuetudine premitur. proeul dubio prius quam peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur.* Et adhuc manifestius: *Ac per hoc etiam secundum vos peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est, illius peccati pœna est, à quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat.* Qua de causa eodem loco disertissimis verbis, de illis qui simili laborant qualitate aliquoties dicit: *Perit libertas non peccandi: Non est eis liberum abstinere.* Quocumque vero modo illa intelligi debeant, de quo alio loco disputatum est, hoc saltem est ex Augustini sententia ut minimum apertissimum, certissimum, verissimum, etiam Pelagianis judicibus, quod indifferentia peccandi & non peccandi per similes habitus prorsus interimitur, eoque magis, quo magis consuetudine roborati fuerint. Cujus tetis irrefragabilis est renisus eorum, quando expugnandi sunt, eo pertinacior quo fuerint fixiores: *Tanto enim amplius,* inquit Augustinus, *in ea (libidine) superanda laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit.*

Nec vero hic dici potest habitus diminuere duntaxat aut tollere indifferentiam contrarietatis, hoc est, boni & mali, non autem contradictionis, hoc est, agendi & non agendi. Nam quamvis verum sit immediatè per habitus primam indifferentiam tolli, mediate tamen etiam secunda semper diminuitur, nonnunquam tollitur. Nam ex isto capite proficiscitur, quod luxuriosi, avari, superbi in perpetuis vitiorum istorum volvuntur cogitationibus ac desiderijs, & ea momentis omnibus vel corpore vel animo, quantum fieri potest operentur. Et in eo sita est ea quæ paulatim crescit animi sanitas, ut decrescente malâ qualitate non solum facilius operentur bonum, sed etiam languidius atque rarius incitentur ad malum. Quod quamvis per se motuum ac statuum internorum peritis perspicuum sit, non erit tamen supervacuum Augustinum audire differentem: *Vellem mihi diceres utrum à morbo fornicationis sanior non fuit, quem fornicari minus minusque delectat?* Et paucis interjectis: *Itemque post consuetudinem violentiæ baptizatus & nunquam se deinceps prorsus inebrians, vellem diceres utrum ab isto morbo non fiat in dies sanior, quam fuerat cum potationis gurgitem minus minusque desiderat quam solebat?* Et explicans rursus clarius quomodo motus minores rariores que suscitentur, quibus ad illa peccata pellebantur: *Deinde si provectu concupiscentia bonæ qua concupiscentias malas formicandi, potandique debellat, talis efficitur qualis recenti conversione non fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minus minusque moveantur, ut adversus ea mala, non tanta, quanta prius, exerceat, sed minora certamina, non virtutum diminutione sed hostium, nec deficiente pugnâ sed crescente victoriâ, dubitabis eum pronunciare meliorem?* Unde ex extinctione talium desideriorum, totos habitus, seu malas qualitates ablatas esse concludit: *Cùm vero occurrit quod concupiscatur, nec desideria mala nobis etiam volentibus commoventur, sanitas plena est.* Habitus igitur non solum impotentiam adducit operandi boni, quod et contrarium est, quasi solam contrarietatis indifferentiam tolleret, sed etiam potentissime creberrimeque urget ad operandum malum, ut ab eo abstinere non sit liberum, nec salva maneat indifferentia contradictionis quæ ante habitum fuit.

Quod vero de habitibus malis diximus, hoc simili fere modo & in bonis locum habet. Quanto enim magis auctus fuerit habitus bonus, tanto minus indifferens animus ad utrumque manet. Unde subinde succendente bonos affectus charitate, & irrequieta divini amoris desideria suscitante, tam profundas subinde radices animus in bono agit, ut sibi certa peccatorum genera, quorum infirmitas magis curata est, non nisi vim inferendo consuetudini suæ, velut alteri naturæ, non posse perpetrare videatur. Nam inde fit quod tantâ cum facilitate ac delectatione facit actus illius virtutis bonos. Ex quibus perspicue sequitur per quodcumque incrementum propensionis in alterutram partem, paulatim magis magisque minui indifferentiam, & consequenter libertatem, tunc vero eam possideri perfectissimam, cum homo fuerit quasi tabula rasa, hoc est, simul atque ex infantia ad usum rationis venerit. Tunc enim neutram in partem vehementer propensus est; vel certe cum per nonnullam virtutis aut vitij exercitationem ad illud æquilibrium perductus fuerit, ut perinde ad vitium virtutemque propendeat; vel si in alterutram magis vergit, cum per actuales timoris, concupiscentiæ, aut gratiæ motus sursum deorsumve vel in hanc vel illam partem rapitur; ut animus quasi æquâ lance libratus hæreat. Unde principiorum novorum filum sequendo, eo usque quidam recentior progressus est ut dicere ausus fuerit, modum operandi liberè, *per gravem metum non impediri, sed potius augeri: Nam tunc,* inquit, *censetur esse maior libertas in agendo, quando ex utraque parte habes urgentem aliquam causam. Tunc enim non subito raperis in unam partem præ alia, sed magis*

Lib. 9. Conf. cap. 5.

Ibid. c. 19.

Lib. 3. de stat. nat. lapsæ.

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.

Vide Bezam in Tabul. Schol. P. 2. tract. 4. p. 211. n. 10. n. 19

magis ad id amore indifferens es. Hoc autem A vult contingere in metu. *Nam ex una velles non facere & diligentia obiecta, ex altera velles facere propter metum alicuius mali.* Ecce præclarum libertatis genus, quod (ut asinus Buridani) propter rationes utrimque æqualiter fluctuet. Sed hæc & similia veteribus inaudita sunt, & in Augustini doctrina paradoxa, apud quem nunquam animus liberior est à libertate quæ liberum arbitrium dicitur, quæ contra Pelagianos ab Augustino defensa est, quàm cum perfectissimo charitatis vel iniquitatis habitu firmatus fuerit, & liber metu flagrantissimis delectationibus ac desiderijs habitum sequi solitis fertur in bonum aut malum. Audi obsecro, quando arbitrium, juxta sanam doctrinam, sit maxime ad peccandum liberum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non perit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc ei placet quod ei iubet.* Audi vicissim quando sit maxime ad benefaciendum liberum: *Hæc voluntas libera tanto est liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiaque subiectior.* Nemo autem dubitat, tunc maxima cum delectatione peccari, cùm consuetudo mala seu habitus malus quodammodo in naturam versus fuerit: Operatio enim secundum habitum est maxime delectabilis. Neque quidquam certius est, quam voluntatem tanto esse saniorem gratiæque subjectiorem, quanto firmius fuerit virtutum habitibus in bono, maximeque cælesti illa charitate stabilita. De isto verò æquilibrio libertatis quod sit per dilectiones vel timores ut utrimque animum divellentes, audi quid sentiat Augustinus: *Si ex adverso existant duo, præceptum iustitiæ & consuetudo carnalis & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius delexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur in alterutrum partem: aut si utramque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctuantes dilectionis & timoris alternante quassati.* Quibus verbis æquilibrium istud libertatis, tantũ abest ut ad liberã electionẽ aliquid conferre velit, ut potius nihil ei sentiat capitalius repugnare. Neutram enim in partem motibus reciprocis hàc illàc fluctuans se determinare potest. Alibi verò docet timorem tollere libertatem, exortamque metu voluntatem non esse liberam. Nam de illo loquens qui timore compulsus aliquid facit: *Si facit*, inquit, *non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Epist. 89.

In Epist. ad Galat.

B Quarto sequitur, meritum bonum & malum eo minus esse ac decoloratius, quo quis in bono vel malo fixioribus habitibus radicatus fuerit, vel efficacioribus gratiæ motibus tractus: gravissimorum proinde peccatorum delicta esse minora, sanctorumque actiones eo esse in promerendo præmio deterioris notæ, quo habitus aut gratiæ motus eos magis ex æquilibrio indifferentis illius libertatis extraxerint, & in alteram partem sive ad agendum, sive ad non agendum inclinaverint. Meritum enim ac demeritum ex arbitrij libertate quàm maximè ponderatur, omnium hominum judicio non Augustini modo, sed & Scholasticorum, quandoquidem intereunte libertate prorsus intereat. Necesse est igitur, ut imminutâ quoque libertate, minuatur, & eâdem auctâ, augeatur. Iam autem declaratum est, indifferentiam libertatis per quidlibet quod in alterutram partem determinate trahit, minui, & per id solum augeri posse, quod eam ad illud libertatis ad utrumlibet indifferentis æquilibrium accedere facit.

CAPVT XV.

Aliæ tres absurditates ex ista indifferentia contradictionis consectaneæ aperiuntur.

QVINTO sequitur, Christum Dominum ac beatos vi amoris beatifici omnem omnino libertatem amisisse adimplendi præcepta naturalia & positiva, quatenus præcepta sunt. Difficultatem illam ineluctabilem esse Scholasticis, satis perspicuè probat, quod illæ ipsę solutiones quas tanquam probabiliores amplectuntur, ita difficultati satisfaciant, ut nec attingant quidem; vel auctores sub ea succumbere manifestum sit. Nam qui in ista materia plausibilius isti malo mederi volunt, dicunt, quamvis determinentur ad bonum, non tamen ad hoc vel illud bonum, quia substantiam præcepti actus ex varijs motivis possunt facere, charitatis, justitiæ &c. sub quibus præceptus non erat. Alij dicunt, libertatem fuisse quantum ad intentionem actus, aliasque circumstantias loci, temporis, modi, &c. Alij actus A reflexos liberè exerceri posse circa actum præceptum ejam necessarium, & per illos tanquam honestissimos & liberrimos esse posse meritum, si status viatoris ferat. Alij conjungunt omnes modos simul, dum singulos suspectos habent, ut si forsan in uno cadant, altero subleventur. Sed, ut ante monui, nullus istorum modorum, nec omnes simul, vel nodum ipsum tangunt, & tacite clamant auctores hastam & clypeum abijcere, difficultatis mole superatos. Nam ex quocumque motivo non præcepto, vel circumstantia non præcepta præceptus actus fiat, vel quibuscumque reflexis actibus non præceptis, præceptus actus approbetur & offeratur Deo, nunquam ostenditur circa præceptum, ut præceptum, versari libertatem, sed tantummodo circa aliquid quod sub nullum præceptum cadit, quod sanè ad præcepti adimplendi rationem per accidens se prorsus

prorsus habet. Quid si enim & motivum & omnes circumstantiæ præcepto præscribantur? Profectò hic omnes cuniculi clausi sunt, nec ullus datur exitus. Nam illud de reflexis actibus nihil ad propositum libertatis circa actum præceptum facit. Quapropter fatentur prudentiores, si omnes circumstantiæ quam minutissimæ, Christo Domino vel beatis mentibus determinatæ fuerint, nullum vestigium libertatis eis in præceptis esse reliquum. Et hoc ipsum fatentur aliorum etiam non fatentium responsiones, dum libertatem præcepti actus ex circumstantijs quibuscumque non præceptis petunt.

Hinc sexto videtur sequi, etiam nullum consilium, ut consilium, à beatis cum indifferentia libertatis impleri; non enim liberum est beatis mentibus, nihil nisi Deum in omnibus & super omnia diligentibus, Dei consilium de meliori bono prætermittere. Deest B enim illis torpor agendi, deest ille negotiorum vel circumstantiarum concursus qui nos subinde perplexos, & à consilijs adimpendis aversos tenet, quamvis ea Deo nobis dilecto, spectatis omnibus circumstantijs gratiora esse cognoscamus. Sed si talis nobis esset affectus ardentissimæ charitatis erga solum Deum, qualis viatorum quorundam mentes accendit, qui etiam voto sibi agendum præfixerunt quidquid magis Deo placere cernerent, profecto neque nos fas nobis esse putaremus, Dei nobis dilectissimi consilia prætermittere.

Itaque septimo dubitari merito potest, an non omnia omnino quæ agenda sunt usque ad ultimas circumstantiarum fibras, beatis mentibus ab incommutabili veritate, sive præcipiendo sive consulendo, præscribantur. Beati enim non sicuti nos voluntatem Dei per signa discunt, sed æternam ejus voluntatem in æterna ejus sapientia incommutabiliter ra- C diante, & in immobili ejus veritate cognoscunt. Veritas autem pertingit usque ad ultimas actionum fibras & circumstantias & momenta, ita videlicet ut sicut præscribit hoc vel illud esse faciendum, ita etiam dictet hoc modo, hoc tempore, hoc loco, hoc motivo esse faciendum. Qui ergo ipsam lucem veritatis videt, ex qua nobis quidquid veri cernimus, patefit, videt in ea præscribente etiam ultimas agendi radices & circumstantias. Ab hujus autem veritatis amore deflectere non possunt, cum nihil sit charitas nisi æternæ veritatis amor: nihil igitur possunt quod illa præscripserit prætermittere. Carent igitur illa agendi & non agendi indifferentia in omnibus illis quæ incommutabili veritate præscribuntur: illa autem præscribit omnia, quæ quoquo modo beati secundum prudentiæ regulas agenda judicant. Vnde enim alioquin agenda judicarent id quod ponderatis omnibus circumstantijs agunt, nisi in ista incommutabili D veritate? Omnia ista in Augustino manifesta sunt: *Vident* (Angeli boni) *faciem tuam semper & ibi legunt sine syllabis temporum quid velit æterna voluntas tua* (scilicet per illos fieri) *legunt, eligunt & diligunt, semper legunt & nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.* Et libro octavo de Genesi ad litteram: *Sublimibus Angelis* DEO *subdite fruentibus, & Deo beate servientibus subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma vel prava, ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus iubente illo, cui subiecta sunt omnia.* Ecce Angeli beati in omnibus quæ in mundo faciunt jussum voluntatis, hoc est, veritatis ejus faciunt. Quod mox uberius & clarius & expressius explicat: *Proinde illis in illo veritatem incommutabilem vident & secundum eam suas dirigunt voluntates.* Quid manifestius? Sed audi iterum: *Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatem eius semper facientes sine tempore & loco, moventur autem eius* IMPERIO *etiam temporaliter, illo non temporaliter moto.* Ecce semper voluntatem Dei faciunt, semper secundum veritatem suam dirigunt voluntatem. Qua de re adhuc luculentius in libris de Trinitate: *Constituamus animo talem sapientem, cuius anima rationalis iam sit particeps* (instar beatorum videlicet) *incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus suis actionibus consulat, nec aliquid omnino faciat quod non in ea cognoverit esse faciendum, ut ei subditus eique obtemperans velle faciat.* Et in libris contra Faustum: *Sancti ac sublimes Angeli habent contemplationem & actionem suam: id enim sibi agendum imperant quem ille quem contemplantur, iubet, cuius æterno imperio liberaliter quia suaviter serviunt.* In quibus omnibus locis jussum veritatis non est aliud, quam præscriptum veritatis æternæ, quod nulla creaturæ actio vel omissio, nulla circumstantia subterfugere potest, quin semper verum sit omnibus ultimis circumstantiarum fibris ponderatis, hoc agendum esse vel omittendum, dummodo sit qui veritatis præscriptum cernere queat. Hoc enim sibi vult illud in libris confessionum: *Vbique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt.*

Lib. de gen. ad litt. c. 24.

Lib. 3. de Trinit. c. 3.

Lib. 22. cont. Faust. c. 27.

10. Confess. c. 26.

Quid, quod beati non tantum astricti sunt, ut divinæ voluntati pareant, sed etiam ut excellentiori quo ab unoquoque fieri potest modo pareant? Hoc enim ab eis exposcit illa ardentissima divinæ voluntatis veritatisque dilectio. Sed illa excellentia obediendi veritati in eo sita est, ut non quidem meliores vel sublimiores, sed tamen semper spectatis omnibus, aptiores circumstantiæ loci, temporis, personæ, modi agendi &c. qui in ipsa luce æternæ veritatis semper & immutabiliter eis patent, rejectis ineptioribus, seligantur. Ad illa igitur seligenda vi castissimi amoris alligati sunt, ne alioquin veritatis quam diligunt, & præter quam nihil diligunt, & propter quam cuncta diligunt, & supra quam nihil diligunt, & cui adhærere & quam individuè sequi, sola eorum dilectio ac delectatio est, censeantur esse non sectatores, sed discretores, si non desertores. Etenim si hoc quod omnibus consideratis

Lib. 13. Confess. c. 15.

deratis optimum ad agendum esse dictat veritas, possent prætermittere, in quo quæso id prætermittendum esse cernent, nisi rursus in ipsa incommutabili Veritate? Non autem dicebat Veritas hoc optimum esse ad omittendum, sed agendum. Ad agendum igitur astricti sunt, & ad non agendum non sunt liberi. Si autem Veritatem hoc habere dicas, optimum hoc esse ut beatus suam sequatur voluntatem & libertatem, ut id scilicet eligat quod vult, eligi in supremam statues regulam eligendi ipsum eligentis voluntatem: quod certe perabsurdum est, si non injuriosum veritati; cum veritatem sequi, non præcedere, creaturæ beatitudo sit. Imo vero illa ipsa liberioris seu indifferentiæ sibi relictæ determinatio, unde nascetur nisi lumen inextinguibilis sapientiæ huc vel illuc determinandum esse dictaverit? Non enim vel casui, vel fortunæ, vel fato, sed prudentiæ in beata creatura, determinatio ista tribuenda est. Prudentiæ autem, vel Angelicæ, vel humanæ lux nulla est, nisi æternæ veritatis præluxerit fulgor, quo mens illustrata verum cernere possit & sapere. Eo igitur semper revertimur, ut quidquid tandem agendum vel non agendum, hic & nunc spectatis omnibus circumstantiarum anfractibus, à beatis judicatum fuerit, hoc non nisi in ipsa incommutabili Dei veritate

A ac Sapientia incommutabiliter prascribente cernatur, à qua cùm eis deflectere non possit esse bonum, multo minus majus bonum, uti vero adhærere sit eis summum bonum, & summa jucunditas; sequetur, eos in omnibus actionibus & omissionibus, illa Philosophicâ libertate, hoc est, agendi & non agendi indifferentia destitui. Tantum enim indifferentiæ manet in electione eorum quæ sunt ad finem, quantum in ea esse sinit ipsius finis intentio. Nam quemadmodum immobiliter stante finis intentione, fieri non potest, quin electio medii consequatur, ita si finis optimo excellentissimoque modo intendatur, necesse est aptissimi medii electionem sequi; nullum autem aptius eo esse potest, quod aptissimum esse consulentibus respondet æterna veritas. Hoc igitur non possunt prætermittere, nisi forte aliquod aptius medium ab eis eligi posse singas, quam quod veritas aptissimum esse responderit. Porro excellentissimo modo à beatis intendi finem seu diligi Deum, illam ipsam, inquam, incommutabilem veritatem; nemo sanæ pietatis dubitare permittitur, cum etiam in hac vita iste fuerit sanctorum illorum sensus, qui purgatissimos habuerunt à rebus creatis animos, dum in omnibus majorem Dei gloriam sibi quærendam esse statuerunt.

CAPVT XVI.

Quomodo se habeat libertas arbitrij ad amplitudinem, eminentiam, independentiam, immensitatem, & similes voluntatis proprietates.

QVI libertatem à peccato, quam juxta doctrinam sancti Augustini explicuimus, intellexerit, facile videbit animum à peccato dominante, vel, ut Augustinus etiam loquitur, *ab amore mutabilium verum liberum*, & vi charitatis liberantis in uno summo bono, incommutabili videlicet veritate defixum, amplitudinem quandam consequi divinæ similem. Nam si ille qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus efficitur, ut testatur Apostolus, nihil mirum videri debet, si spiritus ejusdem cum quo unum efficitur, proprietates imbibit. Ex illius etenim castitate, quam charitate diligit, castus fit, ex illius justitia justus, ex illius invicta immutabilitate fit & ipse invictus & immutabilis, ex æternitate ejus, æternitate efficitur; sicut hæc omnia ex Augustino manifesta sunt. Ex immensa igitur amplitudine summi boni cui adhæret, maximam affectus amplitudinem consequitur; ex eminentia creaturis omnibus excelsiore summam eminentiam & independentiam, quatenus ejus affectus ab omnibus liberatus est, ut eis instar dominantis, uti & non uti possit, prout dilecta veritas incommutabilis jubet. In hac igitur affectus amplitudine, universitate, immensitate, eminentia supra omnes creaturas, & independentia ab omnibus, seu quocumque alio eam nomine nuncupare libet fitam esse arbitrij libertatem non nulli volunt, & Augustini sententiam esse non dubitant. De cujus opinionis probabilitate rogatus, ut qualecumque judicium meum, quatenus sanctissimo Augustino attribuitur, interponerem, non multum laboratur. Mihi ea quæ superius huc usque tradita intellexerit, quid juxta sancti doctoris principia statuendum sit. Ut tamen & illis quibus ejus doctrina minus forte satis fecit, liquidius & brevius constet, quid de ea re censendum putem, simplicissimo veritatis indagandæ & asserendæ candore ductus ita judico.

Lib. de vera Relig. c. 46. & c. 10.

B In primis quatenus auctor illius doctrinæ in hac amplitudinis assertione satagit, necessitatem illam indifferentiæ ad bonum & malum, quam libertatem contrarietatis vocitant, à libertate secludere sententia, juxta mentem Augustini, est verissima. Hoc enim non solum illa loca quæ ipse tangit, sed alij plurimis, quæ produximus, probari potest. Secundo quod libertatem seu indifferentiam illam Philosophicam, contradictionis ad agendum & non agendum, non aliter putat esse necessariam, nisi prout ordo finis postulaverit, non

minus

minus Augustino consonat, qui summum humanæ libertatis in eo ponit, ut peccare, hoc est, à fine deviare non possit. Vtrumque supra juxta doctrinam Augustini fusius asseruimus. Tertio, quòd illum statum bonæ beatæque libertatis, quandam à creaturis omnibus avulsionem adjunctam habere traditur, in Augustini doctrina extra controversiam est. Nam hinc illa: *Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat.* Et similia quæ jam superius allegata sunt. Nam tota illa libertas à peccato quam Augustinus asserit, hoc ipsum postulat. Quarto, quod hinc oriatur quædam eminentia seu dominatio supra res creatas omnes, ut eis utatur vel non utatur, prout summi boni super omnia dilecti ratio postulaverit, secundum Augustinum non est dubium, quamvis in locis ab auctore citatis, eò non respiciat: *Non eis amore conglutinetur,* inquit sanctus Doctor, *ne jure velut membra sui animi faciat: quod sit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superseratur, & habere illa atque regere, cum opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior.*

De vera relig. c. 46.

Lib. de lib. arb. cap. 5.

At verò, quod Augustinus docere velit in illa formalitate amplitudinis, eminentiæ, universalitatis, infinitatis quam affectus ex amore summi boni induit, sitam esse arbitrij libertatem, à qua videlicet liberum arbitrium nominatum est, inficias ire nequeo, ita mihi novum visum esse, ut octodecim circiter annorum labores, quibus Augustini scripta non sine magna contentione, & veritatis investigandæ indifferentia volvo & revolvo, ad veram notitiam libertatis assequendam nunquam mihi in mentem venerit hujusmodi aliquid Augustinum judicare potuisse. Cùm enim sexcentis locis libertatem arbitrij Augustinus attingat, & multis ex professo contra errores inter se repugnantes Manichæos & Pelagianos, rem excutiat, non est vel unus, quod sciam, in universis operibus ejus locus, qui naturam libertatis explices per eminentiam, per amplitudinem, per universalitatem, & infinitatem, & similes proprietates voluntatis ex boni summi amore pullulantes. Aliud est enim istas conditiones adesse liberæ vel liberatæ voluntati, aliud in eis Augustinum collocare libertatem. Multæ quippe aliæ conditiones ex voluntate per charitatem justitiæ liberatâ proficiscuntur, in quibus tamen propterea non est sita natura libertatis, multo minus in eis ab Augustino collocata est. Incredibile est enim tanto conatu sanctissimum virum pro libertate decertare, libertatem exponere, definire, dividere, & nunquam vel uno apice formalitatem illam exprimere, & cogitationi lectoris objicere. Nam quid sibi velint illa loca; quod voluntas sit libera cùm peccare non potest; quod tanto sit liberior quanto sanior, tanto sanior quanto divinæ gratiæ misericordiæque subjectior; quòd tunc veraciter vincantur vitia, cùm vincuntur delectatione justitiæ; quòd delectatio sive justitiæ sive peccati, libertatem facit. jam supra abundè ex plurimorum locorum accurata collatione & excussione declaravimus, & eorum genuinum sensum, quem Augustinianæ doctrinæ moles tota poscit, expressimus, sine ulla talis amplitudinis, universalitatis vel infinitatis umbra, quasi in eis esset sita ratio libertatis. Nam ille locus ex Commentariis in Psalmos: *Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est*; ad propositum vel tantam rem fundandam nihil facit. Non enim ibi agit Augustinus de arbitrij libertate, sed de cruciatibus conscientiæ, quibus fit ut animus afflictus & quasi arctatus fugiat foras in sensibilia, Amissâ quippe interna tranquillitate, quietem in nugis quærit; cùm è contrario libenter intret in conscientiam innocentia, tanquam ubi nullas angustias patitur, quasi in latitudine constituta in suo corde lætetur. Sed quid ista ad libertatem arbitrij in universalitate vel amplitudine statuendam? Audite ipsum sanctissimum Augustinum sua sensa proferentem. Cùm enim versiculum illum explicaret: *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*: Inter cetera dicit quod homo qui aliis nocet *non deambulat quia non est, ubi angustias non patitur.* Cui probando subjecit illam sententiam, *Arcta est omnis malitia, sola innocentia lata est.* Et hanc *innocentiam cordis* dicit in eodem versiculo à Psalte dici *medium domus meæ.* Sic ergo rem totam exponendo subjungit: *Hanc domum quisquis habet malam: pellitur ab illa foris: quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quotiedo quisquis ab scelerato exit de domo sua, aut a fumo, non ibi se patitur habitare (quia domus videtur nimis arcta) sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt à seipsis animi intentione, & de his quæ foris sunt circa corpus delectantur: quietem in nugis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerunt sibi bene esse? Quia non est illis intus bene, unde gaudeant in conscientia sua.* Et paulo post de homine jam bene operante: *Intret in domum suam, intret in conscientiam suam; invenies ubi deambulet, & psallat & intelligat.* Hoc est, non amplius cruciabitur & arctabitur conscientia, ut foras in sensus fugiat, sed potius lætabitur, & ut statim dicit: *In medio domus suæ & in corde suo requiescet.* Alia sunt profecto Augustini loca, per quæ vivacior color amplitudinis illi sententiæ affricari posset, apud illos præcipuè qui phrasibus Augustini & sensibus minus afflueti sunt: sed quia nec illa revera quidquam ad illam sententiam fulciendam faciunt, satis fuerit eorum sensum patefacere quando producentur.

In vers. 2 Psalm. 100.

Quapropter illa opinio tribus in rebus ab Augustini sensu mihi videtur deviare. Primò quia quidquid Augustinus dixit de arbitrij libertate in bono seu à peccato, hoc illa sententia universim de illa arbitrij libertate in intelligit, à qua liberum arbitrium & libera voluntas dicitur. Ex quo consequitur necessario eos qui peccatis mancipati sunt, carere arbitrij libertate. Eodem sensu doctrinam Augustini Iulianus accepit, & hac de causa doceri à Manichæis, hoc est, Catholicis dixit, *primi*

hominis peccato liberum arbitrium periisse. Qua sane Iuliani sententia nihil vetius, si nulla alia libertas est arbitrij, quam quæ in amore Dei, in evulsione à creaturis, in operanda justitia explicatur. Illam quippe libertatem perijsse exploratum est; & si non est alia, nullam profectò libertatem arbitrio superesse, manifestum est. Fatetur hæc ipsemet Augustinus, cum calumnias Iuliani respondendo retunderet: *Quis nostrum dicit*, inquit, *quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Sed quomodo non periit, si non est alia libertas arbitrij quam qua uni adhæretur Deo: *Libertas quidem perijt*, inquit, *per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiam.* Hoc est, ut adijcit, *ad bene justèque vivendum.* An igitur nulla est alia libertas arbitrij, quam illa bene justèque vivendi? Audi respondentem Augustinum: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant.* Quod non est aliud dicere, quam peccatores vere habere liberum arbitrium, & quamvis aliâ, ut ibidem Augustinus loquitur, tamen arbitrij libertate peccare. Vnde mox voluntatem non minus vocat *liberam in malis* quam in bonis.

Secundo deviat hæc sententia ab Augustino, quia in hac ipsa bona beataque arbitrij libertate asserenda nunquam tangit Augustinus amplitudinem & similia, sed semper illa duo, liberationem à malo, & delectationem in bono, sicut fusissimè explicuimus. Ex quibus duobus quamvis amplitudo possit sequi, nunquam tamen ullum vestigium reliquit Augustinus ex quo colligi posset, eum libertatem in ista formalitate collocasse: sed è contrario, ubi maximè præcisè loquitur, rationem liberationis & delectationis clarissimis verbis premit.

Tertio deviat hæc sententia, quia oculos in solam doctrinam Augustini dirigendo, quam contra Pelagianos tradidit, qui illam gratiæ libertatem naturæ viribus inferebant, minus attenditur, quid contra Manichæos & Philosophos asseruerit. Illi autem, maximè posteremi, nihil sciverunt vel curaverunt de ista libertate per gratiam, qua adhæretur Deo, sed de illa qua juxta omnium hominum sensum, etiam Paganorum & eorum qui ignorant vel negant Deum, liberi arbitrij esse dicimur in quibuscumq; rebus civilibus & moralibus, seu bonis seu malis. Quapropter Augustinus adversus illos ira defendit & explicat arbitrij libertatem, ut nulla omnino facta liberatis à peccato mentione, eam in omnibus omnino actionibus nostris, quæ non nisi volentibus nobis fiunt, salvam & incolumem esse testetur; & illam actionem nobis liberam esse expresè diversisque locis doceat, quam habemus in nostra potestate, illam non esse quam non habemus. Ex qua definitione Manichæos simul & Philosophos destruit, & quotquot suspicati sunt libertatem arbitrij qua peccamus & benefacimus, ex divinæ providentiæ necessitate subverti. Hæc est autem illa libertas, unde arbitrium liberum faciendi quod volumus habere dicimur, quam Manichæi & stoica fata subruunt, quam omnes homines ex seipsis esse sentiunt; denique, ut verbo dicam, de qua quæstio est, quando de liberi arbitrij natura cum Philosophis & Manichæis & Catholicis disceptamus. Qua de re non est opus hic laboriosius iterum satagere, cùm in præcedentibus latè disputata sit, & ex Augustini scriptis undique consonantibus stabilita. Illius libertatis arbitrij ramus, non totus truncus, est libertas à peccato, quam contra Pelagianos tradidit. Nam & in illa elucet ista generalis libertatis ratio, quam gratia liberans à peccato tribuit, quatenus est in bonum præsertim liberatricis charitatis ponit in nostra potestate, qua alioquin ille qui peccato dominanti subiugatus est, prorsus caret. Et de natura quidem liberi arbitrij hactenus eo scopo disputavimus ut accuratius percipere possimus, quomodo sanctus Augustinus efficaciam medicinalis gratiæ cum arbitrij libertate conciliaverit.

FINIS

CORNE-

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS,
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER OCTAVVS.
Qui est de concordia gratiæ & liberi arbitrij.

PRÆFATIO

ABSOLVTIS illis quæ de liberi arbitrij natura & gratia Christi medicinali dicenda videbantur, supereſt, ut aliquid etiam dicamus de modo quo vis ejus & operandi efficacia, cum humanæ voluntatis libertate conſiſtat. Hæc enim difficultas ardua ſemper habita eſt & ad intelligendum perobſcura. Vnde Auguſtinus in libro de gratia Chriſti: a *Iſta quæſtio ubi de libero arbitrio voluntatis & de Dei gratia diſputatur, ita eſt* AD DISCERNENDVM DIFFICILIS, *ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia liberum arbitrium putetur auferri.* Alibi vocat, b *difficilem ad ſolvendum quæſtionem*: c alibi, *difficillimam*: alibi, d *difficillimam & paucis intelligibilem.* Itaque in libro de peccatorum meritis & remiſſione, de quibuſlibet, etiam de ſeipſo loquens: e *Ipſa etiam ratio*, inquit, *quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitrium ut ſuperbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur*; hoc eſt, ut gratiam abſtuliſſe cenſeamur. Quapropter ex divinæ gratiæ prædicatione & modo operationis ejus quem tradebat, invidioſiſſimè Auguſtino à Pelagianis deſtructio libertatis objecta eſt. Nam inde eſt, quod ei hoc Iulianus frequenter exprobrat, eumque vocat, *præcipuum liberi arbitrij negatorem*; & hoc, *certiſſimum eſſe aſſeverat.*

Cum igitur omnibus Catholicis in confeſſo ſit, rectè libertatem arbitrij, per illius gratiæ prædicationem & operationem, quam ipſe, Eccleſiâ ipſius doctrinæ aſſentiente, docuit, non violatam, ſed integerrimè ſervatam eſſe, neceſſarium eſt diligenter inveſtigare, quo pacto ipſe gratiæ efficaciam cum libertate conciliando copulaverit. Nam in iſto conciliandi modo ſitam eſſe veritatem, nemo prudens & Catholicus, arbitror, diffitebitur. Neque enim ab Auguſtini temporibus uſque ad tempora Molinæ in Catholica Eccleſia dubitatum fuit, quin Auguſtinus rectè de gratia divina ſenſerit, & humanæ voluntatis libertatem prædicatione gratiæ non exſtinxerit.

a *Lib de gra. Chriſti c.47.*

b *Lib de prædeſt. SS. c.14.*

c *In Epiſt. 2 ad Valentin. & Epiſt. 105.*

d *Epiſt. 1. ad Valent.*

e *Lib. 2. de peccat. merit. cap. 18.*

Lib. 1. cont. Iul. oper. imper. f 162

CAPVT PRIMVM.

Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica, & gratia congrua. In quo sancti Augustini sententia cum utraque conveniat.

QVONAM modo divinæ gratiæ efficacia cum arbitrij libertate consentiat, summa hoc tempore & capitalis controversia est. In quorum conciliatione magnis viribus à Scholasticis Doctoribus laboratum est, quibus major, aut minor occurrit difficultas, prout actio gratiæ in voluntatem efficacior, aut remissior ab eis constituitur. Itaque diversis modis à diversis hoc tentatum est, & ad solum istum scopulum declinandum, diversi & repugnantes operationis modi gratiæ Christi attributi sunt. In quorum explicatione atque defensione, quia omnes aut penè omnes modi, qui in ista conciliatione gratiæ & liberi arbitrij difficultatem ingerunt, à Scholasticis tacti aut soluti sunt, non abs re fuerit, eorum de gratia sententias, quæ fusius tractatæ passim reperiuntur, breviter perstringere, ut cum qua illarum, hæc doctrina de gratia medicinali Christi, quam ex Augustino hactenus proposuimus, affinitatem, & quantam & qualem habeat aut non habeat, perspicuè appareat. Sic enim simul statim elucebit, quibus difficultatibus obnoxia sit, & quo pacto ex eis expediri etiam secundum Scholasticorum doctrinam possit aut debeat.

Doctores igitur hujus temporis qui de gratia efficaci magno conatu disputant, in duas capitales opiniones distracti sunt. Alij naturam ejus in quadam Dei motione aut impulsu collocant, quæ ex se voluntatem efficaciter determinet ad consensum, ita scilicet & ut ea posita & passive recepta in voluntatem, statim consensus ejus præsto sit, simulque stare non possit ut dissentiat. Hanc ut aliquis habeat dicunt non esse in hominis potestate, quia datur & negatur ex divino beneplacito, sine qua tamen fieri non possit, ut quicquam aut boni operetur aut mali. Necessitatem ejus tantam ex duplici capite proficisci, ex subordinatione secundæ causæ sub prima, & ex indifferentia liberæ voluntatis, quæ non est apta ut aliquid agat, nisi ab agente superiori determinetur. Alij existimantes istiusmodi operationis efficaciam directè evertere arbitrij libertatem, excogitarunt aliud gratiæ genus, cujus operationis modus isti priori ex diametro adversetur. Dicunt enim gratiam efficacem esse sitam non in tali motione voluntatem prædeterminante, sed in quadam illuminatione intellectus & motibus voluntatis, quibus Deus & allicit voluntatem ut velit, & vires volendi tribuit, simulque concurrit cum voluntate si voluerit. Vt autem cum illis adjutorijs velit, aut resistat eis, hoc non fieri ex aliqua prædeterminatione Dei A in hanc aut illam partem, sed ex libera optione voluntatis: quæ quantumcumque gratia alliciat atque blandiatur, consentit, dissentitque si velit. Primi vocant communiter gratiam illam suam *prædeterminationem physicam*, secundi *congruam*. Illa fere defenditur à sectatoribus sancti Thomæ; hæc à Francisco Suarez, Lessio, Molina, & alijs multis. Nam quamvis aliqua inter Suarez cum suis ex una, & Molinam, Lessium cum ceteris ex altera parte discrepantia sit, illa tamen magis divinam voluntatem ex qua gratia proficiscitur, quam diversum operandi modum quem habeat gratia, aut consentiendi quem voluntas, respicit. Vtrique enim statuunt Deum explorare per scientiam conditionatam, quid voluntas libera cum qualibet gratia, si daretur, vellet aut faceret; quo explorato illi voluntdari gratiam cum qua voluntas operatura B prævidetur, ex decreto Dei prædefinientis, ut talis effectus fiat; hi vero ex alijs considerationibus aut regulis providentiæ. Inter ista duo gratiæ genera generatim hoc discrimen est, quod illi qui prædeterminationem physicam defendunt, magnopere laborent ne arbitrij libertatem destruxisse videantur, alij ne Christianæ gratiæ veritatem. Nam ut illis vitio vertitur quod nimium extollunt gratiam, ita istis quod nimis deprimunt. Hinc adversariorum criminatione illis Calvinismus, ab aliquibus istis Pelagianismus impingitur.

Quod si quis discrimen istud duarum istarum sententiarum vel solum præ oculis habeat, non est difficile animadvertere, quid respondendum sit interroganti, cum utrâ tandem, doctrina de adjutorio medicinali Christi, quam tanquam veram Augustini sententiam ex ejus scriptis undique concinentibus produximus, convenire statuenda sit. Dicendum C est enim, ex integro cum neutra convenire, sed aliquid ab utraque sumere. Nam à priori accipit, quod voluntati consensum efficaciter inclinando atque adeo prædeterminando largitur; à posteriori, quod sit actus quidam vitalis, utpote cælestis, & Augustini phrasi, ineffabilis suavitatis delectatio; non tamen exspectat impulsum voluntatis ut secum influat, sed ei tribuit: nec hæret quodammodo ex arbitratu voluntatis eligentis ut velit aut nolit, sed arbitratum volendi, ad hoc ipsum determinando suavitatis efficacia voluntatem, efficit. Ex quo fit ut quod in gratia medicinali Salvatoris essentiale ac formale est, in Augustino illi animadverterint, hi vero quod quodammodo materiale.

Itaque

Itaque longè propius illi ad veritatem accesse- A runt. Ipsam quippe medullam gratiæ Christi respectu læsæ voluntatis, hoc est, ADIVTORII quo tetigerunt, quæ in ista potenti consensionis efficientia ac donatione consistit; & per illam ab omni alia spuria gratia, quam Pelagiani & Semi-Pelagiani prædicarunt, maximeque ab illa gratia *sine qua non*, quæ stantis hominis & Angelorum voluntati propria est, separatur. Vt sane merito dici possit, doctissimos illos viros primæ sententiæ defensores, veram Augustini sententiam de gratia Salvatoris vidisse atque tenuisse. Quod si quid ei ulterius adjecerunt, ex superfluentibus humanæ Philosophiæ excessibus factum est, qui ad tuendam perspectam veritatem, satagentis animi conceptibus naturalem scientiam in subsidium rapientibus, ebullire solent.

CAPVT SECVNDVM.

Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus ejus traditur.

SI enim iustis ponderibus totum illud A quod physicæ prædeterminationis auctores ad Augustini sententiam explicandam tuendamque dicunt, metiri & excutere voluerimus, perspicue deprehendemus nonnulla adjecta esse à recentioribus, quæ cum August. doctrina nullo modo congruunt.

Et quidem quod Christi auxilium nomine prædeterminationis physicæ, quod Augustino ignotum est, nuncupaverint, nihil refert. Sufficeret si rem ipsam sanctus Doctor traderet. Cùm enim aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accurate ab alijs distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat. Sed etjam in rebus ipsis, operandi modo accessorijs, non mediocris discrepantia est.

Nam primo, juxta sententiam istorum recentiorum, prædeterminatio physica est motio nescio quæ virtuosa, quæ habet esse quod- B dam incompletum, & sit in voluntate per modum quo colores sunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur. Cujus profectò speculationis in Augustino nullum vestigium esse video. Nam Augustino vera Christi gratia est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio objecti quod proponitur, quæ totum animum cum ingenti jucunditate sur- *Vide lib. 4. de spir. & lit. c. 1. & seq.* sum rapit, quemadmodum nos fusissime supra demonstravimus. Vnde non est sicut color in aëre, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissima & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & proprie dicto subjecto esse solet.

Secundo prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi, sed aliquid cui voluntas tantum passivè subjacet; Christi adjutorium est actus verus & vitalis, quo anima haud secus afficitur, movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus in- C hæret. Idcirco quippe datur animo pernicio- *Ibid. c. 34. 5.* sis desiderijs & voluptatibus implicato, ut earum impetus illa cælesti ac VICTRICE DELECTATIONE superetur. Nam ex illo effectu etetiam nomen victricis delectationis ei impositum est, de quo etiam supra loco suo satis dictum est. De hac igitur gratia sanante animum, ac vehementissimè delectante motibus suis delectationi carnis repugnantibus, & adjunctis ei intellectus illustrationibus, Augustinus innumeris locis loquitur, vbi de vera Christi gratia contra Pelagianos asserenda & explicanda occupatur. Nec ullus omnino locus ex universis Augustini Scripturis, quantum intelligere potui, proferri poterit, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat aut probet, sed loca solummodo quædam generalia, ut quod Deus dicit: a *Auferre cor lapideum, b Facere ut velimus bonum, facere ut faciamus, operari velle & perficere, præbere vires efficacissimas voluntati: Eam ex mala mutare in bonam: d Cor regis occultissima & efficacissima potestate convertere, & transferre de voluntate laedendi ad voluntatem faciendi: e trahere mirabilibus modis ut homines velint, & volentes ex nolentibus fiant: f interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum bonas voluntates: g Vocatione alta atque secreta sic agere hominis sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum: h duritiam cordis auferre: i ad se convertere hominum voluntates: k Mirabili modo & ineffabili operari velle: l Vocare secundum propositum ut fiat credens*, & hujusmodi, quæ quidem indicant Deum voluntates hominum inclinare atque determinare quo voluerit, sed in omnibus istis ac similibus testimonijs, non est unus apex, qui hoc significet, per hujusmodi prædeterminationem ex philosophia profectam effici. Nam ea in alijs etiam eorundem librorum locis, ubi determinatius se explicat, ad eos quos diximus dilectionis motus restringuntur: quos cum ipsimet prædeterminationis auctores sub illa prædeterminatione comprehendi nolint, relinquitur, spertam vim inferri testimonijs Augustini, quibus sententiam illam suam asserta volunt.

Tertio prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantijs voluntas collocetur, semper faciat facere & operetur effectum suum, omnemque superet resistentiam: Christi adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix quę Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desiderijs hærebit animus, nec efficaciter

a Lib. de gra. & lib arbit. cap. 14.
b Cap. 16.
c Cap. 19.
d Lib. 1. ad Bonif. c. 20.
e Ibid. c. 19.
f Ep. de grat. Christi c. 24.
g Epist. 107. c. 2 Vitalem.
h Lib. de prædest. SS. c. 8.
i Ibid cap. 10
k Ibid.
l Ibid. c. 16.

unquam velet quod volendum est. Qua de re, A
viele quæ in iisdem locis à nobis dicta sunt.

Quarto quod prædeterminatio physica sit instar concursus cujusdam generalis Dei in ordine supernaturali: adjutorium Christi nullo pacto. Nihil enim ei respondet in agentibus naturalibus, ut ex sequenti discrimine magis patet.

Quinto prædeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ quæ essentialiter tam in operari, quàm in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: Christi adjutorium nequaquam, sed læsæ voluntati propter solum vulnus necessarium est, quod ei inflixit peccantibus voluntatis audacia. Quod etiam fusè declaravimus. Nam inde gratia Christi medicina, & adjutorium medicinale ab Augustino dicitur, & Christus Dominus Salvator & B
Medicus, ipsoque proprio non indiguisset, de
si homo non peccasset, neque Christus neque adjutorium ejus fuisset opus.

Vide lib. 2. de gra. Christi Salvat. cap. 19. 20.

Sexto prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adjutorium neutiquam. Nam in si concupiscentijs voluntas vulnerata, sicut in quædam corporis membra, sic etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset; quemadmodum in sanctis Angelis plene & Adamo nonnihil patuit, qui diu absque Christi adjutorio in sanctitate manserunt.

Hinc septimo prædeterminatio physica expresse dicitur statui innocentiæ tam Angelorum quàm hominum fuisse necessaria: Christi adjutorium ei repugnat capitaliter; sicut Augustinus ex professo docet. Voluntas enim eorum sic erat instituta, ut cum adjutorio non Christi Salvatoris medicinali, quo fit ut velimus & agimus bene, sed cum adjutorio sine quo non volumus aut agimus bene, possent si vellent in sanctitate persistere; & Adamus multis horis, Angeli etiam absolutè in collata sanctitate perseveraverunt. Ex quo factum est, ut Augustinus dicat Angelos *per liberum arbitrium* in veritate stetisse, quod nunc hominibus conferri debet per gratiæ donum. Qua de re fusè in libro de gratia primi hominis, & iterum de modo operandi gratiæ Christi disputatum. Itaque Christi adjutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam, non propter generalem causæ secundæ à prima dependentiam, non propter actuum bonorum supernaturalitatem, sed propter solam liberi arbitrij impotentiam, & infectas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratæ sunt, hominibus lapsis Christi incarnatione & sanguine D
præparatum est: cujus quemadmodum neque passio & mors, neque incarnatio fuisset Angelis aut hominibus necessaria, si nemo peccasset, ita neque istud proprium incarnationis & mortis ejus adjutorium.

Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam doctrinam ejus in innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ læsæque voluntatis, tollit necessitatem duplicis adjutorij, *quo*, & *sine quo non*, cum quorum altero Adamus velle starèque potuit, & Angeli reipsa voluerunt steteruntque, lapsi homines velle aut stare non possunt. Tollit obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis sacris, quæ singulariter Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant. Eædem quippe Scripturarum phrases ad actus quos ipsi statuerunt naturales, adeoque malos quantum ad materiale, aptari queunt. Si enim idcirco dixit Christus: *Sine me nihil potestis facere*, quia nihil sine ista generali Dei prædeterminatione facere possumus, cur non id ipsum quoque pro isto adjutorio ad actus naturales, & malos necessario proferamus? Cur non dicamus, nemo potest vineam plantare, aut pecuniam pauperi moraliter dare, nisi pater meus prædeterminando traxerit eum? Cur non dicamus omnibus & similibus Dei concursum generalem probantes producamos? *Faciam ut faciatis*; *Deus enim operatur in vobis velle & perficere*, & similia. Quod C
si isti etiam recte ad talis prædeterminationis physicæ necessitatem astruendam proferuntur, quomodo ergo rectè gratiæ Christianæ & ex Christi passione nobis collatæ necessitatem probant, quemadmodum ad hoc probandum ab Augustino proferuntur? Nonne perspicuè sequitur nihil omnino peculiare pro operibus gratiæ, ex hujusmodi Scripturis posse colligi? Nam solum sequitur nihil nos posse velle aut operari sine præmotione generali omnibus causis necessaria, propter subordinationem causæ secundæ sub prima, & propter indifferentiam liberæ voluntatis, quæ ad nihil omnino sine Dei præmotione determinari potest. Quæ ratio perinde prorsus locum habet, etsi peccatum voluntati nullam inflixisset ægritudinem, nihil caro contra spiritum concupisceret. Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus everteretur, & Scripturæ subnervantur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore, suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut in universis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principijs ejus, ita quoque indicat

prædeter-

prædeterminationem physicam tanquam gratiam, eo modo & latitudine ad omnes humanæ naturæ status dilatatam, ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ Philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam & inventam esse. Nam apud ipsum nulla alia Christi gratia contra Pelagianos prædicatur, quam *gratia quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est*: Gratia *qua iustificamur ab iniquitate & qua salvamur ab infirmitate*: Gratia *quæ revelata est per passionem & resurrectionem Christi*: Gratia *qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere sit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur*: Gratia denique *liberationis*, quam *implorant quando sancti dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia* Dei *per Iesum Christum Dominum nostrum*: *quoniam in ea caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes* DARI SIBI PUGNANDI VINCENDIQVE VIRTVTEM PER CHRISTI GRATIAM POSCVNT. Hæc est vera gratia Christi, & ista genuina radix necessitatis ejus, prout eam Augustinus in omnibus suis lucubrationibus docuit. Vnde in eodem loco expressissimis verbis tradit Adamum tali adjutorio Christi non eguisse: ILLE NON OPVS HABEBAT ADIVTORIO QVOD IMPLORANT ISTI. Nempe quia *ille nulla tali vitia a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur*. Tantum ergo abest, juxta sanctum Augustinum, gratiam Christi propter indifferentiam voluntatis esse necessariam, ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit, à qua per potentem illam gratiam Christi liberanda est, & in indifferentiam suam primigeniam, vel potius supra indifferentiam suam primigeniam, in actualem determinationem in alteram partem retorquenda. Quod nullo pacto in statu innocentiæ integritas ejus postulabat. Vnde ibidem Augustinus tradit Adamum *disparem* gratiam habuisse, & *latiorem*; nos *indigere potentiore*. Sed de istis iterum ex propriis fundamentis differere nihil opus est, cum alibi satis fuse demonstrata sint, quando de natura gratiæ primi hominis; itemque hominis lapsi; & utriusque differentia ex Augustini principijs disseruimus. Hic omnia breviter tantum tetigisse & memoriam refricuisse satis est, ut differentia gratiæ Christi prout ab Augustino ex Scripturis tradita est, ab illa prædeterminatione physica, prout ex generalibus illis Philosophiæ principijs astruitur, intelligi possit.

Epist. 95.

Epist. 90. cap. 4 ad Inno Cor epulat.

Lib. de Cor. & grat. 11.

Vide lib. de grat. primi hom. & lib. 2. de grat. Christi Salv. c. 1. 2. 3. usque ad 14.

CAPVT TERTIVM.

Adjutorium Christi determinat ac prædeterminat etiam physice voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat.

QVÆ quamvis ita sese habeant, tantaque inter physicam prædeterminationem, prout à Scholasticis defendi solet, & medicinale Christi adjutorium discrepantia sit, in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod officium physice prædeterminandi voluntatem ei vere competat, eoque vocabulo non abstractè sed concretè sumpto meritò appellari possit. Nam hoc ipso quo, secundum principia sancti Augustini, gratia vera Christi, est *adiutorium quo* fit velle atque perficere, prout ab *adiutorio sine quo non* distinguitur; itemque adjutorium non *potentiale*, quo velle & agere possumus, si volumus, sed *voluntatis & actionis*, quo Deus facit ut reipsa velimus & agamus, prout ea fuse suis locis demonstrata sunt; perspicue patet, istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat, non si voluerit (quemadmodum gratiæ Adami & Angelorum, cum qua reipsa steterunt in veritate, proprium fuit) sed ei efficacissimè præbendo ut velit. Non enim exspectat ut voluntas secum influat, quemadmodum in adjutorio Angelorum etiam sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando, & quantum vellet, uteretur aut non uteretur adjutorio; sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque constituerit. Cùm enim per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum, imo ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem atque determinationem in contrarium, & reflectit eam in bonum, non solum si libero arbitrio hoc videatur & velit, sed ineffabili sua luce atque suavitate faciendo ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum & dat cor carneum, sic animum efficacissima potestate convertit, sic duritiam cordis aufert, sic operatur velle atque perficere, sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit quam voluntatem inclinando, applicando, determinando: & quia prævenit ipsam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non solũ moraliter, sed vera, reali & physica determinatione. Moralis enim prædeterminatio

terminatio illa dicitur, quæ tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur sive extrinsecus sive intrinsecus; sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam proprie suæ suavitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote causans in ea hoc ipsum ut se determinet, ideoque prædeterminat. Vt enim ex Augustino tanquam rem certissimam asserente declaravimus: *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat?* Nemo prorsus. *Voluntas enim ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, movere nullo modo potest.* Ex quo etiam consequenter nascitur, ut quemadmodum idem tradit, *quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est.* Quid autem? An ipsa voluntas facit ut delectet si voluerit? Absit: *Hoc enim ut occurrat*, inquit Augustinus, *non est in hominis potestate.* Et iterum: *Quis habet in potestate ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit.* Ex quibus principijs necessario sequitur id quod tam constanter docet Augustinus, adjutorium Christi esse adjutorium *quo* Deus donat ut voluntas velit, aut ex duobus unum præ altero velit, aut ardentius velit, efficiendo ut delectet, aut amplius delectet; quod enim amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est. Vnde in eodem loco adijcit: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria aut operum meritis comparatur.* Et quare non? *Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Nempe infundendo delectationem objecti, qua amplius nos demulcente, hoc ipsum necesse est ut velimus & operemur. Quod enim amplius nos delectaverit, secundum hoc operemur necesse est. Ergo & quod volumus aliquid, ex delectatione nascitur, & quod vehementius volumus, ex ardentiore delectatione: *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus eoque delectamur ardentius.* Si autem nulla delectatione tangit animum, etiamsi hoc bonum esse noverit, nulla etiam ratione hoc ipsum volet: *Nolunt enim homines facere quod iustum est, sive quia latet, sive quia non delectat*, videlicet etiam cum non latet. Nam scientia objecti tantum ex generali ratione ad volendum necessaria est, quia ignoti nulla cupido, neque concurrit aliter nisi ut *adiutorium sine quo non*; non ut *adiutorium quo* fiat ut velis. Ex quibus Augustini principijs quæ fusius iam ante declarata sunt, cum de delectationis necessitate tractaremus, perspicue apparet impossibile esse, ut adjutorium illud cælestis delectationis non determinet, imo prædeterminet voluntatem, quia facit ut velis, & sine illa velle non possis; facit etjam ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis; facit denique ut *necesse sit* animum istud sequi, & secundum istud operari quod amplius delectaverit.

Lib. 1. q. 1. ad Simplic. — *Lib. 2. de praed. merit. c. 17.* — *In Epist. ad Galat.* — *Ibid.* — *Loco citato ad Simplic.* — *Ibid.*

CAPVT QVARTVM.

Conciliatio gratiæ Christi quam Augustinus docuit, cum libero arbitrio, juxta principia Scholasticorum.

IAM si quis scire aveat, quo pacto hujusmodi medicinale adjutorium Christi consistere possit cum humani arbitrij libertate, quæ passim in Scholis tradi solet, atque in eo sita dicitur, quod positis omnibus ad agendum requisitis voluntas possit agere & non agere, vel agere unum & contrarium ejus, non est difficile ei satisfacere. Cum enim istud auxilium eundem habeat operandi modum, qui physicæ prædeterminationi tribui solet, ut capite præcedenti tactum est, & ex libro secundo de gratia Christi Salvatoris, & quarto de natura gratiæ medicinalis Christi latius intelligi potest, eodem modo libertas illa jam dicta voluntatis, sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physica prædeterminatione salvatur. Quapropter quicquid physicæ prædeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant; quicquid etjam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum puta. Eodem quippe modo libertatem illam arbitrij, de qua ipsi solliciti sunt, incolumem permanere sub illo auxilio medicinali quod Augustinus docuit, ostendi ac defendi potest. Nam fere quicquid ab adversarijs objici potest, unica illa distinctione sensus compositi ac divisi, quam isti prædeterminationis physicæ defensores adhibent, solui ac dissipari potest. Non enim necesse est, ajunt, ut cum omnibus illis ad agendum requisitis, inter quæ etjam cælestis delectatio est, stet simul ut non agat voluntas, sed solum ut possit non agere. In libero enim arbitrio quantumcunique ad agendum præparato, imo determinato & actu operante, reperitur, ut ipsi docent, simultas potentiæ ad operandum & non operandum; non potentia simultatis, ut videlicet simul agat & non agat. Hoc est, ut clarius dicatur, in libero arbitrio est potestas ad opposita, non tamen potestas ad opposita simul in se habenda. Hoc enim nemo nisi fatuus dixerit. Hoc ergo sensu intelligendum esse docent id quod adversarij ad libertatem postulant, ut videlicet positis omnibus ad agendum requisitis, etjam cælesti quacumque delectatione & prædeterminatione stet simul ut possit non velle, non autem ut simul non velit. Potentia enim non volendi non repugnat omnibus illis ad volendum requisitis, sed solum, quod

quod actualiter non velit. Itaque in sensu diviso potest voluntas non facere id quod Deus per gratiam efficacem in ea operatur, in sensu vero composito, nequaquam. Nam inde sunt istæ locutiones Augustini: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia* INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER *ageretur.* Hoc est, ita ut voluntas ab opere bono nulla tentatione declinari, nulla adversitate superari possit: ita videlicet ut actualis declinatio voluntatis & superatio unà cum Dei gratia jungeretur. Sic enim seipsum explicat cum immediatè subjungit: *Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Simili sensus compositi phrasi, in eodem libro inferius dicit: *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et iterum manifestius: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & terra omnia quæ voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere.* Et rursum in eodem loco: Nisi *forte quando Deus voluit Saulo regnum dare, sic erat in potestate Israhelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere.* Et de dono perseverantiæ loquens: *Quomodo potest amitti, per quod sit ut non amittatur etiam quod possit amitti?* Ut perseverantia amittatur fieri nullo pacto potest. Et ipsa Scriptura sacra de renato ex Deo loquens: *Qui natus est ex Deo peccatum non facit &c. Et non potest peccare.* Sicut ergo in sensu composito veræ sunt hujusmodi phrases, quibus voluntas acta per divinam gratiam, dicitur non posse resistere Deo, non posse dissentire ab eo quod per eam vult operari Deus, non posse declinari, non posse superari; ita e contrario, in sensu diviso veræ sunt, quibus dicitur posse declinari, posse superari, posse dissentire. Eodem igitur modo locus Concilij Tridentini quo dicit, quod *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum possit dissentire si velit*: itemque quod *inspirationem recipiens illamque abjicere potest*, non difficulter ab eis & à nobis solvi potest. Concilium enim in sensu diviso, inquiunt, loquitur, quo significatur, ita hominem recipere Dei inspirationem, & motionem, & excitationem illius delectationis aut prædeterminationis (addo, si libet, etiam actualem ipsius voluntatis consensionem ac motum) ut nihil auferat ejus voluntati potestatem dissentiendi, si velit, quamvis actualis dissensus cum illis præsuppositis componi nequeat. Potestas enim dissentiendi non repugnat isti excitationi, aut delectationi, aut prædeterminationi, aut ipsi etiam consensui actuali voluntatis, sed tantum dissensus actualis; quemadmodum cum paries albus vere dicitur esse posse niger, non hoc significatur, quod albedine permanente, simul in eo nigredo reperiri possit, sed quod simul cum albedine sit in eo potentia ut fiat niger. Hæc & similia respondent ij qui physicam tuentur prædeterminationem, ut per eam non destrui libertatem patefaciant. Quæ sane omnia ad istam veram Augustini gratiam ab adversantium argumentis eripiendam, tuendamque illam arbitrij libertatem quam putant esse necessariam, mutatis tantum vocabulis, huc transferri possent. Sed cum istud cuivis facile sit, & nihil adversus libertatem ex hac doctrina objici possit, quod Scholastici non dissolverint, neque minus talium argumentorum solutiones, quam argumenta ipsa in promptu posita sint apud eos qui de physica prædeterminatione scripserunt, nolim hic actum agere, ac tempus illis proponendis solvendisque terere, præsertim cum non sit instituti mei rebus illis explicandis inhærere, quæ plene apud Scholasticos explicata sunt.

Lib. de Corr. & grat. 2.
Cap. 14.
Lib. de dono pers. c. 6.
1. Ioan. 3.
Conc. Trid. sess. 6. can. 4. & c. 5. de justificatione

CAPVT QVINTVM.

Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundum Augustini mentem profertur: & probatur ex querelis Pelagianorum & modo quo eis Augustinus satisfecit.

VERVMTAMEN merito dubitari potest, utrum Augustinus eo modo intellexerit incolumem permanere libertatem, atque ita senserit influxum gratiæ cum libero arbitrio conciliandum esse, quatenus sub ejus efficacia determinante voluntatem ut velit & agat, simul potestas maneat, ut non velit & non agat. Nempe ut arbitrium voluntatis ea ratione liberum sub gratia esse censeat quia semper per gratiam ita vult & agit, ut simul possit nec velle nec agere. Causa vero dubitandi multo maxima est, quia si Augustini monumenta lustremus universa quæ contra inimicos gratiæ Pelagianos exaravit, nusquam vestigium apparet ullum, ex quo colligas ea ratione vel ab ipso defensam arbitrij libertatem, vel gratiam cum libero arbitrio esse conciliandam. Quod profecto incredibile & impossibile est, si iste verus atque genuinus est conciliandi modus. Sæpissime namque & acerbissime Augustinus & Ecclesia quam tuebatur ab adversarijs de destructa per gratiam libertate criminati sunt, invidiosissimeque traducti. Cùm enim Augustinus quodam loco dixisset adversarijs: *Non est ita ut loqueris, multum fallere vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium:* Respondet ei Iulianus: *Fidem vestram quæ à nobis oppugnatur, erubescitis profiteri, & ad nostræ sententiæ a qua devia-tis verba confugitis. Tam enim scelestum est quod suscepit prævaricatio pudenda Babylonis* (id est, Ecclesiæ) *ut cum à nobis objcitur a vobis negetur: & tam*

Lib. 2. de nupt. c. 3.
Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 213.

edus sanctum est, quod à nullo creditur, ut sub umbra A
eius contegere, licet adversa mente cupiatis. Hæc &
similia sancto Augustino Iulianus & ceteri Pelagiani non semel tanquam de certissima victoria triumphantes exprobrant. Ad quas calumnias detergendas non semel etiam totos ingenii nervos intendit, ostenditque se liberum arbitrium defendere integerrimum, & modum libertatis explicat, & qua ratione cum Dei gratia sit conciliandum docet: nec tamen unquam vel semel, nec ex professo tradit, nec per transennam insinuat, salvam eatenus manere sub gratia libertatem ejus, quatenus actum volendi sic exserit, ut eum possit suspendendo continere. Quis ita respondeat, nisi vel malignissimus vel ignarissimus qui de cepis interrogatus de allijs loquatur?

Sed ne temerè istud pronunciasse videar, ex omnibus operibus quæ adversus Pelagianos composuit, demonstrandum est, nunquam B Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, illum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit ut possit non velle, sed semper illum, quod operante gratia non instar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quod gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est. Quodque mirabilius, ostendendum est, non aliud etiam in traducenda gratia criminatos esse Pelagianos, quam quod gratia secundum Catholicos, & Augustinum, sine voluntate nostra perficeret bonum, ita videlicet ut liberum arbitrium vel nihil prorsus ageret, vel certe invitum & reluctans ad bonum cogeretur; quorum utrumlibet contingeret, operis boni ratio funditus à voluntate tolleretur. Quam Pelagianorum opinionem nonnihil declaravimus in libris de Hæresi Pelagiana. Hic C
Vide dicta latè de querelis Pelag. cont. Adiut. et voluntatis & actionis lib. 5. de Hær. Pelag. c. 13. & 15. 16. & 17. sed maxi. lib. 7. c. 10. & 11. ubi agitur de querelis Semi-Pel. Lib. 1. grat. Christ. c. 7. tamen paulo inferius demonstranda est.

Hoc enim imprimis perstringit Pelagius, quando Catholicorum querimonijs confessionem veræ gratiæ postulantibus satisfacere volens, itaque loquitur: *Hic nos imperitissimi hominum putat iniuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus* EAM SINE VOLVNTATE NOSTRA NEQVAQVAM IN NOBIS PERFICERE SANCTITATEM *Quasi Deus gratia sua aliquid imperaverit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret*, videlicet non illam Augustini quæ operatur velle atque perficere, sed legem atque doctrinam, ut *quod per liberum hominem non gratia, facere iubentur arbitrium, facilius possint* ipsi, non gratia, *implere per gratiam.* Ecce perspicue accusat in Catholicis gratiæ negationem in se accusantibus, quod vellent eam sine voluntate nostra perficere sanctitatem, quasi ipsi gratiæ, non hominibus Deus faceret imperallet. Et ad hoc ipsum refellendum respicit Augustinus, quando inferius di- D
Cap. 25. cit: *Desinat, inquam, ista dicere. Non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adiuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.*

Hoc ipsum redarguunt Pelagiani, quando in libro primo ad Bonifacium dicunt: *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi: sed propria voluntate aut bonum facere aut malum. In bono vero opere à Dei gratia adiuvari.* Et vice versa ut libertatem tueatur, non sine voluntate nostra ab invitis bonum fieri respondet Augustinus: *Ad hæc respondemus non ex Dei potentia vel in malum vel in bonum* INVITVM ALIQVEM COGI; *sed Deo deserente pro meritis ire, videlicet sponte propriaque voluntate, in malum, & Deo adiuvante sine meritis converti sua quoque voluntate ad bonum.* NON ENIM EST HOMO BONVS SI NOLIT: SED GRATIA DEI ETIAM AD HOC ADIVVATVR VT VELIT. Et adhuc luculentius paulo post: *Quam multi inimici Christi, quotidie subitò Dei occultâ gratia* TRAHVNTVR *ad Christum. Quod verbum si non ex Euangelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset? &c. Quis trahitur si iam velebat? Et tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis* VT VELIT *ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari,* NON VT HOMINES, QVOD FIERI NON POTEST, NOLENTES CREDANT, ut fieri in Catholica doctrina putabant & objecerant adversarii, SED VT VOLENTES EX NOLENTIBVS FIANT. Quod ita fieri Scripturis plurimis statim probat, & ex eis concludit, quod ipsam *Deus operatur in cordibus hominum* voluntatem: quod *voluntatem hominum occultissima & efficacissima potestate* convertit, & transfert ab indignatione ad lenitatem, *hoc est*, inquit, *de voluntate faciendi ad voluntatem faciendi, secundum illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in vobis & velle.* Quibus verbis ne Paulus Apostolus liberum arbitrium exstinxisse videretur, ut Pelagiani somnsabant, ista subijcit: *Numquid homines Dei qui hæc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ista conscripta sunt oppugnant liberum hominis arbitrium?* Sufficientissime putans se liberum arbitrium defendisse, quia quantumcumque Deus efficaciter per gratiam operetur, non nolens aut invitus homo facere cogitur, sed volendo id facit propria voluntate.

Has enim ipsas querelas de labefactata per tractum Dei libertate Pelagiani ingeminant, quando sub adversantium nomine sibi dicit Augustinus: *Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur.* Et iterū inferius: *Cum ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus: qui autem trahitur tanquam invitus cogi videtur, quomodo istam solvimus quæstionem: Nemo venit ad me nisi pater qui misit me traxerit eum? Si trahitur aut aliquis, invitus venit: si invitus venit, nec credit: si non credit, nec venit.* Hæc est enim ipsissima difficultas, quòd gratia liberum arbitrium tolleret, qua territi clamabant Pelagiani, gratiam cogere hominem ad bonum, quod autem coactè fit, non fit voluntatis arbitrio. Vis enim & coactio repugnant voluntati & liber-

Lib. 1. ad Bonif. c. 18.
Ibid.
Ibid. c. 19.
Ibid. c. 20.
Tract. 25. in loco.

tati

tati. Vnde alibi: *Quomodo attrahit Pater ad Christum, si dimittis ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Nec aliter tamen Augustinus liberum arbitrium cum isto tractu in concordiam redigit, nisi declarando quod iste tractus *amantem*, hoc est, volentem facit: *Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore*, id est, voluntate: nempe quia trahitur, ut ex invito fiat volens & amans.

Hanc ipsam libertatis violationem redarguunt Pelagiani, quando in libro secundo ad Bonif. dicunt: *Sub nomine gratiæ istæ fatuum asserunt*, Catholici, *ut dicant, quia nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec a malo declinare nec bonum posset arripere.* Et quando ipsi veluti libertatis patroni ex adverso statuunt, *gratiam adiuvare unumquemque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere.* Sic enim gratiam intelligebant istud studium virtutis reluctantibus immittere, ut reluctantes & inviti facerent quicquid facerent. Nam Augustinus è contrario, ut liberum arbitrium salvet, non sine voluntate nostra studium virtutis ab invitis, sed volentibus suscipi respondet: *Nunc illud est quod debemus advertere, utrum invito & reluctanti homini Deus inspiret boni cupiditatem, ut iam non sit reluctans, non sit invitus sed consentiens bono & volens bonum.* Et in libro quarto ad Bonifacium eadem Pelagianorum verba ponderans: *Posset bene intelligi non ab illis, quorum sensus motus est, dicerentur*, putantium videlicet, hominem dum reluctans & invitus permanet sine voluntate studium virtutis arripere. Vnde ipse sensum Catholicum libertati congruum aperiendo subjicit: *Reluctanti prius adiuvatur divina vocationis ipsa Dei gratia procuratur*, faciendo videlicet ut velit: *Ac deinde in illo* IAM NON RELVCTANTE *sed volente spiritus virtutis accenditur.* Et inferius cum ex precibus à Cypriano commendatis docuisset, Deum in nobis per gratiam operari totum quod bene vivimus: *Numquid iste sanctus*, inquit, *liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod recte vivimus?* Et explicans quomodo non negetur, quasi in invitis & reluctantibus per gratiam operaretur Deus: *Quid ergo petimus nisi ut fiant* EX NOLENTIBVS VOLENTES, EX REPVGNANTIBVS, id est invitis, CONSENTIENTES, EX OPPVGNANTIBVS AMANTES?

Hanc ipsam libertatis quasi voluntatis extinctionem ex gratiæ operatione consequi in libro de correptione & gratia conquerumtur: *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus a malo, & faciamus bonum,* SI HOC NOS NON AGIMVS, SED ID VELLE ET OPERARI DEVS OPERETVR IN NOBIS? Et ex opposito sanctus Augustinus ut libertatem astruat, actionem quidem per gratiam fieri, non tamen sine voluntate nostra profitetur: *Potius intelligant si filij Dei sunt se agi, ut quod agendum est* AGANT, ipsimet scilicet non solus Deus; *&* CVM EGERINT *ipsi-met illi à quo aguntur gratius agant. Aguntur enim* VT AGANT, NON VT IPSI NIHIL AGANT.

Hanc ipsam liberi arbitrij subversionem tanquam totius nostræ voluntatis seu volitionis extinctionem arguunt ex gratia Dei sequi, in sermonibus de verbis Apostoli: *Dicit nobis aliquis* (Pelagianus, nam adversus istos ex professo disputat) *ergo agimur non agimus.* Et è contrario non aliter libertatem arbitrij incolumem manere probat, nisi quia nos non otiosi sumus aut nihil agimus, sed simul aliquid agimus: *Respondeo*, inquit, IMO ET AGIS ET AGERIS. *Et tunc bene* AGIS, *si a bono agatur. Spiritus enim Dei qui te agit,* AGENTIBVS *adiutor est. Ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia &* TV IPSE ALIQVID AGIS. *Agnosce quid poscas. Adiutor meus esto ne derelinquas me, adiutorem utique invocas Deum:* NEMO ADIVVATVR, SI AB ILLO NIHIL AGATVR. Et iterum: SI NON ESSES OPERATOR, ILLE NON ESSET COOPERATOR. Et paucis interjectis eandem libertatem & gratiæ concordiam repetens: *Prorsus hoc credite, hic* VOS AGERE BONA VOLVNTATE. *Quia vivitis, utique* AGITIS: *Non enim adiutor est ille,* SI NIHIL AGATIS: *Non enim cooperator est,* SI NIHIL OPERAMINI. Et inferius iterum omni sole lucidius: *Iam nunc cum auditis quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, nolite vos demittere*; quasi videlicet Deus per gratiam totum ageret, & vos veluti trunci prorsus nihil propria voluntate ageretis: *Neque enim templum suum sic de vobis adificat,* QVASI DE LAPIDIBVS QVI NON HABENT MOTVM SVVM: *levantur, abstructore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi: Et vos tanquam lapides vivi coædificamini in templum Dei. Ducimini, sed* CVRRITE VOS: *ducimini sed* SEQVIMINI. *Quia cum* SECVTI FVERITIS, *verum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis.* Et in alio Sermone, de Iustitia operum loquens quibus impletur lex, simili omnino modo gratiam cum libertate conciliat, quia non illa sola totum nobis dormientibus, sed & nos ipsi nostra voluntate volumus & aliquid operamur: *Sed totum ex Deo: non tamen* QVASI DORMIENTES, NON QVASI VT NON CONEMVR, NON QVASI VT NON VELIMVS. SINE VOLVNTATE TVA NON ERIT IN TE IVSTITIA DEI. *Voluntas*, id est, volitio, *quidem non est* NISI TVA, *iustitia non est nisi Dei. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua* videlicet in alijs. *Sed in te non potest esse nisi* PER VOLVNTATEM TVAM. *Demonstratum est quid agere debeas, iussit lex* &c. Et iterum: *Non enim adhibuisset aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat* (per opera legis de quibus agit) SINE TE. *Ergo fecit nescientem, iustificat* VOLENTEM

Hanc ipsam liberi arbitrij stragem per gratiam Dei, quasi tolleret ex homine omnis voluntatis

luntatis motum, ac de nolente, bonum fieret, graviter arguit in Augustini doctrina Iulianus: *Interrogo ad quem modum liberatæ voluntatis*, secundum doctrinam tuam, *ut bonum semper* VELLE COGATVR, *& malum velle non possit? An ut utrumque possit appetere? Hic tu si responderis ut bonum semper velle cogatur quam sis Iovinianus, sic etiam ipse cognosces.* Sic enim ipse putat everla libertate Deum cogere hominem ad bonum. Cui Augustinus: *Absit ut dicatur à nobis*: SI ENIM COGITVR NON VVLT. *Et quid absurdius quam ut dicatur* NOLENS VELLE *quod bonum est.*

Lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 151.

Hunc ipsum omnino liberi arbitrij interitum tanquam omnis nostræ voluntatis mortem, ex gratia Dei nasci concludunt Pelagiani, in fragmento quodam præclarissimi sermonis quem contra istos hostes gratiæ scripsit: *Quid ergo* NOS FACIMVS, inquiunt, *si nihil habemus in potestate nisi Deus det omnia?* ERGO NON NOS CORONABIT DEVS SED SE CORONABIT. Non possent efficacius exprimere, quid sibi de destructa per gratiam libertate velint. Sed audi quid respondeat Augustinus, & non aliter salvam persistere libertatem doceat, quam quia non instar lapidum agimur, sed etiam simul aliquid agimus nostra voluntate: *Iam videtis*, ait, *quia de illa vena venit* (Pelagiana) *vena est sed venenum habet. Percussa est enim à serpente, sana non est.* Et radicem detegens in præcedentibus ex qua peti debeat, quod non se sed nos coronabit Deus, quia nos ipsi aliquid agimus: *Nisi Deus adiuvet ruminemus.* CONAMVR, *quidem facere* VOLVNTATE, ET NITITVR ALIQVID VOLVNTAS, *non præsumat potestas nisi adiuvetur infirmitas.* Et paucis interpositis multo evidentius: *Quicquid nobis iubetur gratuitum est, ut impleatur, sed non sic ut dimittamus nos, & quemadmodo ægri iaceamus supini, & dicamus fiat Deus escas super faciem nostras, ut* PRORSVS NOS NIHIL AGERE VELIMVS; *& cum esca completa fuerit super os nostrum, dicamus* ITA EST. DEVS GLVTIAT DE NOBIS ALIQVID, ET NOS AGERE DEBEMVS, STVDERE DEBEMVS CONARI DEBEMVS. Ex quibus omnibus Pelagianorum objectionibus de liberi arbitrij subversione per Dei gratiam conquerentibus, & Augustini responsionibus, nihil evidentius esse potest quam Pelagianos, non aliter putasse libertatem voluntatis violari, nisi quia Deus per gratiam totum solus faceret, adeoque hominem invitum & reluctantem ac horum cogeret: nec aliter Aug. liberum arbitrium defendere, & concordiam utriusq; tradere, nisi quia non sola in homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente & repugnante fit volens, & volendo cum gratia aliquid facit.

Epist. 89. ad Hilar.

Epist 105. ad Sixtum.

Ibid.

Epist. 106.

Lib. de gest. Pelag. c. 16.

Epist. 106.

Ibid.

CAPVT SEXTVM

Eadem ex alijs diversis locis Augustini asseritur.

QVOD si & alia divi Augustini loca excutere ac testimonia accersere velim, quibus cuncta ejus opera contra Pelagianos referta sunt, luce meridiana manifestius apparebit, istam quam diximus unicam gratiæ cum libera voluntate conciliationem ab ipso agnitam, probatam, traditam esse Christianis, & ejus solus explicatione hostibus Ecclesiæ satisfacere voluisse. Semper enim hoc unum intuetur, ne solus, aut gratia totum opus sine nostro consensu ac voluntate nobisque invitis quasi cogendo effeciisse videatur. Nam ad prædictas Pelagianorum de destructa libera voluntate querimonias, allatamque à se concordiam respicit, quando dicit, *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuvatur, sed ideo iuvatur quia non tollitur*, hoc est, quia & ipsa voluntas vult & agit. *Qui enim Deo dicit, adiutor meus esto; confitetur se velle implere quod iussit, sed ab eo qui iussit adiutorium poscere, ut possit. Sic & ille cum sciret neminem esse posse continentem nisi Deus det, adiit Dominum & deprecatus est:* VTIQVE VOLENS ADIIT, VOLENS DEPRECATVS EST; NEC PETISSET NISI ESSET VOLVNTAS, id est, volitio. *Sed nisi petisset, quantum posset voluntas?* Eodem respicit, quando in Epistola ad Sixtum dicit: *Quod enim putant* (Pelagiani) *auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem*, id est, ipsum velle, *sine adiutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt, non se firmare humanum arbitrium, sed impellere, ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur.* PARATVR ENIM VOLVNTAS A DOMINO: Hoc est, ipsum velle paratur à Domino, & ita per gratiam non auferitur liberum volendi seu voluntatis arbitrium, quia ipsum arbitrium vult. Eodem respicit apertius in Epistola centesima sexta ad Paulinum quando dicit: *Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, non quia* NVLLVS EST HOMINIS, ATQVE VOLVNTATIS CVRSVS, *sed quia nihil potest, nisi ille misereatur.* Quasi videlicet hoc ipso cursus propriæ voluntatis auferretur, quo tribueretur gratiæ Dei. Nam istud erat Celestij dogma capitale: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat adiutorio.* Ratio erat, quia ajebat *in propria voluntate habet unusquisque aut facere aliquid aut non facere.* Et istud alterum ei simile: *Victoriam nostram non ex Dei esse adiutorio, sed ex libero arbitrio*: quia videlicet verebatur, ne hoc ipso perderet opus propriæ voluntatis, si alieno adjutorio & voluntate fieri crederet. Itaque ad ista dogmata Pelagiana respicit Aug. in illa jam citata Epist. ad Paulin. cum directe ex opposito dicit: *Fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indiget auxilio*, tollensque lapidem istius offensionis ad ijcit: *Fateatur quando contra tentationes, concupiscentiasq; illicitas dimicamus*, QVAMVIS ET ILLIC HABEAMVS PROPRIAM VOLVNTATEM, *non tamen ex illa sed adiutorio Dei nostra provenire victoriã.* Et aliquãto inferius: *Nam & illi* (Iudæi) *quibus sunt isti* (Pelagiani) *in hac causa omnino simillimi, profecto*

SVÆ VOLVNTATIS *vitio non credebant*, hoc est propria voluntate non credebant, & ideo libera voluntate: *Non enim ut essent infideles* COGEBANTVR *invitum, sed* NOLENDO CREDERE, *infidelitatis vitio non credebant.* Eodem respicit, quando in Epistola ad Vitalem explicans quomodo per Dei gratiam *liberetur arbitrium*, ita hoc fieri docet, quia efficit ut legi doctrinæque *consentiant.* Et post nonnulla, *non est volentis neque currentis* &c. NON QVIA VELLE NON DEBEMVS ET CVRRERE, *sed quia ipse in nobis & velle operatur & currere.* Vnde inferius occurrendo murmuribus Pelagianis & hanc concordiam tangens: *Scimus eos qui cordis proprio reduunt in Dominum*, SVA ID FACERE VOLVNTATE, AC LIBERO ARBITRIO. Et postquam quædam attexuisset iterum evidentius: *Quomodo dicuntur negare liberum arbitrium qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum* NON NISI SVA LIBERA CREDERE VOLVNTATE. *cum potius illi oppugnent arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, qua verè ad bona eligenda & agenda fit liberum.* Nempe quia per gratiam à terrenis cupiditatibus arbitrium liberatur, quibus impedientibus non potest bonum velle vel agere. Eodem respicit quando in libro de perfectione iustitiæ contra Cælestium dicit: *Et quid ista orando tanto gemitu petimus, si voluntis hominis & currentis & non miserentis est Dei?* NON QVIA HOC SIBI VOLVNTATE NOSTRA AGITVR: *sed quia voluntas non impiet quod agis, nisi divinitus adiuvetur.* Nam ut nonnihil post subjungit: *Nec adiuvatur nisi qui & ipse* ALIQ. ID AGIT. Eodem respicit quando in libro de correptione & gratia, concordiam liberæ voluntatis & gratiæ traditurus, non solum id quod superius allegavimus dicit, *aguntur ut agant, non ut ipsi* NIHIL *agant*, sed uberius in decursu libri, Pelagianorum suffocans murmura, nihil aliud profert nisi quod gratia fortiter *Domino præparante voluntatem*, eos velle facit: *Quando rogavit ergo* Christus pro Petro, *ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide* LIBERRIMAM, FORTISSIMAM, INVICTISSIMAM, PERSEVERANTISSIMAM, VOLVNTATEM? Vbi *liberrima* non significat indifferentissimam. Absit illud: contrarium enim patet ex epithetis sequentibus, quæ omnia voluntatem uni parti astrictissimam sonant, sed familiarissima sancti Doctoris phrasi, libertrimum significat à concupiscentiis carnis nos captivos docentibus in legem peccati liberatissimum, ut sine omni impedimento terrenæ libidinis retrahente, fortissimè & ardentissimè bonum velit. Itaq; subjungit. *Ecce quemadmodū secundum gratiā Dei; non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatē, & ut perseveret, delectabilem per petuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Quæ indifferentiæ sunt prorsus contraria. Sic ergo gratia liberrimam facit voluntatem, quia vehementissimè voluntatem velle ardentissimeque facit. Nam eodem respicit, quando in eodem libro planius hoc ipsum explicans dicit gratiam efficere ut *Deo donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deseverè invictissimè vellent.* Et uberius de constituentibus Regem David liberum arbitrium cum Dei operatione concilians: SVA VOLVNTATE *utique isti constituerunt Regem David. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt*, Hoc est, non inviti & repugnantes Deo ipsos cogente fecerunt: *Et tamen hoc in eis egit qui in cordibus hominum, quod voluerit operatur.* Ad eadem Pelagianorum querelas suamque concordiam gratiæ & libertatis respicit, quando in libro de prædestinatione Sanctorum cum vehementer gratiam quæ facit credere commendasset, statim occurrens adjicit: *Non quia* CREDERE VEL NONCREDERE *non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed præparatur voluntas à Domino.* Hoc est, sed Deus facit, ut voluntas velit credere. Et in libro secundo de peccatorum meritis & remissione, apertissimè loquens de adjutorio gratiæ Dei: *Nec adiuvari potest nisi qui etiam* ALIQVID SPONTE CONATVR: *quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura, rationem, voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Eadem Pelagianorum imaginationes, ac sæpius traditam à se concordiā gratiæ & libertatis respicit, quando cum illa verba Apostoli citasset; *Omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat seipsum*, tractatu quarto in Epistolam Ioannis dicit: *Videte quomodo non abstulit liberum arbitrium* per prædicationem gratiæ Dei, *ut diceret castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te* NOLENTEM *non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te non de te, sed de illo qui venit, ut habitet in te. Tamen quia* AGI IBI ALIQVID VOLVNTATE *ideo & tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis adiutor meus esto,* ALIQVID AGIS: *Nam si* NIHIL AGIS, *quomodo ille adiuvat.* Sic enim concipi volebant Pelagiani Deum per gratiam in homine operari bonum, ut homo quasi *dormiens*, aut *lapis*, aut *supinus iacens* (quibus cōparationibus jam antea sanctus Doctor usus est) invitus à gratia moveretur, *ipsoque prorsus nihil agente*, alius de seipso aliquid ageret; atque ut idem dicit, nobis quasi supinis jacentibus & cibo super os pluente, *Deus gluttiret de nobis.* Cujusmodi Phantasmatum illusiones, etiam alio quodam excludit loco: *Moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult*, quemadmodum delirare videbantur Manichæi. Vnde & adversus ipsos illud ipsum inculcat, quod homines non aliena sed propria agant loquanturque voluntate: *Datum est*, inquit, *animæ liberum arbitrium: quod qui nugatorys ratiocinationibus labefactare conantur; usque adeo cæci sunt, ut ne ista quidem vana atque sacrilegia propria voluntate se dicere intelligant.* Quasi dicat, si se intelligerent, propria voluntate ista se dicere, jam hoc ipso intelligerent liberum arbitrium.

Epist. 107. In initio.

Lib. de perf. iust. c. 19.

Lib. de Corr. & grat. c. 2

Hist. c. 8.

Ibidem.

Ibid. c. 12.

Cap. 14.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

Lib. 2. de peccat. merit. cap. 5.

1. Ioann. 3.

Tract. 4. in Epist. Ioan.

Lib. 83. qq. quæst. 8.

Lib. de quantitate animæ cap. 36.

Quapropter ut libertatem arbitrij salvam esse sub gratia manifestet, & utramque sibi invicem conciliet, nihil prorsus adversus Pelagianos unquam ostendere conatur, nisi Deum A gratiam non operari solum, sed ut voluntas divinitus adjuta velit, & ita non prorsus nihil, sed aliquid etiam ipsa simul agat.

CAPVT SEPTIMVM.

Eadem ostenditur ex alia querela Pelagianorum.

QVIA verò non exiguum compertæ veritatis argumentum est, quando doctrina quæpiam sibi ex omni parte consentit, ex alio quoque capite ostendi potest, hanc & non aliam tanquam veram & genuinam conciliandi rationem Augustinum agnouisse. Nam quemadmodum gratiam cum libero arbitrio non aliter consentire facit, nisi ostendendo quod gratia non sola facit, sed aliquid etiam voluntas agit; ita è contrario adversus eosdem Pelagianos, liberum arbitrium cum gratia conciliare volens, non aliud ostendit, nisi voluntatem non solam agere, sed gratiam simul afferre influxum suum. Sciendum est enim, quod quemadmodum Pelagiani liberum arbitrium inde colligebant, quia Deus per gratiam bonum opus facere ab Augustino dicebatur; ita è contrario inde colligebant nihil agere gratiam, quia Scripturæ diſertis verbis voluntatis opus exiguunt, nam ista duo utrimque directè repugnantia esse sentiebant. Hanc eorum ratiocinationē sæpius in Aug. scriptis inveniri licet, ut in libro de perfectione justitiæ: *Magnum aliquid pro sua causa se invenenisse arbitratus est apud Isaiam Prophetam quia Deus dixit:* SI VOLVERITIS & audieritis me, *quæ bona sunt manducabitis: si autem noluerits* &c. Et Iulianus cùm plures hujusmodi Scripturas congregasset, ut, *Aut facite arborem bonam* &c. Et: *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Et, *Si volueritis & audieritis me* &c. tandem concludit ex humana voluntate interitum gratiæ, quam Augustinus prædicaverat: *Quomodo ergo tu arbitrium liberum non negas*, dicendo videlicet id per gratiam esse liberandum? Cum his igitur locutionibus liberum voluntatis seu volendi arbitrium perspicuè profitentibus, non aliter conciliat gratiam Augustinus, nisi quia gratia facit velle voluntatem, nihil omninò de indifferentia præsente vel absente satagendo. Nam in libro C de prædestinatione Sanctorum, cùm similem argumentationem Semi-Pelagiani adversus Augustinum verterent: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credant, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi*; ut sic ex eo quod homines ipsi volunt, gratiam ab actu voluntatis credendi tollerent, respondet Augustinus: *Quis hoc ignorat? Quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia Dei, quid de iudicio.* Hoc est, cùm Deus alios faciat velle, alios non, discernendum est quid faciat gratia, quid non. Vnde paulò inferius: *Illi quia voluerunt crediderunt, illi quia noluerunt non crediderunt. Misericordia igitur*, hoc est operatio gratiæ, *& iudicij in ipsis voluntatibus facta sunt.* Quod multis interjectis eodem sensu conciliandi liberam voluntatem cum gratia, quo antea gratiam cum libera voluntate, dicit: *Etsi faciunt homines* & non aliquis alius sine nostra voluntate, *bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant.* Et rursum inferius: *Ideo hæc & nobis ipsis non alijs, præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea facimus*, contrà quàm somniabant ex operatione gratiæ Pelagiani, *Et Deus facit vt illa faciamus.* Et in fine ejusdem libri ea quæ tradiderat in summam colligens: *Probavimus cum Deus vult fieri, quod* NON NISI VOLENTIBVS HOMINIBVS *oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc* VELINT, *eo scilicet inclinante qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Et in libro de dono perseverantiæ, illum ipsissimum conciliandi modum intuetur, capite B decimo tertio: *Nos ergo volumus* (cujusmodi verbis hostes gratiæ, vim operationis ejus ex voluntatis actione subruebant) *sed Deus in nobis operatur & velle: Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate.* Et circa finem libri docet credere Ecclesiam quod ita Deus habeat in potestate cor nostrum, *ut bonum quod non tenemus nisi* PROPRIA VOLVNTATE, *non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle.* Quod etiam significatum cupit, quando non semel docet Spiritum sanctum dici ab Apostolo in cordibus nostris clamare quia clamare nos facit, *Nos enim*, inquit, *clamamus, sed in illo, hoc est in ipso diffundente charitatem*, id est voluntatem. Et in Epistola centesimæ quintæ Christi Domini verba explicans, quibus dicit, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, ut Pelagianas cavillationes liberum arbitrium tolli murmurantes præveniret: *Neque enim*, inquit, *& hoc ita fit* DE NOBIS, *tanquam* NIHIL FACIENTIBVS NOBIS. *Adiutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus fecit.* Et ita similiter exponit Spiritum sanctum dici *clamare quo efficitur ut clamemus*, & interpellare pro nobis, *quia interpellandi & gemendi inspirat affectum.* Et Concilium Arausicanum quando dicit: *Quamvis* VOLENTES AGVNT QVOD AGVNT, *illius tamen voluntas est, à quo præparatur* id est datur *& iubetur quod volunt.* Ecce vides etiam hinc, semper eò redire doctrinam Augustini, ut propterea nos voluntate velle bonum doceat, quia gratia facit velle: nec alia ratione esse opus liberæ voluntatis, nisi quia gratia nos propria voluntate aliquid volentes & agentes facit.

Lib. de perfect. inst. cap. 19.

Lib. 1. contra 2 ol. oper. imperf. fol. 133.

Lib. de prædest. Sanct. cap. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Ibid. c. 20.

Cap. 10.

Lib. de dono pers. cap. 13.

Ibid. c. 13

Serm. 11. de verbo Domini c. 18.

Epist. 105. ad Sixtum.

Conc. Arausic. 2. can. 25.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit, ad oculum demonstratur.

QVOD ut remotâ omni ambiguitatis & obscuritatis nebulâ, manifestissimè cuilibet lectori pateat, cui oculos non clauserit pervicacia, liber de gratia & libero arbitrio perlustrandus est. Cùm enim illum Sanctus Augustinus sub finem vitæ iam diu cum Pelagianis luctatus & eorum assiduis pulsatus de suffocatâ per gratiam libertate querimonijs, ex professo composuerit, ut concordiam liberi arbitrij cum gratia patefaceret, fieri non potest quin omnes nervos in eruendâ demonstrandamq; veram conciliationis vtriusq; radicem exseruerit & quam legitimam arbitratus est, scripto consignauerit. Nam eo solo scopo librum hunc exaratum esse, statim in exordio protestatur: *Quoniã sunt quidam qui sic gratiã Dei defendunt ut negent hominis liberum arbitriũ. aut quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium, hinc aliquid scribere, ad vestram charitatem Valentine frater, & ceteri qui simul Deo seruitis, compellente mutuâ charitate curavi.* Quod etiam ita accuratè præstat, ut à capite usque ad calcem nil aliud agat nisi ut alternatim singula, nunc liberum arbitrium, nunc vicissim gratiam librando & utriusque officia trutinando, ipsa in eandem actionem concorditer, salva utriusque proprietate fluere demonstrentur.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 1.

Videamus igitur quam conciliandi rationem ipse excogitaverit, velut legitimam securissimè proposuerit, docuerit, Religiosis viris istis tanto studio commendauerit, & sub finem eos compellando dixerit: *Repetite assiduè librum istum; & si intelligitis Deo gratias agite: ubi autem non intelligitis orate ut intelligatis. Dabit enim vobis Dominus intellectum.* Quod propter quæstionis istius *difficultatem*, quemadmodũ ijsdẽ scribens Monachis eam appellavit, tenebras dixit.

Ibid. c. vlt.

Epist. 1. ad Valent. & Monachos eum.

Itaque in ingressu statim è sacris literis demonstrandum suscipit, esse in homine liberum voluntatis arbitrium, nec unquam vel semel quærit aut probat illud esse indifferẽs ad utrumlibet, sed hoc unum duntaxat, quod præcepta Dei postulant ab homine, sive tacitè sive expresè, ut *velit* aut *nolit*. Ex quo concludit: *Nempe ubi dicitur noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Et quomodo satis si indifferentia ad utrumlibet libertati necessaria est? Nonne tu ipse doces esse quandam in cælo beatam boni volendi, hoc est, Dei diligendi necessitatem quæ sine voluntate non fiat? Nempe de indifferentia, qualem Scholastici quidam exigunt, nihil omninò S. Doctor sollicitus est, dummodo non alienetur opus à *propria* voluntate. Nam hoc unicum ab ipso toto libro, à capite ad calcem usque respici, intendi, probari, inculcari, ut videlicet non separetur opus ab humana voluntate, quemadmodum vi gratiæ contingere Pelagiani deliras bant, quasi alius, ut ipse loquitur, *de homine* vellet, vel homo *invitus* ac *reluctans* cogeretur. Et in hoc unico concordiam gratiæ & liberæ voluntatis, ab ipso statui, quod arbitrium non instar trunci vacet, aut cogatur invitum, sed simul etiam *aliquid propria voluntate* velit & agat tam est perspicuum & toties repetitũ, ut profectò necesse sit, vel cæcum esse qui non viderit, aut contentiosissimum qui negaverit.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 2.

Nam primò statim post illam conclusionem suam, qua collegerat ex *velle & nolle*, satis liberum arbitrium demonstrari, deliram jugulans Pelagianorũ opinationem, subijcit: *Nec ideo ullum aliquid secundum Deum*, id est aliquid boni, *operatur*, ALIENET HOC A PROPRIA VOLVNTATE. *Quando enim* VOLENS *facit, tunc dicendum est opus bonum.*

Secundò hoc ipsum agit cap. 3. Nam liberum bitrium salvum esse probaturus: *Nolo*, inquit, *vinci a malo, sed vince in bono malum. Et utique tu* DICITVR NOLI VINCI, *arbitrium sine dubio voluntatis eius convenitur.* VELLE ENIM ET NOLLE PROPRIÆ VOLVNTATIS EST. Et initio capitis 4. indicat se istis verbis non tantum arbitrium voluntatis, ut aliquis suspicari posset phrasibus ejus non assuetus, sed etiam liberum arbitrium defendisse.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 3.

Tertiò hoc ipsum agit cap. 4. ubi liberum ararbitriũ ex præceptis non fornicandi asserturus: *Numquid indicant aliud quam liberũ arbitrium?* Et quomodo indicant? *Neque enim præciperentur nisi homo haberet propriam voluntatẽ qua diuinis præceptis obediret.* Et ideo nõ præcipitur ijs qui propria voluntate carent, & in præceptis implendis nihil omninò agere possũt, sicut nihil omninò nos agere, operante in nobis solâ gratia, Pelagiani querebantur. Nam inde est quod

Cap. 4.

Quartò hoc ipsum agit ex Apost. verbis in Epist. 2. ad Corinth. *Rogamus ne in vacuum gratiã Dei suspiciatis.* Subjcit enim: *Vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperant, ut propriam perderent voluntatem?* Hæc enim erat ipsissima Pelagianorum imaginatio, quod opus præceptum gratia sola, aut Deus per gratiam solus *perficeret sanctitatem sine voluntate nostra*, ut loquebantur, ideoq; gratiæ *suæ aliquid imperasset* prontCatholicis exprobrando dicebant, ut supra declaravimus.

Cap. 5.

Lib. de grat. Christi. c. 7.

Quintò hoc ipsum agit cap. 9. dum illa tractat Apost. verba *Deus operatur in vobis & velle & operari*, quæ maximè liberum arbitrium voluntatis tollere videbantur: *Non enim*, inquit, *quia hoc dixit, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est.* Quo pacto igitur tanta Dei operatio cum libero arbitrio conciliari debet? Audi: *Quod si ita esset non superius dixisset: Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem* OPERAMINI vos videlicet non solum

Cap. 9.

Deus. *Quando enim iubetur ut operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium.* Nempe quia impossibile est, ut hoc fiat nihil agentibus nobis, sine nostra propria voluntate. Nam hoc ipsum respicere tum ea quæ toties præcesserunt, tum ea quæ toties adhuc sequuntur, perspicuè probat. A

Sextò enim hoc ipsum agit capite decimo quinto, ubi cùm præmisisset Deum ab hominibus auferre cor lapideum, hoc est duriſſimam voluntatem subtexit statim: *Ne autem putetur* NIHIL *ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: nolite obdurare corda vestra* &c. Et concilians loca quæ postulant præceptum tanquam à libero arbitrio faciendum, & quæ Deum per gratiam hoc facturum pollicentur, non aliter hoc præstat, nisi *quia Deus dat quod iubet, cùm adiuvat, ut faciat cui iubet.* Hoc est, gratia facit & facere (ut non alius quispiam de nobis, sed ipsū liberum arbitrium velit & faciat) & hoc ipso liberè seu per ipsum liberum arbitrium, quia velle nisi liberè, juxta S. Augustinum, nemo prorsus potest. Hoc enim ipsum statim adjcit, *Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona*; ubi voluntatem pro volitione sumi ex pluribus subjunctis per tria tota capita manifestissimum est. B

Lib. de grat. Christ. c. 15.

Septimò hoc ipsum agit capite 20. ubi recolligens breviter id quod egerat, totoque libro sibi agendum proposuerat: *Satis me disputasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua* VOLVNTAS HVMANA NON TOLLITVR, *sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adiuvatur.* Ecce quid in gratiæ operatione adversarijs displicebat, nempe quod voluntatem humanam prorsus tollere, & ideo liberum arbitrium violare videretur. Negat hoc Augustinus & utrumque conciliat, quia gratia mutat voluntatem in aliam, malam in bonam, & bonam adjuvat. Non igitur tollit sed relinquit voluntatem, & ita nullo modo liberum exstinguit arbitrium. Quod vt facilius de operatione Dei per gratiam perciperetur, prolixè probat multis, Deum etiam alijs modis potentissimis in homine operari; qui tamen non lædant liberum voluntatis arbitriū. Non lædere autem sed incolume suo quocumque Dei operatione seruari, non aliter probat nisi quia fiunt ea quæ per ipsos Deus operatur, sua ipsorum voluntate, propria voluntate, non sine voluntate, per voluntatem. C

Cap. 20.

Octavò igitur hoc ipsum Augustinus agit eodem capite vigesimo, quando de hostibus Israëlitarum dicit: *Numquid non hostes Israëlitarum aduersus populū Dei quem ducebat Iesus naue,* SVA VOLVNTATE *pugnarunt? Et tamen dicit scriptura, quia per Dominum factum est confortari cor eorum &c.*

Ibidem.

Nonò hoc ipsum agit, quando ibidem de Semei dicit: *Numquid non* SVA VOLVNTATE *homo improbus filius Iemini maledicebat Regi Dauid? Et tamen quid ait David plenus verâ & altâ & piâ sapientiâ? Dimitte eum ut maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere Dauid.* D

Ibidem.

Decimò hoc ipsum agit in eodem capite, quando de Absalon dicit: *Numquid non* SVA VOLVNTATE *Absalon elegit consilium quod sibi obeerat? Et tamen ideo fecit quæ exaudierat Dominus eius patrem orantem ut hoc fieret.*

Ibidem.

Cap. 21.

Vndecimo hoc ipsum agit in capite vigesimo primo, quando de Roboam dicit: *Vnde hoc* quod Roboam *respuit consilium salubre seniorum, nisi* PROPRIA VOLVNTATE? *Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus, ut irati Dei voluntas fieret*; quia videlicet *conversio erat a Domino*, ut verbum Ahiæ Silonitæ impleretur. Quibus iterum subjungit Augustinus: *Nempe sic factum est & illud* PER HOMINIS VOLVNTATEM, *ut tamen conversio esset a Domino.*

Duodecimò hoc ipsum agit in eodem capite paulò post, quando de Philisthim & Arabibus quorum spiritum Deus suscitaverat in tudæam irrumpentibus dicit: *Numquid Philisthim & Arabes in terram Iudæam dissipandam* SINE SVA VOLVNTATE *venerunt? Aut sic venerunt* SVA VOLVNTATE *ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitavit?*

Lib. de grat. Christi. 21.

Decimo-tertio hoc ipsum agit, quando difficultatem illam de Arabibus propositam, liberum arbitrium cum Dei operatione conciliando sublevat: *Imo utrumque verum est, quia* & SVA VOLVNTATE *venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitavit. Quod etiam sic dici potest, & eorum spiritum Dominus sujcitavit, & tamen* SVA VOLVNTATE *venerunt.* Ratio conciliationis est, non quia arbitrium indifferens, sive ad contraria sive ad contradictoria permanet, sed quia per Dei operationem accipit ipsum voluntatis motū, & sic ipsum arbitriū, non alius operatur: *Agit enim, inquit, omnipotens in cordibus hominum etiam* MOTVM VOLVNTATIS *eorum*, ut non solus aut per alios, sed PER EOS AGAT, *quod per* EOS AGERE *ipse voluerit.* Quod prolixius probat in sequentibus, semper ita servans liberum arbitrium sub operatione Dei, quia Deus quodcumque vult, sive timorem sive fiduciam, quo *timent aut fidunt homines*, ETIAM IN CORDIBVS *hominum operatur.* Vnde generali sententiâ concludendo docet, ex ijs quæ protulerat Scripturæ testimonijs manifestari: *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas* EORVM VOLVNTATES, *quocumque voluerit*, ne videlicet putaremus liberum arbitrium voluntatis seu volendi violari, ubi Deum audimus ipsas voluntates ipsumq; motum cordis operari.

Ibidem.

Ibidem.

Decimo-quartò hoc ipsum agit, quando de induratione Pharaonis, quem Deus induraſſe legitur dicit: *Nec ideo feratis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego induravi Pharaonem*, quasi videlicet istâ phrasi significaretur Deum hoc tantū, nihil verò Pharaonē agere. Sic enim rationem reddit: *Non enim propterea* IPSE PHARAO *non induravit cor suum.* Quod cùm Scripturis probaviſſet: *Ac per hoc*, inquit, *& Deus induravit per iustum iudicium, &* IPSE PHARAO *per liberum arbitrium.*

Cap. 23.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Declaratur hoc ipsum ex concordia motuum concupiscentiæ & liberi arbitrij ab Augustino tradita, ex quibus Pelagiani similiter querebantur liberum arbitrium extingui.

NEc verò in bonis tantum actionibus, vi gratiæ Pelagiani liberum arbitrium tolli querebantur, sed etiam in malis. Augustinus enim, quemadmodum omnia bona ad Dei gratiam referebat, per quam Deus omnia quæ ad pietatem pertinent operabatur in nobis, ita quoq; omnia mala quæ post lapsum Adæ peccando perpetrantur, ad indomitam illam concupiscentiam & ignorantiam, quę supplicia primi peccati sunt, velut ad duos exitiales fontes reducebat. Ex quo fiebat, ut non minor Pelagianis occasio querimoniæ offerretur, quod concupiscentia tolleret peccandi liberum arbitrium, quam gratia bene vivendi. Vtrimq; enim non ipse homo, sed vel Deus, vel diabolus de ipso homine, *nihil prorsus agente*, vel *invito* ac *nolente* operari videbatur, atq; ita tollere voluntatis, & per hoc etiam liberæ voluntatis arbitriũ. Hinc Iulianus Augustino sæpius ex isto capite liberi arbitrij iubertionem exprobrat, quando

Lib. 2. contr. Iul. oper. imperf. fol. 216.

B cum docere asserit, quod *lex peccati habitans in membris captivũ hominẽ* COGAT *servire criminibus, nõ castigatione in increpationibus sed misericordia dignum rem, quandoquidem quod nos* (Pelagiani) *vitia gravia volũtatis esse dicimus, id in Ecclesia à viris & fœminis, magnisq; Pontificibus originalu passio nuncupatur.* Et alibi dicit Augustinũ *delicta voluntatis imputare naturæ, ut nunquam quis emendare conetur, quod*

Ibid. f. 221. *sperat* (vel ut Aug. eius verba repetit) *quod* SCIT IN SE ALTERVM PERPETRARE. Nempe hoc vult in Aug. sententia, non ipsum hominem, sed in ipso homine alterum quempiam perpetrare peccatũ, quemadmodum dicebant Manichæi non hominem, sed naturam malam homini commixtam peccata perpetrare. Quam ob causam Augustino etiam non semel Manichæismum destructæ libertatis imponit. Et multò inferius asserit Augustinum hac doctrinã de concupiscentia ex Adamo transeunte per quam peccatur, *Ipsam arbitrij libertatem unius*

C *peccati impulsione subruere, ut nemo deinceps in potestate haberet, vetera crimina virtutis electione respuere, sed uno omnes in condemnationem eversa humanitatis torrente raperentur.* Ad has acerbas Pelagianorum invectivas, nihil aliud iterum iterumq; respondet Aug. nisi falsum esse quod querebantur, eo quod non in homine alius, sed ipse homo propriâ voluntate ac delectatione peccaret. Sed propria tam objicientium quam respondentis verba videamus. Idem igitur Iulianus in eodem libro sic Augustino destructionem libertatis improperat: *Delectat* (Augustinum) *studiorum crimina officia vocare membrorum, Catholicam hanc fidem esse, ut liberum confiteatur arbitriũ, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonũ velle nõ possit.* Sed quid pro peccandi libertate permanente Augustinus? Nihil

Lib. 2. contra Iul. oper. imperf. fol. 215.

A aliud nisi: *In malum voluntas libens vergit vitio, à propter quod est sananda natura.* Et libro primo ad Bonifacium sic objicit idem iste Iulianus: *Dicunt isti Manichæi* (id est, Catholici) *quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo iam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ* NECESSITATE COGANTVR. Nec ad hoc ipsum aliud respondet Aug. ut liberum salvet arbitrium, nisi hominem non cogi, sed libenter cum delectatione, & ideo propriâ & liberâ voluntate peccare: *Liberum arbitrium*, inquit, *usq; adeo in peccatore non periit ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet quod ei liber.* Et longè manifestius in sequentibus expressis verbis eorum calumniã suffocare contendens: *Sed in malo liberum habet arbitriũ.* Quomodo, qua ratione, qua indifferentia ad utrumlibet? Audi: *Cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inserit, vel sibi ipse persuasit.* Et concludendõ, clarius colligens id quod dixerat, nec aliter liberum arbitrium in peccando quàrendũ esse significans, nisi quia vi delectationis istius quam dixerat, non aliud quispiam cogens hominem, sed ipse homo delimitus propriâ voluntate peccatum facit, continuo subijcit: *Non itaque sicut dicunt nos quidam dicere, & esse audes insuper scribere, omnes in peccatis velut invitis carnis suæ necessitate coguntur: sed si tam in ea ætate sunt ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato* SVA *non aliena* VOLVNTATE *retinentur, & à peccato in peccatum* SVA VOLVNTATE *præcipitantur.* Et rursum causam istius reddens, & eandem concupiscentiæ cum libertate concordiam tangens: *Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum*, non ipse diabolus vel caro hominum, sed ipsimet homines, VOLVNTATE *committant, vel ignorantiâ veritatis, vel* DELECTATIONE *iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis.* Sed quomodo igitur, inquies, voluntas ista libera est ad peccandum & non peccandum, si solum eatenus libero peccatur arbitrio, quia homo peccato delectatur, atque ideo suâ voluntate delinquit? Respondebit Augustinus, se nihil omninò de tali indifferentiâ libertate esse sollicitum, sed eatenus liberam esse, ut ibidem dicit, quia est *liberâ à justitia*, hoc est, quia arbitrium non impeditur à justitia, quin ipsummet voluptate peccandi delectatum propriâ suâ voluntate peccet.

Nam citatis Apostoli verbis: *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ*, mox subjungit: *Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate servire. Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis.* Et inferius: *Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera*

Ibid. Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib. 2. ad Bonif. c. 2.

Ibid.

Ibid. c. 2.

Cap 3.

in bonis non est, quia liberata non est, videlicet à dilectione peccandi quæ impedit ne volendo versetur in bonis, & opus bonum ex cælesti delectatione, ideoque propriâ voluntate operetur. Quæ sanè sicuti capitaliter adversantur indifferentiæ ad utrumlibet, ita determinationem potiùs voluntatis ad unum evidenter probant. Delectatio quippè non indifferentem facit voluntatem, sed indifferentiam ad alteram partem vehementissimè trahit.

Hinc est igitur, quod cùm Iulianus ceteriq́ue Pelagiani postularent mordicus ab Augustino, ut indifferentiam ad bonum & malum libero arbitrio ante gratiam concederet, quatenus peccare posset & non peccare, atque istâ ratione libertas arbitrij salva esse posset, mordicus è contrario sanctus Augustinus concedendum neget. Quod usque adeo ipse verum esse putat, ut oppositum velut errorem improbet, apertissimèque aliquoties tradat esse in hominibus *peccandi necessitatem*, & in ista necessitate peccandi, *non esse securitatem*, conscientiæ, quasi non esset peccati rea, voluntatem jàm ita peccare ut *non sit ei liberum à peccato abstinere*, quod Adamo liberum fuit, nec tamen idcirco definere esse peccatũ. Hæc & hujusmodi apud Augustinum frequentissima sunt, & à nobis ex professo demonstrata, quibus propterea repetẽdis non est hic immorandum, ne lector nimiâ prolixitate fatigetur.

Vide lib. 3. de statu naturæ lapsæ à c. 2. usque ad 14. imo pene toto.

Ex quibus profectò omnibus, duo nisi me fallit, perspicuè colliguntur. Primum verissimum esse quod initio proposueram: Pelagianos non alia de causa adversus Augustini & Ecclesiæ doctrinam tantos clamores excitasse, quibus liberum arbitrium sive per gratiam, sive per concupiscentiæ vim subverti & exstingui querebantur, nisi quia ex utraque parte opus bonum & malum videbatur eis non ab ipso homine propriâ voluntate, sed homine *nihil agente*, *ab alio per ipsum* operante *sive cogente* fieri. Secundum non aliter Augustinum istas querimonias compescuisse, quam ostendendo deliram cogitationem eorum, eo quod gratia efficeret, ut homo non instar *lapidis, dormientis*, aut *supini iacentis*, invitus, nolens, repugnansque traheretur ad bonum, sed *propria voluntate* vellet & faceret; ita videlicet ut si ante esset invitus, & nolens & repugnans gratiâ operante volens fieret, atque ita *non nihil ageret*, nec *sine propria voluntate* bonum operaretur. Eodem modo Augustinum tradere, quod non ut Iulianus dixerat, homo *carnis necessitate peccare cogeretur*, vel *peccatum in homine alter perpetraret*, sed quod concupiscentiæ delectatione mulcente propriâ sua voluntate peccaret. Quæ conciliandi ratio in Aug. scriptis ita perspicua est totiesque frequentata, ac tantum silentium istius indifferentiæ contradictionis, tanquam libertati necessariæ, de qua nunc vehemens disceptatio est, ut ad salvandam arbitrij libertatem sub gratia nunquam eam vel semel adhibuerit, in universis suis adversus Pelagianos lucubrationibus. Vt meritò suspicari aliquis posset, istam libertatis rationem, de qua tantoperè contenditur, esse meræ Philosophiæ fœtum, & à nullis antiquis gratiæ defensoribus, Augustino, Prospero, Fulgentio sub nomine libertatis arbitrij propugnatam, requisitam, agnitam fuisse.

CAPVT X.

Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad vnguem docuerunt discipuli S. Aug. & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper.

QVod ut uberius constare possit, operæ pretium est etiam ex S. Prospero, & Fulgentio, ceteriśq; PP. omnibus, qui hostibus gratiæ restiterunt, non alio quoque pacto Pelagianorum querelas de subversâ libertate cõpressisse, quam quo Magister eorum Aug. cõpescuerat. Quod quidem S. Prosper tantâ claritate, & inculcandi assiduitate præstitit, ut mirũ sit, si quis auditis tãtummodo verbis ejus, amplius de sensu sive Pelagianorum, liberum arbitrium destrui vi gratiæ causantium, sive S. Augustini dubitationem amovere, quæstionemq́ue possit.

Nam in primis in Epist. ad Rufinum, quam defendendi S. August. causa, & explicandi sensus ejus, præcipuè scripsit, cùm de hostibus gratiæ graviter questus esset, quod *scripta eius, quibus error Pelagianorum impugnatur, infament, dicentes eum liberũ arbitrium penitus submovere*, tandem sub finem Epist. ad illam calumniam abstergendam veniens *nimium verò ineptè*, inquit, *nimiumq́; inconsideratè ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam libero* NIHIL RELINQVATVR *arbitrio*. Ecce adversantium querimonia, quod libero nihil relinquatur arbitrio hoc est, ut Aug. dicebat, quod sine voluntate nostra per gratiam totum fieret. Quid verò ipse respondeat ad eorum ora obturanda porrò videamus. Primo fatetur hoc in parvulis esse verum, *In quibus*, inquit, *manifestissimè nullum opus, nullusq; appetitus eorum voluntatis existit*. Deinde de majoribus ita subijcit: *Si eam filiorum Dei partem quæ ad pietatis operа reservatur pio consideremus intuitu, nonne in eis non peremptum inveniemus liberum arbitrium sed renatum?* Et quomodo non peremptum, die sodes, sancte Prosper, explica, an quatenus manet indifferens sub gratia vt velit & nolit, ut agat & non agat? Neutiquam, sed ex eo quo S. Aug. explicuit modo, quatenus gratia efficit ut liberum arbitrium aliquid agat, donando ei ipsum velle & benè agere & perseverare: *Quod utique cùm solum esset sibiq́; permissum, non nisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excæcaverat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est non eversum, & donatum est ei aliter sapere, aliter agere.* Et iterum uberius: *Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed per se malus, per Deum bonus: qui eum ita in illum initialem honorẽ, alio initio reformavit, ut ei non solum culpã malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiam* BENE VELLE, BENE AGERE, ATQVE

Prosp. in Epist. ad Rufinum non procul ab initio.

Ibid. sub finem Epist.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

ATQVE IN HIS PERMANERE DONARET.

Ecce & hic non aliter liberum salvat arbitrium, nisi quia gratia sic operatur in ipso voluntatis arbitrio, ut non ipsum otiosum sit, ac nihil prorsus agat, sed ut ei velle & agere largiatur. Cui sensui conformiter eandem doctrinam sæpius pœnè in omnibus suis operibus tradit, ut in sententia 6. quam responsionibus ad Capitula Gallorum subijcit: *Arbitrium hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam revocat & reducit, ut quod sua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum,* hoc est, per gratiam accipiat voluntatem, seu velle rectum. Sic enim seipsum explicat in ipsa responsione ad Capitulum 6. ex quo ista sententia explicata est: *Cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratia; in malis autem voluntas intelligenda sine gratia:* quibus verbis declarabat falsum esse capitulum quod objecerat secundum Augustini sensa: *Liberum arbitrium in homine nihil esse*, & verum esse quod ipse replicuerat: *Liberum arbitrium nihil esse vel non esse perperam dicitur.* Et in libro quem eruditissimo carmine de ingratis exaravit, plenissimè sensum querelæ Pelagianæ tradidit.

Hic vanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes,
Currere currentum, si non & velle volentum est,
Nec vitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
Si vel naturam obstrictum mala velle necesse est,
Vel nostro asseribi nequeunt bene gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt eademq; perorant,
Vestri illi quorum ructatis verba magistri?

Pelagiani videlicet. Cui querelæ sic respondet, ut dicat, tam in malis quàm in bonis nostram manere & agere aliquid voluntatem, & ideò non tolli liberum arbitrium:

——— Manet ergò voluntas
Semper amans (id est, volens) *aliquid quò se ferat &c.*

Et manifestius iterum sub finem istius operis.

Siquid enim recti gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus, tu corda moves: tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis, servans largita, creansq;
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non tamen hoc curam minui; studiumq; resolvi
Virtutum, aut opus ingeny torpere putandum est,
Quod bona sanctorũ tua sunt, aut quicquid in illis
Aut sanum aut validum est, de te viget, ut videatur
NIL ACTVRA HOMINIS, TE CVNCTA GERENTE, VOLVNTAS

Ecce & hic luculentè exprimit, hoc adversarios gratiæ veritos conquestosq; quod voluntas hominis nihil actura, sed prorsus exstincta foret, si Deus cuncta gereret.

Simili planè modo declarat hoc ipsum in libris de vocatione gentium: *Nec quia Spiritu Dei agitur; ideò se putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis depravatum est. Quod ergò non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus sanatur, non natura removetur.* Nimirum nihil aliud agit, nisi ne voluntas qua volumus aut peccato, aut gratiâ sublatâ crederetur, ut non nos, sed alius de nobis ageret. Sic enim utramq; partem declarat. Nam peccato non esse amissam voluntatem probat, quia *à diabolo cùm homo spoliaretur non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est, quia nec detrudi ab innocentia statu posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergò naturâ erat bona, qualitate facta est mala: & ille animi motus, qui nunquam potest sine* ALIQVO *esse* AMORE, *hoc est sine* ALIQVA VOLVNTATE *non perdidit appetitum, sed mutavit affectum.* Spiritu quoq; Dei agente non perdi liberum arbitrium ibidem probaverat, quia *sic sanat vulnera sauciati, ut quod in ipso agit, etiam* PER IPSVM *geratur.* Hoc est non sine ipsius propria voluntate. Quod inferius explicat, quia *transit animus de voluntate in voluntatem.* Vnde in alio loco adhuc evidentius hoc exponens: *Hanc abundantiorem gratiam ita credimus atq; experimur potentem ut nullo modo arbitremur* VIOLENTAM, *quo quicquid in sanandis hominibus agitur* EX SOLA DEI VOLVNTATE PERAGATVR: Vnde copiosè demonstrat, quod *nihil virtutis sine consensu nostræ voluntatis habeatur*, & quod *gratia præparat voluntatem*, hoc est facit velle. *Nam*, inquit, *virtus* NOLENTIVM *nulla est, nec potest asseri vel fidem vel spem vel charitatem eis inesse, quorum ab* HIS BONIS CONSENSVS ALIENVS EST. Quid apertius desiderari potest quo percipiamus, non aliter liberum arbitrium incolume permanere, quàm quia gratia non violenta est, ita ut opus bonum sine voluntate nostra, sine consensu nostro non per nos, sed sola Dei voluntate peragatur?

Quæ quamvis manifestiora sint, quàm ut ullius amplius declarationis indigeant, hoc ipsum tamen non abs re fuerit ex libro quem contra Collat. scripsit patefieri. Nam in illo ex proposito, vim gratiæ & libertatis humanæ ponderat, & sæpius quomodo illa sine hujus præjudicio operetur, ostendit. Cùm itaque Collator passim dictitaret in Collatione 13. quasi vim gratiæ commendare volens, quod Deus quosdam *resistentes ac longe positos vocet invitosq; attraheret ad salutem*; atq; hinc astrueret Pauli & Matthæi *coactivam conversionem*, Zachæi & latronis *voluntariam*, ut ita quod Pelagiani generaliter per gratiam auferri liberum arbitrium querebantur, hoc ipse in quibusdã tantum fieri persuaderet, plurimis modis utrorumq; deliras suspiciones jugulat, & concordiam gratiæ & liberæ voluntatis tradit. Primò enim non procul ab initio libri, occurrere volens querelis adversantium, qui gratiam invitum nolentemq; cogere dictitabant, ita gratiam cum libera voluntate conciliat: *Qui Deus vocatum ad filium trahit, non resistentem, invitumq; compellit, sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis obediendi delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat, inde fidat, unde diffidebat;* INDE VELIT VNDE NOLEBAT. Et nonnullis interpositis hoc ipsũ expressius: *Non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei, nec* VOLVNTAS AVFERTVR, *cum in ipsa bene velle generatur. Nam fideò non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate filij Dei, perdunt vigorem rationalis animi, &*

omni voluntaria devotionis laude privantur quibus
Ibid. c. 25. datur piorum sapientia. Et iterum inferius: Hac regula nullo hominum AVFERTVR VOLVNTAS, quia virtus gratia non hoc in voluntatibus operatur VT NON SINT, sed ut ex malis bona, & ex infidelibus sint fideles. Et multo post, cùm Cassianus quæstus
Cap. 27. esset, homini non permitti liberum arbitrium, si nihil posset velle bonum, sed ei totum gratia largiretur, occurrit isti Prosper querimoniæ, quod homo nec ad principia salutis propriâ virtute emitatur; sed agit hoc, inquit, occulta & potens gratia Dei. Modum adjicit sine liberi arbitrij læsione; non ut invitum hominem subigat, sed ut
Cap. 26. subjectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemq; præcedat. MANENS ENIM LIBERVM ARBITRIVM, quod utique cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non à seipso, sed à Creatore mutatur, ut quicquid in eo in melius reficitur, NON SINE ILLO FIT, qui sanatur, nec nisi ab illo qui medetur. Rursum in fine libri capitalem querelam de prostrato per gratiam libero arbitrio refricans, explicans, refutans & gratiam cum libertate concilians: Non conturbat nos superbientium inepta querimonia, qua liberum arbitrium causantur auferri, si & principia & profectus & perseverantia in bonis usq; in finem Dei dona esse dicuntur: quoniam opitulationes divinæ gratiæ, stabilitæ sunt voluntatis humanæ. Hoc est, non auferunt, sed potius tribuunt ac stabiliunt liberũ
Ibid. c. 38. arbitrium: quod non aliter verum esse declarat, nisi quia volentes operamur, quicquid gratia præstante operamur. VOLENTES oramus, & tamen nosit Deus Spiritum in corda nostra clamantem Abba Pater. VOLENTES LOQVIMVR: & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis. VOLENTES diligimus Deum & proximum; & tamen charitas ex Deo est. Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum profitemur &c. Et quod liberum arbitrium naturaliter homini inditum maneat in natura, sed qualitate & conditione mutatâ per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, qui ipsam voluntatem ab eo quod perversè volebat avertit, & in id quod ei bonum esset velle convertit &c. Quam conciliandæ gratiæ & liberæ voluntatis methodũ etiam in Epist. ad Demetriadem virginem tradit: An forte verendum est ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ præparatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Probat autem quod non tollatur, operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, ut non aliud quippiam, sed ipsa, voluntas peccato corrupta, vanitatibus obrita, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opera misericordis medici revalescat, ut videlicet ipsa velit bonum, quæ ante volebat malum. Itaque cum declarasset, quod Dominus suâ potentiâ in homine operatur, ut bonum operemur, subdit: Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus, alienari quidem non potest à PROPRIA HOMINIS VOLVNTATE: siquidem nihil recte faciet, nisi quod VOLENS egerit; sed ut ad id quod aquirendum & utile est anima tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur. Quam conciliandi utriusque rationem planissimâ illustrat similitudine, qua nemini dubitationem aliquam de sensu conciliationis istius reliquam facit: Et sicut arte medicâ fit in oculis caligantibus, ut possint videre quod non videbant, nec tamen NON IPSORVM EST visio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum S. acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosa iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt, NEC TAMEN NISI IPSARVM ERIT, quicquid fulgoris acceperint. Quod de illo dilectionis igne cœlitus misso, quo accenditur animus, statim explicat. Quæ omnia perspicuè sanè patefaciunt, nullam aliam in tot testimonijs concordiam gratiæ & liberæ voluntatis Prosperum tradere aut agnoscere, quando eam quæ secundùm Catholicam doctrinam vera legitimaq; est, ex professo tradit, nisi illam ipsissimam quam August. contra Pelagianos docuit, quatenus videlicet gratia non sola, neque Deus suâ voluntate solâ, sine voluntate nostrâ bonum operatur, quasi hominem invitum reluctantemq; per violentiam cogeret, sed ita agere in libero arbitrio, ut nostrâ propriâ voluntate velimus, volentesque operemur, ita ut nostra sit voluntas, non alterius, quia virtus nolentium nulla est.

Prosp. Epist. ad Demet.

CAPVT XI.

Item Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius & Petrus Diaconus.

NEC alio modo gratiam cum libero arbitrio conciliandâ putavit S. Cyrillus Alexandrinus, Augustino & Prospero coætaneus. Nam illa verba
Tom. 5. S. Ioannis tractans, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum, quibus liberum arbitrium tolli videbatur, quemadmodum Pelagiani etiam contra Aug. vociferati fuerant, eodem prorsus modo, ut August. eos refutaverat, præoccupat suspiciones istas hominum imbecillium, nec liquidè concordiam operationis simultaneæ penetrantium: Non quum dicat, neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eũ,
Cyrill. Alex. l. 2. in Ioan. c. 6. VI QVADAM COGI TRAHIQ; credentes, putandum est, sed monitione, doctrinâ, revelatione ineffabiliter facta. Quomodo & August. alicubi loquitur, dum gratiam vocat doctrinam, quæ altius & interius cum ineffabili suavitate insunditur. Et paulò post in eodem loco, eandem gratiæ & liberæ voluntatis cooperationem Cyrillus explicans: Ubi auditus, disciplina, doctrinaq; adest, ibi fides NON VI, sed persuasione oritur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præstatur, NON VI Christum fideles agnoscunt. Et quare non vi? Pergendo respondet: Non enim possumus secundum Ecclesiæ veritatisq; dogmata liberam potestatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) ullo modo negare.

Aug. lib. de grat. Christi c. 13.

Cyrill. ibid. c. 7.

Eandem

Eandem ipsam liberi arbitrij & gratiæ concordiam S. Fulgentius, Augustini genuinus discipulus docuit, & quotquot inter antiquos post eum, gratiam cum libertate conciliare studuerunt. Et quidem de S. Fulgentio res extra controversiam est. Sic enim lib. de incarnatione & gratia loquitur: *Quæ gratia humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non removetur, sed illuminatur, non evacuatur, sed adiuvatur & servatur arbitrium: ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem: in quo errabat, eodem in viam redeat: in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen, & ubi fuit iniquus serviens immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratiâ præventus atque adiutus serviat iustitiæ in sanctificationem.* Ecce & hic nihil aliud ad concordiam postulat, nisi ut actio non minus bona quam mala, ab eadem voluntate proficiscatur. Sic enim efficaciter probatum putat, gratiâ humanum arbitrium non esse sublatum, quemadmodum tolleretur, si gratia hominem invitum violentè cogeret. Eodem modo Petrus Diaconus cum ceteris ex Oriente Romam destinatus, concordiam liberi arbitrij cum tractu gratiæ se intelligere profitetur, quando ad S. Fulgentium scribit, quod hominem *Pater ad veram attrahit libertatem* NON VIOLENTA NECESSITATE, *sed infundendo suavitatem per Spiritum S.* Vt videlicet quemadmodum præmiserat *falsa libertas voluntatis per gratiam ab occupationibus humanis aversa, posset ea cogitare & desiderare quæ pertinent ad vitam æternam.*

Fulgent. lib. de incar. & grat.

In lib. Pet. Diac. ad Fulgent. c. 6.

CAPVT XII

Sanctus Gregorius, Beda, Sanctus Anselmus.

SED quid pluribus opus hac de re, post tam densam testimoniorem omnis generis grandinem, quam Augustini, Prosperi, Fulgentij, trium videlicet integerrimorum gratiæ defensorum scripta subministrarunt? Quod si tamen ceterorum Latinorum excutere monumenta liberet alicui aut vacaret, usque ad ætatem Scholasticorum, ne unus quidem arbitror, inveniendus est, qui aliter gratiæ influxum cum libertate conciliari, quam Aug. Prosp. & Fulgent. fecit hoc est, quia non sola gratia facit opus, renitente, invita, coacta voluntate, nec arbitrium instar trunci agitur aut vi necessitatis cogitur, sed gratia facit, ut etiam liberum arbitrium aliquid agat, & voluntario motu feratur in bonum. Ad me quod attinet, quotquot antiquiores hac de re tractantes videre potui, istum & non alium salvandæ libertatis & conciliandæ cum gratia modum tetigerunt.

In primis sanctus Gregorius Magnus in libris moralium, cum exponere vellet, quo pacto S. Paulus diceret se plus omnibus laborasse & mox adjiceret: *Non ego autem sed gratia Dei mecum*, sic ista duo in concordiam adducit: *Non enim diceret mecum, si cum præveniente gratiâ subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo sine gratia nil esse ostenderet, ait: Non ego. Vt verò se cum gratia operatum esse, liberum arbitrium demonstraret, adjunxit, sed gratia Dei mecum.* Nempe nihil omninò aliud ostendit, quam Augustinus clarius dixit, liberum arbitrium operante gratia non fuisse perditum aut exstinctum, sed simul aliquid cum gratia esse operatum.

Post sanctum Gregorium Venerabilis Beda solam coactionem tollit à gratia & prædestinatione, ut cum libero arbitrio cohærere posse credatur: *Prædestinatio Dei*, inquit, *nullâ vi cogit nos ad bonum vel malum &c.* Et inferius: *Sicut ergò prædestinatio ad mortem non cogit malos, ut pereant; sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos, ut salventur. Sed cum Dominus bonos ad vitam prædestinavit, ita eos prædestinavit, ut ipsa sua prædestinatio meritis & precibus nostris obtineatur.*

Lib. 36. mor. cap. 11.

Beda lib. quæst. variar.

A Quod nihil est aliud quam quod prædestinatio per gratiam quam largitur voluntati, non cogit eam, sed facit ut per eam ipsa voluntas operetur, & mereatur, & preces fundat Deo, & ita quod prædestinatum est, impleatur.

Sanctus Anselmus inter Scriptores acutiores non postremus, tam gratiæ quam concupiscentiæ motus, ita cum libera voluntate cõciliat, ut utrobique expers coactionis maneat: *Quoniam*, inquit, *voluntate quisq; ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non incõvenienter trahere vel impellere dicitur Deus, cum talem voluntatem dat, in quo tractu vel impulsu nulla violentia necessitas, sed acceptæ bonæ voluntatis spontanea & amata tenacitas.* Et in lib. de libero arbitrio, explicans quomodo tentationis vehementia cum libertate consistat: *Nemo illam (iustitiam) deserit nisi volendo. Si ergo invitus dicitur volens, nemo deserit illam invitus. Ligari enim potest homo & invitus, quia nolens, potest torqueri invitus, quia nolens potest occidi: velle autem non non potest invitus, quia non potest velle nolens velle nam omnis volens ipsum summ velle vult.* Et infra *Quomodo itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas sine suo assensu subjicere non potest?* Vbi paucis nervosisq; verbis ipsissimam radicem tetigit, quam omnes isti quos allegavimus antiqui Scriptores respexerunt; ut ideò liberam voluntatem esse decernerent, quia cogi, quia domari, quia servitute deprimi, quia subjugari aliena potestate, sine proprio suo assensu & arbitrio, quo probet id quod acceptndum aut sequendum fuerit, nullo pacto potest. Vnde iterum infra declarat se patefecisse: *Omnem rem liberã esse, ab ea re à qua cogi non volens aut prohiberi non potest.* Et, *Quod tentatio rectam voluntatem non nisi volentem aut ipsa rectitudine prohibere, aut ad id quod non debet, cogere potest, ut illam velit. & istud nolit. Cum ergo vincitur, non aliena vincitur potestate sed sua. Impugnare namq; potest invitam voluntatem, expugnare nequit invitam.* Quæ omnia evidentissimè demonstrant, non aliter Anselmi judicio, prædestinationis, & gratiæ, & tentationis motus cum libertate conciliandos, nisi quia voluntatem non invitam cogunt, sed faciunt, ut ipsa

Anselm. lib. Cur Deus homo c. 10

Lib. de lib. arb. c. 5.

Ibid. c. 6.

ut ipsa suo quoque proprio motu & consensu aliquid velit, & ut arbitrium gratiam imperantem suâ consensione subsequatur. Quod alio in loco apte expressit: *Notandũ quod superna pietas agit aliquid in nobis, sine nobis, ut subsequente quoq; nostro libero arbitrio, bonum quod tam appetimus agat nobiscum*; non videlicet sola gratia quasi volũtate instar lapidũ careremus, iuxta quod Apostolica verba: *Gratia Dei mecum*, explicãdo subjungit: *Non enim diceret (mecum) si cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet.* Quæ verba ex sancto Gregorio desumpta sunt.

In Ep. 1. ad Cor. c. 15.

CAPVT XIII.

Sanctus Bernardus, & amici ejus duo, Hugo & Richardus de sancto Victore.

SANCTVS Bernardus, Anselmo pænè coætaneus, hanc ipsam concordiam gratiæ tentationisq; cujuslibet quantumcunq; potentis cum libertate voluntatis, ex professo docet. Nã illas proferens Scripturas: *Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum. Trahe me post te: Compelle intrare: Invenio aliam legem in membris meis captivantem me legi mentis meæ.* Quæ libero arbitrio videntur afferre præjudicium & omnes gratiæ & libertatis conciliatores torquent, ita loquitur: *Profectò quantoscunq; compellere vel trahere videtur ad salutem benignus Pater, nullum tamen indicat salute dignum, quem ante non præbaverit* VOLVNTARIVM. *Hoc quippe intendit cum terret aut percutit, ut faciat* VOLVNTARIOS, NON SALVET INVITOS: *quatenus dum de mala mutat voluntatem in bonam, transferat non auferat libertatem.* Ecce habes libertatem voluntatis cum gratia concinentem, quia gratia facit voluntarium, non salvat invitum. Quod ut manifestius parefaceret, confestim addit: *Hæc omnia putari possint* COGERE VOLVNTATEM *& præripere libertatem.* Et quomodo igitur non præripiunt? *Quia*, inquit, *quantislibet quis intus foriſve tentationibus urgeatur libera profectò semper, quantum ad arbitrium spectat, voluntas erit: libere quippe de suo nihilominus consensu judicabit.* Hoc est, ipsa judicabit se esse quæ consentiat, & non aliũ quempiam de se, quasi invita consentire cogeretur. Nam statim apertius istã libertatem, tanquam coactionis immunitatem explicans: *Quid ergo? Forte dissoluta est tota superior assertio de libertate voluntatis: quia nimirum inventa est, cogi potuisse voluntas?* Docuerat enim prolixissimè, & constantissimè voluntatem esse semper liberam, tam in bono quàm in malo, tam sub gratia quàm sub peccato, quia expers est violentiæ cogentisq; necessitatis. Respondet igitur isti interrogationi suæ: *Est plane*, supple *dissoluta tota ista superior doctrina mea, sed si cogi ab alio potuit, quam à seipsa. Quod si sese ipsa coegit, compulsa & compellens, ubi amittere, ibi, & recipere visa est libertatẽ. Vim quippequia ipsa sibi intulit à se pertulit. Porro quod à se voluntas pertulit ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, tam nõ ex necessitate* (scilicet coactionis, quasi involuntarium esset) *sed voluntarium fuit. Si autem voluntarium & liberum.* Et in alio ejusdem libri loco: *Quomodo ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus, eo liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo minilominus tam liberum quam spontaneum constituit sua utiq; voluntate ductum, non aliunde coactum, ut malus sit.* Cujusmodi sententijs plenus est ille totus Bernardi liber, utpote qui ex professo de istã libertatis notione scriptus est. quia libera voluntas dicitur, quia *nulla vi cogi potest.* Quã de re vide loca plurima, quæ quando de natura liberi arbitrij tractabamus, allegavimus. Hinc Bernardus generaliter: *Ipsam voluntatem quia impossibile est de seipsa sibi non obedire (nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est suâ privari libertate.* Et rursum: *Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem ut nunquam amittat libertatem. Tam ergò non potest privari illa, quam nec seipsa.* Et iterum: *Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere,* SED TANTVM VELLE: *nec potentem facit creaturam* (ut videlicet possit quibuslibet motibus vehementissimorum affectuum sive bonorum sive malorum resistere) *nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergò si potens aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Vbi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi iam non ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perijt, etiam libertas perire arbitrium.* Ecce à fundamentis tactam radicem liberæ voluntatis, sive sub gratia, sive sub concupiscẽtia quantumcunq; sævierit permanentis. Semper enim velle permanet, sine gratia, sive concupiscentia istud velle operetur, nec ante libertas destruitur, quam funditus ipsum velle tollatur. Vbi vides etiam chimeram illam diffiatam, quæ Recentiores aliquos in errores Christianis intolerandos compulit. Putant enim, quod & Pelagianorum dogma capitale fuit, voluntatem hoc ipso quo libera est, quibuslibet motibus sibi incidẽtibus dominari ac resistere suâ libertate posse. Quod Aug. tanquam paradoxum, Christianæ gratiæ ex diametro contrarium, certissima Scripturarum autoritate contrivit. Bernardus verò etiam radicem exscindit; quia libertas voluntatis non potentem, ut quibuslibet motibus resistere, & ut Iulianus loquitur, *leges dare* possit sed tantum volentem facit, ut sive ex infirmitate cesserit, sive gratiâ juvante repugnaverit, semper maneat ei velle salvum, neq; quicquam velle vi seu violentia compellente, quasi invita cogatur. Sic enim, ut Bernardus ibidẽ expressè docet, voluntas simul velle & nolle fingeretur. Quod cùm perspicuè sit impossibile, impossibile est etiam, ut per quemcunq; gratiæ torrentem, tiamsi tanta abundantia voluntatem inundaret, quantam in cœlo clara Dei visio largi-

Lib. de grat. & lib. arb.

Lib. de grat. & lib. arb.

Ibid.

Ibid.

videsis lib. de grat. Chri & lib. salva.

c. 17.

Iargietur, voluntatis libertas violetur. Semper enim ipsa erit quæ volet, & hoc ipso liberè volet, quia quamdiu rationis usus viget, aliter nisi liberè, velle non potest. Quod tanta claritate, constantia, instantiaq; S. Bernard. tradit, quasi ex professo Recentiores aliud genus libertatis & concordiæ cum divina gratia aut alijs quibuscumq; motibus introducentes expugnare niteretur. Quisquis mihi fortè non credit, ipsum legat, ipsum terat, & videbit me nihil hyperbolicè, sed sincerâ veritate protulisse. Quæ quidem ad amussim ex Aug. scriptis, tanquâ ex Magistri sui & Magistrorũ omniũ Coryphæi, doctrina S. Bernardus expressit, cujus etiã verbis propterea quibusdã in locis usus est.

Hugo de S. Victore, Bernardo per quam amicus & coætaneus, doctrinam ejus usq; ad ipsa plerumq; verba secutus est. Qui cum nullam agnoscat aliam arbitrij libertatem, quemadmodũ fusè & evidenter ex ejus operibus demonstravimus, nõ potest etiam aliam gratiæ & liberi arbitrij concordiam agnoscere, nisi quia quantumcunq; gratia voluntatem efficaciter trahat, semper motus ejus manet voluntarius & expers violentiæ cogentis q; necessitatis, & proinde liber: idq; non solum in hac vita, sed etiam in cælo. Qua de re loquitur in hunc modum: *Liberum vtiq; arbitrium ex eo dicitur quia est voluntarium. Quod enim boni Angeli non possunt esse mali, non facit necessitas, sed confirmata per gratiam voluntas. Quia mali non possunt boni esse, non facit nulla coactio, sed voluntas obstinata in malo.* Et in alio loco: *Inde non dicitur liberum arbitrium* (quod scilicet in utramq; partem possunt flecti) *sed liberum, id est voluntarium: & boni non necessitate cogente, sed liberâ voluntate à malo abstinent, & similiter & mali à bono &c.* Quo nihil clarius dici potest, ut intelligi possit, gratiam qualemcunq; quæ etiam immutabiliter velle facit bonum, liberum relinquere voluntatis arbitrium, quia liberè, nullâ necessitate coactionis ferri facit in bonum; seu, ut Aug. & Prosp. locuti sunt, quia gratia non alienat opus à nostra voluntate, non de nobis quasi dormientibus & invitis operatur, quasi alius de nobis vellet, aut quasi nos non vellemus aut curreremus, ficut fingebant Pelagiani, sed facit ut & nos velimus, ut nos cutramus ut nos faciamus, efficiendo videlicet ipsum nostræ voluntatis assensum, quia inquiunt, virtus nolentium nulla est, & si cogitur voluntas, jam non vult.

Hugo de S. Victore in summa sent. tract. 3 c. 9.

tract. 2. c. 4

Richardus de S. Victore doctrinam S. Bernardi & Aug. accuratissimè in ista conciliandæ libertatis & gratiæ ratione tradidit. Non enim ullam prorsus agnoscit aliam, nisi quia gratia non violentè cogit voluntatem, sed facit ut ipsa voluntas velit: *Libertatis est*, inquit, *quod consensus ejus* (voluntatis) *extorqueri vel cohiberi* (per violentiam) *non potest. Potest enim consentire vel non consentire aspirationi divinæ* (hoc est gratiæ Dei) *similiter & suggestioni diabolicæ, utrumq; quidē ex libertate. neutrum oportet ex necessitate.* Vis scire ex qua necessitate? audi sequentia: *Aliud itaq; est habere libertatem & aliud est habere potestatem, libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest. Privatio autē potestatis quod ad aliquid boni faciendū sufficiens non est.* Sic igitur conciliat Richardus efficaciā gratiæ cum libertate voluntatis, quod quantumcunque fortiter operetur, non cogit voluntatem nec extorquet consensum, sed efficit, ut ipsa voluntas ultroneè & sponte velit atq; consentiat. Nam sententiæ istæ apud Richardum sæpe frequentatæ sunt. a *Bonum posse est vere posse, sicut cogi non posse est vere liberum esse:* b *Si nulla violentia arbitrium potest sua privari libertate, constat illud summam libertatem habere.* c *Miranda arbitrij libertas ab alia cogi non posse.* d *Illud in potestate est quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti potest: Illud in libertate habemus ad quod aliena violentia cogi non possumus:* e *Aliud est magna posse, aliud liberum esse &c. Potestatis est quod bonum facere possumus, quamdiu id facere valemus. Libertatis est quod ad nullum seu bonum seu malum inviti cogi possumus.* Vbi vides, quod etiam dilucidè aliquoties tollit ansam erroris illius, ex quo minus perspicaces imaginantur, hoc ipso quo aliquis liber est voluntate, continuò etiam habere potestatem. Quod & gentiles Philosophos & Pelagianos, & non paucos nostræ & præteritæ ætatis Scholasticos, in controversijs de divina gratia transversos egit. Libertas enim hoc efficit, ut impossibile sit cogi voluntatem sive ad bonum sive ad malũ, sed ipsa sponte illud consensu suo voluntario amplecti debet; potestas autem, ut illud etiam reipsa facere possit ad quod cogi non potest, quę Richardus diversis locis & Bernardus latius prosequuntur.

Richard. p. 1 tract. 1. de statu interior hominis c. 23

a Ibid. c. 20.
b Ibid. c. 23.
c Ibid.
d Ibid. c. 33.
e p. 1. de eruditi. interior. hom. c. 30.

CAPVT XIV.

Magister Sententiarum, Alexander Halensis, Guilielmus Parisiensis.

MAGISTER Sententiarum Petrus Lombardus eandē prorsus concordiam gratiæ & liberi arbitrij ex professo docet. Nam lib. 2. Sententiarũ Distinct. 7. sic loquitur: *Dicimus quod boni tanta gratia confirmati sunt, ut nequeant fieri mali: & mali in malitia obdurati adeo obdurati sunt, ut non valeant fieri boni. Et tamen utriq; habent liberum arbitrium, quia & boni non aliqua cogente necessitate, sed propriâ & spontaneâ voluntate per gratiam quidē adiuti bonum eligunt, & malum respuunt: & mali similiter spontaneâ voluntate à gratia destituti bonum vitant & malum sequuntur.* Nec aliam sane concordiam docere potest, ut qui ex professo tradit libertatem arbitrij in eo sitam esse, *quod nunquam cogi possit* (ut suo nos loco latius vidimus, & omnes ejus antiqui Commentatores exposuerunt) & arbitrium beatorum tanto esse liberius, *quanto ad bonum promptius est*, quod nihil aliud est quàm, quantò gratia potentius in eo operatur, eò magis proprio judicio & voluntate & sensu appetit quicquid appetierit.

Magist. l. 2 d. 7.

Ibid. dist. 25.

Vide sup. l. 6. de grat. Christi & Salv. c. 20

Alexander de Hales eundem ipsum conciliationis modum tradit. Nam in p. 2. de Angelorum voluntate loquens, qua propter vehementiā divinæ delectationis claritatemq; visionis immutabiliter diligunt Deum, cum sibi ex Bernardo objecisset, quod ubi necessitas est,

non est

Alex. Halens. p. 2. q. 72. m. vlt. 3. ca 3.

non est libertas. *At obiecta*, inquit, *in contrarium dicendum est, quod est duplex necessitas inevitabilitatis & coactionis. Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non necessitas inevitabilitatis. Licet ergo in Angelis sit necessitas inevitabilitatis, nihilominus tamen est liberum arbitrium.* Vnde Bernardus: *quod diabolus non potest bonum, non est ex alienæ oppressione* (hoc est ex violenta coactione) *sed ex voluntaria obstinatione, & obstricta voluntate.* Et de quibuscumq; gratiæ motibus, quos Deus immittere potest voluntati: *Licet Deus de sua creatura posit facere quod vult, non tamen cogit voluntatem, sed eam liberam esse permittit.* Quæ ex illo principio ejus, quod frequenter inculcat, conformiter Bernardo & Augustino fluunt, quod nulla necessitas libertati voluntatis formidanda est, nisi coactionis, seu illa quæ operatur effectum *etsi nolumus*, hoc est, invita & renitente voluntate.

Bernard. lib. de grat. & lib. arb.

Aug. lib. 5. de Civit. c. 10

Guilielmus Parisiensis Episc. eundem concordiæ modum ad amussim luculentissimè tradit: *Necessitas qua necesse est Deum semper bene agere, & impossibilitas quâ impossibile est ipsum male agere, in nullo prohibent vel impediunt quo minus bene & laudabiliter agat utrumque. Et hoc est, quia nec violenter ipsum impediunt ad bene agendum, nec violenter ipsum impediunt aut avertunt tunc à male agendo.* Ex quo fundamento ulterius tradit, quod quæ ex fato aut cœlesti corpore in animas humanas influere statuuntur, *Movent* quidem *ad cogitationes & affectiones, quæ in eis sunt, & per illas ad operationes & operum declinationes:* sed *quoniam non movent eas violenter, imò voluntarie, non excusant animas humanas à peccatu & culpis. Et hoc est*, inquit, *quoniam a quocunq; principio sit opus voluntarium, dummodo voluntarium sit, id est volitum, semper imputandum est voluntati & agenti per voluntatem. Nec sequitur, si non potest aliud agere vel etiam velle, quod propter hoc excusatus sit qui nec vult aliud posse vel agere.* Itaq; concludit pro quibuscumq; motibus sive gratiæ sive cupiditatis voluntatem demulcentibus: *Quare necessitas vel impossibilitas quæ non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est ex voluntate, quam impossibile est non esse liberam, nec culpam aufert.* Causa omnium istorum est quam ipse aliquoties commemorat, quia *tanta est libertas voluntatis, ut nec cogi possit ad operationem suam propriam quod est velle vel nolle, neque prohiberi ab ea.* Et ut alibi radicem attingens dicit: *Liberum est volenti & voluntati ipsum velle, super quodcunque volitum cadat. Non enim potest ad illud cogi aut trahi invitus.*

Guiliel. Paris. lib. de virt. & pecc. f. 212.

Lib. de lib. arb. & vir. tut. f. 88.

CAPVT XV.

Sanctus Thomas, S. Bonaventura, Scotus.

SANCTVS Thomas Aquinas non uno quoq; loco eandem rationem conciliandi gratiam, quantumcunque potentem, cum libera voluntate significat. Vt quando dicit de Christo qui summo gratiæ torrente visionem Dei claram comitante ad unum determinatus fuit: *Etsi*, liberum arbitrium Christi, *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittet libertatem, aut rationem laudis, sive meriti quia in illud non coactè sed sponte tendit, & ita est actus sui Domini.* Itaque conformiter isti principio statuit respectu amoris beatifici *sempiternam & liberam electionem.* Et cum sibi alio in loco objecisset, quod nullus peccet in eo quod vitare non potest, & proinde nullus quoq; mereatur vel laudetur de vitatione ejus quod admittere non potest, quod maximè locum habet cum gratia potentissimè affigit voluntatem bono & à malo revocat, respondet: *Impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti, non impotentia quæ est ex perfectione in bonitate vel malitia, quia hoc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad unum.* Quæ omnia ex illo capite proficiscuntur, quod ipse diversis locis asseruit, ut ostendimus, quod scilicet *libertas voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Et hanc ipsam doctrinam tribuit Augustino, quemadmodum eam & nos ex Augustino pluribus demonstravimus. S. Bonaventura constantissimè tradit libertatem voluntatis à qua liberum arbitrium appellatum est in eo sitam esse, quod sit impossibile, imò contradictionem implicet vel à Deo vel ulla creata potestate cogi, ut in aliquid invita rapiatur. Ex hoc enim, inquit, *quod liberum arbitrium est, si aliquid vult, libere vult, & si aliquid vult, voluntarie vult, & seipso movente vult. Ex hoc autem quod cogitur si quid vult, invite vult & ab alio vult &c. Ergò liberum arbitrium cogi non est aliud, quam actum liberi arbitrij simul & semel esse liberum & servilem, esse voluntarium & non voluntarium &c.* Quam libertatem & actus liberi notionem sæpissimè inculcat. Cùm igitur isti doctrinæ tanquam hostiliter contrarias objecissent Scripturas illas, *Compelle intrare: Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum. Cor Regis in manu Dei quocunque voluerit inclinabit illud*; quæ gratiæ vehementiam commendando, libertatem violare videbantur, respondet: per hujusmodi operationē Dei, non afferri vim aut violentiam aut coactionem voluntati, quibus libertas ejus funditus tolleretur, sed tantum mutationem voluntatis, ita ut à nolente fiat volens, vel aliud velit, quam ante voluit: sed utrumlibet velit, liberè vult, quia non cogitur. Illæ enim auctoritates intelliguntur, inquit, *non quod voluntatem cogat, sed quod voluntatem creatam immutte, immutando affectiones: in qua immissione non est coactio, pro eo quod ita voluntarie volo illud, quod Deus immittit, sicut illud quod ex meipso volo. & si aliquid volo, volens volo, non invitus, & ita in volendo, ad nihil compellor.* Et sic rectè salvatam esse arbitrij libertatem paulo post significat, quando adjicit: *Posse cogere liberum arbitrium manens liberum, hoc est inordinationis & impotentiæ sicut prius ostensum est* (ostenderat enim esse impossibile & implicare contradictionē) *Coactio enim non sic repugnat naturæ brutali, sicut repugnat libertati arbitrij unde,*

In 3. Sent. disp. 18. a. 2 ad 5.

In 2. disp. 25 a. 1. ad 4.

In 3. disp. 12 q. 2. a. 1. ad 2

Bonav. 3. dist. 25. q. 3. in corp.

Ibid. ad 4. ieli.

Ibid. ad ob. 3. ieli.

Videl. nost. 6. de grat. Christi Salvat. c. 24. Quæst 10. de potent. a. 2. ad 5. Quæst. 22. de verit. a. 5. ad 3. in contrar.

Dist.25.q.2 Vnde alio in loco tradit exsertissimè *necessitatem coactionis repugnare libertati, non necessitatem quæ oritur à disponente intrinseco. Nec necessitatem inevitabilitatis: quia,* inquit *dicitur liberum, non quia sic velit hoc ut possit velle eius oppositum sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid ut velit se velle illud, & ideo in actu volendi seipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud.* Quæ manifestissime clamant gratiam quantumcumque efficacem, etiam talem qualis in cœlo cum summa delectatione cabitur, nullo modo tollere, Bonaventuræ judicio, libertatem, quia non tollit voluntatem, hoc ipso videlicet quo eam non cogit aut invitam rapit. sic enim diligit Deum, ut velit se diligere, & A ideo in actu volendi seipsum movet & sibi dominatur, & pro tâto dicitur liberum ut jam audivimus.

Hoc ipsum Ioannes Scotus ex professo docet, dum claris verbis tradit, necessitatem volendi consistere cum libertate volendi, quia inquit, *voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibi ipsi necessitatem imponit in eligendo actum & in perseverando sive figendo se in actum.* Hinc ulterius tradit voluntatem semper servare modum causandi liberè atque impossibile esse, ut ab ea ille modus ulla potestate tollatur, ut alibi latius declaratum est. Quæ satis ostendunt, qualiscumque gratia voluntati immittatur, non aliam posse actionem sequi nisi liberam, hoc ipso quo effectio voluntatis.

Quodlib. 16o

Vide dicta ex Scoto lib. 6. de gratia Christi. Sale. n. 25.

CAPVT XVI.

Henricus à Gandauo, Richardus de Media villa, Marsilius.

Henricus Gandauo. 3 q.57. HEnricus à Gandauo non minùs evidenter tradit libertatem arbitrij, in experte coactionis motu exseri: *Homo enim,* inquit, *& omnis rationalis & intellectualis natura liberi arbitrij sive liberæ voluntatis est, quia voluntas rationalis cogi non potest.* Et iterùm: *in hoc consistit ratio libertatis, quod nulla coactio potest impedire, quin in bonum vergat si velit &c.* ut latius alibi diximus. Vnde concludit *voluntatem esse libertimam in beatis* itemque moveri ex se libertate & immutabili necessitate respectu finis omnem rationem boni continentis. Quis igitur non videt quæ concordia gratiæ cum libero arbitrio ex tali doctrina consequatur?

Vide dicta lib. 6. de gra Christi. c. 28 Richardus de Media villa instanter docet, B ut alibi patefecimus, liberam dici voluntatem, quia *cogi non potest*, hanc libertatem esse *inamissibilem*: consequenter *omnis actus humanus esse actus liberi arbitrij*: Beatos *libere manere conniventes fini*, eosque eligere *perseverantiam in fine*; sicut Sanctus Thomas asserverat: Angelos *non obstante necessitate libertimè motu dilectionis* Dei *movere se*, quia non est necessitas coactionis. Denique *talem necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem meriti in viatore.* Quid uberius, clarius, ac satiatius exspectari possit, ut sciamus gratiam non aliter cum libertate voluntatis copulandam, nisi quia non cogit voluntatem, sed facit eam velle voluntario ideoque libero motu quo vult se velle, & ita se movet, ac dominatur sui? nulla quippe gratia hujus vitæ vehementissimam illam efficaciam cœlestis delectationis, quæ libertatem salvam esse sinit, juxta Richardum, ulla ex parte à quare potest. Eodem prorsus modo hoc ipsum asserit Thomas de Argentina latè docens, arbitrium *essentialiter esse liberum*, hoc ipso quo implicat *illud cogi.* Ex quo concludit

In 2. dist. 25 q. 1. & 3. q. 3. q. 1. a. 3. q. 2. ad 6.

In 3. dist. 13. a. 2. q. 1 ad 2.

Thom. de Argent. in 2. dist. 25. a. 1. & 4. & dist. 38.

alibi; *necessitatem coactionis tollere rationem meriti, non autem necessitatem immutabilitatis provenientem ex perfectione virtutum, sed augere.* Et de Christi Domini libertate qui in omni actu erat determinatus ad bonum, multò magis quam quilibet viator, per gratiæ efficaciam ad agendum determinatur, sic rem decidit: *Agens naturale non prohibetur à merito ex hoc quod est determinatum ad unum, sed ex modo determinationis puta quod necessario & non voluntariè tendit in illud unum. Sed Christus & quilibet in gratia confirmatus, licet determinatè tendat in bonum, tamen voluntariè & liberè tendit in ipsum. Huiusmodi enim determinatio non minuit voluntatem & libertatem, sed potius auget, & ideo talis determinatio non repugnat merito.* Cui jam non apertissimum est, non aliam eum agnoscere libertatis cum gratia efficacissima conciliandæ rationem, nisi quia gratia dum facit determinatissimè, suavissimeque, nullo modo cogere sed ad volendum potius inclinare, ideoque potius augere, quam minuere voluntatem? Quo nihil Augustino, Prospero, Fulgentio, Bernardo magis consentaneum excogitari potest.

In 3. dist. 13. a. 2. q. 1. ad 2.

Marsilius de Ingen consentit ei ad amussim similiter omninò dotens, *voluntatem essentialiter esse liberam*, ita ut impossibile sit, libertatem *auferri à voluntate* etiam per omnipotentiam Dei, *quia est sua libertas: eamque esse libertatem à coactione.* Denique ex eo concludit, per C actum necessarium neminem mereri si est coactus; sed si est tantum *inevitabilis per gratiam in bono confirmantem* posse esse meritorium; atque huiusmodi fuisse opera Christi. Quæ perspicuè clamant, gratiâ, quantumcumq; potentis operationis, non lædere libertatem, quia non cogit voluntatem, sed eam suaviter velle bonum facit.

Marsilius in 2. q. 26. a. 2.

CAPVT XVII.

Zozymus Papa, Celestinus, Trident. eandem concordiã definierunt.

QVid jam opus minorum gentium Scholasticos curiosè lustrare, sensumque quem de concordia gratiæ & liberi arbitrij tenuerunt patefacere, si capita familiarum celeberrima modum istum tanta consensione tradiderunt? Nec enim puto facilè reperiri posse Scholasticorum opinionẽ ullam in universa Theologia, in qua majori cõcordia S. Augustini, Prosp. Fulgent. Bernardi, & quotquot Augustini ætatẽ secuti sunt hanc sententiã explicuerint ac secuti sint.

Itaque hanc ipsam concordiam gratiæ cum libero arbitrio etjam Apostolica Sedes, & ipsa Concilia Ecclesiæ generalia contra Pelagianos, & alios veritatis hostes, qui libertatem exstinguoi per operationem gratiæ arbitrati sunt, disertissimis verbis expresserunt ac canonica auctoritate sanxerunt. Nam Zozymus Papa in epistola circulari, quam ad universos totius Orbis Antistites misit, ità loquitur, cũdo Pelagianos Apostolica auctoritate damnavit: *Vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium: quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sine dubio sunt Dei, vt nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibusque ac voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.* Quam epistolæ istius partem etjam Celestinus Pontifex tanquam Catholicæ fidei dogma continentem, ad Antistites Gallos misit. Quis vero non videt illam in ea libertatis gratiæque concordiam traci, quam ex Augustino hauserat, quamque tam operosè ex ipsius & antiquioribus monumentis demonstravimus? Nempe quod gratia facit vt arbitriũ non otiosè quiescat quasi alius de nostra voluntate vellet & ageret, sed ipsum arbitrium aliquic suis motibus velit & agat. Hoc enim significant illa verba: *Et boni aliquid agant*: & illa: *ut nec nostrum sentiamus deesse arbitrium*, sicut Pelagiani calumniabantur.

Zozymus in Epist. circulori qua extant apud Prosp. lib. cont. Collat. cap. 1. & in libello Petri Diaconi & in epistol. Celest. ad Gallos.

Post Zozymum Papam eandem concordiæ rationem S. Celestinus Pontifex, gravi illa & celeberrima ad Gallos, epistolà ceclaravit ac docuit. Cùm enim dixisset per Deũ fieri *ut aliquid boni velle incipiamus & facere*, statim gratiam cum arbitrij libertate cõciliat Pelagianorum calumnias intuendo & jugulando: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanũ, de imprudente fit provisum.* Quod nihil aliud est quam si diceret, nõ aufertur liberum arbitrium, sed magis fit liberum, quia cum ante tenebris obsitum improvidè vellet pravum, nunc providè vult rectũ ac bonum. Nam statim hoc explicans manifestius: *Tanta enim*, inquit, *est erga omnes homines bonitas Dei ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, hoc est, ut nos velimus & agamus hoc ipsum quod ipse per gratiã donat ac facit. Nam rationem apertissimam istius conciliationis assignans: *Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur quæ exercenda non negligenda donavit, ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Quid est istud, nisi id quod tam instanter contra hostes gratiæ clamabat Augustinus, nos volumus, nos operamur, arbitrium non nihil agit, non sicut de lapicidus insensatis Deus ædificat domum, & similia, quæ latius recensuimus?

Celest. in epist. ad Episc. Gallos c. vlt.

Sed sacrum Concilium Tridentinum tam evidenter hanc ipsam conciliandæ gratiæ, & liberi arbitrij rationem tradidit, quasi hoc ipsum sanctissimo egisset studio, vt sancti Augustini & Celestini doctrinam ipsis penè verbis exprimeret. Cùm enim docuisset justificationis exordium à præveniente Dei gratia sumi, quæ maximè semper Pelagianis displicuit, cõ quòd præsentissimum libertatis interitum afferre videretur, mox libertatem saluam permanere testatur istis verbis: *Vt eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponatur* ad suam justificationem, hoc est, ut non velut examines nihil agant, & gratiæ quasi violenter cogenti totum negotium relinquatur, sed ipsi assentiendo & cooperando simul aliquid agant. Hunc enim suum sensum statim aperit luculentius: *ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neq. homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens quippe qui illam & abijcere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiã coram illo liberà sua voluntate possit.* Vbi nulla prorsus alia explicatur gratiæ & libertatis concordia, nisi illa quam semper Augustinus docuit, nempe quod nec homo nihil omninò agat instar trunci se habendo, & tamen gratia præstet ut agat. Verba quippe Concilij sunt ipsissima verba sancti Augustini, quibus ipse Pelagianos destrui conquerentes liberum arbitrium, sæpe suffocavit. Nam in libro de correptione & gratia, cum obiectum fuisset ab eis qui non putabant gratiam cum libertate consistere: *Et quid nobis prædicatur &c. si hoc nos non agimus, sed ipsum velle & operari Deus operatur in nobis?* Respondet Sanctus Augustinus: *Aguntur ut agant,* NON VT IPSI NIHIL AGANT. Et in libro de gratia Christi; *Non quia nos non volumus, aut nos non agimus.* Et sermone 13. de verbis Apostoli, *Dicet aliquis mihi; ergo agimur non agimus:* & mox reponit: *Imo & agis & agere.* Item, & *tu ipse* ALIQVID AGIS. *Nemo adiuvatur si ab ipso* NIHIL AGATVR. *Non enim adiutor est ille si* NIHIL AGATIS. Et in libro de perfectione justitiæ: *Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, quia non adiuvatur* NISI QVI ET IPSE ALIQVID AGIT. Et tractatu quarto in epistolam Ioannis: SI NIHIL AGIS, *quomodo ille adiuvat?* Et in libro de gratia & libero arbitrio: *Ne putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium.* Et in epistola centesima quinta: *Neque enim & hoc ità fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis.*

Conc. Trid. Sess. 6. c. 5.

Lib. de corr. & gratia. Lib. de gratia Christi cap. 15. Serm. 13. de verbis Apost. c. 11. Lib. de perfect. iustit. 19. Tract. 4. in epist. Ioan. Epist. 105. ad Sixt.

Et in

Et in fragmentis sermonum: *non sic ut prorsus nos nihil agere velimus.* Quibus omnibus testimonijs tam densè repetitis conciliationē gratiæ cum libera voluntate non otiante non nihil agente, ut Pelagiani querebantur asseruit, & Concilio Tridētino eandem ipsam, tanquā veram & genuinam gratiæ & libertatis concordiam ul que ad ipsissima verba præcinuit. Hoc ergo Cōcilium voluit quod Augustinus sexcentis locis præformauerat; gratiā quidem tangere cor hominis, non tamen propterea hominem quasi vi gratiæ tantum ageretur, nihil omnino agere, vel *inspirationem illam* tantum *recipere*, quasi passiuè tantum haberet se, sicut ille qui cogitur, sed revera aliquid agere, utpote *libere assentiendo & cooperando.* Quod ex oppositō probat, quia *inspirationem illam etiam abijcere potest*; quod signum est eum non se habere merè passiuè, sed potius voluntate suā approbare, & assentire, sicut improbare posset ac dissentire si vellet.

Eundē omninò conciliandi modū etiam in canone 4. disertissimis verbis tradit, quādo exserte damnat eos qui dicunt: *liberum arbitrium à Deo motū & excitatū nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti: neq; posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meregi, passiuè se habere.* Nam & istæ fuerūt querimoniæ Pelagianorum aduersū Augustinum à Lutherō in dogma cōversæ, & ab Augustino quoq; iam olim liberū arbitrium cum gratia conciliante damnatæ. Nam cōtra huiusmodi pestilentiā clamabat in concione Sanctus Præsul: *Sed non sic ut dimittamus nos & quemodo ægri iaceamus supini & dicamus, pluat Deus escas super facies nostras, ut prorsus nihil agere velimus, & cum esca cōpluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam Deus glutiat de nobis.* Nonne dānat illud ipsum quod Concilium damnat, *hominem nihil omninò agere, mereq; passiuè se habere?* Quid est enim Deū glutire de nobis, nisi Deum totum agere nihil agētibus sed merè passiuè se habētibus nobis? In alio loco etiam rei exanimis mentionem contra Pelagianos, id fieri suspicantes facit: *non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemq; non condidit salutem nostram Deus operatur in nobis*, & alibi inferentibus Pelagianis *ergo agimur, non agimus* consecutionem negat Augustinus & rationem dat *Neque enim templum suum sic de vobis ædificat quasi de lapidibus, qui non habent motum suum: levantur ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi ducimuni sed currite vos &c.* Quæ omnia manifestissimè demonstrant Concil. Tridentinum ad amussim eandem omnino concordiam gratiæ & liberi arbitrii tetigisse, quam Augustinus, Romani Pontifices & omnes veteres gratiæ defensores unanimi consensu tradiderunt. Nam quod Cōcilium addit arbitrium *vocanti Deo posse dissentire si velit*, itemque hominem *inspirationem* sic *recipere ut illam & abijcere possit*, etiam Augustinus admittit non tamen unquā in universis operibus eius extat vestigiū, quod in ista miserabili potestate vel potius infirmitate dissentiendi, & abijcie ndi inspirationem si velit, libertatem arbitrij collocauerit. Hoc enim oritur in hac vita, non ex natura libertatis arbitrij, sed ex instabilitate quam habet in bono. Vnde in cœlo ubi arbitrium erit liberrimum, eò minus inspirationem Dei abijcere poterit, quò liberiori motu in Dei dilectionem rapietur. Itaque si etiam in hac vita Dei inspiratio tam stabiliter ac delectabiliter Deo operante inhæreret voluntati, ut eam non posset abijcere, felicissimum, fortissimū, liberrimumq; meritò diceretur atq; esset arbitriū. Tunc enim verè per gratiam Dei haberet eam quam S. Augustinus tantopere extollit, *liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.* Tunc verè *acciperet gratia libertatem & ut perseveraret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.* Tunc vere si- *Ibidem.* eret id quod infirmitati humanæ seruatū esse tradit, *ut diuinā gratiā indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*, nunquam enim tam indeclinabiliter agitur, quàm cùm non potest voluntatē dissentire gratiæ Dei. Sed hoc in tanta perfectione, est alterius vitæ privilegium, quod si daretur etiam in præsenti exilio, non violaret, sed summè perficeret arbitrij libertatem. Arbitrari quippe quod perfectio gratiæ arbitrij libertatem destruat, stultitiæ singularis est. Concilium igitur istius potestatis abijciendi, ac dissentiendi meminit, non ut in eo libertatem arbitrij sitam traderet (quod veris gratiæ defensoribus & intellectoribus inauditum paradoxum est) sed ut ostenderet ex contrario, arbitrium sub gratia *non nihil omnino agere non velut inanime quoddam, non merè passiuè se habere*, sed aliquid agere instar rei animatæ, instar rei actiuè se habentis; motum quoque & vitam & consensum suum habere utpote quod motū oppositō inspirationem abijcere posset, eique dissentire si vellet. Nam istud, *quippe qui illam & abijcere potest*, quod idem est cum illis alijs verbis, *posse dissentire si velit*, tanquam ratio assignatur à Concilio doctrinæ immediatè præcedentis, quā dixerat *quod homo ipse non nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Nam quasi diceretur, unde istud probas? *Quippe* inquit, *qui illam & abijcere potest.* Quasi diceret, hoc est argumētum infallibile, quod homo nō nihil omnino agat velut inanime quoddā, nec merè passiuè sese habeat instar eius quod violētiā extrinsecùs illatā cōpellitur, quia id quod recipit potest etiā abijcere, seu dissētire si velit. Nam quēadmodum ista duo, *inspirationē recipere*, & assentiri Deo excitanti atq; vocāti, idem sunt; ita quoq; idē sunt, *inspirationē abijcere posse*, & *Deo vocanti posse dissetire si velit.* Id enim ipsum quod in capite 5. per modū doctrinæ generalis Conciliū tradiderat, hoc in can. 4. per modū regulæ fidei sub anathemate credendū sancit. Itaq; posse dissentire Deo excitāti & vocanti, est posse inspirationē eius abijcere; & è cōtrario Deo vocāti assētiri est aliquid agere, & inspirationē Dei recipere. Neq; enim ibi agitur de qualibet actione sub gratia; vel qualibet receptione, sed de morali quæ exercetur,

Trid. Sess. 6. can. 4.

Aug. in fra. 2. serm.

Lib. 2. de pec. mer. c. 5.

Serm. 13. de verb. Apost. 2.

Lib. de corr. & grat. 8.

Ibidem.

Ibid.

non tam sentiendo inspirationem atque vocationem, quàm consentiendo. Quo sanè pacto huiusmodi receptionem & abiectionem inspirationis seu vocationis Dei etiam recentiores intelligunt. Iste itaque est verus & genuinus Concilij sensus tott textui, totique antiquorum Pontificum & gratiæ defensorum doctrinæ vndique consentaneus.

CAPVT XVIII.

Epilogus Probationum præcedentium.

HÆc itaque sunt quæ de Pelagianis aduersus gratiam Dei murmurantibus, ac Catholicis pro libero arbitrio respondentibus, & pro concordia utriusque satagentibus, reperire in scriptis eorum potui. Quæ quidem pro captu meo tam perspicua sunt, ut homini sanæ mentis, & cui oculus ille quo videtur veritas, necdum libidine contentionum excæcatus est, nullum relinquat amplius ambigendi locum, quid Pelagianis in Christi gratia quasi liberum arbitrium extinguente displicuerit, & quo pacto defensores eius ad querelas aduersantium sopiendas, veramque gratiæ & liberi arbitrij concordiam conciliandam esse censuerint. Pelagianos enim, cùm audirent, nihil esse quòd non gratia Dei in nobis operaretur; mordebat unicè, quod per gratiam Deus sine nobis, sine nostra voluntate, & proinde nobis invitis ac reluctantibus bonum in nobis operari, ipsique proinde non nobis, utpote quiescentibus præmium deberi videretur. Hunc enim sensum suum expromendo dicunt, gratiâ operante inviti ad bonum cogimur, inviti credimus; gratia invitos trahit, invitis & reluctantibus studium virtutis immittitur, violentia adhibetur, ideoque coactitia fit conversio. Currere non esse currentium, nec velle volentium, sine voluntate nostra bonum fieri, nihil nos agere, nihil hominis voluntatem agere, nos non agere, nihil nos facere, agi nos non agere, Deum cuncta gerere. Itaque Deum gratiæ suæ imperare, non nos sed se coronare debere. Cujusmodi dicta quid sibi velint, nemo nisi mente captus ignorare potest. Catholici Scriptores è contrario, importunissimas istas querimonias ita semper suâ responsione suffocant, & operationem gratiæ cum liberâ voluntate conciliant, ut nihil improbẽt in ipsis, nisi quod ipsorum perspicuæ reclamantium voces præ se ferre videbantur, & nihil pro concordia utriusque stabiliẽda probent & clament, quàm gratiam non tollere liberum arbitrium, quia relinquit nosipsos nõnihil omninò sed aliquid propriæ voluntatis motu velle & agere, nec aliquando gratia de nobis quasi dormientibus operatur, sed facit ut simul etiam nos ipsi aliquid operemur. Dicunt enim, sexcentiesq; locis & modis iterum iterumq; clamãt, per gratiam quidem operantem Dei opus bonum fieri, sed tamen non nos inuitos cogi, non nolentes credere, non esse inuitos homines & reluctantes, non reluctantibus studium virtutis immitti, non cogi voluntatem, non inuitum compelli, non violentam esse gratiam, quia virtus nolentiũ nulla est, quia non est bonus homo si nolit, quia non possunt homines nolentes credere, quia si cogitur voluntas, non vult: itaque nulli auferri voluntatẽ, non putari debere quod non sit volũtas nostra, non alienandũ esse opus à propria voluntate, nõ sic suscipi gratiâ ut homines propriâ perdant voluntatẽ, homines non sine sua voluntate, sed suâ propriâ volũtate venire, suâ volũtate pugnare suâ volũtate eligere; quia, inquiunt, sẽper manet volũtas, quæ nõ potest esse sine aliquo motu, sine aliquo amore, velle & nolle propriæ voluntatis est, quæ voluntas in bonis de gratia est. Addunt & rationẽ, quia Deus per gratiã non ædificat tẽplum suum ut de lapidibus qui non habẽt motum sũũ, nec operatur ut in ijs qui ratione & volũtate carẽt, vel quasi dormiremus, & nõ vellemus aut conaremur; non quasi ut ægri supini jaceremus, cibos gratiæ exspectãdo pluentes super faciẽ nostram, eosq; ipsos Deus glutiret de nobis, aut opus fieret de nobis nihil facientibus nobis, aut velut inanime, quoddã nihil ageremus, merè passiuè nos haberemus, aut denic; quasi alius vellet de nobis, & nos non vellemus, nõ curreremus, nõ conaremur aliquid, nil ageremus, nil faceremus, nullus esset hominis aut volũtatis cursus: sed nos ipsi volumus, nos currimus, nos conamur, nos agimur & aliquid agimus, adjuvamur enim, & nemo adjuvari potest, si ab ipso nihil agatur. Deus cooperatur, quod fieri non potest si nihil operemur. Rectè ergo cõsistere gratiã cum libero arbitrio, quia gratia facit ut velimus, facit ut faciamus, donat bene velle & bene agere, efficit enim ipsũ motum volũtatis eorũ. Hæc & ejusmodi tàm dẽsè passim sparsa sunt, toticsq; repetita, ubi ex professo cõtra hostes fidei insultãtes pro humani arbitrij libertate decertãt, tãtâ deniq; claritatis luce oculos lectorum tardissimorũ ac dormitantiũ feriunt ut læthargo pressum esse necesse sit, qui non evigilet, mẽtis oculis orbatum, qui non intelligat. Quod si quis aliam concordiã in eorum scriptis quærat, quã Pelagianis obtrectantibus ingesserint, ut eorũ querimonias contra gratiã pro libera voluntate sopirent, scrutetur ille per me licet, Ierusalẽ in lucernis, & si inuenerit & me participẽ facere dignatus fuerit, institutionem in Augustini scriptis per ejus benevolentiam me esse factum libenter gloriabor. Sed nisi me multum fallit, cùm oleum & operam perdiderit inuestigando mecum fortasse confitebitur istum libertatis

cum

cum gratia conciliandæ modũ, quo nunc tantopere Scholæ perstrepunt, Doctoresque fatigantur ut sub nomine libertatis indifferentiam illam libratam contrarietatis aut contradictionis muniant & stabiliant, priscis gratiæ defensoribus vel ignotum contemptumque esse, & aliquot seculis pòst, Scholasticis subintrantibus, & liberi arbitrij vim, quam isti veteres tanquam sibi perspectissimam tuebãtur, non satis penetrantibus emersisse.

CAPVT IX.

Redditur vera ratio principijs Augustini & aliorum Patrum ad amussim consentanea, cur talem concordiam gratiæ & liberi arbitrij docuerint, nihilque in tradenda libertate curauerint illam indifferentiam & æqualitatem contrarietatis & contradictionis.

QVod si quis radices rerum, quibus ista Sancti Præsulis, aliorumque Patrum doctrina nititur, diligenter attenderit, & intelligendo penetrauerit, non amplius mirabitur quod isto modo de gratiæ & liberæ voluntatis conciliatione disseruerint, sed potiùs iudicabit hoc principijs eorum esse maximè, mirabiliter undequaque consentaneum. Nam Augustino, discipulis & posteris eius, definitio ista liberi arbitrij, quã nunc Scholastici quidam id esse volunt, *quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere*; ita videlicet ut, sicut ipsi intelligunt, tam agere quàm non agere, cum omnibus ad agẽdũ prærequisitis, pro mero beneplacito voluntatis, coniungi disiungique possit, ad multa secula fuit ignotissima, sicut etiamnum ab A omnibus qui gratiam physicè determinantem liberum arbitrium tuentur, velut Christi gratiæ capitaliter inimica reprobatur. Nam ista definitio, quæ recto sensu exponi potest, eâ potissimùm de causâ in isto prædicto sensu à quibusdam recentioribus vrgetur & exaggeratur, ut ita Dei, hoc est gratiæ medicinalis operationem non minùs atque habituum, liberæ voluntati subiectã ad concurrendum, & non concurrendum esse tueantur, atq; ita si *ei acquiescere nolumus, nos ut operatio eius nihil in nobis prosit efficiamus*, quemadmodùm olim Vitalis ab Augustino refutatus, de sua gratia semipelagiana docuit. Sic enim totum discrimen concurrentis cum gratia & non concurrentis, à voluntate hic & nunc (ut loquitur) se cum B gratia determinante vel non determinante, suspendere volunt, ut non amplius gratiam Christi medicinalem, infirmitati nostræ opitulantem, sed gratiã status innocentiæ & Angelorum, tanquàm vegetos robustosq; iuuantẽ si voluerint, habeamus. Hic enim præcipuus, & ferè unicus eorũ scopus est, cur istam liberi arbitrij definitionẽ, & istud iam dictũ æquilibrium ad utrumq; tantopere saluum esse velint. Huiusmodi verò libertatis ratio & indifferens ad utrumq; æquilibriũ læsæ libertati, secundũ Augustinum, è diametro contrarium est, quãuis ut dixi verissimo, gratiæque medicinali congruentissimo sensu, liberũ arbitrium etiã peccato læsum, tam ante quàm post susceptam gratiã possit velle & nolle, agere & non agere, consentire ac dissentire, agere bonum ac malum si voluerit.

Ibid. 107.

Quapropter Augustinus ac discipuli eius, nõ ad istas quorundã recentiorũ de libera voluntate conceptiones respexerunt, quãdo gratiã cum libero arbitrio conciliãdo dicunt eam idcirco non tollere liberum arbitriũ, quia facit ut liberũ arbitrium nõ instar lapidis otiosũ sit & nihil agat, nec ut iuuitum cogatur ad bonũ, sed ut etiã ipsum velit & agat. Verũ intuebantur istud principium quod Augustinus explicuit, inculcantque frequentissimè: liberũ hoc esse, *quod est in nostra potestate*: hoc autẽ in nostrã esse potestate, *quod fit quando volumus*, seu ut alibi dicit, quod aliquis, *si vult facit, si nõ vult non facit*. Hãc autẽ definitione quã Augustinus velut immobilis ac certissimę veritatis regulã tenet, & omnes discipuli eius tenuerũt, omnis omninò voluntas seu volitio rationalis, libera est, quia quẽadmodùm impossibile est ut non fiat quãdo volumus, & fiat quando nolumus, ita consequẽter impossibile est, ut nõ sit in nostra potestate, & hoc ipso libera. Vnde Augustinus: *Quod si fieri non potest ut dum volumus, nõ velimus, adest utique voluntas volentibus* hoc est, fit quãdo voluerint: *Nec aliud quicquã est in potestate nisi quod volentibus adest*, hoc est, quod adest quando volũt, *volũtas igitur nostra*, id est volitio *nec voluntas esset nisi esset in nostra potestate. Verò quia est in potestate, libera nobis est. Non enim est nobis liberũ quod in potestate nõ habemus, aut potest non esse quod habemus.* Quæ fusiùs loco suo disputata & enucleata sunt. Iuxta hoc igitur principiũ, quod August. Prosper, Fulgen. & omnes prisci & veri defensores gratiæ Dei, nõ dubitauerũt certissimũ esse, Pelagianorũ os obturarunt, & libertatẽ arbitrij cum gratia rectissimè cõsistere docuerũt. Gratia quippe efficit ut nõ aliud quippiam, sed ipsa voluntas, id est, volitio bona habeatur, quã liberum arbitrium formaliter velit. Voluntas autem talis, seu volitio hoc ipso quo est volitio, est in nostrã potestate, quia fit quando volumus: *non enim fieri potest ut dum volumus non velimus*: hoc ipso igitur quo volitio est, etiam libera est. *Non enim est nobis liberum quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus.*

Lib. de spir. & lit. c. 31.

Lib. 3. de lib arb. cap. 3.

Libr. 6. de gra. Christi

Lib. 3. de libero arb. c. 3.

Ibid.

Lib. 6. de gra. Christi Sal.

Quæ si quis accuratiùs tradita, & plurimis Augustini testimonijs confirmata videre velit, legat ea quæ toto pænè tractatu de natura liberi arbitrij iuxta sanctum Augustinũ ac discipulos ejus disseruimus.

Hinc itaque statim elucet vera ratio, cur semper Augustinus, Prosper, & ceteri Patres, nihil aliud concordiam gratiæ & libertatis explicando postulent aut urgeant, aut postulandum putent, quàm ut arbitrium sub gratia, non minùs quam gratiâ destitutum *velit*. Nihil enim conformiùs ejus doctrinæ dici poterat, quâ constanter sæpiùs tradiderat, fieri non posse ut velle non sit liberũ nobis. Quod si velle non potest nobis non esse liberum, profectò si gratia facit ut arbitrium velit, facit etiam ut liberè velit, & nulla inter gratiam & liberum arbitrium est repugnantia. Quapropter quemadmodũ principia de libera voluntate (quę non solùm senex, sed etiam presbyter ciu antequam ebulliret ha resis Pelagiana, iecer t) hoc omninò postulabat, ut arbitrium sub quacumque vel Dei vel diaboli operatione liberum diceretur, quatenus ei non tolleret velle, sed hoc semper in eius relinqueret potestate, ut fieret quando vellet; ita illa ipsa exactissima conformitas quam postea ab ipso & omnibus discipulis eius observatã cernimus, dum nihil aliud ad libertatem salvandam exigunt, nisi ut arbitrium non nihil agat, sed propriâ voluntate velit, euidentissimum argumentum est, hunc esse genuinum sensum Augustini quem produximus. Quæ conciliandi ratio cùm ab ipso toties adhibita probataq; fuerit, & à discipulis ac posteris ad aliquot annorum centurias propagata, qua etiam Pelagiana & Semipelagiana hæresis prostrata, & omnes querelæ reclamantiũ sopitæ sunt, frustra profectò videtur nunc alia tanto philosophiæ humanæ strepitu quæri.

Hinc etiam elucet consequenter, cur tantũ silentium apud veteres istius exacti æquilibrij voluntatis ad agendum & non agendum, quod nonnulli tanto studio quærunt. Ratio quippe est, non solùm quia falsum est, & ab ijs excogitatum qui liberi arbitrij peccato violati statum, & gratiæ medicinalis operationem non satis assequuntur, sed etiam quia ad liberi arbitrij naturam nullo modo necessarium, quêadmodum ex illa liberi definitione ab Augustino iam iam traditi, manifestum est: nam siue eum indifferentia utrumque velit, siue alterutrum cum tanta determinatione ita ut oppositum velle non possit, hoc ipso quo voluntas est quæ vult, necesse est eam esse in potestate, & hoc ipso quo est in potestate, esse liberam. Fortiter enim & constanter & immutabiliter cum pleno iudicio velle id quod rectè sapienterque iudicamus sic esse volendum aut diligendum, non ponit actum extra potestatem nostram, A sed quam maximè in nostra potestate, quia in nostrâ voluntate.

Hinc ergo consequenter nascitur, cur Augustinus, Prosper, Fulgentius, & omnes isti antiqui toties inculcent contra Pelagianos, qui liberi arbitrij interitum ex gratiâ sequi conclamabant, quod gratia non cogat voluntatem non invitam trahat, non inferat vim aut violẽtiam. Nempe quia iuxta principia eorum nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ, quæ videlicet ut ipse loquitur, *non est in nostra potestate, sed etiamsi nolimus* (hoc est nobis inuitis & nolentibus & reluctantibus) *efficit id quod potest, sicut est necessitas mortis*. Reliquam verò quamcumque & quantamcunque necessitatẽ, *secundùm quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio, inquit, cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis*: nempe quia etiam per talem, tale velle in nostra plenissima est potestate: *si enim*, inquit ibidem, *volumus est, si nolumus non est; non enim vellemus si nellemus*. Quod & alijs multis locis tradit ut supra latè vidimus. Cùm igitur hæc omnia ad amussim ex omni parte principijs ab eo traditis de libero arbitrio conueniãt profectò ipsa rerum admirabilis consonantia altiùs imè clamat, hanc ipsam esse veram genuinamque diuinæ gratiæ cum libera voluntate concordiam.

Libro 5. de Ciuit.

Ibidem

B

Ibidem.

Vide lib. 6. de gra. Chr. Sal. cap. 5. & seq.

CAPVT XX.

Agnouit Augustinus sub gratiâ & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius. Explicatur ista indifferentia conformiter principijs Augustini.

QVæres fortassis utrùm igitur nulla indifferentia, siue contrarietatis, siue contradictionis sit in libero voluntatis arbitrio post peccatum, quamdiu in mortalitate vivimus? Si enim non adest indifferentia contrarietatis, quomodo possumus hic semper bene & male vivere? si non adest indifferentia contradictionis, quomodo ergo dicitur: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit?*

Respondetur quàmdiu hic vivimus, siue in infidelitate ante gratiam, siue jam sub gratiâ, indiffe-

indifferentiam ad contraria, hoc est, ad volendum faciendumque bonum & malum semper inesse libero arbitrio: sed non eo modo, quo isti Scholastici putant quos supra diximus, qui quocumque modo arbitrium, sive gratia, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant cum utravis ejus dispositione posse fieri, ut utrumlibet velit sive bonum sive malum, pro illa sola scilicet innata indifferentia voluntatis, quæ sub quacumque dispositione actum præveniente sese sua libertate in utrâvis partem flectit. Talis enim indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissimè negata fuit, & à Pelagianis contentiosissimè postulata, prout utrumque suis locis demonstravimus. Illâ quippe datâ nihil facilius est, quàm totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere. Nam illa sola ratio fuit, cur istam indifferentiam contrarietatis, tam importune flagitarint isti, & ille pernegarit. Videbant enim, si talis indifferentia adhuc post peccatum supereſt, liberum arbitrium non esse peccati iniquitate violatum, integras adhuc persistere voluntatis vires, nullam contractam esse peccandi infirmitatem, imo fortius esse voluntatis arbitrium, quàm ante lapsum fuit. Quid enim amplius à tantissima voluntate virium postulari potest? Quæ cum capitaliter Christianæ fidei adversentur, & gratiæ medicinalis Christi Salvatoris necessitatem auferant, mordicùs quoque defendit Augustinus, talem indifferentiam contrarietatis esse perditam inductamque pro tali libertate peccandi necessitatem. Ad alteram quippe partem contrarietatis, liberum arbitrium post lapsum, ipsâ peccandi perpetuâ cupiditate ac delectatione determinatum fuit, amissâ benefaciendi potestate, nisi denuò per gratiam inferatur. Alio igitur sensu liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodum etiam alio sensu sub gratia, indifferentiam contrarietatis & contradictionis habet; ita videlicet, ut quibuscumque positis, quæ ad agendum bonum aut malum requisita sunt, possit liberum arbitrium in hac vita facere bonum & malum, facere alterutrum, & non facere. Quod quamvis ex ijs, quæ supra de potestate non faciendi sub gratia nos determinante diximus, utcumque intelligi potest; hîc tamen breviter pro utraque parte annotandum est.

Dicimus igitur liberum arbitrium, quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantùm non facere, sed etiam malum. Verum est enim istud non quidem in sensu composito, ut vulgò dici solet, sed in sensu diviso. Nimirum quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium sub gratiæ delectatione efficaciter eam movente positum est, imò quo etiam actum voluntatis bonum facit, est in eadem voluntate potestas illud non faciendi imò peccandi, non quod cessatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu consistere possit (quod sensus compositus postularet) sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio coniungi potest. Nam quamvis duo actus contrarij sint oppositi, & in eadem voluntate simul esse non possint; potestates tamen ad opposita non sunt oppositæ, nec sibi invicem nec actibus oppositis & in eodem simul subiecto, sive agente, sive quiescente commorantur. Sic ergo voluntas quantumcumque gratiæ suavitate capiatur, potest non agere id quo rapitur, quia veram non agendi potestatem etiam sub gratia rapiente retinet, quamvis fieri nequeat, ut ipsa non actio cum gratiæ operatione in eadem simul voluntate copuletur. Sic Deus, quamvis nihil omninò faciat, nisi conformando se iudicio sapientiæ, rectè tamè dicitur hoc liberè facere, quia potest etiam contrarium facere, quia potestas faciendi contrarium ejus, quod hic & nunc dictat æterna sapientia, cum actione oppositâ non repugnat. Sic etiam iuxta Tridentinum, homo *recipiens inspirationem, illam abijcere potest*; & *liberum arbitrium a Deo motum potest dissentire, si velit.* Qua de re qui plura volet, auctores qui de physica prædeterminatione tractant consulendi sunt. Sic enim illi indifferentiam contradictionis atque contrarietatis, quam ipsi libertatem arbitrij vocant, cum illa prædeterminatione conciliant. *Sess. 6. cap. 5 & can. 4.*

Hoc est igitur quod sanctus Augustinus tradit, quando toties docet concupiscentiam & ignorantiam, per quam nunc omnia peccata committuntur, non auferri ex nobis, quamdiu in hac mortali vita versamur. Hinc fit enim quod in nobis non solùm ipsa potentia voluntatis, qua de se ad malum flexibilis est, sed etiam pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima. Quæ sanè non solùm adest inestque voluntati quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intimâ ejus suavitate efficaciter trahitur. Propter quam sanè liberum arbitrium qualicumque gratiâ ad agendum rapiatur, rectissimè dici potest posse peccare; licet fieri nequeat, ut ipsum peccatum simul in sensu composito cum gratiæ operatione societur. Hoc sensu sanctus Prosper: *Qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam a perseveraturus illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat.* Quibus verbis significat manere in sanctis illam *mutabilitatem quæ potest in tentatione mutari*, propter pugnam videlicet carnis & spiritus. Nam ut infra dicit: *In cæteris hominibus* præter Christum *donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non huius, sed alterius vitæ est.* Hæc est ergo peccandi potestas, quæ etiam sub gratia quantumcumque ad bonum determinante manet. Vnde ibidem sanctus Prosper adijcit: *Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen auferit, quod ipsis repugnat ex ipsis: ut in omnibus studijs eorum atque conatibus* *Lib. 1. de voc. gent. c. 9. 28.* *Ibid.* *Ibid.*

naribus semper inter se velle & nolle decertent. Quâ concupiscentiæ tumultuationem & repugnantiam, cùm in eodem loco latiùs tractasset, tandem adjicit: *ut quamuis auxilio Dei fecerint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod fecerunt.* Et in eodem libro multò superiùs: *multis qui iam iudicio rationis utuntur ideo libertatem esse discedere, ut non discessisse sit præmium, & ut quod non potest nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate fieri.* Quam mutabilitatem etiam continuò revocat ad *vitium quod per malam voluntatem irruit in naturam.* Hoc ergo modo sentit Augustinus & Prosper sub gratia manere peccandi potestatem, quia præter naturalem flexibilitatem ad malum, manet etiam concupiscentia per cujus tentationes animus mutari potest quod quia in cœlo accidere non potest, consequenter etiam beatus ampliùs peccare non potest. Vnde idem Augustinus: *non poterunt ibi (in regno) esse peccata, ibi spiritus non dico, non consentit concupiscentijs carnis, sed nec concupiscit aduersus carnem,* atque ita in cœlo indifferentia contrarietatis per magnitudinem atque perpetuitatem intimæ delectationis ablata est.

Quemadmodum igitur qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest, ita quoque è contrario, qui istâ gratiâ destituitur, sive fidelis sive infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, potest bene facere. Non quidem quasi semper etiam ante susceptam Christi aut Dei fidem, gratiâ ad non peccandum sufficiente muniatur (quo nihil alienius ab Augustini doctrina dici potest) aut arbitrium etiam ante gratiam sit in illius indifferentiæ æquilibrio, quæ se ad utrumlibet, nullâ mutatione factâ in requisitis ad agendum, pro libero voluntatis nutu flectat (quod non minùs capitaliter principijs Augustini aduersatur) sed quia quantumcunque ad peccandum peccati voluptate, hoc est, voluntatis infirmitate trahatur, manet in arbitrio non solùm fides & habitus boni in fidelibus, sed in infidelibus etiam illa saltem naturalis flexibilitas seu capacitas, quâ liberum arbitrium credere, sperare ac Deum diligere potest. Liberum enim arbitrium quantumuis peccato corruptum, sicut in hac vita reparari potest, ita etiam credere & justitiam diligere, & bene operari potest. Quæ credendi aut benefaciendi operatio, licet cum infidelitate vel determinatione ad peccandum jungi in eadem voluntate nequeat, potentia tamen illa credèdi & benefaciendi cum infidelitate simul manet: quam ob causam rectè dicuntur infideles posse credere, posse diligere, posse benefacere, in sensu similiter diuiso, non composito, quâdiu in hac vita constitutis gratia Dei & illuminatio eis conferri potest. Nam hanc ob causam diabolus ac damnati dicuntur non amplius posse benefacere: *Non cremus,* inquit, *contra illum (diabolum) qui corrigi non potest, sed pro ipsis (hominibus) qui possunt.* Quam differentiâ tangit & sanctus Prosper quando contra objectiones vincentianas dicit: *Hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio, dæmonibus autem nulla est in æternum seruata conversio.* Hoc ergo sensu sanctus Augustinus de Judæis excæcatis & obduratis dicit: *Hinc licet aduertere etiam ipsos Iudæos quorum blasphemiam Deus arguit, non fuisse eluctum corrigendi se & permutandi bonum: quod quidem Dominus in ea reprehensione sui illis; aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum. Quod utique nulla ratione diceretur eis si propter illam blasphemiam non commutare omnino in melius, & recte facientium fructus generare non possent.* Et in libro annotationum in Prophetam Jobum: *hic vita conuertuntur, habet corrigendi possibilitatem.* Possunt ergo infideles credere, quia ut Augustinus dicit, *mutari in melius homines possunt,* sed per gratiam Dei: possunt peccatores & obdurati & excæcati benefacere, quia ut idem de peccatoribus sceleratissimis & incredulis quos Apostolus tenebras vocat: *Hæ tenebræ non naturales sunt, nec incommutabiles sunt, mutantur & lumen efficiuntur: credunt & credendo illuminantur,* sed à Domino, quia ut Apost. ait: *fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hoc sensu alloquimur homines etiam infideles ut credant, credentes ut diligant, ut operentur; omniaque præcipiendi consulendi, hortandi, corripiendi incentiva adhibemus, non ut significetur adesse illam immediatam operandi potestatem, quam tribuit gratia, ut nutu voluntatis sei tantùm accedente, influxus ejus sequatur, aut non sequatur: sed (quod sæpiùs ex professo sanctus Augustinus docet) ut significetur eos quibus loquimur, habere liberum voluntatis arbitrium, quo præceptum, aut consilium fieri potest, & non fieri, & per nostrum illud admiculum sciant, quò debeant suam convertere voluntatem. Sed si desit gratia, quæ voluntatem peccato inhiantem flectat in bonum, potestas illa benefaciendi effectu suo cassa remanebit, nec tamen qualiscumque potestas benefaciendi esse desinet, quâ sub peccandi, & non credendi delectatione ac determinatione constituti, possunt credere & benefacere. Hoc enim in eorum natura liberi arbitrij constitutum est, & quamdiu hîc vivitur, mutari in utramlibet partem potest. Nam ut Augustinus: *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem naturæ est hominum.* Quod perinde est ac si diceret, homo naturaliter per liberum arbitrium habet potestatem, quâ dici potest posse credere, nam posse habere fidem, nihil aliud est, quàm posse credere. Et in libro de gratia Christi: *Plane illa possibilitas (liberi arbitrij malis) utriusque radicis est capax, quia non solùm potest homo habere charitatem quâ fit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem quâ fit arbor mala.* Et Hugo de S. Victore, non indiligens S. Augustini discipulus, rem accuratiùs & planiùs scholastico modo explicans: *modo antequàm per gratiam liberatum sit a peccato* liberum arbitrium *nec velle nec perficere bonum potest. Sicut diceremus de aliquo compedito: non potest hic ambulare, id est in potestate sua non habet, tamen concederemus possibile*

Ibid.

Ibid. c. 12.

Lib. 6. cont. Iul. c. 15.

Aug. in Psa. 139.

Prosper ad ob. 6. Vin.

In expos. inchoata Epist. ad Rom. in fin.

Annotat. Iob c. 5.

Tract. 53. in Ioan.

Serm. 8. de verbis Dn. c. 3.

Lib. de gra & lib. arb. & alibi

Lib. de præd. Sanct. c. 5.

Lib. de gra. Chri. c. 20.

possibile esse hunc ambulare, quia potest evenire, ut A *solvatur & ambulet.* Et infra, cùm sibi objecisset, quod liberum arbitrium etiam in peccato constitutũ esset liberum, *ideoq; possit bonum velle antequam daretur gratia*, respondet plenius & planius: *Sed ita est hîc sicut in compedito illo qui scilicet non potest ambulare antequam solvatur: & tamen per se verum est, possibile est hunc ambulare, vel hic potest ambulare. In eodem sensu similiter non negamus de illo peccatore vel pagano, vel quolibet alio, quin possibile sit eum bonum velle, vel quin possit* BONVM VELLE; SED NON NISI HOC MODO SCILICET, SI DETVR GRATIA PER QVAM LIBERETVR, ET QVÆ EI COOPERETVR. Et

Bernar. lib. de gra. & lib. arbit. sanctus Bernardus ejus coætaneus. *Quid igitur agit, ais liberum arbitrium? Breviter respondeo salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Deus author est salutis, liberum arbitrium tantùm capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium* &c. Ne autem se tantùm passivè habere crederetur, explicat *salvari esse consentire.* Sed istud consentire, nisi per gratiam, quæ liberum arbitriũ in malum pronum retorqueat in Deũ voluntati reipsa tribuatur, frustra adhibebitur qualecumque præcipientis & consulentis, & exhortantis, & increpantis eloquium. Vnde Augustinus, cùm per illa præcepta, quibus aliquid jubemur velle aut nolle, liberum arbitrium demonstrari docuisset, ne quis putaret, ut illi Scholastici putant hoc statim propterea pro ista indifferentia voluntatis, quasi præsente semper gratiâ, posse

Lib. de gra. & lib. arb. cap. 4. fieri & non fieri, circumspectè adjicit: *Quod tamen ut fiat adjuvat gratia, quæ nisi adjuverit nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia & majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet*

Ibid. c. 18. *spiritus gratia*: Et in alio loco: *præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum: quod quidem sine suo fructu prorsus admonetur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Significat enim quando non adest præceptis gratiæ adjutorium, non solùm non adesse illud indifferens agendi & non agendi æquilibrium, quod pro nutu tantùm voluntatis sursum ac deorsum impellatur, verum nõ solùm nihil boni facturum, sed etiam maiori impetu in malum esse rapiendum, quamvis interea non peccandi potestas seu flexibilitas semper in hac vita cum quolibet peccandi delectatione, imò peccati D voluntate ac perpetratione maneat.

Et quamvis talis non peccandi seu benefaciendi facultas concupiscentiâ sæviente, & gratiâ non juvante, nullius fructûs sit, ad hoc ut reipsâ peccati reatus effugiatur, utilitate tamen suâ nequaquam caret. Est enim saltem propriæ malitiæ peccantium certissimum testimonium, quo Deus extra omnem culpæ suspicionem constituitur. Nam hoc ipso quo homini, quâcumque ipse cupiditate ac delectatione in peccata rapiatur, interna illa non peccandi facultas, quamvis impedita ligataque permanet, satis intelligitur non Dei aut cuiusquam alterius, sed ipsius hominis culpam esse, quod illâ facultate ad bonum diligendum faciendumque datâ, utatur ad malum. Pondus enim istud, quo nunc premitur, ac delectabiliter, imò insuperabiliter, gratiâ absente, ad peccandum trahitur, non isti facultati ex creatione Dei, sed ex supplicio malæ voluntatis accessit; quo fit, ut si quid inde peccati proficiscitur, non potestatis defectus afferat patrocinium, sed perversæ voluntatis culpa supplicium. Habuit enim potestatem plenam evitandi peccata, si vellet; quod si noluerit, peccandoque sibi peccandi facilitatem, ac talem benefaciendi impotentiam comparaverit, cui nisi nolenti imputaveris? Itaque sanctus Augustinus huiusmodi peccata, quæ ex ista contracta peccandi necessitate contingunt, semper vera peccata esse profitetur, quamvis ea voluntas ita constituta vitare non possit, & semper simul docet, si talis impotentia homini sine culpa ex natura contigisset, ab omni reatu fore liberum: *Sed hæc omnia*, inquit, *hominum sunt vices, ex illa mortis damnatione venientium.* *Lib. 3. de liber. arb. cap. 18.* *Nam si non est ista pœna hominis sed natura, nulla ista peccata sunt.* Nempe quia non recedit à statu quo homo naturaliter factus est, sed ei conformiter potiùs vivitur, dum naturalibus ejus inclinationibus morem gerit. Quod & alijs locis constanter docet, ut pluribus loco suo demonstravimus.

Huc accedit, quod huiusmodi pondere delectationum, quibus efficitur, ut voluntas rationalis actu velit bonum aut malum, non tam posse aliquid facere, quàm velle tribuant: & ideo consequenter posse, quia tribuunt velle, quo fit ut etiam tunc cùm jam pondere malarum cupiditatum ac delectationum ad peccandum trahitur meritò voluntas magis quàm potestas, ideoque potestas, quia voluntas, deesse censeatur. Delectatio quippe suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle, & ipsum velle dando, etiam posse largitur. Quò enim quisque vehementiùs vult eò robustior est, sive in bonum, sive in malum: quia in libero arbitrio posse non præcedit, sed sequitur voluntatem. Vnde illud Augustini: *In potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntate.* *Lib. 1. retract. c. 22.* Et alibi *tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt, ideoq; sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* *Lib. de corr. & grat. c. 12.* Et iterùm: *Ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.* *Ibid.* Vnde cùm alio in loco dixisset, *omnes homines ad Dei præcepta se convertere posse si, velint*, ut intelligeremus istam potestatem proximam convertendi se non præcedere, sed sequi seu comitari ipsam bonam voluntatem, & in ipso primo & forti bene velle constitutam esse loco explicationis adiungit: *Verum est omninò omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur* illa *voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut possint.* *Lib. 1. retract. cap. 10.* Et rursum cùm tanquam rem certam statuisset, *in nostra potestate positum esse, mutare in melius voluntatem*, & hoc ex Christi verbis astruxisset, quibus dicit, *Aut facite arborem bonam* &c. ne quis sibi persuaderet hanc mutandi po- *Ibid. c. 21.*

testatem

testatem plene inesse homini, antequam rursus ipsa bona voluntas detur, explicat sese in
Ibid. eundem hunc modum: *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi detur à Deo.* Hanc autem potestatem in ipsa collatione mutationis seu bonæ voluntatis esse sitam etiam hic statim adijcit: *Cum eum hoc sit in potestate (id est cum hoc possimus) quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est. Sed præparatur,* id est datur *voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem:* Et mox addit aliud non dissimile: *Sic intelligendum est & quod dixi postea: In nostra potestate esse ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius severitate mereamur. Quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem, quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis etiam quod difficile atque impossibile fuit.* Qua redditione bonæ voluntatis etiã ipsã bene agendi, imo bene volendi potestatem reddi nemo mirari debet. Cum enim potestas illa proxima bene volẽdi hoc ipso amissa sit, quod illud voluntatis imperium ac nutus, quo seipsam solebat volũtas (cum gratia *sine qua non*) ad bonũ, provt ei videretur, flectere, & non flectere, per introductæ concupiscentiæ delectationẽ captivum sit & miserabili seruitute depressum, ita ut nihil ei libeat, nisi terrenis delectationibus titillantibus consentire; non aliter quoque redditur, nisi ex illa captiuitate per victricis delectationis cœlestis infusionem sibi consensum vindicantis, eruatur; qua sicuti hoc ipso bona voluntas, ita etiam potestas bene agendi redditur. Nã ista victrix delectatio, sicut hoc ipso quo datur, è captiuitate consensũ eruit, ita hoc ipso semper cum bona voluntate & potestate coniuncta est. Velle ergo dat posse, & fortiter velle, fortiter posse; quia quanto vehementior est voluntas, eo robustior & insuperabilior est potestas. Quemadmodum igitur cum voluntas fortis gratiæ delectatione præparatur, vt ardenter diligat bonum, non potestas propriè peccandi aufertur, sed voluntas, & eatenus tantum potestas, quatenus voluntas, quæ à malo per istam gratiæ delectationem avocata, vehementer affigitur bono; ita vice versa, cum liberum arbitrium concupiscentiarum delectationibus rapidissimè præcipitatur in malum, ut ardentissime illud diligat, non tam benefaciendi potestas ei tollitur, quam voluntas, & ideo potestas, quia voluntas, posse enim
Lib. de Spir & lit. c. 3. sequitur voluntatem. Ex quo illud Augustini tritissimum fluxit: *Hanc dicimus potestatem vbi voluntati adijcit facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere*, hoc est posse, *dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit.* Quam sententiam sæpius apud ipsum videre licet, & superius à nobis latius explicatam. Iuxta hoc
Vide lib. de grat. Christi Salvat. ipso.

principium Augustinus impotentiam illam benefaciendi, quam in incredulis & quibusque obduratis, excæcatisque cernimus, quantumcumque gratiâ destitutis, certissimæ culpæ deputat; tum quia ipsam sibi ipsi volendo pepererunt, tum quia ipsa eorum impotentia in vehementissimè nolendo sita est, quam nolendi vehementiam & inde impotentiam ardentissima concupiscentiæ delectatio facit. *Tract. 5. Ioan.* Itaque alibi de excæcatis loquens: *Quare autem non poterant credere, si à me quæratur, ita respondeo quia nolebant malam quippe eorum voluntatem præcidit Deus.* Et cum obiecisset eam ex excæcatione provenisse, qua posità videre non potest, respondet: *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo.* Et inferius: *non itaque mirum est, quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat.* Et iterum: *Sicut ergo quod Dominus seipsum regare non potest, laus est voluntatis diuinæ, ita quod illi non poterant credere culpa est voluntatis humanæ.* Hæc ergo firmitas ardorque voluntatis malæ, vehementi delectatione concupiscentiarum adiuta & incitata, parit benefaciendi impotentiam, quam sola voluntas superare non potest, quia velle non potest, ideoque ideo quia fortiter stabiliterq; non vult: cum qua tamen quia manet facultas illa liberi arbitrij interna & flexibilis benefaciendi, mala voluntas propter causam iam dictam rea est, quamvis nulla ei detur gratia, & habet quandam ad contraria indifferentiam, quamdiu in hac vita vivitur, ratione cuius si spiritus sanctus aspiraverit, bonam voluntatem seu velle, quod petulanter amissum est, iterum suscipere potest. *Ibidem.*

Quod si ista declaratio permanentis in hac vita indifferentiæ, seu, vt loquuntur, libertatis ad contraria intelligitur, iam facilè patet, quid de indifferẽtia contradictionis æstimandum sit. Nam hoc ipso quo semper adest libertas talis ad contraria, siue ante gratiam, siue sub gratia delectante atque determinante, necessariò quoque libertas ad contradictoria adesse debet. Posse namque facere malum tanquam contrarium boni illius quod gratia facit facere, est multo magis posse non facere hoc ipsum bonum. Quanquam & ipsum bonum, simili modo sub gratia delectante constituta, quando etiam reipsa facit, possit non facere, sicut potest & facere aliud malum. Sed sicut vtrumque contrariorum potest in sensu diuiso, non compositè, ita quoque vtrumque contradictoriorum posse dicendum est. Quod ex ijs quæ iam dicta sunt, tum isto præsenti capite, tum alio, vbi de libertate ad vtrumque sub physica prædeterminatione, aliquid secundum aliorum sententiam diximus, satis superque intelligi potest. *Cap. 4. sub hoc libro.*

CAPVT XXI.

CAPVT XXI.

Quomodo differat ista concordia gratiæ & liberi arbitrij ab opinione Calvini?

OBijcietur fortassis adversus istam gratiæ & liberi arbitrij concordiam, eam à sententia Calvini non differre. Sic enim utrumque invicem conciliat, ut dicat hominem vi gratiæ non ita trahi, ut sine motu voluntatis quasi extraneo impulsu feratur, sed intus affici, ut suâ voluntate obsequatur. Hoc est voluntariè tantùm, non liberè influere in opera bona voluntatem. Quæ sententia à Concilio Tridentino dissonat.

Respondetur, non omnia quæ hæretici docent, sunt hæretica. Mos enim solemnis omnium hæreticorum est, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur. Vnde Augustinus: *Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Lib. 2. qq. evang. q. 40. Itaque hæresis, eodem authore, veluti lepra est, quæ quemadmodum veris falsisque colorum fucis corpora humana variando maculat, ita hæresis vera falsis inordinatè permiscendo, totum doctrinæ vel sermonis corpus inficit: ut multa circumspectione opus sit, quâ mundũ ab immundo, verum à falso separetur. Quod enim Ecclesia de hæreticis iuxta sanctum Augustinum dicit: *In multis erant mecum, in paucis non mecum sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus non mecum.* In Psal. 54. Hoc Augustinus inverso ordine de Calvino dicere posset: *In paucis mecum, in multis non mecum.* Quod si qua in re Calvinus cum Augustino & antiquis PP. senserit non propter Calvinum Augustino indignandum est, sed propter Augustinum Calvino potiùs gratulandum: cuius mentem si in omnibus dignatus fuisset sequi, non veterum catalogum hæreticorum opprobrio suæ damnationis auxisset. Hæc igitur sunt, quæ Ecclesia in Calvino quantum ad hanc materiam gratiæ & liberi arbitrij improbavit, censura quæ suæ securitate damnavit.

Primum est, quod Calvinus negat esse in homine boni & mali electionem: quam tamen semper Augustinus libero arbitrio asserit. Sic enim loquitur Calvinus in lib. 2. Institut. *Liberi arbitrij hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, sed quia male voluntate agit.* Lib. 2. Instit. c. 2. Et §. præced. reprehendit illam sanissimam sententiam sancti Prosperi, quam lib. 2. de vocat. gent. tradit: *Liberum esse ijs, qui rationis iudicio utuntur, à gratia discedere, ut non discessisse sit præmium; & ut, quod non potest nisi Spiritu cooperante fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Tacitè carpit id quod Prosper Augustino concinens, multis sententijs cap. præcedent. tradidit, Deum sic in homine operari velle atque perficere, ut tamen idipsum possit si vellet non facere, seu ut Prosper loquebatur, *Vt à perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle non auferat.* Hinc & cap. 5. Calvinus dicit, *se evicisse voluntatem fieri, quod liberæ tamen electioni non subiaceat.* Cap. 5. Quod ex diametro cum sancti Augustini sensu pugnat, qui docet hominem liberè eligere non solùm malum, sed etiam bonum, atque ita eligere utrumlibet, ut illud, si nollet, non eligeret; quamvis bonum non nisi gratiâ præstante eligatur.

Secundum est, quod Calvinus doceat gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere. Sic enim loquitur: *Voluntatem* Dominus *movet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostra possea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari.* Lib. 2. Instit. cap. 3. Augustino verò Dominus ita movet voluntatem, ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur, possit tamen motioni Dei refragari, aut obtemperare, seu ut Concilium Tridentinum loquitur, *illi dissentire si velit.* Potentia quippe dissentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni & consensui, quamvis fieri nequeat, ut actualis dissensus cum actuali Dei motione iungatur.

Tertium est, quod nolit hominem gratiæ moventi pedissequâ voluntate consentire. Hęc enim expressa sunt ejus verba: *Hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pedissequâ voluntate obsequatur.* Ibidem. Hoc autem à modo, quo sanctus Augustinus gratiam cum libera voluntate conciliat, prorsus alienum est. Nam ipsius verba sunt: *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequâ non præeunte voluntate.* Epist. 106. Et ne quis hoc in alienum sensum detorqueret, ut Calvinus facit, quasi homo, quamvis pedissequam præberet voluntatem, non tamen obsequeretur gratiæ declarat alibi quid sibi velit, quando dicit: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Lib. de Spir. & lit. c. 34. Vbi per vocationem nihil aliud nisi gratiam vocantem quâ fit ut credat, intelligit. Et in eodẽ lib. dicit, quod *iustitiam, operatur Deus, cooperantibus creaturæ suæ voluntatibus.* Ibid. c. 5. Et Gelasius Papa in epistola ad Episcopos per Picenum, docet Apostolum quando ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* hoc monstrasse, *quod cooperator fuerit gratiæ subsequendo.* Gelas. epist. 5. ad Episc. Picen.

Quartum & principium omnium istorum præcedentium est, quod exsertè docet virtutem & vitium, bene agere & malè, non esse in nostra potestate. Nam in lib. 2. reprehendit illam

illam sententiam Philosophorum, quâ dicunt *virtutes & vitia esse in nostra potestate*. Itemque *agere & non agere esse nostræ electionis*. Paulò inferiùs carpit illam Chrysostomi sententiam tanquam falsissimam: *Quoniam bona & mala in nostra Deus potestate posuit, electionis liberum donavit arbitrium, & invitos non retinet, sed volentes amplectitur*. Et in cap. 5. damnat Chrysostomum dicentem, quod *hæc sit voluntatis nostræ facultas bonum aut malum eligere* Et sanctum Prosperum, quem ipse Ambrosium vocat, asserentem, *Nemo nemo unquam à fide recessurum fuisse, nisi mutabilitatis conditionem Dei gratia nobis reliqueret*, quod superiori etiam capite pro arbitrij potestate ad bonum & malum allegavimus. Hæc & huiusmodi, quibus Calvinus passim sensus suos prodit, liberum arbitrium à fundamentis suis convellunt. Quid enim ad liberum arbitrium radicitùs exturpandum capitalius excogitari potest, quàm bene & male agere, virtutem & vitium non esse in hominis potestate? Nam secundùm Augustini principia, liberum non est aliud, nisi quod est in nostra potestate, ut supra breviter, & alibi latissimè demonstravimus. Ex quo capite sanctus Doctor exsertè docet, non solùm id quod per se perspicuum est, quod vitia seu peccata sunt in nostra potestate, sed etiam de actionibus quibuscumque bonis: *In potestate hominis est, mutare in melius voluntatem*. Et alibi: *Vide nunc, utrùm quisque credat, si voluerit; aut non credat, si voluerit, profectò fides in potestate est*. Et in libris contra Faustum: *Sive autem iniquitas, sive iustitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate, porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna iusta esset: quod nemo sapit, nisi qui desipit*. Vnde alibi generaliter eodem planè sensu: *Homo rectè vivere cum vult potest*. Hoc enim est Augustino esse in potestate, quod *cum vult facit*, ut sapiùs jam ex ipso declaratum est. Ex hoc igitur in nobili principio sancti Augustini sæpiùs repetito & inculcato, necessariò sequitur, non solùm falsum esse & Augustino directissimè contrarium, quod proximè Calvinus dixit, sed etiam omnia illa præcedentia quæ notavimus. Nam hoc ipso quo justitia & bene vivere & credere, & mutare in melius voluntatem est in nostra potestate, etiam est in potestate nostra eligere bonum & malum, gratiæ Dei resistere & non resistere, obtemperare aut refragari: & hoc ipso illa eadem sunt nobis libera; quia liberum esse nobis non est, ut diximus, aliud quàm esse in nostra potestate. Nam esto gratia ad bene vivendum necessaria sit, non tamen propterea negandum est, aut Augustinus negat, bene vivere, non esse in nostra potestate.

Quintum denique est, quod fronte reteclâ tandem docet, non esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & exterminandum esse. Itaque quemadmodùm etiam recentiores notant, Calvinus ex modo agendi, quo pollet gratia prædeterminando voluntatem, liberum arbitrium apertè destrui dixit, cùm potiùs libertatem cum gratia conciliare debuisset. Itaque succumbens difficultati, quod hæreticorum proprium est, & in apertam hæresim erumpens, nomen quidem liberi arbitrij carpens, ita loquitur: *Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen exstitit. Graces verò non puduit multò arrogantiùs usurpare vocabulum. Siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem*. Et tamen arrogantius vocabulum nihil omninò aliud sibi vult, quàm quod Augustinus dicit, actus hominis *esse in eius potestate*, ut suo loco explicatum est. Et in eodem capite vocat *inane nomen*, quod inquit, *sine ingenti periculo non posse retineri censeo; magno contrà Ecclesiæ bono futurum, si aboleatur: neque ipse usurpare velim, & alios, si me consulent abstinere optarim*. De re verò ipsa censorium ejus decretum habes lib. 1. Institut. *Qui Christi se discipulos esse professi, in homine perdito & in spirituale exitium demerso* LIBERVM ARBITRIVM ADHVC QVÆRVNT, *inter Philosophorum placita & cœlestem doctrinam partiendo*, PLANE DESIPIVNT, VT NEC CŒLVM, NEC TERRAM ATTINGANT. Hi sunt ergo errores illi multi, & crassi, & graves, qui meritò sacræ Tridentinæ synodo displicuerunt, quibus iugulandis illud decretum conditum est, in quo sancit, quod homo *gratia liberè assentiendo & cooperando differatur* ad justificationem suam, quod *homo ipse nihil omninò agit inspirationem illam nec potens, quod illam & abjicere potest*. Itemque vetitum sub anathematis comminatione, ne quis dicat: *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum* NIHIL COOPERARI *assentiendo Deo excitanti, neque posse dissentire si velit*. Quod si inter omnes istos errores de concordia gratiæ & liberi arbitrij, qui à sancti Augustini principijs dictisque prorsus remoti sunt, Calvinus illam quoque philosophicam tetigerit quæstionem de natura liberi arbitrij, in quo sita sit, an sanctus Augustinus propter Calvinum luere debet? An ideo negandum est, quod apertissimum ac certissimum est, Augustinum videlicet & discipulos ac posteros ejus sanctos Patres, ita conciliasse gratiam cum libero arbitrio, ut gratia non cogat violentè voluntatem, sed suaviter ei velle tribuat; atque ita non nihil instar lapidis agat, sed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipso homine, sed ipse homo velit; an, hoc inquam, ideò negandum est, Augustinum sensisse, ac docuisse, quia Calvinus etiam in immunitate coactionis, libertatem videtur voluisse collocare? Noverat sancta Synodus Augustinum rectissimè de gratia & liberæ voluntatis concordia sensisse, ut cui ex ipsius Augustini doctrina totum istud, quod contra illa Calvini paradoxa definierat præformatum fuit. Noverat non potuisse talem concordiam præformari, nisi ab eo qui rectè quoque de

Lib. 2. inst. cap. 2. — *Ibid.* — *Cap. 5.* — *Vide lib. 6. de grat. Christi Salv. a cap. 3.* — *Lib. 1. retract. c. 22.* — *Lib. de spir. & lit. c. 31.* — *Lib. 2. de liber. arb. cap. 1.* — *Alvar. de auxil. disp. 22. 31. n. 5. disp. 92. 94. 98. & 100. Suarez lib. 3. de concurs. Dei c. 12. Calv. lib. 2. Instit. c. 2.* — *Vide lib. 6. de grat. Christi Salv. a cap. 3. usque ad 7. Calvinus lib. 2. inst. c. 2.* — *Lib. 1. c. 15.* — *Trid. sess. 6. c. 5.* — *Ibid. can. 4.*

de libertate sensisset. Noverat Philosophicam esse quæstionem, utrum libertatis ratio, à qua liberum arbitrium dicitur, in experte coactionis voluntate sita, an in indifferentia ad bonum & malum, ad agendum & non agendum; an verò nonnulla indifferentia, & qualis, libertati arbitrij in certis vitæ statibus per accidens juncta sit, & in quibus, & quousque se extendat. Itaque cùm accuratè quoque nosset, quicquid Calvinus de libero arbitrio gratiaque tradidisset, circumspectè selegit, quicquid de gratia liberoque arbitrio errorem saperet, Philosophicam verò de natura libertatis quæstionem taciram intactamque præterivit. Nempe perspectum omninò Concilij Patribus fuisse credo, Augustinum ac discipulos ejus (quicquid tandem aut verè dici aut subtiliter fingi possit eos sensisse) reverà tandem non aliter illam de concordia gratiæ & libertatis dissolvisse quæstionem, quam asserendo & multipliciter assiduèque inculcando contra Pelagianas querimonias, quod arbitrium *tangente Deo cor hominis, non nihil omninò agit*; quod arbitrium, *non nihil cooperatur* assentiendo Deo, quod *non velut inanime quoddam nihil omninò agit*, quod non invitum cogitur aut alius de ipso, sed ipse homo proprio motu vult. Nimirum & istud eos nullo pacto latuisse puto, responsionem istiusmodi non ex ignorantia veræ libertatis arbitrij, sed ex ipsissimis eorum principijs quæ de libero arbitrio constituerant profluxisse, & verò profluere debuisse. Vnde & ipsum Concilium ijsdem omninò phrasibus ex Augustino desumptis usum est, ut illam gratiæ cum voluntate concordiam quæ ab Augustino tradita est, se probare testaretur. Quisquis enim Augustini veterumque monumenta paulò attentius volutaverit, ignorare difficulter potest, quantâ orationis luce tum S. Augustinus, tum S. Bernardus cum duobus eruditissimis amicis suis Hugone & Richardo de S. Victore (ut nihil de intermedijs dicam) ipseque adeò Magister Sententiarum cum illis primis doctis ac sanctis Commentatoribus suis, solam coactionis necessitatem ab arbitrij libertate submoverint, quamvis ei in hac vita quandam agendi & abstinendi, boni faciendi ac mali indifferentiam alio ex capite adesse non negaverint. Scio equidem nonnullos Recentiores, ut suas liberas de divina gratia ac de dominatu voluntatis super ejus influxu & efficientia, opiniones plausibiles reddant, ad nomen incoactæ voluntatis exhorrescere: sed scio etiam intolerabili antiquitatis imperitia eos in sententias illas lapsos esse, & ab illa liberi arbitrij & gratiæ intelligentia, quam Augustinus ac discipuli ejus cum tota Ecclesia antiqua tradiderunt esse remotissimos. Ex quo effectum est, ut non pauca, neque exigua doctrinæ capita à suis pulputis proscripserint, de quibus veteres haud secus ac de principijs primo-veris non dubitabant. Argumenta quibus vel ea improbant, vel sua probant, sola doctrinæ à majoribus traditæ ignoratione, & humanæ ratiocinationis libertate nituntur. Horum vocibus voces Patrum nostrorum præponendas esse duxi, majoremque doctrinæ antiquitus constanter traditæ à sanctissimis eruditissimisque viris, & extra omnem improbæ suspicionis aleam constitutis, habendam esse rationem, quam præoccupatarum opinionum, quam Philosophia peperit, educavit, ac fovit. Ad Ecclesiæ Romanæ Canones, doctrinamque sive antiquitus sive recentius ejus calculo cõprobatam veniendum est. Quicquid ab hac dissenserit, non novâ disputatione ventilandum, sed novâ damnatione comprimendum est. His neglectis quisquis arenam ingredi voluerit, ut de gratiæ & liberi arbitrij natura cum Hæreticis vel Catholicis disputet, & humanis opinionibus maximeque Philosophicis, quæ juxta temporum & geniorum varietatem oriuntur & occidunt, figuntur & refiguntur, omnia aptando & metiendo, probabilia aut verisimilia potiùs quàm vera dicat, magnorum lapsuum periculo non carebit, gravissimas perturbationes in Ecclesiasticam doctrinam invehet, ludibrij ab Hæreticis perpetiendi locupletissimum argumentum dabit. Vt planè multò satiùs fuisset, nonnullos de isto argumento prorsus tacuisse, quam doctrinam Ecclesiæ plausibilibus suspicionibus accommodando tuendoque, talem ei vultum induere velle, ut periti antiquitatis Catholici gemant, Hæretici rideant; utpote quam ita deformatam, certissimò norint ab antiquæ doctrinæ lineamentis discrepare. Quemadmodum non pauca in præcedentibus demonstrata sunt.

Sunt verba Conc. Trid. Sess. 6. c. 5 & Can. 4.

FINIS.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS.
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER NONVS.
Qui est de prædestinatione hominum & Angelorum.

PRÆFATIO

EXPEDITIS iis quæ de medicinalis gratiæ natura, effectibus, diversitate, & concordia cum libero voluntatis arbitrio dicenda videbantur, reliquum est ut nonnihil etiam de causa ejus, hoc est, de prædestinatione, itemque de reprobatione, utriusque status comparatione, innocentis damnatique dicamus. Disputatio quippe de prædestinatione tam conjuncta est ei quæ de gratia instituitur, ut natura unius ad unguem sciri sine alterius cognitione non possit. Vnde proficiscitur, ut quot in partes Neotericorum scholæ de gratiæ operatione distractæ fuerint, totidem etiam opinionum dissensionibus inter se de prædestinatione contenderint. Nam alii de salute totius creaturæ rationalis, ante prævisa ulla merita vel bona vel mala, decretum immutabile sancitum esse volunt, quo quibusdam præteritis, quidam in gloriam assumerentur: alii tale decretum de nullis assumendis aut relinquendis, ante prævisa merita esse conditum: alii aliter de rebus istis disserunt, suo quisque modo, prout gratia quam tuentur, postulaverit. Ex quo effectum est, ut non exiguis quoque tricis ista materia implicata sit; dum suos pars quæque nervos intendit ut opinionem suam, vel Dei magnificentiæ & libertati, ac dominatrici potestati, vel hominum illorum consolationi accommodet; qui nihil impatientius ferunt, quam salutem suam in aliena potestate esse constitutam. Vtrimque philosophia non mediocriter suas partes egit, cujus principiis magis utraque pars, quam antiquæ & Augustinianæ doctrinæ nititur. Hanc enim si magna ista ingenia vel indagando penetrassent, vel tanta sedulitate indagare statuissent, quanta subtilium & plausibilium rationum argumenta sectati sunt, inveniissent, quantum mihi conijcere licet, aspera in vias planas. Nam præcipuæ difficultates in hanc materiam, ex nimia ratiocinationum philosophicarum contentione accersitæ sunt. Nos igitur Deo conatibus nostris aspirante, de præcipuis nodis, sanctissimi Doctoris mentem, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ sensum, quàm fieri poterit fidelissime, brevissimeque declarabimus. Nam de omnibus istis subtilitatibus disserere, quæ nunc in scholis disputantur, nec nostri instituti est, nec verò necessarium. Nam ex ijs quæ dicturi sumus, pleraque per seipsa consequentur.

CAPVT PRIMVM.

De nomine prædestinationis. Scripturis & Patribus non est aliud, nisi prædefinire, prædecernere, præstituere.

VT igitur à nomine prædestinationis ordiamur, notant scholastici communiter, dupliciter verbum *destinare* sumi; aliquando promittere; aliquando pro *animo proponere* seu *decernere* quo sensu dicitur de Eleazaro: *Destinavit non admittere illicita*. Et ad Corinthios: *Vnusquisque prout destinavit in corde suo.* *Machab. 2 c. 6. 2. Cor 9.*

Quidam igitur à prima significatione prædestinationem sumptam esse volunt, ut prædestinare sit idem, quod præmittere aliquem ad vitam æternam, antequam videlicet reipsa fiat; atque ita secundum illam significationem nominis, definivit prædestinationem esse rationem transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Vbi cum videatur includi via & terminus, quasi medium & finis, orta est disceptatio nonmediocris, utrum prædestinatio tantũ esset respectu finis, an medij, an utriusque, singulæ quippe partes istæ suos defensores validos inuenerunt.

Sed quid de ratione nominis *prædestinatio*, adeoq; de tota materia prædestinationis sentiri debeat, & quid respiciat, gratiam, an gloriam, medium, an finem, aliaque similia ex scripturis illis, ad amussim congruente veterum sententia, eruere non est difficile. Et ex scripturis quidem apertissimum est, verbum prædestinandi, prout illud in rebus theologicis usurpari cœpit, non esse sumptum à mittendi significatione, sed proponendi, statuendi, decernendi; ut prædestinare nihil aliud sit, quam proponere, decernere, seu, ut tota vocis significatio exprimatur, prædecernere, prædefinire, prædeterminare aliquid, quod latini propriè dicunt *præstituere*, ita ut illa vocula, *præ* superaddat tantummodo antecessionem æternitatis, in qua propositum conceptũ est, ad tempus quo Deus exequitur ea quæ proposuit. Hanc esse genuinam verissimamque nominis significationẽ, inde claret, quod verbum prædestinandi, cum sit scriptoribus latinis inusitatum, sed Ecclesiasticum scripturisq; proprium, in tota earum latitudine non aliter usurpatum est, quam ut exprimeret id quod græco textu dicitur ὁρίζειν & προορίζειν. Est autem certissimum nec ὁρίζειν, nec προορίζειν, ullam omnino habere mittendi significationem. Nam ὁρίζειν, præter significationem terminandi seu limitibus suis circũscribendi aliquid (ὅρος enim terminus seu limes est) proprie significat definere, statuere, constituere: & προορίζειν, prædefinire, prædecernere, præfigere, quod latinis est *præstituere*, secundum id quod Poëta dixit,

Dij summum præstituere diem. *Ouid.*

Hoc enim Theologi dicerent: Deus summum prædestinavit diem. In hac igitur significatione usurpatur verbum prædestinandi, ubicumque in scripturis occurrit: ut in Epistola ad Romanos: *Nam quos præscivit & prædestinavit.* Et ad Corinthios: *Loquimur Dei sapientiam inter perfectos, quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Et ad Ephesios: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Et rursus ibidem: *Prædestinati secundum propositum ipsius*; in quibus omnibus locis est græce verbum προώρισε & προορισθέντες, prædefinivit, prædecrevit. & προορισθέντες, prædefinit. Et quia omnis Dei prædefinitio, hoc ipso quo Dei est, præcedit æternitate sua effectus temporales, qui ex ea proficiscuntur, hinc fit, quod loco προορίζειν, prædestinare, prædefinire, prædecernere, usurpetur aliquando ipsum simplex ὁρίζειν, definire, decernere, ut in eadem Epistola ad Romanos: *qui prædestinatus est filius Dei*, græce, τὸ ὁρισθέντος, id est, qui definitus seu decretus est esse filius Dei: Itaque sicut noster interpres isto loco simplex, ὁρίζειν, id est, definire accepit & reddidit per compositũ, προορίζειν ita multis aliis in locis idẽ simplex verbum eodem modo ac sensu reddere potuisset, ut apud sanctum Lucam: *Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit*, græce, κατὰ τὸ ὡρισμένον. Et in actis Apostolorum: *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum*, græcè, τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ. Et alio in loco, *definiens statuta tempora*, græce ὁρίσας quod alibi redditur clarissime per, statuit, constituit. *Iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit*, græce, ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε. Et alibi: *Testificari quia ipse constitutus est à Deo iudex vivorum &c.* græcè, ὡρισμένος. In quibus omnibus locis verbum simplex, ὁρίζειν non aliam habet significationem, quam ad Romanos primo versu quarto, ubi nihil aliud significat quam definitus, decretus; & tamen redditur per *prædestinatus*, & eodem modo in omnibus istis citatis locis reddi potuisset, si Interpreti illam antecessionem æternitatis, quæ per particulam (*præ*) significatur, & in omni Dei decreto ac definitione involuitur exprimere placuisset. Nam hinc etiam nascitur è contrario, ut verbũ προορίζειν prædefinire seu prædestinare, prædecernere, aliquando reddatur in scripturis per simplex *decernere*, ut in actis Apostolorum: *Convenerunt facere quæ manus tua & consilium decreverunt fieri*, græce singulariter, προώρισε γενέσθαι, id est, prædecrevit, seu prædestinavit fieri. Nam sic jam olim legit sanctus Augustinus libro de prædestinatione sanctorum: *Facere*, inquit, *quanta manus tua & consilium prædestinavit fieri.* Quod etiam statim eodem verbo repetit:

Rom. 8. v. 29. Cor 2. v. 7. Ephes. 1. v. 5. Ibid. v. 11. Rom. 1. v. 4. Luc. 22. 22. Act. 2. 23. Act. 17. 26. Act. 17. 31. Act. 10. 42. Act. 4. Aug. lib. de prædest. Sanct. c. 16.

Tania

Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consiliũ prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Euangelio &c. Et post aliquot interiecta capita in eodem opere: *Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adiuvando, vel indicando, vt etiam per eos impleatur quod manus eius & consiliũ prædestinauit fieri.* Nempe quia hoc ipso quo est decretum Dei, antecedit æternitate temporalem eventum, qui decretus est, & hoc ipso prædestinatus. Nam quando de Dei decretis loquitur respectu effectuũ temporalium sive dicas, ὁρίζειν, sive, προορίζειν id est, sive dicas decernere, sive prædecernere, sive definire, sive prædefinire, sive statuere, sive constituere, sive præstituere, sive destinare animo, sive prædestinare, in idem redit, & idem omnino significatur. Nam quando Deus aliquid decrevit seu destinavit facere, hoc ipso etiam prædecreuit, seu prædestinavit facere.

Lib. de præd. Sanct. c. 10.

Hęc igitur est ratio cur sanctus Augustinus, qui notitiam prædestinationis non ex Philosophia, sed ex scripturis sacris, vbi vsurpari & nobis insinuari cœperat, hauriendam esse sciebat, quando de illa loquitur, indifferenter verbis, prædestinandi, definiendi, præfigendi, statuendi, constituendi, ordinandi, disponendi vtitur; quibus omnibus nihil aliud significatur quam quod Deus decernit hoc vel illud isto vel illo modo, hac vel illa hora facere, quod facere prædestinauit: ut in tractatibus in Ioannem, de horis ac momentis operum Christi loquens, quæ Deus prædestinauit ut fierẽt, sæpius dicit, *Omne tempus, quid & quando faceret vel fieri sineret à Deo esse dispositam horã Deo ordinante venisse*; Patrem cum filio *tempus nativitatis & clarificationis constituisse*; & hujusmodi, hoc est prædestinasse. Nam de eadẽ clarificatione tract. sequẽti loquens *Ad hoc* inquit *valet quod ait Et nũc clarifica me, hoc est sicut tũc ita & nũc sicut tunc prædestinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te tam fuerat ante mundum*; *Fac in tuo tempore, quod ante omnia tẽpora* STATUISTI. Et adhuc de eadẽ clarificatione, tractatus cẽtesimo sexto, quod ante dixit *statutum*, & *constitutum, dispositum, ordinatum*, hic dicit, *qui sciret prædestinatum esse nisi fieret.* Itemque explicans, quo pacto scriptura dicat aliquando, Deum fecisse, quæ tamen nondũ facta sunt respondet hoc dici prędestinatione, verbumque prædestinandi, & præfigendi indifferenter usurpat: *Qui certis & immutabilibus causis omnia futura prædestinavit quod facturus est fecit.* Et tractatu sequente: *Loquebatur quasi fecisset, quod immobiliter esse præfixũ sciebat ut faceret.* De qua re paulo superius loquens dixerat: *Illud prædestinandum erat, quod nondũ erat: ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret.* Pro quo alibi verbũ *præfiniendi* adhibet quando dicit, quod Deus nulla tẽpora *brevius vel productius, quã modulatio prænotata & præfinita deposcit, præterire permittit.* Alibi verbũ *definiendi. Ita se habet da prædestinatione definiri à sententia voluntatis Dei.* Alibi verbum *seruandi*, itemque *præparandi in voluntate*; seruare vero & præparare aliquid in voluntate, nihil prorsus aliud est quam velle, statuere, vel decernere. Nam de Ezechia loquens: *Id vtique faciens Deus, quod ante constitutionem mundi facturum præsciebat, & in sua voluntate seruabat.* Et alibi: *Dicimus, fieri si Deus voluerit: non quia Deus nouam voluntatem quam non habuit, tunc habebit, sed quia id quod ex æternitate in eius immutabili præparatũ est voluntate tũc erit.* Quod paulo ante per verbum *præscendi ac disponendi* itemque per *voluntatem cum præscientia sempiternam* expresserat, quibus ipse sexcenties in libris duobus ad Prosperum & Hilarium naturam prædestinationis comprehendit.

Tract. 106. *Tract. 105.* *Epist. 28.* *Lib. de dono pers. c. 22.* *Lib. 6 de Gen. ad litt. c. 13.* *Lib 21. de ciuit c. 2.*

Similiter S. Prosper, quoties de prædestinatione Dei tractat, indifferenter verbis *prædestinationis, constitutionis, dispositionis* vtitur. Nam cum galli quidam referrent in fidelitatem hominum ad prædestinationẽ Dei: *Infidelitas*, inquit, *non ad constitutionem Dei sed ad præscientiam referenda est*, quod aliquoties repetit. Alibi vero loco prædestinare, dicit *disponere*.

Ad Capit. 2. Gall. vid. de ibid & sequent 2. vide ad 9. obiect 10. Vincent.

Quæ quidem tam prolixe ex Augustino adduxi, vt pateret, nonaliam eum agnoscere significationem verbi, *prædestinare*, nisi illam quam ex scripturis hauserat: in scripturis vero nullã omnino aliam vsurpari, nisi eam quæ in græco textu unde latinus expressus est apertissimè reperitur. Ibi vero non significat aliud, *prædestinare*, quam prædefinire, prædecernere, præstituere, & hoc ipsum non significat aliud respectu Dei, quam definire, statuere, decernere, sicut ipsemet sacer textus latinus hoc ipsum verbum προορίζειν quod *prædestinare*, plerumque vertitur, subinde reddidit.

Quemadmodum & contrario, τὸ ὁρίζειν quod plerumque pro definire seu statuere usurpatur, aliquando per *prædestinare* vertitur.

CAPVT SECVNDVM.

Inferuntur ex prædictis quatuor Corollaria. Et in primis, quod prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium quam finem, nec magis finem quam medium Fusè, quod gloria sit etiam obiectum prædestinationis.

EX hoc itaque tam simplici & aperto principio, non est difficile multas quæstiones quarum aliquas ingenij sui subtilitate scholastici implicuerunt, expeditissimos reddere quemadmodum in Augustino & antiquis Patribus, veris Ecclesiasticæ prædestinationis

nationis interpretibus, omni difficultate carent. Nam in primis hinc patet, prædestinationem non esse de rebus æternis & immutabilibus, sed de illis quæ temporibus suis fieri debent. Decreta quippe & prædestinationes Dei de rebus in tempore decurrentibus sanciuntur, iuxta illud Augustini: *Recte dicitur filius Dei, non prædestinatus secundum id quod est verbum Dei, Deus apud Deum. Vt quid enim prædestinaretur cum iam esset, quod erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat, quod nondum erat ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat vt fieret.*

Tract. 105. in Ioan.

Hinc secundo patet, prædestinationē Dei non esse de rebus alienis hoc est quæ ab alio fieri debent, quatenus ab alio; sed de suis, hoc est, de iis quæ in tempore Deus ipse facturus est. Illa quippe decernimus proprie quæ nos ipsi facturi sumus, & si quid forte de rebus alienis constituimus, decretum istud non aliter efficaciam & effectum suum habet, nisi quatenus nos ipsi facimus, siue suadendo siue minando, siue cogendo, siue aliter operando ut ab alio fiat. Hinc est igitur, quod plurimis locis tradit Augustinus, prædestinationē de iis esse quæ Deus ipse facturus est. *Hæc* inquit, *se Deus facturum esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum.* Et multo post, cum præscientiam pro prędestinatione subinde accipi docuisset: *Sed prædestinasse*, inquit, *hoc est, præscisse, quod fuerat ipse facturus.* Et in lib. de prædestinatione sanctorum: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse, potest autē esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuit ipse facturus.* Et interius: *Hæc se Deus facturum esse præscivit, ipsa est igitur prædestinatio sanctorum.* Et iterum paucis interiectis: *Cum ergo nos prædestinavit, opus suū præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit.* Vnde illa sancti Doctoris definita & absoluta sententia: *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia* OPERA SUA FUTURA *disponere, id omnino, nec aliud quicquam est prædestinare.* Quo fit ut apud Augustinum reciproca sint, seu ut loqui solent, convertibilia, Deum aliquid ab æterno prædestinare, & in tempore facere, seu prædestinatio & opus Dei, quia videlicet quicquid Deus prędestinat ab æterno, hoc in tempore facit, & vice versa, quicquid in tempore facit, hoc ab æterno prædestinavit ut faceret. Non enim aut ignarus, aut casu, aut fortuna quicquam, sed omnia ex proposito seu decreto deliberato, æterno & immutabili fecit, secundum *suam secretissimam, eandemque insitissimam & sapientissimam voluntatem.*

Lib. de dono pers. c. 7.

Cap 18.

Lib. de prædest. sanct. c. 10.

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 19.

Lib. de dono pers. c. 17.

Hinc tertio patet prædestinationem Dei in sua ratione, non magis respicere medium quā finem, nec magis finem quam medium. Decreta quippe seu prædestinationes Dei indifferenter cadunt super omnibus omnino quæ Deus facit, siue medium id fuerit, siue finis. Vnde si Deus alicui cœco constituerit oculos reddere, vel lumen solis præbere, ut pro sua nativa libertate illis utatur, sive aperiendo & cernendo, sive claudendo, prædestinatio eius cadit super medium visionis, non super ipsam visionem quæ est veluti oculorum & luminis finis. Et è contrario, si prædestinaverit alicui cuiuspiam operis ex libertate perpetrati mercedem reddere, prædestinatio est circa finem, non circa medium. Ex quo etiam proficiscitur, &c.

Quarto patet, prædestinationem prout de illa scripturę sacrę & sancti Patres locuti sunt, non minus esse de gloria Sanctorum, quam de sanctitate, hoc est, non minus esse de meritis liberationis, quam de præmio ejus, non minus de mercede bonorum operum, quam de bonis operibus, non minus de gratia, quam de gloria, & contra. Tam est enim necessarium, ut Deus decernat ac prædestiniat unum dare, quam alterum. Neutrum enim quisquam suis viribus sibi comparare aut obtinere potest, sed utrumque est opus & munus Dei, gratia & gloria, meritum & præmiū, medium & finis, & consequenter utrumq; prędestinatum, iuxta illud *gratiā & gloriam dabit Dominus*; & illud Augustini generaliter de donis & beneficiis Dei: *Quod si & dantur à Deo, & ea se daturū esse præscivit, profecto prædestinavit*: quod toto libro de dono perseverātię, de quibuslibet donis Dei instanter inculcat. Cujus sane apertissimi principij sui filum sequens, innumeris locis non solum gratiam illam qua bene operamur, seu opera bona fidei, spei, & charitatis, sed & ipsam vitam æternā ac gloriam à Deo prædestinatam esse decernit. De operibus bonis seu gratia, nulla in scriptis ejus dubitatio esse potest; qui præterquam quod ex professo totis libris de prædestinatione ac de dono perseverantiæ, docet fidem ipsumq; credere & converti ad Deum, itemq; perseverare & bene operari, esse opera ac dona Dei, ab ipso homini prędestinata & collata diversis verbis dicit: *Inter gratiam & prædestinationē hoc tantū interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia vero ipsa donatio.* Itemq; *gratia est prædestinationis effectus.* Vnde illud ex centies in libris repetitum: *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Quid verò est quod Deus in hominibus facit in hac vita tota, nisi gratiam, & per gratiam opera bona? Itaq; locum illum Apostolicum exponens, *ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio*, apertissimè dicit, quod istis verbis Apostolus, *non de nostra voluntatis potestate, sed sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant, quæ præcepit, non illis faciunt, ut ipse faciat quod promisit.* Et generaliter aduersus Massilienses de omnibus divinæ gratiæ donis loquens, per quæ in operibus bonis & exordio vitæ bonæ in finem vsque ambulamus: *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, antea se daturum*

Lib. de dono pers. c. 17.

Lib. de prædest. sanct. c. 10.

Ibid.

Ibid.

Lib. de dono pers. c. 17.

daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit. Quam doctrinam non ex alio hausit quam Apostolo Paulo, qui clare dicit: *Qui prædestinat nos in adoptionem filiorum Dei.* Et: *Loquimur sapientiam Dei quam prædestinavit.* Et: *Qui prædestinatus est filius Dei.* Super quo loco sanctus Doctor: *Ea gratia sit ab initio fidei suæ homo quisque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus &c. Hæc se Deus esse facturum præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum quæ in sancto sanctorum maximè claruit &c. Prædestinatus est ergo Iesus ut qui secundum carnem futurus erat filius David, esset tamen in virtute filius Dei &c. Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa provectio &c. Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra eius essemus.* Et Ananias de Paulo ad credendum noscendumque Christum prædestinato: *Deus Patrum nostrorum præordinavit te ut cognosceres voluntatem eius, & videres iustum & audires vocem ex ore eius.*

De gloria vero quod & ipsa homini prædestinetur, disertissimis verbis idipsum Augustinus multis locis ac modis tradit. Nam in primis manifestum est in scriptis Augustini, quod, ut jam paulò antè diximus, quicquid in hominibus facit, iisque donat Deus, hoc Deus prædestinavit ut faceret ac donaret. Nam ut ipse semper argumentatur, Deus non nescius id se facturum daturumque facit ac donat; ergo prædestinavit: *Prædestinatione quippe Deus ea præscit, quæ est ipse facturus.* Et vice versa, si aliquid eorum quod donat, non est prædestinatum inferre solet: *Ergo nec datur à Deo, &c. si se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Iam vero certum est, Deum qui dat gloriam, Deum esse qui eam in hominibus facit, nam ut quid alioquin dicit; *Eripiam & glorificabo eum?* Vt quid dicit, *Quos prædestinavit &c. illos & glorificavit?* Vt quid dicit: *Gloria & honore coronasti eum?* Vt quid omnium in agone certantium animos tam instanter excitando, iterum iterumque clamat: *Esto fidelis vsque ad mortem, & DABO tibi coronam vitæ: Vincenti DABO manna absconditum, & DABO illi calculum candidum. Qui vicerit DABO illi potestatem super gentes; & DABO illi stellam matutinam. Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Denique qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.* Vt quid inquam ista toties scriptura dicit, si non est Deus qui gloriam cœlestem & coronam vitæ donat, & columnam immobilem in templo Dei facit? Quod si eãipse Deus dõnãdo in hominibus facit, profectò eã donare ac facere prędestinavit.

Illud ipsum ex natura quoque orationis manifestum est. Constat enim Ecclesiam non solum pro gratia, sed pro ipsa quoque gloria & regno Dei vehementer orare, ut illius quandoque potiatur. Hoc enim petit, quando quotidie clamat ad Deum: *Adveniat regnum tuum,* quemadmodum & Augustinus non uno loco exponit, ex ipsisque verbis perspicuum est. Hoc in orationibus missæ petit frequentissime. Oratio vero signum prædestinationis est certissimum. Nam ex illa fidem prædestinationis gratiæ & bonorum operum semper in Ecclesia Dei fuisse, arguit Augustinus invictèq; concludit. *Hæc igitur,* inquit, *quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit poscit Ecclesia, ista Deus vocatis iis daturum se esse præscivit. & in ipsa prædestinatione tam dederit.* Et infra vim orationis, fidei & operum ponderans: *Ille itaq; dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius & gratiæ, qui dicere audet, aliquando eam non ORASSE, vel non veraciter orasse, sine ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles;* addere potuisset nisi hoc ipsi hæretici credidissent, sive ut eis *adveniret regnum Dei, ut acciperent regnum decoris & diadema speciei de manu Domini: ut perfectam libertatem consequi; ut pervenire ad gaudia æterna mereantur, ut resurrectionis gratiam consequantur, ut eos Deus gaudijs faciat perfrui sempiternis.* De quibus Dei beneficijs quę ab Ecclesia poscuntur à Deo, concludendo pro eorum prædestinatione subjungit: *Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit, nec ab illo esse præcognita, unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis huius fidem, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Quæ sanè perspicuè convincunt, non solum regnum & gloriam Dei sanctis esse prædestinata, sed illius doctrinæ Catholicam fidem, tam de gratia quam de gloria, tam de medijs quam de fine, semper Ecclesiam in suis precibus habuisse. Semper enim fide credidit, illa precibus à Deo esse postulanda; ergo semper credidit esse dona Dei; ergo semper Deum esse ea daturum præscivisse; ergo prædestinasse.

Et sane si definitionẽ Augustini ab omnibus receptissimam consulamus, nihil euidentius, quam utramque à prædestinatione pariter respici; utramque hominibus prædestinatione conferri. Cum enim prædestinatio sit *præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur,* quis sanæ mentis vel dubitare sinitur; quin homines non minus immortalitate corporis & lumine gloriæ visionis Dei à miseriis, quam à gratia liberentur? An forte istud grave mortalitatis iugum, quod hominibus in pœnam impositum est, non est miseria; non est malum? A quo igitur etiam iusti & morti proximi petunt liberari, quando cũ tanto gemitu quotidie clamant: *Libera nos à malo?* Vt quid clamat Christi: *Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Vt quid omnium fidelium in se personam exprimens dicit: *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes & ipsi intra nos gemimus.* Cur, quare, quam ob causam? *Redemptionẽ expectantes corporis nostri.* Quod etiã certo futurũ spondẽs: *sed & ipsa creatura,* inquit, *liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cũ ergo corpus mortis & servitus illa corruptionis, sub quo imprimis durus ille assiduusq; stimulus inquietæ concupiscentiæ

1 Ephes. 1. 1 Corinth. 2. Rom. 1. — lib. de dono perf. c. 15. — Act. 22. — Lib. de prædest. Sanct. c. 15. — Lib. de dono perf. c. 17. — Psal. 90. — Rom. 8. — Psal. 8. — Apocal. 2. — Ibid. 3. — Lib. de dono perf. c. 23. — Ibid. — In orationibus quæ tempore paschali dicuntur. — Lib. de dono perf. c. 14. — Rom. 7. — Rom. 8.

compreh endatur, tam magnum malum sit, ut Apostolus Christi & universa Ecclesia, tanto gemitu ab eis liberari petat, fieri profecto nequit, quin illa libertas gloriæ, per quam certissime ab eis liberantur, sit immensum Dei beneficium. Hoc ergo imprimis prædestinatur. Nam prædestinatio, non est aliud, nisi præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.

Hinc ergo nascitur quod Augustinus, ut omnem nobis ambiguitatem tolleret, sæpissimè exsertis verbis indicet, prædestinationem non solum fidem, opera, perseverantiam, sed ipsam quoque gloriam respicere, idque tot modis, ut nemo possit, nisi pervicax de veritate dubitare. Nam subinde dicit nos prædestinari *ad vitam æternam*, quæ non est aliud nisi gloria per claram visionem Dei: *Lib. 20. de civit. c. 7.* *Nam seducere illum* (diabolum) *gentes etiam nunc & secum trahere in æternam pœnam, sed* B *Tract. 54. in Ioan.* *non prædestinatos in æternam vitam quis fidelis ignorat?* Et in tractatibus in Ioannem: *Quidam crediderunt prædestinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves suas.* Et alijs in locis. Subinde prædestinari in æternam salutem: *In Psal. 87.* *Quia solis prædestinatis in æternam salutem eius* (Christi) *bona opera profuerunt.* Et alibi *Advocantur ad pœnitentiam qui vocati sunt ad salutem.* Subinde prædestinari regno, in regnum, ad regnum: *Lib. de cor. & gratia c. 13.* *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam, Dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur.* Et ibidem. *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei.* *Ibid. c. 12.* Et paulo ante: *Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adiutorium datur* &c. quos in eodem libro vocat *electos ad regnandum, ad obtinendum regnum,* & *Serm. de cavendis scandalis in append. Lib. de dono pers. c. 22.* huiusmodi. Subinde prædestinari ad hæreditatem cœlorum: *Si aqua & spiritu renati si* C *ad hæreditatem cœlorum prædestinati, vtique filij Dei.* Subinde prædestinari in regnum & gloriam: *Si qui in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, neque usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Et in eo- *Ibid. c. 21.* dem libro dicit perseverantiam ab eo donari, *qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam* Et in psalmum centesimum quintum: *In Psal. 105.* *Diabolus & Angeli eius captivaverant prædestinatos in Dei regnum & gloriam.* Et in libris de Civitate Dei: *Ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in* *Lib. 9. de civit. c. 21.* *suum regnum & gloriam semper veracem & veraciter sempiternam.* De quibus alibi dicit: *Lib. de dono pers. c. 17.* *Prædestinatos esse quos liberat & coronat.* Denique cum tractaret Apostoli verba quibus dicit: *Quos prædestinavit hos & vocavit &c. iustificavit, glorificavit,* & glorificationem non mi- *Rom. 8.* nus, ac vocationem, & justificationem ex prædestinatione fluere significat, unâ sententiolâ discernens & complectens omnia quæ sub prædestinationem Dei cadunt: *Verba,* inquit, *præteriti temporis posuit* (Apostolus) *de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus,* *Lib. de Cor. & gratia. c. 9.* *quæ iam ut fierent ex æternitate disposuit,* hoc A est, prædestinavit. Sic enim prædestinationem *Vide lib. de dono pers. c. 17. & tract. 104.* non uno loco exprimere solet. Vbi & glorificationem nostram tradit iam Deum in sua prædestinatione fecisse, hoc est, prædestinasse. Nam latius uberiusque ipsum explicans: *Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præscit, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, tam filij Dei sunt, & omnino peccare non possunt.* Vbi sicut perspicuum est, quod in *in Ioan.* *Eodem loco de Cor & gratia.* Dei providentissima dispositione vocari, & justificari, non sit aliud, quam vocationem, & justificationem hominis prædestinari, ita non minus perspicuum est quod in Dei providentissima dispositione glorificari, sit glorificationem prædestinari.

Hæc itaque & hujusmodi, quibus Augustini lucubrationes plenæ sunt, profectò evidenter ostendunt, prædestinationem veram Dei, quæ antiquæ Ecclesiæ innotuit, non minus gloriam quam gratiam, non minus meriti præmium, quam præmij meritum respicere, cum utrumque Deus debeat in prædestinatis suis operari, ut non solum de gratiæ & meritorum, sed etiam de regni & gloriæ & cœlestis hæreditatis collatione, non in seipsis aut viribus suis, sed in Domino glorientur. Vt sanè vehementer mirandum sit de illa Scholasticorum libertate, qua tanquam de re parvi momenti, confidenter asserunt, alij prædestinationem non versari circa gloriam, sed tantum circa gratiam, alij circa solam gloriam, non circa gratiam. Est enim, juxta Augustini doctrinam, non opinio, sed Catholica fides, prædestinari homini non solum gratiam sed & gloriam & regnum Dei, non solum gloriam, sed & gratiam Dei, eamque ab initio inchoationis fidei, usque ad finem consummationis perseverantiæ: idque hoc ipso quo Catholica fides docet, & Ecclesia in precibus suis quotidianis professa est semper, & huc usque cum scriptura profitetur, *gratiam* *Psal. 83.* *& gloriam dabit Dominus:* quòdque Deus utrumque & meritum & præmium in homine debet misericorditer operari. In qua professione intrinsecè & essentialiter continetur, quod Deus utrumque se donaturum & facturum præsciverit, & proinde prædestinaverit. Nam Deum prædestinare non est aliud, ut sæpissime inculcat Augustinus, quam in sua præscientia opera sua futura disponere, hoc est, in sua præscientia decernere id quod in tempore ipse facturus est.

Quam ob causam sanctus Fulgentius, Augustini discipulus, eandem doctrinam tanquam certissimam, & ex scripturis hausta inculcat graviter & crebrò repetit, ut in libro primo ad Monimum: *Quos prædestinavit ad* *Lib. 1. ad Monimum* *gloriam prædestinavit ad iustitiam.* Et paulò an- *Ibid.* D tè: *Hæc autem omnia, id est & vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in iustificatione, & in glorificatione sanctorum, gratia sua opera futura præscivit.* Et in libro tertio de veritate prædesti-

prædestinationis & gratiæ, cum Apostoli locũ adduxisset, *Quos prædestinavit hos & vocavit* &c. sic subjungit: *Omnes isti prædestinati sic vocantur vt iustificentur, sic iustificantur vt glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit & ad opera bona & ad præmia sempiterna; prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam; prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem; prædestinavit adoptandos in seculo, prædestinavit glorificandos in regno* &c. *Hæc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia & iusta Maiestas. Neque enim ignarus filiorum unquam esse potuit* &c. Ne vero existimaret quispiam doctrinam istam ex philosophica tantum speculatione profectam esse, parumque interesse, quid ea de re quisque sentiret, in capite libri regulam istam fixerat: *Quos filios Dei secundum veræ fidei regulam sanctarum scripturarum auctoritate firmatam, non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam iustificationis, nec solum ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verum etiam ad fidem quæ per charitatem operatur; neque ad æterna tantum præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & huius prædestinationis beneficio secundum propositum vocatos & iustificatos* NVLLVS AMBIGERE DEBET CHRISTIANVS.

Lib. 3. de verb. Apost. & gratia.

Lib. 1. b.

Ex prædictis etiam facilè colligitur, naturam diuinæ prædestinationis non includere in sua ratione, quod magis respiciat finem quam medium, vel magis medium quam finem, sed abstrahere ab vtroque. Sicut enim decretum & propositum operandi aliquid supernaturale in creatura rationali, indifferenter se habet ad id quod per modum finis aut medij, præmij aut meriti Deus operaturus est, ita etiam divina prædestinatio, quæ prout à scripturis & Patribus usurpata & explicata est, vtrumlibet indiscriminatum respicit. Ex quo efficitur, ut non minus propriè ille qui reprobatus est, prædestinetur ad fidem charitatemque temporalem, quam electus ad perpetuam; nec minus propriè infans quispiam ad gloriam, immediatâ infusione donandam prædestinaretur sine vlla prævia fide, si sic placeret Deo, atque ille qui per ordinata merita ad istum apicem duceretur. In effectibus enim prædestinationis esset differentia, non in natura propositi seu decreti prædestinationis, quod illos effectus operaretur. Etenim non minus propriè id prædestinat Deus quod unico impetu causarum omnium præparantium seriem prætereundo supplendoque operatur, quàm id quod longo causarum secundarum concursu, prolixâque mediorum catenâ cooperantium perficit.

CAPVT TERTIVM.

Prædestinatio Dei respicit non solum bonum, sed etiam malum, non culpæ, sed pœnæ. De duplici prædestinatione, *ad vitam*, & *ad mortem*.

EX eadem explicatæ prædestinationis natura jam facile patet, quid ad illam quæstionem dicendum sit, utrum prædestinatio respiciat bonum duntaxat, an etiam malum. De malo culpæ non vertitur ista controversia, quia Catholica fides docet, Deum culpæ auctorem esse non posse, & per hoc neque illam prædestinare posse: *Prædestinatione quippe*, ut jam ex Augustino sæpè diximus, *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Hoc est, prædestinatio respicit opus, quod Deus ipse facturus est. Culpam autem non potest facere, ergo neque decernere ut faciat, hoc est, prædestinare. Vnde sanctus Prosper: *Nullo modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cuiusquam est causa peccati.* Quem errorem multis alijs sententiis jugulat. De malo igitur pœnæ sermo est. Sed ex iis quæ superius disservimus perspicuè liquet, prædestinationem omnino etiam respicere malum. Fides enim Christiana docet, Deum justo judicio suo inferre pœnas peccatoribus, sive temporales in hac vita, sive in altera sempiternas, ergo & illas ab æterno ex præscientia meritorum præparare, decernere, prædefinire; hoc autem & nihil aliud est prædestinare, juxta regulam ab Augustino ex scripturis fixam: *In sua quæ fallis, mutariq; non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quicquam est prædestinare.* Ex qua sanè norma dicit in libris de libero arbitrio *Deum prævidere quid de iustis impijsq; facturus sit*, istudque præsciendo, *præscire opera bona, & quid sit facturus certissimè præuidere.* Quibus verbis prædestinationem damnationis impiorum apertissimè circumscribit. Nam vt ait in libris duobus ad Prosperum & Hilarium, & jam sæpè diximus, *Potest esse sine prædestinatione præscientia*, ut qua peccata præsciuntur, *prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

Lib de prædest Sanct. c. 10.

Lib. 1. Super capit. Gallor.

Lib. de dono pers. c. 17.

Li. 3 de lib. arb. cap. 3.

Lib de prædest. Sanct. c. 10.

Hinc est quod Augustinus, non solum ex illa generali certaque regula nobis id colligendum reliquit, sed etiam clarissimis crebroque iteratis verbis multis in locis docuit. Nam in libris de civitate Dei dicit, spiritus malignos niti, *ut humanas mentes ad prædestinatum secum supplicium trahant.* Itaque hujusmodi homines peccatores ac reprobos quandoque dicit prædestinari ad mortem æternam: *Deus est illis quos prædestinavit ad æternam mortem iustissimus supplicij retributor.* Quandoque prædestinari ad pœnam: *bene utens & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem quos iuste prædestinavit ad pœnam.* Quandoque prædestinari ad interitum æternum:

Lib. 1. de Ciuit. c. 10.

Lib 4. de anima c. 11 In enchiri. c. 100.

Epist. 253. ad Boniff. *Quos sibi ad interitum prædestinationis æternum consociare potuerunt.* Aliquando prædestinari ire in ignem æternum: *Qui licet adhuc in vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo.* Subinde supplicio sempiterno, morti sempiternæ, perditioni, damnationi, pœnis gehennæ prædestinari: *Epist. 49. q. 3.* *Iniqua spiritalis creatura prædestinata est supplicio sempiterno.* Et in tractatu quadragesimo tertio in Ioannem: *Illi morti sempiternæ prædestinati.* Et tractatu centesimo septimo: *Tract. 43.* *Tract. 107.* *Filius perditionis ductus est traditor Christi perditioni prædestinatus.* Et in tract. centesimodecimo: *Tract. 110.* *Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mundo non rogat, neque enim quo sit prædestinatus ignorat.* Et in quæstionibus super libro Iudicum: *Quæst. 49. super iudic.* *Inimici omnino pœnis gehennæ prædestinati ubi erit fletus & stridor dentium.* Quibus omnibus locutionibus Augustinus indicat, verè & propriè juxta definitionem prædestinationis traditæ & à se definitæ naturam, non minus æternam damnationem prædestinari malis, atque bonis beatitudinem sempiternam; ut proinde sicut simpliciter dicimus aliquos prædestinari salvandos, ita etiam Augustinus dicat simpliciter aliquos prædestinari damnandos: *Lib. 2. de pecc. merit. c. 17.* *Siue damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ* &c. Et quidni quæso prædestinaret reprobis interitum seu supplicium sempiternum Deus, cum hujusmodi præparatio quam & scriptura prædicat necessario fieri debeat per decretum Dei, & illud ipsum decretum, ut omnis malitiæ species abstergatur, non fiat nisi prævolante criminum præscientia, juxta illud Augustini, *Matth. 25.* *Lib. de perf. iust. c. 13.* *In eo hominum genere quod prædestinatum est ad interitum super hoc respexit Deus præscientia, protutitque sententiam*; Et Deus hoc ipsius damnationis iudicium suum, tanquam verum & rectum & iustum necessariò diligat, quemadmodum & liberationis beneficia, quæ in filijs prædestinationis benignioris operatur? Nam vt idē sanctissimus & profundissimus doctor ait: Deus *Amat suum etiam in vitiosis sanationis beneficium vel damnationis iudicium.* Si amat profectò nihil mirum si illud etiam operatur, prout ibidem dicit: *Tract 100. in Ioan.* *De malis ijsdem vel sanando ea per misericordiā, vel ordinando per iudicium, bona sunt ipsa quæ fecit.* Si ergo amat istud damnationis iudicium suum, si tanquam bonum operatur, id quod illo damnationis iudicio constituit, quis non videt, necessario dicendum esse, quod illud ipsum iustissimæ damnationis bonum prædestinavit? Bonum est quippe omnino, quia iustum est, quamvis illi malum sit, cujus peccata illo supplicio in iustitiæ ordenem rediguntur.

Ejusdem plane doctrinæ orbitam sanctus Prosper indeclinabiliter terit. Definit enim diversis in locis, prædestinationem Dei, quamvis semper in bono sit, non minus tamen justam bonorum & pravorum operum retributionem, quam gratiam operari. Iusta quippe retributio, siue cœlestis præmij, sive supplicij magnum bonū est, quod non minus debet aut potest à Dei prædestinatione, quam ab eius directa & voluntaria operatione disjungi: *Prædestinatio* Dei, inquit, *semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut donationem pertinens gratiæ: Vniuersa enim via domini misericordia & veritas.* Et ad Capit. decimum quintum: Dubium non est sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Et ad obiectionem decimam Vincentianam: *Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est* &c. *Sed plane prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est siue bonum siue malum.* *Resp. ad c. 14. Gallor. Ad Capit. lum 15. Gallor. Ad obiectis 10. vincent.*

Sanctus vero Eulgentius idipsum docet multo maximè. Nam in libro ad Monimum: *Quod nunquam est in opere eius, nunquam fuit in prædestinatione eius. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc quod male operantur, à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc quod iuste patiuntur inviti.* Et in eodem libro inferius ex professo docet, & sæpius diversis locutionibus inculcat, *Quosdam prædestinari ad pœnam, prædestinari supplicio; prædestinari ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.* Et in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: *Deus sicut nunquam futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ aut iudicij sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura & bona & mala præscivit; sic omnia opera gratiæ atque iustitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit.* Et paulo post: *Non solum ea disposuit, prædestinando quæ ipse gratis quibus vellet donaret, ut bonus, verum etiam illa quæ & bonis & malis redditurus esset vt iustus.* Quam doctrinam suam de prædestinatione malorum ad interitum in scripturis sacris apertissimè doceri, libro primo ad Monimum tradit: *Iules nimū versus finem. Lib. ad Mon. f. 12. F. 25. f. 27 & 50 & 51 Lib. 3. de verit. prad. & gra. Rom. dil. 4* *Inules ad interitum prædestinauit quia talibus iustæ punitionis supplicium præparauit. Quod vtique manifesto dominus ipse sermone perdocuit, quod à se ostendit non solum paratum non solum regnum vbi lætentur boni, sed & ignem æternū, vbi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est, Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Malis autem dicturus est. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus diabolo & angelis eius. Ecce*, inquit, *ad quod dominus iniquos & impios prædestinauit id est ad supplicium iustum, non ad aliquod opus iniustum; ad pœnam non ad culpam.* &c. Et mox ad illum Apostoli locum, quo dicit vasa iræ aptata ad interitum, sic explicando subiungit. *In hoc itaque ista vasa Deus aptauit hoc est in interitum.* Cuiusmodi documentorum consideratione Synodus Valentina, quæ sub Lothario celebrata est tanquam fidei Catholicæ dogma tradit duplicem prædestinationem hominum, ad vitam, & eam quæ est ad mortem *Sed & de prædestinatione Dei*, inquit canone tertio, *placuit & fideliter placet iuxta auctoritatem Apostolicam quæ dicit: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem aliud in contumeliam.* Et cum adiecisset *Lib. ad Mon. f. nimū versus finem. Conc. Valent. sub Lothario can. 3.*

adjecisset illa quæ posuimus: *Vasa iræ aptata sive præparata ad interitum* &c. subjungit: *Fideliterque fatemur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituro-*
A *rum, meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem* DEUM *ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio fasturus erat, secundum scripturam dicentem qui fecit quæ futura sunt.*

CAPVT QVARTVM.

Inferuntur aliquot Corollaria. Iterum de prædestinatione in bono & malo. Alia duplex prædestinatio *gratiæ*, & *justitiæ*. De prædestinatione simpliciter dicta, & quod respiciat actiones Dei.

CVM igitur ista in scripturis sacris & Conciliis & Patribus veris prædestinationis intellectoribus, tam fundata & perspicua sint, multa inde, ad rem istam quam tractamus pertinentia, de prædestinatione clarescent. Nam primo sequitur, non esse verum quod quidam recentiores dicunt, istud prædestinationis genus ad aliquod malum, nusquam in sacris litteris reperiri. Reperitur enim omnino secundum sanctum Fulgentium, Matthæi vigesimo quinto, ubi Christus dicit, ignem æternum *paratum diabolo & angelis eius*, hoc est, prædestinatum, quemadmodum de regno cœlorum ibidem dicitur, *quod vobis paratum est ab origine mundi.* Reperitur etiam ad Romanos nono, ubi dicuntur *vasa iræ parata*, vel aptata vi prædestinationis *in interitum*, reperitur & expresso ipso prædestinationis nomine Actorū quarto: QUÆ
B MANUS *tua & consilium decreverunt* græce, προώρισε quod in Apostolo Paulo, prædestinavit, vertitur, & in hoc ipso loco Augustinus, ut supra diximus. Quid enim refert, quod istud malum à Deo in salutem aliorum referatur, cum & quorundam, imo & omnium hominum æterna damnatio, à Deo in electorum profectum salutemque torqueatur? Hoc enim ex professo sanctus Augustinus docet, ut infra declarabitur.

Matth. 25.

Rom. 9.

Act. 4.

Secundo sequitur, non esse verum quod iidem recentiores tradunt, ut aliquid sub prædestinationem cadat, esse necessarium ut sit supernaturale bonum: cum ne quidem necesse sit ut sit bonum, nisi quatenus à Deo efficiente proficiscitur.

Tertio sequitur, non esse verum quod etiam dicunt, non esse in sensu rigoroso verum, quod homo prædestinetur ad pœnam. Est enim in sensu proprissimo & rigorosissimo verum, quod Deus pœnarum auctor sit justo ju-
C dicio suo, & per hoc prædestinatione sua, quamvis easimul creatura rationalis sua culpa mereatur. Quis enim dæmones igne sempiterno, ineffabili ratione torqueret, nisi sic Deus æterno suæ prædestinationis judicio decrevisset, & temporaliter id quod decrevit inferret? Non enim illa repugnāt inter se, sed cohærent optimè, ut & creatura supplicium peccando mereatur, & illud ipsum Deus decernat atque inferat vindicando. Nam & *causa mortis*, inquit Augustinus *est diabolus, quam non ut primus auctor eius, sed ut peccati ultor intulit Deus.* Simili ratione *non sunt inter se duo*

Lib. 6 contra Iul. c. 9

ista contraria, quod in pœna sua & ipse homo peccando auctor est & vltor DEUS. Quo denim hujusmodi prædestinatio præsupponat alicujus demeriti præscientiam, ut ei supplicium prædestinari possit, non tollit ab illo decreto veram prædestinationis rationem; haud secus atque non tollit veram prædestinationis rationem à decreto, quo angelis perseverantibus corona gloriæ decreta fuit. Nam & istud decretum seu ista prædestinatio perseverantiæ præscientiam præsupposuit; sicut & hominum lapsorum prædestinatio, iuxta multorum recentiorum existimationem.

Quarto sequitur, rectissime à sanctis Patribus divisam fuisse prædestinationem Dei circa creaturæ rationalis administrationem, id prædestinationē quæ est *in bono*, & eam quę est *in malo*: quod aliter dici potest usitatius, in eam quæ est ad bonum, & eam quæ est ad malum. Indicavit istam divisionem Augustinus quando dixit: *Prædestinatio quæ in bono est gratiæ est præparatio*, ipsa expressione indicans eam distingui contra eam quæ est in malo, seu ad malum, hoc est, ad pœnam. Expressit eam alibi aliter, in *benignam*, & *justam*: *Ad eorum damnationem quos* IVSTE *prædestinavit ad pœnitentiam, & ad eorum salutem, quos* BENIGNE *prædestinavit ad gratiam.* Vbi sub gratia etiam gloria comprehenditur, juxta illud Apostoli, *gratia Dei vita æterna* ut sic adæquata sit divisio. Simili sensu subinde dividitur in prædestinationem ad *vitam* & ad *mortem*; ubi sub vita comprehenditur tota illa peccatoris in hac vita usque ad beatam corporis immortalitatem vivificatio. Sic eam expressis verbis divisit Concilium Valentinum: *Fideliter fatemur prædestinationem impiorum ad mortem.* Et insinuavit Augustinus adversus Iulianum: *Absit at prædestinatus ad vitam sive Sacramento mediatoris finire permittatur hac vitam.* Nam hoc ipso indicat aliam esse ad mortem, prout eam alibi sæpe nominavit. Posset & alio modo vocari prædestinatio *misericordiæ*, & prædestinatio *judicij*, prout judicium punientis severitatem subinde denotat.

Lib. de prædest. Sanct. c. 10.

In Enchirid. c. 100.

Gen. ad Valent. cap. 3.

Lib. 5. contra Iul. c. 4.

Subinde vero alia divisione dividunt Patres prædestinationem, in præstinationē *gratia*, & *justitiæ*. Tunc vero aliquando non sumunt gratiam tam latè, ut contineat quicquid etiam in radice continet, videlicet gloriam sed gratiam tantum proprie, dictam: justitia vero tunc significat remunerationem quamlibet sive rectè, sive perperam operantium. Sic

ea

ca membra usurpavit sanctus Fulgentius, quando paulo antè citatus dixit: *Omnia opera gratiæ atque iustitiæ incommutabili prædestinatione disposuit.* Nam sic eum intelligere ex eo constat, quod subjungit ea Deum illâ prædestinatione disposuisse, *quæ gratis quibus vellet donaret ut bonus, & quæ boni & malis redditurus esset ut iustus.* Sic & Prosper videtur usurpasse ad obiectionem decimâ Vincentianam.

Lib. de vocat. prædest. & gratia.

Quæ quamvis, juxta scripturæ & sanctorum sensum, ita sint, verum est tamen prædestinationē per se ac solitarie sumptam, pro prædestinatione ad sanctitatem & gloriam antonomastice usurpari: idq; non ea de causa, quasi non detur prædestinatio ad malum, vel illa non esset vera & propriè dicta prædestinatio, juxta quod vox illa in scripturis sacris usurpatur (neutrū enim verū esse demonstravimus) sed quia illo vocabulo in eo sensu uti solemus, quo quis absolutè sine addito prædestinatus dici potest, ut sit abstractum vocis *prædestinati. Prædestinatus*, autem absolute sumptum sine additione contrahente, significat illum, cuius & universam viam & viæ terminum Deus prædestinatione sua operatur, usque adeo ut illum ab initio ad finem usque inclusivè, etiam per peccata quibus humiliatus erigitur, prædestinatione sua in creaturę rationalis terminū dirigat. Talis enim absolutè prædestinatus nominatur, & ista Dei prædestinatio, hominis prædestinatio, nempe in bono, absoluta, totalis, usque adeo ut quamvis omnes actiones vitæ ipsius, Deus prædestinatione sua fuisset operatus, nisi eum simul glorificare proposuerit, numquam prædestinatus dici poterit, nisi secundum quid. Argumento est, quod prædestinatio bonorum operum quæ Deus in reprobis operatur, respectu istorum operum est veri nominis & propriè dicta prædestinatio, prout ab Augustino, Prospero, Fulgentio, ipsisque adeo sacris literis descripta est, nec tamen illā intelligimus cum absolutè de prædestinatione disputamus, neque ab illa quisquam dicitur prædestinatus.

Quod ergo probant aliqui, prædestinationem ad pœnam non esse propriè dictam prædestinationem, quia Augustinus eam definit *præparationem beneficiorum Dei* &c. nihil probat; ipse enim expresse dicit se definire tantum alterum membrum prædestinationis generaliter dictæ, nempe prædestinationem in bono: *Quocirca*, inquit, *prædestinatio Dei quæ* IN BONO EST, *gratiæ est ut dixi præparatio*, de qua totis illis duobus libris adversus Massilienses agit. Per hoc ipsum ergo indicat, aliā esse in malo, deque illa se non suscepisse tractandum. Hæc ergo prędestinatio in bono, & quidem totalis, à qua quispiā absolutè prędestinatus appellatur, per antonomasiā solā nunc prædestinatio vocari solet; alia vero quæcumq; prædestinatio, sive ad malum, sive etiam ad bonum, ut fidem charitatemque temporalem, quæ subinde ad tempus in reprobatis viget, absolutè prædestinatio non vocatur, nisi cum particula restringente, prædestinatio ad fidem, ad charitatem, ad mortem &c. propter causam quam nunc diximus.

Sed & istud advertendum, antequam ad alia divertamus: prędestinationem istam, propriè velut objectum suum respicere actionem aliquam Dei circa salutem creaturæ rationalis. Est enim propositum operandi in vel per creaturam rationalem, utpote decretum & præscientia eorum quæ Deus ipse facturus est seu præparatio gratiæ aut beneficiorum Dei quibus homines à perditione liberantur, sicut utrumque sæpissime inculcat Augustinus; gratiam vero aut beneficia liberationis nemo operatur, nisi Deus. Ex quo fit ut propriè prædestinari dicantur actiones temporales Dei: quæ si fuerint simul hominis, prędestinantur, non quatenus ab homine proficiscuntur, sed quatenus à Deo. Quæ præterquam, quod ex natura jam dicta prædestinationis manifesta sunt, Augustinus etiam non semel perspicuè ex natura promissionis docet. Nam promissio non eorum est quæ Deus simpliciter futura præscivit, aut prædicit (sic enim etiam peccata promitteret) sed eorum bonorum quæ Deus ipse facturus est. Vnde filij promissionis sunt quos Deus filios suos, eis fidem, charitatem, perseverantiam, gloriam conferendo generaturus est, in eis ipsis efficiendo, ut ipsi credant, diligant, perseverent, & glorificati fruantur Deo. Hæc vero promissio non est, nisi propositi prædestinationis filiorum explicatio: ergo & ipsa prædestinatio non est nisi eorum quæ Deus ipse facturus est. Sed ipsum audiamus:

Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi præparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te: unde dicit Apostolus, ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia etsi faciant homines quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt ut ille faciat quod promisit: aliàquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei sed hominum est potestate; & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham; sed credidit dans gloriam Deo: quoniam quæ promisit potens est & facere. Non ait, prædicere, non ait præscire: nam & aliena facta potest prædicere atque præscire: sed ait, potens est & facere: ac per hoc facta non aliena sed sua. Nihil apertius dici potest. Quam doctrinam & alijs in locis sæpe tradidit, vt ad Monachos Adrumetinos, & contra Iulianum. Quamvis igitur propriè prædestinatio, haud secus ac promissio, sit eorum quæ Deus ipse facturus est, quia tamen illa in creaturæ rationalis voluntate & per voluntatem operaturus est, ita ut & ipsa vere dicatur operari, hinc fit ut etiam ipsa creatura prædestinari dicatur; videlicet ut illa ipsa quæ Deus prædestinavit promisitque facere, ipsa faciat: Nam illa sunt reciproca, Deum prædestinare donū aut

Lib. de prædest. Sanct. c. 10.

Lib. de corr. & gratia c. 12. Et lib. 1. contra. Iul. operis imp. f. 163. & 364.

aut opus aliquod homini, aut per hominem operandum, & hominem ad hoc ipsum prædestinari. Ex quo fit, ut si Deus prædestinavit homini fidem, aut charitatem, homo iam consequenter prædestinatus sit credere aut diligere: sin autem prædestinavit homini, non solum hujus vitæ justitiam & perseverantiam, sed etiam gloriam, homo absolutè prædestinatus sit. Reciprocationem istam non semel Augustinus explicuit. Nam inde est quod in libro de dono perseverantiæ dicit, dono Dei, fidem, castitatem, charitatem, perseverantiam, esse hominibus à Deo *prædestinata*, quia ea se daturum esse præscivit, & tamen in eodem loco dicit: *Quem casturum futurum prædestinavit, agit ut castus sit, quoniam Dei dono* A *se audit futurum esse quod querit.* Itemque sicut eodem libro dicit *prædicandam esse prædestinationem beneficiorum Dei*, obedientiæ, fidei, pietatis, perseverantiæ &c. ita etiam, *prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant*, itemque *prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat.* Cujusmodi absolutè vocantur prædestinati. Et quemadmodum alicubi dicit hominibus *prædestinatum esse supplicium*; ita sæpissime alijs in locis eos *supplicio, pœnis gehennæ morti, vel ad supplicium, ad pœnas, ad interitum prædestinatos.* Sed jam ad ipsam quæ absolutè & antonomasticè prædestinatio dici solet, unde simpliciter prædestinati vocantur, accedamus.

Lib. de dono perf. 17

Cap. 20.

Cap. 16.

Cap. 17.

Lib. de ciuit. c. 10.

Vide supra dicta cis citatis.

CAPVT QVINTVM.

Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio, quid in scripturis & Augustino differant.

PRædestinatio in scripturis sacris multis nominibus æquipollentibus exprimitur. Nam subinde dicitur, *dilectio, electio, propositum*, apud Augustinum etiam *præparatio, discretio*; nec aliter ista nisi certo respectu aut formalitate differunt. Cum enim ista prædestinatio non sit aliud, nisi prædestinatio seu decretum donandi creaturæ rationali salutis æternæ beneficia, quæ ab isto Dei actu circa se versante prædestinata dicitur, necesse est ut ille ipse actus sit dilectio, electio, propositum, præparatio, discretio. Dilectio quidem quia per illam Deus vult isti creaturæ suæ tantum bonum: Electio quia ex omnibus eam diligit, cui illud beneficium præ cæteris quas negligit, largiatur: Propositum, quia non est sterilis dilectio sed efficax decretum volendi & conferendi beneficium. Præparatio, quia mens Dei illo proposito est quasi gravida, ut suo tempore in operationem erumpat. Hoc enim animo præparasse dicimur, quod jam parati sumus dare vel facere. Discretio, quia est propositum discernendi unum ab altero, talis tantiq; donatione beneficij. Itaque Apostolus Paulus ad Ephesios, cum dixisset: *Sicut eligit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti* &c. statim repetit *qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Et ut intelligeremus, hanc electionem fieri ex libero proposito voluntatis Dei, adeoque beneplacito ejus, addit eum nos prædestinasse, *secundum propositum voluntatis suæ*; itemque *secundum beneplacitum* ejus, quod & *consilium voluntatis eius* nuncupat; ut voluntatis istius beneplacitum, propositum, prædestinationem, electionem sapienti consilio regi noscueremus. Idem propositum exprimitur, quando Apostolus dicit quosdam *secundum propositum vocatos*; quod quid sit statim pro ratione subjungit: *Nam quos præscivit & prædestinavit hos & vocavit*, videlicet secundū propositum illud, prout sæpe Augustinus exponit. Eosdem infra vocat *electos*. *Quis accusabit adversus electos Dei?* Et inferius fontem omnium dilectionem esse indicans: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et ad Colossenses utrumque coniungit. *Electi Dei & dilecti.*

Ephes. 1.

Rom 8.

Coloss 3.

Sed in Augustino ista promiscua vocabulorum usurpatio multo maxime patet. Nam aliquando dicit, quod Deus hominem à massa perditionis diligendo discernit, ut in ista obiectione quæ ex ejus doctrina formabatur: *Quomodo non est iniquitas apud Deum* SI DILIGENDO DISCERNIT, *quos merita operum nulla discernunt?* Aliquando verò & sæpius istam discretionem dicit prædestinando fieri: *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia & Dei prædestinatione discreti.* Et in illo ipso loco ubi prædestinationem definit, *Si Dei altiore iudicio à perditionis massa nō sunt gratiæ prædestinatione discreti.* Subinde electionē asscribit dilectioni, dum videlicet docet neminē eligere posse nisi diligat: *Si non elegisti is sine dubio nec dilexisti; quomodo enim eligerent quem non diligerēt?* Rursus electionem non semel tribuit prædestinationi tanquam quæ per illam fiat: *Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinando ut quæ non vocando. Quos autem prædestinavit illos & vocavit, elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consummationem.* Et omnium planissimè: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione in qua Deus sua futura præscivit: Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit.* Quibus duobus in locis, habes etiam duplicem electionem, unā æternam ante mundi constitutionem, quæ est ipsa Dei prædestinatio, & aliam temporalem quæ est vocatio secundum propositum Dei. Nam hic etiam duplicem agnoscit præparationem beneficiorum Dei, unam æternam quæ in mente Dei, est ipsa beneficiorum prædestinatio, quemadmodum in eius definitione cernitur, quando dicitur prædestinatio est scientia & præparatio beneficiorum Dei: alteram,

Lib. de cor. & gratia c. 7.

Lib de dono perf. c. 14.

Lib de grat. & lib. arb. c. 13.

Tract. 68. in Ioan.

Lib de prædest Sanct. c. 17.

teram, quę sit in tempore per vocationem, iustificationę, & glorificationem: *Sic & mansiones* inquit *præparavit & præparat nec alias sed quas præparavit, has præparat qui secu quæ venturа sunt. Quas præparavit prædestinando, præparat operando.*

Tract. 68. in Ioan.

Aliquando *propositum* Dei, secundum quod prædestinatos vocat, prædestinationis propositum esse docet: *Hoc propositum*, inquit, *ad præscientiam & prædestinationem De pertinet.* Aliquando vero promiscue omnibus istis utitur vocabulis, tanquam quibus eadem omnino prædestinatio significatur. Nam illa Ioannis Apostoli tractans verba: *Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*, quibus quædam inter illos discretio indicatur qui simul ab eodem illo creati, vocati, iustificati, renati fuerant. *Quanam est tandem ista discretio? Patent libri Dei non avertamus aspectum &c. Non erant ex eis quia non erant* SECUNDUM PROPOSITUM *vocati: nam erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant in eo sortem consecuti: non erant prædestinati secundum propositum eius qui universa operatur.* Vbi vides haud secus dici prædestinatos SECUNDUM PROPOSITUM, quam vocatos: nempe quia electio, dilectio, discretio, prædestinatio fit secundum liberrimum beneplacitũ seu propositum Dei, quemadmodũ & vocatio.

In exposit. quarund. propos. ex Epist. ad Rom.

Lib. de Bono Pers. c. 9.

Hausit istam doctrinam ipsamque phrasim Augustinus ex Apostolo ad Ephesios, cuius locum & phrases imitando, doctrinamque de natura prædestinationis, & electionis, & beneplaciti, & propositi exprimendo dicit: *Quomodo* ELIGERET *eos qui nondum erant nisi* PRÆDESTINANDO? ELIGIT *ergo* PRÆDESTINANS *nos* &c. *Nempe manifestum est, ideo tales* (SANCTI) *eramus futuri, quia* ELEGIT *ipse* PRÆDESTINANS *ut tales per gratiam eius essemus* &c. *Elegit ergo nos Deus, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed* ELEGIT PRÆDESTINAVITQUE *ut essemus. Fecit autem hoc secundum* PLACITUM VOLVNTATIS SVÆ, *ut nemo de sua, sed illius erga se voluntate glorietur* &c. *In quo sortem consecuti sumus,* PRÆDESTINATI SECUNDUM PROPOSITUM *non nostrum sed eius qui universa operatur &c.* EX HOC PROPOSITO *eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia* SECUNDUM PROPOSITUM *vocati sunt sancti.* Ecce iterũ Apostolicis verbis electionẽ, & prædestinationem secundum placitum voluntatis Dei, secundum propositum eius, hoc est, prout ipsi placuit, prout ipse proposuit. Quam ob causam Apostolus etiam invertit istam locutionem, cum dicit, *ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Hoc est, ut propositum Dei, quo unum præ altero prædestinavit, stabile maneret ac firmum, non propter opera prævisa vel facta, sed quia sic Deo libere ac gratis unum præ altero eligere placuit.

Lib. de Præd. Sanct. c. 18.

Rom. 9.

Sed nusquam apertius ista nominum confusio & promiscua significatio & usurpatio elucet, quam in Epistola Prosperi ad Augustinum, ubi mentem ejus in libris de prædestinatione & perseverantia contentam explicat, prout à Massiliensibus accepta fuit, consentaneé prorsus ad ea, quæ jam ex ipsis ipsiſdem Augustini scriptis diximus: *Hoc autem* PROPOSITUM *vocationis Dei*, inquit Prosper, *quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiciendorum dicitur facta* DISCRETIO, *ut secundum quod* PLACUIT *creatori, alij vasa honorie, alij vasa contumeliæ fierent, curam resurgendi ad mere &c. Quoquo enim modo egerint non posse aliud erga eos quam definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat* PRÆDESTINANTIS ELECTIO, *cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque industriam, tollique virtutem, si Dei* CONSTITVTIO *humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine &c.* Et paulo pòst dicit quod Massilienses *propositum & prædestinationem secundum præscientiam receperunt.* Et Hilarius ad eundem Augustinum æque luculente, dicit enim *secundum propositũ eligendos* ab Augustino vocari. Vnde conformiter quoqsin suo sensu Massilienses *præscientiam* cum prædestinatione semper junxerãt, & *prædestinationem vel propositum ad id valere contendunt vt eos præsciera vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri.* Ex quibus profectò omnibus liquidi simum est in doctrina sancti Augustini, propositum secundum quod vocari & prædestinari & eligi dicimur, electionem, discretionem, definitionem, constitutionem Dei & hujusmodi, etiam secundum intelligentiam adversariorum eius, idem prorsus esse, quod prædestinationem. Quod paulo latius dictum oportuit, ne quis in istorum vocabulorum quasi obscuritate forsan hæreat, & facilius in cæteris, ubi illa promiscue usurpat, mentem ejus assequatur.

Prosp. in Epist. ad Aug.

Hilarius in Epist. ad Aug.

CAPVT SEXTVM.

Prædestinatio, electio, & discretio alia *gratiæ*, alia *meritorum*. Quid singulæ sint & respiciant. Augustinus olim etiam recte de gratia sentiens, nullam agnovit electionem gratiæ, & quare. Quid electio, juxta Manichæos.

HÆc igitur electio, seu *prædestinatio*, seu discretio creaturæ rationalis *in bono*, quocumque eam appelles nomine, bifariam adhuc, juxta sanctissimi Præsulis doctrinam, dividitur, in electionem, prædestinationem, discretionem *gratiæ*, & *meritorum*. Electionis gratiæ sæpius Augustinus mentionem facit, & ei electioni semper opponit qua quis eligitur ex operibus, sive ex meritis: *Quia elegit eos in filio suo* inquit quodam loco, *ante mundi constitutionem per electionem gratiæ.* Et quid istud? *Si autem*

Lib. de Corr. & gra. c. 7.

autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Et statim iterum clariùs: *Quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt, per electionem, ut dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum; quia gratia est illis omne meritum.* Et adversus Iulianum dicit quod *Regenerati à damnatione liberantur debita, sed gratuita miseratione non debita, quos elegit ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus vel futuris. Alioquin gratia iam non est gratia.* Quod non est opus pluribus confirmare testimonijs, quia sexcentis in Augustino occurrunt locis, sed ex istis vel solis perspicuum est, toto eos aberrare cœlo, qui quando audiunt *electionem gratiæ*, significari ab Augustino putant electionem, quam *ad gratiam* scholastici vocant, ut opponatur ei qua quis eligitur *ad gloriam*. Nam Augustinus eam electionem gratiæ vocat quia est gratuita, non ex merito, vel ex opere, vel dignitate aliqua propter quæ quispiam eligatur. Vnde subinde vocatur electio *per misericordiam. Illos debemus intelligere electos per misericordiam.* Aliquando *ex gratia* ut contra Iulianum argumentando concludit: *Ergo ad incurvandam circumcisorum arrogantiam sub nomine gratiæ mentitur Apostolus. Nam Deus ex operibus elegit, non ex gratia. Quis ita sapiat nisi hæreticus inimicus gratiæ, amicus superbiæ?*

Lib. de corr. & grat. c. 7. — Lib. & cont. Iul. c. 191. — Lib. de corr. & grat. c. 7. — Lib. 1. cont. Iul. op. imp. fin. 186.

Desumpsit phrasim istam ex Apostolo, qui sic gratuitam electionem primus appellavit ad Rom. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Quem locum sæpissime ad hoc propositum citat. Vnde contra Iulianum: *Electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor de Israel; reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi secutus est & adiunxit: si autem gratia iam non ex operibus* &c. Simili quoque sensu vocatur non uno in loco *prædestinatio gratiæ*, ut libro de dono perseverantiæ: *Si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti* &c. quo non significatur prædestinatio dandi gratiam, vel *ad gratiam*, prout eam Scholastici vocant, opponentes ei prædestinationi quæ est ad gloriam; sed significatur prædestinatio gratuita; quam proinde quandoque vocat prædestinationem *per gratiam: Nunc vero sanctis in regnum Dei prædestinatis non tantùm tale adiutorium datur* &c. Et in epistola ad Sixtum dicit hoc *apertum* fuisse *postea per Prophetam, quod erat in Dei prædestinatione per gratiam.* Quo sensu etiam dicit alibi: *gratiâ prædestinatus, gratiâ electus, gratiâ peregrinus deorsum, gratiâ civis sursum.* Porro eadem quoque apud Augustinum est ratio & sermo de *discretione gratiæ & meritorum*, quæ de prædestinatione & electione. Nam de æterna discretione hominum in mente Dei loquens: *Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris.* Sed apertiùs paulò post: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium* &c. Et inferiùs: *Facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est.* Et in libris de Civitate Dei, de lapsorum hominum discretione loquens; *Non eos*, inquit, *iam meritis sed gratiâ discernens.* Alibi de electionis gratia disputans, loco *gratiæ* ponit *dilectionem Dei* qua homines *discernuntur*; dilectio enim radix est omnis discretionis & gratiæ: *Sed quomodo, inquiunt, non est iniquitas apud Deum, si* DILIGENDO DISCERNIT *parvulos, quos merita operum nulla discernunt?*

Lib. de corr. & grat. c. 7. — Lib. 14. de Civit. c. 6. — Epist. 106.

Electio, vero ista, aut prædestinatio, aut discretio gratiæ, sive per gratiam, non solum respicit collationem gratiæ temporalem, hoc est, bonorum operum, quæ ipsa prædestinatio in homine operatur, sed etiam gloriam. Quod ex eo manifestum, quia in plerisque citatis locis de electione ad regnum aut gloriam expressè loquitur. Vnde cum capite septimo de correptione & gratia, nominat *in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatos*. Item de electione gratiæ ex professo loquens eamque nominans, simul dicit, quod ex talibus electis *nemo perit*, itemque: *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo*: item cùm dixisset eos electos per misericordiam, addit: *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* Et cùm de gratiæ electione ac prædestinatione multa disseruisset, tandem adijcit: *Hæc de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus* &c. Itaque in Augustino intelligendo recentiores illi multum falluntur, qui quando audiunt electionem gratiæ in Augustini scriptis, non putant de gloria seu electione ad gloriam esse sermonem. Nam ipsi electionem distinguunt in electionem ad gratiam, & ad gloriam, & eodem modo Augustinum loqui putant. Hallucinationis causa est, quod non animadvertunt, unam & eandem electionem gratiæ in Augustino & Apostolo, ad omnia gratuita protendi beneficia, sive sit gratia, sive gloria, solique electioni meritorum repugnare.

Lib. de corr. & grat. c. 7. — Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 89. c. 8. n. 70 vide & c. 13. n. 110.

Alterum membrum, electio videlicet meritorum seu ex operibus, iam perse ipsa intelligitur. Est enim illa qua quis eligitur ex operibus, tanquam meritis electionis quam supra sæpe audiyimus; & ipso nomine vocatur *electio meritorum*, libro sexto contra Iulianum: *Venit Christus in mundum, non de mundo eligendus, sed electurus non meritorum electione, sed gratia*, idque non propriè, quasi ipsa merita eligantur, sed quia sunt causa, cur homo ad aliquid eligatur. Est enim phrasis Augustino pervsitata, vt id eligi dicatur, quod electionis est ratio. Vnde aliquoties dixit, antequam intelligeret electionem gratiæ, Deus *non elegit opera* quæ ipse daturus est, *sed fidem.* Quam etiam appellabat electionē *ex præscientia*, nempe quia *quem sibi creaturum esse præsciebat, illum eligeret Deus, cui Spiritum Sanctum daret.* Nam quando sanctus Augustinus illo errore tenebatur, ut putaret initium fidei esse ex nobis, non illud operante gratia Dei, nullam agnoscebat consequenter electionem gratiæ, sed

Lib. 6. cont. Iul. c. 4. — In expos. quarund. propos. ex epist. ad Rom. n. 60. Ibid. & inst. q. 2. lib 1 ad Simplic.

sed tantummodo electionem fidei seu ex fide. Neminem enim putabat eligi ad accipiendam gratiam seu Spiritum sanctum, quo bene posset vivere & operari, nisi qui ante Deo suis viribus credidisset. Vnde retractans illum eundem quem citauimus locum: *Nondum*, inquit, *diligentius quæsieram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Quæ utique non est gratia, si eam merita nulla præcedant.*

ib. 1. retra. c. 23.

Propter duas igitur causas hoc dicit Augustinus, quod tunc nondum inuenerat, qualis esset electio gratiæ. Prima est, quia putabat hominem non præueniri gratuitâ gratiâ Dei, sed potius gratiam ab hominis fide præueniri, atque ita tacitè gratiam nonnullo fidei merito destruebat, ut non esset gratia. Altera, quia non poterat intelligere quomodo, *electio* vocari posset, quando in personis eligendis nulla omnino esset vel peccati, vel boni operis, vel certè fidei differentia, saltem in præscientia Dei. Esto enim Deus assumat unum præ altero prorsus gratis, illa assumptio ne quidem electio poterit dici. Vide ipsũ cum isto scrupulo luctantem: *Quid ergo elegit Deus? Si enim cui vult donat Spiritum sanctum, per quem dilectio operatur bonum, quomodo elegit cui donet? si enim nullo merito, non est electio: æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari.* Ex quo concludit eligi saltem fidem, propter quam Spiritus sanctus detur. Scrupulus ille hæsit in Augustino ex errore illo, quo ante Episcopatum laborauit, de initio fidei ex viribus humanis prosiliente. Nam propter eandem causam etiam Pelagiani nullam electionem agnoscere poterant, ubi non esset aliqua eligendorum distantia: *Quæ electio*, inquit ipse Pelagius, *ubi nulla diuersitas meritorum?* Qua de re plura diximus cùm de dogmatibus Pelagianis tractaremus.

In exposit. quar. propos. ex epist. ad Rom. n. 60.

Pelagius in Com. c. 11 ad Rom. n. 11

Vide lib. 6. de hær. Pel. c. 9.

Inhæsit autem scrupulus iste sancto Augustino etiam postquam iam reperisset initium fidei, ipsamque primam voluntatem bonam esse donum Dei. Nam in quæstione secunda primi libri quem ad Simplicianum scripsit, assueuerant docet, etiam fidei & bonæ voluntatis initii per Dei vocationem & gratiam esse conferendum, quod tunc sibi à Deo *reuelatum* esse testatur: nec tamen percipiebat, quomodo talis assumptio unius, cui bonam voluntatem & fidem largiretur Deus, præ altero quem præteriret, *electionis* nomine appellanda videretur.

Lib. de prædest. Sanct. c. 4.

Putabat enim Etymologiam istius nominis, distantiam aliquam in eligendo postulare. Sed ipsum vide, cùm iam rectè de diuina gratia, & de gratuita hominum assumptione saperet, de isto tamen adhuc nomine secum dilceptantem: *Quomodo elit enim iusta, aut qualiscunque omnis electio, ubi nulla distantia est?* Hoc est, quomodo vel electio vocari poterit, siue iusta siue injusta, si in eligendis nulla meriti cuiusquam differentia? Sic enim seipsum explicat: *Si enim nullo merito electus est Iacob non-*

Lib. 1. q. 2. ad Simpl.

dum natus & nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentiâ quâ eligeretur. Et rursum paulò post: *Vnde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla sunt momenta meritorum?* Et iterum inferius argumentando concludit: *Nulla ergo electio, antequam esset quod eligeretur*, id est, antequam esset aliqua ratio electionis, seu differentia in eligendis.

Et multis interjectis, definitiuè rem absoluit: *Nemo eligitur nisi iam distans ab illo qui reijcitur.* Itaque præpositionem unius præ alio gratuitam, noluit vocari electionem (ut quæ necessariò videbatur esse meritorum, seu meriti cuiuspiam distantiam supponere), sed assumptionem quæ fiat *liberalitate donorum Dei.* Sic enim exponit illa Apostoli verba: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori*; quibus maximè electio gratiæ commendatur: *Hoc*, inquit, *non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proveniant, sed liberalitate donorum Dei, voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.*

Hinc igitur in fine illius quæstionis cùm ille locus Apostoli: *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, quodammodo ipsum cogeret ut isti gratuitæ præpositioni seu assumptioni unius præ alio, nomen ELECTIONIS accommodaret, respondet se istius electionis rationem ignorare: *Quod si electio hoc fuit aliqua*, ratione cuius videlicet dictum fuerat, non est volentis neque currentis sed miserentis Dei, *ut sic intelligatur quod dictum est: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt; non ut iustificatorum electio fiat ad vitam æternam*, ubi electionis ratio facilè apparet, *sed ut eligantur qui iustificentur: certè ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit: aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.* Nempe quia ut explicat fusius, non poterat ullam idoneam invenire rationem, cur hic, non ille eligeretur. Indicans hoc ipso iterum apertissimè se rationem electionis nullam intelligere posse, ubi nulla distantia, quæ unum præ altero eligendum seu electione dignum faciat: *Non enim habeo quod innitear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliquâ cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam si placet honestas utilesque doctrinas.*

ibid. infra

ibid.

Quas ob causas cùm velut idoneas ad electionem rejecisset, colligendum relinquit, non videri esse ullam electionem ad gratiam salutarem, quia non necessaria, atque ita gratiam à Deo miserente cuius voluerit, donorum liberalitate, non electione conferri.

Quem Augustini sensum paulò fusius explicui, ut verus genuinusque sensus aliorum verborum eluceseceret, quæ ex eadem quæstione à nonnullis obtorto collo trahuntur, ut conficiant neminem eligi ad vitam æternam gratis, sed tantùm ex præuisis meritis. Accipe verba: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia*

Lib. 1. q. 2. ad Simpl.

Deus

Deus inuenit opera bona in hominibus, quæ elegit, ideo manet propositum iustificationis ipsius, sed quia illud manet ut iustificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad regnum cœlorum.

Quorum germanus sensus ex ijs quæ deduximus, per se ipse statim emicat. Significat enim electionem sub ratione electionis, locum habere non posse, antequam Deus gratiâ hominem propriâque liberalitate iustificauerit, sed tantummodo post iustificationem; tunc enim per opera invenitur distantia quam electio postulat. Nam ideo postquam dixisset: *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio*; nempe ratione operum quę ex iustificatione proficiscuntur, & iam eligi possunt; statim nullo interposito pro ratione subjungit: *Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo qui reijcitur.*

Ecce apertissimè in sensu Augustini, nulla electio sub ratione electionis cuiusquam esse potest, nisi iam distantium. Et tamen in illo ipso loco, non (licut isti contra quos agimus putant) agitur de electione ad gloriam, sed de illa quæ est ad gratiam, quam Augustinus constantissimè negat ullam esse posse nisi distantium.

Nam sic de electione Iacob ad gratiam salutarem præ Esau fratre præmiserat: *Nulla ergo electio est, antequam esset quod eligeretur. Sic enim bonus factus est Iacob ut placeret, unde placuit antequam fieret ut bonus fieret*, id est, quid fuit illud propter quod Iacob electus fuit ad gratiam, quâ bonus fieret? quasi diceret, nihil tale fuit. Nam statim destruens etiam ipsam electionem, quâ homo gratis sine merito ac distantia ad gratiam eligitur, concludendo subtexit: *Non itaque electus est ut fieret bonus*, scilicet per gratiam, *sed bonus factus*, per gratiam scilicet, *eligi potuit*, propter opera quę sequuntur.

Ecce Iacob non potuit eligi, ex mente Augustini, à Deo nequidem ad gratiam quâ bonus fieret; sed solùm tunc eligi potuit, cùm iam bonus factus fuerat. Quod sanè est illud ipsum, quod in verbis nobis objectis dixerat: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius*, id est, conferendi gratuitam gratiam quâ iustificetur: *sed quia illud manet, ut iustificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad regnū cœlorum.* Et quomodo non potuit eligi ad gratiam ante gratiā cùm fides doceat homines gratis à Deo eligi ad ipsam gratiam? nempe quia Augustinus non poterat tunc temporis intelligere *electionem gratiæ sub ratione electionis*; quam sentiebat non posse esse æqualium, sed distantium: illam tamen eodem loco intelligebat optimè docebatque instantissimè sub alio nomine, videlicet *liberalitatis donorum Dei* vel *Dei miserentis cuius misereretur*, hoc est, cuius vellet.

Sicut ergo tunc nullam intelligebat electionem gratuitam ad gratiam, sub nomine videlicet electionis, sed etiam potius refellebat; ita nihil mirum, si nullam intelligeret electionem gratuitam ad gloriam; sed eam potius oppugnaret. Eadem enim est utriusque gratuitæ electionis ratio ac difficultas. Vtraque est enim æqualium, non distantium; quæ distantia Augustino ad naturam electionis essentialiter pertinere videbatur, ideoque nullam electionem reperire poterat, nisi postquam gratia iam iustificasset hominem, ut aliquid bene operando, à non operante distaret.

Hæc est igitur ratio, cur Augustinus simulatque peritior factus, *electionem gratiæ*, seu gratuitam, sub ratione electionis, etiam in æqualibus locum habere posse didicisset, plurimis in locis explicat, id eatenus esse verum, quia Deus per suam gratuitam electionem illam ipsam distantiam facit, atque ita eligit atque diligit, non aliquid aliud quod in hominibus eligendis invenit, sed id quod in illis ipsemet facit. Nam eundem illum versans locum de electione Iacob; *Vt secundum electionem propositum Dei maneret*, qui tantopere ipsum Simpliciano scribentem, torserat; *electionem scilicet gratiæ*, inquit, *non debitis; electionem quâ eligendos facit ipse, non invenit, non ex operibus sed ex vocante &c. Quid enim diligebat in Iacob antequam faceret aliquid boni, nisi gratuitam misericordiæ suæ donum?* Et ad Bonifacium de eodem illo loco differens: *Electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum quod eligat invenit, sed quod inventat ipse facit, sicut de reliquijs Israel scriptum est, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ sunt.* Et in sermonibus de diversis: *Christus autem venit & elegit, quid fecit quod non invenit: Nam omnes malos invenit, & gratiâ suâ bonos fecit.*

Epist. 105. ad Sixtum

Lib. 1. ad Bonif. c. 7.

Lib. 47. de diuers. c. 6.

Secundum istum ergo electionis gratuitæ modum, quæ non antecedentem postulat distantiam, sed eam ipsa efficacia talis electionis facit; sæpissimè docuit homines eligi gratis ad ipsa illa dona, quæ gratis in ipsis vi talis electionis suo tempore operaturus est, non solùm gratiam, sed etiam gloriam. Nam de gratia loquitur quando dicit: *Si quæstio proponatur, utrum hos eligat*, impios & immundos, *an potius sanctos & immaculatos, quid horum respondeat qui requiratur, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisque sententiam? &c. manifestum est, ideo quippe tales futuri eramus quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam eius essemus.*

Lib. de præd. SS. c. 18.

De utraque verò in eodem libro superius: *Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint Apostolus Iacobus dicit: Non Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. Recte quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Quo sensu subinde dicit Augustinus: *Tales nos amat Deus quales futuri sumus, non quales sumus. Quales enim amat tales in æternum conseruat.*

Lib. de præd. Sanct. c. 17.

Porro ut aliquid adhuc de altero membro, electione *meritorum* dicamus, observandum est non quamlibet electionem quâ quis ad aliquid ex qualicumque merito eligitur, esse electionē meritorū, seu ex meritis prout electioni gratiæ opponitur. Nā si ipsum meritum alicui per

gratuitam gratiam gratis donetur à Deo, electio ex isto merito non propterea erit *electio meritorum*, aut desinet esse *gratiæ*. Quod euidenter patet in ista electione, quâ lapsi homines ex massa damnationis, non solùm ad fidem seu bonam voluntatem, sed etiam ad remissionem peccatorum, ad charitatem, ad perseuerantiam, ad gloriam prædestinantur & eliguntur. Omnes enim istæ electiones sunt *ex gratia*, non *ex meritis* seu *operibus*, prout illa duo in Augustino & Apostolo opponi solent; quamuis ad solam bonam voluntatem, seu ad fidem sine vllo omnino merito eligamur. Nihil enim omnino præcedit meriti, cur alicui prima bona voluntas credendi seu initium fidei detur: illo verò iam dato remissio peccatorũ & charitas, & opera bona, & in ijs perseuerantia usq; in finem, & gloria ex aliquibus meritis conferuntur. Vnde Augustinus: *Epist.105.* *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito, si fides hanc impetrat.* *Ibid.* *Neque enim vllum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat. Deus propitius esto mihi peccatori* &c. Et sæpius in scriptis suis: *Fides impetrat charitatem*, impetrat *Spiritum sanctum*, impetrat *Spiritum largiorẽ*, per quem infusâ charitate bonum operetur. *Lib. de dono pers. c. 6.* Item *donum perseuerantiæ suppliciter emereri potest*, & huiusmodi quibus docet omnia ista præter initium fidei, ex meritis dari, & consequenter homines ad illa dona ex aliquibus meritis eligi. Sed quia ipsum initium fidei, unde omnia pendent cætera, ex gratuito Dei munere omnino gratis datur, quicquid ex illa fide gratuita impetratur orando, gemendo, pulsando, hoc ipsum etiam gratis datur, iuxta illud Augustini, cùm dixisset remissionem peccati non esse sine aliquo merito: *Epist.105.* *Restat igitur ut ipsam fidẽ, unde omnis iustitia sumit initiũ, non humano quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec illius præcedentibus meritis, quoniã inde incipiunt bona quæcũque sunt merita, sed gratuitũ donum Dei esse fateamur si gratiã verã, id est sine meritis cogitamus.* Nẽpe quia nisi fides esset ex pura gratia, nihil cæterorum dici posset ex pura gratia, sed omnia quodam præcedente merito adulterarentur. Quamuis igitur fides, peccati remissionem, charitatem, opera, virtutes omnes, perseuerantiam, gloriamque mereatur, non tamen propterea existimandum est, homines ad remissionem peccati, ad charitatem, ad Spiritum sanctum, opera, virtutes, perseuerantiam, ipsamque fælicitatis æternæ gloriam, non ex gratia, sed ex meritis eligi atque prædestinari. Nam meritum in ista phrasi intelligitur [a] *meritum liberi arbitrij*, [b] *meritum humanum*, [c] *meritum voluntatis humanæ*, [d] *meritum nostrum* seu *ab homine exortũ*, meritum quod *homo* [e] *ex seipso habet*; non illud quod simul est donum gratiæ Dei. Qui enim ad aliquid ex tali merito gratiæ eligitur siue prædestinatur, ille eligitur electione gratiæ; non meritorum; quemadmodum sexcentis locis docet Augustinus remissionem peccati, charitatem, Spiritum sanctum, virtutes & perseuerantiam esse dona gratiæ Dei, quantumuis ex fide orante atque ita promerente tribuantur. Et ipse Psalmus dicit, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, *Psal.83.* itemque *Dedit dona hominibus*; per quæ inprimis virtutes quibus post fidem bene vivimus, intelliguntur; & Apostolus, *Gratia Dei vita æterna*, quæ tamen maximè omnium ex meritis, sed gratuitis datur, ideoque ipsa vita æterna meritò gratia nuncupatur. Itaque consonantiam istam gratiæ, & meriti quod ex gratia datur, tangere volens Augustinus: *Sed cùm dicunt Pelagiani*, inquit, *hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur; illam verò quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa Dei dona, hoc est gratuitæ gratiæ beneficia, esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita HVMANA sic prædicant ut ea* EX SEMETIPSO HABERE *hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: *dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso non ab alio sint merita tua.* Itaque ex isto principio & verbis Apostolicis consequenter docet *vitam æternam* esse *gratiam, quia vita bona nostra*, cui ista merces redditur, *nihil aliud est quàm Dei gratia.* Quo sensu alibi dicit eligi homines *electione gratiæ, non meritorum, quia gratia est illis omne meritum.* *Lib. de corr. & grat. 7.*

Hinc igitur perspicuum est electionem *ex operibus* seu *ex meritis*, prout *electioni gratiæ opponitur*, non esse quamlibet electionem ex qualicumque merito profectam, sed ex merito humano, quod ex liberi arbitrij viribus ita proficiscitur, ut illud non donet gratia Dei. Quam ob causam Augustinus ex Apostolo docet, hominem gratis eligi & prædestinari ad immaculatam sanctitatem, ad adeptionem cœlorum, ad hæreditatem regni, non minùs quàm ad ipsam fidem, cuius tamen merito adoptio, sanctitas, hæreditas regni retribuitur: *Eligendo*, inquit, *facit diuites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* *Vide loca sup. ad ex. 18. & 19. de prad. SS. & alys locis.* Vbi de electione & prædestinatione puræ gratiæ fortissimè disputatur. A cuius puritate quo quis longius digreditur, eo profundius in electionem ex meritis cadit. Itaque Semipelagiani cum virtutes atque opera bona diuinæ gratiæ dona esse, concederent, sed solum initium fidei humanis viribus reseruarent, dixerunt homines eligi *ex fide*, seu ex nonnullo merito fidei: Pelagiani cùm omnia vitæ bonę merita libero arbitrio tribuerent, dixerunt eligi *ex operibus*, quæ perfecta sunt merita. Manichæi qui naturam humanam ex mali & boni mixtione temperabant, dicebant eligi ex meritis *naturæ*, videlicet bonæ, quæ liberationem istam merebatur. Catholica fides, quæ nihil naturæ perditæ (nisi impotentiam exserendæ bonæ voluntatis, & fidei, & operum) damnationique reliquum esse tradit, eligi docet homines ex pura gratia Dei. Ex quibus fontibus nascitur ELECTIO GRATIÆ; itemque

[a] *Epist. 106.* [b] *Ibidem* [c] *Epist. 107* [d] *Lib. 4. ad Bonifa. c. 6. & 7.* [e] *Lib. de gra. & lib. arb. c. 6.*

quæ triplex eius adulteratio, electio *ex fide*, electio *ex operibus*, ac denique *electio ex natura*.

Tres primæ electiones, ex ipsa sententiarum diversitate, Catholicæ, Semipelagianę, & Pelagianæ satis intelliguntur, & in Augustini scriptis passim obviæ sunt.

Quarta verò electio natura, quæ Manichæorum propria est (utpote qui naturam bonam tanquam particulam Dei, miserijs ex commixtione mali oppressam, inde mereri liberationem statuebant) insinuatur in illa secunda ad Simplicianum quæstione, quam supra delibavimus. *Vnde igitur*, inquit Augustinus, *ista electio* Iacob, neglecto Esau *vel quælibet electio si nondum natis nondumque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum? An forte sunt aliqua* A *naturarum? Quis hoc intelligat ex uno patre & ex una matre, & ex uno concubitu, & ex uno creatore?* sed apertissimè traditur in libris ad Bonifacium: *Iam verò gratiam Christi simul oppugnavit &c. sed etiam hac modis causisque diversis. Nam Manichæi meritis* NATVRÆ BONÆ: *Pelagiani autem merito voluntatis bonæ pertinbent divinitùs subveniri. Illi dicunt, debet hoc Deus laboribus*, id est miserijs *membrorum suorum: Isti dicunt, debet hæc virtutibus servorum suorum. Vtrisque ergo merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Quibus de prædestinatione, discretione, seu electione gratiæ & meritorum expeditis, iam quid sit prædestinatio seu electio gratiæ, & quibus utraque, sive gratiæ, sive meritorum conveniat, explorandum est.

Lib. 1. q. 2. ad Simpl.

CAPVT VII.

Definitio Prædestinationis gratiæ seu gratuitæ ab Augustino tradita, nonnihil enodatur. Quænam sint illa *beneficia*, & illa *præscientia*, de quibus in ea fit mentio?

PRædestinatio gratiæ definitur ab Augustino quodam loco hisce verbis: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Nam totis illis duobus libris ex professo de ista sola gratiæ seu gratuita prædestinatione disputat: quam ex eo invictè contra Semipelagianos concludere putat, quia invictè probat, fidem nobis & perseverantiam nullis meritis præcedentibus, sed ex sola gratuita Dei gratia dari. Nam immediatè ante præmiserat illa verba ex quibus istam definitionem prædestinationis intulit: *An quisquam dicere audebit Deum non præscisse, quibus esset per gratiam datturus ut crederent? Aut ipsos daturus esset filio suo ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit profectio beneficia, vitus nos dignatur liberare præscivit.* Et paulò post cùm de obedientia perseverante ex Sancti Cypriani verbis doctissimè, non esse tanquam de nostra, sed tanquam de gratuito Dei beneficio in Domino gloriandum: *Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocati sui, omni Christiano confitente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus.* Denique præparatio beneficiorum Dei non est aliud nisi præparatio gratiæ Dei, per quam dantur ipsa beneficia, quæ propterea etiam sanctissimè vocat *Dona Dei*. Donum autem ipso suo nomine est gratuitum.

Lib. de dono persev. c. 4.

Quænam verò sint illa beneficia Dei gratuita, non est operosum ex præcedentibus intelligere. Diximus enim esse non solùm vitam bonam, quam in hac vita ducimus, sed etiam vitam æternam quæ vitæ bonæ retribetur. De vita bona nemo Catholicus dubitat. Est enim ingens divinæ gratiæ beneficium ac donum, quod non omnes accipiunt, sed quibus datum est.

Comprehenditur illa verò & fidem & charitatem & opera bona seu merita, & perseverantiam usque in finem, quæ esse vera Dei dona, nullâ liberi arbitrij potestate, sed solâ Dei gratiâ comparanda, in omnibus contra Pelagianos lucubrationibus, & ex professo duobus libris de prædestinatione ac de dono perseverantiæ Augustinus inculcat. Per illa namque beneficia, à debita cum qua nati sumus damnatione liberamur, iuxta illud eiusdem sancti de ascensu cordis, quo sive colendo, sive orando, sive operando quæ sursum sunt sapimus, non quæ super terram: *Cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro qui nos per tale* BENEFICIVM LIBERANDO, *de profundo huius mundi elegit, & prædestinauit ante constitutionem mundi.* Ibid. c. 13.

Sed quantumvis istud liberationis nostræ beneficium Deus in hac vita impertiret nobis, nisi tamen sequeretur corona gloriæ, quâ reliquiæ tenebrarum nostrarum, quibus mens ex peccato obscurata mansit, & languores voluntatis non exigui, & ista miserabilis corporis mortalitas, & ipse stimulus peccati mors, beatæ resurrectionis beneficio deleretur, non solùm non essemus ex massa damnationis certissimè liberati, sed iuxta pronunciatum Apostolicum, *miserabiliores omnibus hominibus*. Nam ut nihil de ceteris malis dicam, nemini durior molestiorque est ille stimulus concupiscentiæ qui non nisi morte extinguitur quàm viris bonis. Per istud igitur beatæ resurrectionis & 1. Co. 15.

immortalitatis, & beatificæ contemplationis beneficium, maximè omnium certissimèque liberamur; quemadmodum etiam alio loco in hoc tractatu diximus. ut proinde maximè in definitione prædestinationis istud beneficium, sine cæterorum tamen exclusione, intelligi debeat. Quod enim veluti merces meritorum bonorum redditur, nihil vetat quo minus uti beneficium liberationis, adeoque uti donum gratiæ à Deo hominibus tribuatur, *quia*, ut Augustinus ait, *gratia est illis omne meritum*: unde & *gratia Dei vita æterna*, de quo fusiùs capite præcedenti.

Lib. de Cor. & gra. c. 7. Rom. 6.

Præcipua difficultas est, in intelligenda illa præscientia, quæ ab Augustino in prædestinationis definitione tangitur. Quidam ab eo putant intelligi scientiam simplicis intelligentiæ, tanquâ quæ necessariò Dei voluntatẽ, objecta proponendo, dirigat, ut rem aliquam prædestinare possit: & hoc putant Augustinum istis phrasibus significasse, quibus dicit, quod Deus *dona sua in præscientia præparavit*: itemque quod prædestinare, sit *in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientiâ opera sua futura disponere*. Cùm enim prædestinatio sit actus Dei non necessarius, sed liber & voluntarius, necesse est ut eum in Deo aliqua cognitio antecedat; tum quia nihil volitum nisi præcognitum; tum etiam, quia libertatis ratio quandam judicij indifferentiam exigere videtur: Hæc autem cognitio antecedens actum volũtatis liberum, non potest esse alia nisi simplicis intelligentiæ: quia ista necessaria est, atque ita omne liberum decretum prævolat. In hac ergo præscientia videtur, iuxta sanctum Augustinum, Deus *opera sua futura disposuisse & præparasse*. Alij existimant intelligendam scientiam illam mediam, quam præscientiam *conditionatam* vocant: quâ videlicet Deus noverit, quæ gratia & quis ordo gratiarum unicuique salutem allaturus sit, si ei conferatur. Itaque scientiam, sive simplicis intelligentiæ, sive conditionatam adjungi putant præparationi de qua fit mentio in definitione, tanquam conditionem prævjam ac necessariam ad præparandum, sive prædestinandum aliquid.

Lib. de dono pers. c. 17.

Quæ quidem scientiæ utrum ad prædestinationis decretum formandum necessariæ sint alia quæstio est; neutram tamen ab Augustino in ista definitione intellectam esse, tam perspicuum est in scriptis eius, ut ab eis qui ista diligenter legerunt, nullo modo dubitari posse videatur. Indicat enim pluribus quàm viginti locis, esse scientiã visionis, rerũ scilicet reipsâ futurarum, quas Deus ipse facturus est, de qua loquitur. Nam libro de prædestinatione Sanctorum, explicaturus præscientiam illam, quam prædestinationi copulaverat: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Et quænam ista præscientia? An fortè simplicis intelligentiæ possibilium? An conditionata rerum nunquam futurarum, quas homo facturus esset, si talis gratia conditioue poneretur? Audi ipsũ sine fuco sensa sua detegentem: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est, fecit quæ futura sunt: præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*. Et rursum in eodem loco de promissione loquens, quâ Deus Abrahæ filios promiserat, ut intelligeremus eum non de præscientia conditionata loqui, quâ præscit Deus quid homo posità conditione facturus est, non etiam de scientia simplicis intelligentiæ rerum quarumlibet possibilium, sed de vera visione rerum futurarum: *Non*, inquit, *de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim* QVOD IPSE FACTVRVS FVERAT, *non quod homines*. Nam istam prædestinationis præscientiam quâ Deus præscit id quod ipse facturus est, enucleatius explanans paucis capitibus interpositis: *Hoc*, ait, *præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto: non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset*. Et capite sequenti ubi de prædestinatione disserit, quâ effectum, ut homo ille Iesus esset unigenitus filius Dei, & ut nos essemus, per eius gratiam & spiritum datâ peccatorum remissione, Christiani: *Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum &c.* In libro verò de dono perseverantiæ, ubi prædestinationis definitionem, de qua quæstio est, tradit, ad singulas fere paginas hanc præscientiam visionis se prædestinationi sociare significat: *Orat*, inquit (Ecclesia) *ut incredulí credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem*. Quis hic dubitare finitur, quin actiones reipsâ futuræ significentur? sic ergo consequenter adiungit: *Hæc Deus facturum se esse præscivit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum quos elegit in Christo ante constitutionem mundi ut essent Sancti &c.*

Ibid. *Ibid. c. 14.* *Cap. 15.* *Lib. de dono pers. c. 7.*

Et in illo ipso loco ubi, definitio prædestinationis cum illa præscientiæ adjunctione tradita est: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent? Aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam?*

Ibid. c. 16.

Quæ præscire sine præscientia visionis, hoc est, qua reipsâ in tempore futura prævidentur, impossibile est. Et tamen adjungit: *Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua quibus nos dignatur liberare præscivit.*

Ex quibus verbis definitio prædestinationis in eodem loco continnata est. Hanc ergo visionis præscientiam iterum atque iterum toto reliquo decursu totius libri atque identidem repetit: Et *ipsa igitur* (obedientia perseverans) *Dei donum est; quod se daturum Deus vocatis suis illâ vocatione de qua dictum est, sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, omni Christiano consistente præscivit. Hæc est igitur prædestinatio*. Et de alijs quibuslibet muneribus Dei, quæ hominibus tempore cuique suo per gratiam conferuntur: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit.*

Lib. de dono pers. c. 14.

Lib. de pra Sanct. c.

Quod

Quod si & dantur, reipsâ tempore suo, *& ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Pluribus superfedeo, quia cui ista non sufficiunt ad percipiendum sensum sancti Præsulis de præscientia, nec alia multa, quæ proferri possent, sufficient testimonia.

Cur ergo, inquies, istius præscientiæ visionis Augustinus tam sollicitè mentionem facit, cùm nihil ad naturam ejus facere videatur. Supponit enim decretum Dei, seu, ut in eodem libro loquitur, *definitam sententiam voluntatis Dei*, in qua vera prædestinationis ratio sita est. Hæc enim in Deo positâ sententiâ, seu decreto, seu proposito, jam hoc ipso novit, quæ & quibus beneficia liberationis impertiet. Respondetur causam esse, quia cum semipelagianis ei disceptatio erat, qui volebant fidem & perseverantiam, de quibus propriè in illis duobus libris agitur, ita pertinere ad præscientiam Dei, ut à Deo quidem præscirentur, non tamen donarentur; hoc est, ista duo divinæ præscientiæ, non prædestinationi submittebant, ita ut ipsorum judicio non essent beneficia Dei, quibus liberemur, sed humanæ voluntatis officia. Adversus illum errorem nimium pernicioſum instantissimè docet, fidem atque perseverantiam ad Dei quidem pertinere præscientiam; sed sic tamen ut simul essent ad ejus prædestinationem referenda, eo quod ea præsciat ex illa ipsa sua prædestinatione, vi cuius fiat ut id quod ipsemet facturus est, ea dona largiendo, ignorare non possit. Ista vera & genuina videtur esse causa, cur istam præscientiam toties cum prædestinatione coniungat. Cuius veritatis quibusdam librorum istorum locis, non obscura impressa sunt vestigia. Nam hoc apertè loquuntur prima ista loca, quæ jam paulò ante ex cap. 10. libri de prædestinat. Sanct. prompsimus. Massilienſibus enim existimantibus fidem, quâ filij Abrahæ fiunt, ex nostra proficisci potestate, ita ut ad Dei tantummodò præscientiam, non prædestinationem referrentur: *Non de nostræ voluntatis*, inquit, *potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines.* Et in alio loco ejusdem operis apertissimè: *Ipsi enim putant, acceptis præceptis tam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu eius in charitate: quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo: cùm dicat Apostolus: Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ &c. Cùm ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, non nostrum, quo nos sanctos & immaculatos facit.* Et in libro de dono perseverantiæ, cùm vellet ostendere, quod in isto Apostolico loco, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*, prædestinatio nomine præscientiæ notaretur, in hunc modum adversus Massilienſium erroneas opiniones ait: *Atque ut ostenderet Dei gratiâ*, hoc est Dei operatione, *fuisse relictas reliquias, non meritis operum essent, secundùm adiunxit &c. Reliqui mihi septem millia &c.* Quo verbo significatur, Deum non solùm prævidisse simpliciter, quid homines essent suâ potestate facturi, sed quid ipse in eis gratiâ atque opere suo facturus esset. Itaque concludit Augustinus: *Nullus igitur qui hæc intellexit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, non repulit Deus plebem suam, quam præscivit prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo prædestinavit. Sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Egerat hoc eodem prorsus modo jam olim adversus Pelagianos, qui opinionem illam de fide ex potestate naturali liberæ voluntatis profluente Massilienſibus presbyteris præformaverant, idque occasione loci Euangelici, quem citaverat: *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes*, quo fides ad solam Dei præscientiam, non prædestinationem referri videbatur: *Et ne quisquam existimaret credentes sic ad eius præscientiam pertinere, id est, ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodò voluntas eorum præno sceretur, mox adiecit &c.* Quem ipsissimum errorem in libris de prædestinatione Sanctorum, donoque perseverantiæ Massilienſibus eximere, jam accurata prædestinationis ac præscientiæ distinctione, ac toties iterata coniunctione conatur.

Ad illud igitur opinionis primæ fundamentum, quod necessariò scientia simplicis intelligentiæ antecedat decretum liberum prædestinationis, respondemus hoc verissimum videri, & consequenter si Augustini mentem, tantisper seponamus, rectissimè dici posse, quod Deus *in illa præscientia dona sua præparaverit, operaque sua futura disposuerit.* Sed tamen eo non obstante alium sensum istis verbis ab Augustino significatum esse, perspicuè, nisi fallor, demonstravimus. Cuius etiam indicium est, quod istam phrasim non ita constanter usurpet, ut non eam subinde invertat, ut videlicet significet, non scientiâ simplicis intelligentiæ isto loquendi modo, sed visionis intelligere. Nam quemadmodum dixit, Deum dona vel opera sua in sua præscientia præparare atque disponere; ita quoque non unâ vice dicit, quod illa ipsa opera bona, *in ipsa sua prædestinatione* præscivit. *Propterea Deus ut omnia futura opera in prædestinatione præsciverit, sic illa disposuit &c.* Et in libro de prædestinatione Sanctorum: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et post multa interjecta: *Electi sunt ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, IN QUA Deus sua futura facta præscivit.* Quâ phrasi indicat, Deum in ipso suo decreto libero, quo prædestinat aliquid facere vel donare, præscire se illud ipsum facturum aut donaturum. Sicut enim decretum Dei liberum faciendi vel donandi, est causa ut aliquid in tempore à Deo fiat aut detur, ita quoque est ratio, quod Deus id futurum esse, adeoque se facturum vel daturum esse

præsciverit. Nam ante decretum istud nostro concipiendi modo, non erit in Deo præscientia rerum istarum, quas eum facturum ponimus, nisi simplicis intelligentiæ, tanquam possibilium, quarum futuritio ex decreto solo faciendi proficiscitur. Hoc enim quemadmodum est prima causa faciendi, ita cæterarum omnium causarum, ex quibus illa res habet quod futura est, determinationem antecedit. Ex quo etiam accidit, ut licet istud decretum sit prima causa prodactionis rerum, ita scientia ista visionis, vi decreti istius ad eas producendas, in executione concurrat. Scientia enim pura possibilium nihil causat sed illa quæ causat, necessariò est voluntate Dei decernente posterior: quæ sane per hoc ipsum, quod eam præcedat voluntatis decretum, iam non est simplicis intelligentiæ, sed libera & consequenter visionis quemadmodum & recentiores quidam hoc ipsum tradunt. *Alvar. disp. 13. & 16.*

Altera opinio, quæ scientiam conditionatam ab Augustino significatam asserit, ex illis ipsis Augustini testimonijs huc usque à me prolatis per se ipsa corruit.

Adversus quam istud generaliter capitale est, quod non dicat Augustinus, Deum per istam præscientiam prænoscere, quid homo hac vel illa gratiarum serie data, facturus sit (quomodo si illam conditionatam scientiam intelligeret, debuisset loqui) sed per eam præscire Deum *opus suum*, præscire *quid ipse facturus sit*.

In ô exsertissimè dicit, Deum vi prædestinationis præscire, in ô prænitere (quod est prædestinationis effectum patefacere) *quod ipse factiurus fuerat, non quod homines*. Quocirca hæc scientia illa conditionata, secundum Augustini sententiam, Deo tribui debeat (quemadmodum non est difficile ostendere) sive forte non debeat, non esse tamen ab ipso in ista prædestinationis definitione significatam, ex ijs quæ iam diximus satis liquet: nec significari potuisse ex natura gratiæ liberatricis & Christianæ, quam supra uberius explicuimus, abundè intelligitur. Est enim talis in voluntatem efficaciæ, tantaque potestate libero arbitrio dominatur, ut nihil hostilius ei quàm ista præscientia conditionata, prout eam isti authores explicant, excogitari posse videatur. De quo alibi latius. *Lib. de prad. SS. c. 10.*

Porro (ut istud etiam breviter dicam) quamvis toties Augustinus præscientiæ mentionem ingerat, quando de prædestinatione disputat, ut nonnulli arbitrati fuerint, prædestinationis naturam in actu intellectus præcipuè collocatam esse, ex diversis tamen ipsius locis manifestum est eam in divinæ voluntatis decreto esse sitam. Quod inde imprimis claret, quòd sæpiùs prædestinationem electionem vocat; usque adeo ut dicat: *electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit*, Et *eligere ut credant* homines, nihil sit nisi prædestinare ut credant. *Quomodo enim eligeret eos qui non erant nisi prædestinando?* Alibi utitur verbo, *statuendi, constituendi, decernendi*, ; hæc autem sunt voluntatis. Nam ut est in libro Esther: *Non est qui possit resistere voluntati tuæ si decreveris salvare nos.* *Lib. de prad. SS. c. 10.* *Cap. 18.* *Esther 13.*

Imò prædestinationem vocat Augustinus *definitam sententiam voluntatis Dei*. De quibus vide latiùs capite primo. Sic intellexerunt etiam Augustini doctrinam Massilienses adversarij eius, itemque Prosper & Hilarius discipuli eius, nam de prædestinatione Augustini in controversiâ tracta disputantes, vocant eam passim & sæpius *propositu Dei quo fit hominu discretio, definitionem, prædestinantis electionem constitutionem Dei, propositum & consilium voluntatis Dei*, quo vas in honorem conditur, ita videlicet ut præscientia ex ipso proposito seu decreto Dei proficiscatur. Hoc idem S. Fulgentius docet apertissimè & sæpissimè. *Vtrumque prædestinando Deus præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominu renovãdi disposuit ut eius voluntas in opere novo nova esse non posset.* Et multò inferiùs: *Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis suæ creator ille tam sæpe dicitur, quod in creatura mutabili, prout oportune faciendum disposuit, sic rite disposuit facit.* Et multis interjectis iterum: *Tales itaque Deus aptavit in interitum punitionis, quem peccatori iustus iudex, prædestinatione iustâ decrevit.* Nec dissonat ab ista doctrina in alijs libris suis. Nam in illis quos de veritate prædestinationis & gratiæ scripsit, diversis locis idem docet, nunc dicens Deum *prædestinare secundum propositum voluntatis suæ*; nunc neminem *vincere prædestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem*, & similia quibus prædestinationis naturam eum in voluntate collocare, manifestissimè liquet. *Fulgent. lib. 1. ad mon. Lib. 24.* *Fol. 15.* *Fol. 61.* *Lib. 3. de ver. præd. & gra.*

CAPVT OCTAVVM.

Effectus adequatus prædestinationis gratuitæ est liberatio. Quid illa, & à quibus. Prædestinatio gratiæ facta est previso peccato, non aliter.

QVantum ad primam huius quæstionis partem, iam ex antedictis utcumque intelligitur, effectum prædestinationis gratuitæ esse gratiam. Ita disertis verbis Augustinus: *Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio.* Et rursum paulò inferius. *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est gratia est, ut dixi præparatio; gratia verò ipsius prædestinationis effectus.* *Lib. de prad. SS. c. 10.*

Porro

Porrò per gratiam non intelligitur ipsa præcisè gratia, prout distinguitur ab effectu suo, sed præcipuè ipse effectus, quem Deus per gratiam in homine operatur, hoc est, ipsum opus bonum quod Deus homini per gratiam donat, & in homine per gratiam operatur. Hoc est enim propriè quod Deus se in hominibus facturum esse præscivit, & per hoc prædestinavit. Declarat hoc infinitis locis Augustinus, loco gratiæ semper proferens ipsa merita bonorum operum, quæ suæ gratiæ liberalitate & operatione largitur, ut in illo ipso loco quem citavimus, explicans id quod primo loco dixerat: *Quod itaque ait Apostolus non ex operibus, ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, gratia est. Quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est.* Et statim simpliciter explicans idipsum quod secundo loco repetiverat: *Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens: patrem multarum gentium posui te, unde dicit Apostolus: Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Ecce utroque explicat loco per gratiam se effectus gratiæ intelligere. Gratia quippe operandi non datur à Deo ut in ipsa stetur, sed ut Deus per ipsam gratiam in homine velle & perficere operetur. Vnde facta illa sua, quæ per prædestinationem Deus præscire dicitur, sæpè exponit Augustinus esse fidem, charitatem, pietatem, obedientiam, perseverantiam, hoc est, ipsum credere Deo, diligere Deum, colere Deum, obedire Deo, perseverare in Deo, quæ etiam dona ac munera Dei, quæ suis electis se donaturum esse præscivit. Cui asserendæ veritati non est opus pluribus, cùm totus uterque liber de prædestinatione sanctorum ac perseverantiæ dono, nihil aliud clamet.

Porrò sub ista gratia, hoc est, sub istis effectibus gratiæ, etiam gloriam intelligendam esse, jam satis superque in præcedentibus confirmavimus. Vnum hîc adijcio, utraque ista tam gratiam, quàm gloriam, hoc est, tam merita seu opera bona, quàm operum præmium sub prædestinationem gratuitam cadere, non sub qualibet consideratione, sed quatenùs sunt *beneficia liberationis*. Nam hoc est, quod Augustinus dicit, prædestinationem esse præparationem *beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Porrò liberatio respicit essentialiter libertatem. *Liberari* quippe *propriè dicitur*, inquit idem, *liberum fieri: quemodo salvari, salvum fieri; sanari, sanum fieri: sic liberari liberum fieri.* Neque istâ propriè dictâ libertate quisquam liber fit, nisi à servitute, quemadmodum satis intellexerunt Iudæi, quando respondebant Christo liberatori:

A *Nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Veritas liberabit vos?* Hoc est, inquit Augustinus hoc explanans: *Quos vides non habere servitutis necessitatem, quomodo eis polliceris libertatem?* Hæc ergo servitus, à qua homines liberantur per illa Dei beneficia, non est servitus hominum visibilium, nec propriè & immediatè diaboli, sed *peccati*. Quod & Christus eodem sermone demonstravit Iudæis, cùm eis libertatem polliceretur: *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati &c. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Quasi diceret peccati servitute servi estis, qui vos liberos venditatis. Si ergo vos Filius ab hac servitute peccati liberaverit, verè liberi eritis. Quid sit verò illa peccati servitus, cui genus humanum ex Dei æquitate & propria iniquitate damnatum est, alio loco uberiùs diximus. Hoc loco satis fuerit intelligere, non esse solam peccati culpam sive ex origine, sive propria operatione contractam, à qua peccatorum omnium remissione liberamur. Quisquis enim tali remissione liberatus est, non continuò beneficia certissimæ liberationis, de quibus Augustinus loquitur, assecutus est: sed esse in primis præter peccati culpam servitutem concupiscentiæ, sive servitutem sub lege peccati & mortis, quæ phrasi Apostolicâ PECCATVM, & *lex peccati & mortis* dicitur, & à qua Christus liberat nos per gratiam suam. Denique ipsum corpus mortis, à quo tanto gemitu Apostolus liberari petit, quando dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hoc est, de vitijs corporis mortis. Nam de ipso *corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus justa poena debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit. Hinc se non poterat utique liberare, qui dicit: Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam de talibus *vitijs carnalibus*, quæ ex originis corruptione inundarunt, & propriis magis magisque crescunt iniquitatibus, *Non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis liberatur à corpore.* De quibus etiam latiùs alibi dictum est. Servitus igitur ista qua spiritus hominis dominanti servit cupiditati, & carnalium vitiorum exercitui, unde fomes tentationum omnium, quæ vel sponte ex homine, vel ex diabolo concupiscentias quibus conspersi sumus, commovente proficiscuntur, non tollitur ex homine, nisi & culpa tota per perfectam justitiam, & illæ densæ tenebræ, quibus ex peccato involuti sumus, per luminosissimam sapientiam, & concupiscentiæ vetustas, per ipsam mortalis corporis innovationem resurrectionemque deleatur. Ex quo sane fit, ut libratissimè rectissimèque dixerit Augustinus, effectum adæquatum prædestinationis gratiæ describendo, esse *beneficia Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: hoc est breviter, esse beneficia liberationis perfectæ, seu liberationis, ut Christi verbis loquar, quâ *si nos Filius hominis liberaverit, verè liberi erimus.* Verè namq; seu perfectè liberi nō erimus nisi & ipsū corpus

Ibid. *Ibid.* B *Vide lib. 7. de gra. Chr. Salv. c. 6.* *Rom. 6. & 8* C *Rem. 7* *Lib. de nat. & gra. c. 55* *Ibid. c. 53.* D *Serm. 48. de verbis Dom. cap. 2.*

in quo

in quo omnium incentiua vitiorum circumferimus, *liberetur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, per redemptionem videlicet corporis nostri*, ubi græcè est ipsissimum verbum, δουλεία, id est, seruitus, & ἐλευθερία & ἐλευθερόω, quę Aug. *in græca lingua euidentius sonare* serm. 48. de verb. Dom. *tradit propriè dictâ libertate*, quatenus opponitur seruituti. Nam alioquin liberatio magis diffusâ & impropriâ significatione extenditur ad omnem cuiuslibet hostis aut molestiæ, aut omnis mali depulsionem, ut obseruat ibidem Ibid. Augustinus: *In consuetudine latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur. Et maximè in eo consueuimus audire hoc verbum, ut quicumque liberatur intelligatur periculum euadere, molestijs carere. Liberari autem proprie dicitur liberum fieri.* Vna significatio igitur *maximè usitata* est altera verò *propria*. In Augustini definitione intelligimus valde conuenienter, iuxta principia ipsius alibi latius deducta, propriè dictam liberationem, quæ usque ad beatam corporis redemptionem, ipsamque spiritus felicitatem gloriosam se protendit, sine quibus perfecta spiritus liberatio, omnisque depulsio seruitutis obtineri nequit. Hanc verò propriè dictam perfectamque liberationem quisquis fuerit assecutus, hoc ipso quoque iuxta vulgarem & maximè usitatam significationem liberandi, liberatus erit: nempe ab omni interno externoque hoste, ab omni interna externaque molestia, ab omni denique interno externoque malo.

Etenim utraque liberatio hîc justitiæ dilectione, & concupiscentiæ refrænatione ac diminutione inchoatur, & in beata corporis resurrectione atque animi perfecta sapientia perficitur. Quapropter si quis maluerit *liberationem* per Dei beneficia quibus certissimè liberamur, vulgariter intælligere ab omni videlicet malo, nihil fuerit inconueniens. Nam & pro tali liberatione malorum omnium ad quæ ex peccato condemnati sumus, depulsionem complectetur, tantis gemitibus tota deprecatur Ecclesia, quando quotidie clamat ad Deum: *Sed libera nos à malo.* Hoc enim dicendo *nos ipsos*, ut Augustinus docet, *admonemur, nondum* Epist. 121. ad Probam c. 11. *nos esse in eo bono, vbi nullum patiemur malum. Et hoc quidem vltimum quod in dominicâ oratione positum est, tam latè, tamque euidenter & manifestè patet, vt homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas effundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem suam.*

Cùm verò genus humanum, & in illam propriè dictam animi seruitutem, & in universam malorum seriem consequentem non sine culpa sua ex peccato, propter quod nascimur omnes filij iræ, totaque natura in radice vitiata atque damnata est; rectissimè quoque dicitur in Augustini definitione, libertatem intelligi, qua à *damnatione liberamur*, cui obligati nascimur. Itaque prædestinatio gratuita, seu electio & discretio gratiæ, iuxta Sancti Augustini definitionem, non est aliud, nisi propositum liberandi aliquem à damnatione cuius reus nascitur. Nam ex isto proposito gratuito fluunt illa beneficia Dei, quibus ille quem voluerit liberare, certissimè liberatur.

Ex qua profectò vel sola definitione perspicuum euadit, electionem seu prædestinationem hominum gratuitam, iuxta Sancti Augustini doctrinam, à Deo factam esse post prævisum peccatum, cuius inquinatione damnandi videbantur, & à cujus erant damnatione liberandi. Decretum enim liberationis concipi non potest, nisi prævisâ seruitute, sicut nec decretum sanandi aliquem, nisi prævisâ ægritudine, quas essentialiter liberatio, sanatioque supponunt. Vnde passim in operibus suis aduersus hostes gratiæ Dei, disertis verbis docet, vi prædestinationis divinæ homines ab originali massa seu damnatione discerni. Nam de diversis gratiæ donis quæ plurimis negantur loquens, causam istius denegationis in æternam illam prædestinationem & discretionem, ascendendo refert, quâ homines in mente Dei ab invicem discernuntur, hoc est, à communis damnationis massa seligendi, discernendique æternæ prædestinationis proposito discernuntur. *Ac per hoc*, inquit, *& qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, divitibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et paulò inferius ordine reciproco, descendendo ex illo æterno prædestinationis proposito, quo homines à communis massæ humanæ damnatione discernuntur, omnium donorum Dei diversitatem velut ex fonte derivat:

Lib. de Cor. & grat. 7.

Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium Ibid. num. 9. & 10. *quod & procurantur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt credant, & in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, corripi emendarique curant, &c. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ.* Et sine ulla omnino ambiguitate apertissimè: *Qui verò perseveraturi non sunt* Ibid. infer. *& sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vita huius finis inveniat: procul dubio nec illo tempore quo bene pieque viuunt, in isto numero (electorum & prædestinatorum) computandi sunt. Nouerunt enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Et rursus in eodem illo libro: *Faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, faciuro Deo aut misericordiam aut iudicium: misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est.* Cap. 9.

Hinc igitur proficiscitur à contrario, ut apud eundem Augustinum reprobari à Deo, non sit aliud, quàm in illa ipsa originali damnatione relinqui.

Hoc

Hoc ipso quippe, quo Deus aliquem non constituit ex damnatione iam contracta debitaque liberare, necessariò reprobatus, & æternâ damnatione plectendus est: *Cùm dicuntur*, inquit, *omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur, ex qua fiunt a figulo alia vasa in honorem, id est, quæ assumuntur in gratiam, alia in contumeliam, id est quæ ad supplicium relinquuntur.* Et in Enchiridio ad Laurentium: *Tunc* (in futura vita) *non latebit quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus, in quo is qui assumeretur, agnosceret, quod sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subveniret.* Et in libris de peccatorum meritis: *Deo per summam præscientiam iudicante, qui parvulorum ab ipso reatu non morientium absolvi.* Quod & alijs non paucis locis tradit: Vnde utrumque contingit, & electionem prædestinantis alios ex massa damnationis, & in eadem alios reprobando, relinquentis in illo ipso loco, ubi definitionem gratuitæ prædestinationis expressérat. Nam ut ex antitheſi ostenderet quid dixisset, *eos certissimè liberari, quicumque liberantur*, & quis sit ille terminus, unde prædestinatio gratiæ eos istâ beneficiorum præparatione liberare decrevit, statim nullis verbis interjectis adijcit: *Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent.* Et radicem detegens, cur talibus hominibus non adhibeantur illa signa, per quæ si adhiberentur, præsciuntur esse crediturí: *Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Et in eodem capite de Iudæis: *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus.*

Hæc denique causa est, cur sexcentis locis Augustinus terminum seu effectum prædestinationis, qui in ejus definitione tangitur per verbum *liberandi*, explicet per liberationem à massa perditionis, à morte, à supplicio, à damnatione: & è contrario effectum reprobationis, per non liberari, sive puniri, sive damnari, & huiusmodi. Et in epistola ad Sixtum: *Parum attendunt quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ita potiùs acceptionem nullam fieri personarum, alia qua, eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod ei sit sibi supplicium conveniret nisi gratia subveniret.* Quod in eodem loco uberiùs & instantiùs agit, & inferiùs: *Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judicium ejus tam magnum profundum &c.* Et adhuc in eadem epistola de prædestinatione atque electione Iacob præ fratre Esau disputans, propterea Prophetâ dixisse docet: *Iacob dilexi Esau autem odio habui: Vt intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam, quod antequam illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam.* Et quid tandem istud? *Quid enim dilegebat in Iacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitâ misericordia*, quod essentialiter misericordiam respicit, *sua donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Quod uberius & enodatius explicat paulo post: *Vt cum ex eodem patre, eadem matre, uno conclutu, antequam aliquid boni egissent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Iacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum cum quo habuit communem causam, videt per institiam meruisse damnari, non nisi per gratiam potuisse discerni.* Vbi Deum diligere Iacob & odisse Esau, nihil est aliud quam prædestinare & reprobare, seu prædestinatione sua à perditionis massa discernere, & in illa relinquere seu damnare, iuxta illud eiusdem in epistola ad Paulinum: *Sed quomodo, inquunt, non est iniquitas apud Deum si diligendo discernit, quos merita nulla discernunt?* Et paulo post effectum istius æternæ dilectionis siue discretionis à massa perditionis, siue simplicius prædestinationis exprimens phrasi solita: *Quid nos hic docuit, nisi ex illa massa primi hominis, cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur, atque ita non esse iniquitatem apud Deum, quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est? Ibi enim gratia est indulgentiæ, ubi justa posset esse vindicta. Et hinc evidenter apparet, à pœna debita liberato & gratis justificato, quantum beneficium conferatur, quod alter æqualiter reus sine pœnitentia iniquitate puniatur.* Nunquam finirem, si omnia sancti Doctoris loca congererem, quibus effectum illum prædestinationis in definitione memoratum verbis istis: *Quibus certissimè liberantur* &c. per liberationem à massa perditionis exponit ut sanè fastidium potiùs, quam instructionem allaturus mihi videar, si pluribus accersendis immorer. Consulenda, si cui plura videre libet, libri 2. ad Bonif. caput 4. & lib. 4. cap. 6. lib. de natura & gratia cap. 5. & 6. lib. 3. contra Iulianum cap. 17. & libri 4. cap. 8. & alia innumera. Quæ sanè causa est, ut illa gratia, quæ gratuitæ [a] *prædestinationis effectus* esse dicitur ab Augustino, vocetur ab ipso [b] *gratia liberatrix*; gratia [b] *liberationis*; gratia quâ [b] *liberamur à omnipotentium dominatione*; gratia quâ [b] *liberamur à corpore mortis huius*, hoc est vitijs ejus; denique gratia quâ [c] *à damnatione liberamur*, quâ *jam tenemur obstricti*, & similibus nominibus. Quæ apertissimè clamant, non aliter Deum homines prædestinando reliquisse, quàm ut à massa damnationis liberandos, quâ justissimo Dei judicio tota humani generis massa vitiata premeretur.

Quod etiam ex alio capite non minùs evidenter constat. Nam, ut Apostolus docet, & ex Apostolo sanctus Augustinus, hominum electio atque prædestinatio, non nisi *in Christo* facta est: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Et iterum: *Qui prædestinavit*

[a] Lib. de prædestin. sanct. c. 10.
[b] Epist. 105 ad Sixtum & Serm. 8 de verbis Apost. c. 2.
[c] Lib. de corr. & grat. c. 11.
[d] Epist. 90.
[e] Lib. de gestis Pelag. c. 6.
[f] Lib. de cor. & gra. c. 10

Lib. 1. contrà Iulian. imperf. fol. 180.
In Enchir. ad Laurent. c. 95.
Lib. 2. de pecat. mer. & rem. c. 21.
Lib. de dono perseveran. c. 14.
Epist. 105.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
Ibid.
Epist. 106.
Ibid.
Ephes. 1.
Ibid.

nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Sive intelligatur *in ipso* tanquam in corporis ejus plenitudine, cujus ipse caput, nos membra facti sumus, ut subinde Sanctus Doctor videtur intelligere, juxta illud Apostoli: *In quo etiam nos sortem consecuti sumus* (ut Augustinus legit) *prædestinati secundum propositum eius*; sive *in ipso*, hoc est, per ipsum, aut per meritum eius; quæ diuersitas ad præsens propositum nihil facit. Iam verò, juxta Sancti Augustini principia, Christus non erat ullo modo venturus in mundum, nisi Adami peccato tota humana natura perijsset: *Attende Euangelium: venit enim Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Si homo non periisset Filius hominis non venisset.* Et in eodem sermone: *Quare venit in mundum? Peccatores saluos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non enim de cœlo ad terram merita nostra bona sed peccata duxerunt.* Hæc est causa cur venerit peccatores saluos facere. Et in sermone nono de verbis Apostoli eadem illa verba quamvis planissima, populo plana faciens: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Ergo non aliter facta est hominum prædestinatio, nisi posita prævisione damnationis seu massæ humani generis ex peccati iniquitate vitiatæ, ut vi prædestinationis possent per gratiam ab ista damnatione liberari. Nam inde venerunt ista elogia Christi Domini celeberrima, quibus Redemptor & Salvator mundi, & Iesus dicitur, quia *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Prædestinare quippe homines seu populum suum, non est aliud quam velle *saluum facere* seu *liberare* populum suum à peccatis eorum.

Ibidem

Serm. 8. de verbis Dom c. 2.

Ibid. c. 7.

Serm. 9. c. 2

Matt. 1.

CAPVT NONVM.

Vnde phrases istæ, massa, & discretio à massa perditionis, & quid significent apud Augustinum.

EX his igitur Augustini densis contestationibus, simul etiam non obscurè colligi potest, primo vnde phrases istæ de *massa* & *discretione* venerint, quæ tam libenter Augustinus usurpat. Hausit enim vtramque ex Apostolo, qui ad Romanos dicit: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* vbi Augustinus semper subintelligit massam illam humani generis, quæ similitudine massæ, sive luteæ, sive farinaceæ, significatur peccati fermento corrupta esse. Nã φύραμα, quod ibi massa vertitur, ab Apost. aliquoties vsurpatur, pro consperſione farinæ, quæ fermento misceri ac temperari solet: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et, *expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio*, seu massa, φύραμα. Phrasim vero de discretione Apostolus ita ad Corinthios suppeditauit: *Quis enim te discernit?* Quæ verba, sicut, Augustinus docet ad Valentinum scribens *Ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus.* Et ad Bonifacium docet, homini tanquam de semetipso & de suo proprio bono glorianti dici: *Quis enim te discernit? utique ab ista vasis, à massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem* &c. ergo ille discernit, qui vnde discernaris impertit, pœnam debitam remittendo, indebitam gratiam largiendo.

Rom. 9.

Galat. 5. 1. Cor. 5.

Epist. 1. ad Valent.

Lib. 2. ad Bonif. c. 7.

Hinc etiam *secundo* colligitur & perspicuum fit, quo sensu dicatur, *massa perditionis, massa damnata* &c. Nempe quia totum humanum genus velut eiusdem cum Adamo naturæ, & ex ipso derivatum, instar consperſionis, seu massæ farinaceæ, peccato veluti fermento vitiatum, perditum atque damnatum est; non solum quia ratione culpæ, quam peccatum attulit, sed & concupiscentiæ, qua in prolem culpa transfunditur, animus inquinatur, dominantique carni subditus nascitur: *Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati & pœna mortalitatis.* Et inferius: *Concupiscentia carnalis de peccati pœna iam regnans, universum genus humanum tanquam totam & unam consperſionem originali vitio in omnia permanente confuderat.* Vnde alibi dicit: *Vniversa massa tanquam in vitiata radice damnata est.* Alibi Pelagianos *nolle credere, quod in uno homine tota esset massa vitiata & tota damnata, à quo vitio & damnatione sola sanat & liberat gratia.*

Lib. 1. ad Simplic.

Lib. 4. de Ciuit. c. 26.

Lib. 2. contra Iul. oper. imperf. c. 147.

Tertio utcumque patet, quid sit illa discretio temporalis, seu *liberatio à massa damnationis*, quam respicit discretio æterna, seu prædestinatio gratuita saluandorum, velut adæquatum effectum suum. Quidam enim non satis periti principiorum Augustini, difficulter possunt acquiescere, quod prædestinationem Augustinus, discretionem à massa damnationis vocet: multi enim videntur per peccatorum remissionem iam à damnationis massa discerni, qui tamen nullo pacto prædestinati sunt, quia relapsi pereunt. Sed sciendum est, quod cum discretio à massa perditionis apud Augustinum ipsa prædestinatione fiat, iuxta illud ipsius: *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, eterna illa discretio*

Lib. de corr. & grat.

Dei

Dei effectus eosdem respicit quos prædestinatio. *Prædestinationis* autem *effectus est gratia*, ut idem ait, hoc est, quicquid gratia in homine ad perficiendam salutem ac liberationem ejus operatur, non merita solum seu opera bona, sed & eorum perseverantiam & ipsam gloriam, sine cujus præparatione nemo simpliciter prædestinatus dici debet aut potest; prout latius in superioribus demonstravimus. Itaque æterna illa prædestinationis discretio à massa perditionis respicit adæquate discretionem seu liberationem temporalem ab illa massa per gratiam: *Gratia*, inquit Augustinus, *liberat à totius massæ damnatione quos liberat.* Quæ sane liberatio nullo modo solam peccati remissionem respicit, sed omnium omnino malorum depulsionem, quæ pœnaliter ex originali damnatione toti massæ perditionis inflicta sunt: nimirum non solum culpæ, sed & ignorantiæ illius profundæ & cœcitatis, cum qua nascimur, & concupiscentiæ tam importunæ atque periculosæ, cum quibus duabus originalibus pœnis ad mortem usque dimicamus, & ex quibus pœnis omnia peccata proficiscuntur, & ipsius mortalitatis, quam *grave iugum* Scripturæ vocant; æternæ denique damnationis, in quam nemo jam semel justificatus relabitur, nisi ex illius damnationis supplicio quo tota massa premitur. Ab istis omnibus damnationis originalis malis, nisi quis gratia liberetur, nunquam ille juxta sensum sanctissimi Præsulis, à perditionis massa discretus fuerit. Itaque discretioni sive liberationi à massa perditionis, non semel damnationem Augustinus opponit, ut in libro quarto contra Iulianum, ubi de *massa originis damnatæ atque vitiatæ* fecisset mentionem: *Ac per hoc*, inquit, *damnatus ex debito de supplicio iuste queritur; nec liberatus gratis de merito superbe gloriatur.* Et libro de natura & gratia: *Vniversa igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur* &c. Et terminos liberationis illius circumscribens, quæ per misericordiam discernentis Dei & gratiam tribuitur: *Misericordia eius prævenit hominem ut liberetur à malis, & quæ facit & quæ facturus fuerat, nisi gratia Dei regeneretur, & quæ passurus fuerat in æternum nisi eueretur a potestate tenebrarum, & transferretur in regnum filij charitatis Dei.* Et adversus Iulianum accuratius: *Qua gratia liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ male vivendo contraxeram: qua gratia liberor, ut scio, ne inirem in tentationem à concupiscentia mea abstractus & illectus, atque ut exaudiar dicens cum confortibus meis: Dimitte nobis debita nostra: qua gratia liberabor ut spero in æternum, ubi tam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ.* Ecce triplicem liberationem à malis, quæ omnia omnino vel proximè vel remote ex originali totius massæ damnatione contracta sunt, à malis culpæ sive originalis sive propriæ; à malis tentationum, cum quibus ut assiduè luctemur, propter totius massæ culpam damnati sumus, atque ita damnati, ut nisi gratuita Dei gratia in singulis adjuvemur, nec unam quidem superaturi simus; à malis denique ipsius fomitis atque mortalitatis: quæ tentationum omnium seminarium. Quod triplex beneficium contra triplex supplicium perditionis massæ irrogatum, triplici oratione petitur ab Ecclesia, quando jam etiam ab originis culpa mundata rogat: *Dimitte nobis debita nostra; Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo*, juxta illud Augustini: *Sic ergo totum hoc in tribus beneficijs positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia; adiuva ne abstrahamur a concupiscentia; auser à nobis, beatâ resurrectione, concupiscentiam.* Quamobrem quisquis non ex omnibus istis malis quæ ex originali damnatione contracta sunt, eruitur, sicut non liberatur in tempore, nec discernitur reipsa à massa perditionis, sed in illa tametsi semel justificatus, perit; ita nec ab æterno ab illa massa perditionis Dei prædestinatione discretus fuit. Massæ quippe damnatio, non in eo tantum sita est, quod post mortem, ad æternum supplicium deputandi sumus, sed in omnibus omnino malis quæ in hoc mundo sufferuntur, & in omnibus malorum sufferendorum debitis atque necessitatibus, quæ tamen per misericordiam Dei non sufferuntur. Divinæ quippe misericordiæ est, à quocumque malo liberamur, Concilio Arausicano nobis pronuntiante: *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.* Inter quæ mala non est minimum, quod homo qui in illa massa damnatus fuit, neque credere, neque velle bonum, neque pœnitere mali; neque diligere Deum, neque operari, neque quicquam boni quo piè vivitur, neque tantillum suis viribus perseverare possit, sed ei totum istud gratuita gratia dari debeat, quam propterea, quibus & quando & quantum voluerit, tribuit & negat Deus. Non enim culpâ est opus novâ ut hoc alicui subtrahatur, sive non detur quod nemini debetur. Ex illa igitur originalis massæ damnatione proficiscitur, ut aliquibus non detur quidem ipse auditus fidei, sine quo non possunt credere: *Fides enim ex auditu*; alijs non detur fides, sine qua justi esse non possunt; alijs non detur pœnitentia, magnum donum Dei; alijs non detur dilectio, qua bene operentur; alijs non detur firmitas perstiendi in tentatione, sive perseverantiæ donum, quod Deus tribuit & non tribuit, quibus vult. Iustè autem non tribuit quod non debet: si igitur sua malitia in peccata relabantur, non est illa culpa Dei sed propria; sicut & infirmitas & cœcitas ex qua nascitur ista instabilitas propria est, ex massæ damnatione cõtracta. Hoc est igitur, quod Augustinus in istud velut principium refert, quod aliqui vel non perseveraverunt, vel ba-

lib. 1. oper. imper. cont. Iul. f. 179.

lib. 2. de pec. merit. c. 4.

Conc. Arauf. can. 14.

lib. 4. cont. Iul. c. 8.

lib. de nat. & grat. c. 5.

lib. de corr. & grat. c. 13

lib. 6 cont. Iul. cap. 14.

vel baptismo caruerunt, vel non crediderunt, vel non audito Euangelio, neque credere potuerunt; quia videlicet non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam: *Non enim sunt*, inquit, *à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo non secundum propositum vocati.* Nam sub illa vocatione, secundum propositum, non solum fides & pœnitentia, sed, ut infra latius, & perseverantia ipsa comprehenditur. Quemadmodum igitur qui ex puteo in quem cecidit ab alio gratis liberari debet, non est liberatus dum ei funis datur, & extrahi ex parte cœpit, si propria malitia vel infirmitate ex casu voluntario contracta relabatur; ita nec ille in sensu Augustini à massa discretus est, qui tantummodo peccati remissione decernitur purgandus; sed qui omnium pœnarum ex damnatione originali inhærentium abolitione justificandus, & in antiquum statum reparandus, in quo innocens massa ex Dei creatione & sanctificatione fuit.

Lib. de Cor. & grat. c. 7.

CAPVT X.

Electio, seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum, & quo sensu.

PRÆDESTINATIONEM illam gratuitam, de qua nos hactenus disserimus, circa homines qui perierant, suos effectus operari tam in futura quâ in præsenti vita, ex ijs quæ tractavimus, satis patet. Ratio quoque certa duobus ex capitibus peti potest. Vna ex natura liberationis, de qua in definitione mentio fit, quia quotquot ad æternam salutem perduceadi sunt ex justissima massæ damnatione, non solum culpæ remissione, sed omnium pœnarum abolitione liberandi sunt. Quam liberationem, quia nullum omnino meritum sive operis, sive voluntatis, sive cogitationis præcedit, neque præcedere potest, sed mere per gratuitam gratiam dari debet, necesse est, ut gratuito tantum beneficium præparetur, & proinde prædestinetur. Cùm prædestinatio gratuita non sit aliud, nisi præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Vnde Augustinus: *Quotquot ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua tam tenentur obstricti. Vnde etiamsi nullus liberaretur, justum Dei judicium* juste *nemo reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agenda quæ fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.*

Lib. de Cor. & grat. c. 10

Altera ratio ex natura *beneficiorum Dei* fluit, quibus peragitur ista liberatio. Illa vero sunt, tam meritum vitæ bonæ in hac vita, quam ejus præmium in futura, quorum utrumque Deus per gratiam Christi medicinalem, homini per peccatum perdito donat. Est enim arbitrium hominis post lapsum non solum ita culpæ & pœnæ reum, ut illud debeat à reatu hæreditario & proprio, illius agni sanguis absolvere; sed etiam sub concupiscentia peccandi sibi dominante captivum; à cujus vinculis & ferrea servitute nullo pacto potest erui, & in bene agendi libertatem surgere, nisi per gratuitam Christi Salvatoris gratiam liberetur. De qua servitute, consule quæ fusè in alijs locis diximus. Hæc porro gratia non est quodlibet adjutorium læsæ potestatis arbitrij, sed adjutorium voluntatis & actionis. Hoc est, non est adjutorium sanæ voluntatis, quo detur ei *posse* si velit; & *sine quo non* potest velle quod præcipitur, sed est adjutorium Salvatoris medicinale, *quo* Deus ægræ voluntati invictè donat ipsum velle & operari, idque ab initio inchoationis vitæ bonæ, usque ad finem consummationis. Donat ergo Deus homini per istud gratuitum & medicinale adjutorium, omnia opera ac merita quibus erigitur ad salutem, velle, credere, pœnitere, diligere, operari, & in istis omnibus perseverare usque in finem, *non solum ut sine isto dono perseverantiæ esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* De quo genere gratuiti adjutorij medicinalis, & quo pacto per illud omnia opera lapsi hominis sint propriè & specialiter dicta munera seu, *dona* Dei late diximus, cùm de gratiæ medicinalis natura tractaremus.

Lib. de Cor. & grat. c. 11

Vide lib. 2. de gra. Christi Salvat. totum præsertim à cap. 3. usque ad 15.

Hinc ergo irrefragabiliter consequitur, omnia hujusmodi beneficia quibus peragitur perditorum hominum liberatio, sicuti gratuita & speciali donatione dantur infirmis, per adjutorium non solum *sine quo non possunt* præcepta facere, sed *quo* Deus eis ipsum velle largitur & facere; ita quoque ea beneficia ipsis per gratuitam benevolentiam & gratiam præparari, hoc est, danda prædestinari. Vt proinde nullo pacto in dubium revocari possit, quin prædestinatio gratiæ circa lapsos homines versetur. Hoc ipso namque quo ista beneficia liberationis, aliquibus gratis præparata atque prædestinata sunt, illi ipsi gratis prædestinati sunt, juxta illius consecutionis legem quam format Augustinus, quando in hunc modum arguit: *Initium fidei & usque in finem perseverantia Dei dona sunt, nec ulla futura sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent Deus non præscire potuit: Ergo,* inquit, *per hoc prædestinati ab illo sunt quos liberat & coronat.*

Lib. de don. pers. cap. 16.

Sed de beatis Angelis major quæstio est, utrum & illi electione seu prædestinatione gratiæ electi seu prædestinati sint. Quod etiam de hominibus, si in primæva perstitissent innocen-

innocentia, quæri potest. Nam eadem omnino, juxta sanctum Augustinum de hominibus innocentibus atque illæsis, quæ de Angelis ratio fuit. Angelos igitur etiam gratis ad salutem electos & prædestinatos esse, plerique recentiores & fere omnes, si non prorsus omnes, unanimiter docent. Ratio quoque manifesta & certa ipsis suffragari videtur. Est enim juxta Catholicam fidem indubitatum, Angelos vera Dei gratia indiguisse, qua possent opera bona facere, & in justitia perseverando cœlestis beatitudinis meritum comparare. Non minus enim opera veræ pietatis & charitatis, quibus æterna gloria promerenda est, quam ipsa gloria, quæ erat merces operum, naturales Angelorum vires, & hominum quantumvis innocentium superat. Ergo & illa eis gratis danda, & per hoc prædestinanda fuerunt; ergo consequenter illi qui reipsa beatitudinem assecuti sunt, juxta dictum S. Augustini argumentum gratis respectu utriusvis, sive meriti, sive præmij, prædestinati sunt. Nam quod Augustinus in definitione sua liberationis mentionem facit meritorum, videtur esse differentia, quia de hominibus lapsis ex professo loquebatur. Gratuita verò esse potest præparatio atque prædestinatio beneficiorum, quamvis aliquis per illa non à promerita jam damnatione, sed ab imminente, si deesset gratia liberaretur.

Et ista quidem, juxta recentiorum principia, videntur valde consequenter dici; qui ne semel quidem de gratuita sanctorum Angelorum prædestinatione dubitant. Sed juxta S. August. longe aliter de rebus istis ratiocinandum est; utpote cum cujus principijs ista jam dicta modernorum argumentatio, & conclusio capitaliter pugnat. Dicendum est enim Angelos, qui æternâ felicitate potiuntur, non esse prædestinatos *electione* seu *prædestinatione gratiæ*, sed eâ quam supra diximus, *meritorum*. Idemque omnino de hominibus si perstitissent in statu innocentiæ, sentiri debet.

Vide hoc Tom. 3. supra cap. 6.

Quod ut recte intelligatur, sciendum est nos non agere de sanctitate vel charitate cum qua Angeli & primi homines creati sunt, cùm Deus esset in eis *condens naturam & largiens gratiam*; hanc enim non est dubium eis gratis esse prædestinatam atque donatam: non etiam de ipso præcisè adjutorio gratiæ, quod eis ad perseverandum datum est. Nam & istud certissimum est, gratuita Dei voluntate prædestinatum ac datum, sed de perseverantia, & actibus meritisque Angelorum, & de gloria quæ perseverantiæ & meritis retributa est.

Itaque ratio diversitatis inter innocentis lapsæque naturæ statum, ex discrimine duplicis adjutorij gratiæ, quod creaturis stantibus, & lapsis ad volendum agendumque necessarium est, proficiscitur. Aliud enim sanæ, aliud ægrotæ voluntati, aliud fractæ, aliud integræ libertati congruit. Itaque unum est simile adjutorijs, quæ robustæ sanitati conservandæ adhibentur, aliud medicinalibus, quæ infirmitati roborandæ. Inter quæ adjutoria, quanta differentia sit, & quo pacto id quod integritati ad agendum sufficit, alteri plerumque nihil omnino conferat, imo noxium sit, videnda, si placet, ea quæ latè superius ex professo disputata sunt. Præsenti scopo satis est recolere, Angelorum adjutorium non fuisse tale ut per illud eis velle, & facere, & perseverare largiretur Deus, sed tantummodo, posse facere, & perseverare si vellent. Non enim erat adjutorium *quo* fieret, ut vellent & perseverarent, sed *sine quo* velle & perseverare non possent. Non ergo Deus eos esse voluit sine gratiæ suæ adjutorio, sed illud reliquit in eorum libera voluntate, ita videlicet, ut illud desererent cùm vellent, & in quo permanerent si vellent, non quo fieret ut vellent; ut enim vellent, in eorum libero reliquit arbitrio, quod ita liberum tunc erat, ut quemadmodum Augustinus notat, *bene velle posset & male*. De quo discrimine duplicis adjutorij, stantis, lapsæque creaturæ, quantum ad operandi modum, fusè ex mente Augustini disputavimus, tum superius cum de gratia medicinali Christi, tum illo libro ubi de statu primi hominis diximus.

Lib. 2. de grat. Christi Sal. à c. 1. usque ad 4.

Vide lib. 2. citato c. 4. & 5.

Vide lib. de statu primi hominis pane toto & maxime c. 14. & 15.

Hinc ergo nascebatur primo, ut usus perinde uti non usus istius adjutorij, non ab ipso adjutorio, sed à voluntate peteretur. Adiutorium enim non se habebat, tâquam id quod voluntatem ad agendum impelleret, sed ita dumtaxat ut sine quo se ad volendum determinare non posset. Nam quemadmodum habitibus & oculorum luce utitur voluntas nutu suo, & non utitur quando vult, nec est lux aut habitus, quæ velle vel non velle, videre vel non videre nos faciunt, sed tantummodo sine quibus actus volendi & videndi non fit; ita Angelorum adjutorium non erat hujusmodi influxus, quo fieret ut vellent, sed è contrario nutus voluntatis erat, quo fieret, ut adjutorium influeret.

Vide dicta lib. de statu primi hominis c. 14. & 15. latissime.

Hinc secundo nascebatur, ut non deberet discrimen volentium à non volentibus, agentium à non agentibus, perseverantium à non perseverantibus, adjutorio, sed nutui voluntatis tribui; quamvis voluntas, aut actio, aut perseverantia sine adjutorio influente non fieret. Nam quando ad eundem actum liberum concurrunt plura sine quibus libertas agendi in actum suum exire non potest, non illi causæ tribui debet exercitium actus aut voluntatis, *sine qua* non potest fieri, sed illi quæ nutu suo totam machinam ad motum impellit, aut otiosam esse sinit.

Vide ibid. ex Aug.

Hinc tertio nascebatur, ut neque volitiones, neque actiones Angelorum, hoc est, neque merita, neque perseverantia meritorum, essent specialia Dei dona, hoc est, non eis Deus speciali donatione seu gratiâ largiretur. Tantummodo enim donabat ea in radice, quatenus eis adjutorium quoddam gratiæ tribuebat, sine quo simul influente & cooperante velle, agere, & perseverare, non po-

ternùt: sed ipsum velle, agere, & perseverare, non eis dabat adjutorium gratiæ, sed propria voluntas; quamvis non sine gratia eo prorsus modo; quemadmodum si quis cum gratia sufficiente, pro sua libertate vellet aut ageret, prout recentiores aliqui, Molina & Lessius, ex professo docent. Fit enim, secundum illos, efficax gratia, quantum ad actum secundum, si voluntas cum ea cooperari velit, si non, tantum sufficiens & inefficax in actu secundo, hoc est, sine effectu aut sine actu manet. Tunc igitur velle & agere bonum, non erat speciale donum Dei, sed tantum generale. Nunc è contrario, & generale est & speciale, quia non solum sine adjutorio, & sine potentia voluntatis (quorum utrumque à Deo datum est) homo non potest velle aut operari bonum, sed etiam Deus per ipsum adjutorium gratiæ, ipsum velle donando, donat & meritum, & ipsum perseverare operando, donat perseverantiam.

Hinc nascebatur quarto, ut quamvis non sine gratia rectè viverent, & in bonitate starent; per vires tamen liberi arbitrij rectè vivere & stare dicerentur, quod Augustinus ex professo multis locis docet.

Hinc nascebatur quinto, ut merita Angelorum essent merita *liberi arbitrij*, & *humana*, & *sua*: non quasi puris naturæ viribus sine influxu supernaturalis gratiæ parerentur. Absit istud ab Augustini mente. Omnia quippe merita status innocentiæ tantopere, imò magis tribuebat ipse gratiæ Dei, quam plurimi recentiores merita status lapsæ. Docuit enim, nulla omnino merita, imo nec opera bona sine gratiæ adjutorio, etiam ab innocenti natura, ullo modo proficiscì potuisse. Sed quia altioris & purioris veritatis intuitu vidit, non fuisse tunc gratiæ sed voluntatis facere, ut innocentes vellent; quemadmodum nunc è contrario, non est voluntatis, sed gratiæ facere ut lapsi velint, quamvis neque tunc fieret sine gratia, neque nunc sine voluntate; Vidit consequenter, non solum merita status illius non esse dicenda specialia Dei dona, quemadmodum nunc sunt, sed esse dicenda merita *naturæ*, *liberi arbitrij*, humana; quemadmodum è contrario nunc sunt *merita gratiæ*, quia gratis à gratia donata humanæ voluntati.

Hinc nascebatur sexto, ut neque vita æterna esset Angelis gratia specialis, sed *merces meriti*. Nunc è contrario, gratia Dei est non solum meritum, sed & vita æterna: quia *gratia est nobis omne meritum*, cui vita æterna datur. Meritum enim, & meriti præmium se invicem ita respiciunt, ut si meritum sit specialis gratiæ donum, etiam præmium donum sit; & è contrario, si meritum non sit speciale donum sed generale, & in radice tantum datæ potestatis, præmium quoque non sit speciale donum, sed propriè merces meriti, quod item ex Augustini doctrina latius stabilivimus. Quo vero pacto etiam per ista nihil Augustinus divinæ gratiæ deroget, vide

Vide dicta ibid. toto c. 20. ubi ex professo probatur ex Aug.

Vide lib. illo 3. de statu Adæ c. 7. 8. 9. toto.

Vide late lib. citato c. 19.

Vide dicta lib. xii. c. 16.

Vide eòdem lib. c. 16.

A loco citato, libro primo. Nam in illo libro, ex professo & fusè deducuntur ex Augustini principijs omnia, quæ hic de industria tantum breviter tetigimus, ne forte eadem repetendo lectorem lassaremus. *Vide totum cap. 19. maxime in fine.*

Ex his jam liquido cuivis patet, verissimum esse, juxta Augustinum, non esse prædestinatos vel electos Angelos ad merita quibus beatitudinem adepti sunt, *prædestinatione* vel *electione gratiæ*, & idem judicium esse, de primo homine, si in bonitate mansisset. Causa quippe istius veritatis est, non quod Angeli vel primus homo, non indiguerint gratia ad merita sua vel opera vel voluntates bonas, sed quia talis erat gratia qua indigebant, ut non donaret eis merita, sed relinqueret ea in potestate & libertate voluntaris, hoc est, ut Augustinus etiam de primo homine dicit, *ut perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio.* Et illius ulterius ratio fuit, quia *tales vires habebat eius voluntas, quæ sine illo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium.* Ex quo fiebat consequenter, ut ipsum perseverare, seu velle, & operari bonum, quod in eorum libero relinquebatur arbitrio, non esset eis donandum à Deo, sed à propria voluntate, non sine adjuvante gratiâ, requirendum; & consequenter, non esset eis prædestinandum aut meritum, aut perseverantia meritorum. Hoc enim gratis prædestinat Deus, quod ipse gratis facturus, aut donaturus est; non quod homines; quemadmodum sæpius supra diximus. Quemadmodum igitur morale opus bonum, quod à solâ voluntate sine gratia fieri posse arbitrantur, vel visionem cælorum, vel auditionem sonorum, vel progressionem de loco ad locum, vel intellectionem seu contemplationem rerum naturalium, non gratis Deus homini donat, neque dandum prædestinavit, quantumvis potentiâs & adjutoria universa, sine quibus influentibus nullâ ratione exerceri possunt, gratuitâ voluntate donaverit, quia ab ipsa libera voluntate, sine alia speciali donatione aut prædestinatione fiunt; ita quoque prorsus de donatione ac prædestinatione gratuita meriti & perseverantiæ hominum innocentium Angelorumque statuendum est. Nempe, ea non fuisse gratuitò Angelis prædestinata, quia non gratuitò donata. Vnde nec ea se Angelis sanctis daturum esse præscivit. Sic autem describit prædestinationem gratiæ sanctus Augustinus, ut per eam præsciat Deus, non quid homines etiam cum adjutorio Dei, sed *quid ipse facturus sit.* Quid enim est, quod homines faciunt sine adjutorijs Dei, non solum potentialium (quæ sunt instar cujusdam assistentis perpetuo potestatis, quales sunt habitus; luces, species, & ipsum quoque adjutorium status innocentiæ) sed etiam actualium influxuum? Nec tamen idcirco quicquid homines Deo simul concurrente & influente faciunt, à Deo donari, & prædestinari dicen-

Lib. de Corr. & gratia Ibid.

Lib. de dono perf. cap. 14. & 17. & alibi sæpiùs

dicendum est. Nam & actus materiales peccatorum, ea ratione donarentur, ac prædestinarentur voluntati, quo nihil falsius dici potest. Tunc ergo donatur voliti actus, aut opus, aut meritum, quando ipse in voluntate operatur ut velit; non solum sic ut sine adjutorio isto velle non possit, sed ut cum isto adjutorio non nisi velit.

CAPVT XI.

Electio gratiæ in Angelis, ex alio capite destruitur.

QVÆ veritas ex alio capite certo cõvinci potest. Nam Semi-Pelagiani fatebantur homini à Deo dari talem gratiam ad initium fidei & ad perseverantiam in fide, qualis primo homini in innocentiæ statu data fuit. Discrtis verbis hoc asserit Hilarius ad Augustinum scribens: *Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium disparare naturam, ut illum integris viribus voluntatis iuvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam insuscitet ambulantes.* Itaque in hoc ponebant differentiam, quod Adam cum illa gratia quam Augustinus tradit, posset perseverare volens, hoc est, si vellet: lapsi autem credere tantum; de cetero fractæ vires gratia Christi essent erigendæ: quod nos alibi latissimè demonstravimus. Hac ergo de causa, quia ista gratia Adami talis erat, ut per eam non donetur meritum à Deo, sed in libero arbitrio relinquatur, nolebant initium fidei & in ea perseverantiam donari, & per hoc neque prædestinari à Deo. Et hoc verissimum esse, in eorum sensu, profitetur Augustinus. Nam ideo de illis dicit, *Solum initium fidei & usque in finem perseverantiæ, sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, cetera vero ipsum dare concedunt.* Ex qua duplici confessione, duplicem quoque consequentiam format Augustinus. Vnam, si cetera præter fidei initium & perseverantiam Deus donat, ergo ea se daturum esse præscivit, ergo prædestinavit; quam passim secundo libro de dono perseverantiæ crebrò repetit, & in primis in fine libri postquam dixisset, quod Massilienses *cetera bona ad vitam piam qua Deum rectè colitur pertinentia, etiam ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse concedant.* Regulam figit inde generalem; *Omnia porrò dona sua, & quibus illa fuerat largiturus Deum præscisse negare non possunt.* Altera consequentia est, si initium fidei & perseverantia non dantur à Deo, ergo nec ea se daturum esse præscivit: falsum enim præsciisset, si se daturum præsciisset, quod ipse non dabit. Ergo neque prædestinantur. Reciproca quippe sunt prædestinare, & præscire, non quid homines facturi sint, sed quod ipse daturus. Vnde illa; *An forte nec ipsa opera pietatis dicunt prædestinata?* quemadmodum videlicet initium fidei prædestinari negant? *Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Itaque initio libri de prædestinatione sanctorum, quia Massilienses fidei initium & perseverantiam vellent ab humana voluntate proficisci, cum ista Adami gratia, quæ naturæ quamvis lapsæ superstes manserat, de ipsis dixit: *Adhuc in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum.* Hoc enim ipso tollebant eam, quâ fidem, non sicut opera, per gratiam Christi donari, sed ab homine gratia Adami adjuto fieri crederent. Et inferius reprehendit, quod Deus juxta Massilienses præsciisset, non se fidem, sed *homines esse facturos*; hoc est, quod prædestinationem fidei tollerent, quia ut eodem capite dixerat, *Prædestinatione Deus ea præsciit quæ fuerat ipse facturus.*

Ex ista igitur Massiliensium opinione & Augustini argumentatione concludimus, Massilienses hoc ipso quo statuebant hominem Adami gratia adjutum posse saltem credere, sustulisse prædestinationem Dei gratuitam respectu fidei utpote quam Deus non se daturum, sed homines ipsos facturos esse præsciebat: ergo & Augustinus, hoc ipso quo docet Adamum & Angelos gratia primi status adjutum in credendo & operando perseverare potuisse si vellent, tollebat prædestinationem Dei gratuitam respectu operum & perseverantiæ; quia ea non se daturum esse, sed homines & Angelos facturos esse præsciebat. Deum autem non dedisse Angelis opera & perseverantiam, nec Adamo daturum fuisse, Augustinus ex professo toto capite decimo, undecimo & 12. de Correp. & gratia docet, & ex natura adjutorij *sine quo non* invictè sequitur. Vnde etiam expressè dicit; *Vt ergo non acciperet*, hoc est, non opus esset accipere, *hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare & non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas &c. ut digne tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Nam istis verbis respondet ad quæstionem quam initio capitis decimi proposuerat. Cùm enim capite septimo instantissimè tradidisset, propterea non dari quibusdam hominibus donum perseverandi, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, hoc est, quia in massa per peccatum perdita concreti & cum damnatione nati sunt, quibus Deus non tenetur tantum donum prædestinare eosque à ceteris prædestinando discernere, gravis quæstio nascebatur: *Quid ipse Adam*, quem non perseverasse constabat, *non perseverando peccaverit, qui perseverantiam etiam non accepit?*

Vide dicta lib. de hæresi Pelag. c. 6. 7. 8. & seq.

Lib. de dono pers. cap. 17.

Ibid. cap. 24.

Ibid. cap. 17.

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

Ibid. initio cap. 12.

Hoc est, cui Deus etiam tantum donum dare noluit. Causa difficultatis est: *Neque enim dici potest*, quemadmodum antea de hominibus lapsis ac damnatis dixerat, *ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate.* Et quare istud dici non potest? *Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Hanc igitur præclarissimam ac difficillimam quæstionem (in qua intelligenda, atque ut oportet penetranda, omnes pene recentiores hallucinantur, dum perseverantiam hominibus atque Angelis innocentibus, per gratiam donandam, ipsosque gratis prædestinatos aut prædestinandos fuisse contendunt) solvit divinissime profundissimeque Augustinus, dum gratiam quidem respectu utriusque status agnoscit necessariam, non tamen talem, qua Deus utrisque & integris & lapsis perseverantiam daret; sed talem per quam lapsis quidem propter fractas per concupiscentiales motus liberæ voluntatis vires, ipsum velle & perseverare largiretur, integris vero & stantibus neutrum, sed tantummodo posse perseverare si vellent; velle autem & nolle in eorum libero relinqueretur arbitrio; ita videlicet, ut si qui talis gratiæ adjutorium arripere vellent, illi, non per acceptum cælitus perseverandi donum, sed per liberam voluntatem, quamvis non sine gratia concurrente starent. Quod quomodo fieret etiam exemplo declarat apertissimo: *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.* Hanc differentiam utriusque gratiæ inculcat urgentissimè, & identidem repetit. Ex qua, & per seipsam emicat solutio propositæ quæstionis, & ipsemet eam satis apertis verbis indicat; nimirum non opus fuisse, ut acciperet Adam à Deo perseverantiæ donum, sed illud fuisse in ejus libero arbitrio constitutum; quia jam potens erat, ut gratia longè debiliori, non actum perseverandi, sed potestatem dumtaxat perseverandi donante juvari deberet, actus autem perseverandi, seu perseverantia ab ipsa libera voluntate peteretur. Hominibus autem lapsis ipsa perseverantia propter infirmitatem damnationisque meritum in quod inciderunt, gratis donari debet. Ex quo discursu Sole meridiano clarius liquet, merita primi hominis & Angelorum, quæ in perseverantia includuntur, non fuisse specialia dona Dei, & consequenter non esse gratis à Deo prædestinata. Non enim ea se gratis daturum Angelis sanctis aut homini primo, si in veritate stetisset, sed ipsos ea facturos esse, quamvis non sine gratia sua, præscivit.

CAPVT XII.

Augustinus Angelorum perseverantiam non prædestinatam, sed præscitam tradit, eosque non gratia, sed meritis discretos.

HÆc ergo ratio cur Augustinus in universis operibus suis nusquam tradat, sanctorum Angelorum perseverantiam aut merita fuisse prædestinata, seu ipsos prædestinatos ut in bona voluntate persisterent. Sed è contrario, quia perseverare & non perseverare, in libero voluntatis arbitrio relictum fuerat; quemadmodum Angelorum deficientium casum, ita stantium quoque perseverantiam, tantummodo divinæ subjecit præscientiæ. Quo præsciendi verbo tam studiosè in utrisque & bonis & malis utitur, ut de industria tanquam isti materiæ proprijssimum selegisse videatur. Lib. 3. de lib. arbit. c. 5. Vt in libro tertio de libero arbitrio: *Si bonitatem conditor præbuit ad eam* (creaturam) *condendam, cuius prævidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse*, hoc est, perseveraturam esse PRÆSCIVIT. Et post multa capita interjecta: *Quanquam non peccavit* (creatura Angelica quæ beata facta est) *sicut eam non peccaturam* PRÆSCIVIT DEVS. Lib. 3. de lib. arbit. c. 12. De qua creatura paulo ante capite præcedenti dixerat: *Nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium* (continendi omnia) *sed ideo accepit quoniam ab illo qui dedit, permansura* PRÆVISA EST. Et inferius: *Scire vellem si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam*, hoc est perseveraturam PRÆSCIVIT DEVS. Cap. 11. Quam sentiendi & loquendi cautissimam circumspectionem servavit exactissimè in Enchiridio ad Laurentium. Vbi cùm ex professo de divina voluntate disputans assereret, omnino fieri quodcumque ipsa vellet, & statim occurreret, cur ergo primum hominem, quem bonum & rectum instituerat, non custodierit in ea salute in qua creatus fuerat; itemque, cur non eum ad meliorem immortalitatis beatitudinem transtulerit, ad quam eum condidisse & transferre velle videbatur? Vtrumque ab Adami voluntate pependisse respondet: *Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus fuerat, custodire voluisset, eumque oportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præsciisset. Quia vero eum malè usurum libero arbitrio, hoc est, peccaturum esse præscivit, ad hoc potius præparavit voluntatem suam, ut beni* In Enchirid. ad Laurent. cap. 104.

ipsa

ipse faceret etiam de malefaciente. Et rationem istius rei eandem prorsus reddit, quam nos reddidimus; quia tunc & velle & nolle, perseverare & non perseverare, propter maximam status istius libertatem, relictum erat in libero voluntatis arbitrio: *Sic enim*, inquit, *oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & male.* Nunc vero, ut statim addit, voluntas sub servitute peccati detinetur, qua fit ut bene velle non possit, sed voluntas per Christi gratiam debeat liberari & præparari.

In Enchirid. ad Laurent. c. 105. Ibid. c. 106.

Similiter ista ratio est, cur Augustinus nunquam discretionem quæ vel in Angelis facta est, vel in hominibus innocentibus futura fuisset, gratiæ vel prædestinationi sed potius *meritis* tribuat, quibus videlicet ipsi seipsos, sponte sua bene vel male operando, discernerent. Quod sicut ex ejus principijs jactis apertissime sequitur, ita in libris de Civitate Dei ipse non obscure propalavit, quando de hominibus jam peccato perditis dixit: *Non eos iam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens.* Vbi duplici modo indicat, in statu innocentiæ fuisse meritis discernendos, tum ex eo quod dicat, non eos IAM discernens, tum quia causam affert, quia massa videlicet damnatione vitiata est, hoc ipso nimirum palam indicans, olim cum esset massa integerrima, non opus fuisse ut eos gratia discerneret, qui propriis meritis, hoc est, propria voluntate & libertate, quamvis non sine gratia, discerni potuissent. Nam inde fluit, quod locum illum Apostolicum: *Quis enim te discernit?* nunquam nisi de hominibus lapsis, de quibus & Apostolus intellexit, intelligat.

Lib. 11. de Civit. c. 26.

Et sane cum Augustinus tam sollicite tradat, adjutorium primi hominis & Angelorum non fuisse tale *qua* fieret ut perseverarent, sed tantummodo *sine quo* perseverare non possent, hoc est, non fuisse tale quo Deus Angelis aut hominibus velle & perseverare donaret, sed tale quo velle & perseverare in eorum proprio relinqueretur arbitrio, ut sua sibi ipsi voluntate, quamvis non sine adjutorio, velle & perseverare donarent; impossibile profecto est, etiam solo naturali lumine rem istam metiendo, ut per ipsum adjutorium gratiæ discerneretur. Nam usque ad ipsum nutum voluntatis accedentem, nulla adhuc discretio est, sed omnes in hæsitando pares: ipsum vero nutum voluntatis quo discretio fit, non tribuit aut facit adjutorium, quia non est tale, quo fiat ut velint, seu, quo Deus donat ut velint, sed tantummodo, sine quo non velint, aut velle non possint. Ergo ex ipsa natura talis adjutorij, implicat contradictionem, ut adjutorium istud unquam eam discretionem afferat. Nam afferre discretionem non est aliud, quam efficere ut velint; istud autem adjutorio Angelico & primi status ex diametro adversatur. Est enim ipsissima natura adjutorij status lapsi; per quod ideo nunc discrevit hominem ab homine Deus, quia per illud operatur ac donat ut velit. Necesse est igitur ut Angeli sancti non *gratiæ adiutorio*, sed *meritis suis*, seu propria voluntate discreti sint.

CAPVT XIII.

Angeli ad gloriam electi sunt, non electione gratiæ, sed meritorum.

QVOD si electio seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum comparatione perseverantiæ, respectu gloriæ multo minus. Gloria enim proprie in ipsis fuit merces meriti, quo in veritate steterunt. Si ergo meritum non fuit ipsis specialis gratiæ donum, nec merces meriti esse potest. Nam in ipsa etiam ratione mercedis quædam oppositio includitur ad gratuitum donum. Vnde Apostolus de electione gratiæ, vi cujus sit gratuitum donum: *Quod si gratia, iam non ex operibus, aliquin gratia iam non est gratia.* Merces ergo operum, hoc ipso quo debetur operibus, non potest esse gratia, nisi opus cui merces debetur ipsum sit gratia, juxta quod Augustinus dicit: *Electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum, quia gratia est illis omne meritum.* Nam ista sola consideratione dictum ab Apostolo vult Augustinus respectu lapsorum hominum: *Gratia Dei vita æterna*, quia videlicet *vita bona*, cui redditur, *nihil aliud est nisi Dei gratia.* Ex hoc ergo principio concludit hoc ipsum Augustinus, de quo satagimus: præmium scilicet permansionis, id est, (non posse servire peccato) quod in vita æterna datur, non fuisse sanctis Angelis, nec Adamo, si perstitisset, futurum gratiæ donum, sed meriti mercedem, quamvis nunc è contrario, lapsis sit gratuitum gratiæ beneficium: *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis sanctis merces meriti. Nunc autem per peccatum perdito bono merito*, hoc est, potestate habendi meritum per liberum arbitrium, non sine gratia ut explicatum est, *in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Hoc est, gloria nunc est homini donum gratiæ, quia meritum cui redditur, donum gratiæ est. Tunc autem gloria non erat futura donum gratiæ, sed, quamvis non absque gratia, humanæ libertatis officium. De qua natura mercedis, & quod præmium non esset Angelis specialis gratiæ donum, plura diximus, cum de meritis primi hominis ageremus.

Lib. de Cor. & grat. c. 7. Lib. de grat. & lib. arb. c. 8. Lib. de Corr. & grat. c. 11. Vid. latè lib. de stat. primi hom. c. 16.

Ex his ergo conficitur quod prætendimus:

Hoc. in Angelis non fuit gratuitum gratiæ donum, sed merces quæ merito non donato debebatur, ergo non fuit Angelis prædestinata prædestinatione gratiæ. Nam illa sese invicem consequuntur, per gratiam dari & per gratiam efficaciter prædestinari. Si enim in tempore aliquid ex merito liberi arbitrij, hoc est, ex tali merito quod non est gratiæ donum, à Deo datur, profecto ex tali merito efficaciter prædestinatur. Hoc enim est argumentum, quod contra Massilienses format Augustinus, ut supra diximus.

Nec vero hic oppôni potest, gloriam posse gratis prædestinari, quamvis in tempore ex meritis detur; eo quod nunc in hominibus ita reipsa fieri videatur. Hoc enim tunc tantummodo verum est, quando simul ipsa merita quibus gloria in tempore reddenda est, gratis prædestinantur. Tunc enim illa tota series beneficij, quo quis vult huic, non alteri gloriam tanquã præmium meritorum, quæ ipsa gratis donanda præparantur, prorsus gratuito prædestinatur. Sed hoc in præsenti casu non potest habere locum. Iam enim demonstravimus merita non esse Angelis gratis data aut prædestinata, sed propria libertate, quamvis non sine gratiæ adjutorio comparata. Ergo propter illa non potest Angelis glória ex gratia prædestinata dici, sicut nec in tempore gratis data est, sed merces meriti fuit.

Cùm ergo gloria non fuerit Angelis gratiæ prædestinatione præparata vel data, necesse est, illius prædestinationem fuisse *meritorum*. Nam gloriam ipsis aliqua ratione prædestinatam esse, juxta divi Augustini principia, negari nullo pacto potest. Si enim damnatio impijs Angelis prædestinata fuit, quanto magis iustis & sanctis gloria? Quod ex ipsa quoque prædestinationis notione, quam ex Augustino & Fulgentio supra dedimus, non minus certum quam perspicuum est. Quis enim Angelis in cælo gloriam contulit nisi Deus? Nec enim ipsi seipsos sublimis illius contemplationis & beatifici amoris beneficio glorificare & beare potuerunt. Itaque non uno loco sanctus Augustinus tradit, Deum esse qui non solum homines, sed & Angelos beatos facit & eis beatitudinis præmium tribuit, ut in libro decimo quarto de Civitate Dei: *Donec*, hominibus in statu innocentiæ, *alia maior felicitas daretur, quæ beatissimis Angelis data est.* Et in libro vigesimo secundo ejusdem operis: *Qui casum*, inquit, *Angelorum voluntarium iustissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit, atque in eo summo bono permanentibus ceteris, ut de sua fine sine permansione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit.* Itaque alibi generaliter dicit, quod *Deus prævidet quid de iustis impijsque facturus sit.* Quibus verbis ipsa prædestinationis definitio, prout ab August. sæpe tradita est, comprehenditur. Si ergo Deus eos glorificavit, hoc est, gloriam contulit, si Deus eis præmium permansionis dedit beatosque fecit, profecto se gloriam ut præmium eis daturum, & beatos facturum esse præscivit, ergo gloriam eis prædestinavit. Non autem prædestinatione gratiæ, propter causam quam diximus, ergo prædestinatione meritorum: qualis est etiam prædestinatio damnationis, sed hæc in malo, illa in bono. Hæc igitur videtur esse ratio, cur in omnibus operibus Augustini nusquam reperiatur, Angelos esse prædestinatos. Nam, ut supra diximus, prædestinatio alicujus simpliciter dicta illa dicitur, qua Deus creaturam rationalem, ab initio usque ad finem, per donum aut opus suum beatificandam suscipit. Quod si qua tamen de Angelis hujusmodi locutio reperiretur illa intelligenda esset, ut significaretur Deus eis vel sanctitatem illam in qua creati sunt, (de qua, quia res aperta est, nos non agimus) electione *gratiæ*; vel certe beatitudinem *electione meritorum* prædestinasse: quo sensu dixit impios non solum *ad interitum, ad mortem, ad supplicium*, sed etiam *damnandos prædestinatos*, ut supra vidimus. Multo ergo potius dici possent sancti Angeli, non quidem ad perseverantiam, quæ volendo retinetur, sed prædestinatione gratis ad sanctitatem, cum qua conditi, vel ad gloriam, ad vitam æternam, ad præmium beatitudinis, adeoque beandi, prædestinati, prædestinatione non *gratiæ* sed *meritorum*, quæ Angelos ipsos sua voluntate, non sine gratia facturos, non se per gratiam specialiter facturum aut donaturum esse præscivit. Et sic fortassis locus iste de Civitate Dei intelligendus est, ubi sanctus Augustinus dicit, quod si felicitas in primis hominibus mansisset *donec prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior eis daretur, quæ beatissimis Angelis data est.* Vno enim ex tribus modis exponi potest, vel ut prædestinatio respiciat sanctitatem, & numerus sanctorum *prædestinatorum* dicatur, quia omnes omnino beatificandi ad sanctitatem gratuito prædestinati sunt; quia gratuito vel in ipsa creatione, vel in restauratione sanctificati: vel secundo, ut sancti omnes prædestinati etiam ad gloriam asserantur. Nam & istud verum est, partim electione gratiæ, partim vero meritorum. Vel denique tertio prædestinatorum sanctorum numerus dicatur, pro prædestinatus sanctorum numerus, ut non sancti omnes generaliter prædestinati, prædestinatione videlicet gratiæ, dicantur ad gloriam seu beatitudinem, sed numerus tantum; quod inde valde verisimile est, quia hoc in eodem illo libro aliquoties, & in alijs locis asserit, ut paulo latius inferius dicturi sumus.

Vide lib. 3. de lib. arb. c. 3.

Lib. 14. de Civit. c. 10.

Lib. 22. de Civit. c. 1.

Lib. 3 de lib. arbit. c. 3.

Lib. 14 de Civit. Dei c. 16.

CAPVT

CAPVT XIV.

Angeli non sunt electi efficaciter ad gloriam, ante prævisionem perseverantiæ, seu meritorum absolutam.

QVISQVIS itaque Augustini principia jam declarata, & propriâ luce satis manifesta penetraverit, facile videt quid ad aliam quæstionem responderi debet, qua quæri solet, utrum Angeli absoluta & efficaci voluntate ad obtinendam gloriam electi atque prædestinati sint, ante absolutam prævisionem meritorum? Nam quamvis recentiores aliqui affirmativam partem fidenter asserat, juxta tamen Aug. mentem oppositum sine dubitatione teneri debet. Cujus ratio ex natura gratiæ fluit, quæ ad perseverandum, gloriamque perseverando promerendam ipsis data est. Modus quippe electionis & executionis indicat modum intentionis. Gratia vero, quæ velut medium ad procurandam Angelis gloriam eligebatur, non eis dabat perseverantiam aut meritum, sed ab ipsorum voluntate, quamvis non sine gratiæ adjutorio, suspendebatur. Ex quo consequenter nascitur, ut gloria non nisi illis esset decernenda, quos spontaneâ voluntate sub gratiæ adjutorio perseveraturos esse prævidebat, non Deo per istam gratiam ut perseverarent, seu ipsam perseverantiam donante, sed Angelica, tametsi non sine gratia, præstante voluntate. Nam alioqui Dei prædestinatio de cõferenda gloria valde fuisset temeraria & incerta, sicut Angelo forte gloriam decrevisset, cui nec ipse meritum dare voluisset (quia nullis dedit) & qui propria esset voluntate peccaturus. Ex quo & aliud incommodum non exiguum sequeretur, quod ut Dei prædestinatio impleri non posset, non in Dei sed hominis foret potestate. Si enim Angelus isti gratiæ adjutorio cooperari sponte voluisset, prædestinatio Dei de danda gloria fuisset impleta; sin autem noluisset, causa decretique effectus consecutione frustrata; ut ita non nisi conditionata esse potuisset voluntas, decretum ac prædestinatio Dei. Quæ sanè divus Augustinus, tanquam absurda vehementer abhorret. Nam contra Massilienses disputans, qui similiter initium fidei & perseverantiam in hominis potestate statuebant, non Deo ut vellent & crederent donante, sed humana libertate faciente, absurdum esse tradit, quod Deus opera hominibus per gratiam donanda promisisset, & consequenter prædestinasset, & tamen non daret eis initium fidei, sine qua opera bona habere nequeunt, sed hoc ab humana libertate exspectaretur: *Sic enim*, inquit, *ut impleat, quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet. Hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, ut opera iustitiæ detur ex Deo. Ac per hoc ut promissa suâ Deus possit implere, non est*

Front. Suar. lib. de prædest. c. 1. & quos pauci

Lib. de prædest. c. 10.

A *in Dei sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam quæ promisit potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ; quod esse non possunt si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.* Vbi vides Augustinum ex natura divinæ promissionis, quæ non est aliud nisi prædestinationis explicatio, sic arguere: si Deus promisit opera donanda, ergo donat & fidem, sine qua opera esse non possunt; quia alioquin si Deus promittit opus, & ab homine petenda est fides, ut Deus impleat quod promiserat, in hominis non Dei erit potestate, quod eodem prorsus modo in promissione & prædestinatione gloriæ respectu Angelorum, & perseverantiæ, sine qua præeunte dari non potest, locum habet.

Hunc ergo ordinem gloriæ, meritis præcedentibus prædestinandæ, perspicaciter viderunt omnes illi recentiores, qui gratiæ adjutorium, per quod homines aut Angelos æterna B felicitate potiti volunt, non aliud esse statuunt, quantum ad operandi modum, quam quod Augustinus pro Angelis & statu innocentiæ proposuit, & à laplorum hominum adjutorio tam accurata descriptione distinxit. Statim enim hoc ipso necessario consequens esse vident, ut nemo tali munitus adjutorio ad gloriam efficaciter eligatur, nisi postquam previderit Deus, eum non esse tali adjutorio sua voluntate defuturum. Nam in istiusmodi adjutorio nulla omnino secuturi meriti certitudo est, sed omnimodo, quantum ad actualem influxum, instar habitus dominanti subditur voluntati. Vnde tota influxus effectusque certitudo ex ipsa eadem voluntate, per præscientiam sic hauriri debet, ut nihil omnino certi de dando præmio, ab homine, aut Deo promitti, decerni, aut prædestinari possit, nisi prævolante præscientia, nutum, flexum, determinationemque voluntatis adjutorium secum ad agendum rapientis inspexerit. Sed aliter se res habet eo casu, quo si viderit Deus voluntatem adjutorio defuturam, alterius generis adjutorium assumere potest, quo faciat voluntatem velle & facere, quod volendum & faciendum est. Tunc enim gloria secure decerni ac prædestinari potest, etiam non prævisa absoluta determinatione voluntatis. Scit enim se in sua habere potestate voluntatem, ut ipsam per efficacissimum adjutorium flectere possit quo voluerit. Sed hoc in hypothesi supponitur non habere in Angelis locum, utpote qui non adjutorio illo potentissimo ad implendam Dei voluntatem ac propositum tracti raptique statuuntur, sed suæ propriæ & libere relicti voluntati, non adjutorio ut velint donante, sed ipsa Angelica voluntate, pro sua liberrima indifferentia, faciente.

Ista Lessius, Molina, & Lupi. & alij.

Quod

Quod vero à recentioribus, pro illa sua sententia asserenda, sumuntur omnia testimonia Scripturæ & motiva, quibus Augustinus probet electionem gratiæ respectu hominum eodem modo in Angelis procedere, à veritate prorsus alienum est, & non vulgarem doctrinæ sancti Augustini & principiorum ejus imperitiam prodit: Nam illa Scriptura *non est volentis neque currentis sed miserentis Dei*, nunquam Augustinus nisi circa miserabiles, hoc est, lapsos usus est, circa quos solos misericordia locum habet. Illam vero *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*, nunquam etiam Angelorum voluntatibus aut primi hominis applicuit, sed potius expresse multis modis & constanter negat, Deum fecisse in Angelis bonis velle atque perficere pro bona voluntate, sed potius eorum arbitrio reliquisse, prout diversis locis fusè diximus. Vnde & istud à veritate remotissimum est, quod Suarez dicit, istud principium quo contra Massilienses utitur, initium fidei & omnium bonorum operum ex Deo esse, *etiam in Angelis esse verissimum*. Angeli namque in gratia cum bona voluntate conditi habebant adjutorium quo crederent si vellent, non quo fieret ut uellent. Nec aliter nisi isto modo docebantur à Deo, vel trahebantur à Patre. Ex quo fit, ut illæ interrogationes, in quibus hæret Augustinus, *Cur hunc trahat & illum non trahat? Cur huic ita suadeatur ut persuadeatur non alteri?* Non possint de duobus Angelis bono & malo fieri, sicut ipsi putant, nec ab Augustino unquam de ipsis factæ sunt. Angelis enim neque bonis neque malis, ita suasum fuit ut persuaderetur; quia per hoc in Augustini phrasi gratiæ Christi efficacia designatur; sed persuasus à non persuaso, non ex gratia, sed ex sola voluntate, non sine gratia, discrimen accepit. Nec Angeli jam semel sanctificati, ad patrem *tracti* sunt, vel secundum *propositum vocati*, prout illæ phrases in Scripturis sonant. Significant enim illum impulsum vocationis, quo agitur & peragitur id ad quod trahimur & vocamur, quod gratiæ Christi proprium est, à gratia vero Angelorum & primi hominis extraneum. Vnus est in Augustino locus, quo suam sententiam aperte confirmari putant, quia in libris de Civitate Dei dicit *Angelos bonos amplius adiutos ad beatitudinis plenitudinem pervenisse*. Sed locus iste non recte ab eis intelligitur; quem quia nos alibi ex professo declaravimus, hic explicationi ejus supersedemus.

Suarez lib. 1. de prædest. c. 9. n. 7.

Lib. 11. de Civit. c. 9.

Vide dicta lib. de bono primi hom. c. 18.

CAPVT XV.

Homines efficaciter electi sunt, non solum ad merita, sed etiam ad ipsam gloriam, antepræviſionem absolutam meritorum: & cur magis quam Angeli. Tres hallucinantium classes, quia radicem diversitatis non agnoverunt.

EX omnibus quæ de Angelorum electione ac prædestinatione disseruimus, jam satis etjam elucescit, quid de hominum lapsorum electione statuendum sit, utrum & illi non aliter ad gloriam eligantur, nisi ex præviſione fidei, meritorum atque perseverantiæ: an vero vice versa, quia Dei efficaci voluntate ad adipiscendam gloriam, electione gratiæ electi sunt, fides dilectio, merita, ipsis à Deo, efficacem intentionem suam per gratiam exequente, donentur. Quæ quidem quæstio, tanquam quæ obscura ac difficilis videtur, magna Scholasticorum contentione celebrata est. Sed revera in Augustini principijs plana & facilis est. Nam simul atque divinissimum istud discrimen duplicis adjutorij *quo fit actio*, & *sine quo non fit*, seu *possibilitatis*, & *voluntatis*, quod tam sollicitè atque operosè & perspicuè sanctus Augustinus tradidit, animo perceptum ac stabilitum est, omnes confestim Scholasticorum nebulæ diffugiunt, patetque lucidissime primos homines & eorum posteros, si in sanctitate & veritate stetissent, non fuisse aliter eligendos efficaciter ad gloriam, quam Angelos electos diximus, hoc est, non nisi ex præscientia absoluta meritorum: lapsos vero & ex lapsu isto instissime damnatos, efficaciter eligi ad gloriam, antequam eos ulla merita præviderit habituros. Eo quod illa ipsa ad gloriam efficax electio, omne meritum in illis gratis operetur. Discriminis istius ratio, non est alia, nisi discrimen adjutorij, quo Deus medium quod ad gloriam ducit, hoc est, fidem & opera bona seu merita, in utrisque operatur. In stantibus, sive hominibus, sive Angelis non aliter ea Deus facit, nisi quia dat eis posse si velint, velle vero in eorum libero relinquit arbitrio. In lapsis vero, sic ea Deus facit, ut non exspectet ab eis ut velint, cum aliquo adjutorio, *sine quo* velle non possunt; sed ita, ut eis ipsam procuret præparetque voluntatem, non solum ut stent ac faciant si voluerint, sed operando invictè per *adiutorium quo*, ut non nisi stent, & faciant, & velint. Quod usque adeo in Augustini sensu verum, est ut si Deus prævideret per aliquod hujusmodi adjutorium nondum flectendam esse voluntatem, aliud assumeret, quo victore flecteretur. De qua istius adjutorij natura non est hic differendi locus, sed eam hic tanquam alibi fusè stabilitam supponimus. Ex isto ergo principio non est difficile doctrinam istam asserere. Nam quis sit intentionis modus, efficax an inefficax,

Vide dicta lib. de gratia Christi sal. c. 31.

inefficax, non potest clarius quam ex electionis modo nobis innotescere. Sed talis medij electio, quo certissime directissimeque finis assequendus est, evidenter clamat, agens efficaciter & infallibiliter ad propositū sibi finem velle pertingere; ergo per illud medium efficaciter illum intendit; ergo etjam ante prævisionem absolutam medij, quia ipsum medium, ex vi tam efficacis intentionis excogitatur, quæritur, & eligitur. Ex quo fit ut ista quæstio à solis illis qui adjutorij medicinalis Christi naturam non intelligunt, in dubium revocetur. Quotquot enim vel physicam istius adjutorij prædeterminationem docent, vel certe tantam ejus efficaciam ut cuicumque adhibetur sine ulla dubitatione prorsus velit & faciat, non autem in ista indifferentia voluntatis relinquatur, ad usum aut non usum ab illo determinandum; nihil omnino de ista quæstione dubitant. Quod & ipsi contrariæ opinionis auctores profitentur.

Vide Ieff. lib. de præd. & reprob. n. 55.

Sed merito quæri potest, quæ sit causa à priori, cur nunc non olim tale medium, tam efficax assumatur, & consequenter, unde fiat, quod illa tam efficax intentio, nunc magis quam olim præcedat in Deo. Multi se fatigant frustra in assignanda ratione. Quid enim assumunt intentionem finis præcedere debere voluntatem circa media, verum est, sed non est necesse talem intentionem absolutam esse & efficacem. Nam in Angelis aliter factum est. Quod vero ijdem ipsi vel alij assumunt, totum salvandorum numerum ex divina & efficaci intentione præfixum esse, verum est, ut ex Augustino late declarabimus; sed non inde sequitur quod inferunt, talem intentionem Deum habere ex se necessario circa omnes qui futuri erant cives in illo regno. Numerus enim decreto ex se concepto definiri à Deo potuit, quamvis per solos illos, quos adjutorio *sine quo non* libera voluntate cooperaturos esse cerneret, impleretur; vel si qui deficerent per efficacem intentionem ex ipsis qui defecerant, aliqui seligerentur & vocarentur, ex quorum substitutione prædestinati numeri plenitudo consurgeret: Sic enim reipsa, ut patebit, factum est: ideo dicit, quod si in paradiso peccatum non fuisset, *usque ad certum numerum sanctorum quem prædestinavit Deus, nascerentur homines*; i. emque quod tantus fuisset hominum numerus, si in illa felicitate nemo peccasset, *quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.* Nempe quia iste numerus præcise sufficiebat implendis sedibus, quas Deus implendas præstituerat.

Ratio igitur, cur homines magis quam Angeli tam efficaci intentione, ante prævisionem operum eligantur ad gloriam, non est alia nisi quia sic placuit Deo. Placuit autem quia hic rerum status & congruus rebus ordo postulare videbatur. Erat enim congruentissimum, ut cum creaturas rationales, cum summa arbitrij libertate & potestate sine ulla concupiscentiali resistentia & pronitate condidisset, experiretur prius ac patefaceret, quid eorum liberrima voluntas posset, nempe perseverare in collata sibi bonitate si vellet; quia non deerat adjutorium per quod, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Hoc ergo factum ac demonstratum est in Angelis & hominibus; quorum illi cum per liberum arbitrium partim in veritate stetissent, partim excidissent; hi vero penitus cum tota posteritate per idem liberum arbitrium perissent; quid erat naturalius & congruentius, quam ut jam etjam ostenderet, quid posset gratiæ suæ potentissimæ beneficium. Quem duplicis gubernationis rationem & modum profunde tetigit & propalavit nobis Augustinus, quando tanquam de re sibi certissima pronunciat: *Quapropter fa.ubertime confitemur, quod rectissime credimus Deum. Nonnunquam rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in eapr us ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium, justitiæque judicium.* Nam quin posset liberum arbitrium in bonis Angelis patuit, *qui per liberum arbitrium in veritate steterunt*, ut ibidem adjiciendo declarat. Et alibi: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quamvis valuerit apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.* Gratia enim non fecit, ut in veritate starent, sed ut possent stare si vellent: liberum arbitrium fecit ut actu vellent & starent. Et ita apparuit primo quid posset liberum arbitrium. Nunc vero si quis salvandus est, necesse est, ut ostendatur, quid possit *gratia beneficium.* Nam ex ipso lapsu nostro *Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus*; non solum ut sine gratiæ adjutorio jam non posset homo diligere Deum quod nec integra libertate potuit, nec perfecta et am beatus poterit, sed sic ut nisi Deus infirmo & captivo arbitrio, per aliud potentius gratiæ adjutorium ipsum velle & diligere & venire, & non recedere seu perseverare largiretur, nec velle posset nec diligere bonum, neque venire ad Deum, neque permanere cum Deo: *Non est hoc omnino* (videlicet accedere ad Deum & non recedere à Deo) *in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt. Fuerat in homine antequam caderet* &c. *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Tanta ergo infirmitas hominis, imo oppressio libertatis ad agendum pietatis bonum, & servitus durissima peccandi, cui mancipatus est, causa fuit, cur Deus potentiorem gratiam elegerit ad salutem perditorum; quæ non amplius frustraretur effectu suo, sicut in tanto numero Angelorum totoque genere humano frustrata fuerat; nec amplius ab illa desultoria arbitrij levitate ac libertate penderet, sed ipsam libertatem à dominante peccato & voluntatem daret, operando non solum posse si velit, sed ipsum velle atque perficere. Nimirum voluit Deus salutem captivorum hominum, non amplius in illa infirma reponere libertate, sed sibi ipsi tanto adjutorio

Lib. de Corr. & grat. c. 11.

Lib. de dono pers. c. 7.

Epist. ad Vit.

Lib. de dono pers. c. 7.

Lib. de Cor. & grat. 12.

jutorio procurandum sumere: *Nam si in tanta infirmitate sortis hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, quemadmodum olim factum fuerat, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis ut possent.* Hæc ergo vera ratio fuit cur Deus adjutorium illud potentissimum, hoc est, medium ad procurandum lapsorum salutem ita infallibile deligeret, ut nulla resistentia aut pertinacia aut tentatione effectu suo frustraretur. Nam ut idem præclarissime notat: *Major libertas est necessaria ad vincendas tot & tantas tentationes, quas in paradiso non fuerunt donec perseverantia munita atque firmata, ut cum omnibus amicis terribilibus, eversibus suis vincatur in mundo.* Cur libertati afferet dæ & Ibid. numeridæ, adjutorium delectum est potentissimum, quo ipsa fieret indeclinabilis & insuperabilis: *Subvertitur est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur: sed cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superaret.* Quemadmodum igitur captivitas libertatis ad agendum pietatis bonum, causa erat, cur tantum adjutorium Deus perditis revocandis ac salvandis adhiberet, ita causa fuit, cur Deus non amplius finem illum confusa quadam & inefficaci voluntate volentibus proponeret, sed efficaciter illis vellet atque intenderet, quibus ipsum velle & perseverare dandum esse cernebat. Medij quippe tam efficacis & infallibilis, & ut Augustinus loquitur, indeclinabilis & insuperabilis electio, efficacissimæ intentionis effectus certissimum argumentum est. Ex quo fit, ut si quis recte de gratiæ adjutorio, quod lapsis erigendis & salvandis datur, juxta divi Augustini doctrinam sentiat, in ista quæstione errare non possit; vel si erraverit, in Philosophiæ magis quam in Theologiæ lumen impinget, ut qui disserte de mediorum & finium connexione & causalitate sentiat. Adjutorij vero utriusque status ignoratio & permixtio Theologiæ propria est, quæ maximas confusiones opinionum peperit, & plus quam cymmerijs tenebris universam doctrinam de gratia & prædestinatione complevit.

Nam hinc accidit quod cum Doctores rem ab humana & philosophica consideratione remotissimam vi ingenij penetrare ac discernere conantes, ab Augustini principijs vel non intellectis vel neglectis, recessissent, in tres classes aberrantium distracti sint. Primi repudiantes primum adjutorij genus, quo non Auct. prad. datur velle voluntati, sed sine quo velle non physica. potest; solumque secundum amplexi, quo voluntatem prædeterminante ipsum velle & perseverare, sive Angelis, sive hominibus datur, recte & consequenter, ex vi medij tam efficacis intulerunt, Deum omnibus creaturis rationalibus quæ ad beatitudinem perducuntur, absoluta & efficace voluntate, ante omnem meriti cujusquam præscientiam, finem ipsum voluisse, & volendo prædestinasse. Alij abiecto secundo adjutorij genere, tanquam, quod funditus destruat libertatem, retento solo primo quod Angelis & hominibus primis datum Less. Molina A Lap. &c. est, inde quoque ulterius rectissime ratiocinando concludunt neminí neque Angelis neque hominibus, neque stantibus, neque lapsis, Deum efficaci voluntate intendisse ac prædestinasse beatitudinis a terna finem, ante præscientiam cooperaturiæ voluntatis: sed tantum modo inefficaci voluntate omnibus proposuisse gloriam, velut certaminis futuri præmium, omnibusque generaliter voluisse, si non propria libertate adjutorium Dei deserent, & a sanctitate deficerent. Utrique isti in Augustini principia veramque Theologiam impegerunt, sed in ipsa tamen sua hallucinatione rectissimum & clarissimum Philosophiæ filum, de medij & finis connexione, tenuerunt.

Sed alij timidiores, cum ex una parte istud ipsum solum integræ voluntatis adjutorium ipsis arrideret, tanquam libertati maxime consentaneum, in cujus indifferentia usus ejus & cessatio relinquitur, ex alia vero cernerent Augustinum in Deo ponere vel supponere efficacissimam salvandorum quorundam voluntatem; duplici aberrationi e Theologiam simul atque Philosophiam violarunt. Illam quidem, quatenus verum adjutorium Christi medicinale prorsus destruunt, illo tantum solo reservato quod Adami & Angelorum fuit; hoc est, uti illud describit Augustinus, *sine quo non potest homo in bono perseverare, si velit, ut autem velit in eius libero relinquit arbitrio.* Suarez cum suis.

Hanc vero, quatenus Deum efficaci voluntate intendere finem ante præscientiam meritorum statuunt, quam per tale medium ab aliena suspensum flexibili voluntate exsequatur: Sic enim, quod Augustinus notat veritati & pietati esse contrarium, *ut promissa*, & Lib. de prad. SS. c. 10. quod pejus prædestinata sua *Deus possit implere, non erit in Dei sed hominis potestate.* Non enim ipse per istam gratiam donat, ut perseverent, hoc enim repugnat essentialiter tali adjutorio (quicquid ipsi tandem in contrarium dicant) sed hoc humana voluntas quamvis non sine adjutorio concurrente facit. Apud nullos igitur istarum trium classium auctores veritas de prædestinatione reperiri potest, sed apud illos solos, qui distinctionem illam duplicis adjutorij, tutissimam solidissimamque complexi, nec Angelis illam infirmitatem libertatis tribuunt, quam damnatis hominibus, nec istis infirmis tantam fortitudinem, quantam fortissimis Angelis; sed in medio cum Augustino gradientes, Angelis tribuunt adjutorium quod dat *posse si velint*, totumque secuturæ glorificationis eventum ab eorum liberrima voluntate suspendunt: dan nato vero generi humano adjutorium, *non solum sine quo accidere*

cedere & permanere non possumus si velimus, verum etiam tantum ac tale ut velimus. Et duplici isti creaturarum statui & adjutorio, juxta veram & simplicem Philosophiam, duplicem intentionem Dei suam cuiq; proportionatam respondere dicunt: priori quidem statui simplicem quodammodo affectum, quo cælestem gloriam velut finem, omnibus ex animo desideret, & veluti certaminis bravium proponit, & ad assequendum *voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem dedit*; posteriori verò affectū efficacem, quo illi qui sub priori statu & adjutorio ab illo præmio, vitio liberæ voluntatis exciderant, ad hocipsum efficaciter perducere decernit; & ex illa intentionis efficacis, medium infallibile & insuperabile assumit *adiutorium* scilicet *quo* fiat *ut invictissimè quod bonum est* A *velint, & hoc ipsum deserere invictissimè nolint.* Hanc esse veram & genuinam D. Augustini mentē, de efficaci intentione, qua Deus prædestinatis hominibus gloriam cupit, ante meritorū præscientiam, quæ ipse ex vi istius intentionis tribuit, non aliūnde magis clarescere & probari potest, quam ex natura gratiæ medicinalis Christi, quam suo loco asseruimus. Hanc si quis fortè admiserit, & nescio quo tamen opinionis conceptæ præjudicio, electionem efficacem talis adjutorij & operum inde profluentium priorem esse putet, quam efficacem intentionem gloriæ tanquam finis, ex qua talis medij assumptio fluat, bonus profectò Theologus, malus Philosophus fuerit; cum quo de ista tanquam non ita magni momenti quæstione non contenderim.

lib. 3. de lib. arb. c. 16

lib. de Corr. grat. c. 12

CAPVT XVI.

Breviter perstringuntur quædam Scripturæ, quibus illa doctrina asseritur. Fusius solvitur ex Augustino, quo pacto Scripturæ Christianos omnes electos & prædestinatos vocent.

QVam ob causam nec explicandis urgendisq; pro hac sententia Scripturis immorabor, quod à recentioribus quibusdam satis accuratè factū est. Nam illæ Scripturæ apud S. Marcum: Sed

Marci 13. propter *electos, quos elegit, breviabit dies illos.* Et apud S. Lucam: *Nolite timere pusillus grex, quia*

Luc. 12. *complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et apud

Ioann. 10. S. Ioannem: *Nemo rapiet eas* (oves, id est prædestinatos) *de manu mea.* Et: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere & vocem meam audient.* Et apud Apost. Paulum ad

Rom 8. Rom. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui &c. quos autem prædestinavit hos & vocavit &c.* Et in eadē Epist.

Cap. 11. *Non repulit Deus plebem quam præscivit.* Et in Epi-

Eph. 1. stola ad Ephes. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundum propositū voluntatis suæ.* Et in Epist. S. Ioannis: *Exierunt ex nobis, quia non erāt ex nobis. Nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum.* Et in actis

Act. 13. Apostolorum: *Crediderunt quotquot erant prædestinati ad vitam æternam*, & hujusmodi significant manifestè ex peculiari Dei diligentis, & sibi complacentis, & eligentis; ac prædestinantis affectu & proposito; tanquā cardine proficisci, ut quidam præ ceteris credant, ut adducantur ad ovile Christi, ut vocē ejus audiant, ut brevientur tentationum dies, ne fortè pereant, ut non repellat eos, ut non rapiat eos quisquam de manu ejus, ut permaneant nobiscum; deniq; ut vocentur, ut justificentur, ut glorificentur, ut eis omnia cooperentur in bonum. Ex quo intelligitur, istam electionem, non præscientiam fidei & perseverantiæ & superatarū tentationū præsupponere, sed è contrario, ipsorum fidem, & fortitudinem contra A tentationes, & perseverantiam, & omnium rerum cooperationem, & glorificationem, in electionem eorum & propositum & complacentiam Dei, tanquam originem & fundamentum ultimum resolvendum. Hæc igitur & similia satis accuratè apud recentiores quosdam explicata & inculcata sunt, & objectiones quoq; dissolutæ quæ ex Scripturis afferuntur; ut quæstionem istam possemus sic intactam prætermittere.

Duo tamen duntaxat hic nobis præstanda esse video: Primum, ut objectionem quandam ex Scripturis, qua multum niti videntur aliqui, ex Aug. principijs dissipemus; alterum ut hanc ipsam quam diximus Augustini mentem esse. paulò operosius astruamus.

Quantum ad Scripturas attinet, distinguunt aliqui prædestinationem & electionem, in *incompletam*, quæ immediatè est ad fidem & gratiam justificationis, & ad omnes justos per- *Lest lib. de prædest. & reprob. sect. 3. n. 31. & 38.*
B tinet; & *completam*, qua quis non solum ad justitiam, sed etiam ad gloriam efficaciter eligitur. Dicunt igitur, quod ista verba electi, prædestinati, præsciti, à Deo vocati secundum propositum &c. itemq; electio, prædestinatio, præscientia, propositum passim in sacra Scriptura accipiantur pro incompleta electione & prædestinatione, quæ omnes justos respicit. Sic enim omnes fideles ad quos Apostoli scribunt, vocari sanctos, electos; prædestinatos: Nec *usquam*, inquit quidam, *puto restringi ad solos salvandos.* Proinde doctrina ista videtur à Scripturis esse pœnitus aliena, multò minus ex eis probari posse.

Respondetur, cum D. Augustini scripta nihil aliud spirent, nisi completam hominum prædestinationem ad gratiā & gloriam, quam ex sacræ Scripturæ verbis se collegisse profitetur, mirabili audacia dici, quod nusquam in Scripturis prædestinatio aut electio ad solos salvandos restringatur. Hoc est enim juno ver-

bulo totam Aug. doctrinam de prædestinatione reprobare: utpote cujus sensus tam remotus est ab ista recentioris istius sententia, ut fortè in universis ejus operibus, electio aut prædestinatio non significet illam incompletam, quam ipse prædicat. Nam in rei veritate electio & prædestinatio, à qua quispiam electus & prædestinatus dicitur, non potest esse incompleta sed completa tantum. Nemo enim nec ab Aug. nec à Scripturis, nec ab Ecclesia unquam vocatus est, aut vocari debet electus, aut prædestinatus, nisi qui sic ad gratiam & fidem eligitur, ut simul etiam ad perseverantiã & gloriam eligatur. Est enim unus actus Dei, quo cuipiam salus tota per gratiam Dei acquirenda & largienda decernitur: usq; adeo, ut si tantum gratiam ei largiri constituerit, non electus ille aut prædestinatus, aut secundum propositum Dei vocatus, sed reprobatus potiùs nuncupandus sit. Nam quamvis effectus prædestinationis, & electionis, & propositi incompletus esse possit: nunquam tamen electio ipsa aut prædestinatio incompleta esse potest aut vocari debet; quia esse incompletum respectu salutis, alienat vocabulum electionis & prædestinationis, ut ab ea non possit absolutè prædestinatus atq; electus dici, sed tantũmodo cum particula restringente, electus aut prædestinatus ad fidem, ad justitiam, ex quo efficitur è contrario, ut juxta S. Augustini mentem prædestinatio, electio, & propositum vocationis, nusquam in Scripturis usurpentur pro prædestinatione & electione incompleta; neq; prædestinati, electi, vocati secundum propositum, pro illis qui tantummodo ad justitiam ordinati & vocati sunt.

Dico itaq; non esse verum, quod ita generaliter sumitur. Nam imprimis verba Christi quibus apud Matthæum aliquoties electos nominat: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* *Matth. 24.* *Ibidem.* Itemque *Dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* *Marci 13.* Et apud Marcũ. *Sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.* Satis apertè significat eos solos qui salvandi sunt. Nam ideo dicit breviandos dies, ut electi salvi fiant. Ideo quoq; indicat uterq; fieri non posse, ut in errorem inducantur electi cùm nihil sit familiarius & possibilius, quam ut fideles quique non electi in errorem inducantur, ideo denique de ijsdem electis loquens in eodem omninò sermone Christus per Matthæum dicit: *Congregabunt Angeli electos eius à quatuor ventis.* *Matth. 20.* Et per Marcum: *Mittet Angelos suos & cõgregabit electos suos à quatuor ventis.* Quis sanæ mentis unquam aliter nisi de solis ad salutem æternam electis accepit. Sic & illa verba Christi: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi,* perspicuum est non posse intelligi, nisi de illis electis qui salutem consequuntur. Nam illos designat electos esse Christus, qui induti veste nuptiali in convivio permanserunt, ceteris in tenebras exteriores missis, ubi est fletus & stridor gentium. Unde nihil in ore Christianorum familiarius, quam electos illos paucos, esse numerum salvandorum. Loco quoq; D. Pauli ad Romanos nihil manifestius, quando dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* & quæ sequuntur. Nam ne quibuscumque Deum quoquo modo diligentibus beneficium istud fieri putaremus, statim restringens adijcit: His qui secundum propositum vocati sunt; *Nam quos præscivit,* inquit, *& prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui* &c. id est quos ipse diligẽdo approbavit, etiam prædestinavit, ut fiant conformes filio, nempe in gloria? Nam ex ista prædestinatione conformitatis imaginis filij sui, statim docet, omnes effectus gratiæ, vocationem, justificationem, & ipsam quoque glorificationem sequi: Sic enim pergit: *Quos autem prædestinavit: hos & vocavit. & quos vocavit hos & justificavit illos & glorificavit.* *Rom. 8.* *Lib. de prædest. Sanct. cap. 17.* Vbi Augustinus observat eosdem illos quos Deus prædestinavit, & non alios Deum vocasse, justificasse, & glorificasse, ut significetur istos omnes esse veræ prædestinationis effectus. Unde ejusdem tractationẽ loci præ manibus habens: *Illi ergo electi, ut sapè dictum est qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atq; præsciti. Horum si quisquam perit fallitur Deus: sed nemo eorum perit quia non fallitur Deus* &c. Non igitur sensus iste, ut objicitur, vim Apostolicæ exhortationis extinguit, sed efficacissimũ addit robur. Cùm enim Romani propriæ infirmitatis conscij, quæ & ab Apostolo explicata fuerat, & neq; gentium Philosophiã, neq; peccati cognitione seu lege, fracta, sed magis aucta fuerat, merito diffidere posse viderentur, ne ingenita tamque inveterata vitia superare non possent, ostendit eis Apostolus, unde vires & victoriã contra peccatum & liberationem à corpore mortis sperare deberent, nempe à gratia Dei quæ est per Iesum Christum, & ab illa singulari dilectione & cura quam circa suos electos & prædestinatos gerit. Quæ quidem tanta est, ut quos illo proposito dilectionis complexus fuerit, vocando eos, ad se venire faciat, justificari, & perseverare, & conformes fieri filio in gloria, ita ut nihil eos possit à charitate Dei separare. Itaq; Apostolus, post explicatã illam catenam vocationis, justificationis, & glorificationis, quæ ex prædestinatione nascuntur, statim adijcit: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* &c. *Quis accusabit adversus electos Dei?* &c. *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* *Rom. 8.* Ad quę verba sic Aug. *Merito sequitur vox ad regnum electorum. Si Deus pro nobis quis contra nos?* &c. *Quam fortis autem perseverantia usque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: Quis nos separabit à charitate Christi* &c. *Lib. de corr. & grat. c. 7.* Cùm igitur Apostolo justum esset sentire de Romanis, quod magna ex parte de isto numero prædestinatorum essent, & ipsimet hoc prudenti fiducia de se sperare possent, ut qui jam primitias spiritus acceperãt, profectò doctrina ista de tanta Dei erga electos dilectione, maximum robur exhortationi adijcit, ut fideles isti sperarent, se futuros in omnibus tentationibus ac difficultatibus, eodẽ Deo adjuuante victores. Sic enim & Apostolus ibidẽ in ejusdem exhortationis calce concludit, & Augustinus eleganter & solidè eadem prorsus formula exhortationis

tionis ad quoscumq; Christianos usus est: *Spera, inquit, in Domino qui te prædestinavit, qui te elegit, qui te iustificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te morte non debitam sustulit &c. ad illum pertines & times? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Resiste perturbationibus, ne consentias amori seculi.* Non ergo doctrina de tali prædestinatione ad nihil utilis est, *nisi ad licentiam vitæ & desperationem*, ut imprudenter dicitur, sed prudenter adhibita, summam fiduciam infirmis ingerit, se non obstantibus tot periculis, tentationibus, infirmitatibus, per omnipotentis atq; diligentis Dei adjutorium, æterna salute potituros. Vt sanè illi qui ad miseriam suam, libertatem arbitrij homines respicere docent, qua se toties prosterni vident & sentiunt, nihil aliud nisi certissimam desperationis portam aperire videantur.

Sent. de S. Laurent. sin Append.

Iosius n. 31

B

Sed, inquiunt, ex Scriptura perspicuum est, hujusmodi nuncupationes, electi, prædestinati, vocati secundum propositum, sancti &c. ad integras Ecclesias sæpe dirigi, ex quibus multi non sunt electi & prædestinati, prout non nisi salvandos comprehendit. Nam ad Ephesios dicit Apostolus: *Sicut elegit nos &c. Qui prædestinavit nos. In quo & nos sorte vocati sumus, prædestinati &c.* Vbi ad omnes Ephesios ac de omnibus loquitur. Et ad Romanos: *Salutate Rufum electum in Domino.* Et ad Colossenses: *Induite ergo vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ.* Et S. Petrus scribit: *Electis advenis secundum præscientiam Dei.* Et ibidem: *Vos autem genus electum.* Et similia, ergo electi & prædestinati dicuntur ab electione & prædestinatione incompleta, videlicet ad justitiam.

Ephes. 1.

Rom. 16. Coloss. 3. 1. Pet. 1. Cap. 2.

Respondetur, electi & prædestinati semper in istis locis idem significant, illos videlicet qui ad salutem æternam reipsa consequendam à Deo diligente præordinati sunt: sed non animadvertunt qui ista objiciunt, congruentissimum esse modum & usitatissimum loquendi communitatibus, ut in commendando sic eas alloquamur, quasi omnes essent boni, & in reprehendendo vice versa, quasi omnes essent mali; cùm tamen laus ista & vituperium non nisi in quosdam tantum propriè cadat; qui loquendi tropus synecdoche vocari solet. Tota Scriptura exemplis plena est. & Augustinus regulam istam frequenter tradit: *Scripturæ, inquit, mos est, ita loqui de parte tanquam de toto; sicut Corinthios in primis Epistola sua partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum eius crebrimè sparsam, quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria.* Et hoc declarat exemplo istius *electionis*, de qua loquimur, quia Apostolus quasi de omnibus Iudæis loquens, dicit eos *secundum electionem dilectos propter Patres*: cùm tamen hic *ostendat*, inquit Augustinus, *non illos inimicos* Iudæos, *sed electos esse dilectos.* Et

Fulg. 19.

Ibidem.

C

D

A in libro quem ad Donatistas post collationem scripsit, eandem regulam tradit: *More suo Scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint, & sic consolatur bonos tanquam omnes ibi tales sint.* Quod ne quis ad vetus tantum Testamentū, non etiam ad novum pertinere crederet: *Ecce & ad Corinthios*, inquit, *sic Apostolus loquitur: Paulus vocatus Apostolus Ecclesiæ quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis &c. Gratias ago Deo meo qui in omnibus divites facti estis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. Quis hæc audiens credat in Ecclesia Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoquidem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulo post dicit: Obsecro autem fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Rursus tanquam in hoc horrendo vitio velut omnes arguens, atque increpans dicit: Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* &c. Ecce omnes ita laudantur, & sancti vocantur Corinthij quasi nulli inter eos *essent reprobi.* Et in quæstionibus super Genesim, cùm disquireret, quo pacto duodecim filij Iacob in Mesopotamia nati dicerentur, ubi Beniamin non erat natus, ita respondet, ac si præsentem nostram difficultatem sibi solvendam suscepisset: *Nulla, inquit, est facilior solutio quæstionis hujus, quam ut per synecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars major est, aut potior solet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum: Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Vt non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facile inventur electorum nomen in malo, nisi ubi mali eliguntur à malis.* Videshic duodecim electos dici, ubi tamen unus diabolus esset. Vnde adjungit iterum Aug. *Illud attendamus ubi ait: Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegi: Vbi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est, Ego vos duodecim elegi: per synecdochen dictum est, ut nomine majoris melioris q; partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.*

Lib. ad Donatist. post Collat. c. 20

Ibid. c. 21.

Quæst. 17. super. Genes.

Ibidem.

Cùm ergo sit sacrarum litterarum consuetudo ista generalis, peculiariter tamen, quando populo Dei, hoc est, Christianis loquimur locum habet & habere debet, ut eos ita conveniamus, quasi omnes fideles & sancti, & in regnum Dei prædestinati haberentur. Nam reprobatum à Deo esse, res est non solum nobis ad dijudicandū vehementer ardua & occulta sed etiam auditoribus ingratissima, ut non debeat eis proinde quasi in faciem ingeri. Ita de hac ipsa re nos Aug. docuit: *Si & de his qui non perseverant, aliquid placet dicere vel necesse est, cur non potius ita saltem dicitur, ut paulo ante à me dictum est: primum ut non de ipsis qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos, id est ut non dicatur, Si qui obedietis, si qui prædestinati estis regnandi: sed si qui obediunt, & cetera per verbi personam tertiam, non per secundam? Res enim non optabilis sed abominabilis dicitur, & durissime atque odiosissime quasi in auditorum frontem compellando dicitur, quando quis eis quibus loquitur, dicit: Et si qui obeditis, si prædestinati estis regnandi &c. Quid enim sententiæ dixerit si ita dicatur: Si qui autem obedient, sed in regnum eius & gloriam*

Lib. de dono perser. c. 24.

gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & verius eadem res & congruentius dicitur, ut non ipsis tantum malum tanquam optare videamur, sed de aliis referre quid oderint, nec ad se existiment pertinere sperando optandoq; meliora? Ex qua regula paulò superius vehementer improbat & illum loquendi modum, quo quis populum Dei compellans diceret; Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, *ut aly ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem vel acceptæ perseverantiæ maneatis in fide*, quantumvis verissimum sit quod dicitur alios accepta perseverantia manere & alios non manere. Causam reddit: *Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere videamur iniuriam, cum possimus congruentius dicere: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem, acceptâ voluntate obediendi, & acceptâ perseverantia maneatis in fide.* Ecce omnes quos alloquitur vult haberi tanquam credentes, & tanquam perseverantes, accepto perseverantiæ dono, ex definita sententia prædestinationis Dei. Nimirum, quoniam æquum est, ut speremus optemusque meliora. Ex qua consideratione & Apostolus dixit, cùm omnes reprehendisse videretur: *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora & viciniora salutis, tametsi ea loquimur.* Et ad Philippenses alloquens universos: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis.*

His igitur verissimis, & rationi, humanitati, prudentiæque maximè consentaneis fundamentis nixus Augustinus, non uno loco docet, omnes Christianos, quos piè in Christo vivere videmus, tanquam electos & prædestinatos tractandos & habendos esse, & Scripturas sacras in eundem hunc modum de omnibus locutas, & nobis ipsis earum imitatione loquendum. Nam in libro de correptione & gratia, Scripturæ locum tractans quo dicitur multos discipulorum ejus abijsse retro: *Numquid non & isti*, inquit, *discipuli appellati sunt, loquente Evangelio, & tamen non erant verè discipuli, quia non manserunt in verbo eius; secundum id quod ait: si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Et illam quodammodo repugnantiam solvens: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur, Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos & Dei filios quia sic appellandi sunt, quos regeneratos pie vivere cernimus; sed tunc vere sunt, quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur.* Et in eodem libro paulò superius: *Et tamen quis neget eos electos cùm credunt & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Plane dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, secùq; illos ita stare ut præsciret esse casuros.* Ex qua norma dicit in Psalmos: *Electi quidem*

Lib. de dono perseu. c. 22

Act. 5.

Philip. 1.

Lib. de corr. & grat. c. 9

Ibidem.

Ibid. c. 7.

In Ps. 140.

A

B

C

D

Dei sunt omnes sancti, & habemus hoc in Scripturis sanctis. Et in libris de Civitate Dei: *Cum omnes boni fideles electi meritò nuncupentur.* Et in libro de ovibus, apertè docet, quamvis in populo Dei quidam sint hirci, hoc est, reprobati à Deo, tamen omnes tanquam oves habendas & compellandas, & à Scripturis compellatas esse: *Postea de hircis nullam facit mentionem*, Deus apud Prophetam, *semel illos nominavit, ut sciremus illos esse. Ipse enim illos bene novit. Postea sic loquitur tanquam omnes sint oves. Primo quomodo ipse videt; postea quomodo nos videmus locutus est*, hoc est, quasi omnes essent oves prædestinatæ: *Nam sicut prædestinatione & præscientia oves & hircos ille solus qui prædestinare potuit, qui præscire. Modo quia omnes sub iugo Christi sunt, & omnes ad gratiam Dei accedunt, ovem te putas, hircum te fortè Deus novit: sed tanquã ovis audi quod audis.* Hic non solum Scriptura sed & Augustinus ipse in illo ipso loco ubi in populo Dei alios prædestinatos, alios reprobatos esse tradit, omnes tamen tanquam prædestinati essent, suâ oratione compellat. Et in sermonibus de diversis, competentes universos tanquam sanctos & prædestinatos convenit: *Excitamini ergo ad hæc concreti, discreti. Concreti bonis, discreti a malis. Electi, dilecti, præscitti, vocati, iustificati, glorificandi, ut crescentes iuvenescentes ac senescentes in fide &c.* Et in sermonibus de verbis Apostoli, & se & omnes auditores prædestinatos vocat: *Prædestinati enim tam sumus, & antequam essemus: vocati sumus, quando Christiani facti sumus.* Et iterum: *Filij Dei sumus, prædestinati, vocati, iustificati: Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.* Nempe quia de omnibus credentibus hoc piè credendum est. Vnde de omnibus alibi dicit: *Vsque in æternum præparabo semen tuum, non tantum illam carnem Christi natam ex Maria Virgine, sed etiam nos omnes credentes in Christo.* Et de singulis personis aliquando alio in loco: *Spera in Domino qui te elegit ante mundi constitutionem, qui te prædestinavit, qui te vocavit, qui te impium iustificavit, qui tibi glorificationem sempiternam promisit, qui pro te mortem non debitam sustulit, qui pro te sanguinem fudit, qui te in se transfiguravit quando dixit: Anima mea turbata est. Ad illum pertines & times? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quo modo non & cum illo omnia nobis donavit?* Et de semetipso verba Psalmi tractans: *In manibus tuis sortes meæ: In potestate tua*, inquit, *sunt sortes meæ. Non enim ullum video meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem. Et si est apud te iustus & occultus ordo electionis meæ, ego tamen quem hoc latet, ad tunicam Domini mei fortè perveni.* Ex quibus omnibus alijsque non paucis, quæ ex Augustino depromi possent, perspicuum est, Scripturas sacras quando de omnibus Christianis tanquam electis & prædestinatis loquuntur, non loqui de prædestinatione vel electione incompleta, quæ nulla est, sed de electione & prædestinatione vnica, quæ in Ecclesia Dei nota est, vera atque completa, à qua simpliciter, Christianorum

Lib. 7. de Civit. c. 1.

Lib. de ovibus cap. 10.

Lib. 8. de diuers. c. 9.

Serm. 16. de verb. Apost. cap. 3. & 7.

In Psal. 88.

Serm. de S. Laurent. in append.

In Psal. 30.

omnium

omnium phrasi, electi & prædestinati dicuntur, illi qui salvandi sunt. Sed ita de illis omnibus loquuntur, quamvis inter eos multi reprobi sint, quia æquum est, nos de omnibus sentire & loqui, quos pie in Christo vivere cernimus, donec Deus aliud patefaciat, quandò illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Quid enim de Sanctis recentiores isti dicturi sunt? Nam & 1. Corinth. 1. Apostolus Corinthios omnes *Sanctificatos in Christo Iesu, vocatosq; sanctos* nominat. Et ad Rom. 1. Romanos: *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vocatis sanctis.* Et ad Ephesios: *Omnibus sanctis* Ephes. 1. *qui sunt Ephesi.* Et ita in omnibus ferè Epistolis. Sicut igitur omnes Sanctos vocat, quorum A non pauci erant sancti, sic etiam ex illa regula jam ante tradita, omnes electos & prædestinatos vocat, quamvis ex eis in eorum numero pauci sint. Vt sanè novitas mihi magna esse videatur, qua recentior ille Scriptor, ut illas ignotissimas Augustino sententias, quas tuetur asserat, confidenter dicit, nusquam electos & prædestinatos restringi ad solos salvandos; cum potius nusquam ad alios significandos extendantur.

Et hæc ad illam objectionem quæ ex Scripturarum sacrarum phrasi petebatur, abunde satis sunt. Nunc ad alterum caput, quod à nobis præstandum esse supra diximus, accedamus.

CAPVT XVII.

Prima probatio istius sententiæ ex varijs Augustini locis, quibus generaliter talem voluntatem efficacem electionis ad gloriam, ante meriti præscientiam statuit.

NAM, quia nonnulli qui non satis recto voto sanctissimi Doctoris scripta percurrunt, ut eum in præconceptas suas sententias quaquâ viâ trahant, etiam in hoc eum sibi favere gloriantur, quòd nullam in Deo agnoverit efficacem intentionem gloriæ alicui conferendæ, ante præscientiam meritorum, operæ pretium fuerit ex alijs diversis capitibus & locis, quàm eis quæ libavimus, sententiam ejus, adjutorio medicinali potentissimo, quòd tantopere prædicavit, consentaneam patefacere. Nam quamvis ipse difficultatem istam nunquam ex professo disputaverit, ut quam per se suppositâ tali medicinalis adjutorij natura, cuilibet mediocris Philosophiæ vel communis judicij viro perspicuam esse crederet; non tamen propterea de hac re nihil ei subinde per transennam excidit, ex quo mens ejus manifesta, & certa intelligi posse videatur. B

Imprimis enim docet Augustinus diversis in locis, quod quando Deus vult aliquem ad salutem, & ad regnum cælorum adducere; tanta tunc efficacia hoc in hominum voluntatibus exequatur, ut nihil eum impedire possit, quo minus finem suum quem obtinere voluit, assequatur. Hoc autem apertè significat, præcedere tunc in Deo efficacem intentionem assequendi finis, qui est constitutio in regno cælorum, & ex illius efficacia fieri, ut omnia obstacula perrumpantur: *Deo*, inquit, *volenti* Lib. de Cor. & grat. cap. 14. *salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat nec superet potestatem.* Vbi clarè significatur efficacem voluntatem salvandi, causam esse, cur tantâ fortitudine omnia impedimenta dissiliantur, & voluntates ipsæ quantumvis pertinaces torqueantur ad assequendum finem Dei, qui est *salvum facere.* Nam salvum facere non esse aliud Augustino, quam constituere salvum in regno Dei, ex ipso eodem certum est, qui hoc ipsum declarat similitudine à Saule sumptâ, quem cùm voluit constituere Deus Regem in A regno Israhel, omnium voluntatem inclinavit ut fieret quod decreverat. Nam in eodem capite declarans, id quod verbis citatis dixerat: *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui* Ibidem. *in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cùm vult facit.* Quis non videt hic voluntatem Dei efficacissimam de assequendo intento fine, causam esse cur talia ad convertendas voluntates eligat instrumenta, ut non possint resistere? Finem autem istum esse quem dixi, *salvum facere*, hoc est, constituere salvum in regno Dei, ex subjunctis patet similitudinibus. Prima quidem de Saule: *Nisi forte quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israhelitarum subdere se meliorato viro, sive non subdere quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiã Deo valerent resistere.* Altera verò de Davide, quem ut ibidem ait, Dominus in regnum successu prosperiore cõstituit. Cùm enim Deus eum vellet Regem facere, fecit ut hoc ipsum Israhelitæ vellent, quia inquit, *Deus hoc in eis egit qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.* Et ut indicaret quanta potestate hoc fecerit, ne fortè Ibidem. intento fine suo frustraretur: *Numquid ille* (Amasai) *posset adversari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum S. quo indutus est ut hoc vellet, diceret, & faceret?* Nempe, ut quemadmodũ subjicit, *constituerent Regem David super omnem Israhel.* Itaque cõcludens discursum suum eo prorsus quo dixi modo, quod cùm Deus intendit aliquem in regno cælorum constituere, nihil impedire possit, quo minus obtineat finem Ibidem. suum, sic subjungit: *Si ergo cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominũ quam ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in corripiendo correctio, ut* CÆLESTI CONSTITVATVR IN REGNO? Et cùm ista ipsa exempla propter aliam causam à Massilijensibus impugnata fuissent, omnem ambiguitatem, quæ etiamsi adhuc superesse

esse posset, abstersit. Nam resumens in libro de prædestinatione Sanctorum, id quod in alio jam citato de Correptione & gratia dixerat: *Scripturâ teste*, inquit, *probavimus cùm* Lib. de prædest. sanct. c. 2. *Deus* VVLT *fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle.* Quid sit autem illud quod Deus VVLT, hoc est, intendit fieri, & tamen non nisi per homines oporteat fieri, statim adjicit: *An forte quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates,* VT REX CONSTITVERETVR SAVL, SIVE DAVID, *ideò hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est tēporaliter* REGNARE *in hoc seculo, quod est in* ÆTERNVM REGNARE CVM DEO. Et adhuc manifestius addit consequenter: *Ac per hoc* Ibid. *existimant* AD REGNA TERRENA FACIENDA *Deum inclinare,* AD REGNVM VERO CÆLESTE OBTINENDVM *Deum non inclinare quorum voluerit voluntates.* Et statim probat etiam cum Deus vult Reges in cœlo fieri, sic eorum corda converti: *Sed puto*, inquit, PROPTER Ibid. REGNVM *Cœlorum non propter regnum terrenum esse dictum: Inclina cor meum* &c. *Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam.* Quibus & alijs adductis litterarum sacrarum locis, tandem concludit: *Audiant hæc & alia quæcunque non dixi,* Ibid. *quibus ostenditur Deus ad* REGNVM ETIAM CÆLORVM *& ad* VITAM ÆTERNAM PARARE *& convertere hominum voluntates.* Et adhuc inferius: *Cogitate autem quale sit, ut credamus* Ibid. *ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cœlorum homines operari voluntates suas.* Et de Davidis ad regnum, tanquam ad intentum finem, electione, & ejus à tribulationibus, liberatione, per quam finem istum assequi debebat, alio in loco: *Cùm ergo David Deus elegisset, & præelegisset & prædestinasset ad regnum, noluit & ipsum* DAVID *ante regnum tenere, quam primo à persequentibus liberaret, ut etiam in hoc ipso figuraret nos, id est corpus eius cuius corporis caput Christus:* In Psal. initio. hoc est, ut figuraretur, quod Deus ad istum modum etiam eligit, & præeligit, & prædestinat homines ad regnum cœlorum, & hanc voluntatem liberando eos à tribulationibus exequitur. Si quisquam non delirus de rebus humanis ita loqueretur, ut diceret, quando Princeps supremus vult aliquem constituere tribunum militum, vel provinciæ gubernatorem, ita hoc exequitur fortiter, ut nihil ei resistere possit, quin ita fiat, nemo nisi stolidus, dubitare posset, quin volūtas illa Principis esset efficax & antecederet prævisionē absolutā futuritionis mediorū, quibus hoc exequitur. Ipsa est enim causa, cur media tam certa & infallibilia deligantur & adhibeantur, & futura sint ne fortè propositū voluntatis istius irritum fiat. Ex quo sanè necesse est, plus Deū & efficacius finem diligere, æternam vitam & gloriam & regnum, quam ea quæ adhibet media, & mediorum assumptionem, non alia ex causa fluere, quam ex præconcepta efficaci intentione istius finis. Quod etiam apertè ac disertè dicit alio in loco, ubi de solo cœlesti regno mentio fit: *Ipse nos minus diligit quales nunc sumus; & hinc ideò liberat, ne semper tales simus.* Quod cùm obscurius dictum esset, explicans quid hoc sibi velit: *Ipse* Dominus *illam quæ futura est vitam nostram, qualis in nobis futura sit sciens,* hoc est æternam gloriam *prædestinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat.* Tract. 26. in Ioan.

CAPVT XVIII.

Secunda, ex voluntate singulari salutis parvulorum.

SECVNDO sæpè Augustinus in particulari de parvulis docet, quod quando vult omnes salvos facere in regno cœlorum, impedit mortem omnesque causas, quibus inane fieret decretum voluntatis ejus, denique procurat oportunè baptismum. quo in sanctitate moriantur, ne alioquin in eis prædestinata salus adimatur. In quo sane agendi & procurandi modo, velle quod finis ille salutis æternæ non efficaciter diligatur, antequam ista media adhibita esse videat, nec ex illo tanquam scopo fiat quod omnia cooperentur implendæ intentioni Dei, nimiæ videtur esse pervicaciæ. Sic ergò loquitur Aug. *Quam quæso allaturi sunt causam, quod alius sic* Epist. 105. *gubernatur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, prius quam ab eis baptizandus offeratur, expiret?* Et instantius paulò post: *Et cur providentia Dei, cui* Ibid. *nostri capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer in terram quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrūpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam parvulis impiorum?* Quod declarat exemplo parvuli ex stupro nati, qui casu baptizatus, *fit æterni consors & particeps regni.* Quam quæstionem & alijs nonnullis locis facit, ita ut dicat, quod *quibusdam parvulis quibus vult, etiam non volentibus neque currentibus subvenit,* & alijs, quibus *non vult subvenire*, non subvenit, itemque quod *parvulis* fidelium pereuntibus, *si vellet huius lavacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia.* In ista igitur expedienda quæstione reddendaque istius diversitatis ratione plerumque Augustinus recurrit ad altitudinem judiciorum Dei, quam in eo positam esse indicat, quod unum elegerit atque prædestinaverit, alterum non. Nam libro 4. contra Iulianum, cum eandem ventilasset quæstionem, eo tandem venit: *Novit Dominus* Lib. 4. cont. Iul. c. 8. *qui sunt eius; & in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas eius,* certa, quia nullis impedimentis obstantibus certò assequitur id quod vult, videlicet introductionem in regnum. Nam & in illo loco, *Novit Dominus qui sunt* Lib. de prædest. sanct. c. 2. Lib. 2. ad Bonif. c. 7. 4. cont. Iul. c. 8. Vide lib. de dono pers. c. 11 Lib. de Cor. & grat. c. 8.

qui sunt eius, quem ex Apostolo citat, semper illam decantatam Dei prædestinantis præscientiam intelligere solet. Vnde & alibi, cum diu prędestinationem illam & electionem gratiæ, id est, gratuitam, tanquam radicem diversitatis gratiæ negatæ vel datæ prædicasset, exprimens, quid illa electio respiceret: *Ex his*, inquit, electis ante constitutionem mundi, *nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim, ut prædestinatio ad vitam, sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Quæ prædestinatio ad vitã nempe æternam sive beatitudinem significatur esse radix, cur sacramentum acquirendæ istius vitæ quoquo modo ei procuretur, antequam ex hac vita discedat.

CAPVT XIX.

Tertia, ex voluntate illa, quæ velut radix est gubernationis mirabilis circa adultos.

TERTIO non tantum comparatione parvulorum istam causam esse tradit, cur eis in tempore baptismus procuretur, sed etiam eandem illam gratuitam electionem ad gloriam, radicem unicam statuit, cur alios tantâ benignitate, alios tantâ severitate tractet; usque adeò, ut ex isto fonte omnium donorum divinorum collationem atque diversitatem fluere ac pendere fateatur. Tanta enim omnipotentissimæ gubernationis vigilantia, semper ad illius voluntatis impletionem collimat in omnibus, quæ circa electos facit, aut fieri sinit, ut sive stent sive cadant, omnia eis cooperentur in bonum. Quod si ita est, profectò impossibile est, non esse istam electionem ad regnum efficacissimam, quæ mediorum assumptionem tam efficacium & infallibilium illi scopo consequendo parit: impossibile etiam, ut eam præscientia absoluta meritorum aut mortis in gratia antecedat, cum ipsa sit illa per quam & fides, & merita, & perseverantia, & mors in gratia procuratur.

Et quamvis de omnibus bonis quæ in hac vita electis præ reprobis conferuntur, simul & semel hoc patefacere (ut mox facturi sumus) facilius sit, multoque compendosius, non inutile tamen fuerit, hoc etiam sigillatim de omnibus demonstrare, ut quanta sit in doctrina S. Augustini constantia, & in omnibus lucubrationibus uniformitas, luculentius pateat. Nam inprimis hæc est in Augustini scriptis ratio, cur uni præ alio detur fides, quæ est initium donorum Dei: *Non enim omnium est fides, tanquam diceret: Non enim apud omnes etiam nobis orantibus glorificabitur verbum Dei, quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in adoptionem filiorum per Iesum Christum, & electi in ipso ante mundi constitutionem.* Hanc autem ordinationem in vitã æternam eorum esse dumtaxat, qui tandem accepto perseverantiæ dono in gratia morituri sunt, Augustinus alibi expresse tradit: *Quis, inquit, in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qua salute nisi æternâ?* Hæc est ratio, cur uni, non alteri, non solum ex parvulis, sed etiam ex majoribus baptisma quo salvandus est, conferatur, Nam de majoribus mox accepto baptismo morientibus, non minus ac de parvulis, locus ille intelligitur, quem produximus: *Ex his nemo perit quacunque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad vitam sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Hęc est ratio, cur uni, non alteri baptizatorum delinquentium detur spiritus pœnitentiæ. Nam Apostoli locum obijciente Iuliano, quo dicit: *Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, ut universorum pœnitentiam Deum procurare convinceret, respondet Augustinus: *Verum esse constat, sed quem prædestinavit, adducit.* Prædestinatus autem *ad vitam* æternam intelligit, ut jam in eodem loco diximus. Et uberius hoc idem ibidem agens: *Quod prębendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire, Novit Dominus qui sunt eius, & omnia cooperantur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt.* Hoc autem *propositum*, esse decretum prædestinationis ad æternam gloriam infra laborosius ostensuri sumus. Itaque ibidem sensu sibi cohærente, subtexit: *Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam, non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti.*

Hæc est causa, cur incarnationis, & passionis, & mortis dominicæ medicina, cum alijs inaudita & inexperta sit, alijs tamen innotescat, peccata deleat, ad justificationem æternæ vitæ prosit, quos videlicet in regni sui cœlestis gloriam prædestinavit: *Idem ipse Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum iudicium denegavit eis, quos per certissimam præscientiam & iustissimam beneficentiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam.* Quasi diceret, neminisubtraxit medium istud medicinæ necessarium, cui finem perfectæ sanitatis prædestinavit.

Hæc est ratio, cur quibusdam eorũ qui à tramite justitiæ & veritatis exorbitant, correctio utiliter adhibeatur, ita (ceteris obdurescẽtibus in malitia) spiritu compuncti redeant, ne prædestinatâ sibi vitæ æternæ salute priventur: *Si secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam quod corripitur Deus cooperatur in bonum.* Et paulò post: *Scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur gratia largitate discretus est, & non inter vasa quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ*

quæ præparavit Deus in gloriam. Nam & propositum, & præparatio in gloriam apud Augustinum, non sunt aliud, nisi æterna gloriæ prædestinatio; quæ significatur hic esse causa, cur correptus emendetur. Et multò apertiùs:

Ibid. c. 14. *Correptio medicinaliter adhibetur etiamsi salus ægrotantis incerta sit, ut si ei qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum.* Dixerat autem aliquoties se

Ibid. c. 7. & 23. de illis loqui qui *prædestinati sunt in regnum Dei.* Et in eodem loco probans hoc ipsum quod hic dixerat, correptionem prædestinato fieri salubre medicamentum, assignat rationem,

Cap. 14. quia Deo VOLENTI SALVVM FACERE, *nullum resistit hominis arbitrium.* Quid enim velle salvum facere, nisi velle salvum in regno cœlorum constituere? Sic enim ipse mox statim se exponendo concludit: *Si ergò cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, si cœlesti constituantur in regno?* Nonne apertissimum est, efficacem illam servandi, hoc est, regni cœlestis conferendi voluntatem, causam constitui, cùm tam potenter in cordibus operetur Deus, ut fracta duritia corrigantur? Quod & paulo inferius iterùm repetit:

Cap. ubi. *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus nepereãt, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio: Dei est autem illis eam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui,* id est quos ei in gloria conformes fieri prædestinavit. Hoc enim Apostoli verba sibi volunt, utpote ex quibus ipsemet Apost. docet eos, quos Deus ita conformes filio prædestinavit, non solum vocari & justificari, sed & glorificari à Deo.

Hæc est ratio, cur non solum admonitiones & correptiones peccatoribus quibusdam fiant utiles, sed etiam cur justis Deus perseverantiam in justitia & sanctitate largiatur, ut videlicet per certam istam & ineffabilem viã ad prædestinatam salutẽ & gloriam perducantur. Hoc enim ex professo in libro de correptione & gratia tradere videtur: Nec nos moveat,

L. de Corr. & grat. c. 9. inquit, *quod filij sui quibusdam Deus non dat istam perseverantiã. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secũdum propositum vocatis, qui verè sunt filij promissionis.* In cujus jetiã veritatis probationem ista S. Ioannis verba: *Ex nobis exierunt* &c. accuratâ consideratione perpendit: *Non ait ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobiscum, iam non sunt ex nobis: Verum ait, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: hoc est & quando videbantur in nobis non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, unde id ostendis? Quod si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quod infra sic dictum exponit, quasi diceretur: *Non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filij sunt præscisti & prædestinati sunt conformes imaginis filij & secundum propositum vocati ut electi essent:* Vade rursus adjungit: *Igitur filijs suis non prædestinatis Deus perseverantiam non dedit: Haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent, & quid haberent quod non accepissent, secundum Apostolicam veramq; sententiam? Ac per hoc tales filij, filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dixit ad Patrem: ut omne quod dedisti mihi non pereat, sed habeat vitam æternam.* Itaque colligens quinam sint illi qui Christo dantur, ut perseverando non pereant, causamque reddens, cur ipsis istud mirabile perseverantiæ munus detur, quo certissimè à perditione liberandi sunt: *Hi ergò Christo intelligentur dati qui ordinati sunt in vitam æternam.* Hoc est, illis solis hoc magnum tribuitur donum, ut Christo dentur & perseverando non pereant, qui ad salutem & gloriam ordinati, electi, & prædestinati sunt. Itaque subnectit iterum perspicuis verbis: *Ipsi sunt illi prædestinati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus sinit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ profectò sancti Augustini argumentatio tam est manifesta & peremptoria, quam si limatissimâ subtilitate Scholasticus quispiam concluderet: ideò justis quibusdam datur donum perseverantiæ in justitia, quia à Deo ordinatum ac decretum est, ut ille habeat vitam æternam. Vbi nemo sani cerebri dubitaret istud decretum vitæ æternæ largiendæ, esse intentionem finis efficacissimam & causam cur isti donum perseverantiæ largiatur Deus, tanquam medium, quo ad adipiscendum finem decretum pertingere possit. Hoc idem agit Augustinus & in sequentibus, in eodem libro non minus luculentè. Nam postquam & multa & mira de dono perseverantiæ, quod quibusdam justis datur, asseruisset, causam tangens, unde fiat, quod istud aliquibus largiatur. *In qua iustitia stabunt,* inquit, *usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit & secundum propositum vocavit, & iustificavit, & glorificavit, quoniam illa quæ his promisit etiã futura iam fecit.* Quasi diceret, in eo tribuit eis tantum donum, quia prædestinavit eos. Quid verò sit illa prædestinatio, sine ulla ambiguitate subjungit: *Hæc de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei.*

Lib. de Corr. & grat. c. 12.

Ibid. init. c. 13.

Sed ne singula percurrendo prolixiores simus, & omnia complectendo finiamus, hæc denique vera & unica radix est, unde tanta diversitas gubernationis hominum proficiscitur; hæc inquam causa, cur universa Deus torqueat, sive bona sive mala in salutem eorum quos elegit: videlicet, ut per quascumque prosperitates, & adversitates, tentationes, & lapsus in prædestinatum efficaciter gloriæ portum inferantur. Docet hoc tam luculentè sanctus Augustinus, ut nisi quis de industria nervos contentionis intendat ut tueatur præconceptam opinionem suam, nullâ ratione negari posse videatur. Agit hoc toto studio in eodem libro de Correptione & gratia, ubi per instantiam eorum qui gratiæ repugnabant, causam ultimã tam diversorum

effectuum

effectuum qui in ipsa humana voluntate contingunt, quærere & propalare cogebatur: *Quicumque ergò*, inquit, *ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod &, procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt credunt & in fide quæ per dilectionem operatur usque ad finem perseverant. Et si quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis huius vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ*, id est gratuitam. *Non enim hic sunt vocati, ut non essent electi, sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto electi sunt per electionem, ut dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.* Hic manifestum est, discretionem à massa perditionis poni in Deo antecedentem omnes effectus temporales, non solum reipsa ex causis suis defluentes, sed etiam eorum præscientiam. Ponitur enim causa, cur omnia ista quibusdam & vocatio, & fides, & dilectio, & lapsorum emendatio per homines, & si illi desint, per ipsas internas monitiones Dei, & perseverantia & mors ipsa procuretur. Et ista discretio à massa perditionis electio dicitur, non temporalis, sed æterna, *ante constitutionem*, ut ait, *mundi*. Et esse electionem efficacissimam, qua posita electus perire, Deo impediente, non potest, & ex ipsis jam recensitis effectibus quos producit, patet, & Augustinus statim iterum iterumque declarat: *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt, propositum autem non suum, sed Dei, de quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et iterum instantius: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur.* Ecce tantam discretionis à massa electionis, & propositi istius divini efficaciam, ut nullo vitio humano, nulla omninò re possit superari. Vnde in eodem illo discursu sequitur ipsa *vox electorum*, de tam efficaci Dei proposito & electione gloriantium: *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Et: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames* &c. *sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos.* Et quæ tandem ista electio, quod propositum Dei, quæ dilectio? Res ipsa clamat, non esse electionem ad gratias congruas, & hujusmodi, sed tam altum ac generale propositum Dei, ut omnes effectus jam recensiti, & ipsorum utilitas dilectorum, & mors ipsa in gratia, in quacumque ætate, sive parvulorum, sive majorum, inde possint tanquam ex fonte fluere. Nam inde est quod in eodem loco dicit: *Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profecto aut omninò non deficit, aut si qui sint quorum deficit reparatur, antequam vita ista finiatur, & deletâ quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur.* Et interpositis multis iterum: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Quod etiam sancti Petri, qui unus Electorum erat, exemplo declarat: *Etiam hoc*, quod Dominum ter negasset, *ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum.* Et unde istud? *Quia secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus.* Et in Epistola ad Vitalem: *Habentes consentientem doctrinæ salutari in quæ nutriti sunt voluntatem; & in ea sinientes istam vitam, si electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu eius prædestinati in adoptionem filiorum.* Et in alio loco clarius explicans; quo pacto Deus omnia torqueat in usum eorum, erga quos tale propositum cepit, & quot modis efficere possit, ne istius propositi frustrentur intentio & efficacia. *Si hoc essent*, hoc est, ut præcedit, *si secundum propositum vocati, si in Christo electi ante constitutionem mundi, si in eo sortem consecuti, si prædestinati secundum propositum eius essent, ex illis essent* (qui manserunt) *& cum illis sine dubitatione mansissent. Vt enim non dicam quam sit possibile Deo aversas & adversæ in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliquâ superati tentatione discedant; cùm possit, & quod ait Apostolus facere, ut non eos permittat tentari supra id quod possunt: ut ergò non dicam, certè poterat illos Deus præscient esse lapsos, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Ecce tres modos Deo, assequendi effectum efficacis propositi, munire contra tentationes, temperare tentationes, subtrahere tétationibus ipsà mortis acceleratione præventis. Cùm ergò toties sanctissimus & profundissimus Doctor, ex tali Dei electione, dilectione, proposito nasci doceat, ut & Euangelij prædicatio, & fides, & dilectio donetur eis, ut peccata ipsa fiant utilia, ut post omnes hujus vitæ gratias, sive congruas, sive incongras, ipsa mors in gratia procuretur & immittatur, quod tandem igitur poterit istud propositũ esse, quęnam illa electio, nisi gratuita electio ad ipsum finem, gloriam æternam in regno Dei, cujus solius efficax intentio mortem ipsam in gratia parit? Sed à probandi molestia nos ipse sanctus Doctor liberat, qui cum ingenij sublimitate forsan cerneret, homines qui de rebus etiam per se perspicuis contendere solent, velut nodum in scirpo, in verbis suis quæsituros, uno verbo apertissimo & sæpius repetito, in eodem ipso loco, ubi de ista electione disputat, totam controversiam absolvit: *Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.* Vis evidentius? *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum.* Vis inculcatius? *Sequitur vox ad regnum cœlorum.* De quibus cum multa disseruisset, iterum

Ibid. c. 7. — Lib. de Cor. & grat. c. 7. — Ibid. c. 8. — Epist. 107. — Lib. de dono pers. c. 9. — Lib. de Cor. & grat. c. 8. — Ibid. — Ibid.

Cap. 13. iterum adjungit: *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei.* Et ad quod *regnum*, gratiæ in hac vitâ, an gloriæ in futura? Exponit ipse in eodem loco, cum dicit quod *numerus electorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donatâ sibi etiam usque in finem perseverantia illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus servabitur.* Et rursum cùm dicit, quod *illos prædestinatos, Dei gratia perducit ad Regnum*, ad quod videlicet prædestinati & electi sunt.

Lib. de Cor. & grat. c. 13

Ibid.

Ex hac igitur *ad Regnum electione*, & hoc *proposito* Dei, quò ad *Regnum prædestinati* sunt, tanquam efficacissima *salvandi & liberandi* voluntate, necesse est fluere, quicquid ad electorum salutem, quæ non nisi in regno & gloria est, reipsa obtinendam pertinet, fides, baptismus, dilectio, opera, mors in gratia: Ex hoc proposito necesse est, quicquid prosperitatis, aut adversitatis, aut dæmon, aut mundus adversus electos concitet, omnia minantia, omnia invitantia, omnia cruciantia, cùm omnibus quos intus in eorum pectoribus excitant, amoribus, timoribus, erroribus, disjici atque superari, ne alioqui non homines, sed, quod absit, Deus ipse qui proposuit, decrevitque superetur. Quod & ipsi, ut Augustinus notat,

B

Electi ad regnum suâ professione voce: *Si Deus pro nobis, quis contrà nos? Quis nos separabit a charitate Christi?* Quasi diceret id quod Isaias clamat: *Dominus enim exercituum decrevit, & quis potest infirmare.* Et verò, ne quis existimaret in repetita toties prædestinatione ad regnum, non aliam intelligi, quam eam quæ sit ex prævisione meritorum, sicut Recentiores quidam hujusmodi loca torquere solent, ipsemet Augustinus distortum hujusmodi sensum interimit, dum eam gratuitam esse declarat. Nam ideò numerum electorum *per Dei gratiam regno Dei prædestinatum* tradit. Et alio in loco de Massilienses dicit, quod nollent fateri *prædestinatos esse qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant.* Si ergò & gratia prædestinantur ad perseverantiam, & gratia ad regnum, profectò impossibile est, ut de prædestinatione post prævisa merita loquatur Augustinus. Apud ipsos enim Recentiores certa regula est, ita regnum prædestinari sicut datur; non autem datur nisi meritis, igitur neque prædestinatur nisi meritis; non ergò gratis, sed ex justitia. Augustinus è contrario, utrumque per gratiam prædestinari dicit, non ergò ex illa prædestinatione, quæ concipitur post meritorum prævisionem loquitur.

Rom. 8.

Isaiæ 14.

Lib. de Cor. & grat. c. 13

Lib. de dono pers. c. 16.

CAPVT XX.

Quartò, & voluntate illâ, quæ veluti radix & cardo est gubernationis reproborum.

HÆc est ratio, cur vice versâ in illis qui ad regnum non sunt electi, nec à massa perditionis prædestinatione discreti, omnia contraria accidant, usque adeo, ut Deo illos pro meritis deserente, omnia in malum eis cooperari videantur. Quod eâdem evidentiâ & securitate sanctus Augustinus tradit. Hinc enim secundum ipsum proficiscitur primo, ut quibusdam, quibus & fidem Deus dedit & charitatem, non tamen donetur perseverantia in justitia; qua deficiente fit, ut in iniquitate moriantur & pereant: *Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ huius finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt, in isto numero* (electorum ad regnum, quod præcessit) *computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec secundum propositum vocati.* Ecce ideò non vocati secundum propositum (quæ vocatio perseverantiam ex Aug. mente comprehendit) quia non sunt discreti à massa perditionis. Et in libro de dono perseverantiæ interrogat adversarius: *Cur quibusdam qui eam coluerunt bonâ fide, perseverantiam usque in finem non dedit?* Et respondet Augustinus: *Cur putas nisi quia non mentitur qui dicit: Ex nobis exierunt, sed sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, manssissent utique nobiscum.* Quam ratione S. Ioannis

A

Cap. 7.

Ibid. c. 12.

B

paucis interjectis exponit, *quia non erant secundùm propositum vocati, non erant electi in Christo ante constitutionem mundi, non erant prædestinati secundùm propositum eius*: sub qua prædestinatione ipse semper electorum ad gloriam comprehendit. Nam inde est, quod in eodem libro inferius, eandem rationem perseverantiæ denegatæ sic producit: *Si qui autem obediunt sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Et iterum eadem phrasi paulò post: *Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem gratia permanebunt.* Nam in Aug. scriptis, prædestinatio, discretio, electio, à qua absolutè prædestinati, discreti, & electi dicimur, nunquam accipitur, nisi pro electione & prædestinatione ad gloriam in regno Dei; quod sicut diversis in locis, quæ in hoc discursu citavimus, perspicuum est, ita ubique intelligi debet. Nam illa distinctio, qua vera prædestinatio & electio à quibus electi & prædestinati vocamur, dividitur in prædestinationem aut electionem ad gloriam, & ad gratiam, apud Augustinum, postquam adversus Pelagianos luctari cœpit, inaudita est. Omnis enim vera hominum prædestinatio, & electio ad gloriam est, & ficubi ad gratiam eligi aut prædestinari dicimur, gratia totam beneficiorum seriem complectitur, quibus gratis

à dam-

à damnatione liberamur, Itaque electio ad gratiam Augustino, non est aliud nisi electio ad gratuita Dei dona, inter quæ gloria est præcipua & caput; quo sensu etiam dicitur, ut notatum est, prædestinatio & electio gratiæ, nempe quia gratuita est, ideoque gratuita quia ad gratiam seu gratuita dona Dei.

Hinc ergò ex isto defectu electionis ad gloriam seu regnum Dei, proficiscitur secundò, ut si qui talium à justitia ceciderint, non detur eis à Deo spiritus pœnitentiæ, quantacunque in sceleribus patientia, tribuatur. Cùm enim dixisset Augustinus: Ex his (electis & secundum propositum vocatis) nemo perit, quâcumque ætate moriatur de ceteris non
lib. 1. cont. Iul. c. 9. electis adiicit: *Ceteri autem mortales qui ex isto numero non sunt &c. ad utilitatem nascuntur istorum. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritalem, quæ homo in Christo reconciliatur Deo, sive illis ampliorem patientiam sive non imparem præbeat,* Cujus rationem supra dederat, quando dicebat: *Et quod præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire, novit* Dominus *qui sunt eius, & omnia cooperatur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt.* Tantum
Ibidem. enim abest, ut talibus Deus omnia cooperetur in bonum, ut si corripiantur propter defectum pœnitentiæ, ipsa correptio eis non ad profectum, sed in tormentum cedat, juxta id quod Augustinus docet adhibendam esse omnibus correptionem: *Vt si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum.*
lib. de Cor. & grat. c. 14

Hinc tertiò proficiscitur, quod alijs quoq; quos non elegit ad regnum suum, nequidem Euangelium prædicari, vel signa coram eis patrari sinit: non quia scit eos prædicationi & miraculis non esse credituros, sed neque tunc quando eos credituros videt. Nempe, quia noluit eis intendere finem, salutem videlicet in regno suo, noluit eos eligere ad medium, hoc est ad fidem qua sola salvari potuissent, & quia noluit eis tribuere & istum finem, videlicet fidem, noluit eis etiam prædicationem & miracula fieri, quibus permoti crederent; quamvis videat eos Euangelio sic prædicato credituros. Docet hæc omnia satis evidenter, & ex ipso Euangelio Augustinus. Nam de
lib. de dono pers. c. 9. Tyro & Sidone disputans: *Si apud illas facta essent* (signa mirabilia) *in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia veritatis. In quibus verbis suis Dominus* Iesvs, *altius nobis mysterium prædestinationis ostendit.* Hoc est, idcirco non fuisse coram eis facta ista mirabilia, quibus pœnitendo crediderent, quia prædestinati non erant. Nam cum aliquando docuisset, Deum aliquibus prædicari noluisse, quia *nec verbis nec miraculis suis credituros esse præscibat*, in Tyrijs & Sidonijs tradit hoc locũ non habuisse: *Hæc certè de Tyro & Sidone non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc divina iudicia pertinere.* Sed uberius in sequentibus, manifestiusque declarat: Nam cum prædestinationem nihil aliud, nisi præparationem beneficiorum Dei esse docuisset, quibus electi à prædestinationis massa liberantur, sub quibus beneficijs ostendimus maximè gloriam ab Augustino comprehendi, de ceteris non prædestinatis annectit: *Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto iudicio divino relinquuntur? Vbi Tyrus, vbi relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mirabilia illa Christi signa vidissent, sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum.* Hoc est, quia Deus non elegerat eos ad istum particularem finem, qui est fides Euangelij, noluit eis adhibere medium quo consequerentur finem, etsi medio adhibito consecuturos esse cerneret. Sic enim clarissimè seipsum statim Augustinus explicat: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso iudicio divinum naturaliter nunus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere si audirent utique talia vel viderent.* Ecce in utroque loco perspicuè docet, propterea non adhiberi hominibus, etiam quos Deus prævidet esse credituros, illa media per quæ crederent, quia non decrevit eis finem illum quem per ista media obtinerent. Nam ideò non adhiberi eis ista dicta divina, vel facta, *quia non sunt à perditionis massa, gratiæ*, seu gratuita *prædestinatione discreti*, non est aliud, quam ideò non adhiberi, quia non sunt electi ad obtinendum regnum Dei. Nam ut in præcedentibus demonstravimus, discretio à massa non est aliud, quàm electio ad regnum Dei; non solum quia nemo à massa perditionis discretus ab Augustino dicitur, nisi sit electus ad regnum Dei, sed etiam quia ipsemet Augustinus, ita explicat à massa discretionem, ut eam alijs verbis aliquoties vocet *electionem, & prædestinationem ad regnum*, ut supra vidimus. Hæc ergò electio seu discretio à massa perditorum, sicut facit, ut Deus in his electis omnia impedimenta dissipet, ipsamque animi cœcitatem ac duritiam cordis perrumpat atque auferat ut ad decretum istud liberatricis gloriæ beneficium pertingere possint; ita è contrario, defectus istius electionis ac discretionis à massa perditionis, qui non est aliud, quàm ira Dei manens super perditos peccatores quæ eos decrevit ab isto liberationis beneficio secludere, hoc operatur, ut qualiscunque indolis ac naturæ sint, quantumvis videat eos, adhibitis miraculis credituros, subtrahat eis & prædicationem & miracula, quorum subtractione in massa damnationis relinquuntur ac pereunt. Quod in eodem loco consequenter Augustinus tradit: *Non erant ergo sic excæcati oculi nec sic excæcatum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis* (Tyrijs & Sidonijs) *prosuit quod potuerant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ: nec istis* (Iudæis excæcatis & obduratis) *obfuissent quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret,*
ibidem.

illuminaret, & indueretis cor lapideum vellet auferre.

Hoc ergò inde proficisci, quia non sunt prædestinati ad obtinendum regnum Dei, ex eo capite perspicuum est, quia ut antè diximus, ex eodem decretu nascitur, quod eis perseverantia & mors in gratia quibus proximè ad regnum introducimur, denegatur.

Hæc igitur omnia & prædicationem, & fidem, & perseverantiam, & quæcunq; ad assequendum regnum Dei conducere possent, idcirco reprobis non dari à Deo, quia non sunt à perditionis massa, ipsius regni prædestinatione seu electione discreti, compendio complectens sanctus Augustinus & alijs locis tradit: *Provide sicut Apostolus ait: non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo* &c. *Et maioribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicavit.* Vbi utrobiq; subventionem, & non subventionē, in prædestinationem & non prædestinationem ad regnum refert. Sic enim Augustinum dicta sua intelligere, ex alijs locis evidenter patet. Nam in libro de Corr. & grat. *At per hoc & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Euangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam.* Quia, ut adijcit, si essent à perditione discreti, sine dubio *procuraretur eis audiendum Euangelium* &c. Et quid sit illa discretio à massa perditionis, cujus præsentia & absentia, tam diversa & adversa in hominibus operatur, statim explicat, per *electionem gratiæ ante constitutionem mundi*, & illam ipsam bis terve inculcat electionem esse, qua eligit *ad obtinendum regnum suum*, quæ loca supra ipsis Augustini verbis allegavimus. Hinc & in eodem libro inferius, omne auferens ambiguitatis obscurum, & simul judicans, quibus calamitatibus & iniquitatibus ex isto justo judicio Dei, quo eos ab ista electione seclusit, implicētur, postquam dixisset, quod numerus eorum qui Dei *regno prædestinatus* est, donatione perseverātiæ. illuc integer perducatur, de ceteris addit: *Hi verò qui non pertinēt ad hunc prædestinatorum numerū quos Dei gratia sive nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium sive cum arbitrio voluntatis, ideò verè libero quia per ipsam gratiam liberato perducit ad regnum: hi ergò qui non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur.* Et vide quot modis: *Aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunte, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia addiderunt; arbitrium inquam liberum sed non liberatum. Liberam iustitiæ, peccati autem servum, quo volumtur per diversas impias cupiditates &c. aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantiæ dono, iudicio Dei iusto & occulto.* Ecce ille defectus prædestinationis *ad regnum*, quid in desertis operetur; nempe quod *dimittantur libero arbitrio*, cui dimissi fieri non potest, quin vel nunquam ab iniquitatibus surgant, vel à perseverantia decidant, & utro que modo pœnam æternæ damnationis incurrant. Vnde de Majoribus in Epistola 59. *Non sunt in ista vocatione* (secundum propositum & sine pœnitentia) *qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiamsi aliquantulum ambulant, non perseverant usque in finem: & utique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem, quæ secundum propositum & sine pœnitentia est, pertinerēt.* Et de parvulis causam quærens, cur baptizati etsi in illa ætate morerentur, etiam ad regnum cœlorum pertinentes, crescere sinantur & nonnulli etiam apostatę fiant: *Vnde*, inquit *nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem & secundum propositum ac sine pœnitentia vocationem?* Ecce in utrisq; oritur mutatio illa & jactura sanctitatis usque ad mortem, nec rapiuntur ex hac vita, ne malitia mutaret intellectum eorum, quia non pertinent ad illam prædestinationem & vocationem secundum propositum. Illa quippe si erga ipsos esset in Deo, removeret omnia quibus sanctitas per iniquitatem supervenientem interit, efficeretque ne ipsi in iniquitate morerentur.

Nec verò hic ullo pacto responderi potest, eos ex illo beato numero electorum ad regnum excluſos esse, post prævisionem peccatorum finalium in quibus in hac vita rapiuntur, quia hæc ipsa peccata finalia ex illo exclusionis decreto, velut ut minimum removente prohibens, promanare significantur. Nam inde indicat fieri, quod quidam parvuli pro peccato in quo nasci supponuntur, & ex quo alij liberātur, hinc sine lavacro regenerationis eximūtur & justissimè judicantur, majores verò dimittantur libero arbitrio suo, hoc est, tradantur desiderijs suis, quibus per peccata præcipitati in æternū exitium ruant. Nam ut sanctus Doctor de hac ipsa re alibi dicit: *Absit ut ij qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, suo ut pereant desiderio dimittantur.* Hoc ipso igitur quo non sunt prædestinati, hoc est ad regnum electi, suo ut pereant libero arbitrio ac desiderio dimittuntur, quod ne fiat in prædestinatis, ipsum propositum electionis ad regnum vetat.

Lib. de dono pers. c. 12.

Epist. 59.

Ibid.

Lib. de Corr. & grat. c. 7.

Lib. de Corr. & grat. c. 13

Lib. de gest. Pelag. c. 3.

CAP VI

CAPVT XXI.

Quinta, ex vocatione secundum propositum.

NEc dissimile argumentum ex *vocatione secundum propositum*, de quo frequens ex Apostolo in Augustini scriptis mentio est, trahi potest. Docet enim sapissimè Augustinus solos prædestinatos vocari secundum propositum, & ita secundum illud vocari, ut nemo ad istam pertineat vocationem, nisi vel parvulus cum baptismo moriatur, vel adultus credat, diligat, perseveret; reliquos omnes sive sequantur vocationem, sive negligant vocationem, non secundum propositū vocatos esse. Ergo necesse est istud propositum, esse aliquid reciprocum cum prædestinatione & electione, non qualibet sed illa, ex qua tanquam ex causa possit illa vocatio & omnes effectus quos supponit, ad perseverantiam usque, fluere. Quod si itaest, profectò propositū istud non potest esse aliud, nisi electionis ad gloriam, ex quo vocentur prædestinati, & alij non vocentur. Nam ex illo solo illa diversitas effectuū istorum omnium nasci potest. Ergo istud propositum præcedit in prædestinatis præuisionem meritorum utpote, ex qua ipsa voluntas dandi merita proficisci debet. Primum istud pronuntiatum, quod solis electis vocatio secundum propositum conveniat, veritas est in scriptis Sancti Præsulis exploratissima, & sexcentis testimoniis astrui potest. Nos paucis contenti erimus. Quid enim evidentius illo ex libro de correptione & grātia? *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profecti electi sunt per electionem ut dictum est gratiæ*, hoc est gratuitā &c. *Ex illis nullus perit, quia omnes electi sunt, electi sunt autem quia secundum propositū vocati sunt, propositū autem non hominis sed Dei.* Et mox: *Cum ergo audimus quos autem prædestinavit, illos & vocavit secundū propositum vocatos debemus agnoscere; quoniam inde cœpit dicens, Omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati, ac deinde subiunxit, quoniam quos ante præscivit & prædestinavit &c. quos autem prædestinavit illos & vocavit. Eas itaq; vult intelligi quos secundū propositū vocavit, ne putentur in eo esse aliquis vocati, non electi.* Quid isto testimonio ex libris contra Iulianum luculentius? *Deus omnia cooperatur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui vero electi, hi secundum propositum vocati &c.* denique & hic cum dixisset: *omnia cooperatur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt*, continuo subdidit: *quoniam quos ante præscivit & prædestinavit &c. quos autem prædestinavit illos & vocavit &c. Hi sunt secundum propositum vocati. Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem.* Hujusmodi testimoniis Augustinus plenus, ut ex infra dicendis plenius apparebit. Nam ut etiam supra ex ipso diximus, hoc *propositum ad præscientiam & prædestinationem Dei* pertinet. Et secundum Augustinum & Apostolum, non minus dicimur *prædestinati secundum propositum Dei*, quam *vocati*. Ergo necesse est ut propositum electionis, non solum gratiam, fidem, opera, perseverantiam, sed etiam ipsam gloriam respiciat, sine cujus adeptione nemo electus aut prædestinatus dici potest.

Nec tamen propositum istud quolibet modo fidem, opera & ipsam finalem perseverantiam, & gloriam respicit, quasi videlicet jam in præviſione præcedentia, & alio ex fonte data sed sic ut ipsum sit principium ex quo emanent & vocatio ista tantę efficaciæ, & cuncti effectus istius vocationis. Quod de singulis non est difficile perspicuis documentis patefacere. De fide res certa est: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias*, sed ut paulò post addit; *vocatione secundum propositum*, de qua dictum, *non ex operibus sed ex vocante; non quacumque vocatione, sed qua vocatione sit credens.* Et inferius eandem vocationem vocat ex Apostolo, *sine pœnitentia*, hoc est stabilem & immutabilem, *quæ prorsus agitur & peragitur ut credamus.* Et inferius: *Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de qua multum locuti sumus, ut non manenter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur & credant.* De cæteris omnibus ipsaque perseverantia, res non minus ex Augustino luculente pater, ut in libro de correptione & gratia, cum vocatos secundum propositum præmisisset: *Ex illis*, inquit, *nullus perit, quia omnes electi sunt, electi sunt autem quia secundum propositum vocati.* Nam ut alibi dicit, hoc est ipsum propositum quo Deus *quos præscivit & prædestinavit, elegit ante constitutionem mundi.* Et in eodem libro inferius: *Sed quia dilexit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, quia secundum propositum vocatus erat ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.* Vbi apertissime propositi efficatia tanquam propositi omnipotentis Dei, statuitur causa, cur nemo possit eum eripere de manu Christi. Et adhuc inferius. *Si enim secundum propositum vocatus est iste procul dubiò illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum.* Et libro de dono perseverantiæ: *Vnde satis dilucide ostenditur & inchoandi & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.* Et explicans quænam sit illa voluntas: *Quoniam*, inquit *quos prædestinavit, ipsos & vocavit vocatione illa de qua dictum est sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa-*

A *In expos. quarundam propos. ex Epist. ad Rom.* *Ephes. 1.* *Lib. de dono pers. c. 9.*

B *Ibid. c. 17.*

Lib. de corr. & grat. 7.

C *Lib. 2. ad Bon. f. c. 18.* *Ibid. c. 9.* *Lib. 2. ad Bonif. c. 9.* *Ibid. c. 13.*

Lib. 1. cont. Iul. c. 4.

asseveratione dicendus, nisi cum de hoc æculo exierit. Vocationem autem sine pœnitentia prorsus eâdem esse cum vocatione secundum propositum, libro de prædestinatione sanctorum, & in Epistola quinquagesima nona ex professo docet: *Quos prædestinavit inquit, illos & vocavit. Hæc vocatio est secundum propositum, hæc est sine pœnitentia.* Iuxta hæc igitur consequenter in libro de prædestinatione sanctorum, vocat hoc *propositum, eius qui universa operatur*, & propositum *secundum quod prædestinati sumus*, ut significaret Deum universa per hoc propositum in electis operari, *usque adeo*, inquit, *ut in nobis operetur & velle*; itemque hoc *ut simus sancti & immaculati.* Vnde subjungit: *Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperatur in bonum, quia secundum propositum sunt sancti.* Ex qua phrasi *ex proposito Dei*, vides istam præpositionem (secundum) cum dicitur vocatio secundum propositum Dei, significare non tam conformitatem cum proposito, quã habitudinem principii & efficientis causæ. Quam ob causam eam vocationem vocat alibi, *qua per Dei propositum fit, quæ tantum est electorum.* Sed quid mirum quod istud propositum sit principium & causa omnis bonæ voluntatis, conversionis, fidei, perseverantiæ, & gloriæ, cum ut sæpius jam ex Augustino diximus, sit ipsum propositum prædestinationis Dei, & consequenter ipsa electio ad regnũ Dei, quæ est, ut etiam diximus, ipsa prædestinatio Dei? Nam prædestinationem ad regnũ, quam maxime sub prædestinationis definitione comprehendi, late alibi demonstravimus. Cũ ergo prædestinatio sit causa fidei, justitiæ, charitatis, perseverantiæ, imo & mortis in gratia, quia omnia ista sunt dona Dei, Augustino etiam dicente de tali morte: *Neque enim non donat hoc Deus quibus voluerit, in cuius potestate est, quamdiu quisque in hac vita maneat.* Quæ proinde se filiis suis daturum esse præscivit, & proinde prædestinavit, necesse est ut etiam ipsum propositum vocantis Dei sit omnium istorum origo & fons, ipsaq; vocatio secundum propositum, sit prædestinationis adimpletio, juxta illud Augustini: *Electi sunt itaq, ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi sunt autem de mundo ea vocatione quã Deus id quod prædestinavit implevit. Quos enim prædestinavit ipsos & vocavit, illa scilicet vocatione secundũ propositum. Non ergo alios sed quos prædestinavit & vocavit nec alios sed quos ita vocavit ipsos & justificavit, nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Itaque prædestinationem, & vocationem secundum propositum & sine pœnitentia, non semel permiscet atque confundit, & ad universos effectus, quos Deus in electis per gratiam operatur pertinere contendit, ut in Epistola quinquagesima nona: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Videt certe illos significari qui pertinent ad numerum prædestinatorum de quibus alio loco dicit:*

Lib de prædest. sanct. c. 16. & 17.

Epist. 59.

Lib de prædest sanct. c. 18.

Ibid. c. 3. & lib. 1. retract. c. 23

Lib decor. & grat. 8

Lib de prædest sanct. c. 17.

Epist. 59.

A *scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti*: Et iterum: *Multi enim sunt vocati pauci vero electi. Qui vero electi ipsi sunt secundum propositum vocati, in quibus De proculdubio præscientia falli non potest.* Et paulò post luculentius: *Non sunt in ista vocatione* (secundum propositum & sine pœnitentia) *qui in fide quæ per dilectionẽ operatur etiamsi aliquantulum ambulant non perseverant usque in finem: & utique potuerunt rapi ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem quæ secundum propositum & sine pœnitentia est pertinerent.* Vnde consequenter tradit, plerosque parvulos baptizatos, qui si parvuli morerẽtur, pertinerent ad vitam æternam, regnumque cœlorum, permitti crescere & nonnullos Apostatas fieri: *Vnde*, inquit, *nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem, & secundum propositum ac sine pœnitentia vocationem.*

Ibid.

Ibid.

B Ex his igitur satis perspicue demonstratur, propositum istud, ex quo dicta est vocatio secundum propositum, ad omnes sese effectus prædestinationis & electionis, etiam parvulorum extendere, utpote qui ex ipso tanquam ex causa fluant, ergo necesse est esse propositum absolutum beatificandi homines in regno suo, seu liberandi à perditione, hoc est, offerendæ salutis & gloriæ, tanquã finis videlicet ad quem solũ omnes effectus isti allegati, & ipsa mors in gratia referri, & velut ex causa fluere possunt; nimirum quia est ipsum propositum electionis & prædestinationis ad gloriam.

C Nec vero hic responderi potest, prout aliquos respondisse video: esse quidem electionem seu propositum absolutum quod Deus concepit, sed prævisa eorum cooperatione & perseverantia. Sed non rectè hoc dicitur: August. enim, ut vidimus, dilucide tradit, propositum istud esse causam vocationis, qua fiat ut credat, ut diligat, ut perseveret. Nam ideo dicit *ex hoc proposito, per propositum* istud fieri: Ex isto vero proposito & per istud propositum electionis ad gloriam, quod tali prævisa hominum cooperatione & perseverantia constituitur, non potest fieri ut homo actu credat, diligat, perseveret, sive in reipsa temporaliter, sive in Dei præscientia: sed è contrario, ex eo quod homo vocari ut credat, diligat, perseveret, imo credere, diligere, perseverare prævidetur, consurgit in Deo propositum absolutum quo ad gloriam eligatur. Sic enim ipsimet ex professo docent.

D Itaque quod Augustinus proposito Dei respectu effectuũ ejus, hoc ipsi effectibus respectu propositi tribuunt. August. vult ex proposito nasci fidem & perseverantiam in justitia; ipsi ex fide & perseverantia in justitia nasci propositum; ut nihil mirum sit, sed congruentissimum, eos qui tota sententia ab Augustino discrepant, phrasibus quoque discrepare. Nec etiam juvat, quod dicunt propositum istud electionis ad gloriam, ante

Lessius lib. de prædest. & reprob. p. 1. c. 2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vide Iustinus lib. de prædest. & repreb. fid. c. 9. & 10.

positam conditionem, hoc est, determinationem nostræ voluntatis ad credendum & perseverandum, non esse absolutum sed conditionale; posita vero illa conditione transire in absolutum, & influere simul temporaliter in actualem vocationem fidem ac perseverantiam. Istud enim postremum quod assumitur, falsum est. Nam quamuis, juxta eorum opinionem verum sit, propositum electionis ad gloriam, ante præscientiam cooperationis nostræ ad credendum & perseverandum, esse tantùm conditionatum, & illis prævisis transire in absolutum: falsum est tamen; istud propositum in vocationem & fidem & perseverantiam influere, vel quodlibet istorum ex isto proposito aut per istud propositum fieri, sicuti Augustinus docet. Nam quando Deus istud propositum absolutum concipit, jam supponitur prævidisse & vocationē & fidem, & perseverantiam, & omnes causas reipsa influentes, quemadmodum & ipsi diserti verbis tradunt. Est enim propositum electionis ad gloriam, secundum ipsos, propositum remunerandi labores, quos Deus jam eos fecisse, & consequenter ad illos vocatos, esse absolute prævidet. Vnde tam impertinenter ad vocationem temporalem & fidem & perseverantiam sese habet, atque propositum absolutum damnationis ad opera mala. Hoc enim quamvis opera mala æternitate præcedat, non tamen propterea malorum operum causa est, aut ea ex isto vel per istud propositum fiunt, sed ea jam ante formatum istud propositum facta esse, & omnes causas in ea jam influxisse præsciuntur: ex qua tandem

A præscientia, ne peccata sine supplicio remaneant, istud propositum fluit. Cum igitur Augustinus directe contrarium tradat, dum vocationem & fidem & perseverantiam per istud propositum electionis, & ex isto proposito proficisci docet, necesse est istud propositum electionis ad gloriam non præsupponere, quod vocatio, fides, & perseverantia sint absolute prævisa à Deo, sed potius quod ex illo proposito nascantur, ut absolute prævideri possint: ut non præscientia vocationis & perseverantia præcedat propositum electionis, sed propositum electionis præcedat eorum præscientiam; juxta id quod præclare sanctus Prosper dixit: *Vt sic & dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, & præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: Et sicut nihil est quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina præveneritⁿ, ita nihil bonum sit quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit.* Ex quibus etiam vera ratio patet, cur vocatio secundum propositum semper efficax sit, seu ut Augustinus loquitur, *cur agat & peragat* effectum suum, fidem, conversionem, pœnitentiam, dilectionem &c. Nimirum quia ex tali proposito proficiscitur, quod nulla hominis infirmitate deficere, nulla mundi adversitate superari potest; sed potestate tam invicta perficit id quod Deo vocanti propositum atque prædestinatum est, ut faciat vocatos suos cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superare. Est enim radix omnis efficaciæ, quæ in gratiæ divinæ operationibus lucet.

CAPVT XXII.

Declaratur, hoc propositum antecedere omnem præscientiam absolutam meritorum, ex prædefinitionibus multorum effectuum liberorum, ante præscientiam absolutam consensus voluntatis.

HOc ergo propositum electionis ad gloriam absolutum, ex Augustini mente, omnium præscientiam meritorum antecedere, ex alijs duobus indiciis, quantum arbitror, perspicuis colligi potest. Primum est, quia auctores qui contrarium sentiunt, ex iisdem principijs putant, non solum Deum non efficaciter hominibus velle gloriam, nisi suppositā prævisione meritorum sive cooperationis nostræ, sed nec ullos effectus, qui liberi nostri arbitrii concursum supponunt, absolute prædefinire, hoc est, efficaciter intendere ac velle, nisi postquā cooperationem atq; consensum nostrum ante prævideri, atque hoc ipsum sanctum Augustinū consequenter sentire putant: iisdē quippe difficultatibus premitur, utrumlibet quisquis teneat. Sed certum est, contrarium assertionis posterioris Augustinum docuisse, ergo verisimile est & prioris. Multis modis veritas illa manifestari potest, tam in effectibus, ad quos per consensus indifferentis voluntatis, quam per consensus bonæ pertingendum est.

A Nam quantum ad effectus, qui liberam indifferentis voluntatis consensionem prærequirunt, Deum illos non raro efficaciter intendere, antequam absolutè illam voluntatis inclinationem futuram videat, inde patet; quia Deus aliquando efficaciter punire decernit homines malos illa pœna, quæ sine libera eorum voluntate adimpleri nequit; præcedit igitur decretum Dei ante liberam eorum voluntatem prævisam, utpote per quod fiat ut ista in homine oriatur, & absolutè oritura provideatur: *Scriptura divina*, inquit Augustinus, *si diligenter inspiciatur ostendit non solum bonæ hominum voluntates, sed etiam illas quæ cōservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda vel ad pœnas quibusdam ingerendas.* Et exemplis hoc ostendens: *Quid est, non poterant subsistere*, quod scriptura dixerat, *quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur voluntatibus*

Dū. de gratia & lib. arb. c. 20.

hominum, & quos voluit formidinem convertit iratus? Et de Roboam consilium seniorum respuente: *Roboam respuit consilium salubre seniorum respondendo minaciter, quibus iuniter debuit. Vnde hoc nisi propria voluntate? sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israhel, & alium sibi Regem constituerunt Ieroboam, ut irato Deo voluntas fieret.* Quod etiam statim ex manifesta scriptura probat: *Quid enim scriptura dicit? Et non audiuit Rex populum, quoniam erat conversio à Domino ut staueret verbum suum quod locutus est in manu Abiæ filio Ita de Ieroboam filio Nabath.* nempe sic factum est & illud per hominis voluntatem, & tamen conversio esset à Domino. Et de Philistijm & Arabibus terram Israhel depopulantibus: *Hic ostenditur Deum suscitare hostes ex terris vastandis, quas tali pœna iudicat dignas. Numquid tamen Philistijm & Arabes in terram Iudæam sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitauit?* Vnde concludit: *Imo utrumque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen eorum spiritum Dominus suscitauit. quod etiam hoc dici potest, & eorum spiritum Dominus suscitauit, & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit.* Et adhuc inferius æque manifeste: *Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui utique iuste irascebatur, et admonitionem salubrem non audiret, sed iret ad bellum, ubi cum suo exercitu caderet.* Et luculentissime in quæstionibus super librum Iudicum ad ista verba: *Et pauefecit Dominus Sisaram & omnes currus eius,* annotat in hunc modum: *Ecce quemadmodum commendat scriptura agere Deum in cordibus ut det exitum quem constituit. Vtique enim pauefecit vel obstupefecit Sisaram ut traderetur eis.*

Ibid. c. 20.

Quæst. 27. Iudicum.

In his omnibus apertissime significat Augustinus, Deum efficaciter iubinde velle præcedentia vindicare peccata, quando videlicet mensura impleta fuerit, illamque peccatorum vindictam tanquam finem efficaciter intendere. Et ex hac Dei punientis efficaci voluntate applicare media, quibus actus liber fiat, quo ad constitutam vindictam perveniat. Quis autem non videat hujusmodi punitionis decretum, quamvis supponat jam absolute prævisum esse peccatum quod vindicandum decernitur, antecedere tamen actuum illorum absolutam prævisionem, per quos ille effectus obtinendus est? Esto enim non decernat hujusmodi pœnas, vel etiam præmia Deus, nisi præsupposita præscientia conditionata talis actus liberi futuri, si talem aut talem inclinationem aut inspirationem tribuat; non tamen propterea absolute futurum actum illum prævidet, antequam punire vel remunerare constituerit; cum idcirco actus ille liber quem posita tali inspiratione, futurum videt, reipsa suscitetur à Deo, & inspiratio reipsa voluntati immittenda sta-

A tuatum, ut finem illum decretum præmii aut vindictæ consequatur. Nam hoc ipsi, quod in illis citatis locis dicitur, *volens vindicare, hoc operatus est in eius corde ut iret ad bellum.* Hoc quod dicitur, *ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit,* hoc ibi efficaciter intendere. Hoc quod dicitur: *Erat conversio à Domino, ut staueret verbum suum,* id est, ut exoneretur id quod constituerat, hoc quod dicitur: *Regem constituerunt Ieroboam, ut irato Deo voluntas fieret.* Hoc quod dicitur: *Vt det exitum quem constituit; ubi pæne ait, ut tradaret eis.*

Quod ad efficaciam istius actionis, nominus perspicuè docet Augustinus illos subinde Deum intendere, ut ecquam eos futuros absolute prævideat; sed contrarios, idcirco illos à voluntate fieri, quia efficaciter decrevit ut fiant. Nam Religiosum esse, effectus liberæ voluntatis est, & tamen Augustinus cum Ambrosio non semel dicit: *Deus quem dignatur vocat, & quem vult Religiosum facit.* Hoc est, quem ipse voluerit Religiosum, illum etiam facit talem, ubi evidenter efficax voluntas ejus causa statuitur, cur Religiosus fiat, ergo non supponit futuritionis ejus absolutam præscientiam ante decretum, sed ipsum decretum est prima radix absolutæ futuritionis ejus. Credere Deo est actus liber, & tamen Augustinus dicit: *quia electi sunt elegerunt,* scilicet credendo, *non qui à elegerunt electi sunt.* Et clarius: *Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non quia eligunt ut credant, sed qui eliguntur ut credant.* Nam per illud *quia* electi sunt crediderunt, *eliguntur ut credant,* significatur actum fidei sequi, quia, Deus eos elegit, hoc est, decrevit ut credant. Nam ex illo decreto, media per quæ credant, Deo miserante, tribuuntur. Quod ex opposito apertissime patet, quando de Tyriis dicit: *Quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam* C *unde crederent est negatum.* Quomodo non erat eis datum ut crederent, nisi quia efficaci decreto voluntatis dare noluit; ex quo secutum est, ut eis miracula signaque non fierent, quibus si facta fuissent, prævidebantur esse credituri? Denique ipsum velle, effectus est liberæ voluntatis: quod ita Christus in quibusdam hominibus intendit efficaciter, ut etiam Patrem rogaverit, ut fieret antequam futurum esse prævideret. *Quid moliuntur es contra verba dicentis, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua? Au audebit dicere et am rogante Christo ne deficeret fides Petri, defectuam fuisse, si eam Petrus deficere voluisset, hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud Petrus ullo modo vellet quam pro illo Christum rogasset ut vellet.* Quam vera, quam certa, quam efficax illa voluntas Christi fuit, ut Petrus vellet, per quam ita rogavit ut vellet, ut oratio illa effectu suo carere non posset. Nec tamen illam tunc futurum prævidebat, sed illa voluntas & oratio Christi origo fuit ut fieret, & ut causa, qua fieri posset, in Petro poneretur. Quod consequenter ibidem Augustinus expressit: *Nam quis ignorat tunc fuisse perituram*

B

D

Lib. de prædest. sanct. c. 18.

Lib. de Prædest. c. 17.

Lib. de don. pers. c. 24

Lib. de Cor. & gra. 9.

Ibid.

fidem

fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret, & permansuram si eadem voluntas maneret? sed quia præparatur, hoc est efficitur, *voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio.* Nempe qua volebat, & intendebat, & orabat, ut firmiter & stabiliter vellet. Nam hoc ipsum, & nihil aliud efficaciter intendisse rogasseque Christum, consequêter indicat: *Quando rogavit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

Sed ne singulis affectibus hujusmodi percurrendis diutius immorer, hoc sæpius generalioribus verbis, velut rem certissimam tradidit. Vt quando dixit in Enchiridio: *Quis porro tam impiè desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit; quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere.* Vbi etiam absurdum esse putat, *vt infirmis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat.* Et quando de eadem Dei voluntate alibi loquens, atque ipsissimo Philosophorum vocabulo *Intentionis* vtens dicit: *Absit vt impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio. Parum de re tanta cogitant vel ei excogitando non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle,* id est, intendere, *& homine infirmo impediente non posse &c. Deus enim quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Hic perspicue ponit intentionem Dei, nempe *velle convertere* voluntatem, eamque profecto tam efficacem, ut nihil eum impedire possit, juxta id quod alibi luculentius explicando dicit: *Cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas.* Et hæc præcedit absolutam prævisionem inclinationis voluntatis, quia vi istius decreti, sicuti futura est inclinatio, ita etiam ex tunc absolute, non ante futura prævidetur. Similiter idipsum significavit Augustinus quando dixit: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quam certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit & non velit, nihil autem velit & non possit; quamque sit verum quod in psalmo canitur: Deus autem noster in cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Quod vique non est verum, si aliqua voluit & non fecit.* Et hoc etiam de hominum voluntatibus convertendis se intelligere probat, quod sequitur: *Quod utique non est verum si aliqua voluit & non fecit: & quod est indignius ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Itaque subjungit inferius: *Ideo est rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit.* Id ipsum significat aliis multis locis. Vt quando toties dicat in rebus illis humanæ voluntatis inclinationem spectantibus: *Liberat quos vult: quos vult vivificat: An non licet mihi quod volo facere.* Et peculiariter quando dicit esse Deum, qui homines *salvos fieri velit, & ideo faciat, quia omnipotens inaniter velle non potest, quodcunque voluerit.* Et illo in libro de correptione & gratia: *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.* Et illo in eodem libro: *Non est dubitandum voluntati Dei, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipsa quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominū voluntatibus quod eū vult facit.* Hęc enim omnia luculentissime designant, Deum efficaciter quod voluerit in ipsis hominum voluntatibus, seu quem voluerit effectum liberæ voluntatis intendere, etiam antequam absolute futurum præsciat: cum ipsa efficacissimæ voluntatis divinæ intentio sit radix totius futuritionis ejus. Ridiculum est enim, tot encomiis divinæ omnipotentiæ potestatem extollere, si nihil aliud in hominum voluntate & salute intendit ac vult, nisi quod præsciat jam futurum. Sic enim & infirmissimus homo, si tanta polleret præscientia, omnipotenter faceret in cœlis atque in terra quod vellet, nec voluntatem ejus nihil in cœlo ac terra impediret. Nam sic aliquid velle facere, quod jam futurum vides, non est velle ut aliquid fiat, sed approbare quod factum est. Quod si futile & ridiculum est, ridiculum est etiam quod etiam quòd tam perspicuis Augustini testimoniis enervandis quispiam opponere vellet, quod de efficaci Dei voluntate, præsuppositā eventus jam futuri absoluta præscientia, loqueretur. Cum igitur tam sit in Augustini doctrina certum & ratum (contra quàm quidam recentiores putant) Deum effectus plurimos, qui per liberam voluntatem fieri debent, efficaciter intendere antequam absolute futuri esse noscātur, sed ita ut ipsa intentionis ejus efficacia sit primus fons absolutæ futuritionis, nihil mirum, sed principiis Augustini summopere consentaneum, si docuerit Deum etiam salutem hominum lapsorum, hoc est, liberationem à damnatione, seu perpetuam eorum beatitudinem ac gloriam in regno suo efficaciter voluisse, & intendisse, antequam eos merita quibus comparatur, habituros esse præsciverit.

lib. 1. contra Jul. oper. imp. f. 133.

Ench. de Cor. & gratia c. 14.

Enchirid. c. 95.

CAPVT XXIII.

Sexta, ex querelis Massilienſium.

DEnique revera istud Sanctum Augustinum docuisse, ex alia per quam evidenti indicio patet, murmuribus videlicet invectivis, calumniis, quas à semi pelagianis, propter hanc de electione doctrinam, passus est. Longum esset omnia hic recensere, quod alibi satis accurate factum est. Legat illa, cui hæc nosse curæ fuerit. Nam ad oculum videbit, veram originem semipelagiani erroris apud Massilienses nullam aliam fuisse, nisi quod capere non possent, & credere non vellent illam *discretionem* Dei, illud prædestinantis & vocantis *propositum*, quo *secundum quod placuit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati*, omnem humanæ voluntatis præscientiam antecedere. *Removeri enim indu-*

Prosp. in Epist.

striam tollique virtutes si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandã inducit necessitatem & similia. Hinc illa μεμφολυπτία: quod illa discretio esset gentilium fatum, destrueret liberum arbitrium, desperationem & ignaviam afferret; præceptum, correptionem, exhortationem, orationem extingueret: *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit accidere; cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit admittentis* intentio. *Ibid.* De quibus omnibus ex propriis eorum scriptis, vide quæ latissime in libro de dogmatibus Massilienses differvimus, maximè verò caput quintum & sequentia, & in primis decimum octavum; ubi ostenditur fieri non potuisse, ut Augustinus illam discretionẽ & propositum Dei, qua discernuntur salvandi à perituris sic asseruerit, ut præscientiam absolutam cooperationis humanæ supponat, nisi & *Vide lib. 7. de hæresi leg. a c. 50. sq. usq. ad 19.*

A ipse profecto & Massilienses mente capti fuerint. Tanta enim absurditas in utrorumque dictis & scriptis sese, juxta istum sensum, ex omni parte prodit, ut imperitissimi homines de industria delirare voluisse videantur. Et sane, sic etiam à sanctis Prospero & Fulgentio doctrinam Augustini intellectam fuisse, ex quibusdam locis quibus eam expressere, satis perspicuum est. Non enim aliud significat illud, quod Prosper tradit, duplici nomine salvari hominem, ratione videlicet propositi Dei, & proprii meriti: *Cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint non solum secundum propositũ Dei sed etiam secundum sua merita coronentur.* *Prosp. lib. 2. de vocat gent. c. 36.* Nec aliud istud Fulgentij ad Monimum: *Potuit sicut voluit, prædestinare quosdam ad gloriã, quosdam pœnam, sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad iustitiam.*

CAPVT XXIV.

Solvuntur quædam argumenta ab Augustino petita.

OPponunt itaque quædam ex ipso A sancto Augustino, quibus probare nituntur, eum nunquam opinionem hujusmodi tenuisse.

Primus locus est ex quæstione secunda libri primi ad Simplicianum, ubi dicit: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est non quia Deus invenit opera bona in hominibus quæ eliget, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, ut iustificet credentes, ideo invenit opera quæ iam eligat ad Regnum cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi nec recte diceretur:* Quis *accusabit adversus electos Dei?* Hic, inquiunt, apertè electionem illam, unde aliqui dicuntur electi, vult esse ex prævisis meritis, quæ fiunt post justificationem, vel ex ipso justificationis statu. Aliqui respondent, esse duplicem electionem, unam per modum intentionis, aliam per modum executionis. Illa antecedit merita, hæc vero fit ex meritis. Augustinum igitur hic loqui de electione executiva non prout fit in tempore, sed prout iste ordo, qui in tempore observatur, ab æterno in Dei mente disponitur. Responsio fortassis vera est, sed genuina est illa quam supra dedimus: juxta quam verum est, quod hic objicitur, quod Augustinus electionem illam, unde aliqui dicuntur electi, velit esse ex prævisis meritis quæ fiunt post justificationem; & tamen non est contrarium doctrinæ præcedenti. Cujus ratio est, quia, ut alibi fuse declaravimus, quamvis Augustinus dum illam quæstionem scriberet, jam intelligeret illam gratuitam benevolentiam Dei, qua uni præ altero gloriam liberationis à damnatione decernit, ante meritorum præscientiam, non tamen intellexit eam sub nomine vel sub ratione *electionis*. Putabat enim tunc temporis, quamvis aliquis ter meram gratuitam gratiam assumi ad ali- *Ex lib. 1. q. 2. ad simplic.* *Zesius lib. de prædest. & reprob. sect. 2. n. 9.* *Vide sup. hoc lib. c. 6.*

A quid posset, sive ad gloriam sive etiam ad gratiam; illum tamen nequaquam *electum* posse dici, eo quod electio in ipsa essentiæ suæ ratione postularet, eum qui eligitur ab altero qui reijcitur, aliqua conditione vel qualitate distare, ratione cujus alteri præferatur. Nam hoc est, quod illa sibi verba volunt, quæ in eodem loco ex ipso citant adversarij: *Nemo enim eligitur, nisi tam distans ab illo qui reijcitur:* nempe, sive illa electio in tempore fiat, sive Deus eam facere ab æterno decernat, juxta quod adijcit: *Vnde quod dictum est, quia elegit eos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo dictum sit nisi in præscientia,* qua videlicet decreverat eos eligere ad gloriam, quos habituros opera & operibus discrepaturos esse præsciebat. Secundum istam *Electionis* notionem, verissimũ est, neminem ante meritorum præscientiam eligi ad gloriam; nam sic

B etiam nemo eligitur ad gratiam. Sed secundum aliam *electionis* rationem, sicut aliquis gratis eligi potest ad gratiam, ita etiam ad gloriam; non quia invenit aliquid in hominibus quod eligat, sive ab æterno sive in tempore, sed quia hoc ipse facturus est. Nam ut idem ait: *Recte in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat eos elegit.* Vnde utramque electionem gratiæ, sine præscientia meritorum, ponit ibidem, non tantum respectu gratiæ, sed etiam gloriæ: *Nonne Deus*, ut ait Apostolus Jacobus, *elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni.* Sed plura vide superius. *Lib. de prædest. Sanct. c. 17.* *Ibid.* *Supra c. 6. citato.*

Adducuntur & alia nonnulla loca ex Augustino, sed ex iis quæ de hac materia diximus, facile solvi possunt. Vt quod semper prædestinationi adjungat præscientiam. Nam hoc intelligit de præscientia, non operum aut voluntatis humanæ, quæ decretum prædestinationis

nationis aut electionis antecedat, sed quæ ex ipso decreto nascitur, ejus videlicet rei quam ipse prædestinando & eligendo facturus est, ut fusius suo loco explicatum. *Vide sup. c. 7*

Secundo itaque conjecturas aliquas asserunt, quibus ostendant, esse verisimile, quod Augustinus sententiam istam non tradiderit. Quarum prima est, quia nunquam Augustino cum Pelagio aut aliis quæstio de electione ad gloriam ex operibus per gratiam factis fuit, sed de electione seu præparatione gratiæ, & de electione ad gloriam ex operibus naturæ. Vnde ostendens se ab aliis Patribus non dissentire, probat fidem & opera esse dona Dei & non solius liberi arbitrii, itemque doctrinam suam certa fide esse tenendam: *Hoc*, inquit, *scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus nisi errando disputare potuisse.*

Respondetur, verum esse, quod de ista præcise quæstione non fuerit Augustino cum Pelagianis aut alijs controversia; sed ex iis quæ cum istis hostibus gratiæ de ipsa gratia & effectibus ejus disputavit, etiam ista quæstio per se solvitur, & intelligitur. Nam suppositâ vera divinæ gratiæ, quam asseruit Augustinus, intelligentia, controversia ista de electione ad gloriam sese ex ipsa natura rei & qualicumque Philosophiæ cognitione manifestat. Et illa causa est, cur nec Augustinus difficultates de gratia contra Massilienses exhaurire potuit, nisi quæstionem istam sæpe tangendo, nec Massilienses gratiam Augustini repudiare potuerunt, nisi electionem ad gloriam ante prævisa merita fieri, ut ipsi loquuntur, *Constitutionem Dei, quæ humanas præveniat voluntates*, detestando. Quisquis enim talem gratiam astruit, qua sic dominatur Deus voluntati, ut consensum ejus quem intendit, invictè operetur, idque quia voluit istum consentire, non alium, ab initio fidei usque ad vitæ finem, fieri non potest (nisi valde distortis imaginationibus res apertas disturbare delectetur) quin electionem ad gloriam tanquam finem ad quem talis gratiarum potestas & series directè ducit, meriti præscientiam antecedere fateatur. Vnde & ego fateor, non esse fidei, nec tanquam fidei ab Augustino ex professo traditum; sed tanquam quod ex naturæ lumine ex tali gratiæ natura consectaneum est. Quod igitur objiciendo dicitur, Augustini cum Patribus ex eo consensionem probari, quod fides & opera essent dona Dei, & non solius liberi arbitrij, si rectè intelligitur, est verissimum: sed ut Molina, Lessius & similes accipiunt, prorsus falsum est. Ipsi enim putant, se præclarè ostendisse, quod fides & opera sunt dona Dei, & non solius liberi arbitrij, quando tradunt gratiam suam congruã simul cum libero arbitrio in consensum voluntatis influere, sic tamen ut gratia instar habitus sit subiecta voluntati, nec voluntatem ad hic & nunc influendum trahat, sed ad influendum hic & nunc, à voluntate trahatur. Hoc vero, secundum Augustinum, nihil est aliud, quam opera naturæ & merita solius liberi arbitrij prædicare; non quasi non intelligeret, quod in ista opinione, gratia simul ad opus cum voluntate concurrat, (hoc enim ipsemet in Angelis & homine primo factum esse docet) sed quia solius liberi arbitrij est, quod voluntas hic & nunc tali gratia utatur, aut non utatur; sicut solius liberi arbitrij est, quod voluntas quocumque habitu naturali, quibuscumque organis & adjutoriis, speciebus, luce, medio utatur aut non utatur, quantumvis sine habitu, luce, specie, medio, nec velle quippiam, nec intelligere, nec cernere, nec audire posse statuatur; quod alibi latius declaratum est. Qui ergo talem gratiam tenent ac docent, nihil mirum, si quemadmodum consensum voluntatis, ita & gloriæ consecutionem ab humana voluntate suspendunt, & constitutionem Dei de danda gloria, quæ humanam prævenit voluntatem abijciant, atque ægerrime ferant. Hanc enim etiam abjecit Augustinus, quando similiter primis hominibus in innocentiæ statu, & Angelis istud idem gratiæ genus dedit. Sed quando hoc docuit, simul docuit, non esse opera talia, sive hominum, sive Angelorum, specialia dona Dei, sed merita liberi arbitrij; non enim ipsa merita donabat gratia, sed merendi tantummodo facultatem per adjutorium, *non quo* haberetur meritum, sed *sine quo* libera voluntate meritum haberi non posset. Sed ubi consensus voluntatis, & quodlibet meritum est peculiariter donum Dei, quo ipse usus gratiæ donatur, ab initio fidei usque ad ultimum perseverantis voluntatis nutum, nemo sanæ mentis intelliget, hæc à Deo cuiquam dari, nisi intelligat esse præfixum Deo beatitudinis æternæ scopum, quem efficaciter talibus, tam efficacibus, tam infallibilibus gratiis, homini sic adjuto donandum proposuerit. Ex naturâ igitur gratiæ quam prædicabat Augustinus, ordinem electionis ad gratiam aut gloriam, tanquam per se perspicuum, colligendum supponebat, & aliud agens sæpius indicabat. Quod cum intelligerent, tanquam rem perspicuam certamque Massilienses, doctrinam ejus à nobis traditam, iisdem prorsus quibus recentiores argumentis vellicando, infamare studuerunt. Nihil enim aliud & nunc adversus istam doctrinam intonant, nisi quod fatum, fatalesque necessitates asseramus, liberum arbitrium evertamus, sollicitudinem, laborem, & zelum animarum auferamus, correptionem, exhortationem, orationem extinguatibus, Deum non omnium salutem velle statuamus, denique desperationem fidelibus asseramus. *Incredibile enim consolationis esse putant*, quod omnia ex humanæ voluntatis, libero flexu gratiam arripiente, aut respuente religari credantur. O consolatio superborum in se confidentium! qui tanquam ad angustias mortis horrent, quando audiunt totum omnino quod boni sumus, & erimus pendere ex benigna erga nos voluntate Dei. *Hoc est enim dicere*, quemadmodum adversus similes

omnino cogitationes clamavit olim Augustinus, *tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo did cerit ponere.* Cujusmodi oblocutiones, cum tam solidè ab Augustino & Prospero solutæ & rejectæ sint, mirum est, cur recentiores nunc censura districtiore & inspectione sagaciore se reperisse putent, quod antea securus favor, & benignitas incuriosa non viderat; & non potius timeant, ne quorum arma fracta & protrita collegerunt, eorum erroribus parrocinari videantur. Quæ quidem sic produci & solvi ex Prospero & Augustino potuissent, sed quoniam aliud opus meditamur, παρεμβολὰ inscriptum, ubi sententiæ Massilienſium & recentiorum sibi ex adverso conferuntur, ut exacte cognosci possit in quo discrepent & conveniant, nolim hic eis commemorandis immorari; præsertim cum ex duobus postremis libris Augustini ad Prosperum & Hilarium, & ex Apologiis Prosperi, sine operoso studio pleraque haberi queant, & à recentioribus quoque nonnullis, qui jam explicatam sententiam Augustini, saltem ex aliqua parte, ab eorum impugnationibus vendicant, dissolvantur. Nunc de causa prædestinationis seu discretionis unius ab alio pauca addenda sunt.

Lib. de dono perſ. c. 17.

CAPVT XXV.

De causa prædestinationis ex parte Angelorum, & hominum, eaque diversa. Cur huic non illi detur gratia, quæstio inscrutabilis, origo errorum quibus ejus scrutatores lapsi sunt. Quædam de operibus moraliter bonis, & faciente quod in se est.

CVM de causa prædestinationis quæritur, non est sermo de causa respectu actus illius, prout est ipsa essentia Dei; notum est enim illum nullum habere causam. Sensus est ergo, an habeat causam, cur ad hunc potius, quam ad illum determinetur; causam, inquam, ex parte hominis prædestinati, quæ moraliter & objective moveat Deum, ut uni non alteri Deus velit omnes prædestinationis effectus, gloriam inquam cum omnibus mediis, quibus eam Deus adipiscendam esse decernit; sive primum effectum, ex quo tanquam cardine aut initio cætera ad perseverantiam & gloriam usque dependent. Vt proinde quæstio ista huc fere redeat, & sic disputari soleat: an detur aliqua moralis causa ex parte hominis meritoria, impetratoria, satisfactoria, dispositiva &c. cur ei primus effectus prædestinationis ejus seu liberationis ex massa damnationis conferatur.

Multos errores & hallucinationes peperit quæstionis istius obscuritas, tam apud exteros Catholicæ Ecclesiæ hæreticos, quam domesticos. Omnes enim qui liberum arbitrium in homine esse crediderunt (exceptis tamen quibusdam scholasticis) naturali lumine viderunt, esse rationi & æquitati consentaneum, ut creatura rationalis ex arbitrio suo, quod ei in utramque partem datum esset, referret aut bonum aut malum, prout eo laudabiliter, aut culpabiliter uteretur: neque satis consentaneum videri, ut unam Deus peculiaribus auxiliis potentissime ad beatitudinem perduceret, alteram ita auxiliis distitueret, ut exitium non posset evadere. Ex hoc ergo principio in varios errores itum est. Cum enim animadverterent, tantam divinæ beneficentiæ erga quosdam abundantiam, & adversus alios tantam judicij severitatem, quorum causam inuenire non poterant, & in conditorem innoxiæ naturæ referre metuebant; merita alterius vitæ commenti sunt, ex quibus tanquam per liberi arbitrij flexum partis, tanta diversitas nasceretur. Origenis iste error fuit, ab Apostolo refutatus ad Romanos, exemplo geminorum Iacob & Esau, & ab Ecclesia condemnatus. Alii merita vitæ præteritæ suffocata cernentes, merita præsentis vitæ protulerunt ex quibus gratia Dei, etiam prima, totaque prædestinationis catena suspenderetur. Pelagiani isti sunt, qui vel universam iustitiam legis liberi arbitrii viribus se custodire posse crediderunt; vel si qua eis gratia esset opus, ad facilius tantum operandum esset necessaria; & hanc ipsam ex meritis sui liberi arbitrii, multoque magis gloriam, dari. Alii merita etiam sub conditione prævisa si viverent, vel si Deus tale vel tale quid erga eos faceret, causam dicebant esse, cur quibusdam gratia, baptismus, Evangelii prædicatio, vel simile quid conferretur, quod à semipelagianis factum loco suo annotavimus.

Sed alius error istorum celebrius innotuit, quod quia operum merita tanquam gratiæ & prædestinationis essent causa, sciebant esse damnata, affectus quosdam fidei, & bonæ voluntatis, & orationis, rationem dicebant esse cur Deus eis liberationis gratiam largiretur. Omnes isti prædestinationem universam per hujusmodi merita, sive absoluta sive sub conditione prævisa, ad suum arbitrium revocarunt, semper illam naturalem intuentes æquitatem, juxta quam natura creaturæ rationalis institui poscebat, & instituta est, ut bonum & malum ab ejus libero penderet arbitrio. Iuxta quam regulam scriptura dixit: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui &c. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod*

Eccles. 15.

quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.

Cum igitur istos omnes naturalis luminis sectatores & æquitatis trutinatores, scripturarum auctoritate compressisset Ecclesia, domestici timidiores & cautiores effecti, merita de condigno abhorrere cœperunt, & eorum loco substituerunt opera quædam naturalia moraliter bona, quæ essent dispositiones quædam, sive propinquæ, sive remotæ ad accipiendam primam gratiam, & consequenter quasi per concatenationem omnes prædestinationis effectus. Alii vitantes dispositionis cujuslibet vocabulum, mitius dixerunt, Deum facienti quod in se est per naturæ vires, gratiam daturum esse, qua posset bene vivere & salvus fieri. Quarum opinionum duarum, quas Catholici condiderunt, nulla etiam alia ratio fuit, nisi quia naturali lumini inhærentes, discretionis initium ab arbitrio proprio, non ab aliena voluntate, petendum esse censuerunt. Omnes enim isti, quamvis alii crassius, alii subtilius qualcumque scalas excogitare conati sunt, per quas primo ejus gradu, ad liberi arbitrii potestatem, quacunque ratione revocato, per ipsos, a natura in gratiam pertingerent, dum id collocant in humana potestate, a qua gratiæ donatio vel negatio pendere decernitur. Ita totius discretionis, ac eoque felicitatis & infelicitatis fons liberum arbitrium constituitur; quamvis alii meritum de condigno, alii de congruo, alii etiam rationem dispositionis, ne palam in fidem impingant, abhorrere videantur.

Quod si vero isti omnes attentius considerare voluissent, aut potuissent, non esse jam liberum arbitrium in eo statu in quo, quando condebatur ab auctore suo, institutum fuit, non ita difficulter se, Deo iuvante, ab istis hallucinationibus liberare potuissent. Nam quamvis æquissimum sit, æquum esse, ut creaturæ rationalis felicitas & infelicitas, bonum ac malum ab ipsius proprio arbitrio suspendatur, & *ante eum* posita *vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei detur illi*: postquam jam tamen in manu consilii sui positus, alterutrius partis electionem semel fecit, non est æquum, ut in istam iterum boni ac mali indifferentiam revocetur sed, potius, ut istius electionis bonitatem aut malitiam, præmium aut supplicium consequatur. Nam hoc est ipsissimum illud, quod scriptura tangit, dum dicit, *quod placuerit ei dabitur illi*, vita scilicet, aut *mors, bonum* aut *malum*; quibus nihil aliud significatur, quam præmium aut pœna istius electionis, quam manus consilii in quo homo ab initio constitutus est, propria sua libertate fecit. Est autem proprium præmium electionis bonæ & malæ, ut arbitrium in eo quod sibi delegit utrumque firmetur, atque hoc ei stabiliter diligendum detur, quod sibi diligendum eligendumque judicavit. Quod ex utraque parte, sive in bonum sive in malum reipsa ita in Angelis bonis, dæmonibus atque hominibus factum est, & hoc ipsum Augustinus suculentissime tradit; nam quantum ad electionem boni dicit: *Quod arbitrium tunc*, in statu innocentiæ, *ita liberum erat, ut bene velle posset & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato.* Hoc est, quando ita firmatum erit in bono quod elegit, ut non possit amplius ad malum eligendum declinare: *Quæ futura erat & homini sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti.* Et paulo inferius: *Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima prima præmium, erit multo major, non posse peccare.* Quantum vero ad electionem mali, non minus asseveranter dicit: *Per arbitrii libertatem factum*, hoc est, per liberam electionem ab illa indifferenti voluntate profectam, *ut esset homo cum peccato: sed iam potius ultione iustissima subsecuta, ex libertate facta necessitate.* Et rursus: *Qua peccavit voluntas, secuta infelicem miseram habendi duram necessitatem.* Ita recte primus ipsius ordinis æquitatem diligenter & probans: *Illa est enim peccati pœna justissima ut amittat quisque quæ habere noluit, cum sine ulla necessitate posset habere, si vellet. Id est durius, ut qui sciens vitæ non fecit, amittat scire quid rectum sit, & qui velle facere cum posset noluit, amittat posse cum velit.* Ex qua sane justitiæ norma Angelorum arbitrio datum est ut præmium, *non posse peccare*, hoc est, *non posse in rectum velle*, hominum vero arbitrium eo supplicio punitum est, ut non possit velle nisi malum. Nam & in eo propria ista est malæ voluntatis eorum obduratio.

Quæ cum ita sint, quisquis causam prædestinationis creaturæ rationalis ad beatitudinem ejus quærere suscepisset, ante omnia intuendum ei fuerat, cujus esset status libertas, de cujus prædestinatione quærebatur. Si enim libertas ei stabat illibata, quemadmodum ex officina conditoris prodiit, profecto nihil æquius erat, quam ut ipsa se discerneret, hoc est, ut voluntas quæ sic per gratiam constituta erat, ut nihil ei omnino concupiscentialiter resisteret, sed ex mirabili quodam æquilibrio & indifferentia, solo nutu in utramvis partem flexibilis bene velle posset & male, semetipsam in alterutram partem impelleret ac determinaret, eligendo. Deo simul concurrente non determinante, bonum vel malum. In tali ergo creatura, quæ beatitudinem suam adipiscitur, non est obscurum aut difficile, causam ex parte creaturæ, prædestinationis ejus quærere. Nam causa est libera electio & perseverantia, hoc est, meritum liberi arbitrii, quamvis non sine adjutorio Dei obtentum, quo sese ipsa ab alias malum per similem libertatis flexum eligendo, discernit. Nam quicquid illum liberratus nutum antecedit, natura corporis & animæ, libera voluntas, charitas qua sanctificati sunt, adjutorium sine quo velle & perseverare non poterant, communia sunt eligentibus bonum ac malum, neque sunt effectus, sed præambula prædestinationis: neque per illa quisquam

Lib. de Corr. & grat. 11.

Cap. 12.

Lib. de perf. c. 4.

Lib. 3. de lib. arb. c. 8.

quam ab altero discernebatur, sed illis omnibus iam suppositis, tanquam per quæ omnes in agone ponebantur, discretio unius ab alio, ab aliqua superveniente differentia exspectabatur. Quæ prima omnium differentia non fuit alia, quam quod unus istis omnibus (& naturâ, & gratia, & adiutorio suppositis) sua libertate uti voluit, alter noluit. Nam quemadmodũ in rebus naturalibus est clarissimum discretionem videntis à non vidente, bene moraliter operantis à non operante, non ab oculis, lumine, medio, non ab habitu moralis virtutis aut similibus (quæ utriq; communia esse supponuntur) sed à solo arbitrii nutu petendam esse, quamvis sine oculis, luce, medio, videre non possit, nec sine habitu virtuose non velit, vel velle non posse statuatur, ita discretio duarum voluntatum, quæ per gratiam sanctificatæ sunt, & quasi coram Agonetheta in agone collocatæ, non ab habitu gratiæ non ab adiutorio Dei (quod utriq; præsto, & in utriusque arbitrio relictum est) sed à solo nutu libertatis, quamvis non sine concursu adjutorii aut gratiæ, peti debet. Quæ de relatius aliis diversis locis diximus. Hæc ergo causa est, cur talis creatura prædestinatur. Non enim isto casu meritum eligentis bonum sed præmium duntaxat; sicut econtrario, non peccatum eligentis malum, sed supplicium prædestinatur, quamvis neutrum sine potentia & concursu Dei fieri possit.

Vide lib. de statu primi hominis & lib. 2. de gratia Christi Saluat.

Hoc igitur, quemadmodum dixi, primum intuendum erat utrum libertas eius de cuius prædestinatione quæritur, illibata sit, an ab illa primæva & fœlici institutione dimota. Si enim iam bene agendo, vel peccando in proprium suum præmium subiecta, vel in supplicium præcipitata est, ut accepta sententia vel male an. ius, vel bene velle non possit, æquitati & rationi prorsus dissentaneum est, discretionem iterum respectu boni ac mali, ab utriusvis flexili libertate petere. Iam enim ex hypothesi, discretio illa semel in eis facta est, & illa flexili indifferentia pereunte, facta est stabilis necessitas boni aut mali: nec primævum æquilibrium recuperare potest, nisi per novam iudicis voluntatem, sententia utrimque retractetur, ut & illis auferatur præmium suum, hoc est, beatis Angelis beatitudo sua, & damnatis dæmonibus atque hominibus supplicium suum, quod utrorumque inhærens stabiliter voluntati, per seipsos sibi auferre non possunt.

Secundum istam igitur Theologiam, quæ totius doctrinæ Sancti Augustini de divina gratia & prædestinatione fundamentum est, iam facile patet, quid de morali causa prædestinationis arbitrandum sit. Nam si de Angelis est sermo, causa prædestinationis ipsorum, sicut & reprobationis, est meritum propriæ libertatis, quia *Angeli sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium per liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua cũ certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Nam Angeli sancti non ad meritum sed tantummodo ad præmium prædestinati sunt, prædestinatione non gratiæ, sed meritorum: non quasi sine, gratia, sive habitualis, sive actualis adiutorio, sibi meritum peperissent, sed quia gratia neque habitualis, neque actualis, causa fuit, ut unus potius, quam alterius arbitrium staret, aut caderet, sed liber uniuscuiusque & spontaneus nutus; quamvis non fieret ille sine gratiæ tam habitualis & actualis, quam etiam sine naturæ, adiutorio. Sin vero de hominibus ista quæstio instituitur, certissimum est, non posse amplius causam prædestinationis moralem à liberæ voluntatis arbitrio peti: *Vicia enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.* Hoc est, illa libertas flexibilis ad volendum bonum & malum periit, & iusta damnationis sententia liberum arbitrium in malo quod elegit obduruit, nec potest iterum per se ipsum sine gratia Saluatoris retorqueri in bonum. Quod quemadmodum de dæmonibus verissimum est, ita etiam de hominibus non dubitat Catholica fides, prout ab Augustino tradita & explicata est. Vnde Prosper audet ac dicit:

Lib. de per fect. iust. c. 4.

Carm. de ingrat. c. 30

Nec iam captivus oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniam etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub vulnere norit.

Ex quo fit, ut inter homines & dæmones illa differentia sit sibi reliquantur, sicut dæmones sibi relicti sunt, ut gratia ad homines in hac vita adhuc pertingere possit, ad dæmones nullo pacto, sed sine illa neutri possint facere aut eligere bonum iuxta illud eiusdem Prosperi: *Hoc inter malos homines distat & dæmones quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum seruata conversio.* Hunc igitur læsæ libertatis statum quisquis penetraverit, videt prorsus impossibile esse, ut inde ullum prædestinationis meritum, sive de condigno, sive de congruo, sive dispositio, sive vlla omnino moralis ratio alicuius boni (quocunque appelletur nomine) peti possit. Cuius ratio est quia tota libertas ad bonum, secluſa gratia (quæ in quærenda radice prædestinationis ex parte hominis, seponi debet) funditus periit, nec relicta est, nisi illa sola libertas moralis, quæ urget ad malum. Quod usque adeo iuxta Sancti Augustini doctrinam, verum est, ut nec unum quidem opus moraliter bonum, sed tantummodo malum (quod peccatum proprie dictum & pœna dignum dicimus) ab illa fracta libertate propriis viribus fieri possit. Quod hic non probamus, sed supponimus, quia loco suo, cum de statu liberi arbitrii post peccatum tractaremus, innumeris Augustini testimoniis diversisque principiis eius confirmavimus.

Prosp. ad ob iect. 6. Vincent.

Lib. de Cor. & gratia 11.

Vide lib. 3. & 4. fere totũ de itata natura lapsa.

Ex quo profecto evidẽter sequitur, purissimã gratiam esse quod arbitrium ex illo statu erigatur, non solum ad faciendum, sed etiam ad volendum, per singulos actus, bonum. Non enim placuit Deo liberum arbitrium ad illum indiffe-

indifferentiæ statum restituere, in quo ante peccatum fuit : Hoc enim si fieret, eodem modo sicut antea semet ipsum, quamvis non sine Dei adjutorio, sua se libertate discerneret. Sed ita restituitur, ut quoddam libertatis principium iustificatis detur ; propter tamen medullitus inhærentem voluntati rerum terrenarum quarumbilet libidinem, Deus in eo per singulos actus operari debeat velle & perficere, pro bona voluntate: Quamvis præsenti instituto satis sit, primum bonæ voluntatis motū ita in captivo arbitrio fieri oportere, vt nisi Deus in eo operetur ac donet velle, velle non possit. Hoc ergo quia pura & puta gratia est, impossibile est quicquā in homine moralis operis reperiri, quod Deum ad eam largiendam invitet ac trahat. Hanc gratiæ altitudinem quisquis penetrat, omnes huiusmodi cogitationes, de meritis, siue præsentibus, siue futuris, siue absolutis, siue conditionatis, siue de condigno, siue de congrue, omnes de dispositione ac gratism, de operibus moraliter bonis precedentibus, de faciente quod in se est, cui detur gratia ; velut incerta, vel inania mentis humanæ machinamenta, procul abiicit; quibus nihil aliud agitur, quam ut discretionis radix unius ab alio non ex puro beneplacito miserentis ac distribuentis cui vult ac spirantis ubi vult, & unicuique dantis sicut vult, & quando vult, & quantum vult; sed ex qualicumque humanæ libertatis motitatione, licet mortuā religetur. Quid enim fecerit ille, qui quod in se facit, ad obtinendam gratiam, qui aliud citra gratiam qua caret nisi peccare, non potest? Nec enim arbitror, eo fatuitatis quisquam venerit, ut peccata prædestinationis causam esse deliret. Hunc ergo fontem errorum, quibus prædestinatio ac discretio hominum diversis ex causis diversimodè suspensa fuit, non rarò sanctus Augustinus indicavit : ut quando contra Pelagianos dicit : *Ignorantes altitudinem gratiæ fabulas improbabiles texuerunt* : Et in Enchiridio ad Laurentium tractans Apostoli verba quibus dicit Iacob dilexi, Esau autem odio habui, sic subjungit : *Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permouere eos, qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, quid ergo dicemus*, ait, *Numquid iniquitas est apud Deum?* Et in Epistola ad Honoratum : *Habet enim* gratia *aduersarios, qui eius profunditate turbati, non Deo tribuere sed potius sibi volunt arrogare quod boni sunt. Necesse est quos facile contemnas, sed continenter viventes, atque in bonis operibus laudabiles.* Itaque profunditas gratuitæ gratiæ causa est, cur tot opinionibus veteres & recentiores, tam hæretici quam Catholici distracti fuerint, vt radicem detergerent ex qua nasceretur, ut unus ab alio, prædestinatione & eius effectu, gratiā discernatur. Non enim intelligendo penetrare potuerunt, hoc ipso quo bonus quicumque voluntatis motus, siue moralis, sive veræ pietatis appelletur, ex gratuita gratia datur, eum ex puro dari divinæ bonitatis beneplacito, & proinde illi cujus voluerit ex sua liberrima & sapientissima bonitate misereri. Itaque profunditas distributionis gratuitæ gratiæ, seu cardo distributionis ejus, quod Deus tribuit cui vult, nobis inscrutabilis est; hoc excepto, quod in damnato genere, ex perdito, ut Augustinus loquitur, ante gratiam liberæ voluntatis arbitrio, non posset amplius peti. Quam profundi istius inscrutabilitatem jam olim Apostolus declaravit, quando de hac gratuitæ misericordiæ altitudine exclamans dixit : *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius!* Et alio in loco, eos qui molestè ferebant, id quod dixerat : *Non esse volentis neque currentis sed miserentis Dei*, itemque quod Deus, *cuius vult miseretur & quem vult indurat*, his verbis retundit, quibus ad suæ capacitatis modulum revocantur : *O homo tu quis es qui respondes Deo*. Quamobrem Apostolum imitatus Augustinus, sæpe profundum istud, cur hic, non ille à damnationis massa discernatur, prædestinetur, gratiam accipiat, scrutari vetat : *Eorum hoc*, inquit, *non nobis sed illius misericordiæ tribuentes, cuius profunda iudicia omnem scrutatorem fugiant*. Et in Epistola ad Sixtum : *Cur autem illum potius quam illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest iudicorum eius tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium*. Et in libro de spiritu & litera : *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet : cur illi ita suadeatur ut persuadeatur ; illi autem non ita, duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placet : O altitudo diuitiarum : Et : numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inueniat præsumptores.* Qui videlicet ferre non possunt, ut exclusis quibuslibet meritis & operibus, humiliter ex solo Deo peccatrix creatura pendeat, tanquam ex cujus solius occultissimæ misericordiæ nutu, electio & prædestinatio ad gratiam revincta sit. Itaque profunditatem discretionis humanæ, etiam per lignum crucis, cujus pars terræ infixa tegebatur, designatam esse sæpius docet : *Illud ex ligno quod fixum occultatur, profunditatem significat gratuitæ gratiæ : in quo multorum ingenia conteruntur ad vestigari conantia, ut ad extremum eis dicatur, ô homo tu quis es qui respondeas Deo.* Et in sermone septimo de verbis Apostoli præclarissime : *Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, hoc est profundum crucis. De profundo nescio quo iudiciorum Dei, quæ perscrutari contemplarique non possumus procedit omne quod possumus. De profunditate, inquam nescio quæ iudiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus procedit omne quod possumus. Quod possum video, unde possim, non video : nisi quia & hoc hactenus video, quod noui esse à Deo. Quare autem illum & non illum : multum à me abyssus est; profundum crucis est*, admiratione exclamate

Rom. 11.

Ibid.

Epist. 120. ad Honorat. c. 36.

Epist. 105.

Lib. de spir. & lit. c. 34.

Epist. 120. ad Honorat. c. 36.

Serm. 7. de verbis Apost

Lib. 1. de peccat. merit. c. 22.

In Enchirid c. 98.

Epist. 120. c. 37.

clamare possum. Quam salubriter hæc audiſſent, qui ingenia ſua tam pertinaciter conteſunt, ut rationem inveniant per opera moralia, per facere quod in ſe eſt, & hujuſmodi humana cogitata, quare illum & non illum aſſumit Deus, quam Auguſtinus inſcrutabilem profunditatem eſſe definit. Vnde ſubjungit adhuc luculentius, ut ſaltem intelligant iſti ſcrutatores, vel profundum eſſe quod quærunt: *Quid poſſum exclamare de iſta profunditate? quam magnificata ſunt opera tua Domine! Gentes illuminantur, Iudæi excæcantur, quidam parvuli ſacramento baptiſmatis abluuntur, quidam vero parvuli in morte primi hominis relinquuntur. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ! Et ſequitur: Vir imprudens non cognoſcit & ſtultus non intelligit hæc. Quid non intelligit ſtultus & imprudens? Quia vel profundum eſt. Nam ſi ſtultus non intelligit, & ſapiens intelligit, non eſt nimis profundum. Sed ſi ſapiens intelligit, quia profundum eſt, ſtultus non intelligit quia vel profundum eſt. Ideo multi de iſto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt.* Quod utrum non ij quoque fecerunt, qui rationem datæ gratiæ, opera moraliter bona quæ nulla ſunt, diſpoſitiones neſcio quas, & conatus hominum quantum in ipſis eſt, eſſe volunt, & utrum non in fabulas vanitatis abeant, ipſi ſpero conſiderare dignabuntur.

Ibid.

Quid enim certe vanius, quam opera moraliter bona, vel conatus quibus homines faciunt quod in ſe eſt, rationem exiſtimare, cur illis ſtabili lege detur gratia, cum non ſolum ſine gratia, nulli tales conatus boni ſint, at omnes mali; ſed etiam ex æqualiter bonis aut malis, unus aſſumatur, alter relinquatur, imo ex inæqualiter malis, peſſimus convertatur ad Deum, optimus repellatur? Quod & experientia quotidiana certaque veriſſimum eſſe conſtat, & ab Auguſtino plurimis aſſertum locis. Nam de paribus utriuſque meritis malis ſic loquitur in libro de dono perſeverantiæ, tam de majoribus quam de parvulis: *Inveſtigabilis eſt ergo miſericordia, qua cuius vult miſeretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inveſtigabilis, quâ quem vult obdurat eius quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cuius miſeretur plerumque communibus.* Quod cum in parvulis declaraſſet: *Hoc*, inquit, *& in majoribus fieri nequaquam cunctemur, ſive pares qui liberantur atque puniuntur ſive diſpares habeant cauſas malas.* Et in Epiſtola ad Vitalem: *Quomodo in hac re merita penſantur voluntatis humanæ quandoquidem illis quibus gratia iſta non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate diſtantibus, ſed ſimilem cum eis quibus datur habentibus cauſam iuſto plerumque iudicio Dei non datur? Non enim eſt iniquitas apud Deum ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur quando iuſtè utique non daretur, quoniam ſimilem habentibus cauſam, iuſtè non datur.* Et libro primo de peccatorum meritis & remiſſione ad Marcellinum: *Valde ergo parvum ſenſum habemus ad diſcutiendam iuſtitiam iudiciorum Dei, ad diſcutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus, non iniquam, quæ non tam movet cum præſtatur indignis, quam cum æque indignis aliis denegatur.*

Lib. de dono perſ. c. 11.

Epiſt. 107.

Lib. x. de pec. cat. merit. c. 21.

De habentibus vero impares cauſas, ſive malas, ſive moraliter bonas, quorum deteriori detur gratia, meliori vero ſubtrahatur, multo manifeſtius: *Vnde enim fit ut homo ab ineunti pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, & ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit tibi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit: quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitijs ac facinoribus coopertus, ita gubernetur ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur aut ſi defenſus hic fuerit laudabiliter vivat?* Haud ſcio, utrum ullum exemplum adduci poſſit ab iis auctoribus, qui facientibus quod in ſe eſt, gratiam dari putant, iſto præſenti luculentius, in quo, citra fidem Chriſti, tantus moralis bonitatis fulgor luceat. Et hæc tamen tanquam ad gratiæ collationem proſſus inutilis & importuna præteritur, & moralium penitus expers meritorum, imo flagitiis & facinoribus coopertus aſſumitur. Quod non minus perſpicue ad Simplicianum docet: *Certe tam occulta eſt hæc electio* (ad gratiam ſalutarem) *ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit aut ſi apparet quibuſdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, ſi placet, honeſtas utileſque doctrinas. Quiſquis ergo fuerit, quam minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis poteſt) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc ſtatuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, ut eum intuens & pudore correptus ego irrideam multos, & pro quibuſdam peccatoribus caſtiores, & pro quibuſdam piſcatoribus oratores.* Quod & exemplis hæreticorum, & Catholicorum, & hiſtrionum, & meretricum verum eſſe declarat. Ecce Auguſtinus inſcrutabilem ſibi quæſtionem illam eſſe teſtatur, ſe nihil invenire ante gratiam, niſi ingenium, doctrinas, & minora peccata; ſe pudore ſuffundi dum iſta ratione diverſitatis eſſe cogitat, cur unus eligatur ad gratiam, alter relinquatur, quia experientia hoc falſum eſſe deprehenditur. Vt hinc recentiores videant, quam procul ab Auguſtini modeſtia & opinione diſcedant, qui opera, neſcio quæ, bona præter minora peccata, in infidelibus & paganis fingût, & quod deterius & audacius illa ipſa rationem eſſe volunt, cur talia habentibus opera

Lib. 1. q. 2. ad ſimplic. in fine.

Deus

Deus gratiam largiatur.

Etenim, si verum dici liquido debet, quid hujusmodi moralium trutinatores operum aliud faciunt, cùm eis, ubi reperta fuerint, alligant gratiam Dei, quam quod non solum Augustinum deceptum, sed Apostolum ipsum fallacem aut falsum esse declarant? Nam si talis aliqua datæ gratiæ, vel negatæ ratio assignari potest, profectò falsum est, inscrutabilem esse quæstionem, imo verum est, nullam esse quæstionem, cur huic, non illi gratia tribuatur. Est enim in aperto, diversitatem illam ex meritorum, vel dispositionum, vel operum quorumcumque moralium, vel operantium quod in se est, vel voluntatum humanarum diversitate, proficisci. Non autem sic Apostolus, sed exclamat: *O homo tu quis es qui respondeas Deo? O altitudo divitiarum!* Et Augustinus: *Quam altitudinem non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans, ô altitudo divitiarum &c.* Et in libris de peccatorum meritis: *Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, inusta non potest &c. Judicia enim tua abyssus multa. Cujus abyssi altitudinem veluti expavescens exclamat Apostolus: O altitudo divitiarum &c.* Et inferius: *Cujus profunditatis velut horrore percussus, ô altitudo inquit divitiarum.* Quod sexcenties in scriptis suis adversus Pelagianos inculcat.

Epist. 105. initio.

Lib. 1. de pecat. mer. & rem. c. 21.

Quæ sane consideratione, cum Pelagiani merita quædam futura se invenisse crederent, cur Deus Iacob dilexisse & Esau odio habuisse diceretur, aperte profitetur, si tale quid inveniri potest, nullam jam esse quæstionem, quæ tanquam implexa esset & mirabilis dissolvi mereretur: *Qua in re si futura opera vel bona hujus vel mala illius quæ Deus utique præsciebat vellet intelligi &c. nullam quam solvi opus esset facere quæstionem.* Et in opere imperfecto contra Iulianum: *Nam si inscrutabilis quæstionis hujus ista esset solutio, quam tu sapis, secundum merita voluntatum, manifesta esset ut nulla ejus difficultate compelleretur Apostolus dicere: O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Nam quæcumque tandem ratio discretionis alicujus proferri potest, sive ex parte meritorum, sive quorumcumque operum, sive cujuscumque conatus quo faciat suis viribus quod in se fuerit, sive voluntatis, jam soluta est ista quæstio, jam judicia Dei in isto mysterio non sunt inscrutabilia, nec investigabiles viæ ejus: Vnde & Petrus Diaconus ad Fulgentium, cum à quibusdam Deus humanam voluntatem expectare diceretur, ut volentibus daretur gratia: *Hæc*, inquit, *si ita sunt, ut haret ei istud, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur ulterius, & quantum ad ipsos fallit scriptura divina, quæ incomprehensibilia Dei testatur judicia.* Et generaliter Prosper de bona qualicumque voluntate: *Profunditas illius quæstionis quam secundum*

Enchirid. c. 98.

Lib. 1. oper. imperf. contra Iul. f. 179.

Petrus Diac. lib. de incar. & gratia ad Fulgent. c. 7.

A *dum admirationem Apostoli inscrutabilem constituitur, per liberi arbitrii vel e & nolle non solvitur*, cujus causa est illa quam ex Augustino latissime suo loco declaravimus, & a sancto Prospero ibidem datur: *Quia etsi insit homini bonum velle, non tamen habet nisi donatum.* Quasi dicat, quia hoc ipsum velle jam provenit ex discernente hominem Deo. Impossibile est enim damnatam peccato voluntatem à peccato erigere & flectere in bonum, seu ab omni creaturæ dilectione retorquere in solum Deum, nisi divinitus per gratiam inspiretur. Quod donec factum fuerit, nullum ex homine orietur faciente quicquid in se fuerit, aut opus aut conatus, aut voluntas sive supernaturaliter, sive moraliter bona, sed sola, quæ Augustinus paulò ante infideli voluntati tribuebat, *mimora peccata.* Quibus electionem ad gratiam salutarem asscribere tam absurdum ei videbatur,

B ut à Deo se *ridendum & pudore corrigendum* esse fateretur. Nihil ergo salubrius istiusmodi divinorum judiciorum scrutatoribus, qui quodlibet ex se præmittere volunt unde gratia religetur; nihil Christiano Doctore damnati generis indignitatem, & gratiæ gratuitæ profunditatem credente vel penetrante dignius, quam ut præclarum sanctissimi & modestissimi Præsulis monitum non surdis auribus prætereat: *Sed quare istos homines faciat & istos non faciat, apud quem non est acceptio personarum?* Ipsa est quæstio quam Beatus Apostolus curiosius, quam capacius proponenibus ait: *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti?* Ipsa est quæstio quæ ad illam pertinet altitudinem quam perspicere volens idem Apostolus quodammodo expavit & exclamavit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus &c.* Et paulò post: *Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem &c.* Itemque: *Gratæ sit ergo nobis ejus gratuita miseratio, etiamsi hæc profunda insoluta sit quæstio.*

Prosp. lib. 1. de vocat. gent. c. ult.

Ibid.

Li. 1. q. 1. ad Simplic.

Li. 1. ad Bonif. c. 2.

Nam ipsa gratuitæ gratiæ natura & profunditas postulat, ut non sit ex hominibus quibus datur, sed ex ipso dantis beneplacito petenda ratio diffusionis aut subtractionis ejus, qui de suis bonis quæ indignis damnatisque distribuit creaturis, id facit quod vult, & earum nemini per hoc injuriam facit. Quod identidem notavit Augustinus adversus eos qui se hujusmodi inscrutabilis quæstionis indagatione macerantes, quidlibet ex parte creaturæ præmittere nituntur, ex quo gratia gratuitæ liberationis, ad hunc

D præ illo derivetur: similes profecto illis murmuratoribus Euangelicis, qui de simili patrisfamilias liberalitate & inæqualitate conquesti sunt. Sed quid dicit eis divinum responsum? *Amice non facio tibi injuriam. Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Vnde & Augustinus hujusmodi curiosius scrutatoribus: *Quid di-*

Matth. 20.

Homil. 17. n. 4. *cutus es Deo dicenti, hoc volo? Ergo Domine ille qui tanta fecit, tanta mala in sanctos tuos facere capiebat, tali cum misericordia dignum existimat? Hoc volo. An oculus tuus nequam quia ego bonus sum?* Et in alio loco explicans uberius quam sit illa recta & iusta responsio, cum quærerent Massilienses, qui eadem ista quæstione turbati

Lib. de dono perf. c. 8 *sunt: Cur in eadem causa tam diversum iudicium? Respondet eis: Nonne similis quæstio, cur in diversa causa idem iudicium? Revolamus igitur illos operarios in vinea &c. Numquid & hic audierunt murmuramet a patre familias, nisi HOC VOLO? Ita quippe eius erga alios iust largitas, ut erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem utrique in bonis sunt: veruntamen quantum ad iusti tiam spectat & gratiam, potest & de reo qui liberatur recte dici VOLO: potest & de eo qui damnatur: Tolle quod tuum est & vade. Huic autem volo, quod non debuit donare. An non licet mihi facere quod volo?*

CAPVT XXVI.

Numerus prædestinatorum quo pacto certus, præscientia, an præfinitione, tam respectu Angelorum, quam hominum. Aliqui supra numerum.

QVapropter ut rem de causa prædestinationis breviter absolvamus, ista est inter prædestinationem sive electionem innocentium Angelorum, & lapsorum hominum differentia: quod Angeli quia sua voluntate, quamvis non sine gratia, steterunt, non ad meritum beatitudinis, sed ad præmium ipsam beatitudinem prædestinati sunt, hi vero non minus ad meritum, quam ad præmium. Ex quo fit ut illi ex meritis, non ex gratia; si ex pura gratuita gratia, non ex meritis electi sint. Illorum proinde prædestinationis causa sit propriæ voluntatis electio, horum solum misericordia prædestinantis Dei. Quæ videtur etiam esse ratio, ut in universis Augustini scriptis, nisi fallor, nusquam habeatur Angelos fuisse prædestinatos à Deo. Nam quamvis aliquo sensu hoc verum esse posset, quia saltem ex meritis ad gloriam prædestinati sunt, plus tamen indicatur quando aliquis absolutè prædestinatus dicitur. Nam quia Dei prædestitio, tanquam efficax decretum operandi, rei prædestinatæ causa est, nemo absolute prædestinatus dicitur, nisi quem sua voluntate Deus ad creaturæ rationalis terminum, æternam fœlicitatem eius, perducendum suscipit, viamque simul ac terminum, meritum scilicet & præmium, in ea, vi suæ prædestinationis operatur. Quod sane in Angelis, ut explicuimus, non habuit locum. Nam illa quoque ratio est, cur dæmones, quamvis propria locutione, Deus eos ad æternam damnationem prædestinaverit, utpote quam non alium quempiam, sed se in eis propter merita facturum esse præscivit, non dicantur à Deo prædestinati, quia non viam in eis sed terminum tantum damnationis operatus est. Hinc sit igitur, ut Angeli, sive beati, sive damnati potius præsciti, quam prædestinati esse censeantur, quia meritum quod fœlicitatis & infœlicitatis moralis causa est, eos propria voluntate habituros, non sua se efficaci voluntate & prædestinatione in eis operaturum esse præscivit. Sed in hominibus ex damnato genere salvandis, propter causam sæpe repetitam, aliter accidit.

Propter hanc igitur prædestinationis Angelorum stantium, & lapsorum hominum differentiam, fieri videtur, quod Augustinus, quando de totius creaturæ rationalis prædestinatione loquitur, prout Angelis atque hominibus communis est, nusquam asserat, quod sciã, omnes illos qui in cœlesti civitate utrisque constante collocandi sunt, à Deo prædestinatos esse, quamvis aliquo sensu, saltem prædestinatione seu electione meritorum, verum esse possit, ut supra diximus; sed circumspectissime aliquoties dicat, *Numerum Sanctorum* prædestinatum esse, qui ex Angelis & hominibus impleri debet. Multum enim differunt, numerum sanctorum, & singulas personas sanctorum seu singulos sanctos prædestinatos esse. Nam numerus definitus ex Dei sapientissima voluntate esse potest, qui nec minui nec augeri possit, etsi singuli sancti quibus implendus est, in illum numerum non efficaci Dei, sed propria voluntate, quamvis non sine gratia, transferantur, atque inde propria similiter voluntate excidant. Sic enim personarum certitudo erit ex præscientia Dei, quâ quis eas suam perseverantiam mirturas esse videt, numerus ipse ex prædestinatione.

Videlib. 14 de Civit. c. 1. & 26. & lib. 9. de grat. c. 3. & c. quæ supra citantur.

Quapropter si secundum sancti Augustini mentem, de re ista sentire ac loqui volumus, prædestinatio creaturarum rationalium videtur esse peracta in hunc modum. Cum Deus cœlestem quandam civitatem cõdere decrevisset ex creaturis rationalibus, quæ ipsum tanquam regem atque artificem suum per totam æternitatem amaret & coleret, certum civium numerum qui scopo eius congrueret, ex infinita sua sapientia definivit. *Novit quippe*, ut Augustinus ait, *quid agat & quantus numerus esse debeat primitus omnium hominum, deinde sanctorum sicut siderum, sicut Angelorum, atque ut de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatilium, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum, capillorumi nostrorum.* Hunc ergo cœlestis civitatis numerum ita præfixit, ut si qui ex illis caderent quos ad sedes prædestinatas condere, & in via velut agone constituere decreverat, alii vel conderentur, vel ex ipso damnato genere suscitarentur qui lapsorum implerent locum. Nam duplicem istum suppletionis modum Augustinus diversis in locis tetigit: Primum quidem in libris de

Epist. 106.

libero

libero arbitrio, ubi de Angelis loquitur: *Non enim vel bonitas eius quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret, ad creandos alios quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alij deseruissent.* Alterum in libris de Civitate Dei: *Non defuit utique consilium quo certum numerum civium in sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret.* Vtrum igitur utrumque modum servaverit Deus, ut videlicet ad supplenda tantum loca cadentium Angelorum condiderit genus humanum (quo simul, haud secus atque Angelis, prolapso, ex eodem damnato genere mundum refarserit) vel tantum posteriorem, ita videlicet ut homines perinde atque Angelos per se ad prædestinati numeri implectionem ordinaverit, ruinasque tam Angelorum quam hominum, ex damnato humano genere refarserit, non ita perspicuè ex Augustino cerni potest. Nam utrique opinioni loca fortassis quædam favent, quamvis posterior magis ejus sententiæ consentaneus esse videatur.

Itaque cum Angeli plurimi à perseverantia deficiendo cecidissent, restabat hominum genus, ex quo non solum lapsorum ruinæ, sed etiam quicquid deerat implendo præstituto divinitus numero, supplendum erat. Quam ob causam tam diu fuissent homines in paradiso generando multiplicati, si omnes in collocata sibi sanctitate stetissent, donec numerus ille cœlestis civitatis impleretur, ut illo impleto ad immortalem vitam, æternamque beatitudinem transferrentur. Nam in libris de Genesi ad litteram tradit, tam diu homines in paradiso immortaliter victuros fuisse, *Donec certo numero impleto, si iuste omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio &c.* Et in libro primo retractationum: *Ac per hoc & in parentibus, & in filijs secunditas, fœlicitasque mansisset, usque ad certum sanctorum numerum quem prædestinavit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi.* Atque hoc ipsum etiam in aliis locis tradit.

Ex quo colligendum relinquitur, tantum tunc hominum numerum nasciturum fuisse, si omnes ipsi in sanctitate perstitissent, quantus nunc post peccatum prædestinatorum hominum ex hominibus lapsis congregabitur. Et è contrario, tantum nunc hominum numerum ex lapsorum progenie ad æternam beatitudinem colligi, quantus tunc ex innocentibus, si omnes in innocentia perseverassent, fuisset natus. Quod quemadmodum ex ejus principiis tanquam consectaneum nos colligimus, ita & suis verbis Augustinus expressit: *Illud potius*, inquit, *est credendum quod sanctorum numerus, quod complendæ illi sufficit beatissimæ civitati tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.* Nam si vel illo iste, vel isto ille fuisset major, aut minor, necessario numerus sanctorum civium in Dei sapientia prædestinatus, videtur fuisse contrahendus aut ampliandus.

Hoc interim in Augustini doctrina dubitatione prorsus caret, quod Angelorum ruinæ, hoc est, sedes illæ quibus assequendis Angeli, qui prolapsi sunt, creati fuerant, per homines essent in utrolibet statu reparandæ, ut ita suppleta Angelorum societate, quæ cadentium lapsu minuta erat, numerus ille sanctorum prædestinatus, nulla Angelorum defectione turbaretur: *Placuit universitatis creatori atque moderatori, ut creaturæ rationalis, quæ in hominibus erat quoniam peccatis atque supplicijs & originalibus & propijs tota perierat, ex eius parte reparata quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.* In Enchirid. c. 29. Et uberius clariusque paulò post: *Et utique noverunt sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter quod & Apostolus, instaurari omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est ex hominibus redditur.* Ibid. c. 61. Sed utrum ille numerus qui vel ex hominibus innocentibus tunc fuisset colligendus, vel ex peccatoribus nunc colligitur, æquet precise numerum Angelorum qui superbia ceciderunt, an vero etiam superet, statuere perdifficile est; quod & Angelorum cadentium, & hominum ad beatitudinem resurgentium numerus humanæ ignorantiæ sit incertus. Quam incertitudinem & Augustinus non uno loco profitetur. Nam in libris de Civitate Dei dicit: *De mortali progenie merito iusteque damnata tantum populum per gratiam suam colligit ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum; ac sic illa dilecta & superna veritas non fraudetur suorum numero civium* QUIN ETIAM FORTASSIS ET UBERIORE LÆTETUR. Lib. 22. de civit. c. 1. Et in Enchiridio jam citato, cum ruinas illas angelicas, seu Angelorum societatem ruentium defectione mutilatam, ex hominibus instaurandam esse statuisset, adjicit: *Itaque superna illa Hierusalem mater nostra civitas Dei, nullæ civium suorum* (ex lapsu Angelorum) *numerositate fraudabitur, sed* UBERIORE ETIAM COPIA FORTASSE REGNABIT. Enchirid. c. 29. Vbi quod utroque loco dubitantis animi voce (fortassis) utitur, duplex videtur esse causa. Vna quia nobis incertum est, quantus sit numerus universorum civium cœlestis Ierusalem, itemque quantus Angelorum cadentium aut hominum resurgentium, ut ex eorum collatione certi aliquid decernere possemus. Quid si enim numerus cœlestium civium tantus à Deo prædestinatus sit, ut etiam angelica suppleta societate, magnus occupandarum sedium numerus vacet? Quam suæ dubitationis causam Augustinus ibidem indicat. *Neque enim,* Ibid. inquit,

Lib. 3. de lib. arb. c. 22.
Lib. 14. de civit. c. 26.
Lib. 9. de gen. ad lit. c. 3.
Lib. 1. retract. c. 13.
Lib. 14. de Civit. c. 10.
Lib. 14. de civit. c. 23.

inquit, *numerum aut sanctorum hominum aut immundorum dæmonum novimus in quorum locum succedentes filij sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terra, in ea pace de qua illi ceciderunt sine ullo temporis termino permanebant. Sed illorum civium numerus sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est eius artificis qui in mensura, numero & pondere cuncta disponit.* Altera fortassis etiam fuit, quia si præcisus ille numerus hominum, sive innocentium, sive lapsorum ad beatitudinem pertingeret, quantus cadentium Angelorum fuit, videretur profecto genus humanum tantum per accidens esse conditum, & quasi intrusum universo, ut Angelorum societati, per quorundam superbiam diminutæ, sua constaret integritas. Quid si enim non nisi decem aut viginti angeli à perseverandi stabilitate defeciissent, an idcirco non nisi decem aut viginti homines in paradiso perseverantes nati fuissent, aut post peccatum totidem tantummodo per Christi mortem reparandi? Quid si omnes Angeli in veritate stetissent, an propterea genus humanum in isto corporali cœli terræque complexu, neque condendum fuisse arbitrabimur, ut tanta rerum corporalium, tam ordinata universitas, nullius creaturæ rationalis usibus serviens, inutilis permaneret, vel ne quidem instituenda fuisse credatur? Quod si merito absurdum videri potest, hinc existimo sanctum Augustinum significare voluisse, cœlestem civitatem non esse fraudatam numero suo, sed uberiore fortassis copia, quam si omnes perstitissent angeli, lataturam; nempe quia fortassis ab initio ante constitutionem mundi tantus beandorum civium numerus prædestinatus est, ut non tantum præcise angelorum ruina restaurada, sed præter eos qui lapsorum Angelorum suppleant locum, plurimi prædestinatis à Deo sedibus invehendi sint.

Cum igitur propter creaturas rationales, quæ tanquam cæteris omnibus præstantiores, immediate sub Deo collocatæ & ipsius ineffabili contemplatione beanda sunt, tota cœli terræque machina sit condita, & sæculorum transvolantium cursus ad suum terminum properet, ab istius beatissimi numeri impletione, tota temporalis ejus administratio regulam sumit; ut prout paucitas aut multitudo liberandorum beandorumque postulaverit, tardius aut celerius terminetur. Quod tam liquido verum est, ut si subito tota humani generis jam viventis multitudo, castitatis veræque pietatis cultu recte viveret, & hujsmodi repentina conversione prædestinatus ille civium sanctorum numerus impleretur, confestim hujus mundi impenderet occasus: Vnde quibusdam conquerendo dicentibus quomodo? *Quomodo subsistet genus humanum si omnes sueverint continentes?* Respondet Augustinus: *Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus sæculi differretur.* Et in alio libro de bono conjugali, similibus respondet querimoniis: *Vtinam omnes hoc vellent* (ab omni concubitu abstinere) *duntaxat in charitate de corde puro & conscientia bona & fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur & accelleraretur terminus sæculi.* Quapropter sæculi huc usque retardati ratio, juxta sanctissimi Præsulis principia, non est alia quam ut cives illi qui ad implendum prædestinatum numerum cœlo asscripti sunt, & adhuc peregrinantur in sæculo, dilationis istius beneficio colligantur: *Iudex noster non tædio sed amore differt salutem nostram, ratione non inopia, non quia non potest & modo subvenire, sed ut numerus omnium nostrum usque in finem posit impleri.*

Lib de bono viduitatis c. 23

Lib de bono coniugalibus c. 10.

In Psal. 54.

Sed numerus iste secundarius qui ex humano lapsorum genere colligitur, ut Angelorum ruinas, illumque primarium numerum cœlesti civitati præstitutum impleat, non tantum secundum numerum & formaliter, sed etiam secundum personas & materialiter prædestinatus ac certus est, non tantum ex præscientia per quam & alter angelorum stantium atque cadentium certus fuit, sed etiam ex immutabili decreto prædestinantis Dei. Non enim nunc promiscue, sicut olim velle atque perseverare, libero cujusque arbitrio constitutum, sed ipsa voluntas eorum liberanda, ipsum velle & perseverare peculiari & gratuita donatione singulis largiendum. Ex quo efficitur, ut quamvis ad implendum primarium illum numerum, toti cœlesti civitati divina præfinitione præfixum, satis esset ut numerus duntaxat eorum ex quibus conflabitur istud supplementum, prædestinaretur à Deo; propter istius ruinæ tamen magnitudinem qua libertas arbitrii ad surgendum ac standum attenuata & infirmata est, necesse est, ut etiam singulæ personæ ex illa ruina suscitandæ, divini operis beneficentia liberentur, & per hoc divina prædestinatione seligantur. Vtrumque sæpissime sanctus Augustinus docet, de numeri materialis seu de personarum prædestinatione, libri duo postremi ad Prosperum & Hilarium exarati pleni sunt. Nam quod toties dicit, Deum præscivisse quibus dona sua daturus esset, non aliud probat, quam eos ipsos esse prædestinatos secundum regulam ex qua Augustinus ipse concludit: *Prædestinatos à Deo esse quos liberat & coronat.* Numeri vero formalis prædestinatio, quamvis ex personarum omnium prædestinatione consequatur, per se tamen ipsa crebris testimoniis astrui potest: *Quorum* (qui videlicet prædestinati sunt in regnum Dei) *ita certus est numerus ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Et inferius: *Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducetur.* Et iterum:

Lib. de don. pers. c. 17. & 21.

Ibid. c. 17.

Lib de cor. & grat. c. 13

Ibid.

Hi

Ibid. *Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum &* A *felicissimum numerum pro meritis iustissime iudicantur.* Et in Epistola ad Paulinum: *Certus est ergo Dei præscientiæ definitus numerus & multitudo sanctorum, quibus diligentibus* DEUM *omnia cooperantur in bonum.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Deus autem melius esse iudicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum* &c. Et in libris de baptismo contra Donatistas: *Omnis pulchritudo filiæ regis intrinsecus, in quibus (iustis) est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem.*

Epist. 106. Lib. de dono perse. c. 8. Lib. 1. de bapt. c. contra Donatist. c. 27.

Cujus doctrinæ principiis consentaneè docet ulterius Augustinus, quicquid sive justorum sive injustorum hominum, extra illum beatissimum ac prædestinatum numerum in Ecclesia congregatum est, esse *super numerum*, quos etiam *supernumerarios* appellare solet. Nam in eodem loco adjicit: *Illa vero multitudo spinarum sive apertis sive occultis separationibus forinsecus adjacet super numerum.* Quem certum prædestinatorum numerum, in tractatibus in Ioannem, significatum docet illis centum quinquaginta tribus piscibus, qui post resurrectionem ejus capti sunt: *Sic* post resurrectionem videlicet, *non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus, centum quinquaginta tres.* Et in sermonibus ad populum: *Miserunt, ceperunt; certus est numerus, nemo est ibi super numerum. Modo autem quanti super numerum accedunt ad altare, qui in populo Dei videntur, & in libro vitæ non scribuntur. Ibi ergo certus est numerus.* Et in alio sermone citat scripturas unde illius doctrinæ occasionem sumpsit: *In congregatione christiana, quantum pertinet, ad participationem & communionem sacramentorum multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus; alij super numerum. Numerus est de quibus dicit Apostolus: novit Dominus qui sunt eius. Super numerum autem: quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia &c. Numerus ergo vasa in honorem, super numerum vasa in contumeliam.*

Ibid. Tract. 122. in Ioan. Serm. 248. de tempore. c. 2. Serm. 252. de Temp. c. 1

Hæc igitur doctrina diui Augustini constantissima, qua numerum salvandorum certum & immutabilem esse tradidit, non tantum ex præscientia perseveraturæ sub gratia voluntatis, sed etiam ex prædestinatione Dei Massilienſium presbyterorum superbia ferre non potuit, quibus molestissimum fuit, eum ex divina definitione tam immobiliter præ-

destinatum esse, ut neque augeri, nec minui posset, nec quisquam in eum exclusus irrepere: *Nec acquiescunt*, inquit Prosper ad Augustinum, *prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant: ac superflua sit industria & laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit.* Et similiter Hilarius eorum proponens querimonias: *Si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Et inferius: *Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum reyciendorumque esse definitum numerum velint.* Quarum verba querelarum perspicue manifestant, quo pacto sanctus Augustinus certitudinem istius numeri intellexerit, nempe non ex præscientia duntaxat, sed ut loquuntur, ex definitione & prædestinatione Dei. Nam numeri certitudinem ex sola præscientia diffiteri aut ignorare non poterant, utpote quam ipsi maxime circa futura tam conditionata quam absoluta prædicabant. Vnde prosper de ipsis profitetur, quod *propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.* Item quod *ob hoc Deum alios vasa honoris, alios contumelia facere fatebantur, quia finem uniuscujusque prævidérit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset, voluntate præscierit.* Illam igitur numeri certitudinem libenter agnoscebant respectu salvandorum hominum, quam circa stantes & beandos angelos Deus habuit, quorum numerum vel personas non prædestinavit ipse, ut in gratiæ adjutorio & sanctitate perseverarent, sed eos, *sub ipso gratiæ adiutorio in qua futuri essent voluntate præscivit.* Enim vero quid stultius, hominibus Dei prædestinationem juxta præscientiam prædicantibus, quam ut certitudinem inde resultantem, industriæ ac laboribus & exhortationibus repugnare putent, cum illa numeri certitudo ex exhortationibus, laboribus & industria præsuppositis prævisaque nascatur? Itaque valde mirum est, recentiores adversus istius numeri definiti ac prædestinati certitudinem, hoc est, adversus apertissimam sancti Augustini doctrinam, tanto studio adversus hæreticos inculcatam, priscas querimonias tanta animositate refricare, ut omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis plane tolli clament.

B

C

Prosp. ad Aug. Hilar. in ep. ad Aug. Prosp. in Epist. ad Aug. Vide Lasf. de prædest. & reprob. l. 5. c. 14.

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE
GRATIA CHRISTI SALVATORIS
LIBER DECIMVS.
Qui est de reprobatione hominum & Angelorum.

CAPVT PRIMVM.

Quis ordo reprobationis quorumdam Angelorum negativæ & positivæ, ante, an post prævisa merita.

EX iis quæ de prædestinatione angelorum & hominum diximus, non est difficile de nonnullis quæstionibus, quæ de reprobatione creaturarum rationalium magitantur, maximè de causa ejus, certi aliquid, juxta S. Augustini sententiam, statuere. Nam ut ab Angelis & primis hominibus in statu innocentiæ constitutis inchoemus,

Quemadmodum Deus neminem angelorum (& idem est in omnibus judicium, de hominibus innocentibus) prædestinavit ad gloriam efficacem, ante prævisionem operum, & perseverantiæ in charitate, ita quoque neminem reprobavit, nisi postquam eum à justitia defecturum esse prascivit. Habuit igitur Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est. Non enim solum ipsis liberum arbitrium, sed etiam bonam voluntatem, hoc est, charitatem dedit, & addidit adjutorium per quod in suscepta charitate perseverare possent, & sine quo perseverare non possent; ita tamen ut perseverare & non perseverare in eorum libero relinqueretur arbitrio. *Tale quippe erat*, ut Augustinus ait, *adjutorium quod quilibet eorum deseruit cum vellet, & in quo permaneret si vellet non quo fieret ut vellet.* Ex quo fiebat, ut instar Agonothetæ, qui omnibus indifferenter præmium proponit, & vires & media consequendi tribuit, quorum usum libero relinquit arbitrio, ut unicuique tandem rependat juxta meritum suum; ita Deus seriam haberet erga omnes quos condiderat, beatitudinis impartiendæ, quantum in se est, voluntatem; ita videlicet, ut licet ab ea neminem se lucebat, si etiam nemini peculiariter & efficaciter vellet, nisi postquam voluntatis inclinationem utriusque præsciebat. Sic ergo positus quicunque angelus perfectissime in manu consilii sui, statum, & casum, permansionem cum Deo, & defectionem à Deo, gloriam, ac damnationem, prædestinationem, & reprobationem suam in sua habebat positam potestate. Nihil enim, efficaciter angelicas præveniendo voluntates, non solum de dando præmio aut pœna, sed nec de favendo uni præ altero, in stadio Deus utrimque constituerat; sed erant omnia liberrima & potentissima, non tamen sine Dei gratia & adjutorio relicto voluntati; ut non sit opus multis, de signis divinæ voluntatis erga prædestinatos & reprobatos hic satagere. Nam erga omnes æquaiter ante prævisa merita sese habuit: neminem ad præmium & pœnam efficaciter, neminem ad meritum vel demeritum prædestinavit aut reprobavit, omnibus æternam vitam simplici affectu voluit, ex quo omnibus gratiam & adjutorium sufficientissimum dedit:

A

B

Lib. de Corr. & grat. 11.

dedit: sed postquam quarundam voluntatum inclinationes in malum & consensiones vidit, ex illa & post illam præscientiam decreti reprobationis ad damnationem sanxit.

Et istum quidem reprobationis eorum fuisse ordinem, ex Angelorum prædestinatione superius tractata, & maxime ex natura adjutorii angelici & primorum hominum, satis intelligitur. Nullum quippe fuit respectu Angelorum, aut hominum innocentum, efficax auxilium, quo in eis operaretur velle, sed omne auxilium sufficiens tantùm, cum quo de facto angeli permanere voluerunt & permanserunt. Non enim efficax idcirco dicitur, quia reipsa cum voluntate in effectum influit, sed quia operatur ut velit, ut faciat, ut perseveret. Cum ergo nullum esset hujusmodi adjutorium, sed omne qualecunque tandem esset, in libero voluntatis nutu relinqueretur, nulla etiam in Deo fuit voluntas efficax, qua uni Angelo præ altero salutem efficaciter voluit, antequam eum perseverare præsciisset. Nulla proinde consequenter voluntas in Deo fuit reprobandi quemquam, ante prævisum cujusque finem, sive de reprobatione positiva, sive de negativa loqui velis. De positiva, res aperta, quia peccatū præcessisse supponit, cui pœna rependenda decernitur. De negativa, non minus evidenter patet. Nam negativa reprobatio, non est aliud, nisi prædestinationis privatio. Jam vero ante prævisionem perseverantiæ, nullus Angelorum sive ad gloriam, sive ad perseverantiæ meritum prædestinatus fuit: ergo nec negative reprobatus, nisi omnes Angelos ante peccati & meriti prævisionem negative reprobatos dici velis, quod nemo sanus dixerit. Nam talis negativa reprobatio, seu non prædestinatio, si quem locum ibi habuisse dici debeat, in illo signo respectu omnium pariter locum habuit.

Vnde nec permissio primi peccati cadentium Angelorum, reprobationis negativæ effectus esse potuit, ubi nulla talis reprobatio fuit, sed illa fluxit ex alia generaliori circa creaturam rationalem providentia, quam S. Augustinus detexit, quando dicit; quod Deus prius voluit ostendere, *quid posset eorum liberum arbitrium*, deinde quid suæ gratiæ bonum, justitiæque judicium. Hic ergo reprobationis Angelorum ordo & ratio, juxta D. Augustinum fuit. Quo etiam cum hominibus primis ante peccatū actum fuisse, & cum tota posteritate agendum consequenter sentiendum est. Vniversum quippe humanum genus ex peccati futuri prævisione, perinde prorsus ac dæmones, fuisset tam negative quam positive reprobatum, nisi divini judicii severitatem misericordia indebita temperasset.

Lib. de corr. & gra. c. 10

CAPVT SECVNDVM.

Quis ordo reprobationis lapsorum hominum.

Postquam igitur primi homines ab illa mirabili libertate & potestate lapsi sunt, justissimamque damnationem, sub corporis & animi gravissimis suppliciis, in hoc mundo, & æternam in altero meruerunt, illa Dei æquabilitas erga omnes & singulos, quam ante diximus, non amplius locum habuit; quamvis id nonnulli recentiores, nimis enoriter ab Augustino & veritate aberrantes, persuadere moliuntur. Ex quo consecutum est, ut aliam quoque prædestinandi rationem cum illis sibi Deus ineundam esse judicaverit, quemadmodum hoc tractatu fusè diximus; quæ quisquis intellexerit, non difficile perspicit, quid de reprobatione hominum lapsorum arbitrandum sit. Vt igitur profundissimi Doctoris mens liquidius perspiciatur, memoria repetendum est, id quod de electorum æterna prædestinatione & temporali adjutorio quod ad ejus executionem datur, tam hoc libro, quam cum de gratia voluntatis, libro secundo tractaremus, & alibi sæpè diximus. Multis enim asseruimus, electionem earum non solum ad merita liberationis à damnatione, sed etiam ad ipsam liberationem seu gloriam esse factam, ante præscientiam ullius meriti, sive operis, sive voluntatis bonæ, & adjutorium, quo fit executio, jam esse tale, ut per hoc Deus in eis velle, & operari, surgere & stare, meritum & perseverantiam, vitam & mortem in eis sua charitate operetur; nec ullum præterea nunc dari medicinale Christi quasi potentiale adjutorium, quod sufficiens dicunt, cum quo, tanquam in libera sua voluntate constituto, possit surgere, aut stare, aut operari, aut perseverare si velit.

Hæc igitur S. Augustini principia quisquis percepit, jam facile videt

Primo, non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos salvos fieri, ex qua voluntate, non solum generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adjutoria, omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim talia sufficientia adjutoria non dantur omnibus, imo nulla omnino post lapsum sunt, ita nec voluntas illa generalis ex qua promanare dicuntur. Quæ quidem causa vera est, cur S. Augustinus in scriptis suis universis talem voluntatem, qua Deus velit omnes omnino salvos fieri nunquam ab initio conversionis usque ad vitæ terminum agnoverit, sed semper constanter impugnaverit, illumque Apostoli locum, Deus *vult omnes homines salvos fieri*, quo Recentiores id expressum volunt, de efficaci voluntate, quam circa prædestinatos habet, semper explicuerit: eosque insignis *absurditatis* & ineptiæ re-

vid. dicta lib. 3.

De grat. Christi salvat.

c. 20. & 21.

argûerit, qui Deum circa omnes prorsus, etiam illos qui pereunt, talem voluntatem habuisse sentirent. Qua de re, cùm latè alibi dissertum sit, non est hic iterum dicendi locus. Nam inde utcunque intelligetur, talem voluntatem generalem, fuisse Massilienſium basim, ex qua ipsi media omnibus hominibus sufficientia largiti sunt & consequentissime, nullam prædestinationem electorum, nisi in præuisione futurorum, fabricarunt.

Secundo videt, hominum liberandorum prædestinationē, siue ad gratiam, siue ad gloriam, mere gratuitam esse debuisse, atque ita omnem prævisionem operis aut voluntatis antecedere. Nam & ipsa opera & voluntas bona, quæ quis prævisa esse vellet, per adjutorium efficax, non solum sine quo velle non posset, sed quod ipsum velle tribuit, & liberaliter donandum, & proinde prædestinandum est.

Tertio videt, hoc ipso quo Deus non omnes, sed certos tantùm & peculiariter selectos ex perditione seu damnatione quam incurrerant, liberandos esse decrevit, & illis solis *beneficia liberationis* danda præparavit, jam cæteros exclusos esse, & negativè reprobatos. Hoc enim nihil est aliud, quam eos hoc ipso non esse prædestinatos, ut per talia liberationis beneficia à damnatione liberētur.

Videt quartò, hoc ipso quoque reliquos qui sic ab illo numero liberandorum beatissimo secluſi sunt & negativè reprobati, etiam positivè reprobatos dici posse. Non enim sic præteriti sunt à Deo, ut quodammodo manserit voluntas ejus de ipsorum salute vel perditione suspensa; sed sic ut fuerit voluntas fixa, eos relinquendi in isto statu, ex quo cæteros liberare statuebat. Ille autem citra dubium perditionis ac damnationis est status. Unde Augustinus: *Non sunt ab illa conspersione discreti quam constat esse damnatam.* Et in alio loco, cùm definitionem prædestinationis sanctorum dixisset esse præparationem beneficiorum Dei, *quibus certissimè liberantur*, scilicet à perditione, *quicumque liberantur*, statim adjicit: *Ceteri autem, ubi, nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur?* Hoc ipso igitur quo relinquuntur in statu damnationis, positivè quoque reprobati sunt, quia Deus non solum eos non vult liberare, sed etiam positivè vult in damnatione relinquere, quia *ira Dei manet super eos*, ex qua præter ipsius eos nemo liberare potest. Quod si verò statueremus, ut multi recentiores faciunt, prædestinationem hominū gratuitā ad meritum & præmium, ante prævisionem ullius operis ex puro Dei beneplacito factam esse, antequam massa hominum peccato infecta præsciatur, jam facilè esset intelligere, quo pacto quibusdam electis ad gratiam & gloriam, cæteri tantùm negativè, in hoc signo rationis, nondum positivè reprobati dicerentur. Nihil enim adhuc tum in isto signo rationis prævidisse ponitur Deus, quod positivam reprobationem, seu decretum damnationis inferendę provocasse censeatur. Porro ista positiva reprobatio non sic intelligenda est, quasi Deus hoc ipso quo quosdam liberandos ad æternam vitam eligit, cæteros positivè ad pœnas omnes sensus quas in inferno reipsa pro peccatis omnibus passuri sunt, reprobando damnaverit. Hoc enim decretum, sine dubio, posterius est & omnium futurorum peccatorū, ipsiusque mortis in peccatis presupponit præscientiam; sed ita potius, ut hoc ipso cæteros præteritos positivè voluerit excludere dumtaxat ab æterna vita, quæ est in regno suo: seu, quod idem est, positivè noluerit eos à toto statu perditionis in quo eos jacere videt, hoc est, finaliter à perditione liberare. Quod sanè non est aliud, quam velle damnare, quatenus exclusio à vita æterna & regno Dei, gravissima creaturæ rationalis est damnatio.

Tandem verò, quia peccatum istud non solum exclusionem à Dei regno meruit, sed alias etiam sensibiles & intelligibiles pœnas, neque omnes, quos à regno suo reprobaverit, cum isto solo damnatæ originis peccato ex hac vita discessuros videt, cum eos in peccatis morituros esse præviderit, decretoria damnationis totali sententia æternis supplitiis addicuntur.

Lib. de corr. & grā c. 7.

Lib. de dono perſeu. c. 14.

CAPVT TERTIVM.

Causa reprobationis, secundum considerationem absolutam, est massa damnationis sive peccatum originale, & quo sensu.

EX isto reprobationis hominum lapsorum ordine, non est etiam operosum quæstionem de causa reprobationis & ejus effectibus definire. Et causa quidem, ut apertius constare possit, tollenda est primum ambiguitas, quid nomine reprobationis intelligatur. Distinguunt igitur plerique recentiores reprobationem, ut jam retigimus, in *negativam* & *positivam*. Negativa est eis, pura omissio prædestinationis gratuitæ. Positiva in actu positivo sita est quo Deus aliquem tanquam indignum prædestinatione à regno cælorum excludit. De utriusque verò causa loqui possumus vel absolutè, cur aliqui reprobentur, vel comparativè, cur hic præ illo cuius par causa est, reprobetur. Itaque primo modo de reprobatione sequendo, qui putant homines & Angelos quosdam gratuitæ Dei voluntate ad regnum Dei efficaces in gratiam prædestinatos esse, & cæteros prætermissos ante omnem meritorum prævisionem justitiam, nullam istius reprobationis negativæ, seu non prædestinationis causam ex parte hominis esse dicunt, sed solam liberam voluntatem

tatem Dei, qui distribuat bona sua sicut vult. Positivæ vero reprobationis causam dicunt esse, prævisum peccatum, quo creatura indicatur indigna & regno & gratia Dei. Sed iuxta doctrinam S. Augustini facile ex iis quæ diximus animadvertitur, nullam respectu Angelorum aut hominum negativam reprobationem esse fabricandam. Nam si statum in quo utrique conditi sunt, respicias, neutri ante prævisa merita prædestinati, neutri negativè reprobati; nisi hoc ipso etiam beatos Angelos negative reprobatos, hoc est, non prædestinatos dicere velis, quæ non est mens eorum qui negativam reprobationem in medium protulere: si vero statum reprobationis ex quo liberandum est genus humanum (unde proprie hominum prædestinatio & reprobatio incipit) jam hoc ipso, ut diximus, quo quis à Deo, alios liberandos prædestinante, præteritur, etiam velut indignus reiicitur, & proinde positive reprobatur. Vnde in S. Augustini doctrina, etsi recte dici possit, aliquos non esse prædestinatos, nullus tamen istius negativæ reprobationis est usus; quia semper ei, in omni signo divinæ rationis, positiva conjuncta est, propter conditionem obiecti seu personæ, super quam utralibet cadit. Secundum hoc igitur non est obscurum, quid de causa reprobationis positiva dicendum sit. Nam si de illa loquamur, qua Deus in eo signo, quo aliquos à perditione liberandos elegit, cæteros tanquam indignos liberatione, vult in perditione relinquere, & ab æterna vita excludere; vera reprobationis istius causa est, peccatum originale, quo periisse & damnationem istiusmodi meruisse prævidentur. Quod conveniētissime in Augustini principia quadrare, vel inde patet, quia ex mente ipsius, Angelorum & hominum in innocentiæ statu, prorsus eadem fuisset prædestinationis & reprobationis ratio; ita videlicet, ut unusquisque ex prævisione meriti ac demeriti fuisset prædestinatus ac reprobatus, quemadmodum reipsa in Angelis factum est. Quapropter si Deus universum genus humanum in illa primæ prævaricationis iniquitate relinquere, & propter illam damnare statuisset, nulla amplius de quorumlibet reprobatione quæstio esset reliqua. Nam perspicuum esset, omnes ex illa prima quæ omniū fuit prævaricatione, velut vera causa fuisse reprobatos, ubi nulla alia causa fuit. Cum igitur Deus quosdam tantum ex illo genere, in illa primæ iniquitatis damnatione relinquere, altissimo iustissimoque judicio suo constituerit, profecto sic se cum istis relictis gerit, ac si neminem inde liberare voluisset, & proinde ipsos ibi relictos ex illa primæ originalis iniquitatis culpa reprobavit. Nam quod Scholastici plerique putant, Deum post hominum lapsum habere adhuc voluntatem salvandi omnes omnino, nemine excepto, & ex illa volūtate omnibus etiam reprobis sufficientem non solum redemptionem sed etiam gratiam præparasse, ab Augustini doctrina prorsus dissentaneū est. Quod si vero loquamur de illa positiva reprobatione quā prævisō vitæ fine & peccatorum omnium multitudine, suppliciis æternis eos Deus cruciandos esse constituit, istius causa formaliter sunt peccata omnia cum quibus & in quorum reatu morituri sunt radicaliter, etjam originale peccatum. Nam ex illius suppliciis concupiscentia, & cæcitate, ac desertione Dei (qua, ut Augustinus loquitur, *dimittuntur libero arbitrio ac desideriis suis, & traduntur in desideria cordis eorum*) quicquid peccatorum à reprobato perpetratum est accessu liberæ voluntatis, fluxit; quod alio in loco ex Augustino multis demonstrauimus, ut proinde tota illa suppliciorum concatenatio usq; ad ultimam damnationem in ignem æternū, radicaliter & mediate in peccati originalis meritū referendū videatur. Immediatè tamen prima pœnarū istarum promeretur secundā, & ita deinceps, donec ultima tandem, velut præcedentium complementum, inferatur. Omissa igitur istius pœnæ ultimæ & completæ reprobationis causa, quam omnes Catholici peccata in quibus peccator moritur, sive actualia, sive originalia, sive utraque esse profitentur, de causa primæ istius jam memoratæ, paulo latius dicendū est. Nam eam S. Doctoris indubitatam esse sententiā, justo pene volumine ostendi potest, qua de re supra nonnihil diximus, cum de prædestinatione ex massa perditionis ageremus. Nūc paucis testimoniis comēti erimus. Sic ergo loquitur in quæst. 2. lib. 1. ad Simplicianū: *Quis enim discutiat opera Domini ex eadem conspersione alium damnantis, alium iustificantis.* Conspersionē vero istam seu massam per originale peccatum, damnationis esse factam, paulò ante docuerat, & in eadem quæstione tradit, in illo loco; *Iacob dilexi, Esau autē odio habui* (quo tanquā typo hominū prædestinatio & reprobatio figuratur) non posse odium nisi propter iniquitatem peccati originalis intelligi. Non enim, inquit, *Deus odit Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorē.* In Adam enim, *universum genus humanum* factū est *una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæq; iustitiæ quod sive exigatur sive donetur, nulla est iniquitas.* Et in Epistola ad Sixtum, cū citasset eundem de Iacob dilecto & Esau odio habito locum, docet hoc esse dictū: *ut intelligeretur hoc apertē postea per prophetam quod antequam illi nascerentur erat in* DEI PRÆDESTINATIONE *per gratiam.* Cum ergo sic de prædestinatione sermonē esse docuisset, adiicit: Quid enim diligebat in Iacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitū misericordiæ suæ donū? Quod videlicet eum prædestinando facere decernebat. *Et quid oderat in Esau antequam faceret aliquid mali, nisi originale peccatū?* Propter quod cum velut odio dignū reprobabat, & in eadem Epistola inferius: *Vt cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequā aliquid egissent boni vel mali, alterū Deus diligit, odit alterū, intelligat Iacob, ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrē suum, cum quo habuit communē causam, videt per iustitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.* Discretio autem ista

Lib. de correp. & grāc. 13 & lib. de gest. Pel. c. 3. Rom. 1.

Lib. 1. q. 2. ad Simp.

Ibid.

Ibid.

Epist. 105.

Ibid.

S. Au-

S. Augustino, est ipsa *prædestinatio*, seu *electio*, quam in eodem loco nominat. Et in Enchiridio ad Laurentium, hoc ipsum multis agit:

Enchirid. c. 98. *Tunc non latebit quod nunc latet, cum de duobus parvulis unus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus, cur ille potius quam iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus.* Assumptio autem & relictio ista in mente Dei, non est aliud, nisi prædestinatio gratuita & reprobatio per judicium, quo quis damnandus esse decernitur; hoc enim judicium apud Augustinum significare solet. Vnde aliquanto inferius:

Bav. 98. *Ambo itaq; gemini naturæ filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti, sed qui dixit miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per iudicium debitum.* Et in lib. 2. ad Bonifacium, idem exemplum ex professo tractat. Nam in illis duobus omnium *Electorum* & *reproborum* typus, ex Augustini & Apostoli mente, constitutus

Lib. 2. ad Bonif. c. 7. est. Itaq; generaliter ibidem dicit: *Cum secundum propositum* Dei (quod Augustino est ipsum prædestinationis propositum) *vocatur alius, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum* (hoc ipso scilicet quo non vocatur) *quia omnes rei sunt ex eo quod per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Et inferius paucis

Ibid. interjectis æque generaliter: *Vbi dicitur cuius vult miseretur & quem vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur: malum verò meritò & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo no malè redditur.* Et adhuc ibidem: *Quis enim te discernit utiq; ab ira vasis à massa perditionis qua per unum omnes missi in damnationem.* Et mox de duobus parvulis: *Redit ad vos frater ille geminus baptizati no baptizatus, & tacite quæris à vobis, unde fuerit à fraterna felicitate discretus, cur illa infelicitate punitus, si nullum est gratiæ sine meritis donum, nullum originale peccatum?* Et in libro de correptione & gratia, dicit non solum eos qui non crediderunt aut nec audierunt Euangelium aut baptismo caruerunt, sed etiam justos, qui non perseverant, *Non esse ab illa conspersione discretos, quia constat esse damnatam cunctis omnibus ex uno in condemnationem.* Item; tales justos non perseveraturos, non esse in numero prædestinatorum filiorum Dei, quia, *non sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti.* Et lib. de prædest. Sanct. *Cur autem omnibus detur* fides, *fidem movere non debet qui credit ex uno omnes esse in condemnationem sine dubitatione iustissimam; ita ut in nullo Dei esset iusta reprehensio etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscit.* Et libro de dono perseverantiæ: *Non itaq; summa ingrati quod secundum placitum voluntatis suæ* (quod est placitum gratuitæ prædestinationis) *in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, per Adam facta, ut si inde nemini liberaret, non esset iniustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non iniustam iudicati sunt iræ, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat.* Et id quod jam superius præcedenti cap. ex eod. lib. allegavimus, ubi præmissa prædestinatione liberandorum subjicit: *Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si intra illa Christi signa vidissent.* Et de iisdem qui possent credere si talia signa viderent: *Et tamen si Dei altiore iudicio à perditionis massa no sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta per quæ possent credere.* Et de Iudæis quavis essent ab originali culpa per circumcisionis beneficium liberati, quia tamen præsciebantur esse perituri dicit similiter: *In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Iudæi qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis claris; virtutibus.* Ex quibus testimoniis aliisq; pluribus, quæ produci non est opus, manifestissimum est, non aliam agnoscere S. Augustinum reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale quo tota massa periit. Et hoc esse causam no tantum negativæ reprobationis, seu non prædestinationis, sed etiam positivæ, qua videlicet tamquam indignus repellitur ab æternæ vitæ seu regni cælestis beneficio, sive iste parvulus vel adultus fuerit, sive ad tempus justificandus, sive in iniquitatibus tota vita mansurus. Nam ut aliquis ex perditionis massa liberetur, ita videlicet, ut no pereat, nec à regno Dei realiter adipiscendo, divinæ reprobationis decreto, excludus esse censeatur, ad tempus justitiam accepisse non est satis, sed eam ad finem usq; vitæ retentam esse oportet. Hoc autem est unum ex præcipuis liberationis beneficiis, quod Deus non omnibus justificatis tribuit, sed iis dumtaxat, quos ab illa perditionis massa sic discernendos judicavit, ut no cum cæteris pereuntibus pereant, sed reipsa ab omnibus istius massæ suppliciis, quibus impellentibus iterum in peccatum ruunt, Dei gratia liberentur. Nam ista liberatio multos gradus habet, inspirationem, fidem, remissionem peccatorum, infusionem charitatis, & efficax adjutorium quo recte operetur, perseverantiam qua in bonis operibus ad finem usq; permaneat; omnis denique concupiscentiæ & cæcitatis abolitionem, quarum si vel unam pro beneplacito suo Deus donare nolit illi, cui nihil eorum debet, non solum in massam perditionis, sed etiam in statum perditionis, sine dubitatione relabetur.

Quod igitur objiciunt quidam, adversus illam divini Augustini sententiam, ex Conc. Trid. & Catholica fide, per baptismum homines totius originalis culpæ deletione purgari, *nihilq; damnationis esse iis qui sunt in Christo Iesu*, ac proinde non posse dici quod reprobi quibus istud peccatum dimissum fuerit, propter peccatum originale damnetur, nihil isti doctrinæ nocet. Nam quamvis verum sit, in multis culpam originalem, Christi baptismate deleri, culpamq; semel deletam non iterum relabendo reviviscere, nec propter illam jam deletam, immediate posse

eos

eos regno cæleſtis hæreditatis excludi, ſimul tamen ſtabile veriſſimumq; manet, propter illã culpã cui obnoxius homo jacuit, noluiſſe Deũ ipſi totale beneficiũ liberationis decernere, & à perditione, ſic ut eam reipſa evadat, liberare hoc eſt, ſecundum Auguſtini phraſim, noluiſſe ipſũ à perditionis maſſa, gratiæ ſeu beneficiorũ ſuorũ prædeſtinatione diſcernere; & proinde voluiſſe eũ finaliter in perditione relinquere. Accedit, quod ut ex reliquiis iſtius peccati, quas non abſterſit Chriſti gratia, fiat, quemadmodũ diximus, ut in ſtatum perditionis iterũ cadat, inſcioque maneat & moriatur. Quod eo magis originali peccato, ſecundum Auguſtini doctrinã, imputari debet, quia concupiſcentia, ex qua relapſus ille percuntiũ naſcitur, ex ipſius mente, ſic eſt originale peccatũ, ut quãvis reatu trãſierit, actu tamẽ maneat, & hac de cauſa, & quia ex peccato nata eſt, & ad peccatũ provocat, peccatum etiã ab Apoſtolo nominetur.

lib. de nupt. & conc. c. 27.

Falluntur igitur, qui putãt hoc eſſe à perditionis maſſa diſcerni temporaliter, quod in tẽpore, peccati remiſſione juſtificari, vel hoc eſſe, ęterno Dei decreto à perditione diſcerni, quod ad peccati remiſſionem eligi aut prædeſtinari. Hoc enim non eſt niſi una, eaq; exigua, quãvis præcipua diſcretionis utriuſlibet pars; ſed tẽporaliter à maſſa diſcernere, eſt omnia diſcretionis temporalis beneficia largiendo, reipſa à perditione per remiſſionis & juſtificationis ſtatę perſeverantiã, liberare: prædeſtinatione diſcernere, eſt per omniũ beneficiorũ collationẽ velle quempiã totaliter à perditionis maſſa liberare, ſic videlicet, ut neq; culpa maneat, qua damnatione ſit dignus, neq; ulla pœna, per quã ſemel culpa extractus novũ iterum reatũ perditionis incurrat. Hoc enim ſignificat Auguſt. clariſſime, quando dixit: *Quicunq; ergo ab illa originali damnatione iſta divina gratiæ largitate diſcreti ſunt*, in mẽte ſcilicet ac prædeſtinatione Dei, *non eſt dubiũ quod & procuratur eũ audiendũ Euangeliũ, & cũ audiunt credit, & in fide quæ per dilectionem operatur uſq; in finem perſeverant.* Et paulo ſuperius, oſtendẽs quo pacto ex defectu talis diſcretionis æternæ, videlicet totalis à maſſa damnationis, beneficiorũ temporaliter diſcernentiũ vel omniũ vel quorundã ſequatur denegatio, quibus fiat, ut in maſſa perditionis, aut maneat, aut in eam iterũ cadat: *Ac per hoc*, inquit, *& qui Euangelium non audiunt & qui eo audito perſeverantiã non acceperunt, & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulã nec credere potuerunt ſed ab originali noxa ſolã poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt non ſunt ab illa perditione diſcreti quã conſtat eſſe damnatã.* Et hoc in omnibus originali culpa cõtingere, vel immediate, vel ſaltem mediate, declarat id quod ſubjicit: *Euntibus omnibus ex uno in condemnationem*, ſive mediate, ſive immediate. Nam ira contra peccatũ iſtud concepta, jam ab æterno factum eſt, ut multos eorum noluerit Deus ex integro liberandos à perditione diſcernere, & ex cadẽ etiamnum fit, ut ſi quos temporaliter inde per fidem, aut peccati iſtius remiſſionem aliqua ex parte diſcreverit, in eundem ſtatum damnationis relabantur.

Lib. de cor. & grã c. 7.

CAPVT QVARTVM.

Cauſa reprobationis, ſecundum conſiderationem comparativam, eſt voluntas Dei.

QVod ſi vero comparative, de reprobationis cauſa, diſquirendum eſt, cur ex duobus, quorũ uterque originali culpa maculatus eſt, hic, non iſte reprobetur à Deo, rei illius nulla omnino cauſa ex parte hominis à nobis dari poteſt, ſed pendet à puro beneplacito Dei. Nam ex duobus, ſive æqualiter, ſive inæqualiter, reis, ſi quis ũtrique, vel uni, vel neutri, vel magis vel minus reo dimittat liberaliter debitum, vel retineat, nemo iuſte conqueri poteſt. Quiſquis enim de illo quod ſibi debetur, facit quod vult, quandoquidẽ gratis & liberaliter facit, debitũ remittendo; juſte, repetendo. Quamvis igitur nemo niſi pro culpa previſa reprobetur à Deo, cur tamen ex multis eidẽ culpę obnoxiis, hic, nõ ille à liberatione repellatur, queſtio eſt humano ingenio inſcrutabilis, & alteri ſęculo reſervata, ut in clara divinæ veritatis ac ſapiẽtię luce videatur. Hic ſufficit, ut hoc juſte à Deo fieri, & pro ejus beneplacito fieri, ſine vacillatione credamus. Nã hoc Apoſtolus Paulus perſpicue tradit, quando diſputans, cur Iudęi repudiatis ad tempus, gentilibus Euangelii lux oborta ſit, ad inſcrutabilẽ divini conſilii altitudinem fugit: *O altitudo divitiarũ ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum omnium &c.* Cauſã item cur ex duobus, Iacob & Eſau, qui prædeſtinatorũ ac reproborũ typũ gerunt, major minori ſerviturus eſſe prædicatur, antequam quiſquam eorũ egiſſet aliquid boni aut mali, ad ſolã Dei voluntatẽ, velut ultimũ cardinẽ refert: *Quia non ex operibus ſed ex vocante dictũ eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et oſtendens in eo irreprehenſibilẽ eſſe Dei diſcernentis equitatem: *Quid ergo dicemus*, inquit, *numquid iniquitas apud eum?* ſi videlicet, ut Auguſtinus notat, *diligenda diſcernat, Epiſt. 106. quos merita operum nulla diſcernunt.* Reſpondet Apoſtolus: *Abſit: Moyſi enim dicit, miſerebor cuius miſereor, & miſericordiã præſtabo cuius miſerebor.* Ex quo diſcurſu concludit: *Igitur non volentis neq; currentis ſed miſerentis eſt Dei.* Et poſt exemplum Pharaonis allatum: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Rom. 9.

Lam. 11.

Apud Auguſtinũ vero veritas iſta innumeris inculcatur locis, tum adverſus alios, tũ præcipue Pelagianos, qui eamen acceptionis perſonarũ inferebant Deo, ſi tã indiſcretã, ut ipſis videbatur, diſcretionis iſtius inequalitatẽ nulla in perſonis ipſis diverſitas provocaret. Sę per enim admirãtibus, cur id cuiquam reſpondeat, hoc eſſe inſcrutabile: quia erga unum ſervatur miſeri-

misericordiâ,& justitiâ adversus alterũ, quarũ utraq; peccati iniquitatẽ præcessisse supponit.

Epist. 105. *Cur autem ille credat, ille non credat cum ambo idẽ audiunt, & si miraculũ in eorũ conspectu fiat, ambo idẽ vident, altitudo est divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia & apud quem non est iniquitas dum cuius vult misereatur & quem vult obdurat.* Quod infra exprimit nomine liberationis à massa, videlicet perditionis, ut ipse loqui solet: *Cur autem illũ potius quam illũ liberet, scrutetur qui potest iudicioru eius tã magnũ profundũ, verumtamẽ caveat præcipitiũ.* Et in lib. de peccat. meritis: *Quare autẽ illos velit convertere, illos pro averſione punire, quamquã & in beneficio tribuendo nemo iuste reprehẽdat misericordẽ, & in vindicta exercenda nemo iuste reprehẽdat veracem, id est justũ, & consiliũ tamen occultioru iustitiæ penes ipsũ est.* Quod in initio istius libri, in hunc modum generaliter dixerat: *Cur autẽ illum adiuvet, illum non adiuvet, illum tantũ, illum autem non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio & excellẽtia potestatis.* Et in lib. 1. ad Bonif. *Iam quomodo ista dispenset faciens alios secundum meritũ vasa iræ, alios secundum gratiã vasa misericordiæ, quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et in lib. de prædest. Sanct. *Cur autẽ istũ potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius & investigabiles viæ eius. Melius enim & sic audimus & dicimus: O homo tu quis es ut respondeas Deo, quam dicere audeamus quasi noverimus quod occultũ esse volut, qui tamẽ aliquid iniustum velle non potuit.* Et in lib. de dono persever. *Cur in eadem causa me potius quam illum puniet, aut illum potius quam me liberabit? Hoc non dico: si quæris quare: quia in hac re sicut iusta est ira eius, sicut magna est misericordia eius, ita inscrutabilia iudicia eius.* Et inferius: *In eo ergo quod alys eam dat* baptismi gratiam, *alys nõ dat, cur nolunt cantare Domino misericordiã & iudicium, cur autem illis potius quã illis detur, quis cognovit sensum Domini? Quis inscrutabilia scrutari valeat? Quis investigabilia vestigare?* Et in tract. in Ioan: *Nemo venit* ad Christũ *nisi tractus. Quem trahat, & quẽ non trahat: quare illum trahat & illũ non trahat, noli velle iudicare si non vis errare.* Cujusmodi testimonia passim legentibus Aug. scripta, in oculos incurrunt. Sed hæc sufficiãt huic loco; plura diximus cum de causa prædestinationis ageremus, quę consulat qui plura velit.

Ibid.

Lib. 2. de pecc. merit. c. 18.

Ibid. c. 5.

Lib. 1. ad Bonif. c. 20.

Lib. de prædest. Sanct. c. 8.

Lib. de dono persev. c. 8.

Lib. de dono persev. c. 8. 9 & 11.

Tract. 26. in Ioan.

CAPVT QVINTVM.

Effectus reprobationis damnatio, excæcatio, obduratio: non tamen primi peccati, sive angelici, sive humani permissio.

IAm de effectibus reprobationis nõ est difficile, secundum jacta S. Antistitis principia, certi aliquid statuere. Nã in primis manifestum est, primum ejus effectum esse exclusionem à regno Dei æternamque dãnationem; nam ista proprie reprobatio, tanquam sententia iudicis reprobantis ac dãnantis, respicit. De quo effectu non est inter doctores magna controversia. Nam & scripturæ sacræ illud planissime docent dum *ignis æternus* dicitur *paratus diabolo & Angelis eius.* Et reprobi vocantur *vasa iræ aptata* seu *præparata in interitum.* Et quidam ab Apostolo Iuda dicuntur olim *præscripti in iudicium.* Et apud Ecclesiasticum dicitur Deus, transgressorem *paravisse ad Romphæam.* Hinc illa quæ tam late ex Augustino supra adduximus, quibus aliquos ad mortem æternã, interitũ, supplicĩu prædestinatos esse tradit. Vnde in libris de Civit. Dei docet, duas esse *societates hominũ quarũ est una quæ prædestinata est in æternũ regnare cũ Deo: altera æternum supplicĩu subire cũ diabolo.* Quę omnia probant, reprobos ad æternã pœnã à Deo prædestinatos esse, sive quod in idẽ redit, æternã pœnam eis prædestinatã & præparatã. Cuiusmodi ad pœnã prædestinatio, cũ nõ sit aliud quã reprobatio, pœna ista necessario est effectus ejus.

Matth. 25.

Rom. 9.

Iudæ.

Zachar. 26.

Lib. 15. de Civit. c. 1.

Præter hanc tamẽ, & alię occultiores pœnę sunt de quibus dubitari potest, utrum ex Augustini mente reprobationis effectus sint. Et primò occurrũt excęcatio & obduratio illorũ qui ad interitum parati sunt. Sed certa veritas est, & illos ex Augustini sententia, esse in eis reprobationis effectus, quod & de desertione & derelictione peccatoris existimari debet. Hoc significat Augustin. quoties vel excæcationis, vel obdurationis, vel derelictionis huiusmodi, ut subtracta gratia, fiat homo cæcus aut durus, ad vindictam Dei refert, qua vel peccatũ originale cui massæ merito involuti sunt, vel alia peccata inde pullantia, iudicij sui æquitate persequitur. Nam istud iudiciũ punitionis, non est aliud, nisi decretum reprobationis. Cum enim aliquem Deus propter iniquitatem in qua natus est puniendũ, esse decernit, & per hoc ipsum reprobat, quicquid pœnarum in hac vita sequitur vel immediate vel mediate, iudicij istius reprobationis effectus est. Hinc Augustinus in epistola ad Sixtum: *Cuius vult misereatur non iustitia sed misericordia gratia: & quem vult obdurat, non iniquitate sed veritate vindicta.* Et aliquantũ inferius: *Quæramus meritũ obdurationis & invenimus. Meritò namq; peccati universa massa dãnata est. Nec obdurat Deus impertiẽdo malitiã, sed nõ impertiẽdo misericordiã, quibus enim non impertitur nec dignũ est nec meretur: ac potius ut nõ impertiatur hoc dignũ est, hoc meretur.* Et in lib. de gratia & lib. arb. *Deus per hoc, quando legitu in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorũ, nolite dubitare præcessisse mala merita eorũ, ut iuste ista patererentur.* Vnde hoc ibidem dicit iuste à Deo fieri, quia eorũ *malitiam nõ ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatẽ.* Et illum Apostoli consequenter tractans locũ, quo gratuitã prædestinationẽ, justamq; reprobationẽ expressit, *Quando ergo audistis quod ait Apostolus: Cuius vult misereatur, & quem vult obdurat, in eo quẽ seduci permittit aut obdurari, mala eius merita credite.* &c. Et in lib. 1. ad Simpl. ubi de eadem scientia & obdu ratione reprobantis Dei loquitur, multo

Epist. 105.

Ibid.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 21.

Ibid. c. 23.

Lib. 1. q. 2. ad Simpl. multo luculentius: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent; eorum autem non miseretur quibus misericordiam non esse præbendam æquitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima iudicat.* Cujusmodi plura multis alijs locis docet.

In hoc autem postremo loco palam vides, ipsam quoque derelictionem seu desertionem, qua Deus non miseretur nec gratiam tribuit, qua peccata cavéantur, esse effectum reprobantis Dei. Nam ideo talibus misericordiam & gratiam in tempore negat, quia æquitate occultissimâ abjecit eos, ne perveniant ad regnum suum. De qua derelictione seu desertione, & alibi: Qua gratia *ut non adiuventur* (homines) *in ipsis illa causa est, non in Deo damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ* &c. Et in libro de gestis Pelagij: *Absit autem ut ij, qui secundum propositum vocati sunt quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui, suo ut pereant desiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vasa iræ quæ perfecta sunt ad perditionem.* Et mox: *Illis ergo fit quod scriptum est, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: non autem prædestinatis quos regit Spiritus Dei.* Cùm ergo reprobi patiantur omnia ista, & obdurationem, & cœcitatem, & traditionem in desideria cordis sui, & ipsam quoque desertionem ex qua illa nascuntur, juxta illa quæ jam audivimus, & istud Augustini: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis, qua deserente utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat* &c. necesse est omnes istas pœnas à divino judicio punientis reprobantisque proficisci, ut non immerito de illis profecto dici possit, quod, quemadmodum *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt*, ita & è contrario, talibus reprobis non secundum propositum vocatis, *omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum*, prout habetur in libro Soliloquiorum, qui sub Augustini nomine circumfertur. Quod non ita quisquam acceperit, quasi ipsa eorum opera bona, vere peccata fiant aut vocari debeant, sed quod ex operum bonorum jactura, quando ex justitia cadunt, supplicium augeatur. Quid enim justius, quam ut voluntas propter spontaneam sanctitatis & bonorum operum abjectionem, graviori pœna plectatur.

Lib. 2. de pec. mer. c. 17.

Lib. de gestis Pelag. c. 3.

Rom. 8.

Lib. Soliloq. c. 28. tom. 9.

Supereſt permissio peccati, etiam primi, quod Angeli & homines in paradiso perpetrarunt: utrum effectus reprobationis dici debeat. De permissionibus peccatorum quæ à reprobatis, post contractam originalis noxam fiunt, nulla difficultas est, si enim derelictio est reprobationis effectus, & obduratio, & cæcocatio, multo magis peccandi permissio, quam istæ ceteræ pœnæ secum ferunt. Et si subinde in electis, prædestinationis sunt effectus, quanto magis in reprobis, reprobationis.

De primi peccati permissione, sive hominum sive Angelorum, magis inter se Scholastici pugnant. Nam qui Angelos ante ullam bonæ malæve voluntatis præscientiam, prædestinatos ac reprobatos esse volunt, etiam primi peccati angelici permissionem, & gratiæ, ut ipsi vocant, congruæ subtractionem, reprobationis eorum negativæ effectum statuunt. Sed ex prædictis, juxta sanctum Augustinum, liquido & istud falsum esse patet. Diximus enim, ante peccati & meriti absolutam præscientiam, nullam respectu Angelorum fuisse prædestinationem aut reprobationem, & nullam, nec ante nec post prævisa merita vel demerita, negativam. Ex quo consequenter impossibile est, primi peccati permissionem fuisse reprobationis effectum; cùm potius è contrario, post peccati non solum permissionem, sed etiam perpetrationem absolute prævisam, reprobationis decretum conditum fuerit. Cùm igitur omnino similis hominum innocentium futrit ratio, nec prima transgressio eorum, reprobationis ullius effectus fuit, sed generalis tantummodo providentiæ, quæ prædestinationis & reprobationis decreta præcessit. Ex quo consequenter dicendum est: illam permissionem, qua Deus, non solum ipsos parentes primos, sed etiam omnes posteros ex eis generando propagatos, peccati labe infici permisit, non esse reprobationis effectum; utpote quæ similiter decretum reprobationis quorumcunque hominum antecessit. Quod eo casu maxime perspicuum esset, si Deus nullum hominum ex isto lapsu & peccati transfusione maculatum, redimere statuisset. Tunc enim clarum esset, Adamum atque omnes homines, eodem modo atque Angelos, ex prævisione peccati, sive personæ, sive naturæ, futuros reprobatos, sicut & prædestinatos, si in veritate mansissent. Quod igitur nunc ex illo lapsu aliqui, ceteris reprobatis, prædestinatione revocantur, non potest efficere, ut permissio peccati illius, reprobationis effectus sit: quia quemadmodum ante prædestinationem ipsorum, ita etiam ante horum reprobationem, in Dei præscientia præcurrit & supponitur.

Ex quibus etiam non obscure colligi potest, multo enormius eos ab Augustini mente discessisse, qui ipsam quoque summi Angeli, & hominum quoque reproborum creationem, reprobationis effectum esse sibi & alijs persuadere moliuntur.

Vide Estium in 1. dist. 40. §. 10. in fine.

CAPVT SEXTVM.

Tria solvuntur argumenta, quibus ista sancti Augustini doctrina de prædestinatione & reprobatione impetitur: quod Deus non videatur esse Salvator omnium hominum: nec Redemptor totius mundi: neque congrue promittere vitam æternam, sub conditione servandi mandata.

SED adversus istum divinæ reprobationis & prædestinationis ordinem, non pauca aut levia ab ijs opponuntur, qui lapsos homines, non aliter atque Angelos, prædestinatos & reprobatos esse volunt. Molestissimè quippe ferunt, quod quidam certo numero ex Dei electione ac decreto comprehensi, qui neque augeri possit nec minui, ad salutem dicantur prædestinati efficaciter, ante omnem absolutam cujuslibet meriti præscientiam, omnesque ceteri ex originalis perditionis merito, ante omnem actualis peccati præscientiam, à gloria quæ est in regno Dei efficaciter excluſi.

Lest. de prædest. & reprob. Sect. 2.

Et primò dicunt, doctrinam istam non satis consistere cum sincera voluntate Dei salvandi omnes homines, maxime fideles.

Secundò, quod non videbitur Christus esse redemptor totius mundi, neque pro omnibus hominibus crucifixus & mortuus. Sed quid ad istas duas objectiones dicendum sit, ex ijs quæ de gratia disputando diximus satis colligi potest. Hoc tantummodo annotamus, eandem fuisse prorsus objectionem Semi-Pelagianorum, adversus doctrinam sancti Augustini, in qua nihil molestius ferebant, quam illud propositum Dei, quo quosdam homines à ceteris in massa perditionis relinquendos, à damnatione discerneret. Ex illo enim sequi videbatur, quod illos nollet salvos fieri, nec eorum redemptor dici posset. Nam illud ipsissimum propositum efficacis electionis quorundam, præ ceteris, ad salutem plenam & ultimam, quæ est in regno Dei, fuisse ipsissimum lapidem offensionis Massilienſium, latissime, cum de dogmatibus agemus, demonstravimus.

Vide vtramque Solutam Lib. 2. de gra. Christi Sal. c. 20. & 21. Vide object. 8. & 9. Gall. qui in iisdem terminis hæc objicimus. Iterumque 1. Vincent.

Vide lib. 7. de Hæresi Pelag.

Objiciunt itaque tertiò; iste modus electionis non videtur consentaneus promissionibus divinis quæ generales sunt, & ad omnes pertinent. Promissiones enim vitæ æternæ sunt conditionatæ, & semper tacitam vel expressam continent hypothesim, nimirum, si omnia mandata servaveris, si perseveraveris, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ergo etiam voluntas, qua vult nobis vitam æternam ante prævisionem perseverantiæ, est conditionata, ergo non eligit absolute ante prævisionem meritorum. Addunt & confirmationem, quod in ista sententia, cum Deus salvandis promittit vitam æternam sub conditione, si hoc vel istud faciant, vel si perseverent, perinde esset, ac si diceret: promitto vobis vitam æternam, si ego ex meo beneplacito vobis perseverantiam decrevi. Cùm enim conditio pendet à promittente, vel à causa principali, vel saltem ut causa sine qua non, rectissime totum negotium in ipsius arbitrium resolvitur, & conditio in re idem valet ac ipsius beneplacitum.

Lessius lib. 2. de tato Sect. 2. n. 12.

Matth. 19.

Lessius loco citato n. 12.

Respondeo eandem objectionem reipsa feciſſe Massilienses olim adversus istud propositum Dei, quod Augustinus prædicabat. Nam scopus eorum erat, statuere electionem ad regnum, post prævisionem fidei, quam multò immodestius recentiores statuunt, etiam post prævisionem operum. *Præscientiam, prædestinationem & propositum,* inquit Hilarius, *ad id valere contendunt, ut eos præscierit vel prædestinaverit vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri.* Quod nostri dicunt, qui fuerunt mandata servaturi. Et Prosper ex mente Massilienſium: *Eos prædestinasse Deum in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.* Quod nostri dicunt, quos perseveraturos esse præviderit. Ad hunc scopum consequenter afferebant Massilienses, promissa esse generalia tacitamque includere conditionem, si volueris, si credideris &c. Nam statim adjicit Prosper: *Ideoque omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntaria devotioni remuneratio sit parata*: hoc est, cùm remuneratio vitæ æternæ sit promissa sub conditione ab ipsis pendente, si voluerint. *Ad hoc donum salutis* (Baptismum) *omnes homines universaliter, sive per naturalem sive per scriptam legem, sive per Euangelicam prædicationem vocari. Et ut qui voluerint fiant filij Dei:* quod idem est ac si dicerent, *si voluerint.* Et inferius adhuc apertius: *Itaque quantum ad Deum attinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint.* Et Hilarius: *Quod enim dicitur: Crede & salvus eris unum horum exigi asserunt* conditionem scilicet; *alterum offerri,* promissionem scil. *ut propter id quod exigitur,* SI REDITVM *fuerit id quod offertur deinceps tribuatur.*

Hilar. in Epist. ad Aug.

Prosp. in Epist. ad Aug.

Ibid.

Hilar. in Epistola.

Respondetur itaque, nihil in eo esse vel repugnans vel incongruum, ut Deus absoluta & efficaci voluntate, ad liberationem à massa sive ad regnum eligat, & tamen ad istum propositum finem eos per observationem mandatorum, hoc est, per merita & perseverantiam, à seipso tribuendam, perducere velit. Quando enim absolutâ voluntate alicui finis

finis decernitur dandus, non intelligitur hoc futurum, sine medio ad illum finem, ex natura rei vel institutione auctoris ordinato, quod in sua potestate & voluntate se habere cognoscit. Iam vero promissio regni, & medij seu conditionis exactio, non pertinet ad illum ordinem, quem agonotheta intendendo, sed quem exequendo servat: in quo ordine non à fine incipere oportet, sed à mediis, per quæ finis obtinendus est. Rectissime proinde dicitur hominibus liberandis, hoc est, ad salutem regni perducendis, serva mandata & dabo tibi regnum cælorum, seu quod idem est, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; quia sicut id quod ei absolutâ voluntate, juxta viam intentionis, decretum est, non tamen nisi per observationis meritum, juxta viam executionis, conferendum est; ita quoque non ei, nisi si observaverit mandata, promittitur conferendum. Nimirum ut sciat liberandus liberationem suam non sibi, nisi ab observatione mandatorum auspicandam esse: ut si, audità illâ conditionis exactione, se propter infirmitatem eam nondum præstare posse sentiat, postulet ab ipso Deo promittente etiam conditionem quæ exigitur, ut posteà id ipsum quoque quod promisit, ipse etiam largiatur. Vnde Iuliano similes Scripturas objicienti, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis* &c. Respondet Augustinus. *Convenit* (id est alloquitur) *autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, & non potest, admonitus sentiat, & ab eo à quo sunt bona omnia, indigens poscat* &c. Vtraque igitur est finis & medium & res promissa & conditio sub qua promittitur, & vita æterna & observatio mandatorum pariter prorsus à Deo danda sunt, sed eo ordine danda & promittenda quo executionis ordo postulat; quamvis hoc nihil vetet, imo congruentissimum sit, ut finem efficaciter intenderit, antequam conditionem (hoc est medium, quo comparari debet) à se datam esse absolute prævideri.

Lib. 1. oper. imper. contra Iul. f. 134.

Sed in eo fallitur hominum imaginatio, quod putent ita promitti à Deo sub conditione præstanda præmium, sicut ab hominibus promitti solet, ut videlicet conditio, ab eo cui fit promissio, præmium vero, à promittente conferatur. Nam in præsenti materia, quantumvis ab homine Deus postulet, ipse tamen eam homini largiri debet: quam nisi ipse dederit, nunquam ab homine præstabitur, aut præstari potest. Notavit hoc accurate S. Augustinus, quando Massilienses similes imaginationes ita expressit: *Sed cum dicitur, inquiunt, si credideris salvus eris, unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.* Et respondet eis in hunc modum: *Cur non utrumque in Dei est potestate & quod iubetur & quod offertur? Rogatur enim ut det quod iubet. Rogant credentes ut sibi augeatur fides; rogant pro non credentibus ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis, & in suis initijs Dei donum sit fides.* Et inferius: *Sicut ergo quamvis*

Lib. de prædest. SS. c. 11.

A *Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: Ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa cum dicitur, si credideris salvus eris, proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur: ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicit, quid enim apertius quàm ubi dicit: Ego faciam ut faciatis? Evenus ipsam Scripturæ fratres charissimi attendite, & VIDEBITIS ILLA DEVM PROMITTERE FACTVRVM SE VT FACIANT, QVÆ IVBET VT FIANT.* Quo nihil sane directius atque aptius, adversus illam confirmationem recentioris illius, quam supra expressimus, dici potest. Prævideratur eam etiam antequam à Massiliensibus formaretur, & propter apparentem quandam absurditatem, quam iste Scriptor, quasi novum aliquid proferret, pressius ponderavit, anticipando dissolverat: *Memnimus ipsum dicere, facite vobis cor novum & spiritum novum; qui dicit: Dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo in vobis. Quomodo ergo qui dicit facite vobis, sic dicit: dabo vobis?* Nonne est hoc, quod nobis objicitur? Quomodo conditio ista exigitur à nobis, cum pendeat à promittente, cum totum negotium in ipsius promittentis arbitrium resolvatur, & conditio idem in re valeat, quod ipsius beneplacitum? Et tamen nil territus talibus umbris, respondet cum fiducia Augustinus: *Quare is det ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est*, NISI QVIA DAT QVOD IVBET, CVM ADIVVAT, VT FACIAT CVI IVBET. Quo significat Augustinus consequenter, nihil absurdum esse, ut Deus promittat vitam æternam sub conditione, quam ipsemet similiter etiam promittere, ac dare, & consequenter ab æterno decernere debet. Non enim ideo tales conditiones ab homine postulantur, quasi illæ essent in hominis potestate, & præmium in potestate Dei, cum ut statim audivimus utrumque sit in potestate Dei; sed ideo *ut intelligamus nos esse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda etiam proprium voluntatem.* Præceptum enim, tanquam exactio conditionis, hoc tantum præstat, ut faciamus quod facere debemus, sed Deus hoc ipsum quod jubendo & exigendo scire nos fecit, efficere ac donare debet ut faciamus, juxta illud Augustini: *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus.* Hoc est, quod & nos conditionem à Deo postulatam asserimus, & Deus facere, ac dare, ac promittere, ac prædestinare seu decernere debet, ut eam faciamus. Nolo autem exaggerare & lectoribus cogitandum relinquo, quam sit ab Augustini doctrina, ne dicam à Christiana religione, alienum, quod significatur conditionem illam quæ exigitur, hoc est, perseverantiam & observationem mandatorum, non pendere à promittente Deo, ut causa principali, imo nec, ut à causa sine qua non,

Lib. de prædest. SS. c. 2.

Lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 15.

Ibid. c. 2.

Lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3.

CAPVT SEPTIMVM.

Solvitur argumentum quartum, quo dicitur, Deum insidiari saluti eorum qui reprobati sunt.

Lessius lib. de prædest. & reprob. Sect. 2. n. 11. & Sect. 5. n. 51.

OBICIVNT quarto, quod sicut ex illo absoluto proposito perducendi ad regnum cælorum contingit, ut dentur efficaces gratiæ quibus eo perducantur, ita fatendum erit, Deum impedire debere ne quis cælorum adipiscatur justitiam, vel procurare si eam adeptus fuerit, ut ab ea rursus excidat, distribuendo videlicet eis gratias incongruas, quo fiat ut in iniquitate moriantur. Insidiatur igitur saluti eorum, qui non electi fuerint, ne qua ratione in salvandorum numerum irrepant.

Respondetur hæc ipsa quoque à Massiliensibus adversus Augustini doctrinam jam olim multis modis objecta sunt. Nam quicquid Galli & Vincentius apud Prosperum expostulant querimonijs a *Quod Deus reservat non prædestinatos ad vitam donec vivant & pereant.* b *Quod aliqui vocentur ut credant, alij ut non credant.* c *Quod homines ex Dei constitutione non credant.* d *Quod quibusdam justis obedientia subtrahatur ut obedire desistant.* e *Quod hæc sit voluntas Dei ut magna pars Christianorum salva esse nec velit nec possit.* f *Quod velit ut a fide Catholica magna Catholicorum pars apostatet,* g *& a sanctitatis proposito ruat.* h *Quod ex Dei prædestinatione efficiantur de filijs Dei filij diaboli.* i *Quod illis latenter subtraheret bonas voluntates.* Quod igitur hæc, & hujusmodi tam invidiosè expostulent, nullum alium scopum habebant, nisi ut everterent illud assertum ab Augustino propositum Dei, *quo humanas prævenit voluntates*; eoque tandem veniretur, quod & recentiores volunt, & Massilienses unice spectabant, ut *eos prædestinaverit in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceßuros esse præviderit.* Nempe quod & nunc urgetur instantissime, *Si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit admittentis intentio.*

a Object. 3. Gallorum. b Object. 5. Gallorum. c Object. 14. Gallorum. d Object. 12 Gallor. & Assist. apud Aug. lib. de dono pers. cap 22. e Object. 7. Vincent. f Object. 8. Vincent. g Object. 11. Vincent. h Object. 12 Vincent. i Object. 15. Vincent. Prosp. in Epist. ad Aug. Ibid.

Itaque respondeo, non esse periculum ne quis irrepat in salvandorum numerum, vel si secundum temporalem justitiam in illo ordine collocatus forte tantisper fuerit, ut in eo maneat, nisi Deus cum arrepta manu in istum numerum introducat, vel eum ibidem perpetuo fulciendo teneat, ut permaneat. Nimium abiectæ & à Catholica regula alienæ cogitationes istæ sunt, quibus imaginantur, hominem posse aliquem suis diligentijs ac sollicitudine, quam identidem ille Scriptor inculcat, vel intrare in salvandorum numerum, vel in justitia permanere. Deus est, ut ait ex Ambrosio Augustinus: *Qui quem dignatur vocari & quem vult religiosum, & perseverantem facit.* Quod ipse nisi fuerit, nemo quantumvis vocatus veniet, nemo, quantumvis excitatus, religiosus fiet, nemo quantumvis admonitus, rogatus, jussus perseverabit. Nam ut Augustinus *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adiuvetur ab omnipotenti bono.* Ex quo factum est ut cum primos homines tanta gratia, tanta corporis & animi intus & foris tranquillitate fruerentur, ac Deus quodammodo omnem industriam conatus adhibuisse videretur ut starent, unicâ tacti suggestione, illa serpentis, hic mulieris, caderent, absque ullis Dei præcipitantis insidijs. Quam igitur puerile, imo à fidei nostræ principijs alienum est, insidiantis Dei sollicitudinem, aut conatus fingere, ne homo videlicet cæcus viam veritatis inveniat, vel ne fractis viribus eam arripiat, vel ne infirmissimus & diaboli insidijs, ac tentationibus assiduis oppugnatus, eam inoffense constanterque gradiatur. Quasi vero non continua ei opus esset protectione & sustentatione ut perseveret, vel oculorum apertione ut veritatem videat, vehementissimo patris tractu ut eam teneat. *Nam post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo non accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo.* Quam gratiam nisi Deus benevolentissimâ & gratuitâ voluntate suâ, sive ad accedendum sive ad non recedendum dederit & ingesserit (sicut multis nunquam dedit) pondere suo libens in malum verget vitiata. Vnde sanctus Prosper similibus objectionibus in eundem occurrit modum: *Etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid unuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod fulli non potest; aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi, si ergo à justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentia trahitur, suâ persuasione decipitur, nil ibi Pater, nil Filius, nil agit Spiritus sanctus, nec tali negotio quicquam divinæ voluntatis intervenit; cuius operæ, multos scimus ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos.* Et ad objectionem tertiam Gallorum: *Igitur sicut bona opera ad inspiratorem Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo ut relinquerent Deum: sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt.* Et ante Prosperum S. Aug. in libro de Corrept. & gratia: *Hi ergo qui non pertinent ad istum certißimum & felicißimum numerum, pro meritis iustißime iudicantur. Aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt; arbitrium inquam liberum non liberatum, liberum iustitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversa noxias cupiditates &c. aut gra-*

Lib. de Cor. & grat. c. 11

Lib. de dono pers. cap. 7.

Lib. 2. oper. imper. cont. Iul. f. 215. Ad object. 13 Vincent.

Prosp. ad object 3. Gall.

Lib. de Cor. & grat. c. 13

aut gratiam Dei recipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt & deseruntur. DIMISSI ENIM SVNT LIBERO ARBITRIO, NON ACCEPTO PERSEVERANTIÆ DONO, *iudicio Dei iusto & occulto.* Quibus omnibus Patres isti significant, nullo modo necesse esse, ut Deus insidietur homini, aut quaqua ratione, sive directe, sive indirecte impediat eum à justitia: sed abunde satis esse, ut ei non tribuat illud maximæ & gratuitæ misericordiæ donum, quo in justitia teneatur. Quod si Deus cuilibet tribuere tenetur, profecto non est gratia, si autè est gratia, nemini eam debet, sed justo judicio negat cuicumque negaverit. Quod & Prosper notavit quando dixit: *Non est calumniandum Deo quare istis non dederit, quod aliis dedit: sed confitendum est & misericorditer dedisse, quod dedit, & iuste non dedisse quod non dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso videatur & standi, cum illud humano fiat opere, hoc divino impleatur exmunere.*

Prosp. ad obiect. 7. Gall.

Quod igitur in objectione dicitur, Deum debere gratias incongruas ijs, qui reprobati sunt, de industria seligere ac tribuere, quo fiat, ut vel non justificentur, vel justificati cadant, hoc ex duplici capite nullas vires habet. Primo quia eadem prorsus difficultas in Scriptoris istius opinione solvenda est. Quæritur enim ex ipso id quod ipse ex alijs quærit; si Deus non quærit de industria ut gratia non sit incongrua, quam reprobatis tribuit, *quomodo non accidit aliquando dari congruam, & hominem salvari? Incredibile est enim,* inquit, *si absque consideratione congruitas vel incongruitas detur pro occasione oblata, non aliquando accidat esse congruam.* Quod comparatione pomorum quæ indifferenter bona & mala distribuuntur, explicat. Sicut igitur ad istam quæstionem ipse respondet, hoc ex eo contingere, non quod gratia, quam eis Deus tribuit non sit sufficiens, vel incongruitas ejus à Deo intendatur, sed quia talem dari cursus rerum & oportunitas circumstantiarum postulat, non curando sitne congrua, an incongrua: ita & ipsi respondebitur, in ea sententia fieri quæ statuit aliquos efficaciter ante cooperationem prævisam, esse ad gloriam prædestinatos. Sicut enim ipsi fateri coguntur, potuisse Deum assumere post Adæ lapsum, alium ordinem providentiæ, juxta quem, quamvis gratiam sufficientem Deus omnibus largiretur, paucissimi tamen, quemadmodum in veteri Testamento, vel omnino nulli cum ea gratia salvarentur (quemadmodum & ante & post adventum Christi in multis gentibus nulli omnino etiam cum tali, ut ipsi ponunt, gratia salvati sunt;) sic fateri coguntur, & ego consequenter secundum istam confessionem eorum dico: si Deus in tali ordine providentiæ, misertus tamen fuisset aliquorum, & eos ad salutem efficaciter præ ceteris elegisset, nihil injuriæ intulisset, nihilque gratiæ abstulisset ceteris, nec opus fuisset ut eos impediret à justitia, vel ad casum impelleret, vel gratias eis de industria incongruas destinaret, sed hoc eventurum similiter fuisset, ex eo quod talem ordinem providentiæ justis de causis, pro ut rerum oportunitas postulabat, elegisset. Sed hæc omnia de distributione generali gratiæ congruæ vel incongruæ, quarum utraque vere sit sufficiens, ex falsis fundamentis & imaginationibus originem ducunt.

A

Secundo itaque dico, juxta sancti Augustini mentem, nullius momenti esse quod objicitur. Nam quamvis vocatio vel gratia exterior (sub qua omnis gratia quæ non imbuit ipsam voluntatem comprehenditur) affectibus hominis incongrua esse possit, nulla tamen vera Christi gratia, quæ voluntatem afficit atque trahit, incongrua esse potest. Imaginationes istæ sunt, quas Neoterici ex male intellectis Augustini locutionibus pepererunt. Nam in universis operibus ejus non est vestigium, quod Christi gratia cuiquam sit incongrua, sed omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum suum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum ad quem datur trahit. Regula enim in Augustino certissima est de Christi Salvatoris gratia: *Hæc gratia si doctrina dicenda est certe sic dicatur ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum qui incrementum suum ministrat occultius, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Nempe ut addit, quia *simul donat & quid agant scire & quod sciunt agere.* Et: *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non fecit nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secundum litteram.* Extra hanc gratiam Christi, quæ per charitatem & per ineffabilem suavitatem, cum qua illabitur, semper congrua est, & incongrua esse non potest, nullam novit Augustinus quam velut incongruam, sed sufficientem, reprobatis destinet; nisi forte homines per litteram legis sufficienter ad agendum instructos adjutosque esse statuamus. Quidquid enim sufficientis gratiæ, vel à Neotericis, vel Pelagianis vel Massilienſibus præter istam agendi gratiam excogitatum est hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites gratiæ Pelagianæ constitui debet.

B

C

Cessius supra n. 11.

Lib. de grat. Christi c. 13.

Ibid.

Ibid.

CAPVT OCTAVVM.

Soluitur quintum argumentum, quo dicitur, hanc sententiam afferre socordiam electis, & reprobis desperationem.

Lessius de prad. & reprob. sect. 2. n. 5.

QVINTO obijciunt, quod ista sententia tollat omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis. Quisque enim apud se ita ratiocinari potest. Vel sum de numero electorum vel non sum: si sum de illo numero, impossibile est ut damner; non est ergo quod metuam damnationem, vel de bonis operibus, vel perseverantia sim sollicitus. Si vero non sum de numero sic electorum, frustra etiam sum sollicitus, frustra præcepta servo &c. Quia certissimus sum omnia mihi nihil profuturа ad salutem, omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur. Quid ergo sequi potest, nisi in primis socordia, in secundis desperatio.

Respondetur idem incommodum ursisse fortissime Massilienses. Nam de utraque parte, tam de sollicitudinis ademptione, quam de desperatione apud Prosperum dicunt: *Hoc propositum vocationis Dei quo eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Deo creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi ad merè*, propter desperationem videlicet quia frustra laborarent, *& sanctis occasionem temporis asserre, eo quod utraque parte superfluus labor sit, si neque recto ullo industria posit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinatus electio cassa sit admittens intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates*; Vides hic ipsissimas quæ objectæ sunt, querimonias adversus istud propositum Dei quo humanas præveniendo voluntates, eligendorum & reijciendorum discretionem fecit. Vnde etiam inferius addit: *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit*; hoc est, quæ superflua erunt si non fuerimus electi intra istum numerum, quia ut noster dixit, *omnibus istis non possumus intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur.*

Prosp. in Epist. ad Aug.

Ibid.

Dico itaq; in primis nihil facilius esse, quam res verissimas hominibus maxime imperitis ita proponere, ut non ædificentur, sed scandalizentur auditores, sicut nihil facilius quam optima medicamenta sic applicari, ut noceant potius quam ut prosint ægrotantibus. *Dolosi vel imperiti medici est*, inquit Augustinus, *etiam utile medicamentum sic alligare ut aut non prosit aut obsit.* Nam idem dilemma pari prorsus modo ad auferendam bonorum operum sollicitudinem inferendamque desperationem, de præscientia interqueri potest. Vel nunc sum de illorum numero, quos Deus ab æterno prævidit esse salvandos, vel non sum. Si sum, nulla mea in posterum dissolutio aut segnities faciet, ut inde excidam: ut quid igitur sollicitus sum? Si non sum; nulla sollicitudine efficiam ut in illo numero comprehendar: quid igitur restat nisi desperatio? Quod tamen argumentum & istis omnibus Catholicis dissolvendum est. Vnde Augustinus istam prædestinationis ac præscientiæ similitudinem, quantum ad sollicitudinem ac socordiam bene vivendi notans, docet nos non magis deterreri debere à confitenda prædestinatione Dei, qua decernit aliquos facere bonos, quam à præscientia quod ex seipsis sint futuri boni, si quis de illa populo hic loquatur: *Sive nunc recte vivatis, sive non recte, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel bonos si bonos, vel malos si malos.* Vnde consequenter addit: *Numquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur & à labore proclives ad libidinem post contemptiones suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur?* Et adfert exemplum cujusdam fratris in monasterio, qui isto argumento tantum profecerat, ut deserta monasterij societate, velut canis ad vomitum suum reverteretur. Et inferius, cum illo modo contra reprobationem à regno Dei Massilienses arguerent, ut nunc isti arguunt: *Et si qui estis, qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi*, (qua phrasi significare volunt illam derelictionem in massa perditionis, quam Augustinus prædicabat) *subtrahentur obediendi vires ut obedire cessetis*; respondet eis Augustinus, invertendo idipsum argumentum adversus præscientiam, quam libentissime fatebantur: *Illo autem modo*, inquit, *quo id dicendum putant eadem sententia, ijsdem pene verbis etiam de præscientia Dei quam certe negare non possunt, pronunciari potest, ut dicatur: Et si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis, nempe hoc verissimum est; ita sane, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito.*

Lib. de dono perser. c. 22.

Ibid. c. 22.

Dico igitur, utramque consequentiam esse vitiosam, quia voluntas absoluta dandi gloriam, & consequenter operandi gratiam non magis tollit sollicitudinem boni operis prædestinatis, quam præscientia. Neutro quippe modo merita seu bona opera, sine sollicitudine ac diligentia, & voluntatis cooperatione

secutura

secutura sunt. Sed in hoc est differentia, quod qui crediderit primum, humillimâ voluntate sollicitudinem illam exspectandam esse judicabit & rogandam à Deo, qui nisi sollicitum faciat, se nunquam sollicitum esse posse, non dubitat: qui vero secundum, sollicitudinem istam à seipso superbâ voluntate petiturus est. Nam eam gratiæ Dei sic tribuere, ut illam ipsam gratiam humanæ subijcias voluntati, quatenus eam in actu secundo efficacem aut inefficacem reddat, ut opus sequatur, si homo gratiæ velit acquiescere, sin autem nolit, ipse, ut operatio Dei nihil in se efficiat, operetur; non est aliud quam sollicitudinem atque operationem à se ipso seu ab humana voluntate petere. Ex quo fit ut hujusmodi Scriptorem non pudeat etiam palam dicere: *Non esse inscrutabile, cur vocatio in illo sit inefficax, in actu secundo, in isto efficax, id enim pendet ab arbitrij libertate in cujus manu est facere, ut sit efficax vel inefficax.* Et alibi: *Noluit Deus dare tantam gratiæ copiam ut omnia sint naturæ facilia, ipsaque natura sit secura: sed eam dumtaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem, ut animadversa rei difficultate & ancipiti eventu excitemus naturam eique vim inseramus, ut quantum potest gratia cooperetur.* Quasi vero ista excitatio naturæ, ista sollicitudo quam nobis relinqui putat, ista vis inferenda naturæ, ista cooperatio ab ipsa gratia nobis non inferatur, juxta illud Augustini: *Ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit ille largitur. Propterea petere jubemur ut accipiamus &c.* Itaque Massilienſibus simili prorsus modo fidem existimantibus à se petendam esse, cum tali gratia sufficiente, *sine qua non* (ut fusè alibi demonstratum est) non autem ex decreto, & prædestinatione Dei esse largiendam, qui quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, in eundem modum respondet Augustinus: *Sicut ille quem Deus castum futurum esse præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit, ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit*, hoc est, non ideo non est sollicitus agere ut castus sit, *quoniam Dei dono se audit futurum esse quod quærit, imo etiam gaudet eius charitas nec inflatur, tanquam id non acceperit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verum ad hoc adiuvatur ut cum gloriatur in Domino glorietur.* Hoc est, ut similiter agnoscat, non à se provenisse castitatem, sed sibi cælitus esse datam. Vterque igitur qui de numero electorum est, sive ex prævisione, sive ex prædestinatione, sollicitus de bonis operibus ac salute esse debet, quia & prædestinatio & præscientia habet, per sollicitudinem & opera bona electionis effectum reipsa esse conferendum. Nec enim ulla ratio est, cur minus solliciti simus ut præstemus id quod per nosipsos Deus fieri prædestinavit, quam id quod Deus nos facturos esse præscivit. Nam sicuti non fieret id quod Deus præscivit esse futurum, nisi adhiberentur ea media, per quæ id futurum esse præscivit, ita non fieret id quod præordinavit, decrevitque talibus medijs fieri, nisi quoque talia media, per quæ istud fieri decrevit, adhibeantur.

Iesius lib. de prædest. & reprob. Sect. 4. n. 46.

Aug. lib. 1. q. 2. ad Simpl.

Lib. de dono pers. c. 17.

Quod vero ad alteram dilemmatis partem spectat, si non sum de numero electorum, frustra sum sollicitus, frustra præcepta servo &c. nihilq; restat nisi desperatio, nimis insipienter dicitur. Quid enim stultius dici potest, quam à creatura rationali frustra coli Deum & ejus præcepta servari, ad quem solum colendum & obediendum condita est? Nimis est mercenarius ille affectus, qui non coleret aut diligeret Deum, nisi ab eo se salutem assequi posse judicaret. Et qui non nisi tali modo coluerit creatorem suum, vereor ne eum nunquâ assequatur, quidquid ipse tandem de sua sollicitudine & sanctitate præsumpserit. Quasi vero esset aliud diligere & colere Deum, quam diligere & colere veritatem, quia Deus veritas est; aut ulla major creaturæ rationalis miseria esse possit, etiam in inferno, quam quod non diligat & faciat id quod veritas dictat, semperque vanis falsisque delectetur. Semper ergo & hic & ubique veritas diligenda, colenda, facienda est, sive ab ea quippiam aliud assequi posse speres, sive non speres. Tanta enim est pulchritudo & felicitas in eius dilectione & cultu, & custodia mandatorum veritatis, ut etiam in hac vita nulla major felicitas dari possit ei, qui in perpetuum condemnandus est. Si enim non diligat veritatem, & non faciat id quod jubet, non solum necesse est, ut fallum diligat & operetur, quo nihil infelicius, sed etiam ut longe graviores in damnatione pœnas luat. Stultissimum est igitur dicere, hoc frustra fieri à creatura, quod ubique arctissime tenetur facere; & quo nihil melius aut facere aut dicere aut cogitare in hac vita, aut futura potest; Et quod si constanter faceret, nihil ea esset in tempore prudentius, & in æternitate felicius. Quisquis tali fuerit animo, non desperabit, sed magnâ fiduciâ ibit in Deum, magnisque precibus poscet perseverantiam talis dilectionis. Vnde etiam magnâ tranquillitate fruetur, securissimus, Deum non posse talem animum abijcere: & si abjecerit, hoc certissimè sua culpa sibi futurum esse persuadet, nec alia culpa, nisi quia non in illa veritatis dilectione perseverat. De cetero ab arcanorum judiciorum, quibus alterutrum decrevit Deus, perscrutatione curiosa temperat humiliter, sperans, & ex tali constitutione animi confidens, se non esse à Dei prædestinatione præteritum. Quo sane modo sanctus Augustinus omnes umbras ac tentationes desperationis abstergit, quando adversus similes indisciplinatas cogitationes opponendum tradit: *Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum sperare debetis & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo considere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc ut faciatis ipse largitur.*

Lib. de dono pers. cap. 22.

Sed hoc vehementer sane mirabile est, quod

hujusmodi scriptores tantum remedium desperationis in ista præscientia, qua Deus noverit, non quid ille sed quid ipsi cum ista gratia sufficienti pro sua indifferenti libertate facturi sunt, positum esse putant. Quasi non esset satis experientia comprobatum, quid in Angelis acciderit, quid in humano genere toto, quod in duobus hominibus constitutum erat, quid denique, juxta ipsorum quoque sententiam, jam post lapsum in humani generis incomparabiliter majori parte contingat. Et sane quid sibi volunt hujusmodi scriptores aliud, quam tunc homini esse maximam spem, cum homo in se speraverit? Quo quid profanius dici potest? Et tamen spes illa, quam ipsi prædicant, non est alia quam qua homo, suppositia sufficienti ubique gratia, in seipso & arbitrij sui libertate sperat se semper in Dei dilectione mansurum. Adversus cujusmodi præsumptionem, & similes omnino cogitationes quibus iste Scriptor ad istam doctrinam impugnandam utitur, sæpe graviter intonat Augustinus: *Sane*, inquit, *cum Apostolus dicat ideo*

Lib. de præd. SS. c. 11.

A *ex fide ut secundum gratiam firma sit promissio: miror homines infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi de teipso voluntas certa est, nec times? Qui videtur stare videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam spemque charitatemque committit.* Et in libro de dono perseverantiæ: *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quam exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere.* Et multo inferius: *Absit autem à vobis ideo desperare de vobis,* *Lib. de dono perser. c. 17.* *Ibid. c. 22.*
quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Et in eodem loco paulo post: *Ibid.*
Avero timendum est ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem
B *desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret.*

CAPVT NONVM.

Soluitur sextum argumentum, quo urgent istam doctrinam tollere zelum animarum, & inutiles facere prædicationes & correptiones. Et utrum scandalum ac dissolutionem vitæ pariat.

Cess. lib. cit. sect. 2. n. 15.

SEXTO objiciunt, tolli zelum animarum. Si enim inquiunt, omnes salvandi ante omnem prævisionem sunt jam absolute electi & præfiniti, cur de illorum salute sim sollicitus? Nam etsi ego quiescam, æquè bene omnes illi & soli salvabuntur. Cur sum anxius de eo, quod ex vi decreti divini certissime est eventurum? Nunquam aliquis in illum numerum intrabit; nunquam inde aliquis excidet, nulla ei fiet accessio aut detractio. Ita ille. Addunt etjam inutiles consequenter fore omnes exhortationes & prædicationes & correptiones, per quas iste zelus animarum exerceri & animarum salus promoveri solet.

Responderetur, ista quoque Massilienſium & aliorum querela quondam adversus Augustini doctrinam fuit, quam ex adversantium persona sibi objecit Augustinus: *Non argu-*

Lib. de Cor. & grat. c. 15.

mentemur contra ista præcepta de monendis & corripiendis hominibus *salubremque terrorem de-*
B *centes: & corrumpant bonos mores colloquia mala & pereat infirmus quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat & nemo perit nisi filius perditionis.* Hoc est, decretum Dei de salvandis fixum est, illi soli salvabuntur, nunquam inde aliquis excidet, sicut objectum fuit. Vnde & ad præcedentem objectionem audimus querentes Massilienses, quod *utraque parte superfluus labor esset, eo quod non posset aliud quàm Deus definit accidere.*

Apud Prosp. in Epist. ad Aug. Ibid.

Itemque & apud Prosperum: *Non acquiescunt*

A *prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant.* Et apud Hilarium in Epistola ad Augustinum: *Si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem ut de aliis ad alios nullus possit accidere quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia.* *Apud Hilar. in Epist. ad Aug.*

Dicimus igitur per istam Augustini doctrinam tolli zelum animarum *qui non est secundum scientiam*, adulterinum scilicet, ex errore profectum, quo putant homines se sua diligentia perfecturos, ut aliqui qui non sunt in illo certo decretoque numero electorum à Deo, ad salutem perducantur, alioquin æterna morte perituri: Non tolli tamen verum illum sincerumque zelum animarum, in ea quam Augustinus tradidit veritate fundatum, ex qua ferventes cooperatores esse debemus voluntatis Dei, fraternæque salutis adjutores. Nam primo novimus Deum velle & jubere, ut quandoquidem eos qui illo numero com-
B prehensi sunt, à ceteris discernere non possumus, omnes homines velimus, & quantum possumus conemur salvos facere. Ex quo fit, ut quamvis nemo nisi illo numero exclusus pereat, nostræ tamen socordiæ, si salutem ejus neglexerimus imputanda sit. Itaque cum Augustinus illa supra dicta quorundam verba sibi objecisset, quibus dicebant; *Pereat infirmus quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat & nemo perit nisi filius perditionis*

Lib. de Cor. & grat. c. 15.

ditionis, & zelum fraternæ salutis suo & aliorum animis eximebant, retundit ea non sine
Ibid. c. 16. insigni acrimonia: *Absit ut illa garrientes securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim quia nemo perit nisi filius perditionis: sed ait per Ezechielem Prophetam: Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem vero eius de manu speculatoris requiram.* Vnde regulam tradens exserendi zeli & actionum quibus eum ad salutem fratrum nostrorum procurandam declaramus admonendo, exhortando, corri-
Ibid. c. ult. piendo, præcipiendo, subjungit: *Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio. Dei est autem illis eam utilem facere quos ipse præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus ne aliquis inde pereat, cur non etiam timore corripimus ne aliquis inde plus pereat?* Quod etiam superius nonnullis antepositis luculente tradi-
Ibid. c. 15. derat: *Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu* qui non est alius nisi animarum zelus, *ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippe fit cum singulos quosque ut occurrerint cum quibus id agere valeamus ad hoc conamur adducere ut iustificati ex fide pacem habeant ad Deum.* Ex qua sancti Augustini doctrina manifestum est, velle Deum, ut ad omnium qui occurrerint salutem acquirendam charitatis ardore flagremus: sed Dei est *utilem*, inquit, *illis eum facere, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis filii sui.* Sed quid opus, inquies, ut etiam propter prædestinatos tanto zelo charitatis ardeamus, cum æque bene omnes illi & soli salvandi sint?

Respondeo quia prædestinatio effectum suum non sine hominum aliorum cooperatione sortietur. Non minus est autem, imo vero multo magis, hominum actio & studium & zelus necessarius ad ea quę Deus decrevit humanis actionibus concurrentibus fieri, quam ad ea quæ tantum futura prævidit. Neutra quippe fierent, nisi illa per quæ sunt futura concurrerent. Cùm ergo nesciamus, utrum per diligentiam atque operam nostram Deus fratrum nostrorum salutem in æternæ felicitatis portum adducere velit, merito sane, si filialis erga patrem nostrum, & fraternæ erga proximos viscera charitatis gerimus, in salutem eorum zelandum inardescimus. Ita diversis in locis istum zelum intellexit & opera ex zelo pullulantia sanctus Augustinus. Nam ad preces pro proximis fundendas, incitans, quibus nihil efficacius ad proximorum
Lib. de dono perse. c. 22. salutem obtinendam zelus habet: *Si qui sunt,* inquit, *nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt ut nostris orationibus concedantur & accipiant eandem gratiam qua credant & efficiantur electi.* Quasi dicat fortassis enim prædestinatum est, ut salus eorum per tale medium orationis, quam pro eis fundimus, procuranda sit. Et de excommunicationis anathemate, quod pastoralis aliquando

A zelus infligit: *Pastoralis tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsan separatione sananda. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu ut omnes velimus salvos fieri.* Et sui quoque zeli, ex quo post tot exarata volumina, duos illos postremos libros adversus errores de Dei prædestinatione scripsit, eandem fuisse basim indicat. Nam quamvis Deum non dubitaret Massilienses veritatem posse revelare: *Tamen*, inquit, *etiam nos impendamus eis dilectionis affectum*, hoc est, zelum nostrum quo liberationem eorum ab erroribus concupiscimus, *ministerumque sermonis, sicut donat ille quem rogamus ut in his litteris ea quæ illis essent apta & utilia diceremus. Vnde enim scimus ne forte Deus noster id per hanc nostram velit, efficere servitutem, qua eis* B *in Christi libera charitate servimus.* Denique istam esse debere basim zeli quo servus Dei salutem errantium jubetur quærere, sanctus Paulus satis perspicue similibus verbis docet: *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant a diaboli laqueis.* Quasi dicat cum Augustino, unde enim scimus, ne forte Deus id per hanc vestram velit efficere correptionis modestæ servitutem? Hac sana & sancta divi Augustini doctrina quisquis institutus fuerit, quamvis non credat quemquam opera sua salvandum esse, quem Deus non salvare decreverit, non tamen idcirco minori zelo Deo jubenti prædicare, monere, corripere, orare, & hujusmodi salutis ministeria fratribus exhibere morem geret; fortasse enim sic prædestinatos esse cum Augustino cogitat, ut nostris ministeriis concedantur. Vnde cum illam electionem quorundam ad regnum, ac discretionem à massa perditionis per propositum Dei, instantissime docuisset, eo tamen non obstante, utilitatem correptionis inculcans, *Nemo igitur dicat*, inquit, *non esse corripiendum qui exorbitat de via iusta, sed ei redditum & perseverantiam a Domino tantum esse poscendam: Nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam quod corripitur Deus cooperatur in bonum. Verum autem hic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate* (hoc est, cum zelo de quo loquitur) *quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam aut iudicium. Misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur gratia largitate discretus est &c.* Et multo inferius monet præpositos ut corripiant subditos fratres correptionibus de charitate venientibus: *Nos*, C *Cap. 15.* ait, *agamus sine desperatione quod agimus. Si filius pacis est qui corripitur requiescet super eum pax nostra: sin autem, ad nos revertetur.* Quibus præclarissime subjungit, *Quamvis itaque etiam dum quorundam fides subvertitur firmum Dei fundamentum stet, quoniam scivit Dominus qui sint eius non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis qui corripiendi sunt. Neque enim frustra* D *Ibid.*

Lib. de Cor. & grat. c. 13.

Lib. de prad. SS. c. 1.

2. Timoth. 2.

Lib. de Cor. & grat. c. 9.

dictum

dictum est, Corrumpunt bonos mores colloquia mala, & peribit infirmus in tua scientia, frater, pro quo Christus mortuus est. Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem &c. Quæ supra diximus. Et io libro de dono perseverantiæ respondens Massilienſibus, qui dicebant, ut supra vidimus, sic prædestinati ad utramque partem, ut de alijs ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? Ac propterea clamabant prædestinationis desinitionem utilitati prædicationis adversam: *Quasi vero*, inquit, *adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille doctor gentium in fide & veritate prædestinationem rectes commendavit, & verbum Dei prædicare non desistit?* Et utrumque Scriptura declarans: *Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura divina, existimamus impiè desinitionem prædicationis, quam commendat eadem Scriptura divina?* Nempe quia, ut supra ex eo diximus, sic fortassis prædestinatum est, ut nostris orationibus aut alijs ministerijs concedantur. Quod præclare exserteque sanctus Prosper expressit: *Quamvis ergo quod fiunt Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tollantur orandi*, adde & prædicandi, & monendi, & corripiendi, quia similis omnium ratio est. *Nec per electionis propositum liberi arbitrij devotio relaxatur, cum inclinatæ voluntatis Dei ita sit prædestinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum sint incrementa meritorum & qui bona cœperint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.*

Lib. de dono perſev. c. 14.

Prosp. lib. 2. de vo. at. Gent. c. 36.

Ex quo etiam sequitur, non recte dici, quod hæc doctrina explicata populo ac diligenter expressa, scandalum pareret, & licentiam vitæ. Scandalum enim non parit, nisi apud distortos animos qui pravis opinionibus, vel sui-ipsius fiducia plemi, simul atque ad submissionem sub Deo & ad suspendendam perditæ creaturæ spem ex divinæ voluntatis decreto revocantur, omnis devotio refrigescit & ad sequendas veteris hominis cupiditates relaxantur. Nihil enim horrent istiusmodi homines magis, quam revocari ad *divina voluntatis incertum*, quasi de sua cooperatione cum sua sufficienti gratia certiores. Hanc enim submissionem horrebant etiam, caneque pejus & angue oderant, Prospero & Hilario testibus, Massilienses: *Sub incerta*, aiebant, *spe cursum non posse esse constantem. Cum si aliud habeat prædestinatus electio, cassa sit admittentis intentio.* Et Hilarius: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt*, eo quod inde desperationem sibi verentur, si fulcrum istud propriæ diligentiæ subtraheretur.

Prosp in Ep. ad Aug.

Hilar. ad Aug.

Quapropter non est inutilis ista doctrina prædicationi, dummodo coram imperitis, lapsus humani corruptionisque naturæ magnitudinem non penetrantibus (& ideo plerumque plus quam fas est humano conatui & liberæ voluntati tribuentibus) sobrie prudenterque prædicetur. Sed si invidiosè proponatur, quid mirum si scandalum imperitis, maximeque superbis ista summæ humilitatis doctrina pariat? Etiam præscientiam rudibus sic proponere, ut horrescant, scandalizentur, dissolvantur, non est difficile: *Quæ tamen prædestinatio*, inquit Aug. *non ita populo prædicanda est ut apud imperitā vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur sicut redargui videtur & præscientia Dei (quam certe negare non possunt) si dicatur hominibus, sive curratis, sive dormitatis quod vos præscivit qui falli non potest, hoc eritis.* Quod dolosi vel imperiti medici medicamentum utile perperam allegantes comparatione declarat. Qua de re supra nonnihil egimus.

Lib. de dono perſ. c. 22.

Quod si tamen ex doctrina ista recte explicata quispiam in scandalum, vitæque dissolutionem aut desperationem cadat, scandalum est Pharisaicum, ex distortis opinionibus vel affectibus profectum, & ideo, si sanari non potuerit, negligendum. *Dicatur ergo verum*, ut monet hac ipsa de re disputans humillimus Doctor, *maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum tacetur propter eos qui capere non possunt non solum veritate frandentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas possunt.* Non est veritas Lesbia regula, ut ad infirmorum, vel do se præsumentium affectus aptari debeat: sed si necessitas postulat integerrime prædicanda, si non postulat, & imbecillium capacitatem postulat, supprimenda. Vera, solida, & humilis pietas valde rara est, etiam in illis qui sibi de religione blādiuntur. Quotquot eam tamen, Deo miserante, consecuti sunt, non est periculum, ut illi in barathrum desperationis aut dissolutionis incidant, dum omnem spem suam in gratuitam Dei prædestinantis ac liberantis quos voluerit, misericordiam transferre, ac baculum arundineum liberæ suæ voluntatis abijcere docentur; qua tot Angelorum myriades, nulla tentatione pulsatas, totumque genus humanum semel in paradiso, & nunc infinitis penè partibus majorem ejus numerum, sufficienti (ut ipsi clamant) gratia communitum, iterum cecidisse, & quotidie cadere non possunt ulla ratione diffiteri. Quibus iterum illud Augustini etiam atque etiam cogitandum relinquo: *An vero timendum est, ne tunc homo desperet quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?*

Ibid. c. 16.

Lib. de dono perſer. c. 22.

CAPVT

CAPVT X.

Soluitur septimum argumentum, quo existimatur ista doctrina non esse divinæ clementiæ consentanea, eo quod reprobos non nisi ad damnationem creare & conservare videatur.

DENIQVE obijci potest, non videri sententiam istam sancti Augustini divinæ bonitati & clementiæ cõsentaneam. Non enim ad aliud illi quos ex perditionis massa liberare noluit, creari videntur, nisi ut in æternum pereant, nec eorum creatio esse beneficium, sed summum maleficium. Quis enim fructus propter quem tanta reproborum multitudo nascatur, ex qua nemo salvandus esse prævidetur, neque suppositâ illa gratiæ potentissimæ negatione salvari potest?

Respondetur: & ista objectio à Massilien-
sibus Augustino facta est, quando ejus doctrinæ, tanquam inde consectaneum objecerunt: *Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet ut illam perdat in æternum.* Itemque, *quod maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, ut non Dei sed diaboli faciat voluntatem.* Ad eam igitur dico, Deum ex immensa bonitate creasse non minus hominum quam Angelorum naturam, eosque in manu liberi arbitrij collocasse, cum adjutorio quo sempiternam sibi beatitudinem possent comparare si vellent. Quod ergo creati sunt, creantis beneficium, quod ceciderunt, peccantis meritum. Nec æquum erat, ut illâ spontaneâ deficientis voluntatis pervicaciâ statutus ordo turbaretur, ut videlicet propterea neque peccatrix natura dæmonum amplius permanere deberet, neque peccatrix primorum hominum natura propagari. Quod enim dæmonibus & hominibus reprobis hoc in malum cedit, non est ex voluntate creatoris, sed malitia spontanea peccatoris. Ille enim conservat dæmones sub tantis criminibus & cum tantis supplicijs, & ex semine vitiato propagat homines reprobos, in usus maximos Deo cognitos; quamvis ipsi propria iniquitate, non nisi malum facturi atque perituri sint. Ex quo fit, ut quicquid ipse conservat aut creat, non nisi bonum sit; & ex natura sua magnum beneficium, gratiarum actione dignissimum, quamvis per accidens, ex aliena perversitate cedat in malum. Hinc. Augustinus cum ei simile quid objiceretur: *Bonitate sua,* inquit, *Deus facit homines & primos sine peccato, & ceteros sub peccato in usus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius diaboli malitia novit ille quid agat & quod agit iustum est & bonum, nec eum propterea creare* (adde & cõservare) *noluit quia malum futurum & permansurum esse præscivit, ita de universo genere humano quamvis nullus hominum sine peccati sorde nascatur bonum ille qui summe bonus est operatur.* Et infra: *Sic itaque creat malos quomodo pascit & nutrit malos, quia quod eis creando tribuis ad naturæ pertinet bonitatem, & quod eos pascendo & nutriendo dat incrementum, non utique malitiæ eorum, sed eidem bonæ naturæ quam creavit bonus bonum tribuit adiumentum.* Ex quo patet, hanc Augustini solutionem non minus ad hominum ac dæmonum sub peccato & pœnis conservationem, quam creationem pertinere; idque quamvis non aliqui tantum reprobi, sed omnes omnino homines & Angeli per ipse & in æternum perituros esse fingeremus. Itaque & Prosper eandem objectionem solvens: *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est ut periret: quia alia est causa nascendi & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines conditoris est beneficium: at autem pereant prævaricatoris est meritum.* Sed hujusmodi imaginationes hominum adversus quas hactenus dimicavimus, ex eo fere proficiscuntur, quod de humana natura ad eum philosophantur modum, ac si innocens ex opificis manibus prodiret. Tunc enim revera, si Deus absque ulla operum prævisione, alios ad beatitudinem elegisset, alios ad perditionem, sine auxilijs dimitteret, atque interim illos vocaret ad fidem, hortaretur ad sollicitudinem, præmia proponeret, exitium minaretur, negata omni faciendi bonum & cavendi malum facultate, merito durissimum iniquissimumq; videretur tales condere; quia non eos nisi ad interitum destinare videretur. Sed in Augustini sententia se res longe secus habet. Propria voluntate violata, fracta, infirmata natura est, & perditioni obnoxia, quid querimur adversus judicem quod aliquos liberando, reliquos propriæ relinquat infirmæque libertati? An ut mutet æternas leges suas, quas naturales dicimus, & hominibus haud secus ac dæmonibus in eorum institutione proposuit, ne amplius earum transgressione delinquant, vel gratias ubique & semper etiam ad inferos diffundat, ut possint eas transgrediendo delinquere? Quod si utrumlibet perabsurdum est, ut vel aboleantur naturales circa Deum & proximum leges, vel adimplendi gratia ad damnatos inferosque diffundatur; nec tamen alio ullo pacto lex naturalis, nisi per magnam Dei gratiam, præcipuè à peccatoribus, sine peccato custodiri possit, desinant murmurare adversus Deum, quod ex perdito genere quosdam tantum liberando, ceteros sine gratuitis liberationis adjutorijs, in perditione deseliquerit.

Obiect. 3. Vincent. Obiect. 4. Vincent.

Prosp. ad Obiect. 3. Vincent.

Lib. 2. de corrept. c. 16.

Lib. 2. de corrept. c. 16.

CAPVT

CAPVT XI.

Reprobati non tam propter suam, quam electorum utilitatem nascuntur & conservantur.

QVÆ tamen vel expressa vel tacita murmura, quibus viri boni adversus istam assertam ab Augustino divinæ justitiæ severitatem concitantur, magna ex parte placarentur, si causas illas profundas, propter quas Deus istum ordinem providentiæ adhibendum judicavit, intelligendo penetrarent. Sunt enim ab oculis hominum maximè carnalium vehementer abstrusæ. Quam ob causam Augustinus paulo ante dixit, quod Deus malos creat *in usus profundarum cogitationum suarum*. Cujus profunditatis consideratione alibi dicit, quod *illa inscrutabilia iudicia eius, hinc fidelibus cordibus magnam ingerant admirationem, qui de illius sapientia pertingente à fine usque ad finem fortiter & omnia suaviter disponente non dubitant, quid sit quod ei placet ut nascantur ac multiplicentur hi, quos etsi malos ipsa non fecit tamen malos futuros esse præscivit.* Addit itaque: *Nimis enim consilium eius in abdito est, quo etiam malis bene utitur ad profectum bonorum, etiam in hoc mirificans omnipotentiam bonitatis suæ.* Quæ providentia adhuc multo apparet mirabilior, quando tantam cogitamus, aut etiam videmus hominum non liberandorum ad æterna destinatorum supplicia multitudinem: *Quare sint illi plures quam illi*, ait Augustinus, *consilium Dei velle nosse multorum est, nosse autem vel paucissimorum hominum vel omnino nullorum.* Hæc igitur divinæ providentiæ profunditas, & ex profunditate obscuritas, facit homines qui non murmurant, aut non mirantur, peccatores Angelos universos, in ictu oculi, sine spe reparationis, judiciaria Dei severitate damnatos, aut innumeros parvulos, qui omni prorsus baptismi potestate caruerunt, ad inferos præcisa spe liberationis expelli, de majoribus præcipuè mirentur & conquerantur, quod absque ulla futurorum operum consideratione, in perditione relicti sint, & à divina misericordia reprobati, vitam istam gratiæ cælestis adjutorijs destituti transeant. Quasi vero & ista eorum desertio ac derelictio non esset, aut esse deberet pars illius supplicij, quod sua iniquitate meruerunt, aut non mirandum esset, si eos omnes confestim extremis illis supplicijs addiceret: aut magis mirandum sit, quod Deus in hac vita quandam iræ istius magnæ, quæ peccato debita est, & propter quam à divina misericordia exclusi & à justitia reprobati sunt, particulam exequatur. Sed quia causæ istius gubernationis reproborum tam alta caligine tectæ sunt, ut frustra in hoc mundo vivere & non nisi ad cumulanda sibi supplicia derelicti esse videantur, hinc homines vel ad ista consideranda tardiores, vel præoccupatis opinionibus distorti, quibus abjecta justitiæ severitate, nil nisi gratiarum profusiones cogitant, patrocinandis ijs qui reprobati ac derelicti sunt, & redarguendo reprobanti ac derelinquenti Deo, exercent facundiam suam. Qui ut vel paululum erga doctrinam istam sancti Præsulis severam quidem, sed tamen ipsius judicio nimis veram, mitescere dignentur, causas nonnullas, Deo juvante, proferemus, quas ipse sanctus Augustinus prodidit, cur Deus eos quos alto suo judicio reprobavit, & à damnationis liberatione secluſit, in hac vita sæpius sine gratiæ ullius beneficio vivere sinat, alios ex ipsa collata gratia quam subinde tribuit graviores accumulare cruciatus. Quas quisquis bene ponderaverit, judicabit fortassis id quod Augustino visum fuit, non aliter debuisse prædestinatos ex eodem genere liberari, nisi reprobi ipsis permixti cum tanta Dei severitate tractarentur.

In primis igitur sancto Augustino indubitatum fuit, homines illos quos Deus justo judicio noluit à damnationis massa discernere, non tam propter ipsos ut æternam vitam assequantur, quam propter alios, quos ei ab eadem massa misericordiæ liberalitate discernere placuit, creari, & in hac vita servari, & gubernari. Testatur hoc sanctus Doctor diversis locis. Nam cum adversus Iulianum declarasset, Deum suis prædestinatis pœnitentiam beatumque finem sua liberalitate largiri, de reprobatis addit: *Ceteri autem mortales qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum.* Et in Epistola ad Paulinum: *Ipsis super quos ira Dei manet bene utitur ad docendos alios quos liberare dignatur.* Et libro decimo sexto contra Faustum: *Ad aliquem namque usum sanctorum ordinatur omnis cacitas impiorum à summo Deo qui pro sui regiminis æquitate bene utitur etiam malis ut qui suo arbitrio iniuste vivunt illius iudicio iuste disponantur.* Ex quo fit ut quantum Dei dilectio erga reprobos minuitur, quos in perditione relinquere statuit, tantum erga prædestinatos, quos liberandos destinavit augeatur, ut in eos toto impetu collata fluat. Alij quippe sua in qua jacent iniquitate meruerunt, ut quia sibi inutiles facti sunt, non amplius gubernentur à Deo propter se, sed in illum ordinem providentiæ, in quo serviant alijs, referantur.

Epist. 59.

Lib. 2. oper. imperf. Iul. fo. 346.

Lib. 5. cont. Iul. c. 41.

Epist. 106

Lib. 16. con Faust. c. 31

CAPVT

CAPVT XII.

Fructus quos electis afferunt ad tria capita generalia revocantur. Explicatur primus: quod sint ornamentum terrarum, & quo sensu.

PORRÒ istæ utilitates, quas electis Dei filijs conferunt reprobi, sunt innumeræ, sed ferè ad duo aut tria capita generalia reduci possunt: ut videlicet sint quidam seculi præsentis ornatus, cujus utilitas in corporalem electorum fructum redundet; ut electi multis modis doceantur; denique ut exerceantur atque proficiant.

Primus igitur fructus est, quem ex reprobis elicit Deus, ut salutem seculi præsentis cursusve, vel sola talis tantæque naturæ præsentia, & infinitis ejus operibus humanæ vitæ utilibus decoretur. Tetigit eum sanctus Augustinus contra Iulianum, ubi cum de prædestinatis ac reprobis disputando diceret, quod reprobi ad utilitatem electorum nascerentur, pressius eam utilitatem explicans, confestim adijcit: *Non enim quemquam eorum Deus temerè ac fortuito creat, aut unde de illis boni operetur ignorat. Ipse & hoc ipso bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam & ex eis ordinem seculi præsentis exornat.* Et in libris de libero arbitrio de parvulis disputans, cur cum peccato ex homine jam peccatore nasci aut gigni sinerentur aut curarentur: *Non enim damnato primo homine sic adempta est beatitudo ut etiam fœcunditas auferretur. Poterat enim & de prole eius quamvis carnali & mortali aliquid in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum.* Et in libro de vera religione: *Ita de peccatore nostro quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum & tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur ut ars inestabilis meditetur ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.* Quæ pulchritudo in eo ipso magna ex parte sita est, quod in illa magna generis humani societate, non solum reprobi electorum utilitati serviunt, ut mox dicendum est, sed & ipsa in profectum virtutum vitia convertuntur. Et in libris de Genesi ad litteram: *An verò ita quis cœcus est mente ut non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum etiam cum à paucis recte laudabiliterq; vivatur? Quantumque valeat ordo reipublicæ in cuiuscumque pacis terrena vinculum coercens etiam peccatores? Neque enim tantum depravati sunt homines ut non etiam tales pecoribus & volatilibus antecellant, quorum tamen omnium generibus hanc visibilem mundi partem pro sui loci sorte decoratam quem non considerare delectet? Quis verò quantusque sit iste orbis terrarum ornatus, & ad prædicandam conditoris majestatem, quam admirabilis, brevius Prosper tetigit, cum illam Augustini doctrinam defendere cogeretur: Ornati autem etiam talium conditione mentis huius varietatem, quis non intelliget, qui videat studijs & operibus quorundam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in extructione urbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum?* Sed & ipse Augustinus præclarissimè fusissimèque in libris de Civitate Dei disserendo declarat: *Ipse (Deus) incorpoream corporeamq; naturam, illam præpositam, istam subiectam mirabili modo copulans & concelebris animantem fecit. Quod opus eius tam magnum & mirabile est ut non solum in homine, quod est animal rationale, & ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atq; præstantius, sed in qualibet minutissima muscula bene consideranti stuporem mentis ingerat, laudemq; pariat Creatori. Ipsa itaque animæ humanæ mentem dedit, ubi ratio atque intelligentia in infante sopita est quodammodo, quasi nulla sit, exercitanda scilicet atque exercenda ætatis accessu, qua sit scientiæ capax, atque doctrinæ, & habilis perceptioni veritatis & amoris boni. Qua capacitate hauriat sapientiam virtutibusq; sit prædita, quibus prudenter, fortiter, temperanter & iuste adversus errores & cetera vitia generata vitia dimicet, eaq; ni illius rei desiderio nisi boni illius summi atque incommutabilis vincat. Quod etsi non faciat, ipsa talium bonorum capacitas in natura rationali ex vitio instituta, quantum sit boni quam mirabile opus omnipotentis, quis competenter effatur aut cogitat? Præter enim artes bene vivendi & ad immortale perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, & sola Dei gratia qua in Christo est, filijs promissum regnum dabuntur, nonne humano ingenio tot tantæq; artes sunt inventæ & exercitatæ, partim necessariæ, partim voluptariæ, ut tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus quas superfluas imo & periculosas pernicioſasq; appetit, quantum bonorum habeat in natura, unde ista potuit vel invenire vel discere vel exercere iudicium? Vestimentorum & adiectorum ad speciem quam mirabilia quam stupenda industria humana pervenerit, quò in agricultura, quò in navigatione profecerit: quæ in fabricatione quorumvis operum, vel etiam statuarumque & picturarum varietate excogitaverit & impleverit: quæ in theatris mirabilia spectant bus, audientibus incredibilia facienda & exhibenda molita sit: in capiendis, occidendis, domandis irrationalibus animantibus, quæ & quanta reperierit: adversus ipsos homines tot genera venenorum tot armorum tot machinamentorum, & pro salute mortalium inventa atque reparanda, quot medicamenta atque adjumenta comprehenderit: pro voluptate fœcium, quot condimenta & gulæ incitamenta reperierit: ad indicandas & suadendas cogitationes, quantam multitudinem varietatemque signorum, ubi præcipuè locum verba & littera tenent: ad delectandos animos, quos elocutionis ornatus, quam diversorum carminum copiam: ad mulcendas aures, quot organa musica, quot cantilenæ modos excogitaverit: quantam peritiam dimensionum atque numerorum: metusq; & ordines siderum, quanta sagacitate comprehenderit: quam multa rerum mirandarum cognitione se impleverit; quis possit eloqui, maxime*

Lib. 1. cont. Iul. cap. 4.

Lib. de lib. arb. cap. 20.

Lib. de vera relig. c. 26.

Lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 9.

Prosper ad Object. 13. Gall.

A

B

C

Lib. 22. de Civit. c. 24.

maximè si velimus non asservatim cuncta congerere, sed in singulis immorari. In ipsis postremo erroribus & falsitatibus detegendis quam magna claruerint ingenia Philosophorum atque hæreticorum quis existimare sufficiat? Loquimur enim de natura mentis humanæ qua ista vita mortalis ornatur, non de fide atque itinere veritatis qua illa immortalis acquiritur. Hic igitur tam magnus ac varius vitæ hujus mortalis ornatus, qui ex hominum improborum institutione & conservatione consurgit, quamvis non nisi paucissimi prædestinati miscerentur, quantam in istis benè piéque considerantibus artificis admirationem excitat, laudemque creatoris! Præter quam tamen ad filios promissionis innumeræ corporis animæque redúdant utilitates, quas vel ex industria mentis rationalis quæ in reprobis viget, vel ex terrenis laboribus in quibus assiduè versantur, hauriunt, ut ipsi altius sublata mente colendo Deo liberatori suo, sine molestissimis rerum secularium occupationibus, quibus alioquin distinerentur, incumbant. Quam ob causam Psalmus notat, Israëlitis datos fuisse Chananæorum tanquam impiorum labores ac facultates ut ex eis ad colendum Deum rectéque vivendum acciperent adjutorium: *Et dedit eis*, inquit, *regiones gentium & labores populorum possederunt. Nimirum, ut custodiant iustificationes eius & legem eius requirant.* In quæ verba sanctus Augustinus, & ex ipso Prosper discipulus ejus: *Vbi intelligendum est Dei servos & electos filios promissionis verum & germanum semen Abrahæ imitantes semen Abrahæ, propterea ista bona terrena sumere à Deo, non ut in eis luxu diffluant, sive perversâ securitate torpescant: sed ideo habeant divina misericordiâ hæc omnia præparata, in quibus quærendis possent negotiosissimis laboribus occupari ut ad hoc vacent unde bonum æternum posset acquiri, hoc est ut custodiant iustificationes eius & legem eius requirant.* Ita igitur ex innumeris artibus quas exercent impij, & operibus quæ excogitant, viri ac mulieres religiosæ infinita corporeis necessitatibus emolumenta capiunt, ex eorum velut jumentorum rationalium ministerijs adjumenta, ex agrorum & animantium cultu & pastu alimenta & vestimenta, ex reipublicæ terrenæ qualicunque ordine & sceleratorum castigatione securitatem, ex defensione tranquillitatem, ut expeditius atque securius vacent Deo, quo finem sibi solis prædestinatum, etiam reproborum adjutorio consequantur. Profunda sanè multumque mirabilis est ista Dei providentia, qua, quemadmodum in totius humani generis institutione, totam creaturam corpoream quæ ratione caret ad rationalem, hoc est, hominem referendo condidit, servamque subjecit; ita in ejusdem reparatione, reprobos omnes, à maximo usque ad minimum, prædestinatorum filiorum suorum servos fecit, ut & corporeis eorum necessitatibus & eorum spiritali profectui, æternæque vitæ potiundæ, sive sciendo, sive nesciendo famulentur.

Psalm. 104

August. & Prosp. in illa verba Psalmi

CAPVT XIII.

Fructus secundus, ut multis modis doceantur electi. Septem documenta proferuntur.

SECVNDVS igitur fructus est, vt electi multa & magna & summoperè necessaria documenta ex reprobis percipiant. Quorum primum est, ut eis ad oculum in ista reproborum abiectione & maledictione ostendatur, quid valeat liberum arbitrium, quando à Dei gratuita gubernatione & adiutorio desertum est. *Ceteri autem homines*, ait Augustinus, *ad istam societatem* (prædestinatorum) *non pertinentes propter hoc à Deo præsciente creati sunt, ut in his ostenderet liberum desertoris arbitrium sine sua gratia quid valeret.* Nihil videlicet aliud nisi ut à Deo deficiendo magis magisque terrenis cupiditatibus & peccatis implicetur. Nam ut alibi dicit: *Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam verò nisi divinitus liberatum adiutumque non valet.* Sed quia scopus Dei non in eo sistitur, ut nudæ cognitionis istius fructus exurgat, sed in primis, ut per eam electorum suorum voluntas virtutibus imbuatur, hinc in eodem loco, aliam non mediocrem utilitatem ex reproborum abiectione Augustinus assignat: ut ista liberi arbitrij ostensione, *in eorum iustis & debitis pœnis vasa misericordiæ quæ non suorum operum meritis sed gratuita Dei gratia sunt ab illa discretione discreta, quid sibi collatum esset addiscerent ut omne os obstruatur & qui gloriatur in Domino glorietur.*

Epist. 106.

Lib. 3. ad Bonif. c. 8.

Epist. 106.

Alterum itaque documentum est, ut electi ex abiectione & pœna reproborum, quæ etiam in hac vita sæpè manifesta est, discant quid etiam sibi & aliis consortibus suis debeatur ac redderetur, nisi ipsorum misereretur Deus. Vnde Augustinus ex duobus parvulis unum dicit *assumendum* fuisse *per misericordiam, alium per iudicium relinquendum, in quo is qui assumeretur agnosceret quid sibi per iudicium deberetur nisi misericordia subveniret.* Ex quo sanè sequitur

Enchirid. cap. 95.

Tertium utilitatis maximum documentum, ut electi agnoscant gratiæ seu beneficij sibi collati magnitudinem, dum vident alios æqualiter aut minus reos, cæcis oculis in hac vita ad interitum sempiternum ruere, & in altera severissimæ iustitiæ æquitate damnari. De quo documento sanctus Augustinus: *Ibi gratia est indulgentia, ubi iusta posset esse vindicta. Et hinc evidentius apparet à pœna debita liberato & gratis iustificato, quantum beneficij conferatur, quod aliter*

Epist. 106.

alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. Et in Epistola ad Vitalem notat idem beneficium istius gratiæ nullo plerumque merito, nullâ voluntate distantibus, *sed similem cum eis quibus datur habentibus causam iusto tamen iudicio Dei non dari ut intelligant quibus datur, quam gratis eis detur, quando iustè utique non daretur, quoniam similem habentibus causam iustè non datur.* Et in libro de dono perseverantiæ, cùm quæreretur, cur non omnibus daretur gratia? *Quoniam*, inquit, *Deus iudex est. Ac per hoc & ab eo gratis datur gratia: & iusto eius iudicio demonstratur, quid eis quibus datur conferat gratia.* Et in libris de Civitate Dei docet, quod Deus jam *gratia discernit* homines *& liberatis non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur ostendit.* Ratio est quia ut subiungit: *Non enim debita sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit erutum à malis, cum ab eorum hominum consortio fit immunis cum quibus illi iusta esset pœna communis.* Quod præclarissimè in Psalmis etiam significatum esse tradit, quando Prepheta dixit, ut in vulgato textu legimus, *Deus ostendet mihi super inimicos*, hoc est, Deus ostendet mihi suæ in me misericordiæ magnitudinem in ipsis inimicis meis, quos ab eo video deseri ac puniri. *Occurrebat autem quæstio*, inquit Augustinus, *quisnam sit usus istorum mortuorum, quid ex his agat Deus ad utilitatem corporis Christi quod est Ecclesia? Vt in eis demonstretur quæ sit Dei gratia in prædestinatis, qui secundum propositum vocati sunt. Vnde ipsum corpus in alio Psalmo dicit: Deus meus misericordia eius præveniet me. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis.* Vnde in Epist. ad Optatum dicit, quod si illi soli crearentur ex Adam, qui essent per gratiam recreandi, *& præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alij homines nascerentur lateret beneficium, quod donatur indignis: quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur.*

Ex quo quartum consequitur in electis documentum, quòd Deus unicè spectat, in istis occultis providentiæ suæ vijs: ut videlicet commendata sibi medullitus humilitate, discant non esse in suis meritis, quæ damnatis inveniunt, paria sed in sola Dei gratia gloriancum: *Quod iudicium cum deberetur ambobus in altero alter agnovit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit sed de divinæ gratiæ largitate quia non volentis neque currentis sed miserentis est Dei.* Et in libris de nuptijs & concupiscentia docet, ex maledicto semine Deum etiam reprobos creare atque eis bene uti, *Ne meritis suis tribuat si ad eandem massam quisque pertinens liberetur, sed qui gloriatur in Domino glorietur.* Et in libris contra Iulianum docet, in ipsis iræ vasis ostendi misericordiam qua Deus prosequitur electos suos, *Ne glorientur tanquam de meritis vitæ suæ, cum cognoscunt hoc sibi iustissimè reddi potuisse quod vident reddi paribus consortibus mortis suæ.* Hinc nascitur ulterius

Quintum pro prædestinatis documentum, ut sciant quantam gratitudinem debeant sese liberanti Deo cùm alios vident in eadem perditione derelinqui. Itaque ad ista Apostoli verba quibus dicit, quod Deus ex eadē massa *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam condit*, sic Augustinus: *Ideo non utrumque in honorem ne hoc meruisse se existimet tanquam inculpata natura. Ideo non utrumq; in contumeliā ut iudicio superexaltet misericordia. Ac per hoc nec damnatus ex debito, de supplicio iuste queritur, nec liberatus gratis de merito superbè gloriatur, sed potius humiliter gratias agit quando in illo à quo debitum exigitur quid in eadem causa sibi debeatur agnoscit.* Et non minus perspicuè quam nervosè in Psalmum 58. cùm de illis verbis: *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*, ad populum differendo tractarer, *id est*, inquit, *quantum circa me habuit misericordiam in illis mihi demonstravit circa quos non habuit, nisi enim debitor suspendatur minus agit gratias cui debitum relaxatur.*

Sextum documentum est, ut Deus quosdam justa reprobationis sententia pœnaque percellendo, timorem utilem prædestinatis incutiat, ne incidant iterum in idem superbiæ & incredulitatis exemplum: *quod vasa eos facit perditionis*, inquit, *ad usum correctionis aliorum facit*; nempe, ut explicat, quia justi concepto ex pœnis timore corriguntur, juxta illud Psalmi: *Iustus lavabit manus in sanguine peccatoris*, hoc est, *mundatur ab operibus malis per timorem Dei, cùm videt supplicia peccatorum.*

Septimum documentum est, ut Deus electis ostendat potentiam suam esse tantam, ut non solum damnare possit peccatores, sed illis ipsis etiam in hoc seculo benè uti ad eorum quoque fructum, quos acerbis odijs persequuntur. Nam ut quodam loco Augustinus: *Neque enim Deus omnipotens cum summè bonus sit ullo modo sineret malè esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus ut benefaceret etiam de malis.* Nam ea de causa etiam dæmonibus ipsis subministrat vitam, vivacemque potentiam, quamvis nulla in eis in æternum emendatio exspectetur, quia *melius iudicavit de malis benefacere quam mala nulla esse permittere.* Itaque in Epistola quinquagetima nona cum *nimis consilium Dei in abdito esse* dixisset, *quo etiam malis bene utitur ad profectum bonorum, mox addit quod etiam in hoc mirificat omnipotentiam bonitatis suæ, quia sicut illorum nequitia est male uti bonis operibus eius sic illius sapientia est bene uti malis operibus eorum.*

Hæc igitur pleraque & similia documenta saluberrima, quæ Deus ex reprobis in prædestinatis suis operatur, ex Scripturis sacris Augustinus prompsit, ubi Apostolus dicit: *Quod si Deus volens ostendere iram*, quanta videlicet pœna damnatæ massæ debeatur, ut inde in electis timor exurgat, *& demonstrare potentiam suam*, qua benè uti novit etiam malis, *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*, non ut eos corrigeret quos despexit, sed *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Quantum scilicet ipsis conferat, & quam gratuitum beneficium, quibus nihil nisi simile supplicium justissimè debebatur. Quos Apostolici loci

Epist. 107. ad Vitalem.
Lib. de dono persev. c. 8.
Lib. 14. de Civit. c. 26.
Psalm. 58.
In Psal. 87.
Epist. 157. ad Optat.
In Enchirid. cap. 98.
Lib. 2. de nupt. c. 17.
Lib. 6. cont. Iul. cap. 10.
Lib. 4. cont. Iul. cap. 8.
In Psal. 58.
Lib. 2. q. 2. ad Sim. Ie.
Ibidem.
Enchirid. cap. 11.
Ibid. c. 27.
Epist. 59.
Rom. 9.

sensus frequenter profundus Doctor tetigit, ut in libris ad Bonifacium, cùm ex Apostolo docuisset, Deum ex eadem massa posse vas aliud facere in honorē, aliud in contumeliam,

Lib. 2. ad Bonif. c. 7.

Deinde, inquit, *secutus tam magnum abditum, & secretum quantum aperiendum esse hominibus iudicavit, aperuit dicens: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam &c. ut notas faceret divitias gloriæ &c. hoc est, gratiæ Dei non solum adiutorium, sed etiam documentum. Adiutorium in vasis misericordiæ in vasis autem iræ documentum. In eis non ostendit iram & demonstrat potentiam suam, quia tam potens est bonitas eius ut bene utatur etiam malis: & in eis notas facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit iustitia punientis, hoc vasis misericordiæ donavit gratia liberantis; nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur appareret, nisi Deus alijs ex eadem massa pariter reis iusto supplicio condemnatis, quid utrisque deberetur ostenderet.* Et in libri primi quæstione secundâ ad Simplicianum, eadem omninò Apostoli verba explicans:

Lib. 1. q. 2. ad Simplic.

Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annunciatio eius in universa terra prodest eis ut timeant, ut vias suas corrigant quibus vocatio talis congruit. Et inferius ad illa consequenter verba, quibus divitias gloriæ dicitur ostendere per vasa iræ in vasa misericordiæ: *Quid enim prodest vasis perfectis in perditionem quod ea patienter Deus sustinet, ut ordinanter disperdat utaturq; illis ad instrumentum salutis aliorum, quorum misereatur? Sed illis utique prodest ad quorum salutem ipsis hic utitur.* Et inferius: *Quod ergo volens Deus ostendere iram attulit vasa iræ valet ad utilem alijs præstandū timorem, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam. Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonstrat, & quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum, & quanta agenda sint gratiæ misericordiæ Dei qui in alterum pœna quod alijs donet ostendit. Si autem illa quam de alijs exigit non est iusta pœna nihil donat alijs à quibus eam non exigit, quia verò illa iusta est, & nulla est iniquitas apud vindicantem Deum, quis sufficiat agere gratias ei qui hoc remittit, quod si vellet exigere nemo se rectè diceret non debere.*

Ibidem.

Ibidem.

CAPVT XIV.

Cur tantus numerus reprobatorum præ prædestinatis.

QVOD siquis forsan quæret, cur ergo tantum hominum numerum ab isto liberationis beneficio repulerit, cùm ex paucis abjectis eadem potuissent pro electis documenta gratitudinis, humilitatis, aliarumque virtutum trahi? Respondebit Augustinus, & hoc ipsum ad magnam prædestinatorum utilitatem, à Deo de industria esse provisum, ut etiam ex ipsa reprobatorum copia necessaria quædam documenta filij promissionis haurirent.

Primum quidem, ut sic ex rebus ipsis addiscerēt, quid humanum genus meruisset universum, ex quo tantam cernerent deperdi multitudinem. Vnde cùm quidam stulti, non intelligentes divini consilij altitudinem, quo facit vas in honorē vel in contumeliam, quodcunque voluerit, existimarent Apostolum clamando, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?*

Rom. 9.

in responsione defecisse & inopiâ reddendæ rationis repressisse victoris audaciam, rectissimè observat Augustinus, *magnum habere pondus quod dictum est ô homo tu quis es?* In talibus enim quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocat hominem, verbo quidem brevi, sed quod reipsa magna est redditio rationis:

In Enchirid. cap. 99.

Si enim non capit hæc, inquit, *quis est qui respondeat Deo? Si autem non capit magis non invenet, quid respondeat. Videt enim si capit eos qui liberantur ex universa generis humani damnatione sic oportuisse liberari ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione iustissimæ derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, & quo etiam istos debitum iudicium Dei duceret nisi eius indebita misericordia subveniret.* Ecce sic etiam *oportuit* electos liberari, ut simul tanta esset multitudo in eorum comparatione pereuntium. Quod fuisse exquisitum divinæ voluntatis consilium etiam non obscurè docet, in libris de Civitate Dei, dum tradit, propter peccati primi magnitudinem massam universam esse damnatam; *atque ita dispertitum à Deo genus humanum, ut in quibusdam demonstretur quid valeat misericors gratia, in ceteris quid iusta vindicta, neque enim utrumque demonstraretur in omnibus: quia si omnes remanerent in pœnis iustæ damnationis in nullo appareret misericors gratia redimentis: rursum si omnes à tenebris transferrentur in lucem in nullo appareret severitas ultionis. In qua propterea multo plures quam in illa sunt, ut sic ostendatur quid omnibus deberetur, quod si omnibus redderetur iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet.* Et in libris contra Iulianum: *Quis non videat plures esse in genere humano, in quos non abundavit gratia ut ex pluribus ostenderetur quid universa massæ iusto iudicio deberetur, nisi ubi velit spiritus spirare & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret.*

Lib. 21. de Civit. c. 12.

Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. fol. 289.

Alterum documentum addit alibi Augustinus, ut videlicet ex tanta reprobatorum copia demonstretur, nihil omninò in conspectu Dei esse multitudinem quantamcunque prævaricantium, ex quo contemptu derelinquentium Deum accidit, ut prævaricatores Angelos universos justissimâ severitate damnaverit. *Tam multos autem creando*, inquit, *nasci voluit quos ad suam gratiam non pertinere præscivit*

Epist. 157. ad Optatum.

Præscivit ut in multitudine incomparabili plures sint illis quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est; ut etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur quam nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum, atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi universæ quod tam magnæ parti eius redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio verum etiam in tam multis parvulis qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur.

CAPVT XV.

Tertius fructus, exercitium, & profectus, probatio, & eminentia seu manifestatio electorum.

TERTIVS fructus generalis est, quem ex reprobis in prædestinatos divina providentia redundare facit, ut eorum improbitate exerceantur in virtutibus ac de virtute in virtutem eundo proficiant. Marcesset enim sine exercitatione virtus ac semper debilis manet, quassata verò tempestatibus, profundiores firmioresque radices agit. Difficulter autem exerceri possent multa virtutum genera, nisi reproborum impietate lacesserentur. Itaq; Aug. in libris de genesi ad litteram, admirantibus, cur vel esse finerentur qui præsciuntur futuri mali scitissimè respondet: *Cùm ergo etiam per iniustos iusti, ac per impios pij proficiunt, frustra dicitur; non crearet Deus quos præsciebat malos futuros, cur enim non crearet quos sciebat bonis profuturos, ut & utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisq; nascantur, & iuste pro sua mala voluntate puniantur?* Et in quæstionibus super Exodum: *Novit ergo Deus benè uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter quo-usque sit oportere non inaniter, sed utendo eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum.* Ecce in utroque loco admonitioni, quæ ad docendum pertinet, & præcedenti capite latius pertractata est, exercitationem jungit. Ex qua regulâ Pharaonem ad utilitatem aliorum à Deo servatum esse commemorat. Et in illum Evangelij locum. *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum*, similiter exhortationi, quæ ad præbendum documentum spectat, exercitationes addit. Sic enim in quæstionibus super Matthæum: *Vtrum quia etiam boni cum adhuc infirmi sunt opus habent in quibusdam malorum permixtione: sive ut per eos exerceantur, sive ut eorum in comparatione magna illis exhortatio fiat ut nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo charitatis quasi evulsa marcescat quod est eradicari.* Hinc illud generale sancti Præsulis pronunciatum ex intimo divinæ providentiæ penu haustum: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo & nihil boni de illis agere Deum, omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur.*

Quod si verò ad singulas exercitationum & profectuum species descendere necesse esset, quas ex reprobis adhibet prædestinatis suis filijs Deus; tot utilitates nobis oboriri rentur, ut non aliter electos liberari oportuisse, sicut Augustinus dixit quam tanta reprobatorum relicta multitudine, fructuum ubertate convicti, ultro etiam fortassis qui aliter sentiunt, faterentur. Sed quia res prolixa est, ijsque perceptis quæ hactenus disseruimus, non ita multum necessaria, paucorum exemplorum & pessimorum hominum perstrictione contenti erimus. Quid enim Paganis, Hæreticis, Schismaticis, Iudæis, persecutoribus, inimicis pestilentius? Ex his tamen omnibus vide quanta in Ecclesiam electorum proficiscatur utilitas. *Vtitur*, inquit, *gentibus Paganis ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Et in libris de Civitate Dei, de profectu verorum Ecclesiæ filiorum quos prædestinatos ibidem vocat, in hunc modum loquitur: *Inimici omnes Ecclesiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia deprawentur, si accipiant potestatem corporaliter affligendi exercent eius patientiam: si tantummodo malè sentiendo adversantur, exercent eius sapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent eius benevolentiam aut etiam beneficentiam sive suasibili doctrina, sive terribili disciplina.* Et in Psalmo centesimo-sexto de ijsdem hæreticis foràs ex Ecclesia prorumpentibus; *Potuit illos pati intus semper sed nos de illis non proficeremus. Cùm autem separati sint & per quæstiones malignas inquietent nos, propositum est nobis ex illis & inquisitionis studium & timoris exemplum. Vnusquisque tremit cùm alterum videt exisse tanquam ex illius exitu dicatur illi quapropter qui se putat stare videat ne cadat. Prosunt ergo quia exierunt. Nam si intus essent & tam mali essent nihil de illis prodesset.* Similia de exercitatione profectuque filiorum Dei per filios diaboli reprobatos, ipsumque adeo diabolum jam damnatum, per universas sancti Doctoris lucubrationes sparsa sunt.

Qui & alium fructum indicat qui ex reprobis proficiscitur, & *Quartus* generalis dici posset: ut videlicet electi ex impugnatione reproborum probentur, & ex ipsa eorum oppositione magis emineant. Contrarium enim contrarij sui oppositione lucet luculentius. Vnde illa verba citati Psalmi: *Vt excludantur hi qui probati sunt argento;*

lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 6.

quæst. 32. sup. Exod.

quæst. 12. in Matt.

Psal. 54.

lib. de vera relig. cap. 6.

lib. 18. de Civit. c. 15.

In Ps. 106.

In Ps. 186.

argento; in hunc modum idem Augustinus: *Quid, ut excludantur? Ut appareant & emineant illi qui sunt probati in eloquio Dei. Cùm enim respondetur hæreticis ex necessitate ædificantur Catholici ex utilitate hanc sententiam plane Paulus expressit: Oportet enim, inquit, hæreses esse ut probati manifesti fiant in vobis. Oportet & tauros seducentes esse ut qui probati sunt argento manifesti sint, hoc est excludantur.* Epist. 141. Et in Epistola ad Maximum: *Sicut ergo ipsi benignitate & patientiâ id est bonis Dei male utuntur, dum non corriguntur: Sic contra Deus etiam malis eorum benè utitur non solum ad iustitiam suam qua eis digna in fine retribuet, sed etiam ad exercitationem & profectum sanctorum suorum ex ipsa etiam malorum perversitate bona proficiant & probentur, & manifestentur, sicut Apostolus ait: Oportet hæreses esse ut probati manifesti fiant inter vos.* Quæ sanè manifestatio bonorum eo fit luculentior, quod non solum propria virtutis luce, sed etiam ex malorum contrapositione splendidius micant. Oritur inde quippe in hoc mundo quædam quasi antithesis non verborum, qua præcipuè dicentium sermo ornari solet, sed rerum ipsarum, quasi colorum oppositorum, ex quibus candidus nigro stipatus magis eminet: *Pictor,* inquit Augustinus, *novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, & Deus nescit ubi ponat peccatores ut sit ordinata creatura?* Vel certè, quasi motuum atque pausarum ex quibus decenter sibi connexis, magna concinnitas modulationis exurgit. De quo eleganter ad hoc propositum: *Neque enim Deus ullum non dico Angelorum sed vel hominum creaturæ quem malum futurum, esse præscisset nisi pariter nosset* QVIBVS EOS BONORVM VSIBVS COMMODARET *atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Serm. 110. de verbis cap. 5. Lib. 11. de Civit. c. 18. Nam sicuti contraria verba contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam, non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur.

CAPVT XVI.

Quo scopo & fructu reprobati misceantur prædestinatis, & juxta Scripturas, servituti destinati sint.

PRopter hujusmodi igitur maximi momenti commoda quæ prædestinatis Dei filiis ex reproborum hominum improbitate nascuntur, Deus etiam quosdam ex eis quibus justitiam & sanctitatem dedit, quia tamen non sunt ab originalis perditionis malla discreti, non vult ejusdem sanctitatis perseverantiam tribuere, ut illi quibus per aliorum lapsus eruditi expedit, inexspectata eorum prolapsione territi, sub divina gratia suspensius cautiusque gradiantur, nec de ipsa securitate superbiant. Quod perspicaciter vidit & præclarissimè diversis in locis tradidit sanctus Augustinus: *Propter hunc ergo utilitatem secreti* (quo tegitur in hac vita quis de prædestinatorum numero sit) *credendum est quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter ac iustè vivere & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tam diu haberent homines istum salubertimum timorem quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè vivitur pervenirent, de ipsa tam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit ubi tanta est infirmitas, ut superbiam posit generare securitas.* Lib. de corr. & grat. c. 13. Et in libro de dono perseverantiæ, doctrinam istam saluberrimam aliquoties repetit: *Hominibus autem videtur omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas non possint esse securi: multos enim a perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus: Quapropter qui videtur stare videat ne cadat.* Lib. de dono persev. c. 8. Et in libro de sancta Virginitate: *An verò propter aliud credendum est permittere Deum ut misceantur numero professionis vestræ multi & multæ, casuri & casuræ nisi ut his cadentibus timor vester augeatur quo superbia vestra comprimatur quam sic odit Deus ut contra hanc unam se tantum humiliaret altissimus.* Lib. de sanct. Virginit. cap. 40. Et ne quis existimaret hoc solâ Dei permissione fieri, alibi apertè tradit, hoc *providentissima Dei voluntate contingere: Ideo quippe sicut iam supra diximus, non perseveraturi perseveraturis providentissimâ Dei voluntate miscentur ut esse discamus non alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur.* Lib. de dono persev. c. 13. Alibi indicat etiam Dei provisione ac dispositione fieri: *Propter huius timoris utilitatem, ne regenerati & piè vivere incipientes tanquam securi alta sapiamus, quidam non perseveraturi perseveraturis Dei permissione vel provisione ac dispositione miscentur, quibus cadentibus territicum timore & tremore gradiamur viam iustam, donec ex hac vita, quæ tentatio est super terram transeamus ad altam, ut iam non sit elatio comprimenda nec contra eius suggestiones tentationesque luctandum.* Epist. 107. ad Vital. Alibi verò, etiam esse necessarium propter profectum quem jam sæpius tetigit, ut infirmi non perseveraturos reprobos in medio sui ferant. *In omni congregatione multitudinis necesse est ut inveniantur mali. Deus enim qui novit exercendos, nos miscet nobis & non perseveraturos aut certè ita simulatos ut nec inchoaverint in quo perseverare debeant. Novit enim necessarium esse nobis ut feramus malos & proficiat quod boni sumus.* In Ps 44. Ecce quantâ fiduciâ docet Augustinus, non perseveraturos perseveraturis, hoc est, reprobos prædestinatis, Dei non solum permissione,

ne, sed etiam provisione ac dispositione, ac providentissimâ voluntate, & nostrâ hoc ipsum postulante necessitate misceri, ut videlicet si noluerint ipsi servare stabilitatem peccata vitandi, valeant ad exemplum quo possint peccata vitari. Arcana sanè multumque mirabilis est ista Dei cum reprobis providentia, cujus radices nemo profundius quàm Augustinus penetravit detexitque luculentius: nimirum, ut ex tot tantisque testimonijs ejus noscceremus, quod quemadmodum in humani generis institutione, totam creaturam corpoream, quæ ratione caret ad eam quæ rationis compos est, hoc est, hominem referendo condidit servamque subjecit, ita in ejusdem reparatione reprobos omnes à minimo usque ad maximum, prædestinatorum filiorum suorum servos fecit, ut corporeis necessitatibus & admonitioni eorum, sive doctrinæ, & exercitationi, & spiritali profectui, sive scientes, sive nescientes quomodocumque famulentur.

Quæ ferè omnia utilitatum genera simul complexus est sanctus Prosper sancti Augustini studiosissimus imitator: *Quod si quæritur an de istis quos à vera religione impius error avertit aliquid boni profectibus sanctorum & incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit, inspiciatur primum ipsa crux Christi in qua magno scelere Iudæorum &c. inspiciatur Apostolorum gloriosa fortitudo &c. inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est collata victoria.* Ac statim de hæreticis aliisque reprobis Augustini mentem explicando subjicit: *De illis quoque erroribus consulens nobis Dei bonitas sentiatur, quos Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permittit exurgere, non utique eos creans aut fovens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem & custodiam veritatis exercens dicente Apostolo: Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis. Quis autem respiciens ad tenebras impiorum & ad illuminationem fidelium non ad gratias agendas Deo ex ipsa fiat collatione ferventior; & in ruina pereuntium discat, in quâ mala per liberum arbitrium fuerit nisi ei per Dominum nostrum* IESVM *Christum Dei gratia subveniret?* Hæc ergò tanta utilitas, imò necessitas eruendæ, exercendæ, probandæ, & manifestandæ virtutis, vera ratio est, cur & singuli prædestinati & singulæ congregationes proborum hominum, & universa prædestinatorum filiorum Ecclesia tanto infidelium & hæreticorum & malorum omnis generis hominum numero extrinsecus & intrinsecus, velut in sula Oceano, cingatur & periuatur: ut omnes & singuli ex reprobatorum, velut jumentorum, servitute recipiant adjutorium; ex omnibus discant magnitudinem gratiæ Dei, omnes exerceantur, omnes probentur, & ipsâ comparatione ferventiores & humiliores fiant.

Prosp. ad Object. 13. Gall.

Ibid.

Quod quidem olim in Chanaan, reprobatorum omnium typo, expressum est, cum ei nomine maledicendo prophetabat: *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.* Et in Esau, figurâ luculentiore luculentius, quando Rebeccæ consulenti respondit Dominus: *Populusque populum superabit, & major serviet minori.* Nam sive populus ille major Iudaicus intelligatur, qui Christiano, sive reproborum universa societas, quæ prædestinatorum civitati servitura prophetetur, utrobique modo sibi plenissimè figura constat. Nam juxta primum allegoricæ significationis typum, dixit Augustinus: *In quibus parvulis quasi tudentibus & sacramentum, ut dixi magnum exhibentibus, & reprobi in Esau demonstrantur Iudæi, & prædestinati in Iacob apparent Christiani. Ille enim Iacob unus parvulus sic garriens multos in se prædestinatos etiam parvulos demonstrabat.* Iuxta alterum verò, alio in loco: *In eo quod Dominus respondit Rebeccæ &c. major serviet minori; spiritalis intelligentiæ carnales in populo Dei significantur per majorem populum & spirituales per minorem.* Quos in Tractatibus in Ioannem vocat *Populum qui eligitur & populum qui reprobatur; bonum populum, malum populum*; quorum *unus succedit in hæreditatem, alter exheredatur*, quamvis in visceribus unius Ecclesiæ utrique luctentur. De Iudæorum spiritali servitute, qua Christianis, tanquam filio minori in adoptionem assumpto, major ex divina condemnatione famulatur frequenter Augustinus: *Iudæi sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorum nostrorum, quomodo servi quando eunt in adiutorium Domini ipsorum portant post illos codices & foris sedent. Sic factus est filius major filio minori. Nam aliquando movent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus certi aliquid cognoscimus ideò ergò sparsi sunt, ut nobis libros servent. Major ergò minori servit.* Quos propterea *capsarios nostros* vocat, quia *studentibus nobis scripturæ sacræ codices portant.* Simili prorsus modo & populus reprobatus electo servit, ut jam satis superque ex diversis servitutum generibus per Augustinum declaratis intelligi potuit, & breviter ab eo figuram illam explicante, sed inadæquato sensu tangitur: *Quo, inquis, ordine, major populus serviet minori? Illo utique quo mali serviunt bonis, non utique obsequendo sed persequendo. Quomodo ergò mali serviunt bonis? Quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel malleus auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornaces, ut illi coquantur, illi consumantur. Quomodo, inquam, mali serviunt? Quomodo in fornace aurifici palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, & aurum probatur.* Et brevissimè in Sermonibus de verbis Domini: *Videtis ergò quia & mali necessarij sunt bonis. In fornace quodammodo aurifices sumus, hoc est in hoc mundo. Si aurum non es, simul ardes. Si aurum es, palea tua est malus.*

Genes. 9.

Genes. 25.

Lib. 2. de Symb. c. 20.

q. 73. in Genes.

Tract. 11. in Ioan.

Serm. de tribus Iacob. in append.

In Psal. 40.

Serm. 78. de temp.

Serm. 53. de verb. Dom. c. 3.

CAPVT XVII.

Quam conveniens, imò post lapsum necessarius fuerit iste divinæ providentiæ modus.

EX his itaque fructibus tam multiplicibus & magnis & necessarijs, quos reprobi prædestinatis famulando afferunt, sufficientissimè liquet, nemini debere mirum videri, si Deus tantum reproborum hominum numerum creet, nutriat, conservet, & regat, quamvis neminem eorum salvum facere vel ab originali perditione liberare constituerit. Ad aliud enim serviunt, ad quod idonei sunt, & valde hoc rerum statu necessarij. Nempe ut in ipsis divinæ vindictæ qua peccatum plecti meruit, severitas ac justitia, & in electos misericordiæ magnitudo monstretur. Nam qui istud exoticum prædestinationis & liberationis genus commenti sunt, quo Deus omnibus paratus & expositus introducitur gratias suas in omnes indifferenter effundere, ut qui voluerit seipsum liberet, dum omnibus viscera electionis videntur velle patefacere, totam illam tam decantatam in Scripturis & Augustino dilectionem, qua prædestinatos filios suos complectitur Deus, prorsus evacuant. Nam & gratias illas congruas sine quibus vix audent, etsi multum velint, libero arbitrio sufficiente tantum gratia munito, consensum voluntatis ascribere, ex peculiari Dei in eos quibus dantur electione proficisci negant, sed ex nescio quibus regulis providentiæ, rerum etiam corporalium & brutarum, quarum ne statutus ordo violetur, creaturæ rationalis perditio negligenda est. Ita dilectionem Dei augere satagendo, minuunt, ad omnes extendendo, contrahunt, & imperitè amplificando, suffocant. Et quæ tandem gratiarum actio quam tantopere commendat electis Augustinus, debebitur ab eis Deo, si nullum eis beneficium præ ceteris excellentius, ipsorum intuitu ac dilectione donatum est? Regulis enim providentiæ, quibus anseres & muscæ, vinum & oleum gubernantur, non peculiari sui dilectioni debent, siquid fortè fortuna in ipsorum caput ex manibus Dei lapsum fuerit, inter spargendum quaquaversum adjutoria. Sed absit, ut illud *divinæ severitatis & bonitatis æternum altumq; consiliũ*, illa sapientissima & beneficentissima voluntas in rationalis creaturæ salute procuranda, rerum naturalium regulis astringatur, atque inde gratiarũ divinarum distributio pendeat, cum Augustinus dicat: *Dei gratia non solum omnia sidera & omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos supergreditur.* Sed istud per digressionem dictum sit.

Vide Less. l. 4 de præd. & reprob. sect. 4 n. 45. & sect. 5 n. 51. & 52. & 57

Lib. 2. ad Bonif. c. 6. Vide & lib. de dono pers. c. 12.

Vnum superest, quod adversus istam Dei providentiam opponi potest. Quid enim, inquies, opus est, ut Deus ad ista prædestinatis commoda procuranda reproborum opera cum tanto eorum dispendio utatur, cum illa documenta quæ protulimus per lympidissimam sapientiæ lucem cordibus eorum sine creaturarum rationalium perditione posset infundere? Respondeo, altius esse istud consilium Dei, quam ut ab homine forsan investigari possit. Quamquam non importunè responderi possit, id quod Augustinus Pelagio reposuit, cum simili misericordia motus quæreret, cur Deus non potius ipsam superbiam sanaret, cum omnia sanare posset, quam ut ad eam comprimendam tot hominum peccatis uteretur: *Hoc utique*, replicabat Augustinus, *agit, ut sanet omnia, sed agit iudicio suo nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Ita planè Deus omnia suos electos docere potest, cum sint omnes docibiles Dei, & omnes itidem aliter exercere potest, sed agit judicio suo, nec ordinem docendi & exercendi accipit à discipulo, sed magistro. Ipse judicat in hoc lapsorum hominum statu nihil esse convenientius, quam & sensibilibus exemplis eorum sensus adhuc carnales terrentibus, & luce simul divinitus affusa, mentis adjuvetur tarditas & pedetentim ruditas expellatur. Hoc enim in rebus etiam secularibus experimur, nullas aptius doctrinas, tenaciusque memoriæ commendari, quam quas proprij vel alieni commodi vel incommodi experientia comprobaverit; nulla beneficia gratius coli, quam ea quibus cum alij careant, ingentibus eos calamitatibus implicari cernimus. Quæ quidem tarditas mentis rationalis non est natura instituti hominis, sed pœna damnati: ex qua factum est, ut non solum per sensibilia doceri debeat, quod ei semper naturale fuit, sed quod sensibilia signa non sufficiant, nisi experientia insinuatæ veritatis, observatæ præmium, contemptæ pœna, seu propria seu aliena suffragetur. Qua de re Augustinus adversus Iulianum: *Cur tanta mentis obtusio, ut etiam plagis eruditur tarditas eius? Quo usque Iuliane gravis es corde? Nunquid si nemo peccasset; si natura humana in qua condita est bonitate mansisset, etiam in paradiso adistas homo miserias, ut alia taceam nasceretur?* Et in alio loco: *Cum quæ enim vanitate nasci, non solum veridica scriptura qua plangitur, verum etiam laboriosa & arumnosa cura qua eruditur, ostendit.* Hæc igitur humani generis miseria postulabat, ut illi quos reparandos in æternam vitam Dei gratia susceperat, ex aliorum comparatione, quos in perditione relictos esse cernerent, multifariam multisque modis quos deduximus, docerentur, atque ita alterius videndo supplicium, quid sibi collatum esset ac liberatori suo deberetur, addiscerent. Cardinem istum divinæ providentiæ perspicaciter vidit, & in huius

Lib. de nat. & grat. c. 27

Lib. 1. oper. imp. f. 62.

Ibid. f. 6.

rei quam tractamus declarationem luculentissimè divinissimèque Augustinus exposuit. Cùm enim quidam olim, quemadmodum etiam nunc, nescio qua misericordiæ perversitate, molestè ferre viderentur, quod Deus crearet eos quos malos futuros mansurosque esse præsciebat, respondet primum, non esse tales inutiles Deo, quia novit eos aliorum qui similiter lapsi sunt corrigendorum usibus adhibere: *Habent enim, inquit, & ipsi locum suum quem in rebus impleant pro utilitate Sanctorum. Quis autem sobria consideratione dicat, melius non crearet quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi; quam crearet etiam quem præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esset, qui alterius malo bene utendo misericorditer coronaretur, quam esset etiam malus qui pro suo merito iustè puniretur.* Et quia statim occurrere poterat, id quod hoc loco nobis obiectum est, videlicet creaturam illam peccatricem quam Deus liberare statuisset, sine alterius supplicij cõparatione posse corrigi, & proinde non opus esse, ut alia quæ peccatura & punienda prævisa est, crearetur, aut iniquitatibus iniquitates cumulatura servaretur, respondet, homines qui ex perditione liberandi sunt, jam esse tales, ut aliter nisi alieno conspecto supplicio corrigi nequant: *Ita si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur*, hoc est, beati Angeli; *aliqua verò in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat sed timeat, id est non de se præsidiat, sed confidat in Deum quis rectè intelligens dicat talis esse ista, qualis illa* (in Angelis) *nec videat se nihil aliud dicere quam non esset ista, sed sola esset illa?* Itaque cum Apostoli verba protulisset, quod Deus in talibus malis hominibus vult ostendere iram ac demonstrare potentiam suam, eosque patienter sustinere, ut ostendat divitias gloriæ suæ, seu bonitatem in vasa misericordiæ, tandem subnectendo concludit: *Nums itaque importune dicitur, non essent quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret, si aliter esse non possent nisi essent & hi in quibus vindictæ iustitiam demonstraret. Cur enim non utrique potius essent, quando in utrisque & bonitas Dei & æquitas prædicatur?* Nimirum quia & reprobi, quamvis à seipsis habeant voluntatem malam, à Dei tamen bonitate & æquitate habent *& naturam bonam & iustam pœnam; sib. debitum locum, alijs exercitationis adminiculum, & timoris exemplum.*

Lib. 11. de Genes. ad lit. c. 7.

Ibid. c. 8.

Lib. 11. de Genes. ad lit. c. 8.

Ibid. c. 9.

Cùm verò objiceretur iterum ab adversantibus, quod Deus etiam istorum voluntatem posset convertere in bonum, non respondet, ut nunc responderi solet, eum dare sufficientem conversionis gratiam, vel eos convertere quantum in se est, verum eum hoc *posse*, sed *nolle*; & hoc ipsum nolendo Deum providentissimè sese gerere, quia hæc ipsa severitas alijs in bonum cedit: *Puto, inquit, paulo ante satis nos ostendisse non parvi boni esse rationalem creaturam etiam istam quæ malorum comparatione cavet malum. Quod genus bonæ creaturæ utique non esset, si omnium malas voluntates in bonum Deus convertisset & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret, ac sic non esset nisi solum illud genus, quod nulla vel peccati vel supplicij malorum comparatione proficeret. Ita velut auctæ numerositate excellentioris generis, ipsorum generum bonorum numerus minueretur.*

Ibid. c. 10.

Hic ergò tandem occurrebat objectio capitalis, esse igitur creaturas aliquas rationales, quæ alterius malo indigeant, ut corrigantur: *Ergò*, inquiebant, *est aliquid in operibus Dei quod alterius malo indigeat, quo proficiat ad bonum?* Quæ objectio eodem prorsus fundamento nititur quod supra diximus; quod Deus posset eis veritatem solâ sapientiæ infusione persuadere, sine alienæ perditionis exemplo. Sed vide, quanta vi spiritus eam & orationis infringat, & illum divinæ gubernationis ordinem in creaturæ lapsæ natura fundatam esse declaret: *Itane obsurduerunt & exacerbati sunt homines, nescio quo studio contentionis, ut non audiant, quibusdam punitis quam plurimi corrigantur? Quis enim Paganus, quis Iudæus, quis Hæreticus non hoc in domo sua quotidie probet? Verum cum venitur ad disputationem inquisitionemque veritatis, nolunt advertere sensus suos homines ex quo opere divinæ providentiæ in eos venat imponendæ commotio disciplinæ: ut si non corriguntur, qui puniuntur, eorum tamen exemplo ceteri metuant, valeatque ad eorum salutem iusta pernicies aliorum. Numquid enim malitia eorum vel nequitia Deus auctor est, de quorum iusta pœna consulit, quibus hoc modo consulendum esse constituit? Non utique: sed cum eos proprijs vitijs malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit, utilitati destinans eorum quos in hoc genere ita creavit, ut* AD BONVM PROFICERE NISI MALORVM COOPERATIONE NON POSSENT. *Si enim non essent, nulli rei utiq; prodessent, parumne boni est actum ut sint, qui certe illi generi utiles sunt: quod genus quisquis non vult ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit?* Ecce quoties repetit Augustinus esse aliquas creaturas, quæ *in se Dei beneficium* NON POSSINT *agnoscere, nisi alterius videndo supplicium*: quæ aliter esse non *possint* corrigendæ, *nisi essent & hi in quibus iustitiam demonstraret*; quæ denique *ad bonum proficere nisi malorum cooperatione non possent.* Nempe quia tanta eorum est ruditas, tarditas, & in carnales sensus depressio post peccatũ, ex quo erigi debent, & proficere in bonum, ut nisi naturali rerum ordini vim perpetuam velit inferre Deus, non possint à miseria sua, nisi alienæ calamitatis consideratione & comparatione revocari. Quæ sanæ ratio est, cur totius Augustinus istius comparationis utilitatem prædicet, inculcetque necessitatem. Nam inde est quod explicans istam comparationis necessitatem, ex peccato pullulasse, & in creaturæ lapsæ reparationem pulcherrimè adhiberi, in libris de Civitate Dei dicit: *Nunc verò omnis quidem humana natura per peccatum primi hominis in vanitatem de veritate collapsa est &c. sed non vanè Deus constituit omnes filios hominum. Quia & quos à vanitate liberat per mediatorem Iesum, & quos liberandos non esse præscivit ad utilitatem liberandorum & comparationem quarum inter se & contra-*

Ibid.

Lib. 17. de Civit. c. 18.

contrario civitatum, non utique vanè in totius rationalis creaturæ pulcherrima atquè iustissima ordinatione constituit. Hinc est quod in quæstione 2. ad Simplicianum dicit: *Intuere omnia opera altissimi, duo contra duo, unum contra unum, utique ut ex decretorum comparatione emineant proficiantque altiora, quæ tamen per gratiam meliora sunt.* Hinc est, quòd in Psalmos dicit: *Mirum est & verum quanto studio bonæ spes parvuli accendantur ad rectè vivendum comparatione peccantium. Quo mysterio agitur ut etiam hæreses esse permittantur: non quia ipsi Hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum divina operatur providentia; quæ lucem & facit & ordinat, tenebras autem tantum ordinat, ut sit earum comparatione lux gratiæ, sicut hæreticorum comparatione iucundior est inventio veritatis. Ea quippe comparatione probati manifesti fiant inter homines qui Deo noti sunt.* Hinc est denique, quod istius providentiæ non tantum utilitatem, sed & necessitatem, non solum jam ante uberrimè declaravit, sed etiam in superioribus sæpe tetigit, dum nonnunquam dicit, bonos dum adhuc infirmi sunt, *opus habere malorum permixtione*, ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat: aliquando eos qui liberantur *sic oportuisse liberari*, ut ex pluribus non liberatis ostenderetur &c. aliquando, quod *non appareret misericors gratia* redimentis, quod *lateret beneficium*, & similia quibus ostenditur, istum divinę providentiæ modum esse naturæ corruptæ liberandorum prorsus consentaneum.

Lib. 4. q. 2. ad Simplic. versus finem.

In Psal. 9.

CAPVT XVIII.

Ostenditur injustitia querimoniæ contra istam sancti Augustini doctrinam.

EX quo jam evanescit illa multorum, divina judicia non penetrantium, querimonia, qua Dei severitatem erga reprobos molestè ferunt. Non enim animadvertunt, quantâ suâ iniquitate in damnatione constituti sunt, quanta Dei æquitate denegato ipsis gratuitæ liberationis beneficio, in damnatione relinquantur, quanta & quam multiplicia per eos præstetur liberandis documenta ac beneficia. Cur enim non mirantur Angelis peccantibus non peperciisse Deum, sed statim à commisso peccato rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidisse cruciandos? Cur non mirantur Deum parvulos non solum non liberasse, sed abrupto spatio clausoq; stadio liberationis, continuò ad inferorum pœnas ex hac vita rapuisse? Cur non mirantur dæmones etiam damnationis pœnam undique circumferentes, ad electorum documentum, & exercitationem & ad majus reproborum supplicium adhiberi? Cum ergò de istis & similibus divinæ severitatis exemplis neq; mirandum, neque conquerendum esse fateantur, desinant mirari & conqueri adversus Deũ aut Augustinum, quod frequenter dicat, Deum *nolle* eos ex perditione *liberare*, *nolle* eis *subvenire*, nolle *eos salvos fieri*, & hominibus volentibus & festinantibus *nolle eis baptismum dari*, & similia, quibus voluntas Dei deliberata & fixa & immutabilis significatur, non liberandi eos illo postremo perfectæ liberationis beneficio, quotquot non sic liberandos esse judicavit. Desinant igitur consequenter mirari & conqueri, quod cùm eos confestim Deus ad supplicium, sine nota iniquitatis rapere potuerit, ac tandem rapere destinaverit, sinat illos tamen sine liberationis gratia diutius in hac vita in cupiditatibus varijs peccatisq; volutari, & merita supplicioru̇, supplicijs meritorũ cumulare. Nam & hoc ipso, quod ab ineunte ætate usque ad decrepitam senectutem, reprobos nonnullos Deus in desideria cordis sui tradit, ut fidei & gratiæ prorsus expertes, faciant ea quæ non conveniunt, quisquis piè prudenterque de rebus istis cogitat, justissimam originalis iniquitatis pœnam esse videt. Nam sicut ex illa totum humanum genus confestim in pœnam damnationis præcipitari merebatur, ita etiam meretur, ut qui diutius ex eis viverent, per errores, amores, doloresque diversos tandem ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis, sine fine supplicium raperetur. Verissimum est quippe illud sanctissimi & profundissimi Doctoris pronuntiatum: *Ad iram Dei pertinet iusta, quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter, & mali quicquid manifestus opertisque pœnis patiuntur inviti.* Sicut igitur nemo justè conqueri potest, quod infideles ante adventum Christi in profundissima idololatriæ cæcitate permiserit impiæ desertionis originalis, per innumera peccata, pœnas luere, & æterna magis magisque exaggerare supplicia, dum in hac vita interim ordinem seculi præsentis exornant; ita nemo justè murmuraverit adversus Deum, quod etiam post adventum Domini, reprobos in medio populi sui, quem cœlesti prædestinavit Civitati, oberrare, & peccata peccatis cumulare permittat, quibus beneficium liberationis à massa perditionis impendere non decreverit: sed potius magnopere gratulẽtur Deo, quod ex tam impia & inutili hominum perditissimorum societate, tam admirabilem seculi præsentis ornatum, tam magna multaque filijs suis prædestinatis documenta tradat, tam utile comparationis speculum ob oculos ponat, tam necessariam virtutum quarumlibet exercitationem exhibeat, tam multifaria corporis & spiritus adjutoria largiatur.

Videbat & similia fusè supra declarata ex Aug.

Enchir. c. 27.

Epilogus

Epilogus omnium.

ET ista quidem quæ hactenus ex Augustini mente, quantum eam Deo adjuvante capere datum fuit, de primi hominis gratia, & statu, & lapsu, de posteritatis ejus pœnis, de liberi arbitrij prostrati viribus & supplicijs, de pura natura, de damnatæ naturæ liberatione, de Christi Salvatoris medicinali adjutorio: de primæ & secundæ gratiæ differentia, de utriusque cum libero arbitrio concordia, de prædestinatione denique ac reprobatione hominum atque Angelorum diseruimus, nova multumque forsan miranda videbuntur eis, quibus antiqua, quia incognita sunt, etiam videntur nova. Nihil in eis eruendis aptandisque indulsi genio vel ingenio, ut ea in cujusquam invidiam concinnarem, nihil sententijs à me præoccupatis quasi abreptus tribui; sed filum doctrinæ cœlestis, ex omni parte sibi consonantis humiliter secutus, cum præoccupatis Theologicæ scholæ hujus temporis opinionibus perpetuo luctari coactus fui. Nec precibus ad Deum fusis peperci, nec laboribus multorum annorum pertinacibus, ut sensum sanctissimi Præsulis ac Doctoris assequerer; ne fortè vel defectu pietatis ab ostio inveniendæ veritatis repellerer, vel defectu lectionis diuturnæ ac sæpius repetitæ ac ponderationis omnium quæ undequaque consideranda videbantur, temerè ferrem de inventa quasi veritate sententiam. Vidi enim non paucos, nec exigui nominis Recentiores, qui se duces opinionum hoc tempore capitalium profitentur, incredibilem in modum ita lapsos esse, ut objectiones errantium pro solutionibus Augustini arripuerint, in illis capitibus doctrinæ, ubi de summa rerum agebatur. Paucis enim vacat, universam doctrinam ejus tantâ mole diffusam, tantis perplexitatibus impeditam volvere & revolvere, adhuc paucioribus libet, sine qua tamen animi obfirmatione & constantia, non posse profundissimi Doctoris hujus doctrinam sensusque penetrari, fidenter ac sine temeritate dixero. Nec verò mihi ipse arrogaverim, me nulla ex parte ab ejus aberrasse sententia. Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius: quæ sicuti cavi quantum potui, ita ignoscet Lector ubi non potui, ut & assidui laboris consideratio temeritatis labem auferat, & sinceritatis intuitus, errandi simplicitati patrocinetur. Quod si cubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed Augustini sententia asserenda cecidisse. Nec enim ego quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenedum in Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit ac docuerit. Quod si ejus obscuritas me fefellerit, maximi beneficij loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desiderantèr exspecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronunciavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ matris meæ judicio, sententiaque suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. Nam quemadmodum istius Ecclesiæ ac Sedis mysterijs infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & senui, nec ab ea ad latum unguem, quod sciam, animo, aut facto, aut sermone deflexi; ita porrò ad extremum usque spiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, divinoque judicio sisti, mihi constitutum est; ut juxta sacratissimam ejus regulam, quæ à temporibus Apostolorum per successionem continuam Romanorum Pontificum per universum Orbem prædicata & credita est, referam à Dei misericordia aut justitia bonum aut malum.

FINIS.

ERRO-

ERRORIS MASSILIENSIVM ET OPINIONIS QVORVNDAM RECENTIORVM ΠΑΡΑΛΛΗΛΟΝ ET STATERA.

In qua discrimen utriusque sententiæ παραλλήλως indagatur, & compluribus notis perspicuè ostenditur.

PRÆFATIO.

In quo causa, & fructus hujus scriptionis; Propositio, & partitio dicendorum.

Sententias vestras prodidisse, superasse est. *Hieron. Ep. ad Cresph.*

QVIA hæreses novisse, refutasse est, ut jam olim rectè S. Hieronymus dixit, errorem totum Semi-Pelagianum, prout à Presbyteris Massilienſibus assertus fuit, articulatim, quasi anatomicè dissectum, Lectorum oculis duobus postremis libris de Pelagiana hæresi exposuimus: difficiliora quoque capita, ex quibus nervorum, venarum, artuum reliquorum textura nectitur, & vigor aut virus in totum corpus fluit, sigillatim & sparsim explicuimus & refutavimus: ut non difficile Lector perspicax ex ijs ratiocinando deprehendere & concludere possit, quid de singulis commentis, quibus instructus fui, existimari debeat. Ex quo & alius fructus colligi poterit; ut de affinibus quibusdam opinionibus hujus temporis, faciliùs judicium ferri queat. Morborum enim veterum cognitio, non eam ob causam tantùm utilis est Medicis, quòd mentem rerum antiquarum disciplinis imbuat; sed in primis quòd ex similium aut dissimilium symptomatum serie, quæ nostrâ quoque ætate in corporibus sese manifestant, certi aliquid de sanitate eorum & ægritudine, de medicinis adhibendis prohibendisque statuant. Sed quia non est cujuslibet, symptomatum omnium, quæ in erroribus illis antiquis, & opinionibus novis apparent, similitudinem aut dissimilitudinem animadvertere; hinc contingit, ut antequam ad amussim singula excusserint, & contulerint, error ab eis non semel pro veritate capiatur, & tanquam error veritas fugiatur.

Cui malo, ut pro illa charitate, quam Ecclesiæ filijs fratribus meis infirmioribus debeo, remedium aliquod afferam, non absre fore credidi, si examen instituerem erroris veteris Massiliensium, & opinionis cujusdam novæ, quæ hac ætate viget. Duæ quippe sunt hoc tempore capitales opiniones de gratia & prædestinatione Sanctorum, quæ inter se de sancti Augustini sensu, ipsâque veritate magnâ contentione confligunt. Vna decretum in Deo ponit absolutum, quo certos sibi per Christum liberandos ex massa damnationis elegit ante omnem prævisionem operum sive meritorum, quos velit salvos facere, quosque ad salutem efficaci quadam gratiâ consensum ipsum secum afferente perducit. Alia ex opposito statuit, nemini adulto Deum decernere salutem ante prævisionem meritorum, nemini ulla merita ante prævisum consensum & cooperationem voluntatis ejus cum gratia: cujus quidem influxum esse talem tradit, ut sit in potestate voluntatis, eam efficacem vel inefficacem reddere pro suo beneplacito: esse quippe instar habitus subjectam voluntati, ita ut eâ uti vel non uti possit, eam efficientem aut cassam reddere,

reddere, ut visum fuerit. Opinio videtur à Ludovico Molina excogitata aut expolita; quam Lessius, Vasquez, & alij non pauci celebres Scriptores amplexi sunt è Societate Iesu: cui etiam ipsa, si Scriptori Societatis credimus, in publico Theatro totius orbis Romæ adversus Antagonistas patrocinata est: ut non immeritò Societatis opinio vocari possit. Nam ea de re Iacobus Fuligattus è Societate Iesu Auctor vitæ Eminentissimi Cardinalis Bellarmini: *Quam sententiam etsi aliqui, eò quòd ex unius privati Scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa: attamen ij qui tum præerant, aliter declararunt; tum quia nostrorum Professorum pars maior in Academijs eam tuebatur; tum vero quia iudicabatur in primis idonea ad nostri ævi hæreses pervincendas.* Lessius quoque de eadem ista sententia, quatenus gratiæ influxum tangit, in opusculo de gratia efficaci, dicit: eam *tenet Molina, & nostræ Societatis Theologi.* Franciscus etiam Suarez, & alij plures, quamvis de Electione ad beatitudinem aliquid diversum ab istis dicant, ut propterea mediam quasi sententiam teneant, in modo tamen influxus explicando, quem habet gratia, nihil quod quidem spectet ad propositum nostrum, discrepant. Nam illa prædefinitio divinæ voluntatis, quam respectu operum ante previsionem absolutam cooperationis humanæ voluntatis ipse ponit, modum influendi gratiæ, neque mutat, neque attingit. Vnde Lessius opusculum Suarez de auxilijs, *erudito Lectori ad rei intelligentiam abunde sufficere posse tradit:* Et ipse Suarez Molinæ opinionem profitetur *non esse falsam, sed diminutam.* Nimirum quia & ipse verissimũ esse sentit, quod gratiæ efficientia à voluntatis nutu & cooperatione dependet, ita videlicet, ut ea quam tradit gratia, non sit aliud nisi adjutorium quoddam potentiale *sine quo non*; quod quantum ad usum ita sit subditum voluntati, sicut ipsa sibi potentia vel habitus ejus: & quod ipsa possit efficax in actu secundo, seu efficiens, vel cassum reddere. *Quod*, inquit, *gratia congrua non sit, neque efficax, non aliunde quam ex eorum voluntate provenit.* Quibus similia frequenter tradit. Vnde Tannerus de sententijs istis, quantum ad istum articulum, judicium ferens dicit, *Fortè ad modum potius loquendi, quam ad rem ipsam pertinere* differentiam, quæ inter eas intercedit. Itaque juxta istum explicandæ gratiæ modum auctores isti liberum arbitrium cum prædestinatione & gratia tanta facilitate conciliant, ut propter facilitatis magnitudinem sententiam suam etiam veram esse concludant: *Quòd tam facile ac perspicuè illa quatuor, ex capite præscientiæ media, cum arbitrij libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamque rationem conciliandi ea omnia tradidisse.* Et apertè profitentur non majorem esse difficultatem conciliandi *liberum arbitrium cum prædestinatione, quam cum præscientia:* quamvis quando à se amoliuntur Semi-Pelagiani erroris invidiam, rem facillimam & omnibus obviam intelligere non potuisse Massilienses, persuadere conentur. Atque istam quidem de concordia gratiæ & liberi arbitrij sententiam, ex unius hominis Molinæ ingenio natam, ille quem dixi Fuligattus non immeritò tradit. Nam ipse Molina ingenuè quodam loco profitetur: *Quia res est magni momenti, ac valde lubrica; & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum divina prædestinatione,* A NEMINE QVEM VIDERIM, *hucusque tradita, ideo satiùs hæc duxi paulò fusiùs explicare.* Augustinum verò *sub quasi caligine* constitutum non advertisse veram istam conciliandi rationem, ideoque *multos ex fidelibus rarum in modum turbasse sententiam eius.* Quòd si tamen hæc sententia sua de prædestinatione sancto Augustino ceterisque Patribus proposita fuisset, non dubitat, *quin unanimi consensu fuisset comprobata.* Ita vir de sententiæ suæ novitate candidè, & forsan verè. Sectatores tamen ejus cùm perpenderent, quicquid in hac materia novi extra sanctum Augustinum traditur, non minùs de falsitate, quàm novitate esse suspectum; eaque de causa invidiam difficulter ferre possent, quod in re tam lubrica & magni momenti sententiam afferrent, quam nec sactus Augustinus, nec sanctus Thomas, nec sancti Patres ad Molinam usque tradidissent; summo conatu nisi sunt eam sancti Augusti pallio supponere, in eamque rem eò usque profecerunt, ut eam opinionem, quam primus inventor ejus se suo ingenio peperisse gloriatur, ij sissimam Augustini mentem esse non dubitent; in quam proinde necesse est, imprudentem casu Molinam incidisse. Demonstrant hoc plerumque tam infeliciter, ut ijs qui Augustini principia paulò penitius imbibere, miseratione haud scio an indignatione digniores esse videantur. Tantopere quippe à vera sancti illius Doctoris mente discrepant, ut ad evertenda omnia ejus principia, quæ immobiliter adversus hostes gratiæ fundaverat, interpretationes eorum collimare crederes: atque ipse Augustinus, si revivisceret, vix in eorum scriptis de gratia & prædestinatione, ullum vestigium doctrinæ suæ cælestis agnosceret; sed eam fortè in omnibus capitibus nobilioribus, in ò in omnibus penè membris minutioribus, arterijs, atque venis, cum sententia à se repudiata consentire judicaret. Quod ne temerè dixisse videar, utriusque sententiæ varia pronuntiata παραλλήλως afferam, & in quo conveniant, differant, (in nonnullis enim differunt) se invicem superent, & superentur, ex Augustinianæ doctrinæ norma, quanta potuero sinceritate & veritate patefaciam.

Proderit hic labor meus tam sapientibus quàm insipientibus, ut spero, plurimùm. Nam illi qui sciunt utriùsque sententiæ convenientiam aut discrepantiam, habebunt in promptu utriusque testimonia verbis ipsorum Auctorum expressa: & in ijs ipsis, universam ejus anatomiam uni oculorum obtutui expansam: qui verò nesciunt, habebunt utrumque haud mediocre arripiendæ veritatis & fugiendæ falsitatis adjutorium. Ex quo & alia utilitas non contemnenda consequetur, quòd, quia quædã non satis maturè ponderata istius opinionis patronis imponuntur; & ab ipsis vicissim quædam tanquam Augustini sensa securè animoseque propugnantur, erroris invidia pariter & periculum dissipabitur. Itaque totum opusculum in quinque capita, quasi

Iac. Fuligat. è Societ. Iesu lib. 3. c. ult. vitæ Cardin. Bellarm.

Lib. de grat. efficaci c. 2. n. 9.

Less. in præfat. ad lect. libri de grat. efficac.

Suarez lib. 3. de auxil. c. 7.

Suarez lib. 3. de auxil. c. 15 n. 11.

Tanner disp. 6. de grat. q. 2 dub. 2.

Molin. q. 14. a. 13. disp. 53. memb. 2.

Less. lib. de prædest. sec. 6.

Molin. q. 23 a. 4. & 5. disp. 1. memb. ult.

Ibid. mem. 6. & mem. ult.

quasi in generalia membra partiemur. Ex quibus declarabitur,

Primum, *Quo pacto in oppugnanda electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent aut conveniant.*

Secundum, *Quomodo in oppugnanda gratiæ efficaci.*

Tertium, *Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia, aut discrepantia.*

Quartum, *Quid prædestinationi apud utrosque commune, quid proprium.*

Quintum, *Quibus utrique armis pugnaverint, quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.*

Studui, quantum licuit, brevitati, ut instar succincti compendij seu Commonitorij hoc opusculum esse possit multarum rerum, quæ sparsim & fusius in Augustino nostro ex Augustino disputata & probata sunt. Quam ob causam ne eadem cum tædio forsan repeterentur, ad ea loca istius operis latioris frequenter remitto, ubi latius discussa sunt: quæ ne pigeat, quæso, consulere, quisquis plenius forsan alicui difficultati satisfactum esse velit. Argumenta, quibus utrique veram Prædestinationem & Gratiam impugnant, profero tantùm, non discutio, neque solvo; eo quod alijs locis in totius operis decursu hoc abundè præstitum sit.

CAPVT PRIMVM.

Quo pacto in oppugnanda Electione hominum, seu completa prædestinatione discrepent, aut conveniant.

NOTA I.

Vtrique ex horrore prædestinationis illius absolutæ, aliam sententiam excogitarunt molliorem.

AD primum igitur quod spectat, vera ratio cur Massilienses novam viam sibi aperiendam judicaverint, ad declarandam prædestinationem & gratiam Dei, non fuit alia nisi horror *propositi divini*, seu *constitutionis Dei humanæ præmientis voluntates*: qua ipse definitum salvandorum numerum sibi eligit pro suo beneplacito. Sic enim aiebant apud Prosperum, quod *utraque parte superfluus esset labor, si neque reiectus ullâ industriâ posset intrare, neque electus ullâ negligentiâ posset excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere.* Sub hoc ergo prædestinationis nomine dicebant, *fatalem quandam induci necessitatem.* Qua de re videnda sunt quæ diximus latè libro septimo de Hæresi Pelagiana: ubi perspicuè per multa capita patefecimus, unicam causam erroris à Massilienſibus excogitati, esse fugam illius divinæ constitutionis, seu prædestinationis de salute hominum, quæ præveniendo eorum voluntates, alios ex massa eligit ad salutem, alios pro meritis damnando reijcit, prout placuit Creatori. Quod propositum à Deo intelligebant conceptum, præveniendo voluntates hominum, non solum de conferenda fide, sed etiam & maximè omnium, de ipsa æterna salute, seu beatitudine. Nam ideo conqueruntur, *sub incertâ spe*, pertingendi scilicet ad finem totius studij jam definitum, *cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, causa sit amittentis intentio.* Ideo conqueruntur, quod *utraque parte superfluus labor futurus sit, si neque reiectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentiâ possit excidere à salute, quam ei dandam Deus definiverat.* Hoc enim pacto doctrinam S. Augustini accipiebant. In quo utrum fortassis hallucinati sint, mentem profundi Doctoris non satis assequendo, an rectè senserint, alia quæstio est, de qua suo loco diximus. Hoc saltem constat, istâ veluti reterrimâ larvâ, quæ in Augustini scriptis esse videbatur, territos, aliam sententiam fabricandam suscepisse.

Apud Prosp. in Epist. ad Aug.

Ibidem. Vide lib. 7. de hæresi Pelag. c. 5. 6. 7.

Idem omnino est lapis offensionis istis recentioribus. Ægerrimè quippe ferunt id quod à multis traditur, Deum præveniendo voluntates hominum pro suo beneplacito, de æterna eorum salute & perditione, adeoque de bonis operibus eorum decernere, prout placuit Creatori. Itaque passim sententiam Augustini *duram* vocat Molina. Qua de re integros libros ipse, Lessius, & alij scripserunt. Vt enim absurda vitent, quæ ex ista sententia videntur eis perspicuè & magno numero sequi, gratiam quandam protulerunt congruam voluntati, cum qua operetur aut cesset, prout libet: & isti gratiæ prædestinationem congruentem, qua nihil Deus non solùm de æterna hominum salute, sed neque de fide, vel perseverantia, vel meritis, vel ullo opere bono hominibus largiendo quicquam statuit, nisi vel absolutè, vel certè conditionatè prævisâ singulorum voluntate. Vnde alicubi Lessius: *Modus electionis indicat modum intentionis: sed tota gratia præveniens, quam Deus prædestinatis præparavit, talis est, ut eâ positâ opus bonum relinquatur libero arbitrio sic instructo, adeo ut tam facile sit illi se inclinare ad malum, vel omissionem eius, quam ad eius effectionem; sicut in Angelis & primo homine proportionaliter loquendo factum. Rursus gratia præparata electis non dijungitur à gratia reproborum, nisi effectu & cooperatione, quæ pendet à libertate nostra: atqui talis præparatio mediorum non indicat intentionem Dei absolutam, sed conditionalem, sicut ostensum est in causa Angelorum.*

Lib. de prædest. & reprob. sect. 5. n. 54.

NOTA

NOTA II.

Nasci ex ea fatum causantur.

CAusæ verò, cur illi quos diximus recentiores Scholastici tantopere propositum ipsum abhorreant, multæ profectò sunt, & eis valdè videntur graves: inter quas ista non postremo loco abeis numeratur, quod hujusmodi prædestinatio salvandorum, non aliud quàm Gentilium *fatum* esse videatur. Hanc esse unam abhorrescentiæ suæ causam passim profitentur. Vasquez disputans de decreto talis prædestinationis, seu electionis: *Tale decretum non dubitarent Augustinus & Patres* FATALE *appellare, quod similem nobis necessitatem imponeret.* Augustinum nominat, quia sensum ejus non assequitur. Lessius: *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa, de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu, iam firmiter esse statutum: & res omnes sic insponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis, &* INFLEXIBILIBUS ET PLUSQUAM ADAMANTINIS DECRETIS EST *sanctum.* Cujusmodi decreta locis aliis nominant [a] *fatum*, [b] *fatum plusquam adamantinum*, [c] *fatum inevitabile*, [d] *fatalem necessitatem*, [e] *& vitam hominis fato alligatam esse.*

Eadem prorsus fuit querela Massilienssium, de eadem illa prædestinationis constitutione, quæ humanas prævenit voluntates. Vocabant enim eam fatale decretum, & fatalem legem: *Sub pietatis fronte*, inquit Faustus, *gentilitatis malum, & inter gratia vocabulum, absconditum erit fatale decretum.* Et capite duodecimo: *Recedat hinc originalis definitio, vel fatalis.* Et de Massilienssibus Prosper: *Ea quæ ac fato iactitant, neque ipsum quidem onerant* (sanctum Augustinum) *in cuius libris copiosissimè huiusmodi destruuntur errores.* Qua de re qui plura cupit, videat quæ libro septimo de Hæresi Pelagiana diximus.

Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.

Lessius de prad. lib. 6. n. 79.

[a] Less. de gra. efficaci c. 3.
[b] ibid. c. 16.
[c] ibid. c. 3.
[d] Molina q. 23. a. 4 & 5. disp. 1. mem. 32.
[e] Less. sup. c. 3 n. 12.

Faust. lib 1. cap. 4.
Cap. 12.
Prosp. epist. ad Rufin. in fine.
Lib. 7. c. 8. & 9.

NOTA III.

Tolli libertatem arbitrij.

SEcunda horroris ratio est læsio libertatis, ut quæ per hujusmodi decretum prorsus pereat. Urget eam Lessius vehementer, putans omnino per hujusmodi decreta, quæ ante omnem prævisionem futurorum gloriam & merita hominibus præfinit, [a] *eli per fectam libertatem*, sive homo decreta illa sciat sive nesciat. Et Molina: *Certe non video, quanam ratione patentissima libertas arbitrij tollatur, quam experimur, quæque tam aperte in Scripturis sanctis traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.* Eundem interitum libertatis ex ista prædestinatione secuturum confecit Vasquez: quia, inquit, *omnino liberum non manet his qui electi sunt, non consequi coronam, ac proinde libertas eorum laditur, & impeditur.* Quod ibidem exequitur latius. Gregorius de Valentia idem saxum volvit.

Massilienses etiam in ista eadem texenda querimonia præsultores fuerant. Ita Faustus in libris suis: *Apertè ostendit Paulus, statum hominis non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari.* Et alibi: *Dum liberi interemptor arbitrij ut alteriram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronuntiat.* Sed de ista querela imirà pluribus, cùm ad gratiam, prædestinationis effectum, ventum fuerit.

Vide Less. de prad. sect. 6. n. 17. & seq.

Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. mem. 3.

Vasq. 1. p. disp. 89. c. 10.

In 1. p. disp. 1. q. 23. punct. 4.

Faust. lib. 1. cap. 12.

NOTA IV.

Asserri desperationem.

TErtia abhorrendæ istius prædestinationis ratio est, quia talis Dei constitutio, quæ prævenit hominum voluntates, nihil aliud nisi desperationem quandam salutis afferre nata est. Quod incommodum tanquam gravissimum sæpius recentiores & vehementer inculcant. Nam Lessius de hujusmodi prædefinitione loquens: *Gravissima profectò est ista animi afflictio; & interdum tanta, ut homines ad desperationem, & mortem spontaneam agat.* Et in eodem libro alio loco: *Persuasio de absoluta electione, ante omnem operum præviponem, nescio ad quid sit utilis, nisi ad licentiam vitæ, & desperationem.* Et mox: *Quorsum ista admirata pertineret, nisi ad mittendam hominibus desperationem?* Molina similiter queritur, *Quod hac sententia occasionem præbet hominibus desponendi animo, ne dicam desperandi.*

Fluxit & ista ex Massilienssium fonte querimonia. Nam apud Prosperum dicunt: *Ex utraque parte superfluum laborem fore, si neque reiectus ulla industria possit mutare, neque electus ullâ negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deum decrevit, accidere, & sub incertis ipse, eurjum non posse esse constantem.* &c. De qua desperationis querela identidem Augustinus, & Hilarius ad Augustinum: *His sanctitatis tuæ verbis ita movebantur, ut dicerent quandam desperationem hominibus exhiberi.* Et Faustus: *Quid enim ultra speret, quem tam gratia sumus secuti? In quo e contrario non desperet, quem præfinitio violenta damnavit?* Ipsissimum videlicet, quòd in ista prædestinatione quam dixi, recentiores male habet.

Less. lib. de Prad. præfat. ad Lector.

Ibid. sect. 3. n. 31.

n. 32.

Molina q. 23. a. 4. & 5. d. sp. 1. membro. 6.

Prosc. ad Aug.

Aug. de dono pers. c. 17.
Hilar. Epist. ad Aug.
Faust. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 4.

NOTA V.

Induci socordiam, torporem, & ignaviam.

PRæcedenti querelæ vicina prorsus alia est; quòd ista de prædestinatione persuasio socordiam, torporem, ignaviam afferat hominibus Christianis. Quid enim laboret aut sollicitus sit, qui se prædestinatum, inquiunt, esse putet? Audi Lessium sæpè stomachantem: *Nihil videtur magis inducere torporem, mœrorem, & desperationis motus, quam persuasio illa de omnibus & singulis absque ullo operum intuitu iam firmiter esse statutum, & res omnes sic disponi, ut omnia eveniant, sicut absolutis illis inflexibilibus, & plusquam adamantinis decretis est sanctum.* Et multo superius: *Videtur plane hic modus electionis tollere omnem sollicitudinem bonorum operum, & salutis,* &c. *Rursus non est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut perseverantia, quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantijs sunt decreta.*

Less. de prad. sect. 9. n. 79.

Ibid. sect. 4.

Et infra.

Ibid. Et infra: *Cur ergo sim sollicitus? Sit potius (ut humano more loquar) sollicitus ille, ut decreta ipsius impleantur.* Addit & ratiocinationem: *Vel sum de numero Electorum vel non sum* &c. & concludit utrimque nullam sollicitudinem adhibendam esse. Consentit & in refricanda ista querimonia Ludovicus Molina in loco quem citavimus: ubi dicit, quod *hæc sententia occasionem præbet hominibus segnius operandi.*

Loco supra citato,

Idem ipsum & Massilienſibus permolestum fuit. Nam ideo dicunt apud Prosperum, *hoc propositum vocationis & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis asserre:* quod est ipsissimum istud, quod Molina dixit. Et causam addunt, quam jam supra dedimus, *Eo quod utraque parte superfluus labor sit* &c. *Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud ergà eos, quam Deus definivit accidere.* Nonne est illa ipsa Lessij ratiocinatio? Et uberius: *Removeri itaque industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.* Vnde & Faustus dicit, in illa sententia *illustres viros per quietem & desidiam coronari.*

Prosp. Epist. ad Aug.

Lib. 1. c. 11.

NOTA VI.

Studium virtutis retundi.

Sicut autem in animo sollicitudo, ita in opere conatus omnis ex ista electionis persuasione retundi videtur. Inculcant & istud incommodum in hac sententia recentiores aliquoties. *Omne studium*, inquit Lessius, *bonorum operum eluderetur.* Et alibi: *Nulla incitabula excides; nullâ diligentiâ invitabis.*

Lessius de præd. sect. 1. in præfat.

Et hoc ipsum ex Massilienſibus desumptum est, qui conquerebantur, quod *si aliud habeat prædestinantis Electio, cassa sit admittentis intentio.* Et in eadem Epistola dicunt, quod *superflua erit industria & laboris indictio, cuius studium cessante Electione frustrandum sit.*

In Epist. Prosp. ad Aug.

Ibid.

NOTA VII.

Incitari homines ad licentiam ac dissolutionem vitæ.

Quod si homines à studio laboris ac virtutis ista sententia retrahere eis videtur, non minus justè se conqueri putant, quod ad licentiam ac dissolutionem vitæ potenter incitet: Quadere ita Lessius: *Audivi multos doctissimos & optimos viros eam* (sententiam de electione ante prævisa opera hominis) *hoc nomine graviter accusare, quod metuerent sibi effrenem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent.* Et ibidem, quod expensa ista sententia *pareret scandalum & vitæ licentiam.* Vrget istud incommodum presse Gregorius de Valentia hoc syllogismo: *Si prædestinatus sum quicquid hoc tempore faciam, certissimè tandem salvabor. Consultum igitur erit perfrui quibuscumque potero voluptatibus. Si autem non sum, similiter etiam quicquid iam faciam, certissimè tandem condemnabor. Fruar igitur iam quibus potero voluptatibus* &c.

Less. lib. de prædest. sect. 2. ratione 10.

Ibid.

Disput. 1. q. 23 in 1. parte punct. 4. in Coroll.

Sed ista quoque querimonia ex illa ipsa Massilienſium officina prodijt, unde etiam A Gregorius de Valentia & socij ejus didicisse videntur. Commemorat enim ipse in eodem loco Monachum quendam simili argumentatione commotum ex Augustini Monasterio, teste ipso sancto Augustino, velut canem ad vomitum, ad sæculi voluptates esse conversum. Vbi memor esse debuisset, sanctum Augustinum ibidem adversus Massilienſium similem syllogismum prædestinationi à se tradita objectum acriter disputare: *Ista cùm dicuntur,* inquit Augustinus, *ita nos à confitenda Dei vera gratia, & à confitenda secundum eam prædestinatione sanctorum, deterrere non debent: sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos.*

Lib. de dono pers. c. 15.

NOTA VIII.

Laudem detrahi operibus bonis.

Deinde etiam illud in hac sententia prædestinationis istius molestè ferunt, quod omnis laus ab operibus bonis tolleretur, quæ tam omnipotenti Dei voluntate hominibus ex vi prædestinationis decreta sunt. De justis dicent, inquit Lessius: *Quid mirum, si isti bona opera fecerunt, si perseveraverunt, si salvati sunt? Deus enim illos præ cæteris absolutâ voluntate ad gloriam selegit: Deus omnia & singula eorum bona opera cum omnibus suis circumstantijs, & perseverantiam in gratia ante omnem prævisionem futurorum prædesmivit. Quid laudis habet talia bona facere, quæ spectato Dei decreto, impossibile erat omittere?* Et alibi contendit per istam electionem & operum præfinitionem derogari: *Laudi & gloriæ sanctorum, quæ in eo sita est, quod absolutè potuerint transgredi, & omittere bona quæ fecerunt, & tamen non sunt transgressi, ut Ecclesiastici trigesimo primo dicitur. Parva enim videtur laus facere bona, quæ tantis decretis, & tantâ providentiæ curâ sunt præparata & vallata, ut absolutè omitti nequeant.* Quæ querela ex ista radice nascitur, quasi libertas arbitrij ex Dei prædefinitione læderetur. Antiqua & rancida est etiam ista objectio.

Lib. de præd. sect. 2. n. 13.

Ibid. n. 17.

Quæ jam olim in Semi-Pelagianorum adversus prædestinationem luctantium solo nata fuit. Sic enim Faustus, quò nemo molestius ejus immobilitatem tulit: *Erga hominem nostrum non poterimus laude conferre palmam, si volumus necessitate servare naturam.* Præmiserat enim paulo superius: *Cui naturæ prima ista sit laudis occasio, ut peccare posit & nolit.* Ex prædestinatione enim necessitatem nasci, & libertatis illius indifferentis interitum, eodem modo, ut recentiores, æstimat, & non semel docet, ut infra cum de gratiæ efficacis incommodis loquemur, offendendum est.

Faust. lib. 3. cap. ult.

NOTA

NOTA IX.

Orationes refrigescere, aut extingui.

NEc minus malum ex parte orationum, quas frequentat Ecclesia, recentiores ex ista prædestinatione, quæ voluntates hominum antegreditur, sequi putant. Illas enim vel frigidas fore, vel extinctum iri, si vera est illa sententia, arbitrantur. Qua de re Vasquez in illa citata disputatione octogesima nona in primam partem adversus electionem istam ante prævisa opera: *Frustra diceremus: Adveniat regnum tuum, si illud consequi aut amittere in nostra positum non est libertate, nec ex nostra oratione nullo modo pendet.* Sed umbram suam timet, quasi verò nihil à libertate vel oratione nostra penderet, quod à Deo ut fiat constitutum sit. Eodem quippe modo ratiocinabantur Massilienses, prout ipsemet in eodem loco testis est, hallucinando putans alio se, alio Massilienses collimasse, ac diversam ideo utrorumque esse rationem. Illos tamen hujus querelæ ingeminandæ auctores & præceptores sibi fuisse adjiciendo testatur: *Sic inferebant Massilienses, inquit, contra Augustinum, dum de electione ad gratiam esset sermo.* Quod quamvis esset verum, nihil futilitati istius querimoniæ officeret. Sed quid Faustus putidissimus ille Semi-Pelagianus? Nonne contra totam prædestinationem ad æternam vitam, tanquam immobili decreto & nullius orationis instantiâ violabili firmatam, eandem querelam recentioribus iterum iterumque recoquendo præcinuit? *Quid orare hominem proderit, in una harum duarum conditione omnimodis constituto? Nam etsi ad quam partem fuerit deputatus ignorat; utramque tamen partem definxam & immutabilem non ignorat.* Et infra: *Alterutrum ergo faciat, aut fructum orationis neget, aut legem statutæ perditionis excludat.* Et iterum paulo post: *Qui unum in origine perditum, alterum in prædestinatione affirmat electum, vide quo improba persuasione declinet. Quid enim aliud dicit, nisi quod adjutorio orationis neuter indigeat?* Causam accipe ipsissimam illam Vasquez: *Nam iam præordinatis ad vitam oratio necessaria non erit, deputatis ad mortem prodesse non poterit.* Quod adhuc latius prosequitur, & aperto marte sententiam sancti Augustini de prædestinatione, qua pro ejus beneplacito, alij ex origine damnati ad æternam mortem, alij ad vitam deputantur, eodem illo à Massilienbus intorto telo quatit.

Vasquez. disp. 89. in 1. p. cap. 10.

Idid.

Faust. lib. 1. de lib. arbit. cap. 4.

NOTA X.

Spem impetrandi tolli ex incertitudine divini illius propositi.

ET quia oratio nititur spe impetrandi, ipsam quoque spem obtinendi dona quibus homines salvi hunt, funditus ex animo tolli recentiores putant; eò quod incertum sit, an & cui Deus illa, præveniendo voluntates hominum, donare constituerit. Non enim videtur esse sapientiæ, confidere te acceptu-

A rum gratiam, aut auxilium, quod incertum est, utrum alter dare velit. Itaque Lessius: *Quomodo omnes possunt & debent firmissimam spem in Dei auxilio reponere, cum omnino sint incerti, an Deus illo illud auxilium præordinaverit? Non enim possum firmam spem ponere in eo auxilio, quod an mihi præparatum sit, ignoro. Fatuus esset dux militiæ, qui firmam spem poneret in auxilio & suppetijs incertis.* Less. lib. de grat. efficaci cap. 7. n. 2.

Ipsissimo isto scrupulo de incertitudine voluntatis Dei laborarunt Massilienses, eoque pressi prædestinationem Augustini repulerunt: *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt*, inquit Hilarius ad Augustinum. Et Augustinus ipse cum se mirari dixisset, homines *infirmitati suæ se malle committere, quam firmitati promissionis Dei*, Massilienssium scrupulum & verba sibi refellenda proponens: *Sed incerta est mihi, misericordia, de me ipso voluntas Dei*: quibus continuo reponit: *Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nec times? Qui stat, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Et in libro de dono perseverantiæ Massilienssium timorem simillimum illi, quem paulò ante expressit Lessius, à prædestinatione abhorruisse testatur, eo quod verentur, *ne plus desperatio, quam exhortatio videretur asserri, dum cogitant qui audiunt*, INCERTUM ESSE HUMANÆ IGNORANTIÆ, *cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona.* Aug. lib. de præd. sanct. cap. 11. Lib. de dono pers. c. 17.

NOTA XI.

Exhortationes, & correptiones languescere, & auferri.

NEc orationes tantum nostras pro nobis ipsis inanes effici, sed etiam exhortationes & correptiones, quibus alios ad bonum incitamus, aut revocamus à malo, prorsus languidas fieri, & extingui eum mantur. Hinc Lessius adversus illa decreta Dei, quibus absolutè ante prævisionem operum aliquis beandus constituitur, concludit neminem verbis Apostolicis ad patientiam excitantibus multum excitandum esse, si de absolute electis intelligantur: *Diceret enim, inquit, quisque fidelium: Ego sum iam vocatus, & iustificatus, absolute mihi decreta est gloria; quid opus est multum patiar in posterum? Non enim possum frustrari eo, quod mihi absolute ante omnem operum prævisionem est præparatum.* Et simili sensu tradit multis interpositis, electos solos insulsè Apostolica exhortatione compellari: *Quia non solum frigida, sed etiam insulsa esset talis exhortatio: Estote patientes in persecutionibus, quia ille omnes cedent vobis in gloriam, si estis ex illis absolute electis ante operum prævisionem.* Sed insolsissimedici est, etiam bonum medicamentum præponere applicare, si ut hic auctor facit. Nam quo pacto hujusmodi exhortationes ad omnes fideles tanquam electos non insulsè, sed aptissimè dirigantur; ac dirigendæ sint, Augustinus præclarè tradit: prout nos etiam in libro decimo de Gratia Christi Salvatoris diximus. Less. de prædest. sect. 3. n. 34. Aug. lib. de dono perf. c. 15. Videlib. 10. cap. 3.

Sed iam advertat lector quam accurate questus illos de exhortatione per prædestinationem refrigerata recentioribus Massilienses præformaverint. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt Massilienses apud Hilarium querelas eorum exponentem Augustino, *ad utramque partem, ut de alys ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Et Prosper ad Augustinum scribens: *Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortandi incitamenta non habeant.* Et apud Augustinum eorum verba sibi refutanda proponentem, *Neminem*, inquiunt, *posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij &c.* Itaque Prosper sciens esse imperitorum hominum inanes voces, & levi flatu Augustini dispandas, movet ei quæstionem: *Quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeat, si se prædestinatos esse desperent.*

Hilt. Epist. ad Aug.

Prosp. Epist. ad Aug.

Aug. lib. de dono persev. c. 13.

Prosp. ibid.

NOTA XII.

Sollicitudinem ac zelum animarum evelli.

Eiusdem farinæ est & alia querimonia recentiorum, quod per istam sententiam non solū vigor exhortationibus & correptionibus, sed etiam sollicitudo & zelus lucrandis animabus impendendus ex hominum pectoribus tolleretur. *Videtur*, inquit Lessius, *tollere zelum animarum. Si enim omnes salvandi ante omnem prævisionem, sunt iam absolute electi & præfiniti, cur de illorum salute sim sollicitus? Nam etiamsi ego quiescam, æque bene omnes illi & soli salvabuntur* &c. Et similia plura in hanc sententiam contexit.

Lessius de prad. fidei. cap. 15.

Sed audi similes apud Augustinum querimonias: *Non argumentemur contra ista præcepta,* quærendi salutem proximorum per correptiones, hortationes, excommunicationes, &c. *salubremque terrorem dicentes: Et corrumpant bonos mores colloquia mala; & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamentum Dei stat: & nemo perit, nisi filius perditionis:* hoc est, prædestinatio electorum firma & immutabilis est; & qui perierit, jam olim perditioni prædestinatus est. Audi jam Lessi & quisquis hujusmodi argutias refrigerando zelo alienæ salutis tibi prætexis: *Absit ut ista garrientes securos nos in hac negligentia esse debere credamus.* Quod pluribus ibidem agit. Et ista quidem objectio non in isto libro quidem à Massilliensibus Augustino proposita fuit, sed Prosper testis est, Augustino loquens: *Quicquid in libro hoc* (de correptione & gratia) *ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, hoc totum ab istis sanctis* (Massilliensibus presbyteris) *intentiosissime, fortè, contentiosissime, contextum fuisse.*

Aug. lib. de Corr. & grat. c. ult.

Prosp. Epist. ad Aug.

NOTA XIII.

Deum non velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

Sed adhuc contexunt graviora, non modò adversus homines, sed etiam adversus ipsum Deum, quem multis quoque modis, quemadmodum & Massilienses reprehendi posse murmurant. Et primo quidem apertissime arbitrantur sequi, quod *Deus non vellet omnes homines salvos fieri*, sicut Apostolus docet. *Hic modus*, inquit Lessius, *electionis non videtur satis consistere, cum sincera voluntate salvandi omnes homines, maxime fideles; neque cum illo amore, & illâ curâ, quâ omnes ad salutem excitat, quæ Scriptura tantopere commendat.* Quod fusè tractat & exaggerat. Nec segnius Molina hoc ipsum agit: *Certe si is fuit modus prædestinationi quorundam adultos, non item alios, qui ex horum auctorum sententiâ iuxta suas præfinitiones relatus est, non video quâ ratione verum sit, Deum velle omnes homines salvos fieri, si per ipsos non steterit.*

Lib. de prad. fid. c. 2. rat. 3.

Mol. q. 14. a. 13. disp. 53. memb. 2.

Eadem ista decantatissima Massilienſium & Pelagij & omnium Pelagizantium cantilena adversus eandem absolutam prædestinationem fuit. Nam in objectione ectavâ, quam isti Galli Prospero & Augustino impegerunt, clamitant, *quod in Augustini sententia, non omnes homines Deus velit salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.* Et in Epistolis ad Augustinum scriptis eadem tacite refricatur. Unde sanctus Prosper Massilienſium & simul recentiorum objectionem propter falsitatis & absurditatis evidentiam quasi irridens: *Et tibi est illud, quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire?* Probat itaque duobus istud capitibus præbere latus, & ex parte adultorum, qui à præteritis generationibus usque in hoc tempus, sine Dei cognitione perierunt; & ex parte parvulorum quorum plurimi sine baptismo pereunt: *Numquid*, inquit, *non sunt de omnibus hominibus &c.*

Object. 8. Gal. apud Prosp.

Prosp. Epist. ad Massil.

NOTA XIV.

Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium redemptorem esse.

Addunt aliud sequi non minus impium, quam præcedens, Christum non pro omnibus esse mortuum, nec omnium hominum fore redemptorem. Unde Molina probat, Deum omnes omnino homines velle salvos fieri, quia *Christus omnibus in redemptorem datus est*: hoc ipso indicans, non fore datum in redemptorem omnibus, si Deus nollet omnes omnino salvos fieri, sed eos dumtaxat, quos pro suo beneplacito absque operum respectu ad vitam delegisset. Et Gregorius de Valentia inter cetera absurda ex istâ sententiâ confectanea reponit *ut Christus non pro omnium omnino hominum mortuus sit, vel certe Deus iniustus sit.*

Mol. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 8.

Disp. 1. 4. 22. punct. 4. prob. 6.

Expressa

Expressa est ista criminatio Massiliensium verbis, hoc ipsum ex Augustini prædestinatione sequi, invidiosissimè conclamantium. Objectio enim Gallorum nona erat: *Quòd non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Et prima Vincentiana: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Imitatus est eam infeliciter Faustus, qui Christum pro omnibus mortuum esse, adversus quorundam prædestinationem ad vitam, invidiosissimè premit.

Faust. lib. 1. cap. 16.

NOTA XV.

Deum futurum acceptorem personarum.

Accedit, quòd, Gregorio de Valentia judice, Deus esset acceptor personarum, si non nisi certos absque operum prævisione ad vitam prædestinasset: *Si in hominibus*, inquit, *ut à Deo prædestinentur, non requiritur pia cooperatio, quæ à Deo tanquam effectus unus prædestinationis fuerit præscita; Deus, quod absit, esset alio modo acceptor personarum, quòd non omnes prædestinet.* Et mox addit quod illud beneficium omnibus ex justitia propter merita Christi deberetur.

Tom. 1. tract. 1. disp. 7. punct. 7.

Hæc, fateor, querela non est à Massiliensibus profecta, quod sciam; sed Pelagianis propria fuit, & non semel adversus Augustinum vibrata. Sed Massilienses tanquam peccati originalis, atque universalis damnationis inde consecutæ conscij, probè noverant liberationem à damnatione nemini prorsus esse debitam: sed esse maximè gratuitæ misericordiæ beneficium. Prout autem executioni per dona gratiæ mandatur, etiam sic respectu liberandi aut liberati esse prorsus gratuitam; nec alios Christi meritis deberi, quàm quos Pater ei salvandos dedit, pro quibus etiam salvandis, *non pro mundo rogavit*, & pretium redemptionis obtulit. Vnde puduit ipsos falsam & pudendam Pelagianorum vocem ab inferis revocare: quò magis profectò mirum est, virum Catholicum, quem fides imbuerat, omnes ex uno in condemnationem lapsos esse, nec nisi gratuitâ gratiâ inde liberari, in hac re personarum acceptionem, & injustitiam Dei adversus Christum somniare potuisse.

NOTA XVI.

Peccata reproborum Christianorum in Deum redire.

Sed adhuc magis immania proferunt scitura contra justitiam Dei: nempe peccata reproborum Christianorum quibus à justitia cadunt, & extra felicissimum prædestinatorum numerum ruunt, in Deum redditura: eò quòd ipse, insidias hominum saluti struendo, curaturus sit ne vel lapsi redeant, vel ut stantes cadant; ne alioquin decretæ prædestinationis immobilitas & certitudo violetur. Itaque Gregorius de Valentia ex isto prædestinationis modo infert: *Deum reddere quantum ex se est, impossibilem salutem iis hominibus, quos non prædestinat.* Disertius exequitur querelam illam obsoletam Lessius: *Sicut ad providentiam Dei pertinet, ut salvetur numerus sic electorum: ita ad eandem pertinere videtur, ut alij, qui ab illa electione sunt excluſi, non fiant salvi: quia alioquin posset fieri ut aliquis ex istis in numerum illum intraret, quod est absurdum. Quare cùm ex tam immensa multitudine nemo salvetur, signum est, id aliquâ particulari providentia provisum.* Et inferius exprimit veluti ratione nixas impiorum voces: *Ipse nos implavit, ipse nostræ saluti insidiatus est; ipse eam nobis impossibilem reddidit; alioquin qui fieret, ut ex tam immensâ multitudine nemo salvus fieret?* Et alijs in locis aliquoties repetit, quod in isto prædestinandi modo, qui fit ante prævisa merita, *ad providentiam Dei pertinet curare, ne non electus in numerum illum intret; & impedire, ne salvetur.* In quibus imaginationibus iste auctor tantopere sibi placet, ut quæ ante oculos sunt, non videat; non esse videlicet opus, ut quemquam Deus impediat, quemquam impellat, quemquam deturbet è justitia, quemquam arceat, ne irrepat in numerum electorum, ut ipse loquitur: sed opus esse, ut ipse potenti gratiâ mortuum suscitet, infirmum roboret, justum teneat, diabolum comprimat, & opitulatricem manum diu noctuque adhibeat: alioqui, veluti dux in præceps, mox suopte propriæ infirmitatis pondere deorsum in peccata ruiturus est. Sed istiusmodi chimericæ phantasiæ ex ista congruarum & incongruarum gratiarum assidua dispersione cogitandi libertate fabricatâ, proficiscuntur.

Lessius de prædest. sect. 3. n. 62. & n. 58. & 59. & n. 51. sect. 5. n. 58.

In quibus profectò comminiscendis Massilienses ante se architectos isti recentiores habuerunt. Nam & illi apud Augustinum querebantur, ex ejus prædestinatione sequi, quòd *qui obedirent, si prædestinati essent rejiciendi, subtrahebantur obediendi vires, ut obedire cessarent.* Quod & Galli apud Prosperum repetunt: *Quòd quibusdam vocatis, & piè instèque viventibus, obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* Nonne est ipsissimum illud, quod Lessius dixit, *insidiari Deum ipsorum saluti?* Et quod Vincentius apud eundem Prosperum clamat: *Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salvâ esse hæc velit, nec possit*; nonne id ipsum est, quod dixit Lessius, Deum impedire ne salventur, providere ne salvi fiant, reddere salutem impossibilem? Et quod in alia objectione dicitur: *Quod velit Deus, ut magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat; quod velit, ut magna pars Catholicorum à fide apostatet*; nonne est illud, quod Lessius intulit, dici posse Deo: Ipse nos implanavit? Ita nihil pænè tam absurdum à Massiliensibus excogitatum est, quod non vel imprudentes, vel etiam prudentes isti sibi vendicarint.

Apud Aug. lib. de dono persev. c. 15. Object. 12. Gall.

Objectio 7. Vincent. apud Prosp.

Object. 8. & 9. ibid.

NOTA XVII.

Homines condi, ut pereant.

Nam etiam istud sequi arbitrantur, quod Deus homines condat, ut pereant. Sic enim Lessius: *Addo in hac sententia difficile esse explicare;*

explicare, quomodo maxima hominum pars non sit divinâ potestate prædestinata ad malum, & creata, ut pereat. Quod latius tum ibi, tum inferius declarat, ostendendo parum interesse ad praxim, sive dicatur positive reprobati, quod hæretici nostri volunt, *sive negative, si æque infallibiliter sequatur damnatio.*

Sed ista querela propriis Massilienſium verbis expressa est, qui objiciunt Augustino apud Prosperum: *Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternùm.*

Obiect. Vinc.

NOTA XVIII.

Errorem Prædestinatianorum verum futurum.

Addit ad ista gravius aliquid Gregorius de Valentia, quod sequeretur ex istâ sententiâ error Prædestinatianorum, *qui ita, inquit, nominabantur, propterea quod docerent, nihil bona opera ad salutem prodesse prædestinatu, quasi non essent salvi futuri absque illis. Quod rectè videtur sequi, si ante omnem respectum ad opera, firmum de illorum salute stet decretum. Tunc enim ex vi eius firmi decreti fierent salvi, quamvis piè non operarentur.* Sed non advertit, Prædestinatianos illos, quos vocat hæreticos, non alios esse, quam Augustinum, Prosperum, & sectatores eorum, imò Catholicam Ecclesiam, cujus doctrinam de prædestinatione Massilienses calumnioso dicterio hæresin Prædestinatorum, sive Prædestinatianorum esse dictitabant. Vnde primus omnium Gennadius Massilienſium non postremus istos in hæreticorum catalogo collocavit. Quâ de causâ etiam Faustus, ubi apertissimo marte sancti Augustini doctrinam nititur proterere, capita sententiarum ejus, tanquam hæreticorum dicta, vellicat & oppugnat. Quâ de re cui plura videre lubet, videat ea quæ fusè de Prædestinatianis libro postremo de hæresi Pelagiana disseruimus. Gregorius igitur si observasset se Massilienſium obsoletas adversus Augustini doctrinam refricare querimonias, paulo timidius forsan ad eorum verba confugisset, quorum sensus ei probari videtur. Atque ista quidem sunt potissima querelarum capita, quas eodem modo adversus prædestinationem presbyteri Massilienses & nostri recentiores ingeminant. Eas verò tanquam adversus prædestinationem, quæ præscientiam operum, seu humanæ cooperationis supponit, fusas comminiſci, quasi ex ea sequeretur, homines ad perditionem condi, quorum peccata in Deum redeant; Deum non esse redemptorem omnium, acceptorem esse personarum, sollicitudinem, zelum, correptiones, exhortationes, spem, orationes, libertatem arbitrij, studium virtutis funditus tolli; desperationem, torporem, socordiam, dissolutionem ac licentiam vitæ, denique fatalem afferri vitæ humanæ necessitatem, insipientiæ profecto singularis est, tam in eis qui hoc de Massilienſibus acutis viris fingere potuerunt, quam in eis, de quibus hoc persuadere conantur. Delirum est enim aliquid hujusmodi de tali prædestinatione somniare, cujus decretum omni ex parte in hominis potestate constituitur; insanum verò, istas ab eis profundi posse querimonias, qui ultro plena voce & professione protestantur se, *prædestinationem secundum præscientiam* recipere; se illos ponere prædestinari atque eligi, *quos Deus præsciverit credituros*: denique qui diserte verbis dicunt: *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.* Quid ergo recentiores hujusmodi prætextus comminiscendo aliud faciunt, quàm suæ causæ imbecillitatem produnt, quæ talibus fulcris sustentari debet, ut cum aliquo colore, aliam à se prædestinationem defendi, aliamq; oppugnari, quàm à Massilienſibus defensa & oppugnata fuit, hominibus quoquo modo videatur. Quod si tamen ita se res habet ut Massilienses prædestinationem Iesij, Vasquez, Molinę; gratiasque sufficientes & congruas, quas tum ipsi, tum ceteri tradunt, & ab Augustino traditas fuisse arbitrantur, tam invidiosis vocibus pullaverint; quid causæ est, cur eisdem querimonijs nunc nemo adversus ipsos utatur? Nemo ipsorum sententiam in tot portentorum invidiam vocet? Cur nullus queritur, Iesium, Molinam, Vasquez prædestinatione sua, unàque cum ceteris gratiæ suæ prædicatione studium virtutis infringere? Libertatem, sollicitudinem salutis, exhortationes, orationes, animarum zelum tollere? Fatum, mœrorem, socordiam, dissolutionem, desperationem afferre? Cur nunc, mutatâ vel ficatione, omnia contraria symptomata de ista sua tanquam Augustiniana gratia & prædestinatione prædicant? An ita repente omnia commutata sunt, ut quod tunc atrum; nunc album sit? Vt quod tunc intellectu, fatente Augustino, difficillimum; nunc facillimum dici debeat? Quod tunc torporem, mœrorem, horrorem, desperationem, licentiam vitæ, fatalesque necessitates animis ingerebat; nunc è contrario, tanquam solatio & spe plenum, castigandis fluxis moribus efficacissimum, libertati omni ex parte congruum, sanandis mœroribus ac desperationi remedium præsentissimum commendandum sit? Quod tunc ab incerta de voluntate pendere; nunc totum in hominis potestate constitutum esse videatur? O rerum inusitatas metamorphoseis Ovidianis profecto mirabiliores! Sed nimirum durum rerum necessitas. Sic enim, cum in illas sententias bono studio, sed non satis cauto, incidissent, tota scena subinde concinnanda fuit, ut & caliginosus Augustinus, & bruti Massilienses fuerint: ne forte, si illam veram Augustinianam gratiam & prædestinationem adhuc pristinum illum vultum benignitate & severitate temperatum proferre fatentur, blandula & mollicula sententia recentiorum, ex Massilienſium cineribus resuscitata, & adversus Augustinum iterum arietare crederetur.

Nunc itaque videamus an & quo etiam pacto in oppugnanda gratia, quæ est proprius effectus Augustinianæ prædestinationis, invicem similes aut dissimiles ostendantur.

CAPVT

Disp. 1. q. 23. de prædest. punct. 4. prob. 8.

Lib. 8. cap. 1.

In Epist. Prosp. Hilar. in Epist. Faust. lib. 2. c. 3.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo in oppugnanda gratia efficaci conveniant, aut differant.

NOTA XIX.

Repudiant gratiam quæ humanam sibi subjecit voluntatem.

IN oppugnanda vera Dei gratia, quæ per Augustinum nobis tradita est, non minor profectò similitudo reperitur. Eadem quippe & Massilienses tunc, & recentiores isti nunc adversus operationem divinæ gratiæ obmurmurant. Et quamvis ijs pleraque similia sunt, quæ prædestinationi ab eis objecta vidimus; ex alio tamen capite prædestinationi, ex alio efficaci gratiæ opponuntur. Illi maxime propter immutabilitatem, quâ voluntates ab æterno præveniendo, de salute quorundam, nullâ operum consideratione, decerneret: huic præcipue propter temporalis operationis efficaciam.

In Epist. ad Aug. In primis igitur gratiam illam rejecerunt Massilienses, *quæ humanam sibi subjecit voluntatem*, ut Prosper notat: hoc est, illam quæ voluntati efficaci potestate ita dominatur, ut in ea ipsum etjam primum velle operetur; non eam cui voluntas ita dominatur, ut eam efficacem vel inefficacem & cassam reddat, si voluerit. Quod verum esse, alibi late asseruimus, & infra forsan aliquid dicturi sumus.

Vide dicta lib. 3. de benef. Pet. c. 6. 7. 8.

Quid vero recentiores nonne illam ipsam omnibus oppugnandi viribus expugnare nituntur? Profitentur enim palam, se illam aversari gratiam, quæ determinat voluntatem, hoc est, cujus usus vel non usus non dependet à voluntatis dominantis nutu, sed ipsa inserit usum sui, *humanam sibi subjiciens voluntatem. Efficit enim primitus, ut velimus*; & ex *nolentibus volentes facit*. Illam vero se amplecti gratanter confitentur, cujus usus voluntati subditur, & facit aliquid aut non facit, prout voluntatis arbitrio placet. Vnde illud Lessij: *Neque gratiam subjecimus voluntati, sed usum gratiæ*. Quasi vero aliter gratia subjiceretur voluntati, quam cum usus ejus & non usus, actio ejus & cessatio à voluntate suspenditur. Hinc frequens eorum phrasis: *Liberum arbitrium cassum potest facere auxilium Dei: Gratia dicitur efficax vel inefficax ab effectu*, & hujusmodi; quibus evidenter ista subjectio exprimitur. Et quamvis ipsi verissima hæc esse putent; nos tamen alibi non obscure patefecimus, nullum in his sententijs relinqui gratiæ Christi locum, sed solam eis liberi arbitrij naturam superesse, quæ velle in eis & operari operetur.

Less. de grat. efficaci. c. 12. n. 2.

Mol. in con. & Less.

NOTA XX.

Ratio repudiandi, quia uni datur, alteri negatur.

CAusæ vero, cur hujusmodi gratiam tantopere aversentur, prorsus ipsissimæ sunt, quibus Massilienses ad eam detestandam oppugnandamque moti sunt. Et prima quidem illa fuit, quod gratia à sancto Augustino prædicaretur talis esse, quæ non omnibus promiscue accipere volentibus offerretur, sed judicio Dei occulto daretur uni, alteri negaretur; sicut in Augustini scriptis identidem inculcatur.

Hinc illud Fausti adversus istam solemnem sancti Augustini & Prosperi doctrinam: *Nunc*, inquit, *vemendum est ad illos, qui cum gratiam alijs dari, alijs negari asserunt, gratiæ munus cum Pelagio perdiderunt.* Et in eodem libro inferius: *Quis tam immemor salutis suæ sit, qui attrahentis misericordiam negare præsumat? Sed ille vere impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi.* Simili modo Massilienses de quibus Prosper & Hilarius, molestissime ferebant in hunc sensum illud ab Augustino usurpari: *Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, quasi uni detur ut velit, recedit ab hoc dono alys pariter reu.*

Faust. lib. c. 3.

Ibid. c. 17.

Hil. in Epist. ad Aug.

Hoc ipsum graviter istis recentioribus displicet. Nec enim ferre possunt, gratiam ita dispensari à Deo, ut eam uni det, alteri neget: sed omnibus communiter eam impendi volunt. Itaque pari prorsus modo gratiam sufficientem quandam omnibus omnino hominibus quantumcumque perversis expositam tradunt. Quæ doctrina quia ex eorum libris notissima est, nullis testimonijs opus est. Videat qui volet Lessium, Suarez, Molinam.

Less. lib. de prad. sect. 6. n. 65. & 66. Suarez de auxil. lib. 3. c. 6. Mol. in Concord. q. 14. a. 13. disput. 10. & q. 23. a. 4. & 5. disp. 4.

NOTA XXI

Quia destruit libertatem quando datur.

ALtera eaque celebratissima fuit, quod destrueret libertatem arbitrij nostri, idque sive nobis à Deo donaretur, sive negaretur. De primo nunc, de altero sequenti observatione id ostendendum est.

Perire itaque libertatem arbitrij per gratiæ istius, quam prædicabat Augustinus, efficaciam, sexcentis tundebant cælum & terram querimonijs. Vnde Prosper ad Ruffinum: *Scripta eius* (sancti Augustini) *quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant; dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere.* Et inferius: *Nimium vero inepte, nimiumque inconsiderate ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam*

Prosp. Epist. ad Rufs.

Ibid. in fine.

Faust. lib. 2. de lib. arb. c. 6. tiam, libero nihil relinquatur arbitrio. Itaque coactionem per gratiam inferri voluntati, & necessitatem, gratiamque *solitariam* sine concursu videlicet voluntatis, operari salutem, incunctanter asserebant. Imo *brutis animantibus* hominem similem, vel potius pejorem fieri; quandoquidem *sicut mare magnum, quod hoc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita ad quodcumque bonum vel facimus, sine ullo affectu suo, solo divinæ potestatis impulsu, mens humana verteretur.* Ecce hæreticus (quem non alium quam sanctum Augustinum cum suis intelligit) *sub prætextu gratiæ, qualem vult hominem esse post gratiam.* Vbi perspicue vides, quo sensu Faustus gratiam Christianam ac veram in voluntate operari crederet. Nonne insaniæ simile videretur, si de gratia cujus usus instar cujuslibet potentiæ, instar habitus, instar speciei rum, instar lucis, instar concursus illius indifferentis Dei, voluntatis nutui ad amussim subditur, tales expostulationes & ejulatus, non ab ignaro vulgo, sed ab acutissimis viris, funderentur? Nonne recentiores gravissime adversus eos moverentur, à quibus tam brutus sibi stupor effingeretur, ut gratiam illam ab ipsa cooperatione voluntatis efficacem, quam ipsi docent, libertati voluntatis adversam credere putarentur? Et hoc imen de Massilienſibus quoquo modo credi volunt, ne alioquin ab eis doctrinam ac sensa sua derivasse credantur.

Quam vero sint ipsis in hac expostulatione similes, res ipsa clamat, & voluminibus plenis ubique protestantur, Molina, Vasquez, Gregorius à Valentia, Suarez, Lessius, & alij. Nihil enim invidiosius passim inculcant, quam per gratiam, quæ ad volendum, consentiendum, agendum prædeterminat voluntatem, funditus everti libertatem: ut non sit opus testimonijs eorum corregatis hoc astruere.

NOTA XXII.

Quia destruit eam etjam cum negatur.

QVod vero libertatem etjam everteret illa gratia, quando divino judicio subtrahitur, non minus invidiosè Massilienses questi sunt. Nam apud Augustinum *extra culpam se videri volunt, qui non obediunt Deo*, quia *obedientia*, hoc est, gratia ad obediendum, *munus Dei est. Hanc*, inquiunt, *non accepimus. Quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus?* Istas enim Adrumetinorum querelas fuisse quoque Massilienſium, in Epistola sua Prosper affirmat. Hinc & Faustus: *Dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronunciat, etiam suprema remedia pœnitentiæ sensu abruptæ pietatis evacuat.* Ita vero inscribit libros suos: *Professio fidei adversus eos, qui dum per solam voluntatem Dei, alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum gentilibus asserunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.* Nam duplex in eis verbis Augustinianæ doctrinæ caput impetit, primum, quod Deus per solam voluntatem, hoc est, per gratiam suam, alios ad vitam attrahere diceretur; alterum, quod alios in morte relinqueret, vel reprobaret.

Lib. de Cor. & grat. c. 4.

Faust. lib. 1. c. 11.

Idem omnino non semel adversus gratiam illam ex se efficacem, quæ non omnibus datur, recentiores ingeminant. Lessius: *Antequam detur motio efficax, non est in ipsius potestate eam habere, ut sæpe ostensum est, ac proinde nec opus bonum facere: Vnde nullum instans dari potest, in quo sit potens ad utrumlibet; quod tamen ad rationem libertatis requiri, supra capite quinto ostendimus.* Idipsum docet & alijs locis. Nec ceteri dissentiunt. Putant enim nullo modo imputandum esse peccatum, tanquam non liberâ voluntate factum, si gratia, sine qua vitari non potest, negaretur.

Less. de grat. efficac. c. 9. n. 9.

Vide c. 3. n. 12. latius.

Suarez. lib. 3 de auxil. c. 6.

NOTA XXIII.

Quia præceptum fit hominibus impossibile.

DEinde, quod ex præcederti sequitur, si subtrahitur gratia illa vitando peccato, vel faciendo operi, quod præcipitur, necessaria, jam præceptum fit hominibus impossibile. Ita conquerantur in superiori observatione Monachi Adrumetini: *Cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Quasi dicerent, impossibile est nobis facere quod præcipitur, quia gratiam non accepimus, qua fieri possit. Vnde & Faustus: *Quemodo prædicat gratiam, qui misericordiam negat? Quemodo videtur asserere Dei donum, cujus tollit auxilium &c. Quemodo mihi dicitur, Declina a malo & fac bonum, si jam malum declinare non possum?* Per istius videlicet misericordiæ seu gratiæ subtractionem.

Lib. de Cor. & grat. c. 8.

Faust. lib. 1. c. 21.

Accurate hoc imitatur Lessius: *Si præter cetera auxilia requiritur ad singula opera motio* (id est gratia) *quædam determinans, quam habere non sit in potestate, utpote quam Deus pro paucis prædestinavit; plurimi profecto sunt, quibus præcepta Dei sunt impossibilia.* Idipsum docent alij multo majori, ut eis videtur, ratione, si gratia sufficiens ad implenda præcepta subtrahatur. Concludunt enim eadem quâ Massilienses ratione subnixi: præcepta fore impossibilia: *Offert ergo Deus hoc auxilium*, inquit Lessius, *alioquin sequeretur, & Deum jubere impossibilia, & nos peccare in eo quod vitare non possumus: vel certe violando divina præcepta nos non peccare.*

Less. de grat. efficac. c. 7. n. 3.

Less. de prædest. sect. 6. n. 61. Vide Suarez. l. 3. auxil. 6

NOTA XXIV.

Quia frustra erunt præcepta, exhortationes, correptiones.

EIusdem rationis est, eodemque fundamento innixum, quod conquerebantur, frustra futura præcepta, exhortationes, & correptiones. De quo in præcedentibus duobus capitibus audivimus Massilienſium voces. Similes passim fundunt etjam recentiores: *Denique frustra erunt præcepta, frustra consilia, frustra exhorta-*

Less. lib. de grat. efficac. c. 9. n. 12.

exhortationes, & correptiones. Nemo enim his bene uti poterit, sine auxilio efficaci, quod non est in eius potestate. Ita Lessius.

NOTA XXV.

Quia naturæ vires nimium detrimuntur.

ALia ex causa Massilienses putabāt superfluam fore exhortationem, correptionem, & similia, ex eo quod Augustinus traderet, ita per peccatum primi hominis prostratas esse naturæ vires, ut nihil boni velle, aut agere, aut periculum æternæ mortis timere posset nisi per gratiam bona ista voluntas inspiraretur. Vnde stomachantes apud Hilarium *exludi* putant *omnem prædicationis vigorem, si nihil, quod per eum excitetur, remansisse dicatur.* Et paulo post: *Asserunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.*

Hilar. Epist. ad Aug.

Idipsum refricant sine fuco recentiores: *Nolunt*, inquit Lessius, *dare tantam gratiæ copiam, ut omnia sint naturæ facilia, ipsaque natura sit secura: sed eam duntaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem; ut animadversa rei difficultate & anticipiti eventu excitemus naturam, eique vim inferamus, ut quantum potest gratiæ cooperetur. Hoc sæpe monet Scriptura, ut cum hortatur ad vigilantiam, ad assiduam orationem, ad redimendum tempus, ad caute ambulandum, ad operandum salutem cum timore & tremore. Non decebat, ut vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passive se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illis moveri &c.* In quibus verbis tacite indicat, alioquin non recte illas Scripturæ monitiones fieri, nisi natura seipsam excitaret: nec attendit, hujusmodi excitationes naturæ, & sollicitudines, & timores esse unum ex primis & præcipuis gratiæ operibus prævenientis voluntatem. Ex quo fit, ut ubi ipse se naturam excitare putat, ad cooperandum gratiæ, gratia e contrario prævenier do naturam sopitam ac somnolentam, eam ad cooperandum excitet. Nunquam hujusmodi verbis quisquam gratiæ intellector uteretur, nisi existimaret, aliquid in natura relictum esse, quod ipse sua diligentia ad gratiam excitaret. Sed hoc ex illa opinatione venit, qua putant hominem, quantum in se est operando, multa facere, quæ vere bona sunt, quibus se postea interponat gratia, ut ad supernaturales actus perducatur. Hoc aperte profitetur Molina; cujus doctrina Lessio mirifice probatur, ideoque *de Scholastica Theologia optime meritus* pronuntiatur. Nam in concordia sua aperte profitetur; *quo homines avidius, sinceriorique animo veritatem cognoscere volunt, eo plures à Deo vocari ad fidem, & illuminari.* Quasi illa aviditas, & sincerus animus, & cognoscendi voluntas, non esset donum gratiæ Dei. Addit adhuc, ita se Deum accommodasse homini, *ut sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficiebat; ita etiam ante receptionem gratiæ, & in ipsa receptione gratiæ, ac post ea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio: quatenus ita ipse auctor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria, & laus servaretur.* Ecce & ante receptionem gratiæ libero relinquitur arbitrio locus, ut ei industria & laus sua servetur. Vnde ulterius pergit, idipsum afferens, quod & Lessius de exhortatione dixit: *Atque prædicta omnia exigere videtur Deus à peccatore illis verbis Zachariæ, id est: Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Quasi videlicet Deus illis verbis naturales liberæ voluntatis conatus exigeret, quibus sese gratia postea insereret, prout ibidem ex professo docet, & Massilienses ex propria sui erroris professione statuebant.

Less. lib. de perf. fect. c. 2. n. 71.

Molina ibid

NOTA XXVI.

Quia solâ erit opus oratione.

HInc ulterius Massilienses inferebant, tantummodo orandum esse pro illis, qui non recte vivunt, si totum est gratiæ. Nam & istud ipsum, *totum gratiæ dari*, permoleste ferre solebant. De oratione audi: *Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus, ut det quod non dedit.* Et mox: *Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Monachorum Adrumetinorum verba sunt, quæ à Massilien sibus frequentata quoque fuisse, Prosper ad Augustinum testatur.

Apud Aug. lib. de Cor. & grat. c. 4.

Eadem quoque eandem ob causam, propter illa scilicet auxilia efficacia ex prædestinatione profluentia, usurpant recentiores. *Imo vero*, inquit Molina, *data ea sententia, locus apertissime datur errori illorum Monachorum, qui dicebant neminem corripiendum esse, quod non operetur bonum; sed orandum esse Deum, ut illi largiatur gratiam, auxiliumve efficax, quo bene operetur.* Sed non advertit, arbitror, istas Monachorum accusationes adversus gratiam, prestyteros quoque Massilienses, *contentiosissime conclamando*, fecisse suas, ut jam ex Prospero sæpius diximus.

Mol. q. 14. a. 13. disp. 53. mem. 2.

NOTA XXVII.

Quia absurdum est, ut Deus petat ab homine fieri, quod ipse Deus per talem gratiam debet facere.

ITstud quoque perabsurdum esse Massiliensibus videbatur, quod Deus ab homine præcipiendo aut exhortando peteret id, quod ipse dare deberet. Hinc Monachi Adrumetini, quorum omnes querelas tanquam justissimas Massilienses quoque amplexos esse, Prosper tradit, valde serio querebantur: *Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus a malo & faciamus bonum si hoc nos non agimus, sed id velle & operari* DEVS OPERETVR *in nobis?* Et Augustinus ex similium persona ad eosdem istos Monachos: *Quare iubet, si ipse daturus est?* Quod statim solvit, quia *dat quod iubet, cum adjuvat, ut faciat cui iubet.*

In Epist. ad Aug. Lib. de Corr. & grat. c. 2.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 15.

Simili prorsus modo Lessius siculneam hanc

In priorebus tract. ante lib. de grat. Molin. q. 14. a. 13. disp. 9.

Ibid.

hanc machæram non semel adversus illam gratiam vibrat, quæ non est in hominis potestate & adversus illa Dei dona, quæ talis gratia in hominis voluntate operatur: *Cur enim pulsaret* Deus ad ostium cordis, *si non possent aperire? Quomodo diceret: Si quis mihi aperuerit, si ipsemet deberet aperire, per quendam impulsum, qui non est in eorum potestate?* Et accuratius hoc argumentum explicans ac diducens: *Si enim*, inquit, *qui intus est, non potest aperire, nisi tu foris illud impellas, non recte ei dixeris: Si aperias, mirabo, cum ipse aperire nequeat sine tuo impulsu, & tu illum impulsum non statueris facere. Unde merito respondebitur tibi: Impelle tu prius, & tunc aperiam: Nam nisi prior impulsum feceris, aperire non potero.*

Lessius lib. de grat. effic. c. 6. resp. 3 n. 7.

NOTA XXVIII.

Quia totum isti gratiæ tribuitur, nihil naturæ.

B

IAm verò istud alterum, quod *totum gratiæ*, nihil naturæ tribueretur, Massilienſibus non minus invisum fuit. Nam Faustus reprehendit, quod adversarij dicerent *totum solius esse gratiæ*, quibus verbis Augustini doctrinam & Cypriani, quibus tradunt, *nostrum nihil esse.* Et, *Tutiores nos vivere, si totum Deo datur.*

Cyprian. in explic. erat Dom. & lib 3. ad Quir. c. 4

Hoc ipsum & Lessius videtur reprehendere, quando dicit: *Non decebat, ut vires naturæ à creatore acceptæ essent otiosæ, & quasi passive se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, & sinentes se ab illo moveri, & sic* TOTVM *à gratiæ motione penderet.* Vbi tria simul capita doctrinæ Fausti, & Massiliensium tangit, & objcit; primum, quod totum esset gratiæ: secundum, quod vires hominis essent otiosæ. Nam & hoc argute Catholicis objcere sibi videbantur. Vnde apud Faustum frequens est istius otij reprehensio: *Audi*, inquit *Apostolum non tua otia prædicantem*; Et ex Augustini sententia vocat procurationem salutis *otiosum negotium*; & homines *per quietem & desidiam coronari.* Tertium, homines in ista gratiæ prædicatione, tantum impulsum gratiæ exspectare, sinentes se ab ea moveri. Nam supra reprehendentem Faustũ audivimus, quòd *sicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita solo divinæ potestatis impulsu, meus humana per gratiam versaretur.*

August. de dono pers. c. 6. Lessius lib. de prædest. sect. 6. n. 7.

C

Faust. Lib. 1. c. 10.

Cap. 11.

Faust. lib. 1. c. 8.

NOTA XXIX.

Quia fatalis sequitur in vitam humanam necessitas.

HInc itaque fati fatalisque necessitatis operationem induci per gratiam, tanquam indubitatum conclamabant. *Inter gratiæ vocabulum*, inquit Faustus, *absconditum eris fatale decretum.* Quod non semel in eisdem libris refricat, & Pelagiani omnibus gratiæ efficaciter operantis adversarijs propinaverant. Fatum enim non solùm ex prædestinatione, quod supra dictum, sed etjam ex ipsa efficaci gratiæ operatione sequi arbitrabantur.

D

Faust. lib. 1. c. 4.

Apud recentiores istos nihil istâ expostulatione invidiosius & frequentius: *Fateor*, inquit Lessius, *nullâ ratione me posse assequi, quomodo per eam*, doctrinam de determinatione voluntatis per gratiam efficacem, *non inducatur fatum plusquam adamantinum.* De quo & alibi aliquoties. Et Molina profitetur, si secludatur præscientia, qualiter arbitrium pro sua libertate deberet se determinare, se, suppositio auxilio determinante, *non intelligere, qua ratione eius sententiâ assertores evadere possint fatalem necessitatem in eo effectu, humanæque libertati eversionem.* Ex quibus perspicuum esse puto, quam accuratè sibi etjam recentiores isti & Massilienses in gratiæ ex se efficaciter operantis oppugnatione, & argumentorum omnium, aut penè omnium apparatu concinant.

Lessius lib. de grat. c. 16. n. 6.

Vide cap. 3.

Mol. q. 23. a. 4. & 5. disput. 1. memb. 12.

Quapropter prudens quisque, qui non contentionem, sed veritatem in scriptoribus quærit, consideret velim, quo colore istæ tot querimoniæ adversus illud adjutorium voluntatis intorqueri possunt, quod à recentioribus defenditur, & ab Augustino contra Massilienses traditum fuisse credi volunt. Qua vel specie verisimili de adjutorio, quod instar habitus omni ex parte subditum est nutui liberæ voluntatis, dici, vel cogitari, vel somniari potest, quòd fatum afferat, quod evertat libertatem, cui semper obtemperat? Quòd præceptum reddat impossibile; quod frustranea efficiat præcepta, exhortationes, correptiones, quibus implendis nutui voluntatis præsto est? Quòd solâ sit opus oratione, quod totum gratiæ tribuatur; cùm nihil omnino illa operetur, nisi ad operandum voluntate concitetur? Quod absurde Deus ab homine petat, ut velit, cum per istam gratiam non det velle, nisi ipsa voluntas velit? Quis ita stupidus, tardus, blennus, & caudex est, ut illos homines acutissimos ita deliraſse credat, qui ultro vociferantur se agnoscere, intelligere, probare gratiam illam ab Augustino traditam, quâ adjutus primus homo poterat perseverare & non perseverare si vellet? Hoc est, gratiam quæ obtemperat in agendo & non agendo liberæ voluntati? Dicat hoc ergo qui voluerit, credat qui potuerit. Ego puto neminem eorum, qui hoc de Massilienſibus persuadere conantur, vel apud seipsum in animo suo posse credere: sed ad hujusmodi vela sententiæ suæ prætexenda, ipsa susceptę semel defensionis necessitate compelli.

Testis. Hib. in Epist. ad Aug.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quæ sit inter gratiam ab utrisque traditam convenientia, ac discrepantia.

CVm igitur satis declaratum sit, pariter & ijsdem de causis utrosque & prædestinationem & gratiam, quibus tunc Augustini doctrina, & nunc vehementer oppugnatur, aversatos esse, & ijsdem querimonijs expostulasse; nunc præcipuè videndum est, quam utrique prædestinationem & gratiam, & quibus ex causis excogitaverint, quo colore induxerint, quibus argumentis asseruerint, & plausibiles fecerint. Ex hoc enim in primis constare poterit, quid convenientiæ ac discrepantiæ in eisdem pateat aut lateat.

NOTA XXX.

Vtrique omnia spectra desperationis, fati, ignaviæ &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædestinationem cum libero arbitrio facilè fugant.

MAssilienſibus, ut alibi dictum est, duo generaliter in sancti Augustini doctrina displicebant, prædestinatio ab ipso prædicata, & effectus ejus gratia. Illa, quòd præcurreret omnem humanæ voluntatis motum: hæc, tum quòd nimis discretè daretur, & negaretur; tum quòd nimis efficaciter in voluntatem influeret. Ex hisce fontibus omnes eorum querelæ, & insuperabiles, ut eis videntur, difficultates fluunt. Medendis omnibus novum prædestinationis & gratiæ genus ita machinati sunt, ut causa effectui, & effectus causæ suæ accuratissimè responderet, & utraque ad amussim libero arbitrio attemperata, nullam umbram desperationis, ignaviæ, necessitatis, fati, & similium terriculamentorum retineret. Id-ipsum recentiores tam dexterè imitati sunt, ut de ingenti illa, quam attulerunt, conciliandæ prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio facilitate, deque solatio animorum quod pepererunt, non semel glorientur. Molina enim: *Quod tam facile ac perspicuè illa quatuor* (præscientia, providentia, prædestinatio, & reprobatio) *ex capite præscientiæ mediæ cum libertate cohæreant, signum est manifestum, nos integram legitimamq; rationem conciliandi omnia tradidisse.* Et Lessius concludit: *Non esse maiorem difficultatem in conciliandi prædestinatione cum libertate arbitrij, quàm in conciliandi præscientia cum eadem libertate.* Et crebrò inculcat, se solidum animabus *solatium* attulisse.

Molin. q. 14 a. 13. disp. 53 memb. 2.

Lib. de præd. sect. 6. num. 8.

Vide præfat. ad Lector.

Sanè præstiterunt hoc ipsum non minus feliciter Massilienses, & recentioribus viam straverunt in omnibus, quæ se velut magna conciliationis istius mysteria reperisse venditant. Quod ut ad oculum cuivis apparere possit, Deo juvante demonstrabimus, quàm brevissimè fieri possit, aut penè nihil, aut nihil omninò in recentiorum esse sententiâ, quod non Massilienſibus tanquam inventoribus & magistris debeant: & si quid ijs fortè non debeat, hoc causam eorum non mediocriter deteriorem facere. A voluntate Dei, tanquam temporalium effectuum causâ, quos per gratiam in humana voluntate operatur, auspicabimur.

NOTA XXXI.

Statuunt in Deo propositum generale restaurandi totum genus humanum.

PRimò igitur recentiores, ut omnia illa immania, terricula ex gratia & prædestinatione fugent quæ fatalitatem, libertatis eversionem, mœrorem, desperationem, mortem, ut Lessius putat, hominibus nonnunquam afferunt, statuunt in Deo voluntatem quandam seu propositum generale, quo genus humanum in Christo restaurare, & salvum fieri voluit: idque non hos vel illos liberandos, relictis ceteris, suâ solâ voluntate decerpendo; sed omnes omninò, nemine excepto.

Id-ipsum eodem modo tradiderunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium. Vtrumque notius est, quàm ut accersitis testimonijs confirmandum sit; & ex sequentibus patebit manifestiùs.

NOTA XXXII.

Cujus basin collocant locum Apostoli: Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *1. Tim. 2.*

SEcundò doctrinæ istius basin quasi immobilem recentiores Apostoli Pauli locum collocant: eò quòd perspicuis verbis dicat: *Qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* De quo Molina: *Quòd fit, ut universim verum sit, Deum ex parte suâ velle omnes absque ulla exceptione salvos fieri.* Et alibi: *Meditandus est Deus voluisse ex animo promiscuè omnes homines iam in Adamo lapsos in vitam æternam perducere.* Idem eodem modo & Suarez, & Lessius, & ceteri docent.

1. Tim. 2. Quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. memb. 13. Ibid. memb. Suar. lib. 4 de prædest. cap. 1. Less. de prædest. sect. 6.

Id-ipsum fundamentum tanquam suæ sententiæ inconcussum statuerunt Massilienses, & semper eodem modo, ut nunc recentiores, Augustino, Prospero, & veris gratiæ defensoribus objecerunt. *Et ubi est illud*, inquit Prosper, *quod nobis quasi contrarium à non intelligentibus semper opponitur, quòd Deus omnes homines velit salvos fieri?* &c. Hoc ipsum verò nullis Catholicorum argumentis expugnabile esse apud eundem Prosp. significant. *Nec vacillare illud, quod Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Prosp. Epist. ad Ruffin.

Ex Epist. ad Augustin.

NOTA XXXIII.

Augustini expositiones pariter repudiant.

HInc recentiores Augustini interpretationem qua solos prædestinatos Apostolicâ illâ sententiâ significatos putat, exponendo vel per distributionem pro generibus singulorum, vel causaliter, incongruam esse censent, & apertè repudiant, ut in Francisco [a] Suarez & b Molina videre licet.

Massilienses eandem Augustini expositionem, & eadem de causa velut nimis duram rejecerunt: c *Inde est*, inquit Hilarius ad Augustinum, *quod illius sententiæ expositionem, non eam quæ à te est deprompta, susciperent, id est, ut non nisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omninò, ut nullus habeatur exceptus.*

a *Suarez l. 4. de prædestin. c. 1. num. 2. & 3.*
b *Molina q. 19. a. 6. disp. 1.*
c *Epist. Hilar. ad August.*

NOTA XXXIV.

Voluntas illa Dei generalis conditionata est respectu majorum.

SEd quia manifestum est, non omnes homines salvos fieri, quamvis id velle Deus dicatur, ne ipsâ veritatis evidentiâ in Augustini sententiam cogantur, voluntatem quandam conditionatam in Deo ponunt; juxta quam propositum salvandi omnes homines ita temperant, ut dicatur id velle *quantum in ipso est*, seu, quod in idem redit, *si & homines ipsi velint*. Deum itaque sincerè velle omnes salvos fieri: sed ideò non salvari omnes, quia ipsi nolunt. Quam quidem conditionatam voluntatem habere Deum censent, non modo erga finalem illam salutem in regno Dei, sed etiam erga quoslibet actus bonos, quibus ad salutem promoventur. Suarez: *Verus sensus est, Deum, quantum in se est, velle ac cupere omnium salutem.* Et infra dicit, *voluntatem illam includere conditionem in obiecto, si homo velit.* Idem Molina & Lessius tradunt. Unde illud ipsius: *Intentio, quatenus ferebatur in gloriæ communionem in genere, erat quodammodo confusa nostro modo intelligendi: ut verò applicabat gloriam singulis hominibus, non erat absoluta, sed conditionata.* De mediis verò ad salutem tendentibus, hoc est, de consensione nostræ voluntatis, quæ in omnibus bonis operibus, fide, spe, dilectione necessaria est, sic decernit generaliter: *Consensus & cooperatio nostra, non est prædestinata* (id est volita à Deo) *decreto absoluto, antequam sit futura, sed sub conditione & desiderio quodam. Desiderat enim nostram cooperationem, sed non vult absolute ut extet, nisi nos sponte velimus.*

Loco citato.
Ibid. c. 7.
Molin. quæstione illa 23 disp. 1. membro. 8.
Less. de prædest. sect. 12 num. 43.
Idem sect. 5. num. 55.

Massilienses istud ipsum eodem modo præformaverant. Nam apud Prosperum dicunt: *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo sponte crediderint.* Et apud Hilarium: *Nec hoc timendum quòd quidam coinvito perire dicantur: sed quomodo, aiunt, non vult à quoquam peccari, vel deseri iustitiam, & tamen ingrediens illa deseritur contra eius voluntatem, committuntur que peccata, ita eum salvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines salvari.*

In Epistolis ad August.

Quam voluntatẽ Dei conditionalem salvandi omnes homines eádem explicat similitudine Molina: *Vult enim eiusmodi volitione omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salutem assequuntur. Vult item sua præcepta & consilia observari, quæ tamen passim contemnuntur.* Ut nemini dubium esse posset, Massilienssium sensum, qui hoc dicebant, & explicationem ei placuisse.

Molin. q. 16. art. 4. disp. 2.

NOTA XXXV.

Etiam respectu parvulorum, qui salvantur.

CVm verò parvulis nulla voluntas sit, ratione cujus conditionalis illa Dei voluntas vera esse possit, & tamen quosdam eorum salvari constat, & alios perdi; utrimque profectò magnis coarctantur angustijs. Solâ quippè Dei voluntate ante omne meritum eos prædestinante, vel reprobante, videtur salus eis vel perditio destinari; atque ita rursus eisdem plus quàm adamantinis fati vinculis constringuntur. Rimam igitur sibi facere conati sunt recentiores, per quam ab illa decreti fatalitate persequente elabantur. Dicunt enim, quòd sicut respectu adultorum involvitur in illa voluntate Dei conditio, si & ipsi adulti velint; ita respectu parvulorum, *si alij remedium eis adhibere velint.* Unde Molina: *Cùm nulli adultorum voluerit sempiternam beatitudinem, nisi dependenter a proprio usu liberi arbitrij cuiusque eorum; imò neque parvulis, nisi dependenter à remedio contra peccatum originis per usum liberi arbitrij aliorum exhibito.* Nulla est igitur etiam respectu parvulorum absolutâ voluntas Dei prædestinantis eos salvare, nisi positâ prævisione libertatis, sive propriæ, sive aliorum. Et Vasquez eandem rationem in parvulis & adultis esse tradit, servatâ videlicet proportione.

Molin. q. 23. art. 4 & 5. disp. 1. mem. 8.
Vasq. disp. 89. c. 9. n. 1. part.

Torsit ille scrupulus diu multumq; Massilienses. Nam initio stomachabantur, quòd causa parvulorum ad adultos traheretur: *Parvulorum autem causam*, inquit Hilarius, *ad exemplum maiorum non patiuntur afferri.* Alij non secerni eos volebant ex nuda voluntate Dei, sed ex meritis, quæ prævidebantur habituri, *si viverent.* Faustus multis annis post, in primo sui operis libro statuebat, rem illam *obscuram & incertam* esse. Sed in secundo peritior factus, acutissimum istud effugium Molinæ & recentioribus commentus est. Nam cùm ei objectum esset, quòd puerorum innocentium populus in Bethlehem *tam beatam mortem ex sola Dei prædestinatione consecutus esset*, respondet: *Non ita est: sed decreti sorte cessante mors pueris pro diaboli infertur furore &c. Nõ ergo eos prædestinatio mortis addi-*

Epist. ad August.
Apud Prosp. in Epist. ad August.
Faust. l. 1. cap. 14.
Lib. 2. c. 3.

xit,

xit, sed causæ occasio consecrauit. Illud ipsum nimirum est, quod Molina dixit: Deum decreuisse parvulis istis beatitudinem *dependenter à remedio per usum liberi arbitrij aliorum exhibito.* Nam mors illa per Herodem allata, remedium parvulorum fuit: quò libertate Herodis exhibito, dependenter ab illo Deus beatitudinem sempiternam eis voluit.

NOTA XXXVI.

Item respectu eorum, qui damnantur.

IAm quisquis tantillùm in principijs conclusiones latentes inspicere potest, facilè videt, in his verbis aliam recentioribus doctrinam Faustum aperuisse. Si enim ipse rogatus fuisset, utrum Deus non æterno reprobationis decreto parvulos illos, qui vel in utero matris, vel improvisâ morte abripiuntur, reprobaverit, & noluerit salvos fieri; obviam jam responsionem habuisset ad manum: Non propterea hoc contingere, quòd aliquid de perditione parvulorum illorum Deus constituerit, eos nolendo salvos fieri, sed quòd occasio causarum naturalium vel liberarum eis mortem procuraverit, quâ prævisâ Deus eos damnationi tradiderit. Eadem quippe contrariorum est ratio, & eorum præcipuè, in quibus eadem ratio majori ratione locum habet. Nam longè Deus ad beandum, quàm puniendum ex se propensior est. Latentem istam responsionem recentiores ex principijs suis evolverunt. Petentibus enim, quomodo Deus tales ferìò velit salvos fieri, qui nullo ei resistunt voluntatis arbitrio, respondent: Deum quidem velle ut salvi fiant, sed *quantum cursus rerum naturalis & providentiæ ratio statui lapso conveniens patitur.* Quòd idem est ac si Faustus etiam de damnandis illis parvulis diceret: *Decreti sorte cessante mors pueris pro diaboli infertur furore. Non ergo eis prædestinatio mortem adduxit, sed causæ occasio consecravit.* Quid enim est diaboli furor, & causæ occasio, nisi cursus rerum, & providentiæ ratio statui lapso conveniens? Nam ideo ibidem adiit Lessius, post peccatum non ita Deum compescere *vim diabolicam, aut causarum naturalium actiones, aut injurias avertere,* quin multi per earum violentiam pereant etsi eos velit Deus salvos fieri.

Lessius de prædest. sect. 2. n. 65.

Ibidem.

NOTA XXXVII.

Gratiam attemperant isti propositò generali Dei, & libero arbitrio hominis.

SIc ergo stabilitâ illâ generali, & conditionatâ Dei voluntate salutis omnium, atque elisâ illâ durissimâ ac fatali, ut putant, decreti prædestinantis reprobantisque sorte, progrediuntur ulteriùs recentiores ad excogitandam talem gratiam, quæ & isti universalitati divinæ voluntatis, & conditioni quam involvit, hoc est humanæ volûtatis libertati attemperata sit, ut cum ea videlicet agat vel non agat, si voluerit; non autem potenter flectatur, ut agat. Vtrumque à Massilienſibus istius gratiæ architectis didicere, ut in sequentibus particulatim demonstrandum est.

NOTA XXXVIII.

Statuunt beneficia remotiora omnibus ex æquo communia, Christi mortem, baptismum &c.

PRimùm itaque cùm vehementer averſentur recentiores illam gratiarum tenacitatem, nimiumque scrupulosam discretionem, quâ uni datur à Deo, alteri non; inducunt ipsi è contrario Deum gratiarũ effusorem in omnes quaquaversum liberalissimum. Quod ut obtineant plausibiliùs, etiam atq; etiam commendant, beneficia Christi, mortem, passionem, baptismum, & similia remotiora salutis adipiscendæ remedia, pro omnibus omninò hominibus, nullo excepto, exhibita esse. Quod intelligunt non tantùm quoad sufficientiam, quod nemini in Catholica fide dubium esse potest, sed etiam quantùm ad aliquam efficaciam, ex qua quædam propinquiores gratiæ ad omnes omnino homines quantumcumque barbaros fluant. Doctrina ista in recentiorum scriptis notissima est, nec testimonijs eget, videndus Lessius, Suarez, Molina, & ceteri passim.

Idipsum eodẽ sensu Massilienses strenuissimè veluti basim erroris sui sollicitè inculcãdo commendabant. Nam apud Prosperum iterum iterumque dicunt: *Pro universo humano genere mortuum esse Dominum nostrũ Iesum Christum & nemnem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptũ, etiamsi omnem hanc vitam alienissimâ ab eo mente pertranseat; quia ad omnes homines pertineat divinæ misericordiæ Sacramentum* (baptismus) *itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam.* Vnde Faustus exprobrat Catholicis, quòd assererent, *Christum humanam naturam non pro omnium salute sumpsisse.* Et Galli Augustino, quod, in eius sententia, *non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.*

Prosp. lib. Epist. ad August.

Faust. l. 2. cap. 15.

Vide lib. 8. de hæres. Prædest. cap. 3. Quæst. 9. Gallor.

NOTA XXXIX.

Beneficia etiam propinqua, gratiam scilicet sufficientem, omnibus effundunt liberalissimè.

ISti fundamento recentiores aliam doctrinam imponunt solemnissimam, quâ Deum gratiam quandam sufficientẽ omnibus hominibus impertiri traduntˌ. De qua tanquàm celeberrimâ vide, si libet, eundem Lessium, Suarez, Molinam, & alios. *Quomodo est omnium redemptor,* inquit Less. *si non impetravit omnibus auxilium, quopossint liberari?* Sed prodijt ea, qualis à recentioribus prædicatur, ex officina Massiliensium: qui studiosissimè istam gratiæ sufficientis generalitatem inculcabant, sine qua in ista fatalia, quæ vocabant, decreta, de salute paucorum procurandâ, neglectis ceteris, se revolutum iri cernebant. Audite Faustum Augustini doctrinæ, quæ *totum gratiæ* tribuere solet, insidiantem atq; calumniantem: *Cum responderimus: totum plane gratiæ est, sed omnibus*

Lessius lib. de prædest. sect. 6.

Suarez l. 4. de prædest. c. 1. 2. & 3.

Molina in Concord. diversi. loc.

Aug. lib. de dono perseu. cap. 6. & 7.

Faust. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 17

nibus eam offert, atque ingerit ad salutem omnium conditor atque redemptor; ad hæc illi longè à pietatis tramite recedentes, respondere præsumunt: non eam Salvator omnibus dedit, quia nec pro omnibus mortuus est. Et Massilienses apud Prosperum eam gratiæ formam indocunt,

Prosp. carm. de ingratis c. 10 vide & cap. 11.

Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

Vide lib. 8. de hæres. Pelag. c. 31.

Plura diximus in hæresis Pelag. descriptione.

NOTA XL.

Gratia quodammodo sufficiens in Adam, Noë, Abraham, Patriarchis, Sapientibus gentilium; in cælesti machina & creaturis.

HAnc sufficientem gratiam multiplicem constituunt recentiores, multisq; modis eam à Deo humano generi præparatam esse tradunt; ut primo in *Adam & eius coniuge, in Noë & filys eius, in singulis gentibus excitando viros sapientes & pios, ut Abraham & Patriarchas; in cælestium orbium & reliquarum creaturarum publ. á voce. In Iudæis* qui legem habebant, toto q; pœnè orbe dilperti erant. *Ex quibus*, inquit Lessius, *apparet, quam multis & variis modis Deus hoc auxilium præparaverit, ut omnes eius possint esse participes.*

Lessius lib. de prædest. sect. 6.

Massilienses eodem omnino modo, gratias istas generales prædicabant, quemadmodum latissimè videre licet in opusculo de providentia apud Prosperum, Semi-Pelagianâ fuligine non parum tincto: & apud Faustum lib. 2. & in Massiliensibus apud Prosperum, qui Dei auxilium commendantes, *sive per naturalem sive per scriptam legem &c. homines universaliter vocari statuunt.*

Lib. de providentia Dei non multum à principio.

Faust. lib. 2. cap. 9.

In Epist. Prosp. ad Aug.

NOTA XLI.

Item in forma Ecclesiæ, & prædicatione Evangelij generali.

INter illas gratias sufficientes recensent etiam recentiores *publicam Ecclesiæ formam, & doctrinam omnibus expositam.* Nam *Ecclesiæ filij per omnes gentes dispersi, ut hæ ab illis veritatem discere possint*, inquit idem Lessius.

Loco citato.

Eadem Ecclesiasticæ doctrinæ universalis gratia fuit Massiliensibus charissima. Nam ideo dicebant, *omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri*, adeoque gratiam referebant, ut Hilarius testis est, *ad ipsam vocationem, qua præstatur indignis.* Et apud Prosperum decernunt homines universaliter sive per naturalem sive per scriptam legem, *sive per Evangelicam prædicationem vocari.* Et Faustus: *Fides divinitas doctrina generaliu inculcat, ac lumen credulitatis insinuat.* Quod gratiæ genus apud Semi-Pelagianos perquam familiare fuit: & apud Pelagianos prædicatissimum.

Prosp. ad August.

In ead Epist ad Aug.

Prosper in Epist. ad August.

Faust. l. 2. cap. 6.

NOTA XLII.

Gratiam actualem internam utrique tribuunt.

SEd quia istæ Massiliensiũ gratiæ pleræq; non nisi externæ sunt, vel certè non nisi intellectũ afficiunt, intactâ voluntate quæ præcipuè ad opera bona præstanda, imbecillis est, & adjuvari debet: hinc recentiores lato limite à Massiliensibus se distare putant, quòd aliam omnibus præcedentibus gratiam adjiciendo, prædicant, veram, & internam, & actualem, & in ipsa potentia voluntatis. Hæc gratia in recentiorum Molinæ, Suarez, Lessij, Vasquez, & aliorum scriptis est nonnisi à vocatrique *congrua*, quando eum ea voluntas operatur, *incongrua* quando eam cessando cassam facit: quibus nominibus crebrò à Lessio nuncupatur.

Lib. de prædest. s. 8. 2. pet. 1. 2. 4. sæpius. 5.

Non est tamen quòd de ista interna gratia multùm sibi recentiores isti blandiantur. Eandem ipsam & Massilienses ante ipsos agnoverunt, prædicarunt, & omninò etiam ad credendum & orandum necessariam esse confessi sunt. Scio hoc illis auctoribus paradoxum videri. Sed qui veritatem illius asserti nis meæ probatam videre velit, legat ea quæ fusè diximus libro 8. de hæresi Pelagiana per multa capita, ubi hoc, nisi me fallit, ad oculum demonstravimus. Apud Hilarium enim ex magna parte se divisionem illam probare restantur, quâ sanctus Augustinus adjutorium gratiæ distinguat, in *adiutorium sine quo non*, cum quo primus homo poterat perseverare si vellet: & *adiutorium quo*. Illud ad *credendum* datum homini lapso sufficere statuebant; cùm primo homini ad omnia mandata adimplenda sufficeret: illud verò ad opera bona post fidem esse necessarium. Quod qui latius & evidentius sibi ostensum velit, legat loca quæ citavimus. Frustra quippe hîc iterum impenderetur formandæ probationi labor, quæ, paucis pagellis revolutis, tota prolixè haberi, & legi potest.

Vid. l. 8 de hæres Pelag. cap. 6. 7. 8. 9. 10.

NOTA XLIII.

Gratia ista quantum ad operandi modum est adjutorium sine quo non.

POrrò quantum ad operandi modum gratiam istam ita recentiores aptant, ut accuratissimè tum illi generali voluntati divinæ quadret, quâ valt omnes salvos fieri, quantum in ipso est, tum liberæ voluntati. Nam primò statuunt eam esse talem, ut non sit gratia *quâ fit* opus, sed *sine quâ non* fit: hoc est, nolunt esse talem gratiam, quæ statim atq; adest vel inest voluntati consensum adesse facit: sed talem, ut consensus sequatur, si voluntas velit, sine ipsa tamen non fiat. Authòr phrasim istam in auctorum istorum scriptis perquam familiarem: *Ili influxum* (gratiæ & liberi arbitrij) *sibi vicissim sunt causa sine qua non existendi in rerum natura.* Et alio in loco multò post: *Peculiari tamen modo hæc* (perseverare, se convertere &c.) *tribuuntur Deo, tum quia Deus hominem ad hæc excitat & sollicitat, antequam de illo cogitet; tum quia ad hæc vires præbet,* SINE QVIBVS HOMO NON POTEST *in his quicquam.* Et cùm sibi alibi objecisset, ergo prædestinationem quam docuit, non fore causam cooperationis nostræ, quæ capitalis erat objectio, & cui non potest ullo modo satisfieri, nisi modus influendi gratiæ explicetur, respondet

Lessius de gratia c. 10. n. 12.

Cap. 11. n. 4.

pondet negando consequentiam: *Quia per prædestinationem habemus vires, &* AVXILIVM, SINE QVO NON POSSVMVS *ad bonũ opus cooperari.* Vnde alio in loco categoricâ & absolutâ definitione: *Hanc conditionem* (hîc & nunc fieri) *contrahit actus directè à libero arbitrio; à gratia autem solum indirectè, seu concomitanter, & tanquam a causa* SINE QVA NON. *Nisi enim gratia simul naturæ influeret, & iuvaret, liberum arbitrium non posset hanc conditionem actui tribuere.* Haud scio an scrupulosiùs & accuratiùs naturam *adiutorij sine quo non* depingere posset: quod Augustinus statui innocentiæ hominum atq; Angelorum, integrisq; viribus liberæ voluntatis proprium facit, & ab *adiutorio quo* distinguit, quod fractæ oppressæ & liberãdæ voluntati Christus Iesus Salvator mundi per crucem suam dedit. Quisquis autem ista duo adjutoriorum genera ita confundit, ut quod sanæ arbitrio voluntatis convenit, hoc ægroto tribuat; quod libero, hoc captivo, ut cum eo per vigorem suæ libertatis naturalem, seu ut Celestinus Papa loquitur, per *naturalem possibilitatem* operetur, ille *naturalem* illam *possibilitatem non esse perditam*, contra ejusdem Celestini definitionem profitetur; multoq; magis arbitrium peccato non esse cæsum, imò lorgè robustiùs factum esse decernit, utpotè quod ante lapsum vehementissimarum passionum impetus, illamq; ingentem miseriarum catervam cum eodem adjutorio declinare quidem poterat, nullo verò pacto, si irruissent, superare: nunc verò post lapsũ universę mortalitatis hujus ærumnas, tantarumq; cõcupiscentialium perturbationum tempestates ferre, vincere, domare potest. Quæ sine comparatione superant, quicquid integræ libertatis vires in humana angelicaq; natura potuerunt. Quod si vigor primævæ libertatis tantoperè illæsus perstitit, profectò peccatũ originale funditùs tollitur, & gratis Christus mortuus est. Liberum enim arbitrium per seipsum, cum solo pristino adjutorio *sine quo non*, non solùm rectè *operari*, sed etiam ab ipso peccato resurgere potest, juxta illud S. Prosperi, quod in isto immobili Augustini principio fundatum est:

Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit: sua quemq; voluntas
Conciliare Deo, pœnâque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo pateret:
Peccatum & mundi sanguis non tolleret Agni &c.

Et quare non?

——— *Quoniam sapientia sana,*
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo
Vitam agerent æquam summorum participatu.

Hoc autem nunquam vel Prosper vel Augustinus aliter intellexit fieri posse, quàm cum *adiutorio illo sine quo non*, quod instanter & constanter profundissimus Doctor etiam Adamo & Angelis ad omnia opera & voluntates prorsus necessarium fuisse tradidit. Ex quo Christianus lector cernit, quò ista doctrina recentiorum istorum porrigat manus. Nec enim solius Lessij aut Molinæ ista de *adiutorio sine quo non* sententia est, sed omnium qui istas gratias sufficientes & congruas sine *adiutorio Christi quo* potenter determinante voluntatem, tuentur. Vnde similiter & Franciscus Suarez ut ostenderet Deum esse causam principalem discretionis unius ab alio, quamvis homo suâ liberâ determinatione bonum, quo discernitur, accipiat; rationẽ reddit: *Quia hanc ipsam liberam determinationẽ* SINE DEO INSTIRANTE ET ADIVVANTE HABERE NON POTEST. In quo & omnes ceteri istius gratiæ defensores consentiũt. Prorsus eodem modo hunc ipsum operãdi modum gratiæ suæ Massilienses tribuerunt. Nam in Epist. Hilarij in illa divisione gratiæ, quam Aug. tradidit, ut alia sit, *qua fiat, ut homo perseveret*; alia *sine qua per liberum arbitrium perseverare non potest*, posteriorem ejus partem tanquam aptissimam verisimamq; probant, alteram in prima voluntate credendi detestantur, tanquam per quæ *desperatio hominibus exhiberetur*. Quod alio in loco, qui à Lectore ominò consulendus, fusè demonstravimus. Neque enim sæpiùs eadem augẽdis voluminibus, cùm Lectorum tœdio, repetenda sunt.

Lib. de prædest. Sanctor. sect. 6. n. 80.
Lib. de grat. effic. c. 10. num. 13.
Celestin. in Epist. ad Episc. Gall. cap. 3. ad fin.
Prosp. carm. de ingrat. cap. 32.
Suarez l. 3 de auxil. c. 15 num. 9.
Hilarius ad Augustinum.
Vide l. 8. de hæres. Pelag. c. 6. & seqq.

NOTA XLIV.

Dat posse, si velit, non, ut velit.

ITaq; consequenter talem gratiam homini tribuunt, quæ det POSSE *si velit*, id est cum qua operetur homo, si velit, non quâ fiat ut velit. Quam sœpissimè recentiores velut palmarem gratiæ suæ distinctionem, ab eâ quam alij nimis rigidam & potentem prædicant, inculcare solent. Vnde Lessius dicit: *Voluntatem nostram posse gratia uti vel non uti, in opus eaminten-dere vel negligere.* Et exponens illa verba: *Trahe me* &c. *significatur* inquit *plurimos per illum tractũ imitaturos Christum, & omnes per illum* POSSE, *si velint.* Ejusmodi phrasibus lucubrationes eorum refertæ sunt.

Hoc ipsum gratiæ genus summoperè probaverunt Massilienses, & quicquid potentiùs in voluntatem influeret velut libertatis interitũ, & desperationis ansam apertissimam detestati sunt. Nam in Epist. Hilarij ad Aug. probant illud adjutorij genus, cum quo voluntas *persistendi & desistendi obtineat liberam potestatem*: abijciunt illud, quo secundùm Augustinum *nunc ita Sancti iuvantur, ut declinare non possint.*

Lib. de grat. effic. cap. 12. num. 4.
Ibid. c. 11. num. 11.

NOTA XLV.

Quam liberum arbitriũ efficacem, vel inefficacem, seu cassam reddere potest.

PRoinde rerum ipsarum nexu ducti docent ulteriùs gratiã suam esse talem, ut eam liberum arbitrium possit reddere efficacem aut inefficacem, efficientem aut cassam, prout liberrimo nutui ejus visum fuerit. Vnde Molina non semel dicit, quòd in potestate liberi arbitrij sit, *auxiliũ efficax & cassum inefficaxq; reddere.* Item *vel cassum reddere, vel efficere ut transeat in gratiam cooperantem.* Et Lessius, quòd in potestate sit *reddere gratiam prævenientem efficacem vel inefficacem in actu secundo*, ubi & Molinam citat, & explicat in hæc verba, quæ produximus: quibus nihil aliud significatur, quam humanæ voluntatis esse, ut gratia operetur cum voluntate, aut cesset; agat aut otiosa sit.

Molina in Conc. q 14. art. 13. disp. 40.
Ibid. disp. 43
Lessius de grat. c. 10. num. 9.

Idem omninò ante ipsos fuit Massilienſium ſenſus. Nam apud Hilarium ſentiunt tam fortem homini relictam à peccato eſſe voluntatē, *Hilar. ad Aug. ibidem.* *quâ vel contemnere quis valeat, vel obedire.* Et inferius dicunt: *Cæterum quicquid libet donatum ſit prædeſtinatis, idpoſſe & amittere, & retinere propriâ voluntate.* Vbi per (quicquid libet) intelligunt *quamlibet gratiam.* Reprehendunt enim verba S. Auguſtini quibus dixerat: Nunc prædeſtinatis *tale auxilium perſeverantiæ dari, ut eis perſeverantia ipſa donetur*, hoc eſt, quo fit ut non niſi perſeverātes ſint. Ipſi contra tale dari volunt, quod poſſint & amittere & retinere propriâ voluntate, & conſequenter, quo poſſint perſeverare, vel non perſeverare, ſi velint. Et *Collat. 13.* Caſſianus: *Manet in homine liberum ſemper arbitrium, quod gratiam Dei poſſit vel negligere, vel amare.* Quibus ſignificat, tale eſſe auxilium, quod, ut Molina, *efficax vel caſſum*; ut Leſſius, *efficax vel inefficax in actu ſecundo reddere poſſumus*; ut Vitalis Semi-Pelagiano errore corruptus, quo, *Epiſt. 107. apud Aug.* *ſi velimus, fiat opus; ſi autem nolimus, nihil in nobis operetur Deum valere faciamus.*

NOTA XLVI.

Eſt ſimilis gratiæ Adami, atq; Angelorū.

QVapropter ut ſenſus recentiorum nemini non perſpicuus eſſe poſſit, exſertis porrò verbis profitentur, gratiam illam internam, quâ juvamur, non ſolum eſſe in modo operandi *ſine qua non*, ſed eſſe ſimilem illi gratiæ, quâ Adam primus homo, recenter videlicet in innocentiæ ſtatu conditus, adjutus fuit. Niſi mentem eorum clara verba loquerentur, vix fidem mihi ipſi, nedum alijs, feciſſem, huc uſque eos poſſe progredi. Quid enim eſt hoc aliud, quam in libero arbitrio peccatis ebrio, & concupiſcentijs terrenis prægravato atque diſtorto, primævæ felicitatis vires conſtituere? Verba Molinæ aperta ſunt: *Molina in concord. q. 3 art 4. & 5. diſp. 1. mēb 11.* *Poſſumus confirmare, unam & eandem rationem Dei æternam providēdi circumque adulto, ſive is de numero ſit prædeſtinatorum, ſive non, pendere à qualitate uſus liberi arbitrij ejuſdem prævisi, vel quod rationem prædeſtinationis illius habeat, vel providentiæ duntaxat circa illum in beatitudinem, factā quadam quaſi inductione in Angelis, primis parentibus in ſtatu innocentiæ conſtituto, atq; in alijs etiā adultis.* Vbi quod eandem rationem prædeſtinationis hominis lapſi ac ſtantis inducit, ex eādem ratione gratiæ, quantum ad modum influendi cum libero arbitrio, naſcitur. Sicut ex ejus ſubjunctā explicatione perſpicuum eſt: eóque magis, quòd in alio loco eandem prædeſtinationis rationem, ex eādem gratiæ & liberæ voluntatis naturā petit. Jam verò hoc ipſum Leſſius multò manifeſtiſſimè tradit: *Vide ibid. num. 13.* *Totā gratia præveniens, quam Deus prædeſtinatis præparavit, talis eſt, ut eā poſitā, opus bonum relinquatur libero arbitrio ſic inſtructo: adeo ut tam facile ſit illi ſe inclinare ad malum, vel omiſſionem operis, quam ad eius effectionem; ſicut in Angelis, & primo homine, proportionaliter loquendo factum.* Vbi & modus explicandi, & ipſe ſermo clamat gratiam lapſi hominis gratiæ Adami & Angelorum in modo agendi eſſe ſimilem. Eodem quippe modo gratiam primi hominis & Angelorum S. Auguſtinus explicuit. Nam quid eſt aliud, quod dicit: *Vt eâ poſitâ bonum opus libero relinquatur arbitrio*, quàm id quod *Aug. lib. de Cor. & grat. cap. 11.* Auguſtinus de Adami gratiâ: *Adjutorium ſine quo in juſtitia manere non poterat, ut autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio?* Et rurſum: *Vt perſeverare vel non perſeverare in eius libero relinqueretur arbitrio: ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi ſacilitati perſeverandi committeretur arbitrium.* Sed quia profundi Doctoris iſtius principia non ſatis attentè ponderarunt, nihil mirum in ipſa eos imprudentes impingere. Franciſcus Suarez id ipſum ex profeſſo docet, eundem operandi modum tribuens adjutorijs quibus nunc juvamur, & quibus Angeli atque Adamus adjutus fuit. Vtriſque enim aſſignat *gratiam ſufficientem*, ut perſeverare poſſint, & *congruam* (quod ipſe efficax vocat) quo actu perſeverent; *congruitate* videlicet *auxily in ordine ad uſum bonum liberi arbitrij prævisum*, ut ipſe loquitur, & ut paſſim congruitatem, ſeu efficaciam, etiam in hominibus lapſis, explicare ſolet. *Vide latè eadem auxiliorum genera quoad operādi modum lib. 10. de grat. cap. vlt.*

Cùm ergò manifeſtum ſit, eos non medicinalem, ſed primi hominis & Angelorum gratiam generi humano per peccatum perdito reſtituere; ſimul etiam perſpicuum eſt, eos in Maſſilienſium gratiam incidiſſe. Nam & illi ipſiſſimam illam Adæ gratiam libero arbitrio neceſſariam eſſe ſtatuebant, qua crederet ſi vellent. Apertiſſimis enim verbis apud Hilarium dicunt, *quod illum* (Adamum) *integris viribus iuvaret gratia volentem*, id eſt, ſi vellet, *ſine qua perſeverare non poterat*: lapſos autem *iuvet gratia credentes tantum*, id eſt ſi credere volunt. Nam quantum ad opera, uberius & ſublimius adjutorium neceſſarium eſſe ſentiebant. De quo alias plenius diſputatum eſt. *Vide latè lib. 8 de hæreſ. Pelag. c. 6. & ſeqq.*

NOTA XLVII.

Eâ poſitâ, Deus expectat voluntatem noſtram, ut purgari velimus.

IAm facile eſt videre, quid ſibi recentiores iſti volunt, quando confidenter aſſerunt, Deum exſpectare voluntatem noſtram. Nempè hoc volunt, quòd poſito illo Dei auxilio in voluntate, *ſine quo liberum arbitrium velle non poteſt*, Deus exſpectet impulſum iſtius gratiæ ad actionem à libera voluntate, cujus eſt, ut ipſi aiunt, gratiam in actu ſecundo efficacem, vel inefficacem, & caſſam reddere. Vtitur iſtā exſpectandi phraſi audacter Leſſius: *Auxilium exſpectat conſenſum voluntatis, cuius uſui ſubeſt, ita ut hæc efficacia ab uſu voluntatis quodammodo pendeat:* *Leſſ. lib. de grat. effic. cap. 18. n. 1.* Et alibi: *Auxilium præveniens exſpectat ut potentia voluntatis ſuum influxum in actum conferat.* *Cap. 4. n. 16* Et multò inferius: *Vbi hoc auxilium Deus dedit, iam omninò exſpectat, ut homo purgari velit: non quidem ut velit, aut velle illud inchoet per nudas liberi arbitrij vires; ſed per auxilium gratiæ acceptæ, quo poteſt tunc uti.* Et mox iterum: *Deus exſpectat, ut cooperemur ſuæ gratiæ, & conſequenter ut velimus purgari &c.* Et iterum alibi tradit: *Deum exſpectare voluntates per auxilium ſufficiens præparatum.* *Ibid. n. 17. num. 8.* Eandem locutionem & Franciſcus Suarez eodem ſenſu veram eſſe contendit. *Suarez lib. 3. cap. 15.*

Idipſum

Idipsum eis præcinuerunt Massilienses. Cùm enim ejusdem rationis auxilium tribuerint voluntati, cum quo operaretur si vellet, utpote quam *ad hoc tantum liberam asserebant, ut vellet aut nollet admittere medicinam*, cogebantur talem exspectationem tribuere isti auxilio seu Deo. Tale est enim, ut à nutu voluntatis pendeat, & illum ad influendum prærequirat. Itaque eodem verbo (exspectandi) etiam ipsi usi & propterea Arausicanâ in Synodo anathemate percussi sunt: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, &c. resistit ipsi Spiritui Sancto.* Nam quòd ipsi putant, Massilienses hujusmodi gratiam in talibus actibus bonæ voluntatis, & fidei, & orationis, non agnovisse, hallucinatio est non vulgaris, ex qua in istum labyrinthum falsarum opinionum præcipitati sunt. Sed de ista locutione aliquid adhuc inferiùs.

Hilar. in Ep. ad Aug.

Conc. Arausic. can. 19.

NOTA XLVIII.

Gratia ista pendet à libero arbitrio, & ab ejus nutu & usu causaliter præeunte, ut influat.

EX eadem radice & alius recentioris doctrinæ frutex nascitur, quòd Christi gratiam à libero arbitrio pendere dicunt, & consequenter, quòd gratiam subjiciunt voluntati, & ejus pedissequam esse faciant. Impossibile est enim, ut gratia cui est talis operandi modus, non sequatur per omnia in agendo nutum voluntatis. Itaque Lessius audet ac dicit: *Cùm influxus gratiæ aliquo modo à libero arbitrio pendeat, etiam ab eo pendet, quòd gratia dicatur efficax vel ineffica.* Et alibi: *Fatemur liberum arbitrium directè esse causam cur hic & nunc Deus influat in opus tum per dona sua, tum per seipsum: non autem Deum aut gratiam, cur liberum arbitrium hic & nunc influat.* Et mox: *Nos quodammodo trahere Deum ad cooperandum.* Et in alio loco: *Quod conversio hic & nunc potiùs fiat, quam aliàs & alio modo, huius causa directa & principalis est liberum arbitrium, quamvis* NON SINE AUXILIO GRATIÆ. Item: *Gratia potest dici determinari ad operandum hic & nunc à libero arbitrio, quia liberum arbitrium potest eâ uti vel non uti.* Et rursum: *Liberum arbitrium quodammodo determinat gratiam, quatenus eâ utitur, ut hic & nunc influat in opus.* Quasi verò magnum amoliendæ invidiæ mysterium in eo lateret, quòd *hic & nunc* fieri dicatur. Quid est enim aliud hic & nunc fieri per liberum arbitrium, quàm per ipsum fieri, ut qui non volebat, velit; qui non agebat, agat; qui aversus erat, convertatur? Nam nihil omninò fit, nisi hîc & nunc fiat. Et quisquis causa est, ut hîc & nunc fiat opus cum auxilio gratiæ, ipse absolutè causa est, ut cum gratia, vel non sine gratia fiat. Non enim verborum istorum (HIC ET NUNC) ille sensus est, quem alioquin præ se ferunt, & auctor ille, ad frangendam invidiam, intelligi percuperet, quòd liberum arbitrium sit causa tantùm istarum circumstantiarum, hoc loco, & hoc tempore potius quam alio, seu, ut ipse loquitur, potiùs quàm *aliàs & alio modo*; quasi alioquin non minùs futurus sit actus per gratiam istam aliàs vidalicet & alio modo: sed sensus est, quod liberum arbitrium sit causa, cur actus absolutè cum suis individuis omnibus circumstantijs in rerum natura ponatur, hoc enim Scholastici omnes passim istâ usitata phrasi significare solent. Itaque quòd gratia pendeat à libero arbitrio, incunctanter dicunt: *Neque gratiam, sed usum gratiæ subjicimus voluntati.* Item: *Interdum & rectè Molina dicit, quod gratia sit efficax vel inefficax, (in actu secundo) pendere à libero arbitrio. Quod non video quâ ratione negari possit, nisi quis nodum in scirpo quærat.* Et Franciscus Suarez lib. 3. de auxilijs gratiæ: *Hoc ipsum, quod auxilium sit aut non sit habiturum effectum pendet ex libero arbitrio.*

Cap. 12. n. 1.

Cap 10. n. 11

Suar. lib. 3. de auxil. c. 14. n. 14.

Et sanè si iste modus operandi gratiæ competit, non malè auctor iste ratiocinationis istius filum sequitur. Sed in eo fallitur, quòd non advertit, se gratiam primi hominis & Angelorum fractis perditæ voluntatis viribus attribuere: quod qui facit, velit nolit, in Massilienſium sensus labitur: qui cum tali gratia tanquam subjectâ & pedissequa voluntatis, à cujus arbitrio & nutu pendere ponebatur, hominem velle credere, gemere, desiderare, orare posse crediderunt. Hinc & isti jam dicti sensus, & phrases de gratia Christi usurpatæ omninò improbandæ sunt, quæ à Prospero in Epistola tanquam Christianæ gratiæ injuriosæ rejiciuntur: quod *voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Talis enim gratia primi hominis, & sine qua non, nullo pacto voluntatem sibi subjicit, sed subjicitur; quia quocunq; voluntas sese verterit, subjectæ & pedissequæ instar sequitur, ut agat, ut otietur, ut influat, ut non influat, ut multùm, vel parùm, vel nihil ou niⁿò operetur. Talis gratiæ sibi voluntas opem parit, quia concursum elicit, ac Deum, ut auctor iste loquitur, trahit ad cooperandum per gratiam. Hanc ergo intelligentiæ perversitatem amoliri, non est nodum, ut ipse putat, in scirpo quærere, sed injuriam capitalem à Christo avertere, & immobilia Christianæ fidei fundamenta defendere. Quod enim sæpè alibi ex S. Leone & Prospero allegavimus, omni acceptione dignum est, ita connexos esse hæresis istius Pelagianę errores, ut si vel minimum dederis, tota hæresis istius mole opprimaris. Si enim arbitrium hominis post lapsum ita liberum est, ut cum primi hominis & Angelorum stantium auxilio *sine quo non*, possit adhuc credere, sperare, diligere, facere mandata, & perseverare si velit, & non Deus in ipso per *auxilium quo* operetur ut velit, in quascunque sese facies verterit, Lessius, Molina, Suarez, Vasquez, & quotquot istâ opinione præoccupati sunt, nunquam efficient, quin invictè Augustinus illaturus sit; ergò liberi arbitrij vires integræ sunt; ergò contra Arausicanum liberum arbitrium non est amissum; ergò peccatum originale non violavit libertatē: ergò non est peccatū originale, quia per illud solum natura humana universim labefactata est; ergò Christus gratis mortuus est, quia per naturā est justitia: ergò non est mortuus; ergò non est

Prosp ad Aug.

Lessius c. 10. n. 11.

Cap. 11. n. 11

Num. 12.

Cap. 18. c. 3.

Cap. 11. n. 2.

Ibid. n. 7.

Leo Ep. ad Nicet. Prosp. carm. de ingrat. 8

incarnatus. Ecce quo nos ducat catena illa perditionis, ex quocunq; dogmate Pelagiano, vel extremâ ac tenui fibrâ dogmatis, religetur. A

Atque istæ quidem postremæ hallucinationes Recentiorum ac Massilienſium, quas proximis capitibus tetigimus, reverà sic se habent, & in vera Christi gratia, quam Augustinus explicuit, nullo pacto admitti possunt. Verba tamen quibus in sensu Massilienſium, *Deus expectare dicitur, ut purgari velimus; & voluntas divinæ gratiæ sibi parere opem, non gratia sibi humanam subjicere voluntatem*; alium verisimiliorem sensum habent, juxta quem, ut infra dicturi sumus, non minus Recentiores à tramite veritatis exorbitant.

NOTA XXXXIX.

Causa excogitandi talis adjutorij, ne alioquin opus nullius sit laudis.

ISTud verò gratiæ sufficientis & congruæ genus, eadem omninò ex causa Massilienſes & Recentiores sibi machinati sunt. Vtrique enim potentem illam gratiam, quæ facit facere, & voluntatem inclinando determinat, duplici ex causa timent. Prima est, ne opus quod Deus attulerit, vel donaverit voluntati, nullius sit laudis, tanquam quod non à nobis, sed ab ipso Deo perpetratum sit. Cassianus formidinem illam nobis propalavit, & utramque causam tetigit: *Miratur Dominus atque collaudat* (Centurionis fidem) *cunctisque illis, qui ex Israelu populo crediderant, præfert, dicens: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donaverat, præstitisset.* B

Cassian. Col. 13.

Hoc ipsum ex utraque causa Recentioribus magnopere formidolosum est: *Si Deus ipse per se hac* (fidem & opera bona) *debet in eis operari, & non exspectat eorum voluntates per auxilium sufficiens præparatas, quomodo credere, & bonum operari est illis liberum? Quomodo laudem merentur, si credant & bene operentur, cùm Deus hoc totum in ipsis faciat* &c. quasi non definiret Celestinus Pontifex, quod *nemo aliundè Deo placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.* C

Lessius lib. de grat. efficaci c. 17. n. 18.

In Epist. ad Episc. Gall. c. 7.

NOTA L.

Item ne meritum operibus detrahatur.

SEcunda, ne opus desinat esse meritorium. Hoc Cassianus superiùs junxit, dum dixit: *Nullius enim laudis esset ac meriti; si id in eo Dominus quod ipse donaverat, præstitisset.*

Ea omninò causa Recentiores vehementer terret. Molina: *Perit namque libertas in prædestinato* per auxiliũ efficax, *comparatione mediorum* seu operum *ad beatitudinem & per consequens ratio propriorum meritorum.* Et membro 4. *bonitatem moralem ac meritum* tolli queritur. Et utrâque complexus causam in alio loco: *Si namque arbitrium nostrum ab efficacia aut inefficacia auxilij divini habet, quod consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, certè non ab innata libertate id pendet, sed à qualitate auxilij & motionis divinæ; atque adeo neque est quod illi cedat in laudem ac meritum.* Idipsum non semel urget Lessius. D

Molin. q. 14. a. 13. disp. 53 memb. 2.

Malin. q. 23 a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.

Vide lib. de grat. effic. c. 3. n. 13. & 27. cit.

NOTA LI.

Discrepant in operibus moraliter bonis.

RECentiores verò, quamvis gratiam istam actualem internam, quàm jam diximus, tanquàm ad opera bona necessariam plerumque requirere soleant, arbitrantur tamen etiam sine tali gratiâ, multa verè bona, nulliusque peccatifoeditate inquinata opera per solum liberum arbitrium exerceri posse. Nam inter eos receptissimum est, opera moralia verè bona per solum liberum arbitrium exerceri posse absque omni interna gratia, quemadmodum in Francisco Suarez, Molina, Lessio, videre licet, quorum verbis istam doctrinam tanquã vulgatissimam non opus est astruere.

In hoc verò Massilienſes non habent sibi similes. Nam quamvis ipsi naturæ viribus multos bonos actus, ut fidei, & orationis, fieri posse censerent, gratiam tamen illam *sine qua non*, de qua jam diximus, non excludebant; quemadmodũ etiam superius declaratum est.

NOTA LII.

Gratia discernens propriè unum ab altero, est utriusque natura liberi arbitrij divinitus data.

SEd cùm viderent Massilienſes, nullo pacto satis esse gratiam istam internam *sine qua non*, ut initium seu primus actus fidei, desiderij, orationis, & similes possent vocari actus gratiæ seu dona Dei; ad aliam comminiscendam gratiam, cui opus tanquam veræ causæ qua fiat, attribuerent, rei naturâ id postulante, compulsi sunt. Esto enim, coinfluat ista gratia cum voluntate in actum fidei, clamat tamen ipsa perspicuæ veritatis evidentia, non esse isti gratiæ tribuendum quod actus fiat, sed alteri causæ, quæ potentiam voluntatis & gratiam simul ad actum rapit, aut determinat. Nam positâ istâ gratiâ quantumcunque magnâ in voluntate, nunquam in æternum sequetur actio voluntatis, nisi voluntas ultrò ei det manus, atque ad agendum se determinando velit. Ipsa igitur, non gratia, est illa causa quæ facit facere, seu quæ potentiam voluntatis ex actu primo in secundum extrahendo, ex non agente agentem facit. Gratia verò instar habitus accommodando sese nutui voluntatis, instar pedissequæ, *sine qua non* fieret, imperatricem suam sequitur. Itaque quemadmodum si quis calamo aureo scribat, nequaquam auro vel calamo, sed Scriptoris voluntati scriptio tribui debet, qui ejus vera & propriè dicta causa est, & nuncupari debet, quamvis non sine calamo coinfluente, quem ad actũ secum rapit, scriptio exerceatur: ita si quis per talem gratiam credit, sperat, aut diligit, non tali gratiæ, sine qua non fiunt, sed credentis, sperantis, diligentis voluntatis nutui actus isti tribui debent. Qua ex causa jam paulò ante de tali gratia Lessium rectissimè dicentem audivimus: *Quod conversio hic & nunc potius fiat, quam alias, aut alio modo, huius causa directa & principalis est liberum arbitrium, quamvis non sine auxilio*

Vide l. 8. de hæresi Pelag. c. 11. ubi hæc latius.

Less. lib. de grat. effic. c. 18. n. 3.

auxilio gratiæ. Vnde ulterius invictè colligit Auguſtinus, eum qui tali gratiâ adjutus credit, ſperat, diligit, perſeverat, per liberum arbitrium, non per gratiam, credere, ſperare, diligere, perſeverare, ſi velit. Non enim talis gratia, ſine qua non fit, ſed voluntas ipſa ſeipſam facit credere, ſperare, diligere, perſeverare, & illos ſibi actus ipſa, non tamen ſine gratia, tribuit, ſi voluerit. Et inde phraſes illæ libratiſſimæ S. Auguſtini, quibus dicit, quòd in primævæ illius conditionis felicitate Angeli, quamvis tali gratia juvarentur, per vires tamen liberi arbitrij, ſeu *per liberum arbitrium in veritate ſteterant*, quod nunc per aliam Chriſti gratiam, qua datur ipſa perſeverantia, concedi debet. Quæ omnia futius & radicitus a alibi explanata & probata ſunt. Hæc igitur cùm accuratè penetrarent Maſſilienſes, non contenti illa gratia interna, *ſine qua non* aliam gratiam, qua fieret actus, ſibi quærendam eſſe cenſuerunt: ne alioquin in Pelagianam impietatem apertè cecidiſſe dicerentur. Itaque cùm nihil occurreret, ratione cujus tales actus initiales tribuerentur Deo, dixerunt reſiquias libertatis arbitrij, quæ hominibus in ſua conditione liberaliter & gratis à Deo data eſt, eſſe donum Dei; cui proinde tanquam gratiæ QVA FIVNT, actus illi tribui debent. Hoc eſt igitur quòd dixerunt, initium fidei ad *naturæ integræ reliquias*, tanquam ad gratiam, eſſe referendum, gratiam, inquam, illam diſcretivam unius ab altero, de qua quæſtio erat, & qua fit, ut unus vocatus credat & veniat, alter credere & venire nolit, ſed in infidelitate perſiſtat. Hoc enim ad illam *gratiam, ſine qua non*, referre velle, quaſi illa diſcretionis iſtius primum cardinem impelleret, inſipientiæ ſingulàris eſſe cernebant. Hanc ergò diſcretivam gratiam aſſignando dicunt apud Hilarium: *Nec de hac fide poſſe dici: Quid habes, quod non acceperis? cùm in eadem natura remanſerit licet vitiata, qua prius ſanæ ac perfecta donata ſit.* Et in alio ibidem loco: *Conſequens putant exhibendam ab eo fidem, cujus natura id voluntatis conditoris conceſſum eſt.* Et Proſper alibi notat, *ideo ipſos fidem ad Deum retuliſſe, quia ab ipſo ſit creata natura, cui rationabilem inſeruit voluntatem, per quam unuſquiſque & credere, & non credere in ſua habeat poteſtate.* De quibus reliquijs integritatis primæ, tanquam gratiæ diſcretivâ Maſſilienſium, & Auguſtinus agit, & Caſſianus à Proſpero repreſſus: *Manet in homine liberum arbitrium, quod gratiam Dei negligere poſſit vel amare.* De quo Maſſilienſis doctrinæ capite fusè tractatum eſt in libris de hæreſi Pelagiana.

Hoc ipſum igitur à Maſſilienſibus ad Recentiores noſtros derivatum eſt. Nam & ipſi apertiſſimè profitentur cauſam illam diſcretivam credentis à non credente, quando uterque gratia illa ſufficiente, *ſine qua non*, præventus eſt, eſſe liberum arbitrium, ſeu naturam hominis cui Deus rationabilem inſeruit voluntatem, quæ ſe poſſit indifferenter in utramvis partem flectere: *Quod ex duobus ſimiliter vocatis, alter oblatam gratiam acceptet, alter reſpuat, rectè dici poteſt ex ſola libertate provenire: non quod is qui acceptat ſolâ libertate ſuâ acceptet, ſed quia ex ſola libertate illud diſcrimen oritur.* Quod ibidem latius exequitur. Et in libro de prædeſtinatione & reprobatione: *Quod hic ſequatur & perſeveret, cauſa vera & propria eſt libertas arbitrij auxilio divino inſtructa: quæ ſicut in naturalibus, ita in ſupernaturalibus, poteſt ſe in utramque partem flectere.* Et jam ſæpius eum ſupra dicentem audivimus, cauſam cur fiat actus hic & nunc, & quidem directam & principalem, eſſe liberum arbitrium. Hoc ceteri omnes ejuſdem doctrinæ patroni aſtipulando profitentur, quando datâ jam gratiâ ſine qua non, ultimum flexum, quo credens à non credente diſcernitur, tribuunt unanimiter libertati, quamvis non ſine gratiâ. Hoc enim eſt ipſiſſimum illud, quod Maſſilienſes reliquijs naturę tribuebant.

a *Vide lib. de grat. primi hom. cap. 6. & 7. & 15. & l. 2. de gratia Chriſt. Salv. c. 4. 7. &c.*

Sect. 4. n. 46

NOTA LIII.

Cauſa commendandi iſtam diſcernentem gratiam, ne voluntas alioquin non læſa, ſed penitus extincta videatur.

CAuſa quoque quæ utroſque in iſtam opinionem impulit, prorſus eadem eſt: ne alioquin, inquiebant Maſſilienſes, liberum arbitrium ac natura voluntatis rationalis, non læſa aut infirmata, ſed penitus exſtincta credatur. Hilarius: *Nullam naturam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari.* Et ibidem moleſtiſſimè ferunt, *nihil quod prædicatione excitetur, in hominibus remanſiſſe*; hoc eſt, periiſſe libertatem amplectendi boni, & ipſis hominibus, ut ibidem dicitur, *nolle iniquitatem inevitabili neceſſitate eſſe conjunctum.*

Hilar. ad Auguſt.

Recentiores iſtud ipſum altè imbiberunt, & accuratè imitati ſunt. Audi Leſſium: *Si Adam poterat ſe flectere in utramq; partem, nec egebat gratiâ determinante* (quam Auguſtinus vocat gratiam, qua fit opus) *ut fatentur, qui ſolum ratione debilitatis ex peccato originis contractæ hanc gratiam vendicarunt, cur non etiam poſt lapſum poterit homo ita confortari per gratiam* (ſupple SINE QVA NON ſeu congruam & ſufficientem) *ut poſſit opus bonum facere vel omittere abſq; determinatione? Debilitas enim illa facile poteſt inſtauratio ad ſingula opera per gratiam ſufficientem, quæ non determinat.* ALIOQVIN SI ITA EST PROSTRATVM LIBERVM ARBITRIVM, *ut nulla corroboratio ei ſatis ſit, ad hoc ut vere & propriè poſſit opus præſtare, niſi ita impellatur, ut ex vi impulſus prædeterminetur, perſpicuum eſt,* NON TAM ESSE DEBILITATVM, QVAM PENITVS EXTINCTVM. Non potuiſſet Maſſilienſis aliquis Presbyter accuratioribus verbis ſenſum ſuum exprimere. Ea ipſa quoque ceterorum doctrina eſt, qui omnes unanimiter putant, liberum arbitrium extinctum eſſe, ſi non poteſt ſe cum gratia ſufficiente ad bonum flectere, quemadmodum ad malum. Sed non advertunt, non eſſe gratiæ ſufficientis officium, quantumcunq; magna & ſexcenties millenis gradibus aucta fuerit, voluntatem ita roborare, ut determinatione non indigeat. Hęc enim determinatio eſſentialiter repugnat læſioni voluntatis, quam peccatum attulit. In eo quippe læſio iſta ſita eſt, ut ſeipſam ad bonum

Leſſ. lib. de grat. efficac. c. 9. n. 23.

Maſſ. in Ep Hilar. ad Auguſt.

Ibid.

Proſp. ad exempt. à Genuenſ.

Lib. de prad. SS. c. 5. Caſſ. Coll. 3.

Vide l. 5. c. 10

Leſſ. lib. de grat. efficaci cap. 28. n. 7.

bonum cum tali gratia ferre non possit, sed A
aliâ potentiori egeat, quâ vel primaria illa
libertas redeat, exhausta totius concupiscen-
tiæ peste, quod in cœlo fiet; vel ea manente,
ita per gratiam voluntas inclinetur ad bonum,
ut eam faciat velle & operari. Quod per gra-
tiam sufficientem quantumcunque magnam
fieri impossibile est, utpote cui essentiale est,
dare dumtaxat, POSSE SI VELIS: velle verò
quod potes, aliundè quàm ab ista gratia peti
debet. Si à voluntate, jam non est peccato læ-
sa libertas; quia idem, quod Adamus & Angeli
cum gratia, sine qua non, potuerunt, potest.
Extinctam autem esse libertatem ad bonum,
Vide l. 3. de stat. nat. lapsæ per multa capita à 3. usq; ad 13 Cass. Coll. 13 non ægrè ferant Recentiores si Augustinus
admittat, & ut alibi diximus accuratius, tan-
quam Christianæ Religionis basin apertè fa-
teatur. Sed recordentur verborum Cassiani,
quæ à S. Prospero castigata sunt: *Cavendum no-*
bis est ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita B
referamus, ut nihil nisi quod malum atque perversum
est, humanæ asscribamus naturæ. Et illorum, quæ
præcedentium ex mente Cassiani rationem
continent: *Idcirco manet in homine liberum sem-*
Ibid. *per arbitrium; quod gratiam Dei possit vel negligere*
vel amare. Quibus verbis illam liberi arbitrij
indifferentiam ad utrumlibet, quam Lessius
postulat, superesse testatur; alioquin extinctum
esse videretur.

NOTA LIV.

Sibi tribuunt initium fidei, credere, desiderare, orare, &c.

PEr istas ergò naturæ reliquias, seu super-
stitem à peccati ruina libertatem, hominem
dicebant posse credere, posse orare, posse desi-
derare medicum. Atque ita initium fidei, seu
primos actus fidei, & orationis in sua pote-
state collocabant. Quæ sententia Massilien- C
sium celeberrimè apud Recentiores innotuit,
Lib. 3. de hæres. Pelag. c. 12. & 13. nec hoc loco probationis eget, quia copiosè
alibi tradita est.

Et quamvis eam tanquam proscriptam jam
olim hæresin detestentur, quia tamen non sa-
tis circumspectè Massiliensium sensa ponde-
rant, id quodgeneratim & in confuso ex Ca-
tholica fide damnant, in particulari inter opi-
niones suas capitales recepisse videntur. Ex
professo quippe eodem quo Massilienses mo-
do docent, homine ex istis primævæ libertatis
reliquijs posse credere, sperare, medicum desi-
derare, & implorare, si velit. Nam quod per
illam gratiam *sine qua non*, seu sufficientem &
congruam, se extra erroris aleam constitutos
putant, idipsum non potuit Massilienses ab er-
rore defendere, ut jam alibi diversis locis ex-
Videsupr. l. Nota 41. & l. 8. de hær. Pelag. c. 6 7. & seqq. Vid. l. de grat. primi hom. c. 15. & 16. & lib. 2. de grat. Christi Sal. 41. c. 6. plicatum est. Talis enim gratia, sicut & habitus
bonus nulla ratione impedire potest, quò mi- D
nus opus quod sequitur, sit opus liberi arbi-
trij; & humanæ voluntatis effectus, non do-
num spiritale gratiæ Dei. Quod etiam alijs
locis abundè demonstratum est.

NOTA LV.

Multiplex discrimen. Primum quod Massilienses initium fidei, & in ea perseverantiam sibi asscriberent: recentiores omnes virtutes. In quo dupliciter gravius Massilienses hallucinantur.

SEd Massilienses cùm divinæ gratiæ præju-
dicium se facturos verentur, solum ini-
tium fidei, & in ea perseverantiam, alioſque
quosdam imperfectos actus, orandi, gemendi,
timendi, dolendi de infirmitate virium, timi-
dè suæ libertati seu potestati tribuerunt. Quod
ex Epistolis Prosperi & Hilarij perspicuum
est, & nos alibi late declaravimus. *Videl. 8. de hæresi Pelag. c. 12. & 13.*

Recentiores multo gravius, idque duplici
ex capite hallucinantur. Primò, quòd actus fi-
dei, spei, dilectionis, & similes, etiam absque
omni gratia sufficiente, seu sine qua non, ex
solis libertatis nativæ viribus prosilire posse
docent. Quæ doctrina à Molina & Lessio cō-
fidenter traditur, dum uterque ex professo do-
cet: *Audità prædicatione Evangelicâ summa proba-* *Less. lib. de grat. efficaci c. 10. n. 4. Molin in concord. q. 14. art. 13. disp. 10.*
bilitate per omnes fidei notas proposità, possunt decer-
nere apud se illam perpendere, & ubi perpenderint,
fide quadam humana credere. Si enim potest, inquit
Lessius, *mens humana credere pernatiosa, nullam*
sanè veri speciem habentia, cur non potest credere sa-
lutaria, summè probabilia? Ita ille miserabi-
liter conjectando palpans in tenebris, quia
veram rationem differentiæ istius non advert-
tit. Vnde ibidem nudis naturæ viribus tribuit,
concipere ingens desiderium beatitudinis, & petere à
Deo ad illam perduci. Et Molinam similia dis-
putantem approbat ac tuetur. Nam quod
præclarè se excusatos putant ex eo quod actus
illi non sint supernaturales, vel meritorij, vel
non ut oportet, baculo nituntur arundineo:
nisi aliter, quàm soleant istud, *ut oportet*, expli- *Vide l. 1. de stat. nat. pura c. 11. & l. 8. de gra. Christi Salv. c. 11. & 12.*
care velint. De quo alibi latius.

Secundò hallucinantur, quòd non tantùm
initium fidei & reliquos imperfectos actus
Massiliensium, sed fidem integram, dilectio-
nem Dei, omnium virtutum opera, ipsamque
perseverantiam usque in finem viribus natura-
libus tribuant, cum eadem illa gratia sine qua
non, quam ad solum initium fidei Massilienses
libero arbitrio sociabant. Nam nihil operis
boni tam excellens in quacunque virtute repe-
riri potest, ad quod gratiam alterius ordinis
necessariam putent, quàm istam sufficientem,
seu gratiam sine qua non quę non magis ad ea
perficienda in ista virium infirmitate accom-
modata est, ac si homini fractis cruribus pro-
strato baculum dares, quo rectus graderetur, *Vidend. lib. 3 de gra. Christi Salvat. c. 2. & 3.*
quemadmodum & hoc ipsum abundè suis lo-
cis explanatum est. Hoc cùm animadverterent
Massilienses, horruerunt enormem istam ex-
orbitantiam: adeoq; etiam in ipso initio fidei
præstando horruissent, nisi putassent, tam im-
becilles actus, non esse partem sanitatis, aut
nomen operis boni non mereri. Vnde Hilar.
Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum per- *Hilar. in Ep. ad Aug.*
ficiendum quenquam sibi sufficere posse consentiunt:
Neque

Nec enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterritâ & supplici voluntate, unumquemque ægrotum velle sanari. Nempe ex ægritudinis corporeæ similitudine falleba tur, in qua velle sanari nõ est opus vel pars ulla sanitatis.

NOTA LVI.

Secundum, quod illi initium salutis; hi totam suæ potestati vendicent.

EX quibus alia dissimilitudo aut similitudo proficiscitur. Massilienses enim per istam fidei revocationem ad arbitrium suum, initiũ etiam salutis divinæ constitutioni extorquere nitebantur, ut ita fractis istis fatalibus tabulis non penderet ab inserto voluntatis Dei, sed ab humana libertate. Quod notat Prosper in Epistola ad August[ino] indo finem erroris eorum fuisse tradit, *ut [in]itium salutis ex eo qui salvatur non ex eo credendum sit stare, qui salvat.* Et rursum: Quòd per hoc *principium salutis in homine collocatur; quòd divinæ voluntati humana præetur.* Et alibi notat Massilienses haurire voluisse salutem

Carm. de ingrat. c. 6. ——— *Ex fonte volendi.*

Nam per istud auxilij genus, *sine quo non* fit actio, tota fati, torporis, mœroris, desperationisque scena disparet, atq; ita expeditus & sui juris, homo constituitur, ac si nulla prorsus gratia indigeret, & sola nudaque voluntatis potestate operaretur salutem suam, ita ut *ex fonte volendi*, gratiâ illâ posita, omne discrimen salutis & perditionis oriatur.

Recentiores non contenti salutis initium suæ potestati facto fato, vindicasse, totam perfectam; salutem ad se revocant, quia nihil amplius ex Deo se habere profitentur, quam sufficientissimam potestatem, per quam possint credere, operari, & perseverare, si velint. Cùm autem *non sit consequens*, quod perspicaciter observavit August. *ut qui potest venire ad Christum etiam veniat, nisi id voluerit atq; fecerit*, ipsum velle & facere, sine quo nemo adultus salvus erit, aliunde ab ipsa humana voluntate peti debet. Hoc ergò in omnibus operibus sibi ipsis tribuendo, salutem universam sibi tribuunt, & vere suspendunt atq; hauriunt *ex fonte volendi*; adversus Apost. qui *non ait*, ut idem Aug. notat, *quid autem potes habere, quod non accepisti, ut possis habere: sed ait, quid habes, quod non accepisti.* De quibus fusius alibi dicta consule.

Lib. de grat. Christi c. 14.

Lib. de prædest. Sanct. c. 5.

Lib. 3 de bapt. Pelag. c. 12.

Cur autem Recentiores universam salutem sibi per istum gratiæ sufficientis modũ tribuere voluerint, causa perspicacibus satis perspicua est. Nam nisi & opera & ipsa perseverantia tota in hominis potestate & libertate statuatur, difficulter larvæ illæ veteres resuscitatæ, de fato ac desperatione, fugabuntur. Tali autem gratia quibuslibet operibus perficiendis à primo usq; ad ultimum concessa, totum humanæ salutis mysterium ultrò ad cardinem liberæ voluntatis revocatur, & in eo vertitur: atq; ita uno flatu omnes illæ chimeræ de fato, ac desperatione dissipantur. Nihil enim de operibus statuitur cum ista gratia, nisi quod quisq; ipse facturus ante prævidetur: nihil de salute vel perditione, nisi cùm ipsa voluntas gratiam arripuisse vel neglexisse cernitur. Vnde proponens argumentum sibi Lessius, quod fatalitatem illam supponere, & desperationem asserere videbatur: *In nostra*, inquit, *sententia difficultatem non habet. Dicetur enim, te quidem esse prædestinatum, si es justus, non tamen completè, nisi supposità præscientia tuæ perseverantiæ: quæ præscientia cum à tua perseverantia objectivè pendeat, & perseverantia à tua diligentia divino auxilio adjuta (sine quo non videlicet) conandum tibi omni ope, omnes vires naturæ & gratiæ intendendæ, ut perseverantiam præstes* &c. *Sanè nihil est quod hominem magis ad sedulitatem, sollicitudinem, studiumq; virtutis, & ad vincendas frangendasq; pravas naturæ cupiditates, quàm hæc prædestinationis ratio incitare possit.* Et infrà de singulis operibus: *Per prædestinationem non sunt decreta singula opera bona absoluto decreto ante prævisionem nostræ cooperationis*: quod sæpius repetit, & simul exponit illud auxilium esse tale, *sine quo non possumus ad bonum opus cooperari.* Itaque fatuum est de fato urgente cavillari, cum unusquisq; sibi fabricet fatum suum; & stultitiæ plenum desperare, ubi *spes sibi quisq;* juxta Poeticam sententiam factus est, ut tantum ferat, quantum diligentiæ contulerit. Hoc igitur ut efficerent Recentiores, palam ad arbitrium voluntatis liberum opera cuncta revocarunt: quod Massilienses cum non auderent; solum motum fidei, & in fide perseverantiam suspenderunt à voluntate sua: sed indirectè hoc ipsum consecuti sunt. Nam quemadmodum fide à seipsis inchoata, gratiã, quam fide merebantur, de cœlo in terram devocabant; ita perseverantiam in eadem fide sibi tribuendo, donorum omnium perseverantiam & mercedem eorum viram æternam, ab humana voluntate religabant. De quibus vide loco cit.

Lessius lib. de præsciti. sect. 6 n. 79.

Ibid. n. 80.

NOTA LVII.

Tertium, quòd illi post initium fidei veram Christi gratiam actualem agnoverint; hi nullam.

SEd unus adhuc aut alter articulus est, in quo magnoperè à Massiliensibus discrepant. Hi enim Catholicæ fidei regulâ, & Celestini Papæ declaratione perterriti, quibus apertè definitur, opera bona esse munera Dei, quę per inspirationẽ flagrantissimę gratię donando, in & cum libero arbitrio operatur, aperte veram gratiam post fidem, omniaque opera nostra bona Dei dona esse confessi sunt; quemadmodum nos alibi latè asseruimus, & ex toto lib. quem de dono perseverantiæ scripsit August. perspicuum est. Quod etiam Prosper & Hilar. non semel testantur; ut quando eos profiteri dicunt, quod *fides deinceps per Dei gratiam juvanda sit*: item quod eis sit vita æterna, *qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Rursum Hilar. *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Quæ sæpè & plurimis modis in illis Epist. repetuntur. Vnde Aug. exsertè testatur, quod *solum initium fidei & usque in finem perseverantiam in nostra*

Vide lib. 8. de hæresi Pelag. c. 19. tom.

Prosp. in Ep. ad Aug.

Hilar. in Epist.

Aug. lib. de d. no pers. c. 17.

in nostra constituerent potestate, & Dei dona esse non putarent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates: cetera verò ipsum dare concederent, cùm ab illo impetrantur credentis fide. Si cetera dona à Deo dari concedebant, ergò eatenus veram & Christianam gratiam agnoscebant. A

Recentiores nec isti veraci rectæq; confessioni Massilienſium volunt acquiescere. Nam quemadmodũ in ipso initio fidei nullum gratiæ Christi relinquunt locum, qua videlicet non solum posse credere, sed ipsum credere voluntati inspiretur ac detur; ita eandem gratiam ab omnibus operibus bonis removent, quæ solâ hominis libertate se quò voluerit flectente, quamvis non sineadjutorio *gratiæ sine qua non*, exhiberi ab homine, non à Deo donari putant. Qua de re si sententia & censura S. Augustini peteretur, opinionem illam non ad Massilienſium sed fortè ad Pelagianorum placita relegaret. Nam adversus Massilienses disputans ita loquitur: *Hæc ergo Dei dona sunt, id est, ut de alijs taceam, sapientia & continentia*, hoc est, sapienter & continenter vivere. *Acquiescunt & isti* Massilienses: *Neq; enim Pelagiani sunt, ut adversus istam perspicuam veritatem, dura & hæreticâ perversitate contendant.* Quo perspicuè significat, quod si opera pari modo ac fidem suæ potestati arrogassent, ac sua esse credidissent, perfectè futuros fuisse Pelagianæ hæresis reos. Cùm igitur fidem non aliter suæ potestati arrogarent, quàm statuendo, se sua libera voluntate quo voluerit se flectente cum gratia Adami, seu cum *auxilio potentiali sine quo non*, vocanti Deo posse credere, profectò simili modo suæ libertati opera vendicare, & sua putare secundum Aug. Pelagianum facit. Mirabuntur istam cõsequentiam Recentiores. Sed si tranquillè perpendere dignentur, non minus esse humanæ libertatis officium, auro & unionibus, quàm ferro ac terreis glebis uti; stylo argenteo, quàm æreo characteres pingere; habitu bono quàm vitioso agere: Deo eos illustrante forsan intelligent, etiam gratia ista sufficiente, seu adjutorio *sine quo non* ad operandum vel credendum uti, non minus *nostrum* esse & humanæ libertatis officium, quàm si motibus naturalibus sive ad bonum sive ad malum nostra voluntate utrolibet se flectente uteremur; atque ideò impossibile esse, ut opera aut fides quæ sic fiunt, sint specialia dona gratiæ Dei. Non enim donantur illa per adjutorium *quo possint*, si volueris, fieri; sed per id, *quo* reipsa fiunt. Hoc autem non talis gratia donat voluntati, sed vice versa, voluntas tali gratiæ, licet neutra absq; altera operetur. Ex quo fit, ut perinde ac si nulla gratia sufficiens aut congrua cum voluntate concurreret, ad liberum arbitrium referenda, & perinde quoque (argumentando, non censendo loquor) juxta S. Augustinum Pelagio Recentiorum opinio accensenda videatur. Vera enim gratia Christi medicinalis fractæ libertati cœlitus impertita, cujus solius confessio Pelagianismum excludit, longè alterius rationis est; nec ullius alterius gratiæ quantumcunque magnæ & plausibilis conjunctio cum voluntate, uti vires perditas reddere, ita Pelagianismi invidiam aut reatum diminuere aut abstergere potest. Pelagius enim ab Augustino & Patribus redargutus fuit, quòd gratiam, quæ propriè Christi est, negando tolleret, & per hoc adventum & crucem ejus evacuaret. Vnde gratiam, ad cujus confessionem urgebatur, vocabant, [a] *gratiam qua Christianismus*; [b] *gratiam Salvatoris*; [c] *gratiam Christianam*; [d] *gratiam Christi*, [e] *gratiam quæ revelata est per passionem & resurrectionem Christi*; [f] *gratiam quæ per incarnationem unigeniti donata est*; denique; [g] *gratiam Dei per Iesum Christum*, quam ex Apostolo ad Romanos didicerant, [h] *liberare nos à corpore mortis huius*, hoc est, à vitijs & passionibus corporis mortis huius. Hæc autem gratia non est gratia illa sufficiens, qua etiam primus homo & Angeli indiguerunt, quando in primæ illius dignitatis præstantia creabantur: sed est gratia medicinalis, qua à vulneribus libero arbitrio inflictis per Salvatorem sanamur & liberamur. Quæ gratia tantùm proportione differt ab illa sufficiente, quantum morbus ab ægritudine. Itaque nullius gratiæ sive concursus Dei, sivè gratiæ habitualis, sive sufficientis & congruæ, sive *sine qua non*, sive cujuscunque alterius confessione se quisquã ab errore Pelagiano liberare potest, nisi illam gratiam cõfiteatur ad singulos actus necessariam, quæ nec Adamo, nec Angelis tanquam sanis data est; sed quæ hominum lapsorum arbitrio tanquam ægro, & sub peccati, hoc est sub concupiscentiæ dominatione captivo ac servo, sanando, redimendo, liberando per crucem & mortem Iesv Christi Salvatoris revelata atq; donata est. Hæc non est sufficiens, non congrua, *sine qua non*, non concursus Dei, non habitus, sed illa tantum, qua depresso sub concupiscentiæ dominatu arbitrio fit ac datur actio. De hac sola August. & Patres disputant; hanc Augustinus explicuit; hanc gratiæ *sine qua non* opposuit: Hanc qui non admittit, etsi omnes alias fateatur, non Semi-Pelagiano, sed perfecto Pelagiano errore, si Augustini principijs credimus, detinetur. Omnium enim reliquarum gratiarum confessio, quod ad præsentis conrroversiæ cardinem spectat, perinde est, atque si nullam omninò fateretur.

[a] *Patres Conc. Carth. in Ep. ad Innocent.*
[b] *Patres Conc. Miley ad Innoc.*
[c] *Ibid.*
[d] *Ibid.*
[e] *Epist. 90. ad Innocent.*
[f] *Ibid.*
[g] *Patres Conc. Carth.*
[h] *Rom. 7.*

Ibid. B

C

Vide l. 2. de grat. Christi Salv. latius.

D

NOTA LVIII.

Quartum, illi intelligunt veram Christi gratiam cum libertate consistere; hi nequaquam.

QVemadmodum igitur in veræ medicinalis gratiæ confessione presbyteri Massilienses nostros recentiores longè superant: ita eos in adjutorij istius verè Christiani intelligentiâ

gentia procul post se relinquunt. Quo enim pacto in operibus faciendis cum libertate cohæreret, exhortationes non extingueret, fatum excluderet, satis accuratè penetrarunt. Testis enim est Prosper in Epist. ad August. quod expresse dicerent: *Libertatem suam ab hoc Dei auxilio iuvandam, si quod Deus mandat, elegerit.* Hoc est, si electio voluntatis ad credendum Deo antecesserit. Et Hilar. tradit, quod illam gratiam in Scripturis commemorari dicerent, *qua unusquisque post voluntatem iuvatur.* Nempe volebant, hominem ex se incipere velle, non solum credendo, sed etiam cujuslibet virtutis opus facere desiderando: quam imperfectam voluntatem Deus postea quasi ignem sufflando roboraret. Unde August. addit, quod ipsi *hortabantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cetera, quæ Dei dona esse confitebantur, nec dicebant exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei.* Quæ omnia latius in Semi-Pelagianæ hæresis declaratione tanquam certa demonstravimus.

Lib. de dono pers. cap. 17.

Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 20.

Recentiores isti nihil horum hucusque intellexerunt. Nam sive medicina illa efficax Salvatoris nostri Iesu Christi primam credendi voluntatem nolentibus & repugnantibus inspiret, in cujus intellectu peculiaris difficultas est, & Massilienses hallucinati atque turbati sunt; sive voluntatem, hoc est, volitionem jam existentem roboret, vehementiam atq; ardorem inspirando, virtutesq; singulas potenter operando, æquè ad fatum quasi imminens recentiores, & ad libertatis extinctionem, & hortationum correptionumq; interitum trepidant. Generaliter enim sentiunt, omnem talem gratiam, quæ non est *sine qua non*, sed *qua* fit actio; seu quæ non est talis, ut præbeat *posse, si velis*; sed velle, quod potes, capitaliter inimicam esse libertati. Quod ex locis auctorum istorum superius annotatis liquido constat, & apud eruditos notorium est.

NOTA LIX.

Meritum agnoscunt pariter in initio fidei; illi invitè, hi palàm.

IAm verò & alia nonnulla doctrinæ capita sunt, in quibus Massilienses atque recentiores vel omnino pares sunt, vel si quo discrepant, illos isti exorbitationis enormitate multum superant. Vtrique enim in initio fidei, quod cum gratia Adami *potentiali*, seu *sine qua non*, liberæ voluntati tribuunt, meritum agnoscunt. Nam illi dicunt, *conveniens esse virtuati, ut eo merito, quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum.* Cujus plura testimonia in eadem Epistola videre licet.

Recentiores id ipsum fidei meritum palàm receperunt. Cùm enim putent se veros actus ex gratia donante factos prædicare, quamvis non nisi naturalis libertatis fœtus sint, nihil mirum, si etiam eos gratiæ meritorios esse fateantur.

Sed in hoc nonnulla discrepantia est, quod Massilienses inviti ad illam confessionem pertracti sint; Videbant enim intelligendi perspicaciâ, non aliud hujusmodi fidei initium esse, quàm naturalis fructum voluntatis, per quod gratiam sibi ipsos parere ac dare posse, palàm profiteri formidabant. Hac igitur de causa, summopere meriti istius dignitatem extenuando elevabant: quod nos fusius loco suo declaravimus, & paulo post aliquid adhuc dicturi sumus. Recentiores verò non penetrantes cardinem difficultatis, sine ullo scrupulo meritum in tali fide constituunt, & velut Catholicæ doctrinæ caput liberrimè profitentur. Non enim animad vertunt, se naturæ viribus, gratiæ Christianæ meritum attribuere, ut gratia jam non sit gratia: atq; ita in illud toties proscriptum se incidere, quod *gratia secundum meritum detur.*

Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 17.

NOTA LX.

Meritum utrique valde deprimunt; sed illi operum cum gratia factorum; hi operum purè naturalium.

SEd ex alio latere presbyteros Massilienses imitando, longè remotius quàm ipsi à veritate discedunt. Illi enim, negratiam gratuitam actibus fidei & orationis, quos non sine gratiæ per arbitrij sui libertatem proferre se posse statuebant, lætali vulnere percuterent, dum non gratis daretur, sed quibuscumq; exiguis fidei & orationis meritis redderetur, meritum istorum actuum vehementissimè deprimerunt. Dixerunt enim fidem, orationem, pulsationem suam, *non esse condignam*; esse tantum *occasionem* gratiæ conferendæ; *ne irrationabilis munificentia Dei largitas, neve pœnitus dormienti aut merito otio dissoluto sua dona conferre videretur*, esse *colorem* sub quo gratia daretur, atq ideo *gratiam Dei semper gratuitam perseverare.* Quæ latè in Semi-Pelagianæ hæresis declaratione deduximus.

Cass. lib. 12. inst. cap. 14. Concil. Collat. 13. Ibid. Vide lib. 8. de hær. Pelag. cap. 17.

Easdem & similes phrases moderni isti Scholastici studiosè collegerunt, ut meritum actuum naturalium, quos in fideles, faciendo viribus naturæ quod in se est, operantur, extenuando deprimant. Nam ut nihil de illis loquar, qui eos olim dispositionem, vel proximam, vel remotam ad gratiam vocavêre, nostri de quibus agimus, qui istam phrasin ut injuriosam gratiæ declinarunt, dicunt eos *a non proprie mereri, non reddere hominem dignum*: esse tantum *b subordinationem ad gratiam*; esse *c occasionem*; *d maximè decere Deum, ut misericordiam in eos effundat*: *e infallibili lege dare gratiam*, hanc legem dandi gratiam *esse rationi maximè consentaneam*, quàm Pater cum Christo inierit: alioquin *qua ratione verum erit, Deum velle omnes homines salvos fieri?* Videri quippe *incredibile & INDIGNVM infinitâ Dei clementia contrarium.* Quæ sanè longè lucu-lentiora sunt epitheta, quàm quibus paulò antè Cassianus usus est. Nam quid est meritum de congruo, nisi id propter quod DECET gratiam dari à Deo, & non dari *Deo indignum* est? Nec enim quisquam sanus Catholicus dixerit, indignum esse Dei clementiæ, si peccatoris cujusquam etiam Christiani preces non exaudiat, sicut multarum preces non exaudit, in quibus tamen meritum de congruo constituere solent.

a Less. de gratia efficaci in append. ad c. 10. n. 30.
b Cap 10. n. 3. & 4.
c Ibid. n. 29.
d Ibid. n. 3.
e Molina apud Less. app. ad c. 10. n. 35. Molin. q. 14. a. 13. dis. 10. Ibid.

Veruntamen quòd Scholasticorum istorum exorbi-

exorbitantiam clariùs indicat, Cassianus de actibus quidem naturalibus, qui tamen per gratiam primi hominis, qualem Scholastici isti norunt, fierent, loquebatur; ut suprà nonnihil, & alibi latè demonstratũ est: Illi verò Scholastici de illis actibus bonis, qui absque omni omnino gratia, non solùm Christi Salvatoris, sed etiam primi hominis, per puras naturæ perditæ vires proferuntur: à tujusmodi bonis actibus Massilienses isti plerumque; horruerunt. Quapropter quantùm gratia primi hominis plus naturam superat tantùm hallucinationis ex mutuitate Massilienses à recentioribus nostris superantur.

Lib. 2. de haref. Pel. c. 6. & 7. & seq.

NOTA LXI.

Multæ propositiones apud utrosq; veræ. Prima: Gratia non sibi subijcit humanam voluntatem.

IAm verò ex his quę diximus funditus illarum propositionum damnatarum, sensus intelligitur, de quarũ aliquibus superiùs nonnihil locuti sumus. Prima est, quod *Voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pareret opem; non gratia humanam subijceret voluntatem.* Significabãt enim Massilienses, voluntatem hominis, dum naturali libertate, quamvis cum gratia *sine qua non*, credebat Deo, efficere ut ea sive occasione, sive colore, sivè merito, Deus gratiam illam Christi largiretur, qua voluntas ad incrementum fidei, virtutesque omnes Christianas, Deo donante pertingeret. In qua sanè sententia gratia Christi non subijciebat sibi voluntatem, sed illa jam ante subjecta Deo, gratiam sibi ipsa suâ potestate pariebat. Loquuntur enim de illa vera gratia medicinali Christi Salvatoris, quam solam vel penè solam, Augustino teste, universæ Scripturæ & Ecclesiasticæ monumenta prædicare videntur.

In Epist. Prosp ad Aug.

Vid. Epi. 95.

In qua quidem priore sententię illius parte, recentiores isti Massilienses dissimiles plane sunt. Nam quia veram illam Iesu Christi medicinalem gratiam non aliter norunt, quam ut oppugnent & expugnent, nunquam etiam in illorum sententia, voluntas hominis divinæ gratiæ sibi parit opem, utpotè cujus nunquam se indigere profitentur. Miseram enim voluntatem suam tantâ libertate utrimq; præditam putant, ut cum sola illa Adami & Angelorum gratia, quę nullo pacto est Christi medici & Salvatoris auxilium, se non solum credere, ut Massilienses, sed & diligere Deum, & omnia omnium virtutum opera se perficere posse arbitrentur. Ex quo nascitur, ut propositionis quoque istius pars posterior, in istorum opinione non secus ac Massiliensium, verissima castissimaq; sit. Nunquam enim apud ipsos gratia sibi humanam subijcit voluntatem. Non illa Adami, quia illa nunquam habet, aut habere potest nec officij, cùm nihil tribuit, nisi *posse si velis*, & ipsa voluntas gratiam subijciat sibi: non vera Christi gratia, quia illam quam possunt remotissimè ab omnium fide & sententia exterminant.

NOTA LXII.

Secunda: Vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deus exspectat.

ALtera à Massilienſibus asserta & à Concilio Arausicano damnata propositio est, quòd, *ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deus exspectat: non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fiat.* Quod eo sensu asserebant, quia censebant impertiri nolle Deum infidelibus peccatorum purgationem, sive remissionem, nisi priùs possibilitate seu libertate naturali crederent, eo modo quo istud Massilienses cum gratia Adami fieri posse statuebant, ut supra declaratum est.

Conc. Arauſ. can. 4.

Idem omnino recentiorum opinio velut certum & in confesso statuit. Neque enim putant, haud secus ac Massilienses, per S. Spiritus infusionem, & operationem fieri, ut velimus; quasi Deus per verum adjutorium medicinale Christi Salvatoris ipsum velle largiretur; sed per auxilium *sine quo non* operari tantummodo posse si velit, ita ut velle purgari, naturali libertati superstiti relinqueretur. Hoc verò ipsum & nihil aliud est, exspectare Deum, ut purgari velimus; quemadmodum etiam supra expositum.

NOTA LXIII.

Tertia: Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus conantibus, &c. nobis misericordia confertur divinitus.

TErtia est, quòd *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordia conferatur divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ficut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fiat.* Quibus verbis hoc Massilienses intendebant, quòd Dei misericordia gratiam tribuens daretur hominibus credentibus, & volentibus, & illos actus exercentibus sine gratia Christi Salvatoris, qua ipsum velle, credere, desiderare, petere, &c. inspiratur. In his enim actibus meritum divinæ misericordiæ collocabant. Putabant enim non esse opus gratiâ Christi Salvatoris voluntati actus illos infundente ac tribuente, sed satis ad eos efficiendos robustum esse liberũ arbitrium cum solo primi hominis adjutorio, quo donetur ei tantũ posse si ipsũ arbitriũ velit, quemadmodũ in præcedentibus à nobis paulò ante, & aliis locis ex professo explanatum fuit.

Conc. Arauſ. can. 6.

Vide lib. 8. de hæreſ. Pel. c. 6. & ſeq.

Hæc verò ipsissima est recentiorum sententia; quam ex professo in omnibus disputationibus suis hac de re passim tradunt. Nec isto adhuc contenti ulteriùs docent, non solum petentibus & volentibus cum ista Adami gratia, divinitus conferri misericordiam; sed etiam petentibus, desiderantibus, conantibus per solã naturalis arbitrij potestatẽ, sine ulla gratia etiam *sine qua non*, misericordiam tribui, & oppositum indignum esse misericordia Dei. Nam verba Lessij sunt de faciente quod in se est per puras naturæ vires: *Maximè decere Deum, ut in primis in eos suam misericordiam effundat, qui ei impedimenta non objiciunt, & viribus naturæ rectè uti conantur.*

Lib. de gratia efficaci. c. 13. n. 3.

Molin. q. 14 ar. 13. disp. 10. *consentur.* Et Molinæ: *Incredibile videatur, & indignum infinitâ Dei clementiâ claudisse eum viscera misericordiæ suæ, ut constitueret, quicquid talis peccator ex suis naturalibus facere attentaret, nunquam se opem laturum, ut à peccatis resurgeret.*

Ibidem. Quæ profectò Massilienſium dictis à Concilio damnatis, longè ac diverſis ex cauſis jam ſupra tactis deteriora ſunt. Nam conſequenter in eodem loco nudis viribus naturalibus tribuit, *aggredi velle opus aliquod ex ijs quæ ad juſtificationem ſpectant; deſiderare ut filij Dei fiant; facere aliquid ut fidem amplectantur, vel ut à peccatis doleant; conatus aliquos edere; conari Evangelicæ doctrinæ aſſentiri*, & ſimilia.

Ibid. diſp. 11 Leſſ. loc. cit. Quibus addit excellentiora Leſſius: *Flagitys abſtinere*, quo excellentiùs vix Chriſti gratiâ tribuit; *ſecundum dictamen rationis velle vivere, prædicationem Evangelicam perpendere, ut poſſint ad fidem & juſtitiam pervenire; concipere ingens deſiderium cœleſtis beatitudinis, & petere à Deo ad illud perduci.* Denique *propoſitum rectè vivendi, ſequendi dictamen rationis, emendandæ vitæ, nemini faciendi quod ſibi nolit fieri, placendi Deo, & ſimiles actus, abſque ullo auxilio ſupernaturali conceptos.* De cujuſmodi actibus &c. *cur non poſſint dici diſpoſitiones remotæ ad auxilium gratiæ?* Quam iſta & hujuſmodi ex diametro S. Proſperi & Auguſtini doctrinæ repugnent. Recentiores iſti nullo pacto vident, quia ab eorum principijs dijunctiſſimi ſunt. Quod quia non eſt hîc iterum demoſtrandi locus videat Lector ea quæ lib. 3. & 4. toto de Statu naturæ lapſæ diximus.

Nec verò ſeſe præclarè tutatos putent, quòd dicant hujuſmodi opera: *non fieri ſicut oportet*, prout ex eodem Concilio Maſſilienſes hoc fieri voluiſſe, perſpicuum eſt. Non enim ſatis attendunt iſti Doctores, quid ſit opus aliquod bonum fieri ſicut oportet. Exponunt hoc ipſi quidem diverſis ac miris modis, qui nunquam antiquis gratiæ defenſoribus vel in mentem inciderunt, prout cujuſq; ſententiæ magis expedierit: ſed ſi Augimentem aſſecuti eſſent, ex cujus doctrina verba iſta ſumpta ſunt, jam intelligerent, opus fieri ſicut oportet non aliud eſſe, quam rectè, ſincerè, ex animo, non carnali intentione fieri. Quod qui accuratiùs aſſertum, & plenius ſibi perſuaſum velit, legat ea quæ diverſis locis diximus. Iſta verò ratione poſſe naturæ nudæ viribus opera iſta bona fieri, ſententia inter ipſos explorata eſt.

Vid. lib. 1. de ſtatu pur. nat. cap. 11. & lib. 3. de grat. Chriſt. Salv. c. 11. & 12.

NOTA LXIV.

Quarta: *Humilitati & obedientiæ humanæ ſubjungitur gratiæ adjutorium.*

Conc Araus. ſic. can. 6. QVarta eſt, quòd *humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungerent gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ, donum eſſe conſentirent.* Sentiebant enim gratiæ Chriſtianæ adjutorium quo Deus operatur in nobis velle & perficere, non dari niſi poſtquam humiliãdo nos ſub auctoritate primæ veritatis revelantis, obedivilſemus fidei, credendo per humanæ voluntatis vires huc illuc cum adjutorio Adæ ſeſe flectentis, propoſitæ veritati. Nam hoc eſt illud decantatum initium fidei, quod non niſi nos humiliando ſub potenti manu Dei, & obediendo prædicationi, obtineri poterat. Hoc item quod adjungitur, quod nollent hujuſmodi obedientiam A eſſe DONVM GRATIÆ DEI. Non enim gratia Adami, ſive ſufficiens, ſive congrua, ſive *ſine qua non*; ſed ſola medicinalis Chriſti Salvatoris gratia donat, velle, & obedire, & credere revelanti Deo. Quicquid aliter cum quocunq; gratiæ adjutorio ſit humilitas & obedientia humana eſt, & liberi arbitrij fœtus.

Recentiores multò longiùs receſſerunt. Nam præter quam quòd ſimiliter ſentiunt non eſſe ipſius gratiæ Chriſtianæ (de qua ſemper ſermo eſt) donum ut obedientes fidei atque humiles ſimus, ſed hoc fieri cum ſolo adjutorio *ſine quo non* flexibilitate, ſeu ut Cœleſtinus Papa loquit, *poſſibilitate* voluntatis *naturalis*, ne quidem ſubjungunt iſti obedientiæ gratiæ veræ adjutorium, ſed ſicut obedientiam fidei, ita obedientiam quoq; omnium mandatorum fieri poſſe naturalibus ijſdem viribus tradunt, Deo ſublimen iſtam obedientiam per verã Chriſti medici gratiam non inſpirante, vel donante.

NOTA LXV.

Quinta: *Aliqui per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi venire poſſunt.*

Conc. Araus. ſic can. 8. QVinta eſt, quòd Maſſilienſes, *aliquos per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi poſſe venire contenderent.* Nempe quia ſentiebant, poſitâ ſolâ primi hominis gratiâ *ſine qua non*, ſolum liberum arbitrium ſufficere non minus nunc, quàm in Adamo ſufficeit, ut ad baptiſmi gratiam volendo accedamus. Nam ut ad Adamum iſtud potuiſſe Concilium nobis indicaret, ſtatim adjecit, quod is qui hoc ſtatuit. *Non enim liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum:* quaſi diceret, rectè hoc aſſereretur ſi liberum arbitrium per peccatum primi hominis non eſſet infirmatum, ſed in ſuo naturali vigore & poſſibilitate perſiſteret. Quam ob cauſam etiam inferius dicit: *Per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuiſſe liberum arbitrium, ut* NVLLVS POSTEA *aut diligere Deum ſicut oportet* (id eſt, non carnaliter) *aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſſe poſſit.* Apertiſſimè per illud (*poſtea* ſignificans, antea id primos homines per liberum arbitrium potuiſſe: quia quando nullâ interiùs concupiſcentiali ſervitute premebatur, nullâ rixâ turbabatur, cum ſolo auxilio iſtius ſtatus proprio, *ſine quo nihil* poterat, liberum arbitrium ſeſe ipſum naturalibus viribus ſuis ad credendum, volendum, diligendumq; flectebat. Attenuatum verò & infirmatum nihil iſtorum poſtea potuit, ſed medicinâ gratiæ potentiore ipſius imbecillitati opitulante, velle, credere, diligere voluntati fractâ primævâ libertate claudicanti largiendum fuit.

Recentiores noſtri longè animoſiùs & periculoſiùs in hac re progreſſi ſunt. Non enim ſolum ad baptiſmi gratiam per liberum arbitrium, ſed ad juſtitiam, ad mandatorum omnium obſervationem, ad perfectionis apicem; ad ipſum cœlum per liberum arbitrium ſe venire poſſe contendunt. Nam in omnibus iſtis ſublimibus & heroicis operibus, nihil omninò ulterius poſtulant, quàm illam ſolam gratiam, cùm qua primus homo ante peccatum per liberum arbitrium

illa omnia poterat præstare, si vellet; & Angeli reipsâ volendo præstiterunt, gratiâ non donante ut vellent. Absurdissimum enim putant, quòd præter posse credere, & perseverare, si velis, Deus per gratiam potentiorem etiam ipsum credere, & velle, & venire ad gratiam baptismi, & perseverare largiatur. Tam densæ tenebræ sunt, in quas ista cælestis sanctissimi profundissimique Doctoris doctrina mersa atque abstrusa est.

A Plures hujusmodi propositiones afferri possent, tum aliunde, tum ex Concilio Arausicano, quas non solum recentiores cum Presbyteris Massilienſibus amplexi videntur, sed plerumque deterius aliquid eis addidisse. Verum ex ijs quas hîc declaravimus, ceteræ penè similes, & in ijsdem principijs fundatæ sine difficultate intelligi possunt. Nunc tempus est, ut aliquid etiam de prædestinatione dicamus, quam utrique machinati sunt.

CAPVT QVARTVM.

Quid prædestinationi apud utrosque commune; quid proprium.

NOTA LXVI.

Vnum Dei propositum in duo dividunt, in conditionatum & absolutum. Hoc postremum concipitur post prævisionem fidei & meritorum.

GRatia & prædestinatio pari ferè passu se invicem consequi solent. Ex quo fit, ut quisquis in asserenda gratiâ hallucinetur, vix rectum iter tenere in prædestinatione possit. Itaq; quia gratia Massilienſium atque recentiorum istorum, de quibus hactenus; est prorsus eadem vel simillima; in prædestinationis etiam explicatione consentiunt. Quod paucis ad complementum hujus operis studioso talium rerum Lectori declarandum est.

Et primùm quidem unicum istud decretum Dei, quo homines ex massa perditionis ad æternam beatitudinem per gratiam seu per gratuita merita efficaciter, juxta sancti Doctoris mentem, prædestinantur, Massilienses duritie talis propositi prædestinantis terriri in duo partiti sunt: quorum unum esset generale respectu B universorum hominum, quos Deus pariter salvos fieri vellet; alterum speciale respectu certorum quibus beatitudinem actu dandam efficaciter decerneret. Illud conditionatum esse statuebant, si & homines vellent, & per ipsos non staret; hoc absolutum. Illud ante omnium operum etiam fidei præscientiam, à Deo, dum solâ misericordiâ lapsum genus humanum reparare vellet, conceptum esse: hoc ex præscientia fidei & meritorum. De primo illo generali & conditionato proposito, quod non habet rationem prædestinationis, sed præambuli cujusdam generalis ad redemptorem humano generi mittendum, & sufficientem, ut aiunt, gratiam assequendæ beatitudini præparandam, jam supra satis diximus, & summam utrimque convenientiam demonstravimus. Nunc de absoluto aliquid adjciendum est.

Massilienses igitur omnes apertè decernebant, propositũ absolutum largiẽdi cuipiam beatitudinẽ, quod propriè ipsis prædestinatio est, & electio sæpiùs vocatur, nõ nisi ex prævisione, & post prævisionem fidei & meritorum, & perseverantiæ in utrisque concipi. Exsertis verbis hanc eorum sententiam Prosper expressit: *Qui autem* *Prosp. Epist. ad August.*

A *crediturí sint, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri, præscisse ante mundi constitutionem Deum; & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit:* Sententia ista Massilienſium clara & certa est, de qua qui plura velit, legat ea quæ libro octavo de *Lib. 8. c. 21* hæresi Pelagiana diximus.

Consentiunt ad amussim recentiores. Horrent enim velut mortem, quòd Deus proposito suo efficaci perducendi quempiam ad regnum suum, præscientiam fidei ipsius, & operum, & perseverantiæ anteverteret. Itaque ex professo istam Massilienſium doctrinam tradunt, & mordicus tenent. *Deus non statuit*, inquit Lessius, *absoluto decreto ante prævisionem operum aut finalis status, qui sint salvandi, aut damnandi.* Et in illa sectione crebrò repetit, in potestate hominis esse, ut sua prædestinatio compleatur, hoc est, ut Deus eum ad vitam æternam efficaciter eligat: nempe quia, ut explicat, efficere potest sua liberâ voluntate, ut Deus prævideat conditionem, quæ B ex parte hominis requiritur, fidem scilicet, & opera bona, & perseverantiam. Idem Molina, idem Vasquez, idem Valentia ut certum tradunt. *Lessius de præd. sect. 6. num. 73.*

NOTA LXVII.

Illa fides & merita cum adiutorio gratiæ comparanda sunt.

NEc tamen Massilienses ita crudè istud intelligebant, quasi vel fides, vel opera, vel in utrisque perseverantia, tanquam puris naturæ viribus à se proferenda præsciretur à Deo; vel propter merita & perseverantiam purè humana, tanquam sine ullo gratiæ adjutorio comparata, eligerentur ad regnum Dei: sed sensus eorum erat, quòd propter fidem & merita cum adjutorio gratiæ comparata ad æternam vitam eligerentur. Nam ideo expresè dicit eos tenuisse Prosper, quòd qui in ea fide, *quæ deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sint, præscisse ante mundi constitutionem Deum*, & omnes eos C prædestinasse, quos *bono fine excessuros esse præviderit.* Nam bono fine, nihil aliud est, quàm in bonis operibus per Spiritus sancti gratiam proferendis. Quod idem Prosper declarat evidentiùs, quando eos sentire tradit, quòd *ob hoc Deus alios vasa honoris* *In Epist. ad August.*

benoris alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscuiusque prævidit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate, & actione, præscivit. Ex errore S. Augustini ante Episcopatum id ipsum liquet. Sentiebat enim, quòd *quem Deus crediturum esse præsciverat, ipsum eligeret, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur.* Quæ Augustini verba ab Hilario relatæ Massilienses *se acceptare testantur.*

Prosper. in Epist. ad Hilar. ad Aug.

Arripuerunt eandem doctrinam recentiores. Notorium est enim hanc eorum esse sententiam, quod eos Deus eligit ad regnum suum, quos & credituros, & bene victuros cum adjutorio gratiæ Dei, & sub eodem adjutorio gratiæ bono fine excessuros esse prævidit. Quò fit ut Vasquez planissimis verbis dicat, *non erasse* hac in re, *& rectè sensisse Semi-Pelagianos.* Nimirum, ne si errassent, ipsum quoque erasse sequeretur.

1. parte disp. 83. c. 3.

NOTA LXVIII.

Discrimen, quod Massilienses veram Christi gratiam intelligerent; recentiores non.

IN uno tamen à recentioribus Massilienses discrepant: quod hi fidem & perseverantiam in eadem fide cum solo adjutorio gratiæ primi hominis *sine quo non*, à se per liberum arbitrium asseri posse contenderent; opera verò per veram Christi gratiam, seu per *Spiritum sanctum*, ut Augustinus in eorum errore positus loquebatur, sibi donanda faterentur. Hoc est enim illud quod dicunt, *sub adiutorio gratiæ*: item: *quæ deinceps per gratiam sit iuvanda.* Intelligunt enim illam veram & medicinalem Christi Salvatoris gratiam, quam Scriptura, & Ecclesia, & Augustinus prædicabant: eò quòd palam *se abominari & damnare testarentur, si quis quicquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi posset, existimaret.*

Hila. ad Aug.

Recentiores è contrario nec istam quidem gratiam ad ullum opus bonum admittere volunt; sed solâ illâ gratiâ *sine qua non*, seu potentiali, & sufficiente contenti, qua Massilienses se tantummodò credere posse censebant, se satis liberos, & sanos, & potentes putant, ad efficienda quælibet opera quantumcumque difficilia. Atque ideò illos ad regnum eligi putant, quos Deus per liberum arbitrium credituros, & per liberum arbitrium operaturos, & per liberum arbitrium perseveraturos esse præsciverit. Nam illud adjutorium gratiæ *sine quo non*, nullo pacto impedit, quo minus opera quæ per liberum arbitrium eo concurrente producuntur, sint merita *humana*, & *liberi arbitrij*; non divinæ gratiæ aut sancti Spiritus munera quæ credentibus donet.

NOTA LXIX.

Virisque prædestinatio completa est ex præscientia fidei, & meritorum.

EX istis principijs Massilienses inferebant, prædestinationem completam ad regnum Dei esse ex præscientia: nempe fidei & meritorum. Attestatur eis Prosper, dum indicat eos *propositum & prædestinationem secundum præscientiam recepisse.*

In Epist. ad Hilar.

Non diffitentur hoc ipsum de se isti recentiores: sed tanquam capitalem sui dogmatis sententiam tradunt.

NOTA LXX.

Prædestinatio utriusque retributio.

HInc ulterius Massilienses non aliud prædestinationem esse sentiebant, quàm retributionem, hoc est, non esse gratuitam voluntatem Dei, liberandi hominem: sed voluntatem retribuendi ei debitâ mercede: ut quemadmodùm in tempore regni Dei assignatio non erat nisi pura merces meritorum, non gratia Dei; ita & in præscientia, prædestinatio non esset aliud nisi talis mercedis retributio. Designat hoc Prosp. cum expositâ Genuensibus istâ prædestinationis naturâ dicit: *Ut ipsa Electorum prædestinatio non sit nisi retributio.* Et evidenter Faustus: *Præscientia itaque gerenda prævoscit, posimodum prædestinatio retribuenda præscribit. Illa prævidet merita; hæc præordinat præmia. Præscientia ad potentiam; prædestinatio ad iustitiam pertinet. Præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio autem de iudicio suo &c. Ac sic nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit.*

Ex resp. ad 8. dubium Genuens. Faust. lib. 2. cap. 3.

Coguntur, velint nolint, idem ipsum sentire recentiores. Nam quia sentiunt, non Deum per *adiutorium quo* efficere ut homines velint, credant, operentur, & perseverent; sed hæc omnia humana (quamvis non sine *adiutorio sine quo non*) voluntate proferri: hinc necesse est, ut tota eorum prædestinatio, non sit alsid quàm pura retributio. Quisquis enim vel fidem, vel opera, vel perseverantiam humanæ libertati etiam sub & cum talis gratiæ adjutorio tribuit, omnem gratuitam prædestinationem radicitus tollit. Nihil enim relinquit, ratione cujus propriè & specialiter gratuita esse possit, neque formaliter neque in radice. Non formaliter, quia sic est actus justitiæ, qua meritis merces condigna retribuitur: quod neque recentiores isti negant. Non in radice, quia gratia illa primi hominis seu habitualis, seu sufficiens, seu congrua, seu quocumque nomine appellaveris, non tribuit ullo modo merita seu opera bona, aut perseverantiam, sed est adiutorium gratiæ tantummodò *sine quo non*, tribuens voluntati *posse si velit*; velle autem, & consentire, & operari, & perseverare in quo solum & propriè meritum situm est, ab ipsa hominis voluntate, non à tali adjutorio gratiæ, exspectandum est. Nam inde phrases istæ recentiorum apertissimæ: *Deus exspectat consensum voluntatis, cui usui subest gratia, ita ut hæc efficacia gratiæ in actu secundo ab usu voluntatis quodammodo pendeat. Vbi hoc auxilium præveniens dedit, iam omnino exspectat, ut cooperemur suæ gratiæ.* Exspectat, *ut faciamus bona opera, alias regnum suum non daturus. Totum relinquit nostræ libertati, ut consentiamus.* Quod alibi declarat comparatione habituum & concursus Dei: *Habitum voluntatis, & auxilium prævenions solum exspectant, ut potentia voluntatis suum influxum in actum conferat. Simili modo ut Deus concursum suum conferat, exspectat concursum liberi arbitrij.* Quæ manifestissimè declarant, quantumcumque magna gratia istius ordinis & operationis ad credendum, ad operandum, ad perseverandum conferatur, nihil omnino esse in istâ gratia, sicut nec in ipsa potentia liberi arbitrij,

Exsp. de grat. efficac. 18. n. 1.

Cap. 12. n. 1. Ibid.

Ibid. c. 9. n. 16

vel in habitu fidei, aut charitatis, quo prædestinatus à reprobato, eligendus ad regnum cælorum ab excludendo differat: sed primam differentiam fieri per liberum flexum (non sine gratia) humanæ voluntatis: Et in illo esse meritum, propter quod ad regnum prædestinetur, aut eligatur. Vnde impossibile est, ut ista prædestinatio aut electio sit specialiter gratuita: sed mera, & propriè dicta merces humanorum est meritorum. Quod qui plenius intelligere desiderat, legat ea quæ de merito & præmio primi hominis & Angelorũ disputavimus. Hoc vero ita Massilienſibus perſpicuum fuit, ut quamvis & fidem cum gratia Adami à se proferri, & opera per veram Christi gratiam à Deo sibi conferri fatererentur, quia tamen suum, non gratiæ esse sentiebant, quod actu suâ libertate crederent, & in eadem fide suâ libertate persisterent, non gratiâ ut actu crederent & persisterent, sibi largiente; nunquam tamen ausi sunt fidem, vel perseverantiam in fide donum Dei, vel electionem ad regnum prorsus gratuitam profiteri. Quis enim nisi insipiens, qui nesciat quid loquatur aut de quibus affirmet, non statim advertat, non illius esse victoriam, qui militi equum, & arma, vel ipsam potentiam voluntatis dedit, quibus ignavi vel non utuntur vel abutuntur; sed illius qui strenuè pugnam armis istis adjutus capessivit, & hostem stravit? Illius ergo meritum est, illius præmium: quod ei nihil est aliud, quàm merces meriti, non speciale gratiæ donum.

NOTA LXXI.

Discrimen, quòd aliquid gratuiti involveret Massiliensium electio ad Regnum: recentiorum nihil omnino.

IN uno tamen aliquid est discriminis, quod Massilienses aliquid fateri in prædestinatione completa cogerentur, quatenus operum bonorum merita, etsi non fidem, per veram Christi gratiam sibi donari sentiebant. Quod Christi adjutorium cùm recentiores prorsus abijciant, nihil gratuiti in prædestinatione agnoscant, necesse est.

NOTA LXXII.

Numerus Electorum non est eis definitus ex voluntate, & prædefinitione Dei.

EX isto igitur capite proficiscitur, quòd Massilienses omnino fateri nollent definitum esse ex voluntate Dei certum ac *prædestinatum electorum numerum, qui nec augeri posset nec minui.* Quod eos de numero illo non ex Dei præscientia, sed ex ejus voluntate & *constitutione humanam præveniente voluntatem* definito intelligere, perspicuè ex eorum principijs & verbis demonstravimus.

Prosp. in in Epist. ad Aug.

Vide lib 8. de hæresi Pelag. cap. 22.

Toto corde & ore hoc ipsum recentiores isti clamant. Audi Lessium ceteris animosiorem: *Si numerus salvandorum, qui nec augeri nec minui potest, nullo operum vel laborum nostrorum habito respectu, immutabiliter est definitus, &c, perspicuum esse putant, tolli omnem sollicitudinem rectè vivendi.* Et quare tandem? Respondet: *Quia si illo numero es comprehensus, nulla incuria faciet, ut excidas: si non es comprehensus, nulla sollicitudo iuvabit ut intres.* Et alibi: *Si non sum de numero sic electorum, frustra præcepta servo &c. Omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo salvatur.* Et aliquot sectionibus interpositis: *Nullum ex parte sua certum numerum definivit, neminem excluſit.* Et mox iterum: *Faceſſat iſta imaginatio &c.* Nonne Massilienſium audire tibi videris voces, quibus *virtutes tolli* dicebant, *si Dei constitutio humanas præveniat voluntates?* Quibus *superfluum laborem* jactitabant, *si neque reiectus à tali numero, ullâ industriâ posset intrare, neque electus ullâ negligentiâ posset excidere?* Quibus molestissimè se ferre testabantur, quod, *quoquo modo se egerint, non possit aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere?* Quibus *partes constituti* nolebant, *quibus nec adjiciendum sit aliquid, nec detrahendum, ut de alijs ad alios nullus possit accedere.* Nam ipsi *prædestinationem & electionem secundum præscientiam recipiendo*, etiam consequenter certitudinem Dei ex præscientia non solùm absolutâ, sed etiam conditionatâ integerrimè fatebantur; prout ex præcedentibus liquere potest, & nos alibi latius explicuimus.

Ibid. Sect. 2. n. 14.

Sect. 6. n. 81.

Prosp. & Hilar. in Epistolis ad Augus.

Vide lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 22.

NOTA LXXIII.

Prædestinatianorum errorem utrique impingunt adversarijs suis.

DEnique cum durissima Massilienſibus Auguſtini & Prosperi sententia videretur, Prædestinatianorum hæresin eis impudenter impegerunt: quod ex objectionibus Gallorum, sed maxime Vincentianis perspicue patet. Nam hæresin istam plerisque modernis Scriptoribus commemoratam non aliud esse nisi calumnias Massilienſium, quibus Auguſtinus, & Prosper, & Auguſtinianæ doctrinæ sectatores appetiti sunt, fusè & clarè, quantum arbitror, à nobis demonstratum est, cùm de Semi-Pelagiana hæresi tractaremus.

Ibid. c. ult.

Nec in hoc recentiores à Massilienſibus dissimiles esse voluerunt. Totis enim quibus possunt viribus, erroris istius invidiam doctrinæ aterius patronis affricant. Nam quid est aliud illa doctrina, quæ prædestinationis prædicatione tollit ab homine liberum arbitrium, fato humanam vitam premit, barathrum desperationis aperit, sollicitudinem aufert vitæ bonæ, exhortationes, correptiones, præcepta, consilia, merita, præmia è medio tollit; denique quæ Deo cum Calvino asscribit peccata reproborum, quàm error, & hæresis Prædestinatiana? Nam hæc & hujusmodi Prædestinatianis tribuuntur, & Auguſtino à Massilienſibus impacta sunt: quorum vestigia usque ad ipsas calumnias, quas ipsi veritatem esse sincerè putant, sibi terenda judicarunt. Hinc est illud planissimum Gregorij de Valentia, quo Prædestinatianorum errorem ex ista sententia prædestinationis consequi suprà dicentem audivimus.

Lessius in præf. lib. de prad. & reprob.

Vide supra n. nota 18.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Quibus utrique armis pugnaverint; quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.

NOTA LXXIV.

Iisdem rationibus utuntur ad prædestinationem & gratiam suam asserendam.

CVm ergo error Massilienſium, & opinio recentiorum tam accuratè inter ſe conſentiant, ut exceptis ijs quæ recentiores addiderunt, unam eandemque ſententiam arbitrari quis poſſet, iſdem quoq; argumentis, & armis uſi ſunt ad eam fundandam tuendamq;, Rationibus Scripturis, Patribus; eodem lubrico in præcipitium ducti. De rationibus nihil eſt quod ulterius ſat gamus; cum eas abunde in præcedentibus, retigerimus. Nam pleraq; quæ contra prædeſtinationem & gratiam utriq; eadem omnino protulerunt, humanæ ratiocinationis ebullimenta, & carnalis præſumptionis terricula-menta fuiſſe vidimus: quæ velut præſentiſſimum interitum ſuum à ſolo Deo & incertâ ejus voluntate dependere formidat. In his igitur iſdem prorſus comminiſcendis, ſimillimos eos fuiſſe demonſtravimus.

NOTA LXXV.

Iisdem quoque Scripturis eodem modo explicatis.

QVòd ſi ſcripturas conſulamus, quibus Chriſtiana fides niti debet, liquidò profectò deprehendet quiſque curioſior, Scripturas pleraſque, & pene omnes capitales & fundamentales, ex quibus prædeſtinationem ſuam & gratiæ modulum utrique fabricarunt, eodem ab utriſque modo expoſitas eſſe: quarum explanatione, relicto Aug. duce gratiæ peritiſſimo, vel ab ipſo Pelagio, vel à Pelagianizantibus, vel auctoribus, quos ipſimet ſubinde ſuſpectos eſſe profitentur, Græcis derivaverint. Quod niſi ad oculum oſtendi poſſet, nemo modeſtior, facile crederet. Aliquas igitur operæ pretium eſt in medium adducere; ne quis verba potius, quam res ipſas ſibi dari arbitretur.

Primus igitur locus de prædeſtinatione capitalis eſt apud Apoſtolum: *Illi qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Quem Leſſius ita exponit, ut ſecundum propoſitum vocari nihil aliud ſit, quàm *non ſecundum opera, ſed ex gratuito Dei beneplacito*, hoc eſt, gratis. Quod quamvis etiam illo loco ſignificetur, hoc tamen ſolùm duntaxat ſignificari, & non ſimul completam prædeſtinationē ſeu voluntatem conferendæ efficacem gloriæ, ab Aug. mente valde alienū eſt: ſicut hoc ipſe Leſſius non diffitetur: *Quam vim habeat iſta particula*, inquit, *juxta mentem ſacræ Scripturæ, infra oſtendetur: ut vero uſurpatur à divo Aug. habet aliquid obſcuritatis, & fatear ſignificare prædeſtinationem completam, & convenire ſolis ſalvandis.* Quaſi Aug. non juxta mentem ſacræ Scripturæ phraſin iſtam explicuiſſet, ſed Leſſius. At Pelagius hoc ipſum eodem modo ſibi voluit quādo locum explicans in Commentario, *quos gratis*, inquit, *vocavit ad ſalutem* &c.

Rom. 9.

Lib. de prad. ſect. 3. n. 30.

Lib. de prad. Sanct. Leſſ. lib de prad ſect. 4. n. 47.

Alter eſt ibidem: *Nam quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui.* De quo loco Leſſius: *hic locus rectiſſimè ſic explicari poteſt: quos præſcivit, id eſt, quorum præſcivit fidem & dilectionem, eos prædeſtinavit ut eſſent ſimiles filio*; citatque Origenem, qui Pelagij in Scripturis & rationibus excudendis, totāq; Pelagianā hæreſi formandā Magiſter fuit, ut alibi declaratum eſt. Et eundem in obſcura illa quæſtione non pauci Græci in quibuſdam infeliciter imitati ſunt. Eodem igitur modo explicat Pelagius: *Ergo quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria.*

Pel. in Com. loco. Lib. de prad. ſect. 2. n. 6. Lib. 6. de hæreſi Pel. n. 13. 14. 15. 16. 17.

Tertius: *quis accuſabit adverſus Electos Dei.* Vbi omnes omnino juſtos Leſſius putat Electos dici, & non ſolos eos, qui ad gloriam deſtinati ſunt, ut Aug. intelligere ſolet. Eodem modo intelligit & Pelagius & Ambroſiaſter Semi-Pelagianā hæreſi plenus: *Quos Deus elegit credentes*, inquit Pelagius, *ac ſignis & virtutibus juſtos oſtendit*; & expreſſè aliquoties notat de omnibus ſermonem eſſe.

Pel. in Com. Leſſ. ibid ſect. 3. n. 30. & 32. In Comm.

Quartus, *Miſereb. r, cui miſereor* &c. Leſſius exponit, quod *Deus poteſt ſuam gratiam dare cui placuerit, placet autem credentibus.* Pelagius verò: *Illius miſerebor quem præſcivi miſericordiam poſſe promereri*, nempe per fidem de qua tractabat Scriptum Ambroſiaſter tradit, & Fauſtus: Quem *juſtum eſſe perſpexero.*

Leſſ. ſect. 3. n. 33. Pauſt. lib. 1. cap. 13.

Quintus: *Igitur cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Leſſius: *Reſpicit ad incredulos Judæos, & gentes credentes; illos in peccatis & infidelitate obdurari ſinit, horum verò vult miſereri, quia fidem Chriſti amplectuntur.* Eundem Commentarium reſpicit Iulianus, quando locum ſic interpretandum judicavit, ut dicendo, miſeretur cui voluerit, ſignificaret, *cui debuerit*: videlicet, quia miſeretur credentium, obdurat incredulos. Et ipſe Pelagius eundem inſinuat in Commentario Epiſtolæ ad Romanos.

Leſſ. de prad. ſect. 3. n. 34. Vide lib. 1. operis imp. apud Aug.

Sextus: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.* De quo Leſſius: *Loquitur de omnibus, qui ex Iudæis crediderunt, quia non ex operibus legis ad fidem adducti.* Pelagius: *Electio gratiæ fides eſt, ſicut opera Electio legis.*

Ad cap. 9 in fine verſ. 434 Ibid. n. 38.

Septimus: *Electio autem conſecuta eſt.* Leſſius: *omnes qui ex Iudæis credierunt, vocantur electi.* Pelagius: *Qui* per fidem electi ſunt.

In Comment

Octavus: *Liber vitæ*: in quo à Leſſio intelliguntur ſcripti omnes juſti, ne ſolis prædeſtinatis competeret. Eodem modo Ambroſiaſter: *Erant ſcripta nomina eorum in libro vitæ propter juſtitiam, ſicut dixi.*

Ibid. n. 40.

Nonus locus ille celebris: *Firmum fundamentum Dei ſtat.* Exponit Leſſius fundamentum eſſe Electos omnes ex operibus juſtitiæ ſeu juſtos, *quiſignati ſunt ab æterna divina præſcientia.* Et paulo poſt: *Mihi tamen valde veriſimile eſt agi de omnibus, qui in fide firmi ab hæreticis non poſſunt perverti* Pelagius, fundamentum firmum exponit eos, *In quorum corde fides Chriſti erat fundata, non ſunt ſeducti, vel moti, &c. Deo illos optimos cognoſcente.* Vbi ſimiliter videt & fidem &

In Commen. 2. Tim. 2. 19. ad Rom. 9. Leſſ. n. 42.

præscientiam; ut à similibus locis Dei prædestinatio, quam Aug. intelligere solet, excluderetur.

Decimus: *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Hanc omnes Massilienses unanimiter de omnibus omnino hominibus, sicut & recentiores exponunt.

Vndecimus: *Non ex operibus, sed ex vocante* &c. Totus ille locus à Lessio sic exponitur, ut significetur, Deum in conferenda salute non *habere rationem operum externorum, præsertim legis, quæ Iudæi tanti faciebant & ob quæ putabant sibi omnia deberi, & omnibus alijs esse præferendos; sed fidei tantum, & interni affectus in Deum & Christum.* Quod fusè Apostolum explicando declarat. Eadem est omnino expositio Iuliani Pelagianorũ hyperaspistis fidelissimi, qui eam adversus Aug. animosè verbosèq; defendit: *Comprimit*, inquit, *gentium Magister Iudæorum tumorem, & ostendit, non seminibus humani generis, sed in moribus esse distantiam, ut se illi agnoscerent, nisi fideles esse curassent, nullâ prærogativâ circumcisi generis vindicandos.* Et mox addit, *Iudæis in Ceremoniarum & hostiarum observatione gloriantes, alys nationibus se præferendos putasse.* Cui expositioni suam opponens Aug. *Vt sciant qui intelligenter legunt, quemadmodum conatus fueris verba Apostolica obnubilare, clara & recta pervertere, huic disputationi tuæ ex eadem oportet Apostoli disputatione respondeam.* Eadem est & Fausti Semi-Pelagianorum deterrimi, qui totum locum refert ad *credituros, & non credituros*: & verba *non ex operibus*, eodem modo exponit, non ex operibus legis.

Lessi. sect. 3. n. 32.

Lib. 1. oper. imp. apud Aug.

Quod si tempus hujusmodi locis colligendis impendere liberet, aut necesse esset, vix ullus locus alicujus momenti à recentioribus instituto eorum adhiberi forsan deprehenderetur, qui non ante à Pelagio, vel Iuliano, vel auctore aliquo in hac re suspecto, fuisset usurpatus. Non quod significatum velim, erroneas esse cunctas istas interpretationes, absit; sed hoc tantum, quod relictis interpretationibus August. quæ in isto obscurissimo & periculosissimo argumento versantibus erant amplectendæ, suspectas & à Pelagio, vel discipulis, vel Magistris eius, vel à Græcis in hac materia periculosissime loquentibus & sentientibus, excogitatas, arripere maluerint.

NOTA LXXVI.

Eodem modo accersuntur in præsidium Græci Patres.

POst Scripturas sequuntur Patres, quorum in rebus theologicis conspiratio non parvum est veritatis argumentum. Hos Massilienses pene omnes adversus Augustinum stare invidiosissime contendebant. Nam inde sunt illa verba eorum apud Prosp. *Obstinationem suam vetustate defendunt; & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Idipsum & Hilarius eos magnopere ursisse testatur. Itaque clamabant, ut ait ibidem Prosper, *Contrarium Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid de vocatione Electorum secundum Dei propositum* Augustinus *disputaverat.* Quis autem fuerit iste Ecclesiasticus sensus, & qui Patres, non est difficile deprehendere. Nam sensum istum declarat Prosper in fine istius Epistolæ, cum dicit, quod *pene omnium par inventur & una sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam*, voluntatis, vel fidei, vel orationis alicujus, vel operum *susceperunt.* Patres vero illi non alij fuerunt, quam Origenes, ceterique penè omnes Græci, qui ipsum propter ingenij excellentiam & explicationum ubertatem & varietatem avidissime imbiberunt, & prono consensu secuti sunt. Ipse vero in Epistolam ad Romanos, & in libros periarchon, errorem de prædestinatione secundum præscientiam, omnesque ceteros Pelagianorũ & Massilienssiũ tantâ copiâ & accuratione præcudit, ut post Pelagij ætatem vixisse videatur. Quod nos alibi pluribus patefecimus. Ex Latinis etjam Ambrosiaster non multo castius de gratia & prædestinatione scripsit: Ipse Augustinus ex incuriosa forsan Origenis, aut aliorum Græcorum lectione, in eundem errorem impactus fuit, nec inde nisi divinâ *revelatione* liberatus. Tam pronum est naturæ miserabili de se medullitus præsumenti aliquid prius dare velle Deo, ut retribuatur ei.

Epist. ad Aug.

Hilar. ad Aug.

Vide lib. 6. de hæresi Pel. c. 13. 14. 15. 16. 17.

Lib. de prædest. SS. c. 4.

Recentiores nostri cum eandem sententiam de proposito & prædestinatione Dei secundum præscientiam avidissime susceperint, & ex professo tueantur, etjam in hoc dissimiles sibi Massilienses esse noluerunt, quod Græcorum sententiam tanquam sibi patrocinantem probant. Hinc est enim quod passim Lessius, Molina, & alij Origenem, cujus doctrina pestis est gratiæ Dei, aliosque Græcos pro se citent, & interpretationes eorum uti Massilienses, Augustino opponant, eoque rejecto exosculentur. Quod penè in singulis explicationibus Scripturarum apud Lessium libro de prædestinatione videre licet. Quasi non esset facillimum universam Semi-Pelagianam hæresin ex Origene & ceteris Græcis stabilire. Vnde Gabriel Vasquez ceteris nonnihil cautior in hac re, palam profitetur *Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophilactum, ceteroque Græcos* Massilienssium opinionem tradidisse, quos tanquam columina suæ doctrinæ Lessius in hoc argumento, tam densè citat, ac tanti facit.

Vasq. in 1. p. disp. 89. c. 3.

NOTA LXXVII.

Magni faciunt Augustinum, uno doctrinæ capite excepto.

ET quamvis Græcis Massilienses adhæresceret, magni tamen fecerunt Augustinum, & quasi inviti in isto doctrinæ capite reliquerunt: *Sed plane*, inquit Hilarius ad Augustinum, *illud tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.*

Hilar. in Epi. ad Aug.

Nec dissimiliter recentiores Augustinum extollendo magni faciunt; sed cum ad rem venitur, in hoc articulo prædestinationis & gratiæ, ab eo discedendum putant. *Imò verò*, ait Molina, *esto hi duo Patres* (Augustinus ac Thomas) *in eam sententiam inclinassent, salvâ eorum reverentiâ, quæ eis debetur maximâ, quoad illud secundum*, quod prædestinatio non est secundum præscientiam usus liberi arbitrij, *admittenda non esset.*

Mol. q. 23. a. 4. & 5. disp. 2. numb. 6.

NOTA

NOTA LXXVIII.

Augustinum tanquam turbarum auctorem accusant.

NEc satis erat Massilienſibus Auguſtinum rejeciſſe, niſi etiam reprehenderent, & veluti qui fidelium conſcientias nimiâ doctrinæ inſolentiâ ac duritie perturbaret, acriter carperent. Teſtatur hoc Hilar. ad Auguſt. *Ad ſummam fatigatis omnibus nobis, ad id proſecutio eorum, vel potius querela convertitur, ut dicant: Quid opus fuit huiuſmodi diſputationis incerto, tot minùs intelligentium corda turbari?*

Et quidem, quòd ſatis moderatè Maſſilienſes, non paulò immodeſtius Recentiores noſtri hanc turbationis invidiam & inſcitiæ notam Auguſtino impingunt. Quid enim ſi velint illa Molinæ verba prudens quiſq; facile videt: *Hæc ſententia* (Aug.) *multum ſanè eo tempore, nonnullos ex fidelibus turbavit, tum ob ſui eo tempore novitatem, tum quòd non addiderit Auguſt. prædeſtinationem fuiſſe non ſine præſcientia uſus liberi arbitrij.* Iterum: *Suſpicor Auguſt. non advertiſſe, quantum ad auferendam duritiem illam conduceret additio illa, de præſcientia.* Vbi addit, *Aug. quaſi ſub caligine conſtitutum, arbitratum eſſe* id quod non erat. Itaq; ſubjungit: *ſe non mirari opinionem illam eo pacto intellectam, à multis nimis duram indignamq; divinâ bonitate & clementiâ iudicari.* Et inferius tradit, quòd quia Aug. non adverterat, prædeſtinationem eſſe *ſecundum merita, qualitatemq; uſus liberi arbitrij, doctrina eius plurimos ex fidelibus mirum in modum turbavit, ne dicam, inquit, illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam.* Et de victoria S. Aug. contra Pelagianos & Semi-Pelag. loquens: *Haud ſcio an explicata penitus, & abunde reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrij cum illis tribus, & hæreticis aditus, quo facilius ad pacem unitatemq; Eccleſiæ redirent, ſit patefactus; & concertationes quæ ante mille annos inter viros Catholicos ortæ ſunt, quantum par eſt, ſint compoſitæ.* Et totum profundens ſpiritum ſuum de Auguſtini doctrina, & ſua, quam de gratia & prædeſt. tradiderunt: *Quæ* (principia) *ſi data explanataq; ſemper fuiſſent, fortè neq; Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutheranitas impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe; neque ex Auguſt. opinione, concertationibuſq; cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſq; defeciſſent, facileq; reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epiſt. Proſp. & Hilary ſit mentio, fuiſſent extinctæ. ut patet ex ijs in quibus homines illos cum Catholicis conveniſſe, & ab eis diſſenſiſſe, cedè Epiſtolæ teſtantur: concertationes deniq; inter Catholicos facilè fuiſſent compoſitæ.* Sed cujuſmodi illa principia Molinæ ſint, quæ olim explicata fuiſſe deſiderat, & quàm feliciter ex ijs extinctæ fuiſſent Pelagianorũ reliquiæ: quàm deniq; gloriosè pro Catholica Eccleſia concertationes inter Catholicos ex ijs componi potuiſſent, ex fundamentis quibus iſta principia incumbunt. ut jam jam ſequenti nota oſtenſuri ſumus, manifeſtiùs eluceſcet.

Mol. q. 23. a. 4. & 5. diſ. 1. memb. 6

Ibid.

Ibid. memb. ultimo.

Ibid.

Ibid. memb. ultimo.

NOTA LXXIX.

Vtrique obiectiones pro ſolutionibus, & errorem ab Auguſtino proſcriptum pro doctrina Catholica capientes, ſententiam ſuam excogitarunt, & fundarunt.

VNum itaq; ſupra modum animadverſione & admiratione dignum eſt, quòd utrique, qui Aug. doctrinam & mirantur & carpunt, ex illa ipſa doctrina ijſdem veſtigijs in præcipitium lapſi ſunt. Maſſilienſes quippe in errorem inde corruerunt, vel jã errantes confirmati ſunt, quòd cùm oſcitanter ſecurèq; S. Aug. ſcripta legerent, partim obſcuriuſcula non ſatis intelligerent; partim objectiones errantium, aſſertiones docentis eſſe crederent; partim hæreſes ab Auguſt. ipſo revocatas & refutatas pro Catholica doctrina imprudenter acciperent. 1. 2. 3.

Nam ex prima illa cauſa factum eſt, ut cum verba S. Doctoris contra Porphyrium ſcripta nõ intelligerent, Euangelij prædicationem ſecundum præſcientiã Dei, qua quando & ubi prænoſceretur eſſe credenda, diſpenſari crederent. *Et hoc*, inquit Hilar. *non ſolum aliorum Catholicorum teſtimonijs, ſed etiã ſanctitatis tuæ diſputatione antijuore ſe probare teſtantur: ubi tamen eandem gratiam non minore veritatis perſpicuitate docueris: ut eſt illud, quod dixit tua ſanctitas in quæſt. contra Porphyr. de tempore Chriſtianæ Religionis. Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuã, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant crediturí.* Similiter Aug. diſputationem de parvulis in libris de lib. arbit. non non penetrantes, *de pœnis eorum* Auguſtinum *dubitare maluiſſe cenſuerunt.* Itaque vtrumque locum Auguſtinus, & genuinam ejus ſententiam explicare, compulſus eſt. *Hilar. in Ep. ad Aug.* *Ibid.* *Lib. de dono perſev. c. 9. & 12.*

Ex ſecunda cauſa contigit, ut Presbyteri illi Genuenſes, cum apud Aug. illa legiſſent verba in lib. de dono perſev. *Sed aiunt, ut ſcribitis, neminem poſſe correptionis ſtimulis excitari, ſi dicatur in conventu Eccleſiæ audientibus multis: Ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei &c.* putaverint Aug. ex perſona ſua ſic locutum eſſe, atq; eo modo prædeſtinationem & gratiam defendendo prodidiſſe. Proſper diſertus hujus hallucinationis teſtis eſt: *Stupeo ſanctitatem veſtram obiectionem calumniantium à perſona defenſoris gratiæ non potuiſſe diſcernere. Et verba obtrectantium ei ipſi, qui obtrectationibus ſuis reſpondet aptaſſe.* *Proſp. ad dub. 10. Genuenſ.*

Ex tertia cauſa Semi-Pelagianum errorem, quem ipſe S. Auguſt. ante Epiſcopatum tenuit, & multis libris poſtea exaratis refutavit, pro ipſiſſimo Catholicæ doctrinæ dogmate amplexi ſunt. Teſtatur hoc Hilar. in Epiſt. ubi S. Auguſt. verba illum errorem undique ſpirantia producit, *quæ ſe acceptare & probare teſtabantur, tanquam convenientia Euangelicæ veritati.* Sed antidotum illis Aug. proferens, & Maſſilienſium lapſum notans: *Videtis certè, quid tunc de fide atq; operibus ſentiebam*, nempe ſimiliter errãbat, ut ante dixerat, *quamvis de commendanda Dei gratia laborarem: in qua ſententia iſtos fratres noſtros eſſe nunc video: quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum.* *Hila. in Ep. ad Auguſt.* *Aug. lib. de prædeſt. SS. cap. 4.*

Tria iſta hallucinationum capita, velut omniũ fontes errorum, quibus à Maſſilienſibus gratia & prædeſtinatio contaminata fuit, integerrima, pleniſſimaque Recentioribus noſtris velut hæreditate tradiderunt.

Nam ad primum quod attinet, Aug. ſcripta eis tam denſâ caligine tecta & involuta ſunt, ut in hacm ateria non auctorem legere & exponere, ſed tanquam de ænigmatibus divinare videantur. Vix enim quicquam occultioris doctrinę Auguſtinianę in ſcriptis eorum reliquũ eſſe videas; & ubi lectoris oculis eam exponere conantur, Leſſ. inprimis, Molina, Vaſq. Suar. opinionibus ſuis præoccupatis mordicus adhærentes, & Aug. ſenſa ſuis toto

cœlo

cœlo differentibus aptantes, sententiam ejus potius funditus eos evertere, quàm explanare dixeris. Quod in plurimis gravissimis argumentis, de actibus infidelium, de actibus moralibus, de gratia primi hominis & secundi, de prædestinatione & auxiliis Angelorum, quomodo aliqui magis adjuti sint, de pura natura & alijs non paucis capitibus suo quodque loco declaravimus.

In 2. & 3. hallucinationis capite, tam evidenter atq; enormiter tenentur, ut si de industria aberrare voluissent, non potuissent studio deliberato gravius & in scopulos periculosiores impingere. Quod ne temerè jactasse videar, rem paulò pressiùs explorando declarabimus.

Duo præcipuè cardines sunt, in quibus intelligentia gratiæ & prædestinationis, ut ab Aug. tradita est, vertitur natura adjutorij primi hominis *sine quo non*; & adjutorij secundi hominis, *quo* fit opus. Vnum accommodatum est viribus integerrimis & liberrimis; alterum fractis & sub libidine B captivis & servis. Ex quo necesse est inter illa duo adjutoria, proportione quadam tantum discriminis esse, quantum inter sanitatem & ægritudinem, imò quantum inter vitam & mortem. Illud enim viventi aptatum voluntati robore ipsius incitatur & retinetur, torquetur & retorquetur quo voluerit: hoc verò mortuam ad vitam revocat, atq; ei tribuit vivere, sapere, velle operari. Qui hic lapsus fuerit alterum pro altero accipiendo, tantũ necesse est erret, quantùm in rebus istis errari potest: nec aliud Aug. scripta de gratia & prædestinatione esse judicabit, quàm confusum quoddam locutionum improprijssimarum chaos, errorumq; labyrinthũ, ex quo exire nequeas, nisi quemadmodum in densissima silva viam, obvia quæq; cædendo & prosternendo, aperueris. Discrimen istud latissimè, & nisi fallor, perspicuè declaravimus; quod verissimum esse & unicam aperiendæ doctrinæ S. Aug. clavem, admirabilis rerum omnium connexio, & a capite ad calcem usq; summa verborum sententiarumq; consonantia altissimè clamat. In utroque cardine seu utriusq; status adjutorio infelicissimè recentiores lapsi sunt. Cùm enim propter inolitas Philosophiæ suæ opiniones ab Aug. valde discrepantes, cernere non possent, quid sibi Aug. in isto discrimine tandem aliquando vellet, sententiam præcipitantes, partim objectiones adversariorum pro responsionibus Aug. partim errorem hæreticorum pro doctrina S. Doctoris arripuerunt. Ex quo factum est, ut in istis totius machinæ cardinibus hallucinantes, adjutorium stantis hominis pro adjutorio lapsi, & vice versâ, hoc est, auxilium sanitatis pro remedio ægritudinis, & è contrario; arcticum videlicet polum pro antarctico & antarcticum pro arctico acceperint, & super istâ basi universam doctrinæ suæ molem de gratia & prædestinatione collocaverint, singula ad oculum demonstrabimus.

Vide Suar. l. 10. de gra. c. 9 n. 6.

Et quidem Franc. Suarez, cùm non satis penetraret discrimen, quod inter gratiam primi hominis & secundi intercedit, locum Aug. arripuit, ex quo evidenter ostendi putat, primo homini quoq; per efficacis gratiæ donum, sive per adjutorium, *quo sit opus*, perseverantiã donari debuisse; quod ipse ex professo asserit, & ex August. etiam probari putat. Aug. enim de Adamo innocente loquens, his verbis usus est *Non habuit perseverantiam, & si non habuit, non utiq; accepit.* Ad quæ verba Suarez. *Supponit*, inquit, *non potuisse illum habere nisi accepram*, à Deo videlicet, hoc est, nisi per efficacem gratiam ei à Deo donaretur. Ex quo concludit perseverantiam Angelorum in illo etiam statu fuisse, *specialis doni gratiæ, imo etiam Christi*, quod videlicet Adamus & Angeli non sibi ipsis libero arbitrio parere, sed à Deo per specialẽ gratiam videlicet efficacem accipere debuissent: prout ipse ibidem ex professo probat. Eundem locũ Aug. eodem modo accepit Gabriel Vasq. *Idem esse*, inquit, *apud August. non habere, & non accipere à Deo, patet ex cap. 10. illius lib. Nam de eodem primo homine, inquit: Non ergò habuit in illo bono perseverantiam: etsi non habuit, non utique accepit.* Ita illi, sed non advertunt, illa verba non esse Aug. tradentis doctrinam suam, sed adversarij cujuspiam Pelagiani opponentis objectionem, qua evertere S. Præsulis sententiam conabatur, asserentis perseverantiã hominibus lapsis justè negari, quia in massa perditionis per peccatum Adæ constituti sunt; ideòq; per specialis gratiæ donum eis esse largiendam; & consequenter homines id à se *habere* non posse sed à Deo donante esse *accipiendũ*. Objiciebat enim adversarius: Adã non habuit perseverantiã, quia non perseveravit; ergò eã non accepit à Deo & tamen Adam nondum in massa perditionis peccaverat, ut ei meritò negaretur: ergò falsum est, quòd propter dãnationis massã hominibus à Deo negetur: ergò ulterius falsũ est, quòd perseverantia per specialis gratiæ donũ à Deo accipi debeat, sed perseverare & non perseverare est in hominis potestate ita ut ipse sibi possit hoc nolendo negare vel volendo dare. Hæc objectio jugulum petebat omniũ, quæ Aug. in præcedentibus capit. tradiderat, quod & fides, & opera, & perseverãtia. non solum veluti donum gratuitum à Deo accipiendum esset, sed etiam propter damnationis massam justè negaretur.

Aug. lib. de Corr. & gra. c. 10.

Suarez ibid.

Vasq. 1. p. disp 98. c. 2.

Lib. de Corr. & grat. c. 10

C

Iam verò esse illa verba non assertionem, sed objectionem ex eo manifestissimè patet, quia immediatè disertis verbis præcesserat: *Hinc exoritur alia quæstio* &c. Et cũ ei nonnihil lucis proponendo addidisset, iterum repetit: *Sed illud magis quærendum est, operosiusq; tractandum, quid respondeamus eis qui dicunt* &c. Et mox proponit eodem filo orationis ea verba, quæ duos illos Scholasticos deceperunt, ijsq; propositis ad solutionẽ accedens; *Quapropter, saluberrimè confitemur quod rectissime credimus* &c. & quæstionem istam per tria integra capita profundissimè solidissimèq; dissolvit, totis disputandi viribus inculcans doctrinam ex diametro contrariam ei, quam Recentiores isti ex objectis verbis exsculpere conantur. Nempe tradit Adamũ non indiguisse adjutorio gratiæ, quo ei perseverãtia donaretur, sed per liberum arbitrium potuisse perseverare si vellet, cum adjutorio alterius generis, *sine quo* perseverare non posset, non tamen, ut perseveraret largiente. Quam eorum hallucinationem latius discussimus, & ostendimus, cùm de adjutorio primi hominis loqueremur.

Lib de Corr. & grat. c. 10

Ibid.

D

Lib. de grat. primi hom. c. 17.

Eodem modo hallucinantur consequenter Suarez, Bellarminus, Vasquez, cum celebrem illum August. locum, ex libris de Civitate Dei citant, quo *Angeli boni magis adiuti dicuntur*: ut inde probent id quod ex August. sese hausisse putant, Angelos atque Adamum similiter ut lapsos ho-

Suar. loco sup. cit. Bellarm. l. 2 de grat. & lib. arb. c. 17. Vas disp. 193. c. 4.

ses homines, auxilio efficaci, quo fit opus, eguisse: Sed late ostendimus, eos & in isto loco, toto cælo ab Aug. mente aberrasse, ut qui non statuit majus auxilium, quod Angelis viatoribus datum sit, sed quod eis cum ipsa æterna beatitudine tanquam permansionis præmium retributum sit.

Vide sibi de grat. primi hom. tom. 1. c. 2.

Sed sicut isti auctores objectionem Pelagianam pro Augustiniana assertione capiendo in primo divisionis membro, lapsi sunt, ut adjutorium primi hominis *sine quo non*, in adjutorium *Christi quo* converterent: ita ex opposito iidem ipsi, & alij plures ejusdem doctrinæ sectatores, iterum Pelagianorum objectionem atque errorem, doctrinam Aug. existimantes, secundum divisionis istius membrum pervertendo, in primum converterunt; ut gratiam Christi salvatoris medicinalem *qua fit*, ac datur actio, in gratiam innocentis hominis & Angelorum verterent, atque ita tota Christiana doctrina de adventu Christi, de causa asserendæ lapsis hominibus medicinæ à non advertentibus funditus everteretur. Vt enim probent gratiam, quæ nunc hominibus ad credendum divinitus datur, ita esse libero arbitrio attemperatam, ut instar gratiæ potentialis (quam Aug. adjutorium *sine quo non* appellat) ea stante, in libero arbitrio, possit arbitrium indifferenter velle vel nolle; locum Aug. tanquam luculentissime sibi faventem ex libro de Spiritu & littera producunt: ubi causam quærens Aug. unde voluntas seu volitio oriatur, an ex libero arbitrio se huc illuc flectente, an aliunde: *Liberum*, inquit, *arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali illa media via est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec ipsam voluntatem, quæ creavit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; ipsando tamen vocante Deo fuerit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.* Ex quibus verbis illam indifferentiam voluntatis, quam cum gratia sua congrua vel sufficiente copulant, sub adjutorio gratiæ remanere contendunt: ut videlicet gratia prævenies, det solum modo voluntati posse, si velit. Hic vero si tantillum vigilassent, advertissent profecto, hæc esse verba doctrinæ Pelagianæ potius Semi-Pelagianæ, quam ipse ante Episcopatum tenuit. Nam ista verba sibi ipse Aug. ventilanda proponit, ut audita repugnantium Pelagianorum sententia, veritas tandem evidentius tradereter. Quod late & à fundamentis alibi tradidi-mus; hîc quia res perspicua est & certa, dicto tantum animadvertere sufficiat. Primũ, quod cum Aug. hæc ipsa, quibus se recentiores bene munitos putant, verba discutienda proponeret, hâc loquendi formâ utebatur: *Prius igitur illud dicamus*, EX VIDEAMVS, VTRVM HVIC SATISFACIAT QVÆSTIONI; *quod Liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore &c.* & subjungit omnia ipsissima eadem verba, quæ recentiores velut Aug. doctrinâ arripuerunt. Secundum, cum verba ista prolixe ventilasset ne quis per eleganiam sibi ab Aug. solutionem doctrinamque Catholicam Episcopaliter datam esse crederet, tandem finita disputatione ad solutionem accedens: *Hæc*, inquit, *disputatio, si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat. Si autem respondetur, cavendum esse &c. attendat & videat, non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est.* Vbi eadem verba repetit, quæ à Pelagianis objecta, & à recentioribus tanquam Aug. arrepta fuerant. Si Aug. de lectorum suorum sanâ sollicitus intelligentiâ ex professo præcavere studuisset, ne quis verba illa objecta tanquam sua arriperet, & Pelagianam doctrinam earum cortice propinatam imbiberet, non potuisset manifestius objectionem à solutione, disputationem à assertione, falsam doctrinam ventilatione discussam à subjuncta refutatione discernere. Quid enim est illud, *videamus utrum satisfaciat*, quam non dari solutionem sed proponi quæstionem? Quid rursum illud, *Si hæc disputatio quæstioni solvendæ sufficit, sufficiat*, quam disputationem non assertionem fuisse traditam? Quid denique illud: *Si autem respondetur cavendum &c. Attendat & videat, non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam &c.* quam propter illam causam, disputationem istam solvendæ quæstioni non sufficere, sed aliam esse quærendam? quam etiam statim sequentibus verbis accurate tradit.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Tertia quædam totius sententiæ recentioris istius basis est, quam adversus omnes adversarios velut inexpugnabilem clypeum objicere solent; Locus iste videlicet Apostolicus: *Qui vult omnes homines salvos fieri &c.* Nam ex isto adversus communem Aug. expositionem explicato, quod Deus omnes omnino homines nemine excepto velit salvos fieri, si & ipsi velint, desiderium istud salutis omnium tribuunt Deo, & ex illo desiderio, gratiam sufficientem universis hominibus impertiri volunt, eamque talem, cum qua possint credere, operari, perseverare, si velint: utut iste locus sic expositus, universam pene ipsorum doctrinam videatur continere. Hanc igitur expositionem ut Aug. ex omnibus illis tribus partibus consentire demonstrent, omnes aut pene omnes istius sententiæ recentiores unanimiter sibi gratulantes putant, tandem Aug. quintumvo, aliis locis tam duras expositiones istius loci decerpit, in istam sententiam & explicationem concessisse. Dicit enim in libro de Spiritu & littera, inquiunt: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo se bene vel male utentes justissime judicari sciat.* Quod nihil sane est aliud, quam quod ipsi dicunt: Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est, seu, si & ipsi libero suo arbitrio velint. Itaque *tandem* Aug. *hanc expositionem secutum esse*, Suarez gloriatur, tantumque Doctorem tanquam sibi in hac expositione tandem faventem, diligenter notant, Lessius, Molina, A Lapide, Bellarminus.

Vide late lib. 3. de grat. Christi, salvat. &c.

Lib. de Spir. & lit. c. 33.

Suarez lib. 4. de prad. c. 1. Less. de prad. sect. 6. Molan Concord. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. Cornelius à Lapide in 1. Tim. 2. v. hoc bonum. 1. 2. v. omnes homines. 1. Bell. lib. 2. de grat. & lib. arb.

Sed his aberrasse non contenti, tertio æquè infausto sidere etiam istum locum sibi in subsidium rapuerunt. Nam & iste in eodem loco ventilandus proponitur, non resolvitur; doctrinamque

ctrinamque puram putam Pelagianam continet, quam Augustinus & in eodem loco, & alijs pluribus, refutavit. Quod qui pluribus ostensum sibi velit, legat ea quæ ex professo de hac re scripsimus, cum de Semi-Pelagiana hæresi & de modo operandi gratiæ tractaremus. Hic tantum animadvertat Lector, locum totum in eadem quam paulo ante diximus, ventilatione non asseri sed in favorem adversarij disputari, ut in sequenti capite, vera totius difficultatis solutione allata resolvatur.

Lib. 1. de har. si Pel. c. 15. & lib. 2. de grat. Christ. Silv. c. 30. late.

Vt vero omnibus modis offenderent isti recentiores, quanto pere sibi sententia Massiliensium à Pelagianis derivata rationi consentanea videatur, tertio lapsui etjam quartum addiderunt, in re perinde capitali, à qua tota gratiæ medicinalis natura dependet. Nam ut persuadeant, veram Christi gratiam non alium habere operandi modum, quam ipsi gratiæ suæ sufficienti & congruæ tribuunt, ut Deus videlicet voluntatem eâ gratiâ præparatam exspectare dicatur, & ab ejus tandem nutu pendeat indifferente velle vel nolle, locum ex quæst. 2. lib. 1. ad Simplic. sibi summopere, nec immerito, favere judicarunt. Sic enim ibid. Aug. ait: *Aliter Deus præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus. Vt velimus enim & suum esse volunt & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè vivere.* Ex quo conficiunt, gratiam esse talem, quæ mentem quidem excitet, consensus tamen nostræ libertati committatur, prout ipsi hoc intelligere solent. Sed etjam iste locus ab Aug. pro tuendo quoquo modo errore, quo ante Episcopatum laborabat, disputando profertur, & in eodem loco refutatur. Continet enim Semi-Pelagianum errorem, quo nondum Episcopus factus putabat primam voluntatem credendi, non aliter esse à Deo, nisi quia præcederet præconium veritatis, sive ut hic loquitur, quia vocabat; voluntatem vero *sequendi nostram* esse, & nostræ libertatis, ita ut non peculiari gratiâ à Deo donaretur. Quod postmodum Deo revelante peritior detestatus est. Vnde in eodem loco, unde objecta verba avulsa sunt, error istis verbis implicatus refellitur. Quod qui perspicue intelligere velit, & objectionem Semi-Pelagianam loco Catholicæ doctrinæ arrepram esse non dubitet, legat ea quæ fusè & ex professo de isto loco alibi diximus.

Suar. & lib. 3. de auxil. c. 9. n. 6. Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 11. Liss. de grat. effi. c. 8. n. 6.

Aug. lib. 1. q. 2. ad Simp.

Vide lib. 2. de grat. Christ. Salvat. c. 30. late.

Et istas quidem tam enormes, & capitales hallucinantis mentis aberrationes, quis talibus viris crederet obvenire potuisse? Quis cum acciderint, non exhorresceat, ad illud doctrinæ recentioris ædificium, quod talibus fundamentis tam generalibus & per universam gratiæ Dei materiam sese diffundentibus impositum fuit? Cùm enim omnia ista principia, quæ Aug. esse opinâtur, ex diametro Augustinianis adversentur, ut quod ille naturâ, hi gratiâ vocent; quod ille *adjutorium quo*, isti *sine quo non*; quod ille *sine quo non*, isti *quo*; quod ille per gratiam, hi per liberam voluntatem fieri; quod ille errores, isti Catholicâ ac traditam ab Aug. doctrinam putent; quis terram cælo misceri, & universam eorum doctrinam inexplicabiliter perturbari miretur? Sed malo Christiano prudenti Lectori hanc ataxiam, in quam viri docti & boni ex rei obscuritate ac difficultate imprudentes lapsi sunt, silentio potius perpendendam & gemendam relinquere, quam verbis asperioribus exaggerare.

NOTA LXXX.

Disputationes istas arbitrantur fieri citra periculum lædendæ fidei.

AD postremũ cùm animadverterent Massilienses sese Aug. & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate ad deponendas periculosas opiniones suas posse premi, quæstiones istas esse subtiliores, ac citra Catholicæ fidei læsionem tuto agitari posse dixerunt. Vnde Prosper Augustino: *Ac primum quia plerique non putant, Christianam fidem hâc dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, pateaciat.*

Prosp. in Epist. ad Aug.

Ne quid perfectam similitudinem deficeret, etjam illud novis istis opinionibus libere tuendis velum prætexitur. Putant enim in omnibus illis, quibus à ceteris in hoc argumento dissentiunt magnam esse relictam à veteribus opinandi, disputandique libertatem, tanquam à quibus nihil adhuc definitũ sit. Itaq; Lessius quodam loco, cum in ijs quæ expresse definita sunt, Catholicos Doctores convenire dixisset; *tamẽ*, inquit, *in nonnullis subtilioribus adhuc est controversia, quæ ante viginti annos non parum in Belgio, deinde in Hispania multorũ concertatione vigut.* Sub quibus subtilioribus capitalia illa comprehendit, quibus Christi medicinale adjutorium ab adjutorio primi hominis distinguitur, ceteraque omnia, quæ tantâ virium contentione de gratia & prædestinatione ventilantur. Quorum pleraque per antiquitatis incuriam aut imperitiam apud recentiores obliterata, jam olim accurate definita sunt. Et alibi *scholæ disputationem* vocat utrum gratia prius naturâ influat in opus, quam voluntas. Et quæcumque in scholis de hoc argumento tanquam nova vel periculosa redarguuntur, mox juxta illud vulgatũ Celestini Pontificis *ad profundiores & difficiliores partes occurrentium quæstionum pertinere*, contendunt, *quas sicut non audebat ille contemnere, ita non necesse habebat astruere.* Sub quibus profundioribus occurrentium quæstionum partibus, longe aliud comprehendisse Celestinum, nos alibi declaravimus. Et de prædestinatione loquens: *Repudianda potius essent hujusmodi principia, ex quibus talis ratiocinatio ducitur, quam quies animi perdenda,* CVM AB ECCLESIA NIHIL HIC DEFINITVM SIT.

In Epist. de div. libri ac grat. efficac.

Lib. de grat. effic. c. 10. n. 7.

Vide Lessium ibid. c. 15. n. 4.

Eadem Lessius in præfat. ad Lector libri de prædest.

Et hæc sufficient, arbitror, ut quæ sit inter Massilienstum & Scholasticorum istorum sententiam discrepantia & convenientia, dignosci possit. Legat, ponderet, judicet Lector Christianus: Et ita Massilienses caveat, ne forte specie doctrinæ subtilioris, per ambages unde egressus fuerit, revertatur.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS LIB. ET CAP. TOMI TERTII

De gratia Christi Salvatoris. LIBER I.

CAP. 1. Partitio dicendorum & ordo sequentium disputationum. 9

2. Notio liberationis arbitrij. Causa eius efficiens non est naturalis possibilitas liberæ voluntatis, sed gratia. 10

3. Nomina diversa gratiæ ex hoc effectu tracta. 13

4. Arbitrium per gratiam liberari debet, ut operetur actus, non solum supernaturales, sed etiam moraliter bonos. 15

5. Virum aliquid possit arbitrium suis naturalibus viribus, ad hoc ut gratiam illam adipiscatur. Facienti quod in se est per naturæ vires, non datur ex alijs iuxta stabilem legem gratia. 17

6. Transitus à natura ad gratiam generaliter dictam. Divisio eius generalis: multiplex genus legis ac doctrinæ. Explicetur status causæ. 23

7. Gratia divinæ legis ac doctrinæ arbitrium liberare non potest, ut velit & operetur iustitiam. Causa rei istius datur: & profertur primus effectus legis dare cognitionem peccati. 27

8. Secundus effectus legis, reddere præcepti observationem difficiliorem sine gratia, propter incrementum concupiscentiæ. 33

9. Tertius effectus legis, graviorem iram asserre, arctiusque concludere hominem sub peccato. 37

10. Explicatur modus quo lex facit abundare peccatum, & iram operatur. 41.

11. Aperitur mysterium divini consilij, quo legem tulit, quæ non nisi prævaricationem & iram operatur. 43

12. Lex Pædagogus ad gratiam per terrorem: est & gratia testimonium, & quomodo. 50

13. Quo pacto lex ad hominis iustificationem & legis implementum à Deo ordinata est. 53

14. Lex virtus peccati, & iram operatur, & in singulis hominibus etiam Christianis, & in toto populo Dei, qui instar unius hominis eruditur in quatuor statibus, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. 55

15. Quæ fuerit radix talis œconomiæ populi Dei, quantum ad legem & gratiam. 59

16. Eadem via cuiuscunque doctrinæ, revelationis, scientiæ, sapientiæ, quæ legis, ad liberandam voluntatem. Opus inde proficiscens est opus naturæ, non gratiæ. 63

17. Aperitur hallucinatio cuiusdam recentioris, qui cogitationes congruas etiam naturales, illam veram gratiam Christi ad operandum statuit. Quid ab errore Pelagiano discrepet. 67

18. Vera & fundamentalis ratio cur nulla doctrina, vel revelatio, vel cogitatio, congrua liberare possit arbitrium: ex termino à quo, & ad quem liberationis petita. 73

De gratia Christi Salvatoris LIBER II.

Qui est de vera voluntatis gratia, quantum ad operandi modum. 79.

CAP. 1. Gratia voluntatis alia sanæ alia ægrotæ. Cardo disputationis inter Ecclesiam & Pelagianos. De gratia medicinali contra vulnera naturæ inflicta. 79

2. Idem ostenditur ex alijs variis capitibus. Nomina gratiæ inde derivata. 90

3. Discrimen gratiæ sanitatis & medicinalis à recentiorum notitia valde abstrusum, & quare. Iaciuntur fundamenta discriminis, libertas arbitrij ante peccatum, & captivitas post peccatum. 93

4. Affertur ex Augustino ac declaratur discrimen adiutorij sanæ voluntatis & ægrotæ, hoc est adiutorij sanitatis & medicinalis, seu adiutorij sine quo non, & quo. 97

5. Inferuntur duo corollaria quibus accuratius declaratur discrimen dupliciis istius adiutorij. Rejiciuntur lex, scientia revelatio, remissio peccatorum, gratia sufficiens, habitualis, congrua, efficax recentiorum extra limites adiutorij medicinalis Christi 103

6. Idem discrimen probatur secundo ex effectibus qui ex illo duplici adiutorio in Adamo ante & post lapsum, in Angelorum & hominum salvatione consecuti sunt. Proferuntur tres effectus istius diversitatis. 111

7. Profertur quartus effectus illius diversitatis, 113

8. Profertur quintus effectus eius. 117

9. Idem discrimen eademque natura gratiæ Christi probatur tertio ex differentia adiutorij possibilitatis, quod Pelagiani confuderunt, & voluntatis atque actionis, quod horruerunt. 121

10. Responsio quædam Neotericorum refellitur. 125

11. Probatur quarto ex horrore, quo Pelagiani adiutorium voluntatis & actionis aversati sunt. 129

12. Quinto ex errore Massilienssium, qui licet adiutorium possibilitatis, & sine quo non, defenderent, tamquam gratiæ Christi destructores damnati sunt. 131

13. Ex præcedentibus infertur genuina declaratio multarum phrasium ac doctrinalium decisionum Augustini, Prosperi, Fulgentij, Concilio-rum Ecclesiæ, & Pontificum. 135

14. Adiutorium gratiæ Christi esse revera tale quale hactenus declaratum est ostenditur diversis aliis modis; & sexto quidem ex eo quod faciat ac donet velle & operari, & omnia merita. 141

15. Ostenditur tribus argumentis non esse satis quod gratia habitualis aut qualibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei; & non meritum liberi arbitrij & humanum ab Augustino damnatum: sed quod

debeat esse gratia actualis dans operationem & meritum. 147
16. Idem ostenditur quarto ex natura gratiæ ad singulos actus necessariæ, quæ ex diversis capitibus ostenditur non esse habitualis, sed actualis inspirans etiam iustis habitualiter velle & operari. 151
17. Idem ostenditur invictè iuxta doctrinam S. Augustini ex precibus Ecclesiæ quæ actualem motionem dat ricem voluntatis & operationis implorant. 157
18. Eandem doctrinam Romani Pontifices tradunt, & Ecclesia tota profitetur. 167
19. Eadem actualis gratiæ seu motionis necessitas ad singulos actus, ostenditur ex diversis aliis locis Augustini. 171
20. Idem ostenditur ex illis August. & Hieronymi locis, ubi ex professo de gratia ad singulos actus necessaria disputatur cum Pelagio: & ex ipsa professione. 175
21. Concluditur argumentum capitis decimi quinti inchoatum, atque ostenditur non esse gratiam habitualem, vel aliam quancumque in operandi modo ei similem, illam Christi gratiam quæ inspirat ac donat velle agere, opus meritū &c. 183
22. Ostenditur eadem natura gratiæ medicinalis Christi, septimo ex orationibus Ecclesiæ, quibus ipsa voluntatis determinatio à Deo poscitur. 187
23. Ostenditur octavo ex eo quod post lapsum nihil omnino boni in homine, vel ab homine esse potest, nisi donetur à Deo, etiam ipsa suæ voluntatis bona determinatio: nec in ullo laudari nisi in solo Deo. 189
24. Nono natura gratiæ medicinalis generaliter demonstratur exorto proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet. 197
25. Decimo eius efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prorsus effectu careat, sed eum in omnibus quibus datur infallibiliter operatur. 203
26. Declaratur ratio diversitatis phrasium quibus utitur Augustinus, opus bonum olim voluntati tribuendo, nunc gratiæ. 209
27. Duobus scrupulis occurritur, quomodo nulla Christi gratia effectu careat: itemque cur Augustinus loquatur de sola gratia efficaci, non sufficiente. 211
28. Transitus ad argumentorum solutionem. Solvitur primum, quo discrimen gratiæ stantis & lapsæ naturæ directè tollitur, quantum ad operandi modum. 213
29. Solvitur secundum quo similiter tollitur illud discrimen, substituendo pro adiutorio medicinali gratiam habitualem, excitationes, protectiones, concursum generalem ordinis supernaturalis. 215
30. Solvuntur duo loca Augustini ex libro de spiritu & littera, in quorum utroque recentiores obiectionem errantium cæperunt pro solutione Augustini. 219
31. Solvitur alius locus ex libro primo quæstione secunda ad Simplicianum, ubi similiter hallucinati sunt. 225
32. Solvitur difficultas de vocatione congrua ex eadem quæstione secunda ad Simplicianum. 229
33. Alia difficultas tollitur ex duobus æqualiter tentatis ex libro duodecimo de Civitate Dei. 237
34. Explicantur alia quædam quæ ex Augustino proferuntur quod velle, & nolle, consentire ac dissentire sint propriè voluntatis; quod sint nostra; quod habere dona Dei sit accipientis & habentis &c. 243

De gratia Christi Salvatoris

LIBER III.

Qui est de gratia sufficienti.

CAP. I. Tangitur natura adiutorij sufficientis, & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit. Hoc enim repugnat multis principijs Augustini & Ecclesiæ. 249
2. Adiutorium pure sufficiens ad gratiam naturæ pertinet: lapsorum reparationi inutile & perniciosum, in quo sita sit lasio liberi arbitrij. 255
3. Quam monstrosa sit gratia sufficiens prout a recentioribus explicatur & quare excogitata. Gratiæ congruæ authores non nisi sufficientem habent, sublatoque peccato Originali naturam liberi arbitrij integram & illæsam inducunt. 259
4. Ex natura gratiæ Christi ostenditur, nonnullis dari sufficientem gratiam iuxta sensum Recentiorum, qui conantur directe contrarium eius persuadere, quod Augustinus de lege & gratia sufficiente. 263
5. Iudæis lex data est, & Christianis plurimis præcepta dantur sine ulla gratia sufficiente aut adiuvante. Probatur hoc multis modis & ostenditur illam gratiam repugnasse scopo legis. 267
6. Quis fuerit status veteris testamenti & hominum sub eo viventium fuse declaratur. 277
7. Non affuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem vel ullum præceptum eius. 285
8. Status veteris testamenti figurativus & Propheticus non afferebat Iudæis gratiam sufficientem sed potius impedientem. Quanta fuerit in Iudæis servitus & ignorantia gratiæ & authoris eius. 289
9. Status veteris testamenti, ut talis non erat iustitiæ & salutis, sed potius peccati & mortis. Paucissimi iusti sub illo testamento, & gratia sufficiente muniti. Gratia illa sub natura & lege continetur. 294
10. Excæcati & obdurati carent gratiâ sufficienti, quâ videant & moveantur ad bonum. 301
11. Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tam proximâ quam remotâ & omnibus principijs eius. 305
12. Infideles non habent gratiam sufficientem ordinis naturalis. Gratia sufficiens infidelium à Semi-Pelagianis excogitata. 321
13. Proponuntur duo argumenta pro asserenda gratia sufficiente. Disseritur fuse de possibilitate, & impossibilitate præceptorū Dei. Esse quandā voluntatis infirmitatem, quâ non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec spiritus orationis, quo vires impetrentur. 325
14. Idem nodus, quomodo talibus præceptum sit possibile etiam à Scholasticis solvendus est. Augustinus & Apostolus eo constricti, nunquam aliter solverunt, nisi quia gratia est quæ negatur peccatori, & iustitia quæ punitur. 331

Multis

15. *Multis modis præcepta dicuntur possibilia etiam sine gratia sufficiente. Quænam impossibilitas excuset peccantem, & quæ non: ex quibus solvuntur duo argumenta capite decimo tertio proposita.* 337
16. *Locus Augustini exponitur ubi dicere videtur, quod Pharaoni* non imputabatur *quod* obdurratus obtemperare non poterat. 349
17. *Non frustra dantur præcepta, consilia, exhortationes, correptiones iis qui gratia sufficiente destituti sunt. Absurdum quod homini post lapsum Deus illam gratiam debeat, & quare.* 352
18. *Solvuntur quædam Scripturæ loca quæ pro asserenda gratia sufficienti proferuntur, ut* Quid debui ultra facere vineæ meæ &c. *&,* Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. 361
19. *Quomodo Deus neminem deserit nisi deseratur.* 365
20. *Exponitur locus Apostoli:* Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 369
21. *Quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus & mortuus.* 380

De gratia Christi Salvatoris
LIBER IV.

Quid est gratia Christi, quantum ad essentiam & divisiones ejus.

CAP. I. *Quid sit medicinale Christi adiutorium secundum substantiam. Esse cælestem suavitatem seu* delectationem *iuxta mentem S. Augustini, ostenditur primo ex Scripturis quibus ipse utitur, & aliis diversis eius testimoniis.* 393
Idem ostenditur.
2. *Secundo inductione, seu enumeratione cuiusvis generis bonarum operationum voluntatis, ad quas eam prærequirit Augustinus.* 399
Idem probatur.
3. *Tertio ex contrario, hoc est, ex peccatis quæ ex simili delectatione terrena, tanquam ex causa proficisci traht.* 404
Idem demonstratur.
4. *Quarto ex lucta duarum delectationum terrenæ ac cælestis, quarum posterema nisi vicerit, peccatur.* 407
5. *Eadem lucta & victoria cælestis delectationis uberius declaratur, ex libris quos ex professo contra hostes gratiæ scripsit.* 408
6. *Nomen* VICTRICIS DELECTATIONIS *inde tractum, atque impositum gratiæ medicinali Christi.* 411
7. *Delectationis necessitas oritur* ex infirmitate *voluntatis, quâ fit ut nihil boni amplecti possit nisi delectet.* 415
8. *Quinto ostenditur delectationem esse veram gratiam Christi ex adiutorio perseverantiæ in hac vita & impeccabilitatis in cælo. Epilogus probationum præcedentium.* 420.
9. *Necessitas delectationis cælestis ad bene volendum & operandum non ex natura voluntatis, sed ex eius pœna proficiscitur.* 428
10. *Inferuntur corollaria, quibus multa principia sancti Augustini de libero arbitrio, & potestate bene operandi & similibus declarantur.* 432
11. *Delectatio ista cælestis, secundum Augustini mentem, est actus vitalis & indeliberatus animæ: & quidem amoris ac desiderij, præcedentis consensum, ac delectationem illam, quæ & quies animæ & gaudium dicitur.* 435
De gratiæ divisionibus
12. *Tres divisiones gratiæ afferuntur. Quid sit gratia præveniens.* 444
13. *Quid sit gratia consequens seu subsequens.* 452
14. *Declaratur uberius natura gratiæ prævenientis & consequentis ex Prospero, Fulgentio, & ex Concilijs Arausicano ac Tridentino.* 455
15. *Quid sit gratia operans & cooperans, iuxta Augustinum & Fulgentium.* 459
16. *Quid sit gratia excitans & adiuvans.* 463
17. *Sensus multorum Scholasticorum in explicandis gratiarum divisionibus à sensu Patrum quam diversus sit.* 468
18. *Gratia præveniens, subsequens; operans, cooperans; excitans, adiuvans; generalius quandoque usurpantur à Patribus sensu tamen etiam à Neotericis diverso.* 471
19. *Gratia præparans voluntatem quid sit, & quomodo secus ab Augustino quam à Scholasticis quibusdam intelligatur.* 475

De gratia Christi Salvatoris
LIBER V.

Qui est de effectibus gratiæ Christi.

CAP. I. *Transitus ad effectus gratiæ medicinalis Christi. Gratia Christi tantummodo ad diligendum in cuiusvis præcepti impletione Deum, necessaria est.* 484
2. *Quomodo sit intelligendum, quod sola gratia qua diffunditur charitas in cordibus nostris, sit gratia qua Deus operatur in nobis velle, & operari, & præceptorum omnium impletionem. Et quæ doctrinæ istius radix sit.* 488
3. *Virtus non est aliud nisi amor Dei. Ostenditur ex diversis principijs.* 494
4. *Virtutes Cardinales Amor Dei quadruplex.* 502
5. *Etiam ceteræ virtutes quidam affectus sunt dilectionis Dei. Ostenditur hoc de virtute Religionis.* 511
6. *Idem declaratur in virtutibus Theologicis. Et primo in fide ex diversis Augustini principijs & locis.* 511
7. *Dilectio ista ex qua nascitur fides, charitas imperfecta est, & quo sensu.* 514
8. *Idem de spe ostenditur.* 520
9. *Spes Christiana non erit ex amore concupiscentiæ, sed genuina Charitatis.* 521
10. *Charitati gratis diligenti Deum non repugnat respectus mercedis aut retributionis.* 527
11. *Quid sit opus fieri* SICVT OPORTET, *iuxta sancti Augustini, Concilij Arausicani, ac Tridentini phrasin.* 532
12. *Ostenditur, Scholasticos Doctores multum hallucinari de operibus quæ fiunt, vel non fiunt* SICVT OPORTET. 538
13. *Timor gehennæ secundum se consideratus licitus, bonus, rectus est.* 542
14. *Timor pœnæ initium sapientiæ externum, qui ab ipsa sapientia, id est charitate excluditur.* 546

15. Timor pœnæ ex gratia quadam generali, non ex illa propriè & stricte dicta gratia Christi nascitur. 548
16. Occurritur obiectioni; & ostenditur eandem esse rationem de quolibet timore pœnarum etiam gehennæ. Nascitur ex amore creaturæ & sui. 554
17. Amplius declaratur, timorem pœnæ non esse ex Christi gratia, quia facit iustitiam inde natam, ex lege, & justitiam nostram, non ex Deo. 556
18. Vberius ostenditur ex Augustino, timorem pœnæ & opus ex isto timore factum non esse ex gratia Christi, sed naturæ viribus suppositæ fide. 558
19. Ex puro timore pœnæ non potest ita fugi peccatū, ut nullum aliunde peccatum incurratur. 560
20. Ne quidem ex timore gehennæ. 562
21. Radix prima istius doctrinæ, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit invitus & animo repugnanti fugit, ideoque non fugit peccatum sed aliud quidpiam. 566
22. Secunda radix, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor iustitiæ. 572
23. Radix tertia, quia timor pœnæ ab amore iustitiæ disiunctus, nascitur ex amore sui ipsius, quatenus in creatura ultimo requiescit. 580
24. Iustitia ex timore pœnæ, est iustitia ex lege & nostra, quam Apostolus arbitratus est detrimentum ac stercora. 584
25. Repugnat magnopere Augustino doctrina qua docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, seu attritione quorundam Scholasticorum excludere posse omnem peccandi voluntatem, & continere propositum bonæ vitæ seu servandi totam legem Dei, itemque esse dispositionem sufficientem ad iustificationem cum Sacramento obtinendam. 586
26. Concilium Tridentinum isti doctrinæ multis locis adversatur. 590
27. Multi fructus timoris pœnæ recensentur, ex quibus veritas doctrinæ à Concilio Tridentino de timore pœnæ traditæ patescit & confirmatur. 594

De gratia Christi Salvatoris
LIBER VI.
Qui est primus de libero arbitrio

CAP. I. De nomine liberi arbitrij & voluntatis. 609
2. Liberum opponitur servo, captivo, dominationi alterius subiecto. Est esse inalligatum, inimpeditum &c. 610
3. Liberum aliquid positivum sonat. Esse dominum, esse sui iuris, esse in potestate nostra, esse gratia sui. 614
4. Quid sit esse in nostra potestate, seu actum habere in potestate, iuxta Augustinum. 618
5. Omnis voluntas quomodo sit in potestate, & libera. 622
6. Duplex necessitas Augustino, coactios & simplex seu voluntaria. Illa, non hac repugnat libertati. 628
7. Idem ostenditur ex libertate Dei. 636
8. Item ex libertate beatorum hominum & Angelorum. 638
9. Ex libertate Christi Domini. 646
10. Idem ostenditur ex voluntate fruente summo bono clare viso, iuxta principia Augustini. 648
11. Idem probatur iuxta principia propria Scholasticorum. 654
12. Eandem distinctionem indicarunt ante Augustinum ac ipso vivente multi, Dionysius Areopagita, Clemens, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius, Seleucienses, Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus. 659
13. Post Augustinum idem docuerunt omnes usque ad Scholasticos, & primo sanctus Prosper & Fulgentius. 662
14. Venerabilis Beda. 666
15. S. Ioannes Damascenus. 667
16. S. Anselmus. 672
17. S. Bernardus. 674
18. Hugo de Sancto Victore. 682
19. Richardus de Sancto victore. 686
20. Magister Sententiarum. 688
21. Alexander de Hales. 693
22. Guilielmus Parisiensis. 694
23. Guilielmus Altisiodorensis. 698
24. Sanctus Thomas. 699
25. Ioannes Scotus. 700
26. Sanctus Bonaventura. 703
27. Henricus à Gandavo. 707
28. Richardus de Media villa. 707
29. Thomas de Argentina. 708
30. Dionysius Carthusianus. 710
31. Marsilius de Inghen. 711
32. Nicolaus de Orbellis & Stephanus Brulefer. 712
33. Gabriel. 713
34. Solvuntur generaliter Scripturæ, Patres & Consilia quæ requirunt indifferentiam ad utrumlibet. 714
35. Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis. 716
36. Explicantur propositiones ex Bulla Pij quintæ: Quod voluntariè fit etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit. Et sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 724
37. Quomodo potentiæ rationales se habeant ad opposita, & actus liber possit esse necessarius. 727
38. Profertur epilogice consensus antiquorum Scholasticorum & Scriptorum usque ad Augustinum. 729

De gratia Christi Salvatoris
LIBER VII.
Qui est secundus de libero arbitrio

CAP. I. Brevis recapitulatio præcedentium, & propositio sequentium. 733
2. Est aliquid, præter nudam facultatem voluntatis, quod actum etiam voluntatis ponit in arbitrij potestate & illud facit velle. 734
3. Delectatio efficit voluntatem & libertatem, hoc est, facit velle & libere velle. 737
4. Libertas Augustino maxime versatur circa finem, & quare. 742
5. Divisiones libertatis, in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria. Item in libertatem à peccato, & à iniustitia. Quomodo se habeant ad veram arbitrij libertatem. 746
6. Quid sit libertas à peccato in Scripturis celebrata, iuxta Recentiores, & Pelagianos, & Augustinum

gustinum, secundum terminum à quo. 753

7. *Libertas à peccato, secundum terminum ad quem est vera & propriè dicta libertas arbitrij ad opus bonum. Fit per charitatem iustitiæ, & delectationem.* 760

8. *Vberius declaratur natura libertatis. Quid sanitas, quid potestas arbitrij? Vnde nascuntur, ortus, incrementum, fastigium libertatis.* 768

9. *Quatuor Corollaria ex istis principijs Augustini declarantur, & in primis quomodo arbitrium liberum erit in cælo.* 772

10. *Triplex liberi arbitrij status, ad bonum, vel malum, & ad utrumque. Vnde hæc restrictio ad unum, vel indifferentia contrarietatis nascatur.* 777

11. *Error Pelagianus est, requiri ad libertatem, indifferentiam ad bonum & malum: sed potest esse libertas destructa ad malum.* 780

12. *Libertas arbitrij, quo sensu tribuenda, & neganda peccatoribus.* 788

13. *Quomodo se libertas arbitij habeat ad libertatem seu indifferentiam contrarietatis, & contradictionis.* 792

14. *Asseruntur quatuor absurda, quæ ex necessitate talis indifferentiæ contradictionis sequuntur.* 798

15. *Aliæ tres absurditates ex ista indifferentia contradictionis consectaneæ aperiuntur.* 804

16. *Quomodo se habeat libertas arbitrij ad amplitudinem, eminentiam, independentiam, immensitatem, & similes voluntatis proprietates.* 808.

De gratia Christi Salvatoris.

LIBER VIII.

Qui est de Concordia gratiæ & liberi arbitrij.

CAP. 1. *Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica & gratia congrua. In quo S. Augustini sententia cum utraque conveniat.* 817

2. *Varia discrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus eius traditur.* 818

3. *Adiutorium Christi determinat, ac prædeterminat etiam physicè voluntatem, ut velis & ardentius velis, & ex quo capite istud accidat.* 822

4. *Conciliatio gratiæ Christi quam Augustinus docuit cum libero arbitrio, iuxta principia Scholasticorum.* 825

5. *Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundum Augustini mentem profertur, & probatur ex querelis Pelagianorum & modo quo ijs Augustinus satisfecit.* 826

6. *Eadem ex alijs diversis locis Augustini asseritur.* 832

7. *Eadem ostenditur ex alia querela Pelagianorum.* 836

8. *Eadem ex libro quem hanc solam ob causam Augustinus scripsit, ad oculum demonstratur.* 838

9. *Declaratur hoc ipsum ex concordia motuum concupiscentiæ, & liberi arbitrij ab Augustino tradita, ex quibus Pelagiani similiter quærebantur liberum arbitrium extingui.* 842

10. *Eandem concordiam gratiæ & liberi arbitrij ad unguem docuerunt discipuli S. Augustini, & in primis latissimè & clarissimè S. Prosper.* 845

11. *Item S. Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius, & Petrus Diaconus.* 848

12. *Sanctus Gregorius, Beda, S. Anselmus.* 850

13. *Sanctus Bernardus, & amici eius duo Hugo & Richardus de sancto Victore.* 852

14. *Magister Sententiarum, Alexander Halensis, Guilielmus Parisiensis.* 854

15. *Sanctus Thomas, S. Bonaventura, Scotus.* 856

16. *Henricus à Gandavo, Richardus de media Villa, Marsilius.* 874

17. *Zozymus Papa, Celestinus, Tridentinum eandem concordiam definierunt.* 860

18. *Epilogus probationum præcedentium.* 864

19. *Redditur vera ratio principij Augustini & aliorum Patrum ad amussim consentanea, cur talem concordiam gratiæ & liberi arbitrij docuerint, nihilque in tradenda libertate curaverint illam indifferentiam & æqualitatem contrarietatis & contradictionis.* 866

20. *Agnovit Augustinus sub gratia & ante gratiam indifferentiam contrarietatis & contradictionis quodam sensu; non tamen tanquam libertatem aut partem eius. Explicatur ista indifferentia conformiter principijs Augustini.* 868

21. *Quomodo differat illa concordia gratiæ & liberi arbitrij ab opinione Calvini?* 878

De gratia Christi Salvatoris.

LIBER IX.

Qui est de Prædestinatione hominum & Angelorum.

CAP. 1. *De nomine prædestinationis. Scripturis & Patribus non est aliud, nisi prædestinare, prædecernere, præstituere.* 884.

2. *Inferuntur ex prædictis quatuor Corollaria. Et in primis quod prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium quam finem, nec magis finem quam medium fusè, quod gloria sit etiam obiectum prædestinationis.* 886

3. *Prædestinatio Dei respicit non solum bonum, sed etiam malum, non culpæ, sed pœnæ. De duplici prædestinatione, ad vitam & ad mortem.* 894

4. *Inferuntur aliquot Corollaria. Iterum de prædestinatione in bono, & malo. Alia duplex prædestinatio, gratiæ & iustitiæ. De prædestinatione simpliciter dicta, & quod respiciat actiones Dei.* 898

5. *Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio, quid in Scripturis & Augustino differant.* 902

6. *Prædestinatio, electio, & discretio, alia gratiæ, alia meritorum. Quid singula sint & respiciant Augustinus olim etiam rectè de gratia sentiens, nullam agnovit electionem gratiæ, & quare. Quid electio iuxta Manichæos.* 904

7. *Definitio prædestinationis gratiæ seu gratuitæ ab Augustino traditæ, nonnihil enodatur. Quænam sint illa beneficia, & illa præscientia, de quibus in ea fit mentio?* 914

8. *Effectus adæquatus prædestinationis gratuitæ est liberatio. Quid illa, & à quibus. Prædestinatio gratiæ facta est præviso peccato non aliter.* 920

9. *Vnde Phrases istæ, Massa, & discretio à massa perditionis, & quid significent apud Augustinum.* 928

10. *Electio, seu prædestinatio gratiæ non habuit in Angelis locum, & quo sensu.* 932

11. *Electio gratiæ in Angelis, ex alio capite destruitur.* 938

12. *Augustinus Angelorum perseverantiam non prædestinatam, sed præscitam tradit, eosque non gratia, sed meritis discretos.* 940

13. *Angeli ad gloriam electi sunt, non electione gratiæ sed meritorum.* 942

14. *Angeli non sunt electi efficaciter ad gloriam, ante prævisionem perseverantiæ, seu meritorum absolutam.* 946

15. *Homines efficaciter electi sunt, non solum ad merita, sed etiam ad ipsam gloriam, ante prævisionem absolutam meritorum: & cur magis quam Angeli. Tres hallucinantium classes, quia radicem diversitatis non agnoverunt.* 948

16. *Breviter perstringuntur quædam Scripturæ, quibus illa doctrina asseritur. Instius soluitur ex Augustino, quo pacto Scriptura Christianos omnes electos & prædestinatos vocent.* 954

17. *Prima probatio istius sententiæ ex variis Augustini locis, quibus generaliter talem voluntatem efficacem electionis ad gloriam, ante meriti præscientiam statuit.* 962

18. *Secunda ex voluntate singulari salutis parvulorum.* 965

19. *Tertia ex voluntate illa, quæ velut radix est gubernationis mirabilis circa adultos.* 966

20. *Quarta ex voluntate illa, quæ veluti radix, & cardo est gubernationis reproborum.* 972.

21. *Quinta ex vocatione secundum propositum.* 978.

22. *Declaratur hoc propositum antecedere omnem præscientiam absolutam meritorum ex prædefinitionibus multorum effectuum liberorum, ante præscientiam absolutam consensus voluntatis.* 982

23. *Sexta, ex querelis Massilienſium.* 986

24. *Solvuntur quædam argumenta ab Augustino petita.* 988

25. *De causa prædestinationis ex parte Angelorum, & hominum, eaque diversa. Cur huic, non illi detur gratia, Quæstio inscrutabilis, origo errorum quibus eius scrutatores lapsi sunt. Quædam de operibus moraliter bonis, & faciente quod in se est.* 992

26. *Numerus Prædestinatorum quo pacto certus, præscientia, an præfinitione, tam respectu Angelorum, quam hominum. Aliqui supra numerum.* 1004

De gratia Christi Salvatoris

LIBER X.

Qui est de reprobatione hominum & Angelorum.

CAP. I. *Quis ordo reprobationis quorumdam Angelorum negativæ & positivæ, ante, an post prævisa merita.* 1010

2. *Quis ordo reprobationis lapsorum hominum.* 1012

3. *Causa reprobationis, secundum considerationem absolutam, est massa damnationis sive peccatum originale, & quo sensu.* 1014

4. *Causa reprobationis, secundum considerationem comparativam, est voluntas Dei.* 1022

5. *Effectus reprobationis damnatio, excæcatio, obduratio: non tamen primi peccati, sive Angelici, sive humani permissio.* 1024

6. *Tria solvuntur argumenta, quibus ista sancti Augustini doctrina de prædestinatione & reprobatione impetitur, quod Deus non videatur esse Salvator omnium hominum: nec Redemptor totius mundi: neque congruè promittere vitam æternam, sub conditione servandi mandata.* 1028

7. *Solvitur argumentum quartum, quo dicitur, Deum insidiari saluti eorum qui reprobati sunt.* 1032

8. *Solvitur quintum argumentum, quo dicitur, hanc sententiam afferre socordiam electis, & reprobis desperationem.* 1036

9. *Solvitur sextum argumentum, quo urgent illam doctrinam tollere zelum animarum, & inutiles facere prædicationes & correptiones. Et utrum scandalum ac dissolutionem vitæ pariat.* 1040

10. *Solvitur septimum argumentum, quo existimatur ista doctrina, non esse divinæ clementiæ consentanea, eo quod reprobos non nisi ad damnationem creare, & conservare videatur.* 1046

11. *Reprobati non tam propter suam, quam electorum utilitatem nascuntur, & conservantur.* 1048

12. *Fructus quos electis afferunt ad tria capita generalia revocantur. Explicatur primus, quod sint ornamentum terrarum, & quo sensu.* 1050

13. *Fructus secundus, ut multis modis doceantur electi. Septem documenta proferuntur.* 1052

14. *Cur tantus numerus reprobatorum præ prædestinatis.* 1056

15. *Tertius fructus, exercitium, & profectus, probatio, & eminentia seu manifestatio electorũ.* 1058

16. *Quo scopo & fructu reprobati misceantur prædestinatis, & iuxta Scripturas, servituti destinati sint.* 1061

17. *Quam conveniens, imo post lapsum necessarius fuerit iste divinæ providentiæ modus* 1064

18. *Ostenditur iniustitia querimonia contra istam sancti Augustini doctrinam.* 1068

EPILO-

Erroris Massilienſium & opinionis quorundam Recentiorum παραλλήλου & Statera.

In qua diſcrimen utriuſque ſententiæ παραλλήλως indagatur, & compluribus notis perſpicuè oſtenditur.

PRÆFATIO.

In quo cauſa, & fructus hujus ſcriptionis; Propoſitio, & partitio dicendorum. 1072

CAPVT I.

Quo pacto in oppugnanda electione hominum, ſeu completa prædeſtinatione diſcrepent, aut conveniant. 1076.

NOTA I. *Vtrique ex horrore prædeſtinationis illius abſolutæ, aliam ſententiam excogitarunt molliorem.* 1077
2. *Naſci ex ea fatum cauſantur.* 1078
3. *Tolli libertatem arbitrij.* *ibid.*
4. *Aſſerri deſperationem.* 1079
5. *Induci ſocordiam, torporem, & ignaviam.* *ibid.*
6. *Studium virtutis retundi.* 1080
7. *Incitari homines ad licentiam ac diſſolutionem vitæ.* *ibid.*
8. *Laudem detrahi operibus bonis.* 1081
9. *Orationes refrigeſcere, aut extingui.* 1082
10. *Spem impetrandi tolli ex incertitudine divini illius propoſiti.* *ibid.*
11. *Exhortationes, & correptiones langueſcere, & auferri.* 1083
12. *Sollicitudinem ac zelum animarum evelli.* 1084
13. *Deum non velle omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* 1085
14. *Chriſtum non pro omnibus eſſe mortuum, nec omnium redemptorem eſſe.* *ibid.*
15. *Deum futurum acceptorem perſonarum.* 1086
16. *Peccata reproborum Chriſtianorum in Deum redire.* 1086
17. *Homines condi, ut pereant.* 1087
18. *Errorem Prædeſtinatianorum verum futurum.* 1088

CAPVT II.

Quomodo in oppugnanda gratia efficaci conveniant, aut differant.

19. *Repudiant gratiam, quæ humanam ſibi ſubjicit voluntatem.* 1090
20. *Ratio repudiandi, quia tum datur, alteri negatur.* 1091
21. *Quia deſtruit libertatem quando datur.* *ibid.*
22. *Quia deſtruit eam etiam cum negatur.* 1092
23. *Quia præceptum ſit hominibus impoſſibile.* 1093
24. *Quia fruſtra erunt præcepta, exhortationes, correptiones.* *ibid.*
25. *Quia naturæ vires nimium deprimuntur.* 1094
26. *Cuncta ſola erit opus orationis.* 1095
27. *Quia abſurdum eſt, ut Deus petat ab homine fieri, quod ipſe Deus per talem gratiam debet facere.* 1095
28. *Quia totum iſti gratiæ tribuitur, nihil naturæ.* 1096
29. *Quia fatalis ſequitur in vitam humanam neceſſitas.* 1096

CAPVT III

Quæ ſit in gratiam ab utriſque traditam convenientia ac diſcrepantia.

30. *Vtrique omnia ſpectra deſperationis, fati, ignaviæ &c. ex magna facilitate conciliandi gratiam & prædeſtinationem cum libero arbitrio facile fugant.* 1098
31. *Statuunt in Deo propoſitum generale reſtaurandi totum genus humanum.* 1099
32. *Cuius baſin collocant locum Apoſtoli:* Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *ibid.*
33. *Auguſtini expoſitiones pariter repudiant.* 1100
34. *Voluntas illa Dei generalis conditionata eſt reſpectu majorum.* 1100
35. *Etiam reſpectu parvulorum qui ſalvantur.* 1101
36. *Item reſpectu eorum qui damnantur.* 1102
37. *Gratiam attemperant iſti propoſito generali Dei, & libero arbitrio hominis.* 1102
38. *Statuunt beneficia remotiora omnibus ex æquo communia, Chriſti mortem baptiſmum &c.* 1103
39. *Beneficia etiam propinqua, gratiam ſcilicet ſufficientem, omnibus effundunt liberaliſſime.* 1103
40. *Gratia quomodo ſufficiens in Adam, Noë, Abraham, Patriarchis, Sapientibus gentilium; in cæleſti machina & creaturis.* 1104
41. *Item in forma Eccleſiæ, & prædicatione Euangelij generali.* *ibid.*
42. *Gratiam actualem internam utrique tribuunt.* *ibid.*
43. *Gratia iſta quantum ad operandi modum eſt adiutorium ſine quo non.* 1105
44. *Dat poſſe ſi velit; non ut velit.* 1106
45. *Quam liberum arbitrium efficacem, vel ineffícacem ſeu caſſam reddere poteſt.* *ibid.*
46. *Eſt ſimilis gratiæ Adami, atq; Angelorum.* 1107
47. *Ea poſitâ Deus expectat voluntatem noſtram, ut purgari velimus.* 1108
48. *Gratia iſta pendet à libero arbitrio, & ab eius nutu, & uſu cauſaliter præeunte, ut influat.* 1109
49. *Cauſa excogitandi talis adiutorij, ne alioquin opus nullius ſit laudis.* 1111
50. *Item ne meritum operibus detrahatur.* *ibid.*
51. *Diſcrepant in operibus moraliter bonis.* 1112
52. *Gratia diſcernens propriè unum ab altero, eſt utriſque natura liberi arbitrij divinitus data.* *ibid.*
53. *Cauſa commendandi iſtam diſcernentem gratiam, ne voluntas alioquin non læſa, ſed penitus extincta videatur.* 1114
54. *Sibi tribuunt initium fidei, credere, deſiderare, orare, &c.* 1115. *Multi-*

55. *Multiplex discrimen. Primum, quod Massilienses initium fidei, & in ea perseverantiam sibi asseriberent: recentiores omnes virtutes. In quo dupliciter gravius Massiliensibus hallucinantur.* 1116.
56. *Secundum, quod illi initium salutis; hi totam suæ potestati vendicent.* 1117
57. *Tertium, quod illi post initium fidei veram Christi gratiam actualem agnoverint; hi nullam.* 1118
58. *Quartum, illi intelligunt veram Christi gratiam cum libertate consistere; hi nequaquam.* 1120
59. *Meritum agnoscunt pariter in initio fidei; illi invicti, hi pulsum.* 1121
60. *Meritum utrique valde deprimunt; sed illi operum cum gratia factorum; hi operum purè naturalium* 1122
61. *Multæ propositiones apud utrosque veræ: Prima:* Gratia non sibi subjicit humanam voluntatem. 1123
62. *Secunda:* Vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deus exspectat. 1124
63. *Tertia:* Sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus &c. nobis misericordia confertur divinitus *ibid.*
64. *Quarta:* Humilitati & obedientiæ humanæ subjungitur gratiæ adjutorium. 1126
65. *Quinta:* Aliqui per liberum arbitrium ad gratiam baptismi venire possunt. 1127

CAPVT IV.

Quid prædestinationi apud utrosque commune; quid proprium.

66. *Vnum Dei propositum in duo dividunt, in conditionatum & absolutum. Hoc postremum concipitur post prævisionem fidei, & meritorum* 1127
67. *Illa fides & merita cum adjutorio gratiæ comparanda sunt.* 1128
68. *Discrimen, quòd Massilienses veram Christi gratiam intelligerent; recentiores non.* 1129
69. *Vtriusque prædestinatio completa est ex præscientia fidei, & meritorum.* *ibid.*
70. *Prædestinatio utriusque retributio.* 1130
71. *Discrimen, quòd aliquid gratuiti involveret Massiliensium electio ad Regnum: Recentiorum nihil omnino.* 1131
72. *Numerus electorum non est eis desinitus ex voluntate, & prædefinitione Dei.* 1131
73. *Prædestinatianorum errorem utrique impingunt adversariis suis.* 1132

CAPVT V.

Quibus utrique armis pugnaverint; quibus gradibus in illam sententiam lapsi sint.

74. *Iisdem rationibus utuntur ad prædestinationem & gratiam suam asserendam.* 1133
75. *Iisdem quoque Scripturis eodem modo explicatis.* *ibid.*
76. *Eodem modo accersuntur in præsidium Græci Patres.* 1135
77. *Magni faciunt Augustinum, uno doctrinæ capite excepto.* 1136
78. *Augustinum tamquam turbarum auctorem accusant.* 1137
79. *Vtrique obiectiones pro solutionibus, & errorem ab Augustino proscriptum pro doctrina Catholica capientes, sententiam suam excogitarunt, & fundarunt.* *ibid.*
80. *Disputationes istas arbitrantur fieri citra periculum ladendæ fidei.* 1144

INDEX RERVM ET VERBORVM
TOMI TERTII.

A

ADAM.

ADam cum plenissimâ libertate ejusque æquilibriali indifferentia conditus. 94. 95. 96. 349. 350. 432. 473. 772. 773. 778. 779. 792. 820. 821. 822.
Non accepit perseverantiæ donum, sed meram perseverandi possibilitatem. 100.
Cur Adamo collatum fuerit adjutorium possibilitatis, relicto *velle* in ipsius arbitrio: homini autem lapso conferatur ipsum *velle* & *operari*? 102. 109. 111. 432. 934.
Adam & Angeli in prima creatione, consimili prorsus adjutorio instructi fuerunt. 111. 112. 114. 432. 937.
Nec Adam nec Angeli absque celestis gratiæ adjutorio perseverare potuerunt. 102. 112. 124. 136. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Nihil boni operari potuerunt absque gratiæ auxilio. 112. 136. 432. 935. 936. 946.
Adam aliquantulo tempore usus est suâ gratiâ in bono perseverans. 112.
Adam nullo vitio proficiente prævaricatus est 91.
Adam priùs deseruit Deum, quam à Deo desereretur. 366.
Adam ad benè agendum non eguit gratia Christi medicinali, sicut nec Angeli. 29.
Adam sui sceleris grauditate possibilitatem boni eam sibi quam posteris ademit. 12. 29. 94. 95. 96. 136. 432. 433. 1012.
Adam per liberum arbitrium stare poterat, prout reipsa steterunt Angeli sancti. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 124. 150. 432. 934. 946.
Adam ante lapsum habuit adjutorium *sine quo non*: non adjutorium *quo*: tam adjutorium possibilitatis, non voluntatis aut operis: & quomodo hæc differant? 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 203. 215. 217. 216. 933. 934.
Ea luculentissimè distinxit Augustinus. 219. 822. 823. 933. 934. 935. 943. 949. 951.
Adam non habuit adjutorium medicinale, sed adjutorium sanitatis: & qualiter hæc differant? 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 104. 105. 106. 108. 109. 110. 111. 112. 115. 119. 203. 215. 259. 430. 933. 934.
Adam in statu innocentiæ: statum & casum, gloriam & damnationem, prædestinationem & reprobationem in sua habuit potestate, sicut & Angeli. 1010. 1011.
Adæ innocenti aut Angelis nusquam Augustinus accommodat illas Scripturas: *Non est volentis neque currentis sed Dei miserentis. Deus operatur in vobis velle & perficere*: & cur? 948.
Quamvis Adam in paradyso ante lapsum meruerit: non est tamen ad Patrem tractus, nec secundum propositum vocatus. 949.
A discrimine adjutorij collati Adamo innocenti ab adjutorio hominis lapsi, totam controversiam de gratia adversus Pelagianos suspendit Augustinus. 81. 91. 92. 93. 94. 480. 487.
Adamo collatum fuit adjutorium subditum nutui & determinationi liberi arbitrij. 95. 96. 97. 98. 111. 203. 213. 215. 432.
Si Deus tale adjutorium hominibus lapsis largiretur quales largitus est Adamo, nullus omnium eo unquam uteretur. & cur? 211. 212. 248.
Gratiam Adami innocentis & hominis lapsi, non satis distinguunt Neoterici penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.
Eatum confusio Semi-Pelagianismum genuit. 126. 131. 133.
Sententiam eas confundentem, Apostolico mucrone proscriptam testatur Augustinus. 123. 150. 152.
Gratia Adamo innocenti collata non fuit merè habitualis, non concursus concomitans causæ primæ nec prædeterminatio physica. 92. 111. 112. 214. 215. 216. 217. 218. 821. 822. 823. 824.
Qui eam in prædeterminatione physica constituunt, totam fidei doctrinæ Augustinianæ vellicant. 826. 827.
Adamo innocenti ultra habitualem gratiam & concursum ei debitum non deerat divina præcessio, directio, & excitatio: quicquid refragentur Neoterici 217. 218.
Permissio lapsus Adami non fuit effectus reprobationis hominum, multò minus ipse lapsus. 1013. 1026. 1027.
Adæ lapsus à Deo prævisus, anterior est hominum prædestinatione & reprobatione. 925. 826. 1018. 1019.
Adam innocens dispari à nobis gratiam habuit. & Latiorem nobis potentior gratia necessaria est, juxta Augustinum. 823.
Adamo perseverante prædestinatio Augustiniana in hominibus locum non habuisset. 945.
Adamo cum posteris in originali sanctitate persistente, ij omnes & soli procrearentur qui modo sunt prædestinati. 1006.
Omnes fuissent tale ut sed electione meritorum, non gratiæ: prout selecti sunt nunc Angeli. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 1006. 1007. 1008. 1009.
Vide Angelus, electio, gratia, liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio.

ADIVTORIVM.

Adjutorium. Vide Adam, Angelus, gratia.

AMOR.

Amor quid? 520. 522.
Amans amantem amato copulat, & utrumque essentialiter respicit. 522.
Amor est vita secunda, motusque vitalis. 522.
Amor Augustino alius est manentius circa finem, alius transitorius circa media. 794.
Amor finis necessariò subinfert amorem mediij. 795.
Amor finis herili potestate dominatur amori mediorum. 795.
Amor mediorum, omnium humanorum affectuum vilissimus est & servilissimus. 796.
Amor creaturarum quantumvis bonarum vi iosus est si in Creatorem non referatur. 545.
Amor justitiæ malam voluntatem in bonam commutat, isque solus. 573. 574.
Ad amorem Dei non nisi per Dei timorem pertingitur. 546.
Amor concupiscentiæ semper oritur ex amore benevolentiæ. 523. 524. 525.
Amor concupiscentiæ erga Deum semper est vitiosus, & cur? 525. 526.
Hinc spes Theologica non ex amore concupiscentiali sed ex charitativo nascitur. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. & seqq.
Solo amore Deus veraciter colitur. 576. 577.
Amoris castitas non violatur expectatione mercedis retributionariæ. 527. 528. 529. 530. 531.
Amor Dei castus nullum usum extra se duci patitur, cujus derivatione decrescat. 524.
Amor Dei an & qualiter peccatoribus cum justis communis? 519.
Amoris ordo necessariò servandus is est, ut nos ipsos & proximos non nisi propter Deum: ipsum verò Deum propter seipsum amemus. 524. 525. 526. 581.
Quando contendus sit quispiam amare se aut proximum propter Deum? 524. 525.
Amare se propter se, non est laudabilis charitatis; sed superbæ vanitatis officium. 581. 582.
Vide Charitas, dilectio.

ANGELVS.

Angeli nec ullum bonum operari, nec in bono in quo conditi sunt perseverare potuerunt absque cælestis gratiæ adjutorio. 102. 112. 124. 136. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Angeli per liberum arbitrium steterunt, non tamen sine adjutorio gratiæ possibilitatis. 113. 114. 115. 186. 124. 150. 946
Adjutorium Angelis collatum ad merendum & perseverandum fuberat potestativo nutui liberi arbitrij, sicut adjutorium hominis integri; cum quo fuit ejusdem prorsus conditionis. 95. 97. 98. 111. 203. 212. 213. 214. 432. 934.
Angelos sanctos utile cæteris amplius adjutos, quo sensu asserat Augustinus? remissivè. 112. 949.
In Angelorum hominumque creatione Deus ostendere voluit primò quid possit eorum liberum arbitrium: deinde quid possit eum gratiæ beneficium, justitiæque judicium. 116. 432.
Angeli non sunt electi aut prædestinati electione aut prædestinatione gratiæ: ed merito. 932. 933. 934. 935. & seqq. usque ad 949.
Contrarium eos endunt plerique recentiores, sed ex Augustini doctrina à constantissima refelluntur. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945.
Angeli omnes in charitate & gratia conditi sunt. 934.
Ulterà gratiam habitualem & virtutes pedissequas habuerunt auxilium gratiæ actualis, non quidem *quo* fieret ut vellent aut perseverarent, sed *sine quo* nec velle possent nec perseverare. 935. 936. 937. 938. & seqq.

Angeli habuerunt in sua libera potestate statum & casum, gloriam & damnationem, electionem & reprobationem. 1011. 1012. 1013.
Angelorum meritum & perseverantia non fuerunt specialia Dei dona: & cur? 935. 936. 937. 938. 939.
Eorum merita juxta Augustinum fuerunt *liberi arbitrij, naturalia, Angelica, sua*: & cur? 935. 936. 937.
Eadem nihilominus gratiæ deputat Augustinus æquè aut magis quam Neotherici merita hominum lapsorum. 936.
Angelorum perseverantiam Augustinus præsitam affirmat: prædestinatam prorsus negat: & cur? 940. 941. 942.
Angelos fuisse prædestinatos in Augustini scriptis nusquam legitur. 945.
Angeli nec ad Patrem tracti sunt, nec secundum propositum vocati. 949.
De Angelis nusquam Augustinus inquirit: cur hunc Deus traxerit, & illum non traxerit: item, cur huic ita suasum fuerit ut persuadetotur, non illi. 949.
Iisdem nusquam accommodat istas Scripturas: *Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei: Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* 948
Angelorum bonorum à malis discretionem non gratiæ sed meritis arbitrij adscribit Augustinus. 942. 943
Angeli non nisi post absolutam meritorum & finalis perseverantiæ prævisionem sunt efficaciter ad gloriam electi: quicquid reniteatur Suarez. 946. 948. 949.
Angelici lapsus permissio non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013. 1026. 1027.
Angelorum reprobatio præsupponit prævisionem demeritorum perinde ac electio prævisionem perseverantium meritorum. (1018. 1010. 1011. 1012. 1013.
Circa Angelos frustra & gratis commentur reprobatio negativa.
Angelorum lapsorum ruinæ, substitutione hominum electorum suppleræ sunt: & perseverante statu innocentiæ, supplendæ fuissent 1007. 1008. 1009.
Angelorum cognitio vespertina apud Augustinum quænam dicatur? 217.
Vide Adam, electio, gratia, prædestinatio, reprobatio.

ARBITRIVM.

Arbitrium quid? & an ad intellectum an ad voluntatem spectet? 608. 609. 610. 611.
Arbitrium liberari quid? & quid ista liberatio? 10. 922. 923.
Arbitrium liberari, in Schola Neotericorum penè inauditum. 9.
Arbitrij liberatio captivitatem pro termino à *quo* respicit, nec absque ejus notitia intelligi potest. 10. 611. 612. 922. 923.
Arbitrij lapsi liberatio præcedere debet omnem bonum ejus usum. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & seqq.
Arbitrij liberatio necessariò præcedit in adultis remissionem peccatorum; unde perperàm à Scholasticis constituitur formaliter in ipsa peccatorum remissione. 9. 10. 103. 104. & seqq. 151. 152. 153. 152. 167. 168. 177. 178.
Arbitrium hominis semper manere liberum ad benè & malè agendum falsò existimant Aristotelico Scholastici. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & seqq.
Arbitrium hominis nondum per gratiam liberatum, ita manere captivum ut nihil boni possit operari, sed sub effrænis concupiscentiæ tyrannide gemat: non intra latitudinem opinionis, sed ut dogma Catholicum, Apostolicum & Evangelicum tradit Augustinus. 16.
Arbitrium hominis liberari nequit per legem, doctrinam, aut ullam gratiam ad merum intellectum spectantem. 27. 28. 29. 30. 31. & seqq. Item 64. 65. 66. 67. 68. & seqq.
Arbitrium sua primæva libertate peccatum induxit: sed pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem. 88.
Vide libertas, liberum.

ARISTOTELES.

Aristoteles hominem liberum definit: qui sui ipsius & non alterius gratiâ est. 614. 741. 797.
Aristotelis Philosophia multorum errorum origo. 9. 604. 606. 882.
Aristoteles Pelagianorum prodromus & patronus. 9. 11. 606.
Aristotelici magis quam Augustiniani sunt qui prædeterminationem physicam ad Angelos viatores & protoplastos innocentes extendunt. 821.
Vri & ij qui positivam indifferentiam ad utrumlibet, libertati faciunt essentialem. 9. 10. 11. 12. 604. 606.
Aristotelica Philosophia quatenus libertatem arbitrij essentialiter adstruit bicornem, cum Pelagianismo proscripta est. 606.
Aristoteles causam voluntariam cum causa libera subinde confundit. 728.
Vide liberum arbitrium, Pelagiani, Philosophia, Scholastici.

ATTRITIO.

Attritio ex pœnarum timore orta à Neotericis plus æquo exolitur. 586. 587. 588. 589. 590. & seqq.
Eam secum asserre propositum emendationis & observationis mandatorum: mirabile paradoxum est, Augustini principijs è diametro adversum. 587. 588.
Non disponit ad justificationem etiam cum actuali susceptione baptismi aut pœnitentiæ. 589 590. 591.
Fundamentum Scholasticorum ex Concilio Tridentino desumptum, evertitur & retorquetur in ipsos. 590. 591. 592. 593.
Frustra pro patrocinio sui paradoxi recurrunt ad D. Thomam aut alios gravioris notæ Scriptores remissivè. 593.
Attritio ista à Scholasticis obtrusa procul abest ab ea quam Concilium Tridentinum ut sufficientem partem pœnitentiæ commendat. 590. 591. 592. 593.
Attritio tamen ex pœnæ timore concepta non est omninò inutilis sed plures affert utilitates: quæ conformiter ad doctrinam Concilij Tridentini recensentur. 594. 595. 596. 597. 598. 599.
Vide Timor.

AVGVSTINVS.

Augustinus in materia de gratia turissimus & fidelissimus Dux, quem omnes metiri sequantur. 599.
Ejus doctrinam servat & sequitur Romana Ecclesia, ipso Ecclesiæ capite attestante. 604
Ejus ingenium ubertinum & solertissimum, Philosophorum quorumcunque ingeniis sublimius. 81. 604.
Omnes disciplinas philosophicas proprio marte absque præceptoris adminiculo perdidicit. 604.
Errorem suum pristinum de initio fidei ex nobis, cœlesti oraculo edoctus mox à baptismate deposuit; quem tamen errorem vix excutere possunt alij post tot Augustini lucubrationes & Ecclesiæ sanctiones. 220. 221. 224. 225. 227. 604. 907. 908.
Augustinus in duobus potissimùm erraverat; primò in fidei initio quod viribus naturæ arrogabat: secundò in electione divina, quam in rebus omninò paribus locum habere pernegabat. 907. 908. 909.
Post depositum priorem errorem adhæsit posteriori, deceptus etymologia vocis *electio*. 908. 909. 910. 988. 989.
Postremum errorem tandem deponit & electionem gratiæ constantissimè asserit. 911. 989.
Ex verbis & sensibus Augustini universos penè canones suos de gratia & libero arbitrio, formavit Ecclesia. 604. 606.
Doctrinam suam de gratia & libero arbitrio, ex Scripturis potissimùm & Ecclesiæ precibus hausit Augustinus. 606.
Augustini ac doctrinæ ejus encomia ex Pontificum verbis contexta. 602. 604.
Augustinum nimia liberi arbitrij depressione modum excessisse ut contrarium Pelagianorum dogma refelleret, calumniantur Neoterici. 599. 600. 601. 602.
In hoc imitantur Pelagianos, Manichæismi notam Augustino & Ecclesiæ per os ejus loquenti, inurentes. 600. 603. 604. 814. 827. 828. 829. 832. 864.
Si Augustino Pelagianos refuranti licuisset liberum arbitrium usque ad excessum mediocritatis deprimere; id nunc liceret ijs qui Scholasticos non minùs libertatem arbitrij extollêtes, quam extollebant Pelagiani impugnant. 600. 602.
Augustinus ante exortum Pelagianismum idem de libero arbitrio docuit, quod post. 600. 604.
Sicut Augustinus astruendo dominatricem gratiam destruebat Pelagium sed non se purgabat à Manichæo: sic hodierni Scholastici astruendo bicornem libertatem, Calvinum quidem jugulant, sed incauti Pelagium induunt. 602.
Augustini doctrina de gratia & prædestinatione vindicatur à calumnijs Massilienſium, eosque imitantium Scholasticorum. 1028. 1029. 1030. & seqq. usque ad 1069.
Augustinus ante Episcoparum adhæsit errori quem postmodum amplexi sunt Massilienses, ipsomet attestante & retractante. 220 221. 224. 225. 226. 258. 351. 358. 907. 908. 909. 910. 918. 989.
Augustinus oppugnando Pelagianos, in gratiæ intelligentia profeciſſe se fatetur. 229.
Quo tempore & qua occasione scripserit librum de Spiritu & littera? 408. 409.

Augustini sensum veraciter indagare & patefacere, unicus authoris scopus. 349. 1070.
Quo sensu asserat Augustinus: *accipere & habere, esse accipientis & habentis*. 246. 247.
Augustinus difficillimam causam gratiæ cum Pelagianis, à discrimine adjutorij hominis sani & hominis ægroti suspendit. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 480.
Semper voluit à Pelagio extorquere confessionem adjutorij voluntatis & operis. 184. 480. 482.
Augustinus adjutorium possibilitatis assimilat alimentis, lumini, navi, pedibus; sine quibus nequit homo vivere, videre, navigare, ambulare: cùm tamen ista actu non præstent nisi quando & quomodo lubet. 110. 173. 255.
Ab Augustini semita procul aberrant recentiores qui adjutorium hominis integri & lapsi non satis distinguunt penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.
Sententiam inter ea non distinguentem, Apostolico mucrone damnatam pronunciat Augustinus. 123. 151. 152.
Augustinus ipse inter ea adjutoria latissimum discrimen constantissimè agnoscit. 219. 822. 823. 933. 934. 935. 943. 949. 991.
Augustinus gratiam cum libero arbitrio sufficienter conciliare se existimat, removendo necessitatem coactionis: quæ sola derogat libertati. 628. 629. 630. 631. & seqq.
Augustino quoad hoc punctum concinunt veteriores Patres; Dionysius Areop. Clemens Papa, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Hilarius, Epiphanius, Macarius, Basilius Seleuc. Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus. 658. 659. 660. 661. 662. 663.
Item recentiores Patres; Prosper, Fulgentius, Beda, Damascenus, Anselmus, Bernardus, Hugo & Richardus Victorini. 663. 664. usque ad 689.
Item Scholasticorum primipili: Magister, Hallensis, Guil. Parisiensis, Alexiodorensis, D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Mediavillanus, Argentinas, Carthusianus, Marsilius; Orbellis, Bruleser, Gabriel. 688. 689. & seqq. usque ad 713.
Augustino difficile semper visum est, auxiliantem Christi gratiam cum libertate arbitrij conciliare. 814. 830.
Augustino ob concordiam liberi arbitrij cum gratia liberatrice à se excogitatam, negari liberi arbitrij crimen affingunt Pelagiani. 600. 603. 604. 614. 624. 628. 629. 630.
Ab Augustino usque ad *Molinam* per tot annorum centurias nemo de Ecclesia ausus fuit concordiam gratiæ & liberi arbitrij ab Augustino assertam improbare, aut in dubium revocare. 814.
Augustini methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij, amplexi sunt: Cyrillus Alexand. Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, Gregorius magnus, Beda, Anselmus, Bernardus, Hugo & Richardus Victorini. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854.
Eandem methodum tenuerunt Scholasticorum Coryphæi: Magister, Halensis, Guil. Parisiensis, D. Thomas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Richardus Mediavillanus, Marsilius. 854. 855. 856. 857. usque ad 860.
Suffragantur Pontifices Zozimus & Cælestinus, cum Synodo Tridentina. 860 861. 862. 863. 864. 865.
Methodus ista Augustiniana à tot proceribus approbata, refertur & approbatur. 826. 827. 828. & seqq. usque ad 845.
Augustinus inter duos extremos errores de gratia & libero arbitrio securus præcedit medius. 93. 601.
Augustinus virea integræ libertatis longè altiùs quam recentiorum chorus extollit: fractæ libertatis ruinas longè humiliùs deprimit. 93.
Augustinus externas vocationes subinde appellat congruas: internam voluntatis gratiam nusquam vocat congruam. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235.
Augustinus ante depositum errorem de initio fidei & electione disparium, gratiam sufficientem asseruit: post correctionem erroris, nusquam. 258.
Augustinus omnem gratiam Angelis & Protoplastis ante lapsum collatam, meritè sufficientem facit: omnem gratiam Christi, efficacem. 254. 257. 258.
Augustinus omnem gratiam hominis lapsi quæ non habet inseparabiliter conjunctum suum effectum, ad legem & doctrinam fortis pulsantem rejicit. 235. 236.
Augustinus censet hominem gratia destitutum non magis posse operari bonum; quam possit cæcus videre, surdus audire, claudus rectè incedere. 81. 91. 92. 93. 94.
Augustinus voluntatem hominis integri constituit Dominam gratiæ sibi obsequentis instar pedissequæ; voluntatem hominis lapsi pedissequam gratiæ Salvatricis. 102. 120. 199. 208. 209.
Augustinus refutando libros Iuliani defunctus. 600.
Vide Adam, Angelus, gratia, liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio, Scholastici.

B

BEATVS, BEATITVDO.

Beatus caret possibilitate odiendi Deum: uti & damnatus, amandi. 733.
Beatus per quid præcisè reddatur impeccabilis: an per visionem, an per amorem? 422. 423. 424. & seqq.
Beatus habet plenissimam libertatem arbitrij, non obstante determinatione ad unum absque ulla indifferentia contrarietatis aut contradictionis. 638. 639. 640. 641. 642. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 714.
Imò juxta Augustini doctrinam nulla est vera libertas nisi beatorum, & legi æternæ constanter adhærentium. 653.
Beatis non est liberum, velle peccare. 613. 614.
Beatorum libertas in exequendis Dei præceptis & consilijs, difficillimè in Scholasticorum principijs salvari potest. 804. 805. 806. 807. 808. 809
Beatitudo æterna Angelis sanctis fuit merces meriti, sicut & hominibus in primæva innocentia perseverantibus fuisset. 114. 936. 942. 943.
Eadem respectu hominis lapsi est vera gratia, non obstante gratioso merito. ibid.
Ab Apostolo appellatur gratia Dei, & cur? 942.
Beatitudinem æternam & electionem ad illam meruerunt Angeli, & mereri poterant protoplasti: non ita homo lapsus. 114. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. & seqq.
Beatitudinis formalis essentiam in nuda Dei visione constituunt quidam Scholastici, non satis consentaneè Augustinianæ doctrinæ. 426. 427.
Eorum opinio ex mala intelligentia verborum Augustini orta est. ibid.
Quid per visionem Dei intelligat Augustinus dum in ea beatitudinem sitam esse affirmat? ibid.
Quicquid ut beatitudinis causa diligitur, diligenti invictè dominatur: nec potest animus non ei servire. 749.
Beatificus amor in seipso libertimus est, & qua ratione? 726. 727.
Beatitudinis adeptione non minuitur sed perficitur arbitrij libertas. 774. 775. 776. 777.
Beati longè perfectiorem arbitrij libertatem habent quam ullus viator sive Angelus sive homo lapsus aut integer: & in quo consistat ista major perfectio? 780. 781.
Beatorum libertas excellentiori modo participat libertatem divinam, quam libertas bicornis viatorum. 778. 779. 780. & seqq.

BELLARMINVS.

Bellarminus gratiam hominis integri & hominis lapsi non satis distinguit. 214.
Concursum Dei supernaturalem cum gratia habituali protoplastorum innocentium, pro adjutorio hominis integri obtrudere conatur. ibid.
Pelagianorum objectiones ab Augustino relatas, pro Augustini verbis arripit; ijsque sua dogmata munire contendit. 218. 219. & seqq.
Errores Augustini primos ab ipso Augustino emendato refutatos, pro genuina Augustini doctrina usurpat: ut hâc ratione Augustinum in suas partes quovis modo attrahat. 224. 348. & seqq.
Gratiam sufficientem paratam à Deo omnibus, etiam infidelibus; adstruit. 304. 305.
Verba illa Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, cum conditione repugnante menti Augustini interpretatur. 369.
Timorem pœnæ à charitate superveniente negat expelli, contra dilucidam Augustini mentem. 546. 547. 548.

INDEX RERVM ET VERBORVM

BENEFICIA DEI.

Beneficia Dei electis præparata per prædestinationem, fusè recensentur & expenduntur. 889. 890. 914. 915. 916. 933. 934. & seqq.

Beneficia illa non sunt adjutoria possibilitatis, sed voluntatis & operis: neque adjutoria *sine quibus non*, sed cum quibus fit illud ad quod ordinantur. 933. 934. 935. 936.

Non sunt beneficia gratiæ sanitatis, sed gratiæ medicinaliter liberantis. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 933. 934.

Ab adjutorio Angelis in sua creatione collato multis modis discrepant. 932. 933. 934. & seqq. Vide prædestinatio.

BONVM.

Bonum spirituale nemini auferetur invito: temporale inviris auferri potest. 367

Sicut bonum spirituale non auferetur invitis, ita nec invitis conferetur. 367.

Deum, quia plenissimè bonus est, nemo invitus amittit: nemo invitus recipit. ibid.

BRVTVM.

Brutum non tam se ipsum ad agendū movet, quam movetur. 716.

Bruta cur non agant liberè, cùm ju ea solidam Augustini doctrinam libertati nihil deroget determinatio ad unam partem contrarietatis aut contradictionis? 722. 723. 725.

C

CALVINVS

CALVINVS impudenter negat hominibus electionem boni aut mali 878.

Negat liberum esse homini resistere gratiæ. 879.

Negat voluntarem hominis gratia prævenram, pedisequali obsequio consentire gratiæ. 879.

Negat virtutem aut vitium esse in potestate hominis. 879. 880.

Non solum per ambages, sed & disertis verbis negat hominem esse liberi arbitrij. 880.

Latinos ob usurpatum liberi arbitrij vocabulum præsumptuosè reprehendit, multòque magis Græcos: vellemque ipsum vocabulum penitus proscribi. 881.

Ejus dogma de hominis arbitrio, à sententia Augustini & Thomistarum physicam prædeterminationem astruentium, procul distat. 878. 879. 880. 881. 882. 883.

Ubi unque Calvinus cum Augustino & alijs antiquis Patribus concordat, non illis ideirco indignandum, sed Calvino potius gratulandum. 606. 878.

Neotericorum quorundam invidiosa querimonia de Augustino tanquam Calvini fautore, retunditur. 606.

Eorundem praxis reprehenditur, quâ ut Calvinum liberi arbitrij negatorem subvertant, Pelagium induunt. 602. 603.

CAVSA.

Causa ab Aristotele dividitur immediatè in naturam & propositum: & quid per hæc intelligat? 728.

Ad ista duo membra reducit causas per accidens, casum videlicet & fortunam. ibid.

Causa ab Augustino dividitur in naturalem, voluntariam, & fortuitam: & qualiter ea divisio divisioni Philosophi consonet? ibid.

Causæ divisio in necessariam & liberam nec est immediata nec in membra repugnantia ibid.

Causæ quadrimembris divisio in materialem, formalem, efficientem & finalem. & qualiter omnes istæ causæ intercedant in arbitrij captivati liberationem? 9. 10.

COECVS, COECITAS.

Cœcus quis dicendus: & à nolente videre, qualiter differat? 302. 303. 304.

Cæco nihil prodest lucis adjutorium, uti nec crurifragium passo adjutorium scipionis. 110.

Eo exemplo ostenditur adjutorium sanitatis & *sine quo non*, nihil prodesse homini lapso ante ullam prius per gratiam medicinalem sanetur vulnus peccato inductum. ibid.

Sicut non potest dici cœcus qui videre potest quantumvis nolit: sic non est dicendus spiritualiter excæcatus qui potest videre quid agendum sit. ibid.

Hinc ex ipso excæcationis vocabulo deducitur carentia gratiæ sufficientis in excæcatis. ibid.

Cœcitas spiritualis longè gravius malum est quam corporalis. 302. 303. 304. 305.

Cœcitatem spiritualem solus Deus removere potest illuminando mentem. 303.

Cœcitatis corporalis & spiritualis analogia. 302. 303 304. 305.

Vide excæcatio, gratia sufficiens.

CHANAAN.

Chanaan nepos Noë à suo avo maledictus. 1063.

Fuit typus omnium reproborum. ibid.

Factus est servus fratrum suorum, sicut & reprobi electorum servituti deputantur. ibid.

CHARITAS.

Charitas, animæ sanitas & plena charitas, plena sanitas. 768, 794.

Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia: charitas magna, magna justitia. 518.

Charitas est sapientia illa, cujus initium est timor Domini. 546.

Charitas nihil aliud est quam bona concupiscentia. 574.

Nullus datur fructus bonus, nisi qui de charitatis radice surgit. 574.

Charitas est arbor bona: cupiditas arbor mala. 610.

Charitas sola peccandi desiderium frænat & extinguit. 36.

Charitas sola vult bonum. 36. 482. 483. 578.

Charitas Augustino est gratia libertatrix arbitrij, imò ipsa libertas. 78. 481. 488. 489.

Charitas & cupiditas sunt duæ generales radices: illa omnium bonorum, hæc omnium malorum. 480. 481.

Charitas Augustino nihil aliud est quam bona voluntas. 481. 610.

Charitas quomodo omnium bonorum radix? 480. 481.

Charitas adeò excellenter bona est, ut Deus mereatur nominari. 481. 482. 83.

Charitas est legis plenitudo, nec absque ea ulla lex veraciter adimpletur. 482. 483.

Charitas est justitia sempiternæ dilectio. 486.

Charitatis impetrio est unica gratia Salvatoris quæ operatur in nobis velle & perficere. 484. 487. 488. 489. 490. 491. & seqq. Item 760. 761. & seqq.

Charitas & cupiditas medio carent. 435.

Cupiditas boni etiam inchoata, est quædam charitas & gratiæ liberarticis effectus. 513.

Charitas vera & sincera in peccatoribus reperiri potest, sed imperfecta. 519.

Charitas pro objecto habet Deum propter se. 519.

Charitas Deum invenit per fidem, & habere desiderat per speciem. 522.

Charitas est radix fidei, spei, & religionis: imo harum virtutum actus sunt formaliter actus charitatis certo modo spectatæ. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. & seqq.

Charitas ex qua nascitur fides, imperfecta est: & quo sensu. 514. 515. 516. 517. 518. 519.

Charitati ex qua nascitur spes non repugnat respectus mercedis aut retributionis. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533.

Nullum opus sit *sicut oportet*, nisi fiat ex charitate. 632. 533. 534. 535. 536. 537 & seqq.

Virtutes cardinales sunt actus charitatis certo modo spectatæ, aliàs non sunt veræ virtutes: idque ostenditur de singulis. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 608. 509.

Charitatis actus qui in peccatoribus reperiuntur an procedant ex habituali aliqua dispositione ipsis peccatoribus inexistente, controvertitur: & ex Augustini principijs concluditur pars affirmativa. 519.

Charitatem non delectat iniquitas etiamsi proponatur impunitas. 485.

Charitas expellit timorem. 546. & seqq. Vide Timor.

CHRISTVS.

Christus qua ratione Redemptor omnium & pro omnibus crucifixus, cùm non omnibus detur gratia sufficiens? 380. 381. 382. 383. 384. & seqq.

Christi sanguis an pro reprobis effusus? 380. 381. 382. 383. & seqq. Item 1028. 1029. 1030. 1031.

Quid de hac quæstione decernat synodus Valentina? 385. 386. 387.

Christus habuit plenam & perfectam libertatem arbitrij, non obstante determinatione ad unum: unde colligitur, ejusmodi determinationem non repugnare libertati. 646. 647. 648. 649.

Christi libertas non facilè salvatur juxta principia Scholasticorum. 804. 805. 806.

CICERO.

Ciceronis de tribus Constantijs dogma perstringitur. 611.

Cicero libertatem definit, *potestatem vivendi ut velis*. 718.

Cicero detestabili argumento, ex libertate humani arbitrij divinam præscientiam destruebat. 626. 627

COACTIO, COACTVM.

Coactio causat involuntarium & illiberum. 737. 743. 744. 832.

Sola coactio repugnat libertati arbitrij. 658. 659. 660. & seqq. Item 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 745. 748. 832. Propositio ista: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali* quo sensu à duobus

à duobus Pontificibus proscripta? 724. 725.
Coactum quid? 732.
Coactum directè opponitur libero seu spontaneo. 743. 832.
Coactio in actus imperatos voluntatis cadere potest: in elicitos non potest. 745. Vide libertas.

COGITATIO.

Cogitatio congrua cujus necessitatem Patres deprædicant, non est nuda cognitio intellectiva, sed simul includit volitionem deliberatam. 69.
Nulla cogitatio est congrua voluntati captivatæ nisi ipsa voluntas fuerit per intrinsecam sibi gratiam liberata & erecta: & cur? 74. 77. 78.
Cogitatio congrua non tam est gratia liberatrix, quam liberatricis gratiæ effectus. 69. 70.
Vide gratia, liberum arbitrium, Vasquez.

CONCVPISCENTIA.

Concupiscentia ab Augustino appellatur necessitas, difficultas, consuetudo carnalis. 28. 29.
Vocatur corpus mortis, lex peccati, malum. 15. 89. 92 931.
Concupiscentiæ rixa interiorem sanam libertatem discerpsit. 101. 102.
Concupiscentia voluntati humanæ infirmitatem intulit, non nisi medicinali Christi gratiâ sanabilem. 29. 30.
Concupiscentia & ignorantia sunt duo vulnera per peccatum inflicta, quæ arbitrij libertatem in servitutem commutarunt. 28. 29. 88. 218. 219.
Humani arbitrij captivitas, in subjectione voluntatis sub dominante concupiscentia consistit. 10. 16.
Idque tradit Augustinus non ut humanum commentum, sed ut doctrinam Evangelicam, Apostolicam, Catholicam. 16.
Concupiscentia per legem inhibitivam non inseritur sed detegitur. 30. 31. 32. 40. 41. 42. 43 & seqq.
Concupiscentiæ morbus per nullam legis aut doctrinæ gratiam sanari potest. 27. 28. 29. 30. 31. 32.
Concupiscentiæ morbus per legem non solum non tollitur, sed & augetur. 29. 33. 34. 35. 36. 268. 269. 270. 271.
Quomodo augmentum istud non sit imputandum Deo legem condenti? 41. 42. 43.
Lex concupiscentiam demonstrans & inhibens, non nisi per accidens est fomes ardoris concupiscentialis: per se autem est limes ejusdem. 42. 297.
Concupiscentiæ incrementum occasione legis inductum ab Augustino assimilatur augmento torrentis per obstructionem alvei. 35.
Concupiscentia quæ ante objectum legis modestè duxerat ignorantes, obice per violentiam disrupto immodicè obruit scientes. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. & seqq.
Concupiscentia ante legem constituebat peccatores, post legem prævaricatores: & qualiter hi differant? 37 38. 39. 40. 356.

CONGRVVM, CONGRVITAS.

Congruum quid? & cur Augustinus externas vocationes appellet congruas: internam verò voluntatis gratiam nusquam vocet congruam? 228. 229. 230. 231. 232. 233. & seqq.
Congruam gratiam magnâ verborum pompâ in gratiam Christi efficacem commutarunt Scholastici: sed refelluntur. 105. 106. 120. 121. 122. 218. 229. 230. 231. 817.
Congruitatem istam in divina præscientia exploratiua consensus sub conditione ponendi, statuunt. 817.
Ab Augustino magis recedunt istiusmodi congruitatis fabricatores, quam physicæ prædeterminationis assertores. 818.
Gratiam hominis lapsi à gratia Angelorum aut status innocentiæ non satis distinguunt. ibid.
Congruas cogitationes ordinis naturalis pro gratiâ Christi ad benè agendum necessariâ obtrudit Vasquez, somniando magis quam Augustini doctrinam investigando. 67. 68. 69. 70. & seqq.
Vide cogitatio, gratia, Scholastici, Vasquez.

CONCVRSVS.

Concursus causæ primæ non ad gratiam Christi medicinalem, sed ad naturæ institutionem spectat. 218.
Præsto adest omnibus operari volentibus. 217.
Non suppeditat vires operandi, sed eas supponit. 217.
Non facit ut creatura operetur, sed potiùs creatura operari parata effecit ut concursus à Deo præbeatur. 217.
Sicut non confert agendi vires, ita præexistentes non auget nec roborat, sed in eodem statu relinquit. 92.
Non minus Angelis & protoplastis innocentibus necessarius fuit quam hominibus lapsis. 218.
Nullo modo sanat vulnera per peccatum hominibus inflicta. 218.
Non pro eo promerendo hominibus Christus crucem subijt. 218. 219.
Nec Pelagiani eum detrectarunt: nec de eo Augustinus cum ijs disceptavit. 219.
Concursum Dei cum habituali gratia Angelorum & protoplastorum, pro adjutorio gratiæ innocentialis ab Augustino deprædicatæ obtrudere contendunt quidam Neoterici, sed gratis. 214. 215. 217. 218. 219. 248. 280. 487.
Multò turpius hallucinantur qui concursum divinum pro gratia Christi obtrudunt. 217. 218. 219.
Vide Bellarminus, gratia, Lessius, Scholastici, Vasquez.

CORREPTIO.

Correptiones reddi inutiles prædicatione gratiæ Augustinianæ calumniati sunt olim Massilienses. 1036. 1037. 1038. 1039. 1040. 1041. 1042. 1043. 1044. 1045.
Eandem cantilenam resumpserunt Scholastici, gratiæ præscientialiter congruæ, & prædestinationis postscientialis asserores. ibid.
Retorquetur argumentum in authores, ostendendo utilitatem correptionum, exhortationum, præceptorum, & prohibitionum, non minus stare cum Augustiniana gratia & prædestinatione, quam cum divina præscientia, quam agnoscunt. Ibid.
Gratiam sufficientem cum Augustino negantes & solam efficacem astruentes, non reddunt correptiones inutiles aut frustraneas, uti nec exhortationes aut præcepta. 352. 353. 354. 355. & seqq.
Recensentur multiplices earum utilitates non obstante doctrina Augustiniana tollente omnem gratiam merè sufficientem in statu naturæ corruptæ. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362.
Correptiones sunt medicamenta extrinsecus adhibita, quæ ut correptis salutaria fiant, necesse est ut Deus operetur intrinsecùs. 358.
Correptiones & exhortationes sunt charitatis obsequia nemini subtrahenda; eò quod electorum à reprobis discretio cortipientibus & exhortantibus ignota sit. 357. 358. 1042. 1043.
Correptus correptionem respuendo fit inexcusabilis. 356.
Correptorum superbia multum reprimitur, dum vitia sua coguntur agnoscere, quamvis Deo auxilium subtrahente, ea vitare non possint. 357.
Correptio prædestinatis fit salubre medicamentum: reprobis pœnale tormentum. 357.
Correptio reproborum quamvis non prosit ipsis reprobis, prodest tamen multipliciter electis. 358. 359.
Correptiones non esse subtrahendas hominibus quantumvis desperatis, ostenditur exemplo Dei qui excæcatos & obduratos promiscuè redarguit. 362.

D

DANIEL.

DANIELIS miraculosa liberatio de lacu leonum, fuit Regi Babylonis vocatio congrua, sed foris pulsans. 235.

DEVS.

Deus mirabili providentiâ & totum mundum & singulos homines gubernat & ordinat. 58. 59. 60.
Modus regiminis à Deo observatus circa veterem Hebræorum rempublicam, accommodatur singulis hominibus etiam in lege Evangelica. 56. 57. 58. 59 60.
Deus quo potissimùm fine legem Moysaicam populo Israëlitico tradiderit? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 54. 55. 265. & seqq.
Deus in hominum Angelorumque creatione ostendere voluit primò quid possit eorum liberum arbitrium, deinùm quid possit suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium. 116. 208. 209. 950. 951.
Deus humanis cordibus dominatur, efficacissimè, potentissimè, omnipotentissimè. 196. 197. 212. 826. 863. 952.
Deus vita animæ, ut anima vita corporis. 366.
Deus dilectione possidetur, eâque solâ. 437.
Deus est summum bonum creaturæ rationalis. 505.
In solo proinde Deo figendus amor creaturæ rationalis. 495. 544. 580. 581.
Deus non veraciter colitur nisi dilectione. 576.
Deus est perfectissimè liber non obstante naturali determinatione ad unam partem contrarietatis. 636. 637. 638. 639. 778. 782.
Eo exemplo ostenditur quod libertas arbitrij ex generica sua ratione non inclinet indifferentiam ad bonum & malum. ibid.
Deus ex sua naturâ creatura rationalis quantumvis beata non nisi ex participatione divinæ, habet quod peccare non possit. 778. 779. 780. 781.
Deus nequit odio haberi à beatis, aut à damnatis amari. 733.
Deus nequit esse author culpæ, adeoque hæc nequit esse effectus prædestinationis. 894. 895.

Deus vulneratas & fractas humani arbitrij vires per gratiam sanans gerit se instar medici. 82. 83. 365. 366.
Deus hominem à se sanatum non deserit; medicus verò corporalis mox ut sanitatem restituit, abscedit. 365. 366.
Deum operari in nobis velle & perficere, quid? & cur Augustinus eam locutionem angelis aut homini integro nusquam accommodet? 209. 210. 211. 948.
Deum velle omnes homines salvos fieri, qualiter interpretentur Pelagiani? 222. 223. 1013. 1014.
Qualiter item Semi Pelagiani & Scholastici nonnulli ijs sc. crescentes? 222. 223. 369. 370. 371. 1013. 1014.
Qualiter item Augustinus ante depositum erroris de initio fidei & de electione disparium? 370. 378.
Qualiter denique Augustinus post correctionem sui pristini erroris? 374. 375. 376. 377. 1013. 1014.
Recentiores pro sua expositione citant Græcos; sed quorum auctoritas in materia de gratia & prædestinatione longè cedit Augustinianæ. 378.
Allegant & Latinos; sed partim Pseudo-Catholicos, partim pravè intellectos, partim ficticiè citatos. 378. 379.
Deum neminem damnare nisi deseratur, quo sensu verum? & an id obstet doctrinæ negantis gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ? 365. 366. 367. 368.
Deum nihil præcipere impossibile, an & quo sensu verum? & an eâ veritas præjudicet scientiæ negantis gratiam sufficientem? 324. 325. 326. & seqq.
Assignantur vari, modi quibus observatio præceptorum divinorum potest dici possibilis homini destituto gratiâ sufficiente. 336. 337. 338. 339. 340. 341. & seqq.
Eadem difficultas de possibilitate observationis præceptorum quæ premit assertores gratiæ sufficientis, ac ejus negatores. 330. 331. 332. 333.
Qualiter eam diluat Augustinus, Apostolo præeunte? 332. 333. 334. 335. 336. 337.
Deo volenti salvum facere, nullum resistere valet arbitrium. 962. 963. 964. 983. 984. 985. 986. 987.
Deus erga omnes creaturas rationales æquabiliter sese gessit ante lapsum. 1010. 1011. 1012.
Eandem æquabilitatem etiam ad homines lapsos extendunt recentiores ab August. semitis longissimè aberrantes. 1012. 1013.
Deus non aliter largitur homini gratiam medicinalem, quam inspirando charitatem. 481. 482. 488. 760. 761. 762. 763. 764. & seqq.
Deus si nobis non blandiretur, nulla esset utilis exhortatio: si non minaretur, nulla correctio. 234.
Deus concursum suum concomitantem creaturis exhibendo, non est causa cur creaturæ operentur: sed creaturæ operando sunt causa cur Deus concurrat. 217. 218. 219.
Deo adscribenda sunt omnia bona opera creaturæ rationalis, non ex eo præcisè quod liberam operandi facultatè donaverit: sed quia ipsum velle & operari largitur. 220. 221. 222. 223. 938. 948.
Si ob donatam operandi facultatem Deo adscribenda forent bona opera, eadem ratione adscribenda essent mala. ibid.
Deum decernere, quid? quid item illud decretum, & qualiter se habet ad prædestinationem? 918.
Dei propositum quid? & qualiter se habeat ad electionem, prædestinationem, prædefinitionè, discretionem? 902. 903. 904. 905.
Dei propositum est proprium electorum 981.
Dei propositum est causa vocationis quam Apostolus appellat *secundum propositum*. 980. 981. 982.
Ex isto proposito procedit fides & finalis perseverantia omnium electorum. 981. 982.
Propositum istud est absolutum & præviè independens à conditionata acquiescentia humani arbitrij, quicquid obganniant Massilienses & Neoterici ijs consonantes. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. & seqq.
Solvuntur objectiones desumptæ ex Augustino partim olim errante, partim malè intellecto. 988. 989. 990. 991.
Dei propositum generale salvandi omnes homines in statu innocentiæ, & omnes similiter Angelos ante prævisum lapsum; astruitur. 1010. 1011.
Simile propositum circa salutem omnium hominum post lapsum asseruerunt Pelagiani, Semi Pelagiani, & recentiores ijsdem suffragantes. 222. 223. 369. 370. 371. & seqq. Item 1013. 1014.
Assertores talis propositi Augustinus, absurditatis & insignis ineptiæ redarguit. 1013. 1014.
Istius propositi assertio est totius Semi-Pelagianæ hæreseos basis & fundamentum. 1014.
Deum lege stabili conferre gratiam hominibus *facientibus quod in se est* per vires naturæ, quorundam dogma. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 993. 994. & seqq.
Refellitur dogma istud ex impotentia hominis gratia destituti ad faciendum quicquam quod non sit peccatum, & Dei offensa. ibid.
Istius dogmatis assertores, scalas à natura ad cælestem gratiam machinantur, & totius salutis negotium ad naturale arbitrium per ambages revocant. 994. 995.
Deus cur uni per gratiam medicinalem subveniat & alterum prætermittat: quæstio est inscrutabilis. 992. 993. 994. 995. & seqq.
Deo ultra scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis absolutè futurorum, neganda non est præscientia conditionaliter futurorum. 916. 920.
Quænam ex his scientijs intelligenda est nomine præscientiæ in definitione Augustiniana prædestinationis? 916. 617. 918. 919. 920. 921.
Dei præscientiam cum libertate arbitrij qualiter conciliet Augustinus adversus Ciceronem? 623. 626.
Vide gratia, electio, prædestinatio, reprobatio.

DELECTATIO.

Delectatio præsupponit amorem, ex eoque nascitur. 436.
Delectatio inter omnes affectus maximè est gratiæ sui. 741. 742.
Delectationi è diametro opponitur tristitia. 742.
Delectationi potissimùm constituit actum in libera potestate ac dominio agentis. 736. 737. 738. 739. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. & seqq.
Delectationes terrenæ cum cælestibus confligunt & luctantur. 406. 407. 408. 409. 410. 411. & seqq.
Hinc voluntas humana sub terrenis concupiscentiæ delectationibus captivata, non aliter liberari potest quam immissione cælestis ac spiritualis delectationis: & in hujusmodi delectatione consistit ratio gratiæ liberatricis & medicinalis. 394. 395. 396. 397. & seqq. Item 435. 436. 437. 477. 478. 479. 480. 484. 487. 488.
Voluntas nullum bonum veraciter prosequi potest, nisi illo delectetur. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. & seqq. Item 760. 761. 762. 763. 764. & seqq.
Delectationis necessitas ad prosequendum & operandum bonum, non oritur ex naturali conditione voluntatis humanæ; sed ex pœnali ejus captivitate sub dominante concupiscentia. 429. 430. 431. 432.
Delectatio cælestis emancipans voluntatem à concupiscentiæ captivantis dominatu, est actus vitalis amoris aut delectationis; sed à Deo inspiratus absque nostro libero consensu; adeoque indeliberatus. 434. 435. 436. 437. 487. 488. 798.
Delectatio ista ex variis functionibus respectivè obitis varia sortitur nomina: ut gratiæ prævenientis, operantis, excitantis, præparantis. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 454. 455. 458. 462. 463. 470. 474.
Sicut delectatio justitiæ voluntatem liberat à peccato & servam justitiæ constituit: sic delectatio injustitiæ aut cujuscunque creaturæ, eandem liberat à justitia & peccati servam constituit. 749.
Vide gratia, liberum arbitrium, voluntas.

DIABOLVS.

Diabolus perfectissimè liber à justitia, servusque peccati. 783. 784.
Diabolus irreparabiliter amisit benè volendi ac benè faciendi potestatem. ibid.
Diabolus ad pristinam pietatem nunquam convertendus. 784.
Diabolus humanis erroribus pascitur & delectatur. 785.
Diabolus sanctis invidet honorem cælestem, unde dejectus est ipse. 785.
Diabolus in omnibus actibus suis peccat, & cur? 785. 786.
Primum diaboli peccatum, creaturam Creatori præponere: secundum, alios ad ipsum faciendum sollicitare. 785.
Diaboli invidiâ mors intravit in orbem terrarum. 785.
Diabolus patitur supplicium peccatorum quæ ab hominibus in hoc mundo perpetrantur: & quale illud supplicium? 785.
Diabolum à peccatis non excusat impotentia operandi bonum; adeoque bicornis indifferentia ad bonum & malum non est essentialis liberrati arbitrij ad peccandum requisitæ. 783. 784. 785. 786. 787.
Diabolus æquè liberè in malo persistit ac in illud primitùs corruit: sicut Angeli sancti liberè persistunt in bono quod liberè olim elegerunt. 786.
Erga diabolos ac Angelos sanctos Deus æquabiliter sese gessit ante lapsum. 1010. 1011. 1012.
Diabolus ex generali voluntate Dei erga salutem omnium creaturarum rationalium, accepit in sua creatione & toto tempore vitæ gratiam

gratiam possibilitatis per quam perseverare posset si vellet. 934. 1010. 1011. 1012.
Diabolus ante lapsum habuit in manu sua statum & lapsum, prædestinationem & reprobationem. 1010 1011
Permissio lapsus diabolici non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013, 1026. 1027.
Diaboli reprobatio præsupponit absolutam prævisionem lapsus & demeritorum. 1010. 1011. 1012. 1018.
Diaboli reprobatio est positiva non negativa. 1018.
Diabolorum sedes occupant in cælo homines, eaque occupassent etiam sepositio lapsu Adami. 1007. 1008. 1009.
Diabolus suo libero arbitrio discrevit se ab Angelis perseverantibus. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 942. 943. 946.
Vide Deus, electio, Angelus, gratia, prædestinatio, reprobatio.

DILECTIO.

Dilectio quid? 522.
Dilectio Augustino alia est mansoria, alia transitoria: & quid utraque? 581. 582. 794.
Dilectio creaturæ si mansoria sit, illicita est: quantumvis bona sit creatura dilecta. 545. 582. 583.
Dilectio mansoria sui ipsius, non est justitiæ charitas: sed superbiæ vanitas. 581. 682.
Dilectionis ordo necessariò servandus is est, ut nos & proximos nostros propter Deum: Deũ verò propter se diligamus. 524. 481.
Dilectio nostrum propter Deum quid? quid item dilectio proximorum propter Deum? 524. 525.
Sola dilectione Deus veraciter colitur. 576.
Diligere Deum propter nos, vitiosum est: adeoque non rectè attribuitur ipsi Theologicè. 520. 521. 522. & seq.
Dilectio Dei casta nullum rivulum extra se ducit paritur, cujus derivatione minuatur. 524.
Dilectio Dei casta non excludit respectum mercedis & retributionis. 527. 528 529. 530 581. 532. 533
Dilectio Dei reperiri potest in peccatoribus, sed qualis? 522.
Dilectio prædestinativa Dei qualiter se habeat ad prædestinationem, electionem, propositum, decretum? 902. 903.
Vide amor, charitas, electio, prædestinatio.

DISCRETIO, DISCERNERE.

Discretio qua Deus suos discernit, qualiter differat ab electione, dilectione, proposito, prædestinatione. 902. 903. 904. 905.
Discretio illa vel est temporalis, vel æternalis, & quid utraque? 929. 930.
Discretio æternalis & prædestinativa præsupponit massam, peccati fermento conspersam. 928.
Discretio credentium ab incredulis non in eatdinem liberi arbitrij hominis lapsi, sed in gratiam Christi medicinalem refundenda est: secus de homine integro & Angelis: & cur? 117. 118. 119. 120. 942. 943. 944.
Si gratia subesset nutui & determinationi liberi arbitrij in natura lapsa perinde ac in integra; discretio credentium ab incredulis non ei sed libero arbitrio adscribenda foret. 117. 118. 119. 120. 161.
Si gratia Christi non aliter discernat homines quam gratia status innocentiæ, gratis mortuus est Christus. 201. 203. 256.
Illa interrogatio Apostoli, *quis te discernit?* evertit assertionem gratiæ meræ sufficientis. 252.
Ecclesiæ preces luculenter demonstrant discretionem credentium ab incredulis non à libero arbitrio sed à gratia expectandam esse. 252.
Ex dilectione divina in scripturis decantata ostenditur non in liberum arbitrium sed in Dei gratiam, refundendam esse discretionem hominum. 1064.
Si gratia hominis lapsi pedisequi obsequio accommodaret se nutui voluntatis, nulla esset hominum discretio, sed omnes uniformiter gratiam respuerent. 221. 222. 258.
Discretionem credentium ab incredulis & cooperantium à respuentibus ideireò gratiæ & non libero arbitrio adscribendam censent Neotterici, quod liberum arbitrium gratiâ destitutum nequeat discretionem illam facere. 117. 118. 119. 120.
Responsio illa solum sic nocumenti est, sub quo gratiæ innocentialis potestas quidem vigèt, sed gratiæ medicinalis lethale vulnus latet 117. 118. 119.
Neque isti vulneri ullatenùs medetur præscientiæ conditionalium omnium totus. 120. 121. 122.
Discretionem credentium ab incredulis hominis arbitrio adscribit Augustinus, sed absque ullo præjudicio gratiæ præparativæ arbitrij. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 416.
Si liberum arbitrium gratiâ medicinali præinstructum sese discerneret etiam condeterminante gratiâ, tum foret verum, *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*; quam *non est volentis & currentis est hominis*; quam *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*; quod pro abnerdissimo reputat Augustinus. 201. 202. 208. 227.
Ex eodem dogmate sequeretur, gratiam non dare nobis velle aut operari: sed nudum posse. 216. 947.
Sequeretur denique, immeritò reprehensos fuisse Semi pelagianos; utpote qui gratiam possibilitatis ad initium & progressum fidei ac justitiæ ne ellariam agnoverunt, non minus quam recentiores gratiæ congruæ procusores. 131, 132. 133. 134. 135, 226. 252. 542. 543. 938. 939. 946.
Vide Adam, Angelus, gratia, homo, Scholastici, Semi-Pelagiani.

DVACENSES THEOLOGI.

Duacenses Doctores Theologi ellianam consequentiam à gratiâ hominis integri ad gratiam hominis lapsi, ut Augustinianæ doctrinæ contrariam condemnarunt. 213. 214.
Qualiter definiant auxilium sufficiens? 250.
Gratiam sufficientem à Neotericis procusam, tanquam Augustinianæ doctrinæ adversam, cum Lovaniensibus proscribunt. 250, 251.
Eorum censura multis rationibus probatur & stabilitur. 251. 252. 253. 254. 255. 256. & seqq.
Vide gratia, Lessius.

E

ECCLESIA.

Ecclesia Augustinianam doctrinam servat & sequitur, ipso Ecclesiæ præsule testante. 604.
Ecclesia per os & calamum Augustini adversus hostes gratiæ liberatricis dimicavit, & de ijsdem triumphavit. 599. 600.
Ecclesiam Manichæismi insimulant Pelagiani. 600. 602.
Ecclesia canones de gratia & libero arbitrio ex sensu & verbis Augustini deprompsit. 604. 606.
Ecclesiæ & Augustini de gratia & libero arbitrio, eadem prorsus est sententia. 606.
Ecclesia in suis precibus & obsecrationibus Augustinianam de gratia liberatrice sententiam se profitetur. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 187. 188. 189. 252.
Ecclesia in suis precibus nusquam à Deo postulat gratiam qua possimus benè agere si velimus agere: sed semper ipsum velle, ne determinationem actualem voluntatis implorat. 188. 189. 190. 252.
Qui zelo defendendi Ecclesiam excedunt regulam veritatis, Ecclesiæ causam non tam protegunt quam produnt. 602. 603.
Meritò proinde reprehenduntur Scholastici quidam controversistæ; qui ut Calvinismum subvertant, Pelagianismum resuscitant. ibid.
Nec minus reprehendendi sunt qui Augustinum pro Ecclesia adversus Pelagianos decertantem, nimia liberi arbitrij depressio. ne Manichæismum stabiliviſſe calumniantur. 599. 600. 601. 602. 603.
Ecclesiæ promptuarijs contemptis ad Philosophiæ Aristotelicæ cisternas recurrere pro hauriendâ genuina intelligentia liberi arbitrij, pernitiosum est. Neotericis tamen Philosopho Scholasticis usitatissimum. 604. 605. 606. 607.
Ecclesia Catholica à Pelagianis agnominatur Babylon. 827.
Ecclesiæ authoritas est certissima credendi ac veritatem prædicandi regula. 1070. 1071.
Ecclesia per continuam successionem Romanorum Pontificum ab Apostolis ad nostra usque tempora perpetuata. ibid.
Ecclesiæ Romanæ sub cujus obedientia ab ineunte ætate usque ad lectum mortis vixit, universa sua scripta humillimè submittit author. ibid.
Ecclesia reprobos prædestinatis permixtos suo sinu complectitur. 1061. 1062. 6063. 6064 6065. 6066.
Recensentur variæ utilitates ex illa permixtione redundantes in prædestinatos. 1050. 1051. 1052. 1053. & seqq.

ELECTIO.

Electio divina hominibus occultissima. 20. 21.
Electio juxta Augustinum alia est gratiæ alia meritorum: & quid utraque? 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911 912. 913. 914.
Electio qualiter se habeat ad dilectionem, prædestinationem, propositum, discretionem? 902. 903. 604. 905.
Electionem absque prævia disparitate eligendorum non agnovat Augustinus olim certans. 907. 908.
Imo post excussum errorem de initio fidei ex nobis, scrupulus iste de electione disparium ei adhæsit: sed deceptus fuit nomine

etymologiâ. 908. 909. 910. 988. 989.
Peritior factus scrupulum istum exeussit, & electionem gratiæ non obstante pari conditione eligendorum, constantissimè in hominibus lapsis asserit. 911. 989.
Electio gratiæ in Angelis locum non habuit, uti nec in protoplastis ante lapsum, & cur? 932. 933. 934. & seqq. Item 1018.
Electio meritorum in Angelis locum habuit, habuisseque in hominibus sepositio lapsu. 942. 943. 944. 945. 946. & seqq.
Electio meritorum & bonæ voluntatis à Pelagianis invocata, quid? 914. 915.
Electio naturæ à Manichæis conficta quid? & qualiter differat ab electione meritorum & bonæ voluntatis Pelagianorum? ibid.
Electio hominum præsupponit lapsum humanum & massam conspersam fermento peccati 924. 926.
Electio hominum ad gloriam æternam peracta fuit ante omnem meritorum prævisionem: secus de electione Angelorum, & cur? 948. 949. 950. 951. 952. & seqq. Item 1012.
Electio mediorum prærequirit aliquam intentionem finis, sed non necessariò efficacem. 950.
Electio alia est per modum intentionis, alia per modum executionis: de posteriori quidam expondat locum Augustini ad Simplicianum: sed expositio non est necessaria. 988. 989. 990.
Electio voluntatis non minus libera est in seipsa, quam intentio à qua imperatur: unde deducitur, ad libertatem non requiri indifferentiam ad opposita. 622.
Electioni mediorum herili potestate dominatur intentio finis, eamque necessariò infert: liberè tamen. 622. 795.
Electio mediorum inter omnes voluntatis affectus serviliſſima est & vilissima, & cur? 796.
Electi ad bonum præcisere non possent absque reproborum cooperatione. 1067. 1068.
Electorum numerus longè minor quam reproborum. 1056. 1057. 1058.
Electis ex reproborum societate multiplices accedunt fructus & utilitates tam corporales quam spirituales. 1050. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. & seqq.
Electi per reprobos exercentur, probantur, erudiuntur, manifestantur, proveniuntur. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056. 1057. 1058. 1059. 1060. 1061.
Propter electos reprobi nascuntur & foventur. 1048. 1049.
Electorum servituti destinantur reprobi. idque præfiguratum fuit in mancipatione Chanaan & Esau. 1062. 1063.
Electis omnia cooperantur in bonum: reprobis in malum. 1026.
Vide Deus, prædestinatio, reprobatio.

ERROR.

Error errori contrariari potest: non ita veritas veritati. 602.
Error qui est pœna peccati, à peccato non excusat. 363. 364.
Error invincibilis causat non voluntarium in seipso. 737.
Vide cæcitas, excæcatio, ignorantia.

ESAV.

Esau reproborum omnium typus, sicut & Chanaan. 1019. 1062. 1063. Vide electio, prædestinatio, reprobatio.

ESTIVS.

Estius inter recentiores Paulinarum Epistolarum expositores doctissimus. 377.
Qualiter interpretetur verba Apostoli ad Timotheum: *Deus vult omnes homines salvos fieri*? ibid.
Negat attritionem conceptam ex timore pœnarum sufficienter disponere ad Sacramentum pœnitentiæ. 593.
Ejus sententia ut Augustino consentanea approbatur & stabilitur. 589. 590. 591. 592. 593.

EXCÆCATIO, EXCÆCATVS.

Excæcatio spiritualis quid? & in quo similis excæcationi corporali? 300. 301. 302. 303.
Excæcatio & induratio sunt effectus reprobationis. 1024. 1025. 1026. 1027.
Excæcati & indurati carent gratia sufficiente. 300. 301. 302. 303. 304.
Illa carentia non obstat eorum libertati necessariæ ad peccandum, nec eos à culpa excusat. 324. 325. 326. 327.
Solvitur objectio desumpta ex verbis Augustini de induratione Pharaonis Regis Ægypti. 348. 349. 350. 351. 352.
Solvitur objectio desumpta ex illo Patrum & Concilij Tridentini pronunciato: *Deus impossibilia non præcipit*. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. & seqq.
Difficultas de possibilitate impletionis præceptorum respectu excæcatorum & reliquorum gratia sufficiente destitutorum, non minus premit Scholasticos quam Augustinum. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. Vide cæcus, gratia.

F

FACIENS QVOD IN SE EST.

FAcienti quod in se est per vires naturæ infallibiliter conferri gratiam, contendunt quidam Scholastici: sed refelluntur. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 994. 995. 996. 997. 998. Dogma illud adversatur capitalibus Augustini principijs de impotentia liberi arbitrij gratiâ destituti ad aliquid agendum quod non sit peccatum. ibid.
Ab Augustino idcirco appellatur, ridendum & pudore corrigendum. 1003.
Item fabulosum & improbabile. 998.
Adversatur Apostolo dicenti: *quis te discernit*: item *ô homo tu qui es qui respondeas Deo*: item *ô altitudo divitiarum* &c. 994. 995. 998. 999. 1002. 1003.
Faciens quod in se est per vires naturæ nihil habere potest præ altero, nisi forte minora peccata; ob quæ non conferri gratiam Augustinus evincit ex deserione quorundam parvulorum quorum peccata sunt minima. 20. 1000.
Vide Deus, discretio, gratia.

FIDES.

Fides divina ad benè operandum adeò necessaria est, ut nullum opus bonum absque ea fieri possit. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. & seqq.
Fides rogando impetrat, ut humana infirmitas valeat operari quod præcipitur. 309. 310. 313.
A fide incipit omnis mutatio hominis ad bonum. 310. 311.
Ante fidem nulla præcedit in homine gratia, sed fidei initium est omnis gratiæ & bonæ voluntatis initium. 311. 312. 313. 434. 452.
Ante fidem non solum nequit homo operari bonum, sed nec ullam habere cupiditatem boni. 312. 313.
Fidei vis merendi expenditur & illustratur. 314. 315. 542.
Nullam fidem veram ac Christianam agnovit Augustinus, nisi quæ ex Dei charitate dimanat. 510. 511. 512. 513.
Fidem à Deo nobis donari negarunt Semi-Pelagiani. 514.
Fatebantur nihilominus gratiam Dei necessariam esse tam ad initium fidei quam ad omnia pia desideria omnesque salutares orationes. 131. 132. 133. 150. 215. 312. 313. 938. 939.
Eidem errori adhæsit Augustinus ante Episcopatum: sed divinitùs edoctus errorem correxit. 220. 221. 224. 225. 226. 298. 350. 351. 604. 907. 908.
In eundem errorem incidere coguntur qui facienti quod in se est, infallibiliter conferri gratiam autumant. 994. 995. 998. 999. 1002. 1003.
Item qui gratiam Christi subijciunt nutui & determinationi voluntatis humanæ. 131. 132. 133. 542. 938. 939. 946.
Fides Theologica est actus charitatis, sed imperfectæ quæ in peccatoribus reperiri potest: & in quo sita illa imperfectio? 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519.
Fides Christiana quæ reperitur in peccatoribus, in quo differat à fide dæmonum? 516.
Ad exercendum actum fidei divinæ necessaria est pia voluntatis affectio intellectum captivans in obsequium divinæ authoritatis. 516. 517. 518.
Absque fide nequit esse spes vera aut charitas. 521.
Vide charitas, gratia, infidelis.

FINIS.

Finis divisio in finem *quo* & finem *cui*, perstringitur. 524. Inter hos maximè principalis est finis *cui*: & ad eum ab intendente refertur finis *quo*. ibid.
Hinc cùm amor concupiscentiæ ordinet rem concupitam ad id cui concupiscitur, non potest Deus ab ulla creatura licitè amari amore concupiscentiæ: adeoque spes Theologica talem amorem non elicit. 521. 522. 523. 524.
Finis *cui* præcellenti modo dominatur amanti. 656.
Intentio finis electioni mediorum herili potestate imperat: & ad eam invictè determinat. 622. 795.
Amor finis appellatur fruitio: amor medij, usus. 794.
Amor finis ab Augustino appellatur *mansoria dilectio*: amor medij, *dilectio transitoria*: & cur? 794.
Vide amor, dilectio, charitas, spes.

FLVVIVS.

Fluvius objectu aggeris violentè cohibitus, disrupto obice vehementius fluit. 34. 35. 36.
Eâ similitudine Augustinus illustrat concupiscentiæ vehementiorem proritationem post semel disruptos aggeres legis prohibentis. ibid.
Vide concupiscentia, lex.

FORTITVDO.

Fortitudo virtus cardinalis absque charitate esse nequit, uti nec aliæ virtutes. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509.
Fortitudo est ipsa divina charitas certa restrictione limitata. ibid.
Fortitudinis munus est, adversitates retrahentes voluntatem à casto amore veritatis & justitiæ sempiternæ æquanimiter tolerare, ijsque non cedere. ibid.
Fortitudinis robur à charitate inflammante nascitur. 508.
Vide amor, charitas.

FRVITIO.

Fruitio. Vide amor, dilectio, Deus, finis, electio.

G

GRATIA.

GRatia ab Augustino nonnunquam usurpatur pro opere bono à gratia proficiscente. 921. 922.
Gratia variis nominibus exprimitur, à liberatione arbitrij captivati desumptis. 13. 14. 15. 16. 17. 73. 74. 75. 76. 89. 90. 91. 92. 927.
Gratia Dei necessariò præ requiritur ad quodcunque opus honestum: nec per naturæ vires haberi potest ulla præparatio, dispositio, aut qualecunque meritum primæ gratiæ. 10. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 993. 994. 995. 996 997. 998. & seqq.
Gratia generatim sumpta alia ad intellectum alia ad voluntatem spectat. 24. 25. 26. 27. 28.
Gratia intellectus alia est exteriùs erudiens, alia interiùs illuminans: & expenditur utraque. ibid.
Gratiam intellectus tam internam quam externam agnoverunt Pelagiani, veræ gratiæ inimici. 26. 487.
Nulla gratia intellectus valet voluntatem sub peccato captivatam liberare: & cur? 27. 28. 63. 64. 65. 66. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80 487. 488.
Gratia Christi liberatrix expenditur, & ostenditur procul ab ejus intelligentia abesse eos, qui ejus necessitatem ad opera supernaturaliter bona coarctant. 29. 30. 61. 32.
Gratia voluntatis alia est habitualis, alia actualis. 79. 80.
Rursus alia est voluntatis sanæ ac liberæ, alia ægrotæ ac captivæ: quarum diversitas illustratur exemplis & similitudinibus. 79. 80. 81. 82. 430. 431. 432.
Ab harum discrimine totam controversiam de gratiâ contra Pelagianos suspendit Augustinus. 81. 91. 92. 93. 94. 480. 481. 487.
Gratia de qua inter Augustinum & Pelagianos ferbuit disceptatio: non est gratia habitualis, concursus divinus, physica prædeterminatio, externa protectio, directio aut excitatio Dei: sed gratia medicinalis arbitrij ægroti. 92. 157. 158. 159. 160. 161. 162. & seqq. Item 206. 207. 215. 216. 219. 248. 480. 487. 818. 819. & seqq.
Gratiæ medicinalis natura & necessitas expenditur. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 430. 477. 478. 479. 480. 481. 482. & seqq.
Nullum prorsus opus bonum ab homine lapso fieri potest nisi per medicinalis gratiæ inspirationem à concupiscentiæ dominatu prævie fuerit sanatus. 158. 159. 160. 161. 162.
Impotentiam voluntatis captivæ ad velle aut operari bonum antequam per gratiam medicinalem fuerit sanata, Augustinus æquiparat impotentiæ cæcorum ad videndum, surdorum ad audiendum, claudorum ad rectè gradiendum. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 93. 94. 110.
Sicut medicina non est necessaria imò nec utilis sano, ita medicinalis gratia non est necessaria nec utilis homini integro. 82. 255.
Sicut lux non prodest cæco ad videndum, nec sine pedibus destituto ad gradiendum: ita gratia sanitatis primævæ integritatis nihil prodest homini lapso ad benè agendum. 80. 81. 82. 211. 212. 213. 258.
Gratiam medicinalem destruentes, incarnationem & passionem Christi exinaniunt, ipsum nomen IESVS abolent. 82. 83. 85. 86. 91. 92. 256.
Gratiæ medicinalis activitas circa duorum vulnerum per peccatum inflictorum curationem exercetur: & quænam illa vulnera? 28. 29. 88. 91. 92 218. 219.
Gratia habitualis in justificatione infusa, non liberat nec sanat voluntatem à morbo concupiscentiæ, aut intellectum à vulnere ignorantiæ. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 159. 160. 167. 168. 170. 176. 183. 184. 188. 190. & seqq.
Gratiæ necessitatem ad tollenda præterita peccata agnoscunt Pelagiani, ad cavenda futura negant: & quo fundamento? 82. 83. 84. 85. 484. 487 621.
Dogma illud crucem Christi penitùs evacuat. 82. 83. 84. 85. 86. 89. 158. 159. 160. 161. 162. & seqq.
Gratia nec ssaria ad vitanda peccata & resistendum tentationibus, non est merè scientia legis, aut ulla gratia actualis intellectus, aut remissio peccatorum, aut gratia habitualis. 89. 90. 103. 104. 105. 406. & seqq. Item 477. 478. 487.
Gratiam Christi ex eo prædicare, quod donet possibilitatem volendi aut operandi bonum, non autem ipsum velle & operari Pelagianum est. 124. 125. 830. 831. 832. 833. & seqq.
Gratiam dare velle & operari, quid? 142. 143. 144.
Gratia status innocentiæ, & gratia Christi medicinalis qualiter differant? 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. & seqq. Item 203. 204. 205. 212. 213. 215. 216. 219. 259. 430. 822. 823. 933. 934. 935. 936. 943. 949. 991.
Earum discrimen Augustinus operosissimè astruxit. 219. 822. 823. 933. 934. 935. 943. 949. 991.
Priorem passim appellat adjutorium *sine quo non*: posteriorem, adjutorium *cum quo*. ibid.
Redditur ratio cur homini sano collatum fuerit adjutorium *sine quo non*, *possibilitatis*, & *sufficiens*: integro autem detur adjutorium *quo*, *voluntatis*, & *efficacissimum*. 102. 103 109. 111. 432. 937.
Nulla gratia subdita nutui & determinationi liberi arbitrij ad adjutorium Christi medicinale spectat. 103. 104. 108.
Adjutorium possibilitatis assimilatur habitibus & speciebus intentionalibus, quibus utimur cùm volumus. 117. 118. 158.
Ab Augustino assimilatur alimentis, lumini, navi, pedibus; sine quibus homo nequit vivere, videre, navigare, progredi: cùm quibus tamen non ea præstat nisi cùm lubet. 110. 173. 255.
Adjutoria ista à Neotericis non satis distinguuntur penes efficaciam. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 215. 216. 248. 259. 260. 432.
Ex eorum confusione nata est hæresis Massilicnsium. 126. 131. 132.
Sententiam inter ea non distinguentem, Apostolico mucrone jugulatam restatur Augustinus. 123. 151.
Augustinus summopere contendit à Pelagianis extorquere confessionem adjutorij *cum quo*; & agnitionem discriminis inter illud & adjutorium *sine quo non*. 148. 480. 481. 482.
Adjutorium *sine quo non* Angelis & protoplastis collatum, non fuit gratia habitualis, concursus concomitans, aut prædeterminatio physica: sed gratia actualis libero arbitrio subdita instar habitus. 111 112. 214. 215. 216. 248. 430. 432.
Scholastici extendentes prædeterminationem physicam ad gratiam possibilitatis Angelorum & protoplastorum innocentium, capitalia Augustini principia pervertunt: magisque sunt Aristotelici quam Augustiniani. 821. 822. 823. 824.
Recensentur varia discrimina adjutorij *sine quo non*, & adjutorij *quo*. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 111. 112. 113. 114. 115. 117. 121. 122.
Si adjutoria ista non differant penes modum influendi in actus liberi arbitrij, immeritò proscripti sunt Semi-Pelagiani. 131. 132. 133. 134.
Refertur & refellitur responsio Neotericorum ad loca Augustini. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 214. 215. 216. 217. 218. 219.
Diversitas adjutorij *sine quo non* ab adjutorio *quo*, non ab eventu effectus ex omissionis ipsius, sed à connaturali operandi modo desumenda est: nec potest unum in alterum commutari pro libitu voluntatis. 105. 106. 107. 108. 109. 216. 259. 260. 1012.
Adjutorium *quo* qualiter definiendum? 111. 121.
Adjutorium hominis integri & Angelorum ejusdem prorsus fuit naturæ & efficacitatis, quamvis in illis habuerit finaliter effectum, in illo non: adeoque nihil variat usus aut non usus naturæ gratiæ. 110. 111 112. 114. 432. 934.
Adjutorium possibilitatis nunquam potest donare ipsum velle; sed vires volendi suppeditat, si voluntas eo uti voluerit. 148. 183. 216. 430.
Si Deus universis hominibus lapsis conferret adjutorium *sine quo non* sicut contulit Adamo, nullus omnium eo unquam uteretur: & cur? 211. 212. 248.
Adjutorium hominis integri & lapsi à quibusdam Neotericis distingitur penes habituale & actuale: sed refelluntur. 214 215. 216. 217.
Si gratia Christi non aliter determinet liberum hominis arbitrium quam gratia status innocentiæ; gratis mortuus est Christus. 20. 203. 256.
Gratia Christi non operatur effectum suum dependenter à conditione, *si velimus*: sed ipsamet operatur ut velimus, juxta Concilium Arausicanum. 203.
Hinc ratio capitum discrimen inter gratiam primi Adæ & secundi Adæ: illa dabat operari bonum si homo vellet: hæc dat insuper ut velit. 202. 203. 215. 216. 430. 432. 829. 830. 831. 832. & seqq. Item 937.

Illa

Illa suberat nutui & potestativo dominio voluntatis : hæc suo nutui & dominio voluntatem subijcit. 95. 96. 97. 98. 111. 120. 205. 213. 215. 224. 430. 432.
Illa pedissequali obsequio ductum voluntatis sequebatur: hæc imperioso principatu voluntatem trahit quasi pedissequam. 102. 120. 199. 208. 209 224.
Illa superabiliter & declinabiliter voluntatem præeuntem comitabatur : hæc insuperabiliter & indeclinabiliter voluntatem subsequentem ducit & agit 102. 212. 826. 863. 952.
Si gratia Christi nutum voluntatis humanæ observaret, ejúque se accommodaret ; non ei, sed voluntati prædominanti adscribenda foret hominum discretio. 117. 118. 119. 120. 261.
Id ostenditur exemplo discretionis in malum, quæ non tam tentationi sollicitanti aut diabolo tentationem immittenti, quàm libero arbitrio hominis succumbentis adscribitur. 120. 261
Discretionem hominum ideirco adscribendam gratiæ censent quidam Scholastici, quod voluntas necessariò requirat adjutorium gratiæ, ita ut absque eo nequeat discretionem perficere. 117. 118. 119. 120.
Refelluntur ex eo inprimis quod discretio illa æquè vel magis adscribenda tunc foret libero arbitrio : utpote absque cujus concursu nequit gratia quemquam discernere. ibid.
Refelluntur secundò ex eo, quod discretio Angelorũ æquè adscribenda foret gratiæ *sine qua non*, ac discretio hominum lapsorum gratiæ Christi: quod capitalibus Augustini dogmatibus adversatur. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 263. 942. 943.
Item ex eo, quod Angeli sancti non minus fuissent ad Patrem tracti quam homines lapsi : quod Augustinus pro absurdo reputat. 949.
Item ex eo, quod tam foret verum: *non miserentis est Dei, sed volentis & currentis hominis*, quam : *non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis* : quod Augustinus constantissimè negat. 201. 202. 208. 227.
Neque adversarios quidquam juvat præscientiæ conditionatæ præsidium quod accersunt: hæc enim non minus in discretione Angelorum intervenerat, quàm in hominum discretione intervenisse. 120. 121. 122. 916. 930. 1014
Gratiæ subdilectæ nutui voluntatis lapsæ prædicatio ; originalis peccati virus evacuat, illæsas arbitrij vires asserit ; adeoque Pelagianissimum resuscitat. 212.
Gratiam *congruam* magna verborum pompâ in gratiam Christi medicinalem subvexerunt Neoterici. 105. 106. 120. 121. 122. 218. 229. 230. 231. 816. 817.
Congruitatem illam in divina præscientia explorativa consensus sub conditione accommodandi fundant. 106. 107. 229. 261. 262. 817.
Hujus gratiæ congruæ præcipuus defensor Suarez, in sententiam Molinæ & Lessij quoad gratiæ efficaciam necessariò relabitur: quantumvis ab ijs discordet circa voluntatem Dei prædefinitivam. ibid.
Congruam gratiam subinde astruit Augustinus sed longè diversam ab ea quam procuderunt Neoterici. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237.
Gratia quam Augustinus *congruam* appellat, non est internum auxilium voluntati exlitus inspiratum ; sed externa vocatio foris pulsans. 230. 231. 232. 233. 234. & seqq.
Quo sensu vocatio exterior dicatur *congrua* juxta principia Augustini ? 236. 237.
Nulla gratia quæ extra voluntatem peragit partes suas, est *congrua* voluntati, nisi ipsa voluntas per intrinsecam ibi inspirationem à captivitate concupiscentiæ liberetur, & vocationi gratiosæ accommodetur. 27. 28. 63. 64. 65. 66. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 235. 236. 237. 487. 488.
Sicut Augustinus internam voluntatis gratiam nusquam vocat *congruam*, sic nusquam eam vocat *in congruam*. 235.
Omnis gratia quæ non habet inseparabiliter adjunctum effectum ob quem præbetur, ab Augustino ad legem & doctrinam ablegatur : nec eam pro gratia Christi medicinali reputat. 235.
An & quo sensu in doctrina Augustini admitti possit gratia interior voluntatis *congrua* ? 236. 237.
Gratiæ medicinalis varia epitheta ex Augustino recensentur, quibus ostenditur nunquàm eam carere effectu 196. 197. 198. 199. 200.
Eam Augustinus vocat *efficacissimam*. 196. 243. 253 829.
Eandem appellat *potentissimam*, & *omnipotentissimam*. 196. 197. 253.
Item *victricem*, cui nemo valeat resistere. 200. 251. 410. 411. 412. 826. 951. 955.
Item, voluntati humanæ *insuperabiliter* & *indeclinabiliter* dominantem. 102. 212. 826. 863. 952.
Eam *incrementi* vocabulo frequenter exprimit : & cur ? 207. 236. 263. 264.
Eam semper esse bonam asseverat : & quo sensu ? 236.
Ex ejus præsentia colligit præsentiam effectus, & ex hujus absentia absentiam illius. 202. 203. 204. 205.
A nullo corde quantumvis duro respuitur, quia ideo præstatur ut ipsa cordis duities auferatur. 247. 262. 263.
Non relinquit voluntatem in æquilibrio, sed potentissimè secum abripit. 212.
Hinc voluntas gratiâ præventa non tam agit quam agitur. 197. 209.
Sic tamen agitur ut ipsa simul agat & velit ; neque sit instrumentum mortuum sed vivum & spontaneum. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 861. 862. 863. 864.
De gratiæ medicinalis natura & qualitate multiplices recentiorũ opiniones recensentur. 303. 304. 305. 306. 307. & seqq.
Consistit essentialiter in æquali suavitate ac spirituali delectatione, qua voluntas fecitur ad id agendum quod Deus præstituerit. 304. 305. 306. 307. 308. & seqq. item 435. 436. 477. 478. 479. 480. 481. 484. 485. 487. 488. 798.
Hinc ab Augustino passim appellatur *victrix delectatio*. 410. 411. 412.
Est actus non alis desiderij & amoris, sed indeliberatus. 434. 435. 436. 437. 487. 488. 798.
voluntatem humanam prædeterminat ad agendum, & quidem phy. cè. 822. 823. 824. 825.
Conciliatur cum libertate arbitrij eodem modo quo Thomistæ suam physicam prædeterminationem cum libertate componunt. 824. 825. 826. 827. 828.
Quicquid adversarij contra eam quasi libertatis destructivam machinantur, in ea sensus compositi & divisi distinctione dissipatur & in fumos evanescit. 825. 826. 827. 870. 871.
Ad eam tamen distinctionem nusquam recurrit Augustinus ; cui ad stabilendam libertatem arbitrij satis est quod voluntas absque violentia aut coactione in actum suum volenter influat. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. & seqq.
Gratiæ medicinalis intelligentia cum intelligentia præordinationis, quam ut causam respicit ; connexa est. 882.
Item cum intelligentia liberi arbitrij, cui tanquam concausæ conjungi ut. 599. 600.
Gratiæ actualis natura & divisiones à Scholasticis longè aliter quam ab Augustino exponuntur. 444. 445. 448. 468. 469. 470. 471.
Gratia *excitans, operans, præveniens*, qualiter à Scholasticis explicentur. 444. 445. 446.
Qualiter item *cooperans, concomitans, adjuvans, subsequens* ? ibid
An & qualiter ex gratiæ differant in sua entitate physica ? 445. 454. 455. 456. 458. 459. 463.
Gratia prævenies apud Augustinum & discipulos ipsius ; quid ? Et cujus respectu dicatur prævenire. 445. 446. 447. 470. 471. 472. 473. 474.
Gratia subsequens quid ? Et cuius respectu dicatur subsequens ? ibid. & 452. 453. 454. & seqq.
Gratia prævenies quo sensu justificet ? 453.
Gratia operans & gratia cooperans quænam dicantur ? & unde sic appellatæ ? 458. 459. 460. 461.
Quo sensu gratia operans dicatur sola operari in nobis bonam voluntatem ? ibid.
Gratia excitans quænam dicatur juxta Augustinum ? quænam item adjuvans ? 462. 463. 464. & seqq.
Gratia quâ *præparatur voluntas à Domino* aliter ab Augustino & Scholasticis explicatur. 474. 475. & seqq.
Gratiæ medicinalis inspiratio in solius divinæ dilectionis infusione consistit. 481. 482. 488. 489.
Gratia quem effectum habeat in nobis ? 798.
Gratia cœlestis necessaria est non solùm ad absolutam & efficacem volitionem boni, sed etiam ad velleitatem. 210.
Quando gratia à Deo confertur ad absolutum velle boni operis, operatur illud : quando ad imperfectam velleitatem, operatur eam : hinc ex eo quod quidam renuant venire vocati, non sequitur gratiam carere omni effectu. 210. 211. 212. 213.
Gratiæ lenis afflatus quamvis non sufficiat ad absolutè credendum, sperandum, diligendum, orandum, aut legem adimplendum sufficit tamen ad velleitates quasdam istorum effectuum. 210. 211.
Gratiam Christi cum libertate arbitrij humani conciliare, difficile visum fuit Augustino. 814. 830. 838.
Quin Augustinus rectè explicuerit ac tradiderit concordiam libertatis cum gratia, nemo Catholicorum usque ad Molinam revocavit in dubium. 814.
Concordia gratiæ cum libertate arbitrij, modernos Scholasticos in duas capitales factiones distraxit: Prædeterminatistas & Præscientistas. 816. 817.

illi violatæ gratiæ, invecti Pelagianissimi, & nimis subvectæ libertatis arbitrij, crimen his impingunt: hi, violati liberi arbitrij, invecti Calvinissimi, & nimis subvectæ gratiæ, crimen illis impingunt. 817.
Cum utrisque ex parte consonat Augustinus, cum neutris ex toto: minus tamen adversatur prioribus quàm posterioribus. 817. 818.819.
Gratia *sufficiens* quænam dicenda? 249 250.254.
Gratiam sufficientem in statu innocentiæ agnovit & asseruit Augustinus, uti & in Angelis. 254.257 258.
Eandem in statu naturæ lapsæ asserit olim errans cum Semi Pelagianis: post reuplicentiam, nusquam. 250. 251. 252. & seqq. 435.1013.1035.
Idq; agnoverunt duæ facultates Theologicæ, Lovaniensis & Duacensis: & ideo contrariam assertionem censuris suis proscripserunt. 250.251.
Nec D. Thomas nec ullus à tempore Augustini usque ad recentiores Scholasticos meminit hujusmodi gratiæ sufficientis. 251.
Gratia sufficiens Neotericorum non tam ad gratiam Christi, quàm ad naturam, legem, aut doctrinam spectat; juxta Augustini principia. 254.297.
Eam homini lapso debitam recentiores asserunt. 45.254.361.
Ejus effectus est potestas operandi bonum si volumus: veræ gratiæ effectus, velle faciendi quod possumus. 253.
Ejus assertio exsequitur orationem, accendit elationem. 253.
Extenuat dilectionem Dei erga electos in Scripturis encomiis exaggeratam. 1064.
Adversatur Apostolo dicenti: *quis te discernit.* 252.
Repugnat quotidianis Ecclesiæ precibus. 252.
Enervat virus peccati originalis, & extollit vires liberi arbitrij magis quàm Pelagius unus. 254.255.256.
Evacuat crucem Christi Salvatoris. 256.
Gratia sufficiens Neotericorum, non tam gratia est quàm gratiæ monstrum singulare, peccatis multiplicandis, majorique damnationi accersendæ serviens. 258.
Lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitata: sed quo fundamento? 54.258 259.264.
Non tolum inutilis est hominibus, sed & pernicisa. 257.
Ea, si daretur, homo lapsus nunquam uteretur, sed nec uti posset. 258.
Ejus assertioni non favet sed obstat Concilium Tridentinum. 325. 330.363.366.
Solvuntur objectiones pro ejus assertione ex Scripturis deprompta. 361.362.363.364.369.370.371.372.
Solvitur objectio desumpta ex generalitate redemptionis Christi. 379.380.381.382 383 & seqq.
Diluitur objectio sumpta ex praxi corripiendi, exhortandi, consulendi ac præcipiendi; quæ prætenditur fore inutilis sublatâ gratia sufficiente. 351.352.353.354.355.356.357 358. & seqq.
Recensentur multiplices fructus & utilitates correptionum, exhortationum, consiliorum ac præceptorum, sublata gratia sufficiente. ibid.
Solvitur objectio desumpta ex verbis Augustini circa obdurationem Pharaonis. 348.349 350. & seqq.
Solvitur argumentum desumptum ex possibilitate observationis mandatorum. 324.325 & seqq. Item 336.337.338 339.340. & seqq.
Retorquetur istud argumentum in Scholasticos gratiæ sufficientis assertores. 330. 331.332.333. & seqq.
Everti tur gratiæ sufficientis assertio ex regimine populi Iudaici sub lege veteri 284. 285.286. & seqq.
Item argumento desumpto ex obdurations & excæcatione hominum. 300.301.302.303.304.305.
Item ex carentia istiusmodi gratiæ in infidelibus & Ethnicis. 304. 305.306.307 & seqq.
Gratiam sufficientem ordinis naturalis procuderunt olim Semi-Pelagiani: sed refelluntur. 320 321.322.323.
Congruationes congruas ordinis naturalis pro gratia Christi obtrudit Vasquez, Massilienfibus & Pelagianis magis quam Augustino succinens. 67.68.69.70.71 72.
Gratiam sufficientem ab efficaci penes solum eventum distinguunt quidam recentiores. 259.
Hinc ulterius fateri coguntur: in liberæ voluntatis manu esse, quamcunque gratiam pro suo nutu efficacem reddere aut inefficacem: quo nihil magis capitaliter adversatur Augustini principiis. 259.260.261.262.263.264.265.
Solvitur objectio desumpta ex Augustino, de duobus æquali gratia præinstructis & æquali tentatione pulsatis, cum dissimili tamen successu. 236 237.238.239.
Solvitur alia objectio ex libro Augustini de spiritu & littera, arguendo inertiam recentiorum qui verba Pelagianorum pro verbis Augustini arripiunt. 218.219 & seqq.
Solvitur alio argumentum ex libro quæstionum ad Simplicianum, similem recentiorum hallucinationem detegendo. 224. 225.226.227.228 229.
Diluitur alia objectio ex eodem libro, de vocatione congrua; ubi verba Augustini, de vocatione externa, internæ gratiæ inspirationi accommodant. 228.229.230.231 232.233.234.235.236.237.
Vide, Adam, Angelus, delectatio, discretio, Deus, liberum arbitrium, Lessius, Molina, Suarez, prædestinatio, Vasquez.

GLORIA.

Gloria, Vide beatitudo, electio, prædestinatio.

H

HABITVS.

Habitus subsunt nostro liberi arbitrij. 118 119.158.
Eorum similitudo cum adjutorio hominis integri. ibid.
Habitus supernaturales in suos actus influunt, etiam in sententia inimicorum gratiæ. 151.152.168.
Habitualem gratiam ejusque cooperationem, pro adjutorio gratiæ ab Augustino & Concilijs deprædicato obtrudunt quidam Neoterici. 167.183.248.
Habitualis gratia adjutorium est in potestate hominis justificati; adeoque longè divertum est ab adjutorio quod Ecclesia quotidianis precibus implorat. 158.159. & seqq. Vide, gratia.

HOMO.

Homo ad imaginem Dei conditus: & qualiter D. Thomas id intelligat? 630.
Homo viator habet libertatem ad opposita bicornem: non ita constitutus in termino sive salutis sive damnationis. 714.715.
Ista proinde indifferentia ad opposita non est de ratione libertatis ingenere: sed aliunde provenit: & unde? 715 793.794.
In potestate hominis omne illud & solum est situm, quod homo facit cum vult: & quid hoc? 623. 624.625.626.627.628.629.630. & seqq.
Homo lapsus tum demùm liber efficitur, cum filius eum liberavertit: & quomodo id intelligendum? 773.774.
Homo per gratiam Christi accipit libertatem, fortissimam, invictissimam bene operandi & perseverandi voluntatem. 863.
Homo lapsus efficaciter electus est ad merendum, perseverandum, & æternam gloriam percipiendam, ante omnem prævisionem meritorum: non ita homo integer aut Angelus: & cur potius? 948.949.950.951.952.953.954.955.956. & seqq.
Homo licitè appetit ea quæ ad naturæ suæ incolumitatem spectant: & de malis eidem incolumitati præiudicantibus licitè tristatur. 544. 580. 581.
Semper tamen in sublimiorem aliquem scopum tenetur aciem mentis dirigere, alioquin peccabit. ibid.
Quicquid homo facit, si non propter verum Deum facit; ipso non recto fine peccatum est. 582.
Homo efficitur bonus non convertendo animum ad bonum quodcunque finitum, sed ad bonum supremum in quo reliqua omnia continentur. 499.
Homo lapsus obnoxius est interiori rixæ delectationum carnalium adversus spirituales: quæ delectationes respectivè appellantur caro & spiritus. 406. 407. 408. 409. & seqq. Item 441. 442. 443. 444.
Homo in nullo debet gloriari; cum nihil boni ex seipso habeat, sed totum ex Deo. 244.
Homo lapsus nihil prorsus boni habere potest nisi à Deo donatum fuerit, non solum in potentia sed etiam in actu & exercitio. 190. 191.192.
Quicquid boni habet homo, ita est solius Dei ut nequidem pro parte adscribendum sit homini. 192.
Homini satius & salubrius est se totum indefectibili Deo committere, quam suæ industriæ quidquam reservare. 196. 197, 198.
Si homo ex seipso haberet actu velle bonum, quantumvis à Deo accepisset potestatem; posset in se gloriari, quia haberet aliquid quod non accepisset. 221.
Homo per gratiam agitur ut agat: non ut ipse nihil agat. 209. 399.
Homo per tremorem timoris ad amorem pertingit. 234.
Interroganti cur homo sine peccato non sit: recte respondetur: quia non vult. Interroganti ulterius, cur id nolit? Respondet Augustinus: itur in longum. 239.
Hominis integri felicitas, & lapsi miseria perstringitur. 94.95.
Homini integro datum fuit adjutorium *possibile tantum & sine quo non*; homini lapso datur adjutorium voluntatis, operis, *cum quo*: & cur ita? 102.109.111.112 432.937.

Homo in nullo statu bene agere aut perseverare posset absque superno adiutorio. 10. 102. 112. 124. 156. 452. 933. 934. 935. 936. 936.

Homines differenti per liberum arbitrium post lapsum perinde ac ante lapsum. censent quidam Neoterici: sed somniando magis quam Augustini vestigia insistendo. 92. 117. 118. 119. 120. 184. 213. 214.

Hominis etiam lapso à Deo deberi gratiam sufficientem præsertim quando urget præcepti impletio, sentiunt quidam Scholastici sed perperam. 43. 254. 266. 267. 268. 269. 270. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 369.

Homo non est dicendus ex eo ex quo neque ex abiis, locis subsidio videre aut ægrotus eò quòd ne ejus sint ubi alimentis vivere: & hinc oppugnatur gratia sufficiens Neotericorum. 256.

Vide, Adam, Angelus, gratia.

I

IACOB.

Iacob electorum typus: uti & Esau de Chanaan, reprobatum. 1019. 1067. Vide Esau, prædestinatio, reprobatio.

IGNORANTIA.

Ignorantia quæ est pœna peccati à peccato non excusat. 28. 29. 300. 301. 302. 303. 304. & seqq. item 324. 325. 326. & seqq. item 363. 364.

Ignorantia per se tollit cognitionem objecti, per accidens cupidinem ejusdem. 28. 736.

Ignorantia & infirmitas duo vulnera per peccatum hominibus inflicta, arbitrij vires ita debilitarunt, ut non nisi medicinali Christi gratia restaurari possint. 28. 217. 218. 219.

In eorum curationem tota virtus gratiæ impenditur. 91.

Ignorantia caulat involuntarium (saltem negative). 737. Vide, error, exercitio.

IMPECCABILITAS.

Impeccabilitas Sanctorum in cœlo unde oriatur? 422. 423. 424. 425. 426. 427. & seqq.

Impeccabilitas Dei, Christi, Sanctorum, & confirmatorum in gratia; non obstat perfectæ libertati arbitrij: uti nec impotentia ad bonum in dæmonibus. Vide, Deus, Christus, beati, diabolus, libertas.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia ad bonum & malum est essentialis libertati arbitrij, juxta Pelagianos. 11. 12. 781. 782. 783. 784. & seqq.

Dogma istud destruit rationem gratiæ liberatricis. ibid.

Scholastici istud amplectentes, Aristoteli & Pelagio magis suffragantur, quam Augustino. 604. 606. 781. 782. 783. & seqq.

Indifferentia contrarietatis potest adesse libertati, & ab eadem salva manente, abesse. 792. 893.

Eam habuisse Angelos in via & protoplastos ante lapsum, indubitatum est in doctrina Augustini. 792.

Eandem habet homo lapsus sed longè imperfectiorem quàm integer. 792. 869. 870. 871. 872.

Est certum testimonium libertatis: sed non ipsa libertas. 793.

Non resultat ex intrinseca conditione libertatis, sed ex alio capite: & quod illud? 793. 794.

Non est indicium perfectionis sed imbecillitatis & imperfectionis libertatis. 794.

Sicut perfectio sanitatis non consistit in eo quod per subsequentem infirmitatem possit violari: ita perfectio libertatis non includit nec postulat possibilitatem peccandi 794.

Sicut beati feliciter amittunt indifferentiam ad malum, sic homo lapsus infeliciter indifferentiam ad bonum. 95. 96. 433. 635. 636. 637. 638. 639. 640. & seqq.

Indifferenti in ad bonum & malum non requiri ad libertatem, ostenditur exemplo Dei cujus perfectissima libertas stat cum impossibilitate ad malum. 636. 637. 638. 714. 778. 782.

Item ex plena libertate Christi viatoris. 646. 647. 648. 714. 781.

Item ex libertate beatorum Deo fruentium. 638. 639. 640. 641. & seqq.

Idem ostenditur ex libertate dæmonum & damnatorum carentium indifferentiâ ad bonum. 783. 784. 785.

Quo sensu Augustinus in homine ante gratiam & sub gratia agnoverit indifferentiam contrarietatis & contradictionis: 869. 870. 871. 872. 873.

Secundum sensum Scholasticorum recentiorum, ab Augustino constantissimè negata, & à Pelagianis contentiosissimè asserta fuit ista indifferentia. 870.

Indifferentia contradictionis non est de ratione libertatis arbitrij ut sic. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 780. & seqq.

Recensentur multiplicia incommoda quæ ex ejus assertione emergunt. 778. 793. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 266. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. & seqq.

Ejus assertores totam machinam Augustinianæ doctrinæ concutiunt & vellicant. 798. 799. 800. 801. 892. & seqq. Vide gratia, liberum arbitrium, Pelagiani.

INFIDELES.

Infideles carent gratiâ sufficiente tam proximè quam remotè. 304. 305. 306. 307. 308. & seqq.

Nequidem habent gratiam sufficientem ordinis naturalis? & opportunum à semi-Pelagianis excogitatum, fuerat. 521. 522. & seqq.

Non excusantur per impotentiam ab observatione mandatorum: & quæ impotentia ad talem excusationem sufficeret? 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. & seqq.

Infideles in omni sua actione peccant. 19. 306. 307. 308. & seqq.

Hinc nullam præparationem, dispositionem, aut meritum primæ gratiæ habere possunt. nisi quis usque adeò insanire velit ut dicat peccatum esse præparationem, dispositionem, aut meritum respectu gratiæ. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 293. 294. 295. 296. 297. 298. & seqq.

Infideles ex duplici capite carent possibilitate exercendi ullum actum veræ virtutis, & quæ illa? 306. 307. 308.

Infideles nullam tentationem veraciter vincere possunt. 307.

Scholasticorum variæ hallucinationes circa gratiam sufficientem, quam infidelibus semper paratam esse proximè aut saltem remotè imaginantur. 304. 305.

Infideles ne quidem orare possunt ut Deus eis largiatur gratiam qua destituti sunt. 309. 310. & seqq. Vide, fides, gratia, philosophi.

INNOCENTIVS PAPA.

Innocentius Pontifex Augustinianam doctrinam de adiutorio voluntatis & operis homini lapso ultra meram possibilitatem necessario, approbat & amplectitur. 167. 168. 169. 170.

Necessitatem gratiæ medicinalis ad superandas quascunque tentationes, asserit. 170.

Eidem suffragantur Zozymus & Celestinus, cum Concilio Arausicano 170. 171. 172. Vide, Augustinus, gratia.

IVDÆI, IVDAISMVS.

Iudæi idololatriæ & polytheismo deditissimi: & unde orta ista perversa inclinatio? 60. 61.

Iudæorum cæcitas & ignorantia expenditur. 288. 289. 290. 291. 292. & seqq.

Iudæis quo potissimum scopo & fine data fuerit Lex Moysaica à Deo? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 54. 265. 266. 267. & seqq. 313.

Iudæorum status sub veteri lege perstringitur. 276. 277. 278. 279. 286. & seqq.

Iudæi caruerunt gratiâ sufficiente ad observanda præcepta legis Moysaicæ. 284. 285. 286. 287. 288. 289. & seqq.

Iudæorum paucissimi fuerunt justi & legis observatores. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301.

Iudæis Lex Moysaica per accidens fuit fomes ardoris concupiscentialis: per se autem limes ejusdem. 42. 297.

Iudæis Lex Moysaica data est ut Pædagogus ad gratiam per terrorem. 49. 50. 51. 52.

Iudæi per legis notitiam constituti sunt prævaricatores, qui ante acceptam legem fuerant peccatores: & qualiter hi differant? 37. 38. 39. 40. 41. 42.

Quomodo Deus tradendo Iudæis legem quæ iram operaretur gravioremque ruinam afferret, à culpa excusetur? 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.

Iudæis data est lex scripta in tabulis lapideis: Christianis scripta in tabulis cordis carnalibus. 486. 487. 492.

In traditione tabularum legis cur nullius hominis sed solius Dei opus commemoretur? 317.

Contractio tabularum legis quid mysticè significet iuxta Augustinum? 317.

Lex Iudæis tradita cur testimonium appelletur. 52. 357.

Iudæorum Respublica à Deo ordinatissimè instituta ac gubernata; idque cum quadam analogia ad gubernationem eam totius humani generis, quam uniuscuiusque hominis in particulari. 57. 58. 59. 60.

Radix istius divinæ œconomiæ aperitur. 60. 61. 62. 63.

Iudaismus, Pelagianismi tertius status: & quid ille? 26. 27.

Iudæi in sua lege adeò gloriabantur, ut universi bene vivendi præcepta, ejus adminiculo implere se posse, jactarent. 26.

Sicut ante legem latam homines vivebant sub gratia naturæ; ita post datâ legem Iudæi sub gratia intellectus vixerunt. Christiani in lege Euangelica vivunt sub gratia affectus. 26. Vide, gratia, lex, Pelagiani.

IVSTITIA, IVSTVS.

Iustitia ab Augustino passim usurpatur pro opere justo seu conformi suis regulis. 183. 184. 208. 209.
Iustitia hominis universa in duobus consistit: declinare à malo, & facere bonum. 485.
Iustitiæ amicus is omnis & solus est, qui ex justitiæ amore facit bonum & vitat malum. 578. 579. 580.
Iustitiæ amicus non est, sed hostis; qui ex timore pœnæ à prævaricatione legis se cohibet. 578. 579. 580. 591.
Sola justitiæ dilectio voluntatem pravam in bonam eò mutat. 573. 574. 575. 576. 577. 578.
Iustitia veraciter diligi nequit absque cælestis gratiæ adjutorio. 17. 490. 491. 578. 592. 749.
Iustitia cujus amorem deprædicat Augustinus, non est creata aliqua virtus, sed increatus Deus. 18. 409. 491. 578. 592. 749.
Hinc dilectio justitiæ ad benè operandum ab Augustino requisita, est actus Theologicæ charitatis. ibid.
Iustitia ex lege quænam dicatur? & quam sit imperfecta? 556. 557. 558. 584. 585. 586.
Iustum esse & bonum esse, apud Augustinum pro eodem reputantur. 500.
Iustitiæ dilectio quam necessaria ad honestè operandum? 535. 536. 537. 538. 584. 585.
Carentia dilectionis justitię coinquinat universa opera infidelium. 306. 307.
Carentia ista necessario consequitur carentiã fidei. 307. 308. 309. 310
Vide, amor, charitas, dilectio, Deus, infideles.

IVSTITIA VIRTVS CARDINALIS.

Iustitia quę est virtus cardinalis quodnam habeat obiectum, & quam functionem? 504.
Est filia amoris charitativi erga justitiam sempiternam, quæ Deus est: imo est ipsa divina charitas certo modo restricta. 502. 503. 504. 505. & seqq. Vide, charitas, virtus.

L

LESSIVS.

LESSIVS efficaciam gratiæ & discretionem credentium ab incredulis, in cardinem humanæ libertatis refundit. 106. 119. 141. 1038.
Gratiam Christi nutui libertatis subijcit instar habitus. 119.
Soli voluntatis arbitrio adscribit determinationem ad agendum perinde ac omittendum. 193. 242.
Ex illo ejus dogmate sequitur, hominẽ non tam in Domino quam in seipso posse gloriari. 193.
Magis enormiter hallucinatur in materia de gratia, quam Massilienses hallucinati fuerint. 214. 215.
Ejus consequentia à gratia, hominis integri ad gratiam hominis lapsi, ut capitalibus Augustini principijs adversa, à duabus facultatibus theologicis, Lovaniensi & Duacensi, proscripta. 213. 214.
Adjutorium hominis integri ab adjutorio hominis lapsi in eo distinguit, quod illud fuerit donum habitualis gratiæ: hoc insuper includat curam singularem, protectionem, & crebras excitationes Dei: sed refellitur multipliciter. 214. 215. 216. 217.
Augustinum in suas partes adducere contendit; sed adeò supinè ut objectiones Pelagianorum pro verbis Augustini obtrudat. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. & seqq.
Vocationes externas quas Augustinus *congruas* appellat, pro interna voluntatis gratia venditat. 228. 229. 230. & seqq.
Internam voluntatis gratiam in *congruam* & *incongruam*, frustra imploratio Augustini suffragio, dividit. 235.
Negat Deum astringere voluntatem nostram in alteruram partem, sed suæ indifferentiæ relinquere. 242.
Ejus dogma de gratia sufficiente à duabus facultatibus theologicis censuratum. 250. 251.
Ex negatione gratiæ sufficientis perperam colligit, subsequentem præcepti transgressionem non esse peccatum. 254. 255.
Dogma illud multipliciter refutatur 262. 263. 264. 265. 284. 285. 286. & seqq. item 300. 301. 302. 303. 304. & seqq.
Verba Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non satis consentaneè ad divinæ gratiæ sinceritatem interpretatur. 369. 370. 371. 372. & seqq.
Magno studio Pelagianorum & Semi Pelagianorum argumenta concervat, & iam dudum obsoleta arma recudit. 379. 380. 381. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. & seqq.
Contendit Christi redemptionem adeo universalem esse, ut non solum pro fidelibus & prædestinatis; sed & pro infidelibus & reprobis effusus sit sanguis mediatoris; ut hac ratione gratiam sufficientem cunctis paratam astruat. 379. 380. 381. 382. 383. 1028.
Scripturæ & Augustini phrasin de gratia qua *præparatur voluntas à Domino*, non satis assequitur. 474.
Gratiam congruam magna verborum pompa in gratiam Christi medicinalem subvehit. 105. 106. 119. 121. 219. 229. 817. 818.
Congruitatem istam in præscientia conditionalium fundat: sed nimis caducum est fundamentum istud. 106. 120. 121. 817. 916. 920.
Dicit quod in manu liberi nostri arbitrij sit: gratiam quæ secundum se est sufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu secundo. 106.
Electionem hominum lapsorum perinde ac Angelorum sanctorum, non nisi post prævisionem meritorum & finalis perseverantiæ peractam fuisse contendit: contra planam Augustini doctrinam. 947. 948. 949. 950. 953. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. 1033. & seqq.
Propositum divinum salvandi homines in completum & incompletum discerat; sicut & electionem, ac prædestinationem. 955. 956. 981. 982.
Veracem Augustini doctrinam de prædestinatione, ad nihil utilem esse calumniatur; nisi ad licentiam vitę & barathrum desperationis. 958. 991. 1036. 1037. 1038. & seqq.
Homines suæ propriæ infirmitati committere mavult, quam divinę clementiæ ac beneplaciti firmitati: quod nihil aliud est, quam certissimam desperationis portam misetis aperire. ibid.
Ex locis quibusdam Augustini olim cum Semi-pelagianis semierranti, præsidium suo dogmati accersit. 988. 989.
Electorum numerum ex Dei prædestinativo proposito certum ac determinatum esse, contentiosissimè pernegat. 1011. 1028. 1029. 1030. & seqq.
Antiquatas Massilienssium querimonias adversus Augustinianæ gratiæ ac prædestinationis prædicationem, animosissimè refricat. 991. 1011. 1028. & seqq.
Incommoda quæ ex Augustiniana sententia sequi contendit, singulatim recensentur & dissipantur. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. & seqq. usque ad 1048.
Eadem incommoda in ipsum retorquentur, ob præscientiam futurorum; quam nec Deo negat nec negare potest ibid.
Assimilatur medico, qui vel dolosè vel imperitè utilia medicamenta sic applicat; ut obsint, aut saltem non prosint. 1036.
Vide gratia, Scholastici, Semi-pelagiani, prædestinatio.

LEX.

Lex supplicandi legem statuit credendi: adeòque orationes quotidianæ Ecclesiæ pro auxilio gratiæ, statuunt legem credendi quod non detur gratia sufficiens omnibus parata. 253.
Lex nulla verè ac impletur nisi diligendo. 482. 483. 512. 513.
Lex non impletur ex timore pœnæ, sed ex amore justitiæ? & quę illa justitia? 485. 493. 578. 592. 749.
Gratia facit legis observatores: lex sine gratia, prævaricatores. 268. 269.
Legis implectioni caro gratiã expers invictè resistit 268. 269.
Lex & doctrina foris pulsans aut intellectum illustrans, arbitrium captivatum liberare nequit. 27. 28. 29. 30. 74. 77. 78. 297.
Lex æterna quid? 497.
Lex decalogi universorum agendorum summam complectitur. 29.
Lex vetus scripta in tabulis lapideis: nova in tabulis cordis carnalibus. 486. 487. 492. 549. 553.
Confractio tabularum legis Moysaicæ quid significet? 317.
Cur nullum hominis opus in legis traditione commemoretur? ibid.
Quo potissimùm fine ac scopo Israelitis data fuit à Deo lex Moysaica? 43. 44. 45. 46. 47. 48. 53. 54. 265. & seqq.
Lex vetus peccatum demonstrabat: sed vires declinandi ipsum, non suppeditabat. 27. 28. 29. 30. 297.
Lex foris pulsans, concupiscentiam non inserit quidem: sed non aufert; imò non minuit. 29. 30. 297.
Lex non est per se fomes sed limes ardoris concupiscentialis: per accidens tamen est fomes ejusdem. 42. 297.
Ante legem homines fuerant peccatores; adveniente lege cœperunt esse prævaricatores. 37. 38. 39. 40. 269. 297.
Lex Moysaica augendo concupiscentiam, præceptorum observationem fecit difficiliorem: & turpitudinem detegendo, ruinam reddidit graviorem. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 268. 269. 270. 574.

Lex Moysaica cur ab Apostolo vocetur *virtus peccati*? 37. 55. 56. 297. 574.
Lex qua ratione fecerit abundare delictum? & quomodo Deus talem legem condendo excusetur ab iniquitate? 41. 42. 43. 44. 269. 297.
Lex Moysaica qua ratione fuerit Pædagogus ad gratiam? 49. 50. 51. 52.
Cur dicta fuerit *testimonium*? 52. 357.
Quomodo ad justificationem, & sui impletionem ordinata fuerit? 53. 54. 55. 56.
Iudei sub lege viventes caruerunt promiscuè gratiâ sufficiente ad implendam legem: & ideo paucissimi inter eos justi & inculpati. 284. 285. 286 & seqq. item 295. 296. 297.
Quomodo illa carentia gratiæ sufficientis & inde orta impotentia observandi præcepta, stare potuerit cum sufficiente libertate ad peccandum? 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. & seqq. item 337. 338. 339. 340. 341. & seqq.
Legem observare intuitu moralis honestatis operis præscripti; vitiosa superbia est, stoicissimum redolens. 39.
Vide concupiscentia, gratia, Iudæi.

LIBERATIO, LIBERARI.

Liberatio præsupponit captivitatem tanquam terminum *à quo*: nec absque hujus notitiâ intelligi potest. 10. 611. 612. 613. 922. 923.
Libertio arbitrij, humani in quo potissimum sita? 10. 922. 923.
Liberatio arbitrij necessariò præexigitur ante omnem rectum ejus usum uti & ante remissionem peccatorum in adultis; adeoque perperam à Neotericis constituitur in ipsa remissione peccatorum. 9. 10. 167. 168. 177. 178.
Liberationis arbitrij vix ulla mentio in Scholis recentiorum. 9. 10.
Liberatio electorum à massa per prædestinationem Augustinianam, expenditur. 921. 922. 923. 924. 925. 932. 933. & seqq.
Liberatio includit ordinem ad duos terminos: unum *à quo*, alterum *ad quem*: & quinam illi in liberatione arbitrij? 73. 74. 75. 76. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 922.
Liberari quidpiam dicitur duobus modis: & qui illi? 610. 611.
Liberari est liberum fieri: sicut sanari est sanum fieri; & salvari, salvum fieri. 922. 923.
Liberationem arbitrij recentiores quidam constituunt in adjutorio gratiæ habitualis in justificatione infusæ: sed retelluntur. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177.
Vide arbitrium, gratia, libertas, prædestinatio.

LIBERVM ARBITRIVM, LIBERTAS.

Liberi arbitrij nomen anatomizatur. 608. 609. 610. 611. 612. 732. 733.
Liberum opponitur servo, captivo, alligato, impedito. 612. 613. 741.
Liberum arbitrium aliter à priscis Patribus, aliter à modernis Philosopho-Scholasticis usurpatur. 714.
Liberi arbitrij moderna usurpatio non tam ex Ecclesiæ promptuariis, quam ex Aristotelicæ Philosophiæ cisternis hausta. 604. 605. 606. 607.
De libero hominis arbitrio eadem est Ecclesiæ, quæ Augustini sententia. 606. 607.
Liberi arbitrij intelligentia cum intelligentia gratiæ arctissimè connexa. 599. 600.
Liberum arbitrium, voluntas, voluntatis arbitrium: ab Augustino pro eodem reputantur. 608. 609. 626. 627. 777. 778.
Liberum opponitur coacto sive violento. 743.
Liberum ab Aristotele definitur: *quod est gratiâ sui*. 614. 741. 796
Liberum esse, & liberari: ab Augustino Apostolum imitante, studiosè discernuntur ac distinguuntur. 749.
Homo liber à justitia, sibi ipsi & omnibus quibus suâ dilectiõe subjicitur, servit: liber à peccato, servit justitiæ sempiternæ quæ Deus est. 749. 750.
Liberum quodlibet duos respicit terminos: unum *à quo*; alterum *ad quem*. 756. 789. 790. 791.
Libertum cuipiam id dicitur, quod is habet in sua potestate, & quid habere in sua potestate? 28. 29. 615. 616. 617. 618. 619. 620. & seqq. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 748. 813. 867. 876.
Nihil magis constituit actum in libera potestate agentis, quam delectatio. 736. 737. 738. 739. 740.
Liberum, an & quid amplius postulet, quam esse voluntarium, seu procedere à voluntate absque violentia? 722. 725.
Liberum arbitrium à Prospero definitur: *rei sibi placitæ spontaneus appetitus*. 664.
Libero sola prementis cogentisque necessitatis violentia repugnat. 658. 659. 660. 661. 662. & seqq. item 732. 832.
Propositio ista, *quod voluntarie fit, etiamsi ex necessitate fiat, libere fit*: quo sensu à duobus Pontificibus damnata? 724. 725.
Liberum non opponitur necessitato, sed naturali: uti nec libertas necessitati, sed naturæ. 728. 729. 797.
Liberum arbitrium est causa cadendi, non verò standi. 239.
Liberum arbitrium creaturæ quantumvis integrum indiget adjutorio gratiæ ad bene operandum. 102. 112. 124. 136. 255. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Liberi arbitrij triplex status perstringitur: ad bonum tantùm, ad malum tantùm, ad utrumque. 777. 778. 779. 780. 781.
Liberi arbitrij negati crimen Augustino impegit Iulianus, Pelagianorum coryphæus. 600. 603. 604. 814. 842. 843.
Eandem cantilenam invidiosè resumunt Neoterici asserentes, Augustinum adversus Pelagianos dimicantem nimiâ liberi arbitrij depressione modum excessisse. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607.
Retorquetur ista querimonia in ipsos Augustini obtrectatores, qui in alterum extremum deflectendo modum sine modo excedunt; dum ut Calvinissimum subvertant Pelagianissimum resuscitant. 602. 603.
Nec quidquam eos juvat Aristotelicæ Philosophiæ subsidium, utpote quæ in materia de libero arbitrio cum suo fœtu Pelagianismo, proscripta est. 606. 607.
Non minor est ratio deprimendi liberum arbitrium hac tempestate quam tempore Augustini; cùm non minus nunc excessivè extollatur à Scholasticis, quam tunc à Pelagianis. 600. 601. 602. 603.
Quicquid de libero arbitrio adversus Pelagianos dimicans docuit Augustinus, id totum ante exortum Pelagianismum, nemine secum litigante docuerat: adeoque si modum anteà non excesserat, nec adversus Pelagianos confligendo dicendus est excessisse. 600. 604.
Liberi arbitrij definitio Scholastico-Aristotelica, bicornem indifferentiam ad opposita importans; Augustino & Ecclesiæ per multa post eum sæcula prorsus ignota. 866.
Eam ejusmodi rejiciunt prædeterminationis physicæ asserores, nec immeritò. ibid.
Liberum arbitrium quibus phrasibus exprimant Græci Patres, & D. Thomas eos imitans? 617. 619. 732. 733. 881.
Liberum hominis arbitrium diversis verbis negat calumnus; & in Catholicos tam Græcos quam Latinos ob ipsius vocabuli (quod abolitum percuperet) usurpationem, impudenter stomachatur. 880. 881.
Augustini & Thomistarum de libero arbitrio sententiam, Calvinisni infamiâ notare calumniosum est. 606. 607. 878. 879. 880. 881. 882. 883.
Libertas arbitrij in quo formaliter sita? 75. 76. 77. 78. 614. 615. 616. 617. 618. 628. 629. 630. & seqq. item 732. 748.
Non est formaliter carentia servitutis sed positiva perfectio eam carentiam individuè secum afferens. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 732. 733. 748. 749.
Libertas dominium alterius respuit & excludit. 612. 613. 732.
Libertatis totius cubile est voluntas. 622. 718.
Libertas arbitrij actiones à se procedentes respicit. 620.
Libertas circa finem potissimùm versatur: quicquid reclament Neoterici asserentes eam principaliùs versari circa media. 742. 743. 744. 745.
Libertatis divisio trimembris in libertatem à necessitate, à peccato, à miseria, illustratur. 746. 747. & seqq.
Libertas à coactione qualiter se habeat ad ista tria membra. 746. 747.
Libertas à peccato apud Augustinum quid? quid item libertas à justitia? 746. 747. 748 749. 750. 751. 752. 753.
Libertas creaturæ tam à peccato quam à justitia, semper habet adjunctam aliquam servitutem: sed illa fælicem & regalem, hæc miseram & mancipialem. 749. 750. 751. 752.
Libertas à peccato duos terminos respicit: unum *à quo*, alterum *ad quem*. 752. 756. 789. 790. 791.
Libertas à peccato secundum terminum *à quo*, longè aliter à Scholasticis quam ab Augustino exponitur. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760.
Libertas à peccato secundum terminum ad *quem*; juxta Augustini principia expenditur. 760. 761. 762. 763. & seqq.
Scholastici egregium suæ explicationis patronum habent Iulianum Pelagianismi architectum. 752. 753. & seqq.
Libertas operandi bonum Augustino & assectis ipsius, nihil aliud est quam charitas. 760. 761. & seqq. item 794.
Sicut membra corporea vinculis constricta carent libertate sese movendi: sic voluntas humana gluttine terrenæ cupiditatis depressa, caret libertate prosequendi bonum. 613.
Sola charitatis inspiratione gluten illud dissolvitur. 761. 762. 763.

Liberras

Libertas hominis integri longè magis indifferens fuit ad bonum & malum, quam libertas hominis lapsi. 433. 434.
Libertas illa primæva status innocentiæ perstringitur. 94. 95. 96. 430. 431. 432. 433. 434. 1010. 1011.
Libertas operandi bonum, primi peccati grauitate amissa est, adeòque ejus carentia est supplicium delinquentis. 12. 29. 94. 95. 96. 136. 432. 433. 1012.
Vulnera duo per peccatum homini inflicta, concupiscentia & ignorantia: carentiam istam inuexerunt. 28. 29. 88. 218. 219.
Libertas arbitrij an & quo sensu reperiatur in peccatoribus? 788. 789. 790. 791. 792. 793. 812. 813.
Libertas arbitrij adeptione beatitudinis in cælo non tollitur nec minuitur, sed perficitur. 774. 775. 776. 777.
Libertas beatorum Deo fruentium multò perfectior est quam fuerit protoplastorum ante lapsum. 781.
Libertas non opponitur necessitati, sed naturæ: uti nec liberum necessario, sed naturali. 728. 729. 797.
Libertatem ex generica & essentiali sua ratione esse bicornem & ad bonum malumque indifferentem, pleni buccis concrepant Pelagiani. 11. 12. 602. 606. 785. 782. & seqq.
Eis proinde suffragantur quotquot hodie idem asserunt. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787.
Libertas viatorum est bicornis & ad utrumlibet indifferens; sed illa indifferentia non oritur ex generica ratione libertatis. 714. 715. 716. 724. 725. 726. 727.
Libertas potest eam indifferentiam habere & rursus eadem carere absque ullo suæ naturæ præjudicio. 792. 93.
Non oritur ista indifferentia ex naturali perfectione libertatis; sed ex imperfectione adjuncta libertati viatrici: & quæ illa imperfectio? 793. 794.
Non tam est naturalis conditio libertatis, quam testimonium insolitile eam præsupponens. 793.
Libertati derogat necessitas coactionis; non verò simplex & voluntati; & qualiter hæ differant? 628. 729. 730. & seqq.
Libertati nihil derogat determinatio ad unicam partem contrarietatis cum carentia indifferentiæ ad alteram. 95. 96. 433. 635. 636. 637. 638. 639. 640. & seqq. usque 713.
Id ostenditur ex libertate Dei carente omni indifferentia ad malum. 636. 637. 638. 639. 714. 778. 782.
Item ex libertate creata Christi cui deerat indifferentia ad malum in via. 646. 647. 648. 649. 714. 781.
Item ex libertate beatorum similiter ad bonum determinatâ. 638. 639. 640. 641. 642. 643. & seqq. item 714. 779. 780.
Item ex libertate dæmonum & damnatorum, quos liberè peccare indubitatum est; absque tamen indifferentia ad bonum. 783. 784. 785.
Libertatem ex sua ratione non requirere indifferentiam ad bonum & malum, sed consistere cum necessaria determinatione ad unam partem; docuerant ante Augustinum plerique Patres. 558. 659. 660. 661. 662. 663.
Idem constantissimè tradidit Augustinus tam ante exortum Pelagianismum, quam post. 599. 600. 604. 624. 628. 629. 630. & seqq.
Idipsum post Augustinum docuerunt communiter omnes usque ad Scholasticos. 662. 663. 664. 665. 666. 667. & seqq. usque 689.
Ex Scholasticis idem docuerunt: Magister, Halensis, Parisiensis, Altissiodorensis, Aquinas, Scotus, Bonaventura, Henricus, Mediavillanus, Argentinas, Carthusianus, Martinus, Orthellis, Brulefer, Gabriel, 688. 689. 690. & seqq. usque 713. item 728. 729. 730. 731.
Scripturæ Patres & Cœcilia quoties bicornè indifferentiâ libertatis asserunt, de desultoria libertate viatorum intelligi debent: non de libertate in genere. 714. 715. 716. 717.
Libertas arbitrij ne quidem includit aut postulat indifferentiam *contradictionis*, multo minus *contrarietatis*. 654. 655. 656. 657. & seqq. 794. 795. 796. 797. 798.
Recensentur multiplices absurditates ex contraria assertione consequentes. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808.
Libertas cur minus brutis quam hominibus connaturalis; cum libertas non requirat indifferentiam ad ulla opposita? 721. 723. 724. 725.
Libertatem arbitrij in quadam voluntatis *amplitudine* Neotericus quidam constituit: & quid de hujus sententiæ consonantiâ cum principijs Augustini sentiendum? 808. 809. 810. 811. 812.
Concordiam libertatis arbitrij cum gratia Christi stabilire, difficile semper visum fuit Augustino 814. 815.
Quin tamen ab Augustino rectè stabilita fuerit nemo orthodoxus post Augustinum usque ad *Molinam* in dubium revocavit. ibid.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij, amplexi sunt Pontifices Zozimus & Cœlestinus, consentiente Concilio Tridentino. 860. 861. 862. 863.
Eandem discrè amplexi sunt Patres: Cyrillus Alex. Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, sanctus Gregorius, Beda, Anselmus, Bernardus cum utroque Victorino. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852.
Eidem adhæserunt Scholasticorum coryphæi. 855. 856. 857. 858. 859.
De concordia gratiæ cum libertate arbitrij summa inter Scholasticos nunc viget contentio, quæ Scholam in duas factiones distraxit. 814. 815. 816. 817. 818. 819.
Vide Augustinus, gratia, Pelagiani, prædeterminatio.

LOVANIENSIS FACVLTAS THEOLOGICA.

Lovaniensis facultas Theologica Lessianam consequentiam à gratia hominis integri ad gratiam hominis lapsi, damnavit. 213. 214.
Ejus censura de gratia sufficiente Neotericorum. 250.

LVX.

Lux est adjutorium *sine quo non* videatur: non, *quo* videatur. 111.
Lux quæ sanis oculis est adjumentum: saucijs est tormentum. 89. 110. Vide homo, gratia.

M

MASSA.

MAssa quid propriè significet? & cur ab Augustino Apostolum imitante, tam crebrò usurpetur in materia de gratia & prædestinatione, pro hominibus originali labe infectis? 928. 929. 930.
Quo sensu humanum genus dicatur massa damnata, massa perditionis: & quo fermento conspersum fuerit: culpæne an concupiscentiæ? ibid.
Discretio seu liberatio temporalis à massa damnationis, est effectus prædestinationis æternæ, & quidem adæquatus. 929.
Quæ causa damnationis massæ humanæ? 929. 1019.
Massæ humanæ infectio est causa reprobationis hominum secundum considerationem absolutam: voluntas divina secundum comparativam. 1015. 1016. 1017. 1018. 1022. 1023. 1024. Vide, originale peccatum, prædestinatio, reprobatio.

MEDICVS.

Medicus per pharmaca restaurans ægros, assimilatur Deo per gratiam medicinalem sananti humanum arbitrium. 82. 83.
Medici necessitas cessat cessantibus morbis. ibid.
Medicus corporum restituta sanitate deserit ægrotos: Deus verò impios ad justificationem perductos nunquam deserit nisi prius deseratur. 365. 366.
Dolosa vel imperiti medici est, utilia medicamenta sic applicare ut aut obsint aut saltem non prosint. 1036.
Eum imitantur Theologi qui sanam & utilem doctrinam ita tradecunt, ut desperationem lectoribus aut auditoribus ingerat magis quam confidentiam aut profectum. 1036. 1037.

MERITVM, MERCES.

Meritum & merces correlativè se respiciunt, & eiusdem ordinis esse debent. 114. 936.
Hinc ubi meritum non est liberi arbitrij sed gratiæ effectus, ipsa merces dicenda est gratia: alias non. ibid.
Sicut meritum hominis integri & Angelorum non gratiæ sed libero arbitrio adscribendum censet Augustinus, cum tamen absque gratia nullatenus obtineatur: ita meritum hominis lapsi non libero arbitrio sed gratiæ imputandum; quantumvis requirat influxum liberi arbitrij. 208. 209. 936.
Merita hominis integri & Angelorum ab Augustino appellantur merita *humana, sua*: & cur? 113. 935. 936. 937.
Merita hominis lapsi non sunt *humana, naturalia*: sed *divina, gratiosa*. 113.
Merita omnia procedentia ex gratia possibilitatis subdita merita humanæ voluntatis, sunt merita liberi arbitrij non gratiæ, humana, non divina; sua, non aliena. 125. 147. 148. 149. 150.
Meritum hominis integri & Angelorum magis adscribitur divinæ gratiæ ab Augustino, quam meritum hominis lapsi à modernis quibusdam Scholasticis. 936.

Merita Angelorum à Deo absolutè prævisa, sunt causa electionis bonorum Angelorum ad gloriam: & demerita similiter prævisa, sunt causa reprobationis dæmonum ad gehennam. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 1010. 1011. 1012.
Merita hominis lapsi non sunt causa electionis ad gloriam, sed potius effectus. 888. 889. 914. 915. 948. 949. 950. 951. 952. & seqq.
Mercès importat quandam oppositionem ad donum gratuitum. 942
Vide Adam, Angelus, electio, gratia, præde. inatio, reprobatio.

MOLINA.

Ludovicus Molina efficaciam gratiæ in cardinem humani arbitrij refundit. 106. 120.
Merita nostra & discretionem in bonum, libertati æquè adscribenda sentit; ac demerita & discretionem in malum. 120.
Vulneri quod per ejus dogma infligitur gratiæ Christi, non satis medetur præscientiæ conditionatæ emplastrum. 120.
Gratiam congruam magnâ verborum pompa in gratiam Christi medicinalem subvehit. 105. 106.
Congruitatem illam in divina præscientia explorativa nostri consensus sub conditione præstandi, refolvit. 229. 817.
Sententiam suam de concordia liberi arbitrij cum gratia, à seipso inventam gloriatur: Augustino & reliquis Theologis ignotam fuisse fatetur. 5. 6.
Subsequentes tamen ejusdem sententiæ propugnatores, nihil verentur Augustinum obtorto collo in eandem sententiam adducere. 5. 6. 218. 219. 220. 224. 228. 237. 244.
Vsque ad Molinam nemo Catholicus Augustinianam gratiæ cùm libero arbitrio concordiã in dubium aulus est revocare. 814. 815.
Molina objectiones Pelagianorum Augustini scriptis immixtas, pro ipsius Augustini verbis arripit. 219. 220.
Electionem hominum lapsorum in prævisione meritorum fundat, perinde ac electionem Angelorum. 947.
Ab ejus dogmate quoad hoc punctum recedit Suarez, quamvis quoad punctum de efficacia gratiæ mirè cum eo concordet. 106. 107. 161. 162. 163. 816.
Sententiam suam de efficacia gratiæ, ut dextertimam & expeditissimam ad vitandas omnes perplexitates & angustias circa arbitrij libertatem, extollit: & Augustino adversus Semi-Pelagianos dimicanti probandâ fuisse, si ei occurrisset, asseverat. 5. 6 229.
Ex ejus dogmate sequitur discretionem in bonum non magis adscribendam esse gratiæ aut Deo gratiam inspiranti; quam discretionem in malum, tentationi aut diabolo tentationem immittenti. 120.
Adjutorium hominis lapsi ab adjutorio hominis integri aut Angelorum, non satis distinguit penes efficaciam. ibid.
In libera potestate humani arbitrij esse contendit, auxilium à Deo suppeditatum reddere efficax aut inefficax. 106.
Distinctionem gratiæ efficacis & sufficientis ab effectu sumendam esse affirmat. ibid. Vide Lessius.

N

NATVRA.

Natvra non incôgruâ ratione appellari potest gratia. 254
Gratia sufficiens recentiorum, natura potius dicenda est quàm gratia, & cur? 254. 255. 256. 257.
Naturam humanam peccato vitiatam aut viribus bene maleque agendi destitutam, contentiosissimè negavit Pelagius, constantissimè asseveravit Augustinus. 81. 82. 83. 88.
Si natura non fuisset peccato sauciata, Salvatoris opitulatio frustranea foret, & inanis passio mediatoris. 86. 87. 88. 89. 90. 91.
Vide, homo, Pelag us.

NECESSITAS.

Necessitas duplex, una coactionis, alia spontaneitatis: & quid utraque? 628. 629. 630.
Necessitas coactionis repugnat libertati, eaq; sola. 29. 630. & seqq.
Necessitas & natura ab Augustino pro eodem reputantur: ac libertati æqualiter repugnare censentur. 631. 632. 683.
Qui necessitatem sumunt pro determinatione ad unum, tam Augustino quàm toti antiquitati adversantur. 632. 633. 634.
Augustinum per necessitatem oppositam libertati, non intellexisse determinationem ad unum agnovit præter alios D. Thomas. 634. 635.
Necessitas sumpta pro determinatione ad unum, nihil derogat libertati arbitrij. 95. 96. 433. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. & seqq.
Idque non solus Augustinus sensit sed & plerique Patres veteslliores ipso. 658. 659. 660. 661. 662. 663.
Idem senserunt subsequentes Patres usque ad ætatem Scholasticorum. 663. 664. 665. 666. 667. & seqq. usque 689.
Idipsum senserunt Scholasticorum antesiguani 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. & seqq.
Dura necessitas, nolle quod declinari nequit. 929.
Vide coactum, coactio, liberum arbitrium, libertas.

O

OBDVRATIO, OBDVRATVS.

Obdvratio quid? Quid item excecatio? 300. 301.
Obdurati gratiam sufficientem non habent 301. 302. 303
Obdurati non excusantur à culpa per impotentiam ortam ex carentia gratiæ sufficientis. ibid. & 324. 325. 326. 327. 336. 373. 338. 339. 340. & seqq.
Solvitur objectio ex Augustino circa obdurationem pharaonis Regis Ægypti. 348. 349. 350. 351. 352. Vide, excecatio, fides, gratia.

OPVS, OPERARI.

Opus fieri, *sicut oportet*, ruxta phrasin Augustini & Conciliorum: quid? 532. 533. 534. 535.
Nullum opus fit *sicut oportet*, nisi ex iustitiæ dilectione procedat. 534. 535. 536. 537.
Hinc opus factum intuitu honestatis moralis cujuscumque virtutis creatæ, non fit *sicut oportet*, 534. 535.
Hinc rursus opus factum ex timore pœnæ, non fit *sicut oportet*, 540.
Concilia & patres additione particulæ *sicut oportet*, nihil favent Scholasticis operum naturaliter bonorum per vires naturæ elicibilium assertoribus: uti nec Pelagianis opera sterliter bona astruentibus. 532. 533. 534. 538. 539. 540. 541.
Sicut nullum bonum ab homine gratia destituto fieri potest *sicut oportet*: ita nullum malum ad quod tentatur, vitari potest *sicut oportet*. 537
Idcircò nullum opus fieri potest viribus naturæ *sicut oportet*, quia quicquid fit absque gratia, peccati labe aspersum est. 17. 18. 19. 20. 533. 534. 535. 536.
Inter opus factum *sicut oportet*, & opus vitiosum; Augustinus nullum agnoscit medium. 532. 533. 534. & seqq.
Scholasticorum hallucinatio circa particulam, *sicut oportet*; refertur & refellitur. 538. 539. 540. 541. 542.
Expenduntur aliæ phrases Augustinianæ eòdem spectantes. 534. 535. 536. 537.
Possitne quis velle, desiderare, aut operari bonum: credere, sperare, pœnitere, Deum diligere, non *sicut oportet*? 538. 539. 540. 541. 542. 543.
Opera infidelium universim sunt peccata. 306. 307. & seqq. Vide, gratia, infideles, liberum arbitrium.

ORATIO, ORARE.

Oratio fidelium est clarissima gratiæ testificatio. 157. 158.
Oratio testatur rem petitam non esse in potestate orantis. 253. 265. 326. 327. 484.
Orare ut quis faciat quod habet in sua potestate, stultissimum est. 253. 265. 325. 326.
Hinc ex quotidiana oratione Ecclesiæ pro divino auxilio, evertitur assertio gratiæ sufficientis omnibus in manica paratæ. ibid
Orare pro reprobis cognitis, an liceat? 388. 389. 390. Vide, gratia, reprobatio.

ORIGINALE PECCATVM.

Originale peccatum est causa reprobationis non solum eorum qui in eo decedunt: sed etiam eorum quibus per baptismum remissum fuerit. 1019. 1020. 1021. 1022.
Solvitur objectio ex verbis Concilij Tridentini. 1021. 1022.
Originalis peccati pœnas magis extenuant Scholastici quam Pelagiani. 600. Vide, reprobatio.

P

PANIS.

Panis quotidianus quem in oratione dominica petimus, qua ratione dicatur *panis noster*; cum sit donum Dei. 246.
Panis iste Deo donante sit noster: sed nobis superbientibus efficitur alienus. ibid.
Hinc illustrantur quædam phrases Augustini, quibus ait, *velle, nolle, consentire, dissentire*, esse nostræ proprie voluntatis: absque ullo præjudicio gratiæ voluntatem præparantis. 242. 243. 244. 245. 246. 247.

PECCATVM, PECCATOR.

Peccati definitio Augustiniana perstringitur. 778. 779.
Peccandi potestas, nec libertas est nec pars libertatis. 654. 778.
Creaturis accidit eo quod ex nihilo factæ sint. 778. 779.
Peccatum nequit esse præparatio, dispositio aut occasio percipiendæ gratiæ: adeoque cum homo gratiâ destitutus nihil possit nisi peccare, nullo modo ad gratiam se disponere valet. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 993. 994. 995. & seqq.
Minora peccata non sunt regula distributionis gratiæ; ut patet in parvulis solo originali labe infectis, quos Deus nonnunquam absque gratiâ mori permittit. 19. 20.

Peccata omnia hominis lapsi ex iguorantia aut concupiscentia procedunt. 91. 218. 219.
Peccatum non ex timore pœnæ, sed ex amore justitiæ vitari debet. alioquin non vitatur *sicut oportet*. 408. 409. 412. 537.
Sicut universa peccata hominis lapsi procedunt ex delectatione terrena: ita omne bonum opus ex delectatione cœlesti ac spirituali, quæ est gratia medicinalis. 404. 405. 406. 406.
Peccatum primum protoplastorum & peccata personalia posteforum qualiter differant in modo perpetrandi? 91. 218.
Peccati justissima pœna est; ut is qui omisit velle bonum cùm posset, amittat posse cùm vellet. 29.
Hinc excæcatos & obduratos non excusat impotentia benè agendi absque gratia sufficiente; quia hujus subtractio est pœna præcedentium peccatorum. 300. 301. 302. 324. 325. & seqq.
Peccatum nequit esse effectus prædestinationis, & cur? 894. 895. 896. 897. 899. 900. (1026. & seqq.
Peccatum non est effectus reprobationis, sed causa. 1014. 1015.
Permissio primi peccati sive Angelorum sive hominum, non fuit effectus reprobationis Angelicæ aut humanæ: Dei nec prædestinationis. 920. 921. 922. 923. & seqq. Item 1013. 1026. 1027.
Permissio peccatorum personalium hominis lapsi per excæcationem, obdurationem, desertionem; est effectus reprobationis. 1024. 1025. 1026.
Peccatum & prævaricatio qualiter differant? qualiter item peccator & prævaricator? 37. 38. & seqq. (792. 693. & seqq.
Peccator an & quo sensu polleat libertate arbitrij? 788. 789. 790. 791.
Vide liberum arbitrium, prædestinatio, reprobatio.

PELAGIVS. PELAGIANI, PELAGIANISMVS.

Pelagius celerrimi perspicaciss imique ingenij fuit. 81. 82.
Ejus adversus August num conflictus de humanæ naturæ integritate non obstante lapsu protoplasti, potissimùm inchoatus fuit & continuatus. 81. 82. 183. 484. 580. 481. 492. 483. 484.
Adjutorium possibilitatis & *sine quo non*, lubens admittebat: sed sufficientiam ejus post Adæ lapsum non minus quam ante astruendo, pertinaciss imè errabat. 81. 82. 124. 184. 480. 482. 484.
Gratiæ necessitatè ad tolleda præterita peccata admisit: ad cavēda futura, admittere detrectavit: & cur? 82. 83. 84. 85. 484. 621.
Dogma istud crucem Salvatoris funditùs evacuat. 82. 83. 84. 85. 86.
Pelagij certamen cum Augustino de gratia, in duobus potissimùm consistebat: & quæ illa? 121. 125. 126. 184. 480. 482. 484. 487.
Pelagius quasnam gratias generatim admiserit: & quas admittere detrectaverit? 121. 126. 127. 128. 151. 157. 487. 488.
Pelagij decantatissima cantilena: *Benè velle & nolle ex humani arbitrij fonte descendere*. 122. 621.
Hinc adjutorium voluntatis & operis summoperè horruit agnoscere. 128. 129. 130. 131. 132.
Pelagiani Aristotelicam philosophiam plenis buccis concrepant, in materia de libertate arbitrij. 606. 607.
Catholicis fati assertionem calumniosè impingunt: & cur? 830.
Non solum in bonis actibus sed & in malis tollit libertatem abitrij in Augustiniana gratiæ prædicatione, calumniantur. 842. 843. 844.
Catholicis falsò imponunt, quod asserant voluntatem hominis gratiâ præventam nihil agere, sed solam gratiam operari effectū. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 862. (487. 488.
Pelagiani gratiam intellectus ultrò admittunt: & quid illa? 26. 27.
Vires liberi arbitrij nimis superbè extollunt. 129. 130. 617. 870. 871.
Liberum ipsum arbitrium pro gratia obtrudunt, ad eludendas Scripturas necessitatem gratiæ astruentes. 222. 223.
Electionem nullam agnoscunt nisi quam præcesserit meritorum disparitas. 908. 909.
Victoriam tentationum libero adscribunt arbitrio. 245. 621.
Augustino crimen negatæ libertatis arbitrij affingunt: & cur? 600. 602. 603. 604. 814. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 864.
Adversus istam calumniam Augustinus scripsit librum de gratia & libero arbitrio. 838. 839.
Pelagiani à Neotericis traducuntur tanquam omnis internæ gratiæ negatores: sed traductio ista confecta est ab ijs eo fine ut se à Pelagianismi nota abstergant. 205.
Pelagiani veræ gratiæ hostes fuerunt, sed non adulteratæ. 81. 82. 124. 184. 408. 409. 480. 482. 484.
Pelagianissimus Semi-pelagianissimum peperit. 919.
Pelagianismi tertius status, Iudaismus; & quid ille? 26. 27.
Pelagianissimum resuscitant assertores bicornis indifferentiæ liberi arbitrij. 602. 606. 780. 781. 782. & seqq.

PHARAO.

Pharaonis flagellatio quamvis non habuerit rationem congruæ vocationis respectu ipsius jam obdurati: habuit tamen respectu aliorum quibus prædicata est. 231. 234.
Pharaonem à culpa an excusaverit impotentia obtemperandi orta ex obduratione? 348. 349. 350. 351. 352.
Expenduntur verba Augustini olim erratis, quibus ait: *Pharaoni non imputabatur quod obduratus obtemperare non poterat*. ibid.
Vide excæcatio, gratia, libertas, obduratio, peccatum.

PHILOSOPHIA, PHILOSOPHVS

Philosophia præsertim Aristotelica seminarium multorum errorum. 603. 606. 882.
Eam plenis buccis concrepant Pelagiani: & cum ijs damnata est quoad assertionem libertatis ad utrumlibet bicornis. 606.
Ad eam nihilominus recurrunt passim recentiores pro hauriendā notitia liberi arbitrij, contemptis Ecclesiæ propugnatoribus. 604. 605.
Philosophorum virtutes sunt vitia. 19. 23. 496.
Vide Aristoteles, Infideles, Pelagiani.

PERSEVERANTIA.

Perseverātia constituta fuerat in libera potestate hominis integri, uti & Angelorum. 100. 1010. 1011.
Nec homo integer nec Angelus absque gratiæ adjutorio perseverare potuit. 102. 112. 124. 136. 432. 933. 934. 935. 936. 946.
Cur homini integro datum fuerit posse perseverare si vellet: homini autem lapso datur velle. 102. 109. 111. 432. 937.
Homo integer aliquantulo tempore usus est sua possibilitate perseverandi. 112.
Angeli per liberum arbitrium steterunt perseverantes, & suæ perseverantiæ arbitrariæ indefectibilitatis perpetuæ præmium receperunt. 113. 114. 115-116. 124. 150. 781. 946.
Perseverantia Angelorum prævisa, fuit causa non effectus prædestinationis eorum ad gloriam. 940. 941. 942. 943.
Perseverantia hominis lapsi est effectus non causa prædestinationis & electionis ad gloriam. 915. 916. & seqq.
Vide Adam, Angelus, electio, gratia, prædestinatio, reprobatio.

PRÆDETERMINATIO PHYSICA.

Prædeterminatio physica & adjutorium gratiæ medicinalis ab Augustino assertum, in quibus conveniant & discrepent. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826.
Prædeterminationis physicæ primi assertores, Augustini sententiā de gratia salvatrice viderunt: tenuerunt: sed posteriores multa exphilosophia peripatetica adjecerunt, Augustino capitaliter adversa. 819. 821. 822. 823.
Qui prædeterminationem physicā in generali subordinatione causæ secundæ ad primam fundant, adeò ut eam ad gratiam hominis integri & Angelorum extendant; Augustini doctrinam funditus pervertunt. 820. 821. 822.
Magis sunt Aristotelici quam Augustiniani. 821. 822.
Radicem necessitatis gratiæ medicinalis obscurant. ibid.
Prædeterminationis physicæ assertores, gratiæ congruæ procusoribus vitio vertunt quod divinam gratiam extenuent, & libertatem arbitrij nimis extollendo Pelagianismū resuscitent. 817.
Hi illis è contra improperant quod nimis exollant gratiam, & libertatem arbitrij plus æquo deprimendo, Calvinismum invehant. ibid.
Gratia Christi medicinalis voluntatem prædeterminat physicè juxta principia Augustini. 822. 823. 824. 825. & seqq.
Prædeterminationis physicæ ampliatores ad omnes effectus creaturæ rationalis etiā malos, scripturas prædicantes singularem Dei benevolētiā in nostris operibus bonis, obscurant & enervāt. 821.
Conciliatur prædeterminatio physica cum libertate arbitrij juxta principia Scholasticorum. 824. 825. 826. 827.
Recēsentur 7. discrimina inter predeterminationē physicā modernorū & gratiā medicinalē Augustiniana. 818. 819. 820. 821. 822. 823.
Quærequid adversus prædeterminationem physicam tanquam libertatis vulnerativam adducitur, unica sensus compositi & divisi distinctione dissipatur. 825. 826.
Ad eam tamen distinctionem nusquam confugit Augustinus, gratiæ medicinalis prædeterminativam vim astruens. 826. 827. 828. 829. 830. 831. & seqq.
Assignatur genuinus modus conciliandi libertatem arbitrij cum gratia physicè prædeterminante, juxta principia Augustini: & fusè ex varijs capitibus probatur. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 735. 836. & seqq.
Augustinianū modum conciliandi gratiā physicè prædeterminantem cum libertate arbitrij amplexi sunt sequentes Patres usque ad Scholasticos. 844. 845. usque ad 855. (858. 859.
Eundem amplexi sunt Scholasticorum coryphæi 854. 855. 856. 857.
Favent Pontifices Zozimus & Celestinus, ac novissimè Concilium Tridentinum. 860. 861. 862. 863.
Vindicatur modus iste à calumnia Calvinismi. 878. 879. 879. 880. 881. 882. 883.
Prædeterminationis physicæ assertores etiamnum reprobant vulgatam definitionem liberi arbitrij ex Aristotelica philosophia haustam, nec immeritò. 866.
Definitio istā capitaliter inimica est gratiæ Cgristi medicinali, nec Augustino aut discipulis ipsius unquā nōta fuit aut probata. 866.
Vide Augustinus; gratia, liberum arbitrium, Pelagiani, Philosophia.

phia, voluntas. PRÆDESTINATIO. (887.
Prædestinationis nomen expenditur & anatomizatur. 845. 884. 886.
Prædestinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio gratiæ, discretio; an & qualiter differant? 902. 903. 904. 905.
Prædestinatio Augustiniana & gratia medicinalis, se invicem respiciunt ut causa & effectus: nec altera sine altera intelligi potest. 882. 883. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. & seqq.
Varietas opinionum de gratia procreat similem varietatem opinionum de prædestinatione, & è converso. 882. 883.
Doctrinam de prædestinatione & gratia, magis ex peripatetica philosophia quam ex Augustiniana Theologia hauserunt recentiores. ibid.
Prædestinatio non est de rebus æternis & immutabilibus, sed de temporalibus & contingentibus. 888.
Prædestinatio indiscriminatim respicit finem & media: gloriam & gratiã, præmium & meritũ 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895.
Non respicit malum culpæ. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900.
Non respicit nisi ea quæ per ipsum Deum præstituentem, efficienda sunt. 888. 901. 937. 938. 939. 940.
Prædestinatio alia ad vitam alia ad mortem. 895. 896. 897. 898.
Eam divisionem non solum Augustinus cum suis discipulis Prospero & Fulgentio, sed & synodus Valentina tradit. 836. 837. 898. 899.
Falsò asserunt recentiores prædestinationem ad mortem carere fundamento in Scripturis. 898. 899. 900.
Falsò idem contendunt, sola supernaturalia bona cadere sub prædestinationem. 898.
Prædestinatio quo sensu à Patribus dividatur in prædestinationem gratiæ & prædestinationem justitiæ? 899. 900.
Item in prædestinationem ad bonum, & prædestinationem ad malum: sive prædestinationem misericordiæ & prædestinationem judicij? 899.
Falsò asserunt recentiores, non esse in rigoroso sensu verum, quod homo prædestinetur ad pœnam. 898. 899. 900.
Prædestinatio ad bonum temporaliter solùm duraturum, absolutè non est dicenda prædestinatio. 900. 902. 903.
Prædestinatio apud Augustinum alia est gratiæ alia meritorum: & quid utraque? 905. 906. 907. 908. 909. 910. & seqq.
Prædestinationis vulgata definitio ex Augustino desumpta membratim exponitur. 914. 915. 916. 917. 918. & seqq.
Eâ definitione non comprehenditur quævis prædestinatio, sed illa solùm quæ in bono est, ipso Augustino testante. 900.
Quænam ex tribus divinis scientijs intelligenda sit nomine præscientiæ in ea definitione? 916. 917. 918. 919. 920. 921. 989. 990.
Beneficia divina in quorum præparatione consistit prædestinatio, recensentur & expenduntur. 888. 889. 914. 915. 416.
Prædestinatio ex mente Augustini non consistit formaliter in præscientia sed in præparatione; adeoque non est actus intellectus divini sed voluntatis. 920. 921.
Id sensisse Augustinum, non solùm Prosper, Hilarius, & Fulgentius discipuli sed & Massilienses adversarij palàm agnoverũt. 921.
Prædestinatio non aliter respicit gratiam & gloriam nisi quatenus sunt beneficia liberationis. 922.
Prædestinatio Augustiniana præsupponit lapsum humani generis, & massam perditionis. 925. 926. 927. 928 929. 930. 931.
Massa illa cur dicatur perditionis, damnationis, damnata? & quo fermento conspersa fuerit? 928. 929. 930. 931. 1019.
Prædestinationis Augustinianæ adæquatus effectus est liberatio: & quid hæc? quosque terminos respiciat? 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. & seqq. (bitudinem. 938.
Prædestinatio & præscientia reciprocam ad invicem important ha-
Prædestinatio gratiæ in Angelis non habet locum: & cur? 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939.
Nec in hominibus habuisset stante innocentiæ statu. 945.
Solvitur difficultas de prædestinatione hominum in statu innocentiæ, desumpta ex verbis Augustini. 945. 950.
Prædestinatio justitiæ & meritorum in Angelis habuit locum, habuisseque in hominibus persistentibus in statu innocentiæ. 942. 943. 944. 945. 946. & seqq.
Durante statu innocentiæ totidem homines fuissent prædestinati prædestinatione justitiæ, quod nunc prædestinatione gratiæ: ijque soli nascerentur. 1006. 1007.
Prædestinatorum numerus longè minor est quam reprobatorum: & cur? 1056. 1057.
Prædestinatorum numerus quo pacto certus ac determinatus, an ex prædefinitione divina, an ex mera præscientia? 1004. 1005. 1006. 1007. 1008. 1009. 1010. 1011.
Prædestinati homines supplent ruinas Angelorum apostatarum, supplevitque in statu innocentiæ. 1006. 1007. 1008. 1009.
Prædestinatio & reprobatio, status & lapsus, gloria & damnatio; suspensa fuerunt à libero arbitrio Angelorum & hominum in innocentium. 1010. 1011.
Prædestinatio hominum ad gratiam & gloriam prior est omni prævisione meritorum. 948. 949. 950. 951. & seqq. (991.
Id tamen non est fidei, nec ut fidei dogma ab Aug. traditum. 990.
Solvitur difficultas ex verbis Augustini quibus ait, neminem contra eam prædestinationem quam ex Scripturis defenderat, disputare posse nisi errando. ibid.
Prædestinatio prævisione meritorum anterior, non est simpliciter necessaria salvandis hominibus. 950. 951.
Prædestinatio creaturarum rationalium quo ordine ac methodo generatim peracta fuerit? 1005. 1006. 1007. 1008. 1009.
Prædestinatio absoluta ad gloriam ante prævisionem meritorum astruitur ex Scripturis. 954. 955. 956. 957. & seqq. (965.
Eadẽ astruitur ex generalibus August. locutionibus. 962. 963. 964.
Item ex singulari providentia circa parvulos. 964. 965. 966. 967.
Item ex cura extraordinaria circa quosdam adultos. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 973.
Item ex opposita voluntate Dei, quæ est cardo gubernationis reproborum. 972. 973 974. 975. 976. 977.
Item ex divina vocatione *secundum propositum*: & ostenditur propositum illud antecedere omnem absolutam prævisionem meritorum. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986.
Item ex querimonijs Semi-pelagianorum de Augustini doctrina; quę manifestè supponunt Augustinum non aliam agnovisse prędestinationem ad gloriam nisi eam quæ omnia merita prævisa antecedat. 986. 987. 988. 989.
Diluuntur objectiones ex Scripturis quas adversarij in suam partem obtorquent. 958. 959. 960. 961. 962. 963.
Solvuntur objectiones ex Augustino partim olim errante, partim malè intellecto, desumptæ. 988. 989. 990. 991. 992. 993.
Solvitur objectio desumpta ex sinceritate divinæ voluntatis, qua vult omnes homines salvos fieri: & explicatur illa voluntas, remissive. 1028. (remissive. ibid.
Diluitur objectio sumpta ex generalitate redemptionis Christi.
Satisfit argumento desumpto ex divinis promissionibus quibus promittitur gloria sub conditione observationis mandatorum absque ullius personæ exceptione. 1028. 1029.
Diluitur argumentum sumptum ex divina bonitate cui repugnat; humanæ saluti insidiari, eamque de industria impedire. 1032. 1033. 1034. 1035.
Retorquetur argumentum istud in suum authorem. 1034. 1035.
Solvitur objectio desumpta ex incommodis socordiæ ac desperationis, quas Augustiniana sententia paritura prætenditur. 1036. 1037. 1038. 1039.
Retorquetur argumentũ in authorem, propter divinam præscientiã, quam non negat nec negare potest. 1036. 1037. 1038. 1039. 1040
Solvitur & retorquetur objectio petita ab incommodis sublati zeli animarum; invecti scandali; inductæ dissolutionis ac licentiæ vivendi: inutilitatis correptionum, exhortationum ac suasionum. 1040. 1041. 1042. 1043. 1044. 1045.
Solvitur objectio petita ex parte divinę bonitatis ac clementię cui repugnare prętenditur, creare & conservare reprobos ad metam damnationem & interitum sempiternum. 1046. 1047. 1048. 1049. & seqq.
Prædestinatio Augustiniana ijsdem argumentis à modernis Scholasticis impetitur, quibus olim à Massilienſibus impetita fuerat. 991. 1011. 1028. 1029. 1030. 1031. 1032. usque 1047.
Prædestinatis omnia cooperantur in bonum, sicut reprobis omnia in malum. 1026. (1050. & seqq.
Propter prædestinatos reprobi nascuntur ac foventur. 1048. 1049.
Expenduntur multiplices fructus & utilitates prędestinatis ex reproborum societate obvenientes. 1050. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056. 1057. & seqq.
Prædestinatorum typum gessit Iacob: reproborum, Esau & Chanaan. 1019. 1062. 1063.
Vide Adam, Angelus, electio, gratia, Lessius, reprobatio.

PRÆSCIENTIA.

Præscientia divina alia est absoluta alia conditionata: & quid utraque? 916. 917. 918. 919. 920.
Præscientia conditionalium ordine rationis mediat inter scientiam simplicis intelligentię & præscientiam absolutè futurorum; & ob id *media* dicitur. 916.
Præscientia conditionalium nullatenus Deo deneganda est juxta Augustini principia. 920.
Magnus tamen ejus abusus viget apud gratiæ congruæ procusores. 105. 106. 120. 121. 228. 229. 230. 261. 262. 817. 916. 917. 918.
Præscientiam divinam derestabili argumento negavit Cicero, ut arbitrij libertatem salvaret. 626. 627.
Præscientiam divinam cum libertate arbitrij qualiter conciliet Augustinus adversus Ciceronem. 623. 626.
Præscięti ę divinę emplastrũ non satis medetur vulneri quod gratię Christi medicinali infligunt assertores gratię congruę. 120. 121.

Præscientia divina conditionalium non facit ut gratia Christi humanam sibi subdat voluntatem, quòd tamen ad verum gratiam requirit Prosper. 120.
Præscientia Dei quam in definitione prædestinationis Augustinus adjungit præparationi, expenditur. 916. 917. 918. 919. 920. 921.
Incommoda quæ ex prædestinatione Augustiniana sequi prætendunt adversarii; non magis ex ea sequuntur quam ex præscientia quę ab ipsis agnoscitur & agnosci debet. 1037. 1038. 1039. 1040. 1041. & seqq. Vide Deus, electio, gratia, libertas, prædestinatio.

PROPOSITVM.

Propositum. Vide Deus, discretio, gratia, prędestinatio, vocatio.

PRVDENTIA.

Prudentia virtus cardinalis, in quo sita? quęnam ejus functio, & quod objectum? 503. 504. 505.
Non tam ad intellectum quam ad voluntatem spectat. ibid.
Est ipsa Theologica charitas certo modo restricta. 502. 503. 504. 505.
Vide charitas, virtus.

R

REMISSIO PECCATORVM.

REmissio peccatorum est quidem gratia, sed non tam ad actualem quam ad habitualem gratiâ reducenda. 79
Eam nomine liberationis arbitrij præcaptivati intelligi debere, cõtẽdũt Neoterici: sed refellũtur. 9. 10. 82 83 84. 85
Eam esse gratuitam, palàm agnoverunt Pelagiani: quamvis ad cavenda futura peccata necessitatem gratiæ non agnoverint. 82. 151. Vide, arbitrium, gratia, liberum, Pelagiani.

REPROBATIO, REPROBVS

Reprobatio apud Augustinum quid? quid item reprobari. 925. 926.
Reprobatio alia negativa alia positiva. & quid utraque? 1012. 1013. 1014.
Reprobatio Angelorum tam positiva quam negativa præsupponit prævisionem lapsus Angelici: sicut & prædestinatio prævisionem perseverantiæ. 1010. 1011. 1012. 1013. 1014.
Hinc permissio lapsus Angelici non fuit effectus reprobationis sive positivæ sive negativæ. 1013. 1026. 1027.
Reprobatio hominum præsupponit lapsum Adæ & massam humani generis originalis peccati fermento conspersam. 1012. 1013. 1014. 1015. 1018. 1019.
Non solum originale, sed & universa actualia peccata reproborum concurrunt ad completam eorum reprobationem. 1019.
Solvitur difficultas de peccatis per sacramenta plenè remissis non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. 1021. 1022.
Causa reprobationis unius hominis lapsi præ altero, est merum Dei beneplacitum. 1022. 1023. 1024. 1025.
Reprobationis humanæ tam positivę quam negativę ordo ac modus perstringitur. 1012. 1013. 1014. 1015. 1018. 1019.
Permissio primi lapsus Adæ non fuit effectus reprobationis hominum sive negativę sive positivę. 1013. 1026. 1027.
Reprobationis negativæ nullus est usus in doctrina Augustini, sive circa homines, sive circa Angelos. 1018. 1019.
Reprobationis effectus sunt excęcatio, obduratio, damnatio. 1024. 1025. 1026. 1027.
Reropi an per Christum redempti? 380. 381. 382. 383. 384. & seqq.
Pro reprobis cognitis non magis licet nobis orare, quam pro dęmonibus: iuxta Augustinum. 389. 390.
Pro reprobis præparatâ esse gratiâ sufficientem, & pro ijs passum esse Christum, Scholastici plerique sentiunt: sed August. contrarium asseverat. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 489. 390. 1018. 1028.
Augustini doctrinam quoad hoc punctum, vt Catholicam approbavit synodus Valentina. 385.
Eandem amplexus est Prosper Augustini discipulus. 381.
Eidem suffragatur Remigius præsul Lugdunensis. 384. 385.
Reprobis omnia cooperantur in malum, perinde ac electis in bonum. 1026
Reprobi non tam propter seipsos quam propter electos, nascuntur, conservantur, gubernantur. 1048. 1049. & seqq.
Reprobi electorum servituti destinati sunt: & in quo sita illa servitus? 1062. 1063.
Servitutem illam prefiguravit servitus inflicta Chanaan & Esau, reproborum omnium typis. 1019. 1062. 1063. (1056. 1057.
Reproborũ multitudo longè copiosior est quam electorum: & cur?
Absque reproborum cooperatione electi non possent in bonum adeò proficere. 1067.
Reprobi electos probant, exercent, erudiunt, manifestant, provehunt. 1058. 1059. 1060. 1061.
Recensentur varia documenta salutaria, quę ex reproborum societate percipiunt electi. 1052. 1053. 1054. 1055. 1056.
Ex reproborum admixtione tres fructus in electos redundant: & quinam illi? 1050. 1051. & seqq. usque 1063.
Reprobi ornatum presentis sęculi augent. 1050. 1051. 1052.
Vide electio, prædestinatio.

S.

SAPIENS, SAPIENTIA.

SApiens à stulto qualiter differat juxta Stoicos? 611.
Sapientia vera cujus initium est timor Domini, nihil est aliud Augustino nisi charitas. 546.

SCHOLASTICI.

Scholastici in duas factiones distracti circa efficaciam gratiæ salvatricis. 816. 817.
Scholastica Theologia agnominatur *contentiosa*. 796.
Scholasticorum ab Augustiniana doctrina palàm deflectentium invidiosa cantilena de exorbitantia Augustini, refertur & retunditur. 599. 600. 606. 607.
Eorum os obstruitur oraculo Papæ Celestini. 602. 603.
Scholastici libertatem à peccato longè aliter exponunt quam Augustinus. 752. 753. 754. 755. & seqq.
Scholastici propriis opinionibus prœoccupati, sanctorum Patrum verba quoquo modo in suas partes trahunt. 221.
Plus sudant prœconceptam suam opinionẽ in Patribus stabiliendo, quam genuinum sensum Patrum indagando. 242.
Scholastici gratię congruę procusores; vires liberi arbitrij lapsi, fortiores statuunt quam integri 240.
Ab August. semitis longissimè aberrant. 201. 213. 219. 947. 990. 991.
Pelagianorum objectiones pro Augustini verbis obtrudunt 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 1070.
Eorum crebrę hallucinationes circa adjutorium gratię ad bene vivendum, necessarium. 92. 93. 167. 168. 201. 202. 220. 248. 947.
Pro gratia inter Aug. & Pelag. controversa, varia somnia obtrudũt quę dissentientibus nunquam venerunt in mentem. 167. 168. 240.
Vide, Augustinus, Bellarminus, Lessius, Molina, Suarez, Vasquez.

SCOTVS.

Scotus totius Scholasticę subtilitatis coryphęus. 700. 796. 797.
Scholasticorum subtilissimus, judicio omnium. 728. 729. 730. 797.
Determinationem ad unã partẽ contrarietatis aut contradictionis nihil derogare libertati arbitrij sentit; adeoq; eundem actum voluntatis liberum & simul necessarium astruit 700. 728. 797.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam Christi cum libertate arbitrij amplectitur. 865.
Vide Augustinus, gratia, libertas, Scholastici.

SEMI-PELAGIANI, SEMI PELAGIANISMVS.

Semi pelagiani non fuerunt hostes alterius gratiæ quam illius quæ nutui voluntatis non subesset. 151. 938.
Necessitatem internæ actualisque gratiæ *sine qua non*, agnoverunt, tam respectu initij fidei, quam orationis & omnium piorum desideriorum. 131. 132. 150 215. 938. 939.
Perseverantiam hominis lapsi in cardinem liberi arbitrij refuderunt, sine exclusione tamen gratiæ possibilitatis. 151. 938.
Ideo potissimùm proscripti sunt, quod gratiam sufficientem nutui voluntatis lapsæ subdicam astruerent. 252.
Semi-pelagianismus unde ortus? 126. 131. 132. 1011. 1014
Perstringitur. 131. 132. 133. 134. 135. 226. 542. 543. 938. 939. 946.
Vide, Facienti quod in se est, gratia, Lessius, Molina, Pelagiani.

SERVVS, SERVITVS.

Servus à serviendo derivatus: & qualiter? 612.
Servus ut talis dominium alterius respicit. 612. 613. 614.
Servus opponitur libero, & servitus libertati. ibid.
Servitus arbitrij à qua per gratiam liberatur: in quo sita? 10. 11. 12. 16. 611. 612. 922. 923.
Vide arbitrium, gratia, liberatio, libertas.

SPES.

Spes theologica non fertur in Deum amore concupiscentiali sed charitativo. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527.
Prœsupponit in sperante charitatem saltem imperfectam, aut potius ipsamet est charitas. 520. 521.
Potest ferri in Deum gratis, non obstante respectu mercedis adjuncto. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. Vide, charitas, fides.

STATVS

Status hominum triplex post lapsum: sub natura, sub lege, sub gratia: & singuli perstringuntur. 26. 27. 28. & seqq.
Status hominum generatim quadruplex: ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. 57. 58. 59. 60.

STOICI.

Stoici res quasdam necessitati fatali subditas statuunt: quasdam ab ea eximunt. 633.
Voluntatem non nisi bonis & sapientibus tribuunt: stultis verò discolis non voluntatem sed cupiditatem dant. 611.
Tres *constantias* in animo sapientis pro tribus stultorum passionibus constituunt: voluntatem pro cupiditate, gaudium pro lætitia, cautionem pro metu 611.

SVAREZ.

Suarez duplici aberratione Philosophiam & Theologiam uno ictu

sero jugulat. 953.
Docet determinationem ad agendum cum gratia, esse propriam voluntatis: Augustinumque pro se citat, sed ficticiâ citatione. 242. 243. 244. 245.
Pelagianorum objectiones Augustino adscribit, ejsque sua dogmata stabilire satagit. 219. 220. 221. 224.
In sententiam Molinę & Lessij de efficacia gratię necessariò relabitur, quantumvis ab ijs recedat circa divinas prędefinitiones. 106. 107. 261. 262. 263. 816. 817.
Suarez præcipuus architectus gratię congruę fundatę in præscientia conditionalium. 261. 262. 263. (gloriam. 946. 948.
Graviter hallucinatur circa electionem Angelorum sanctorum ad
Imperitiam suam in doctrina ac principijs Augustini insigniter prodit suo philosophandi modo. 948. (106. 107. 108.
De adjutorio quo datur nobis velle & operari, non rectè sentit. 105.
Liberum arbitrium constituit causam directam & principalem determinationis ad agendum hi: & nunc. 106. 107. 108.
Vide Bellarminus, Lessius, Molina, Scholastici, Vasquez.

T

TENTATIO.

TEntationũ victoria non libero arbitrio, sed gratię adscribẽda quicq; id reclamẽt Pelagiani. 82. 83. 89. 90. 484 611.
Tentatio non reputatur vetaciter victa, nisi Dei amore vincatur. 537.
Fideles & justi orantes ne inducantur in tentationem; adjutorium actuale voluntatis & operis postulant: non remissionem peccatorum, nec gratiâ habitualem ejusve adjutoriũ. 90. 167. 168. 169.
Induci in tentationem quid? quid item non induci? 90.
Tentationis influxus in opus pravum à Neotericis assimilatur influxui gratiæ medicinalis in opus bonum: sed perperam. 120.
E duobus æquali tentationis pulsatis, & æquali gratiâ instructis; an possit alter tentationem vincere, altero succumbente? 236. 237. 238. 239. 420. 241.
Augustiniana ad illam interrogationem responsio, Neotericos gratiæ congruæ procusores non adjuvat sed jugulat: quicquid ipsi in contrarium obmittantur. 240. 241.
Vide Augustinus, gratia, Lessius, liberum arbitrium, Molina.

TEMPERANTIA.

Temperantia quæ est virtus cardinalis, in quo consistat? quæ ejus functio, & quod objectum? 503. 504. 505. & seqq.
Est getmen amoris charitativi justitiæ sempiternæ, sicut & reliquæ virtutes cardinales. 502. 503. Vide charitas, virtus.

TESTAMENTVM.

Testamentum. Vide Iudæi, lex.

S. THOMAS AQVINAS.

S. Thomas negat liberum arbitrium cogi posse. 698.
Quibus phrasibus exprimat liberum arbitrium, Græcis Patribus succinens? 619.
Qua ratione Dei imaginem homini impressam asserat? & in quo ita illa imago participata? ibid.
Beatis Deo fruentibus libertatem arbitrij attribuit. 701.
Negat simplicem necessitatem derogare libertati. 698.
Naturalem arbitrij libertatem in carentia coactionis constituit, Augustino suffragans. 698. 699. 700. 701. 730.
Augustinianam methodum conciliandi gratiam cum libertate arbitrij amplectitur. 795. 819. 858. 859.
Nec S. Thomas nec ullus post Augustinum usque ad recentiores Scholasticos meminit gratiæ sufficientis, quam moderni obtrudere contendunt. 251. TIMOR.
Timor formaliter est amor fugiens quod sibi adversatur. 544.
Timor alius castus & filialis, alius spurius & servilis: ex solo priore salubriter implentur mandata. 485. 486.
Timor castus nascitur ex amore charitativo. 544. 548. 549. (&seqq.
Timor gehennæ per se spectatus, licitus, rectus & honestus est. 543.
Per timorem Dei ad Dei amorem pervenitur. 546. 597.
Timor pœnæ est initium sapientiæ sed extrinsecum, quod ab ipsa sapientia quæ charitas est, perinde ac seta à subsequente filo, expellitur. 546. 547. 548. 549. 557. 558.
Solvitur objectio ex verbis Augustini petita. 549.
An & qualiter timor pœnæ nascatur ex gratiâ Christi medicinali? 549. 550. 551. 552. 553. 554. & seqq.
Timor pœnę justitiam operatur, non quæ ex Deo est per gratiam Christi, sed quæ ex lege & nobis est. 556. 557. 558. 559. 560. 584. 585
Timor pœnæ etiam æternę oritur ex amore creaturæ, utpote ipsius timentis. 554. 555. 556. & seqq. Item 580. & seqq. (560.
Timor gehennæ est ex natura, sed præinstructâ fide divinâ. 558. 559.
Ex puro timore pœnæ nequit vitari unum peccatum quin incidatur in alterum. 560. 561. 562. 563. (punè. 562. 563.
Vitans peccatum ex timore pœnę, mallet non vitare si posset impunitas. 563. 564. 565. 566. 567.
In eo viget peccandi voluntas, quæ se prodit in opere quando ponitur impunitas. 563. 564. 565. 566. 567.
Aperitur radix hujus doctrinæ. 566. 567. 568. 569. & seqq.
Opus bonum ex timore exercitum est mixtum ex voluntario simpliciter & involuntario secundum quid. 566. 567. 568.
An id obtineat etiam in casu quo opus ex timore factum habet aliunde honestatem? 569. 570. 571.
An & qua ratione timor sit coactus? 570. 571.
Qui ex timore pœnæ legem implet, invitus implet; adeoque non ex animo implet. 570. 571. 573. 577. 579. (574. 575. 576.
Timor pœnæ non mutat pravam voluntatem in rectam. 572. 573.
Timens gehennam; non peccare, sed ardere metuit. 575. 578. 597.
Timor gehennæ à Scholasticis procusus, procul distat ab attritione quam synodus Tridentina tanquam dispositionem ad pœnitentiæ Sacramentũ approbat. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 597.
Timor est servus charitatis. 598. Vide attritio, charitas.

V

VALENTINA SYNODVS.

VAlentina Synodus in Galliâ quando & qua occasione celebrata? 384. 385. 386.
Quid de universalitate redemptionis Christi senserit? 385. Vide. Christus, infideles, reprobus.

VASQVEZ.

Vasquez minus liberalis in admittenda vera Christi gratia quam Pelagius. 70. 71. 72. 73. 74.
Cogitationes cõgruas ordinis naturalis pro gratia ab Aug. & Concilio Arausicano deprædicatâ obtrudit. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.
Dogma istud non tam Augustini sententia, quam Vasquezij somnium est. 68. 69. 70.
Imò ab Augustino ad Pelagianismum reijcitur. 71. 72. 73. (78.
Refellitur ex ipsa gratię libertatricis notione & natura. 73. 74. 75. 76.
Vasquez Augustinum non tam exponit quam corrigit. 238.
Auxilium sufficiens homini à Deo deberi contendit. 254. 304.
Augustino palàm valedicit. 348. Vide, cogitatio, gratia, Lessius, Molina, Suarez. VIRTVS.
Virtus Augustino nihil est aliud quam dilectio ejus quod diligendũ est, adeoq; charitativus Dei amor. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500.
Virtus nisi animâ faciat optimâ, nõ meretur virtutis nomẽ. 496. 497.
Virtutes philosophorum sunt vitia. 19 23. 496.
Virtutis officium est, vitam rectè instituere. 497. 498.
Virtutum cardinalium amplitudo & varietas perstringitur. 502. 503. 504. 505. 506. & seqq.
Sub ijs militat omnium virtutum moralium exercitus. 502.
Omnis vera virtus est divini amoris affectus. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. & seqq. Vide, charitas, fides, justitia, fortitudo, temperantia, prudentia.

VOCATIO.

Vocatio alia interna alia externa: & quid utraque? 230. 231. 232.
Vocationes externę varia exempla recensetur. 230. 231. 232. 233. 234. 235
Augustinus externas vocationes passim vocat congruas: internas autem nec congruas vocat usquam nec incongruas. & cur? ibid.
Vocatio externa nunquam est congrua, nisi per internam gratiam ei accommodetur voluntas. 69. 74. 77. 78. 230. 236. 237.
Vocatio *secundum propositum* est effectus ipsius propositi: & hoc propositum antecedit omnem prævisionem futuri consensus hominis vocati. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. & seqq.
Vocatio secundum propositum est propria electis: & illud propositum est ipsa eorum electio. 902. 903. 904. 978. 979. 980. 981.
Vocatio secundũ propositum, sic agit ut invictissimè peragat. 983.
Ejus efficacia non in præscientiam, sed in ipsum propositum refundenda est. 982. 983. 984. & seqq. Vide, cogitatio, gratia.

VOLVNTAS.

Volũtas ab Aug describitur: animi motus cogẽre nullo. 571. 572. 611
Voluntas est cubile totius libertatis. 622. 718.
Voluntas, voluntatis arbitrium, liberum arbitrium, apud Augustinum coincidunt. 608. 609. 610. 611.
Voluntatem non esse liberam tam implicat, quam nos non velle cum volumus: & cur? 622. 623. 624. & seqq. 731. 797. 829. 830. 838. 839. 840. 867. 868.
Volitio & volitio libera tam coincidunt, quam homo & homo rationalis. 622. 623. 625 526. 797. 828. 829.
Voluntatis omnes deliberati actus quantumvis necessarij, sunt in potestate volentis; adeoque liberi. 716. 717. 781. & seqq.

FINIS.

ADMONITIVNCVLA.

DEcem librorum qui de gratia Christi Salvatoris inscribuntur indicem hucusq; perduximus: ex supernumeraria statera nihil induximus; eâ potissimum ratione permoti, quod hæc nihil penè non contineat, sed meram recapitulationem eorum quæ in tribus Tomis sparsim adversus Semi-Pelagianos & Neotericos disseruntur.

INDEX

INDEX

Qui Sacræ Scripturæ loca omnia in tribus hisce Tomis explicata secundùm eum librorum & Capitum ordinem, qui in Biblijs cernitur ob oculos ponit.

Auctoritates ex libro Geneseos.

CAP. II. In quocumque die comederis ex eo, tomo 3. nu. 366. & tom. 2. num. 9. & 11. & 894.
Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, tom. 2. n. 79.
Cùm cognovissent se esse nudos consuerunt folia ficus, tom 2. n. 81.
CAP. III. Aperti sunt oculi amborum, tom. 1. n. 120.
Aperientur oculi vestri & eritis sicut Dij, tom. 1. n. 235.
Terra es, & in terram ibis, tom. 2. n. 89.

Ex libro Deuteronomy.

CAP. VI. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. tom. 2. num. 398.
CAP. XXX. Posuit ante faciem tuam elige, to. 1. n. 367.
CAP. XXXII. Ecce manus nostra excelsa & non Dominus, tom. 3. n. 64.

Auctoritates ex libro primo Regum.

CAP. I. Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul, tom. 3. num. 203.

Ex tertio libro Regum.

CAP. VIII. Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis vijs ejus, tom. 3. n. 188.

Ex libro Esther.

CAP. XIII. Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare, tom. 3. n. 921.

Ex libro Iob.

CAP. III. Paryus & magnus ubi sunt? tom. 3. n. 613.
CAP. XIV. Nemo mundus à sorde, tom 1. n. 220.
Homo natus de muliere brevi vivens tempore, tom. 2. num. 921.

Auctoritates ex libro Psalmorum.

PSAL. VIII. Gloria & honore coronasti eum, tom. 3. num. 890.
PSAL. X. Qui amat iniquitatem odit animam suam, to. 2. n. 400.
PSAL. XXXII. In Domino laudabitur anima mea, to. 2. num. 402. & tom. 3 n. 104.
PSAL. XXXIII. Diverte à malo & fac bonum, tom. 3. num. 760.
PSAL. XXXVI. A Domino gressus hominis dirigen- (347.
tur, tom. 3. n. 478.
PSAL. XLIV. Oleo lætitiæ præ consortibus, to. 1. n. 309.
Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato &c. tom. 2. n. 28.
PSAL. LII. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, tom. 2. n. 554.
PSAL. LVIII. Misericordia ejus præveniet me, tom. 3. num. 513.
Deus ostendet mihi super inimicos, tom. 3. n. 1054.
PSAL. LXIV. Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate, tom. 2. num. 781.
PSAL. LXXII. Mei pene moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, tom. 2. n. 898.
PSAL. LXXXII. Imple facies eorum ignominia, to. 3. num. 53.
PSAL. LXXXIII. Gratiam & gloriam dabit Dominus tom. 3. n. 892. & 913.
PSAL. LXXXX. Eripiam eum & glorificabo eum, to. 3. num. 890.
PSAL. CIV. Dedit eis regiones gentium & labores populorum possidebunt, tom. 3. n 1052.
PSAL. CVIII. Caro mea immutata est propter oleum, tom. 1. n. 300.
PSAL. CX. Redemptionem misit Dominus populo suo, tom. 3. num. 385.
Initium sapientiæ timor Domini. tom. 3. n. 546.
PSAL. CXVIII. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, tom. 2. n. 397.
Iustus es Domine & rectum judiciũ tuum, to. 2. n. 485.
Quia omnia serviunt tibi, tom. 2. n. 97.
Da mihi intellectũ ut discam mandata tua, to. 3. n. 187.
Averte oculos meos ne videant vanitatem, to. 3. n. 187
Inclina cor meum in testimonia tua, tom. 3. n. 188.
PSAL. CXXXIX. Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori, to. 1. num. 194.

Ex libro proverb. Salomonis.

CAP. VII. Præparatur voluntas à Domino, to. 3. n. 478.
CAP. XVI. Hominis est præparare cor, to. 1. n. 341.
CAP. XX. Quis gloriabitur castum se habere cor, to. 1. num. 223.
CAP. XXV. Nubes & ventus & pluviæ non sequentes, tom. 1. n. 92

Ex libro Sapientiæ.

CAP. I. & III. Deus mortem non fecit, invidiâ autem diaboli &c. tom. 2. num. 90.
CAP. II. Invidia diaboli mors intravit in Orbem terrarum, to. 3. num. 785.
CAP. XII. Ipsum qui non debet puniri condemnare &c. tom. 2. num. 902. & 955. & 974.
Virtus enim tua. justitiæ initium est, to. n. 944. & 974.
Cùm ergò sis justus juste omnia disponis, to. 2. 2. n. 974.
Virtutem enim offendis tu qui non crederis esse in virtute consummatus, ibid.
Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas. &c. ibid

Ex libro Ecclesiastici.

CAP. I. Omnis sapientia à Domino Deo est, tom. 2. nu. 774.
CAP. III. Dedecus filij, pater sine honore, to. 2. n. 961.
CAP. V. Avarus non implebitur pecunia, & qui amat pecunias fructum non capiet ex eis, tom. 2. num. 357.
CAP. VII. Considera opera Domini quod nemo, to. 3. num. 305.
Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, tom. 2. num. 76.
CAP. XXII. Confusio patris est de filio indisciplinato, tom. 2. num. 961.
CAP. XXVI. Transgressores paravit ad Romphæam, tom. 3. num. 1024.
CAP. XLIV. Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi, tom. 2. num. 28.

Auctorita-

INDEX LOCORVM

Ex libro Isaiæ.

Cap. I. Si volueritis & audieritis me? tom. 1. nu. 367.
Cap. V. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, tom. 3. num. 361.
Cap. VII. Nisi credideritis non intelligetis, t. 2 n. 18.
Cap. XIV. Ascendam super altitudinem nubium, tom. 1. num. 382.
Dominus enim exercituum decrevit & quis &c. tom. 3. num. 775.
Cap. XXIX. Perdam sapientiam Sapientium, to. 2. num. 82.
Cap. LIX. Corruit in plateis veritas & æquitas non potuit ingredi, tom 2. num. 781.

Ex libro Hieremiæ Prophetæ.

Cap. XXXI. Hoc est pactum quod feriam cum domo Israël dabo legem meam &c. tom. 2. n. 31. & 714.

Ex libro Danielis Prophetæ.

Cap. IX. Peccavimus iniquè egimus, tom. 1. n. 222.
Cap. XII. Fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, tom. 2. n. 28.

Ex libro Oseæ Prophetæ.

Cap. IX. Fiant similes & abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, tom. 2. num. 931.

Ex libro Zachariæ Prophetæ

Cap. I. Convertimini ad me & ego convertar ad vos, tom. 1. num. 342.

Ex libro Malachiæ Prophetæ

Cap. III. Vanus est qui servit Deo, tom. 3. num. 290.

Ex libro secundo Machabæorum.

Cap. XVI. Destinavit non admittere illicita. t. 3. n. 884

Ex Evangelio secundum Matthæum.

Cap. I. Vocabis nomem ejus Iesum; ipse enim, to. 3. nu. 384. & 929.
Cap. V. Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum, tom. 2. num. 28. & 50.
Cap. VI. Nemo potest duobus Dominis servire, to. 2. num. 930.
Dimitte nobis debita nostra, tom. 3. num. 319.
Cap. VIII. Non inveni tantam fidem in Israël, tom. 1. nu. 527.
Cap. IX. Non est opus valentibus medicus, tom. 3. num. 82.
Cap X. Sed spiritus Patris qui loquitur in vobis, to. 1. nu. 42. & 275. tom. 3. num. 199.
Cap. XI. Venite ad me, tom. 1. num. 336.
Cap. XVIII. Sic non est voluntas ante Patrem vestrũ, tom. 3. n. 380.
Cap. XIX. Qui potest capere capiat, tom. 1. n. 204.
Si vis ad vitam ingredi, tom. 3. num. 1028.
Cap. XX. Congregabunt Angeli electos ejus à quatuor ventis, tom. 3. num. 956.
Amice non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est. tom. 3. num. 1003.
Cap. XXII. Quomodo ejus filius est, tom. 3. n. 291.
Cap. XXIII. Vt videantur ab hominibus amant primos recubitus &c. to. 2. num. 359.
Cap. XXIV. Nisi breviati fuissent dies illi non fieret salva &c. to. 3. num. 956
Cap. XXV. Ignis æternus paratus diabolo & Angelis ejus, tom. 3. num. 898. & 1024.

Ex Evangelio secundum Marcum.

Cap. XIII. Sed propter electos quos elegit breviabit dies illos, tom. 3. num. 959.

Ex Evangelio secundum Lucam.

Cap. XII. Nolite timere pusillus grex, tom. 3. n. 454.
Cap. XXII. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit. tom. 3. num. 885.
Cap. XXIV. Aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas, tom. 3. num. 187.

Ex Evangelio secundum Ioannem.

Cap. I. Qui illuminat omnem hominem, to. 3. n. 374.
Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, tom. 3. num. 31.
Cap. III. Spiritus ubi vult spirat, tom. 1. num. 281.
Non potest homo accipere quicquam nisi, tom. 3. n. 192.
Exaltari oportet filium hominis, tom. 3. num. 384.
Cap. V. Aquæ motionem, tom. 1. num. 281.
Nemo potest venire ad me nisi &c. tom. 3. num. 541.
Sicut audio judico, tom. 2. num. 9.
Cap. VI. Omnis qui audivit à Patre & didicit, tom. 3. num. 251.
Cap. VII. Si quis voluerit voluntatem ejus facere cognoscet de doctrina, tom. 2. num. 397.
Cap. VIII. Quæ audivit ab eo, hæc loquebatur in mundo, tom. 2. num. 9.
Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis, tom. 2. num. 96. & 463.
Omnis qui facit peccatum servus est peccati, tom. 2. num. 463. & 411. & 468. tom. 3. num. 772.
In veritate non stetit, tom. 2. num 696.
Veritas liberabit vos, tom. 3 num 612.
Ille homicida erat ab initio, tom. 3. num. 786.
Cap. X. Animam meam pono pro ovibus meis, to. 3. num. 338.
Nemo rapiet eas de manu mea, tom. 1. num. 957.
Cap. XI. Ego sciebam quia semper me audis, tom. 3. num. 368.
Cap. XV. Sine me nihil potestis facere, tom. 1. n. 337. & tom. 2. num. 405.
Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis, tom. 2. num. 9.
Si non venissem & locutus fuissem tom. 3. num. 362.
Cap. XVII. Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, tom. 2. num. 799.
Non pro mundo rogo, tom. 3. num. 389.

Ex Actibus Apostolorum.

Cap. I. Domine si in tempore hoc restitues, t. 3. n. 292.
Non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, to. 3. num. 291.
Cap. II. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, tom. 3. num. 885.
Cap. IV. Convenerunt facere quæ manus tua & consilium decreverunt, tom. 3. num. 885 & 898.
Cap. IX. Quid me vis facere, tom. 3. num. 597.
Cap. X. Vnxit eum Deus Spiritu sancto, t. 1. n. 309.
Testificari quia ipse constitutus est à Deo judex vivorum, tom. 3. num. 885.
Cap. XIII. Crediderunt quotquot erant prærodinati ad vitam æternam, tom. 3. num. 954.
Cap. XVI. Loqui verbum Dei in Asia & in Bithynia, to. 3. n. 288.
Cap. XVII. Iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, tom. 3. num. 885.
Cap. XXII. Deus Patrum nostrorum præordinavit te ut cognosceres voluntatem ejus, tom. 3. num. 890

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. I. Tradidit eos Deus in desideria &c. tom. 1. num. 109. & 193.
Obedire fidei, tom. 1. num. 501.
Quid prædestinatus est Filius Dei, tom. 3. n. 884. & 890.
Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sãctis. ibid

Cap. II. Naturaliter quæ legis sunt faciunt, tom. 1. num. 86. 200. 202. 203. 285. tom. 2. num. 573.
Ejusmodi ipsi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, tom. 2. num. 310.
Quicumque enim sine lege peccaverunt, tom. 1. n. 197. & tom. 2. num. 293.
In lege gloriaris, tom. 1. num. 242. (n. 415.
Quod impossibile erat legi in quo infirmabatur, tom. 3.
Cap. III. Ex operibus legis nemo justificatur, tom. 1. n. 86. 87 Ignorantes Dei justitiam to. 1 n. 233
Per legem cognitio peccati, tom. 1 num. 245 & tom. 3 num. 32.
Cap. IV. Non ex lege hæreditas, tom. 1. num. 249.
Ei qui operatur merces non imputatur &c. to. 1. n. 339 358 & tom. 2 num. 163
Lex iram operatur, tom. 3 num, 40
Cap. V. Peccatum intravit, tom 1 num. 85
In omnes mors transiit, tom. 1 num. 86
Caro concupiscit adversus Spiritum, tom. 1 num. 86
Quæ scripta est non in tabulis lapideis sed tabulis &c. tom. 1 num. 110
Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, tom. 2 num. 90
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, tom. 2. num. 724.
Lex subintravit ut abundaret delictum, tom. 3. nu. 40.
Cap. VI. Non enim estis sub lege tom. 1. num. 87
Quid ergo dicimus lex peccatum est, tom. 1. num. 110
Lex subintravit, ut abundaret delictum tom. 1. n. 244
Qui fecerit homo vivet in ea tom. 1. n. 2. 52
Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro tom. 2, n. 2. & 163. 173 (& 446
Cum essetis servi peccati liberi fuistis justitiæ t. 2. n. 103
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore &c. t. 2 num. 330. 336. 418. tom. 3. n. 441
Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Dei &c. tom. 2. num. 47 463 468
Lex peccati & mortis tom. 3 num. 923
Cap. VII. Si cùm lex non esset. &c. tom. 1 num. 85
Mandatum quod erat ad vitam tom. 1 n. 86
Velle adjacet mihi tom. 1 num. 86
Scio quia non habitat in carne mea tom. 1 num. 86
Gratia Dei per Iesum Christum tom. 1 n. 86
Lex membrorum tom. 1 n. 137
Peccatum non cognovi nisi per legem tom. 1 n 245
Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces tom. 2 num. 188 317
Video aliam legem in membris meis tom. 2 n. 270 922 tom. 1 num. 801
Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus tom. 2 num. 451 815 & tom. 3 n. 32 & 64. 179 191 923.
Non quod volo ago tom 2 num. 955
Cap. VIII. Vnius delicto mortui sunt tom. 1 n. 85
Primitias spiritus habentes tom. 1 num. 86
Quod impossibile erat legi tom. 1 num. 87
Qui de peccato damnavit peccatum tom. 1 n. 217
Spiritus interpellat pro nobis tom. 1 num. 275
Corpus mortuum est propter peccatum tom. 2 n 90
In his omnibus superamus per eum qui dilexit nos t. 2 num. 286
Vt obediatis concupiscentijs ejus t. 2 n 330 336 418
Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati tom. 2 num. 451 & tom. 3 n. 15
Deus qui justificat: quis est qui condemnet tom. 2 n. 955
Quicumq; spiritu Dei aguntur hi filij sunt Dei t. 3 n. 202
Vbi est gloriatio tua? tom. 3 num. 321
Nam quid oremus sicut oportet nescimus tom. 3 n. 537
Non enim accepistis spiritum servitutis n. 43 tom 508
Nam quos præscivit & prædestinavit tom. 3 num. 885
Illos & glorificavit tom. 3 n. 890 892
Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum tom 3 num. 454 1026
Quis nos separabit à charitate Christi tom. 3 num. 973
Cap. IX. Nunquid iniquitas apud Deum t. 1 n. 87
Offenderunt in lapidem offensionis tom. 1 num. 237
Non volentis neque currentis tom. 1 n. 276 & t. 3 n. 201
Non ego sed gratia Dei mecum tom. 3 num. 208
Vasa iræ parata in interitum tom. 3 n. 898 & 1024
Vt secundum electionem propositum Dei maneret tom. 3 num. 905
O homo tu quis es, qui respondeas Deo tom. 3 n. 1056
Cap. X. Prope est verbum tom. 1 num. 199
Ignorantes Dei justitiam tom. 1 n. 242 & tom. 3 n. 3
Quomodo invocabunt in quem non crediderunt tom. 1 num. 507 tom. 2 n. 293 tom. 3 n. 303
Cap XI. Dedit illis Deus spiritum cõpunctionis t. 1 n. 87
Si autem gratia jam non ex operibus t. 1. n. 337 & tom. 2 num. 163 781. & tom. 3 num. 114 & 541
Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia tom. 2 n. 173
Nunquid repulit Deus plebem suam tom. 3 n. 63
Quis cognovit sensum Domini tom. 3 num. 64
O altitudo divitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei t. 3 n. 999
Cap. XII. Sicut unicuiq; partitus est mensuram fidei tom. 1 num. 12
Nolite conformari huic sæculo tom. 2 num. 526
Cap. XIII. Plenitudo legis dilectio tom. 3 n. 495
Cap. XIV. Omne quod non est ex fide peccatum est tom. 2 num. 554
Regnum Dei justitia & pax tom. 2 num 799
Cap. XV. Et ipsi pleni estis dilectione repleti omni scientja tom. 2 n. 21 (nu. 958
Cap. XVI. Salutate Rufum electum in Domino tom. 3

Ex prima Epistola ad Corinthios.

Cap. I. Nũquid Paulus crucifixus est pro vobis t. 1 n 88
Factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio tom. 2 num. 2
Nonne stultam fecit Deus sapientiã hujus mundi t. 2 n. 12
In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia tom. 2 num. 20
Sanctificatis in Christo vocatis sanctis tom. 3 n. 962
Cap. II. Loquimur Dei sapientiam inter perfectos t. 3 num 885.
Loquimur sapientiam Dei quam prædestinavit t. 3 n. 890
Cap. III. Ego plantavi Apollo rigavit tom. 3 n. 207
Cap. IV. Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non &c. tom. 2 num. 46
Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? tom. 2 n. 405 & tom. 3 n. 478 (391
Cap. VI. Qui adhæret Domino unus spiritus est t. 2 n.
Cap. VII. Quod vult faciat tom. 1 num. 220
Nolite fraudare invicem nisi ex consensu tom. 2 n. 338
Cap. X. Sive manducatis sive bibitis tom. 1 num. 295
Cap. XII. Excellentiorem vobis viã demonstro t. 1 n 87
Cap. XIII. Charitas operit multitudinem peccatorum tom. 2 num. 670
Charitas patiens est, non æmulatur tom. 3 num. 531
Cap. XV. Infirmabatur non in se tom. 1 num. 87
Gratia Dei sum id quod sum tom. 2 n. 2
Qui dat nobis victoriam per D. nostrum Iesum Christum

stum tom. 2 num. 286 & tom. 3 num. 208.
Virtus peccati lex tom. 3 num. 36 & 40 & 94
Non ptus quod sprtuae, sed quod animale tom. 3 n. 57
Sicut in Adam omnes moriuntur tom. 3 num. 334
Sit Deus omnia in omnibus tom. 3 num. 525
Miserabiliores omnibus hominibus tom. 3 num. 915

Ex secunda Epistola ad Corinthios.

CAP. III. Littera occidit tom. 3 n. 40
Obtusi sunt sensus eorum tom. 3 num. 288
Quoniam in Christo evacuatur tom. 3 num. 295
Vbi spiritus Domini, ibi libertas tom. 3 num. 764
CAP IV. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere tom. 2 num. 20
CAP. VII. Sæculi tristitia mortem operatur t. 2 n. 381
CAP. IX. Vnusquisque prout destinavit in corde suo tom 3 num. 884
CAP. XII. Audivi arcana verba quæ non licet homini loqui tom. 2 n. 8
Ne magnitudo revelationum extollat me tom. 1 n. 230
CAP. XIII. Oramus ad Deum, ut nihil mali faciatis tom. 3 num. 187.
An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus tom. 3 num. 199

Ex Epistola ad Galatas.

CAP. III. Conclusit Scriptura sub peccato tom. 3 num. 40 & 265 321
Itaque lex Pædagogus noster tom. 3 num. 49 & 52
CAP. IV. Ejice ancillam & filium ejus tom. 3 n. 295
CAP. V. Vt non quæcunq; vultis illa faciatis t. 2 n. 815
Caro concupiscit adversus spiritum tom. 3 num. 179 & 321 & 403 426 (num. 441
Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis to. 3
Gaudium & pax tom. 3 num. 521
CAP. VI. Vos in libertatem vocati estis tom. 3 n. 364

Ex Epistola ad Ephesios.

CAP. I. Prædestinati secundum propositū ejus t. 3 n. 191
Prædestinavit nos in adoptionē filiorum t. 3 n. 885 & 890
In quo nos sorte vocati sumus tom. 3 n. 918.
Omnibus Sanctis qui sunt Ephesi tom. 3 n. 962
Sicut elegit nos ante mundi constitutionem tom. 3 n. 892 927 954
CAP. II. Gratia ejus saluti per fidem tom. 2 n. 2
Eramus natura filii iræ tom. 1 n. 126
CAP. III. Vt in charitate radicati & fundati possitis comprehendere &c. to. 2 n. 17 & 20
CAP. V. Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit tom. 3 n. 384 & 381
Surge qui dormis tom. 3 n. 464

Ex Epistola ad Philippenses.

CAP. I. Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usq; in diem Christi tom. 1 n. 86 & tom. 2 405
Vobis datum est pro Christo to. 1 n. 169
Deus operatur in vobis tom. 3 n. 478
CAP. II. Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate to. 1 n. 272 & tom. 2 num. 405 to. 3 n. 209 472
CAP. III. Veruntamen ad quod pervenimus t. 1 n. 88
Non quia jam acceperim aut perfectus sim to. 1 n. 229

Ex Epistola ad Colossenses.

CAP. III. Renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem to. 2 n. 78
Omne quodcumque facitis in verbo aut opere &c.
Induite ergò vos sicut electi Dei & dilecti viscera mi- tom. 2 n. 398
sericordiæ tom. 3 nu. 918

Ex prima ad Timotheum:

CAP. I. Christus Iesus venit in mundum to. 1 n. 484
CAP. II. Deus vult omnes salvos fieri tom. 1 n. 87 & 446 & 453 to. 3 n. 369 & 1099
Redemptionē semetipsum dedit pro omnibus t. 3 n. 381

Ex secunda Epistola ad Timotheum.

CAP. I. Formam habe sanorum verborum quæ à me audivisti in fide tom. 2 n. 8
CAP. II, In magna domo tom. 1 nu. 88
Quæ audivisti à me per multos testes hæc commenda tom. 2 n. 8
Omnia sustineo propter electos to. 3 n. 380

Ad Philemonem.

Ita frater te fruar in Domino tom. 2 n. 402

Ex Epistola ad Hebræos:

CAP. I. Virga æquitatis, virga regni tui to. 2 n. 781
CAP. II. Sine fide impossibile est placere Deo t. 2 n. 554

Ex Epistola Iacobi.

CAP. I. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua t. 2 n. 188 & 317 & 413
Omne datum optimum, to. 3 n. 192
Qui perspexerit in legem perfectam, tom. 3 n. 764
CAP. II. Quicunq; totam legem servaverit, to. 3 n. 3
CAP. III. Linguam autem nullus hominum domire potest, to. 3 n. 221

Ex prima Epistola Petri.

CAP. I. Petrus Apost. electis advenis t. 3 n. 380 & 958
CAP. II. Quasi liberi & non quasi velamen habentes (n. 793
malitiæ, to. 3 n. 764
A quo quis devictus est hujus & servus addictus est, t. 3
Vos autem genus electorum, to. 3 n. 258

Ex secunda Petri.

CAP. II. Velut muta animalia, &c. to. 2 n. 201
A quo quis superatus est, ejus & servus est, to. 2 n. 278 & 468 & to. 3 num. 95
Audaces sibi placentes, tom. 2 n. 603
CAP. III. Crescite in gratia & in cognitione Domini, to. 2 n. 21
Nolens aliquos petire, tom. 3 n. 380

Ex prima Epistola prima Ioannis.

CAP. I. Hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo & annunciamus vobis, to. 2 n. 8
Nolite diligere mundum, to. 2 n. 351 & 516 & 524 & to. 3 n. 109
Ipse est propitiatio pro peccatis nostris to. 3 n. 382
Exierunt ex nobis quia non erant ex nobis, to. 3 n. 956
CAP. II. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est &c. tom. 2. n. 326
CAP. III. Qui natus est Deo peccatum non facit, to. 3 num. 826
CAP. IV. Sed ex Deo est, tom. 3 nu. 78
Perfecta charitas foràs mittit timorem. to. 3 n. 4
CAP. V. Mandata ejus gravia non sunt. to. 3 n. 223

Ex Epistola tertia.

Is qui amat primatum gerere in eis, tom. 2 num. 358

Ex Epistola Iudæ.

Præscripti in Iudicium, tom. 3 num. 1024

Ex Apocalypsi.

CAP. II. Dabo tibi coronam vitæ tom. 3. num. 890

Collegij Societ. IESV Paderb. 1670

Finis Tomi tertij & ultimi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


3548
Th
382a